VII 18

PARADISUS CONCIONATORUM TETRALOGIÆ MYSTICÆ,

Sive

Quatuor Sermonum Prædicabilium, interdum verò plurium,

F- 40.

TOMUS SECUNDUS.

In quo

Sanctorum Dei Apostolorum, Martyrum, Confessorum. Virginum, Caterorumque Festorum in Romano Calendario notatorum, quorum celebres memoriæ in Ecclesia Sacro-Romano-Catholica annuè recoluntur,

QUATUOR PANEGYRICI RECENSENTUR.

Quos decantavit linguâ & calamo

Fr. RAPHAEL DELAMINETZ,
Prædicator Generalis, Prior Conventus Pilsnensis,
Ordinis Prædicatorum, in Provincia
Boëmiæ.

Eoque sequuntur Ordine quem sequens Tabella indicat.

ASCHAFFENBURGI,
Sumptibus JOANNIS ARNOLDI CHOL

M DC LXVII.

Pro Bibliotheca Conventus Crossobrod O. P. Fr. Josephus

TABELLA

Sanctorum, Festorumque magis celebrium.

S. Andreas Apostolus.
S. Nicolaus Pontifex.
S. Thomas Apostolus.
S. Stephanus Protomartyr.
S. Ioannes Evangelista.
Sancti Innocentes.
S. Blasius Martyr.
S. Matthias Apostolus.
S. Thomas de Aquino.
SS. Philippus & Iacobus Apostoli.
Inventio S. Crucis.
S. Catharina Senensis.
S. Ioannes Baptista.
SS. Petrus & Paulus Apostoli.
S. Margarita V. & Martyr.
S. Maria Magdalena.
S. Iacobus Apostolus.
S. Anna Mater V. Mariæ.
Portiuncula S. Francisci.
S. Laurentius Levita.
S. Bartholomæus Apostolus.
Exaltatio S. Crucis.
S. Matthæus Apostolus.
S. Michael Archangelus.
SS. Simon & Iudas Apostoli.
Omnes Sancti Dei.
Commemoratio fidelium Animarum.
S. Martinus Pontifex & Confessor.
S. Catharina V. & Martyr.

REVERENDISSIMO, PRÆNOBILI AC GRATIOSO DOMINO

DN. VITO CHRISTOPHORO Fuchs/ von Dornheim/

METROPOLITANÆ MOGUNTINÆ NEC NON EQUESTRIS S. ALBANI EXTRA MUROS MOGUNTINOS, ECCLESIARUM RESPECTIVE CANTORI, ET SCHOLASTICO

Domino ac Patrono meo per quam gratioso.

CElsissimum Athenarum decus ac gloriam Themistoclem interrogatum, cujus Ei vox in theatro gratissima futura esset, responsum dedisse ferunt: illius â quo virtutes ejus canarentur. Hoc

tam præclaro atque illustri exemplo in subscribendo secundam hanc partem Reverendissimæ ac Gratiosissimæ Dominationi Tuæ bene sperare edoctus: eo quod tanta nominis Tui sit Claritas, ut anceps hæream, an illam oculis sustinere, an calamo describere sit difficilius: mihi cui rudis iste est, illi hebetes; utrumque impossibile redditur, namque tot in TE contemplor radios, quot virtutes totque virtutes, quot gesta. Mirum in TE acumen ingenii, pondus judicii, vis prudentiæ, sublimitas consilii, excelsitas indolis, suavitas morum, studium pietatis, & æquabilis per omnes ætatis gradus, vivendi tenor atque constantia. Quare cum præsens

Pa-

Paradisus Concionatorum quem sacer *Sanctissimi Patriarchæ Dominici* attulit ager, in lucem edendus esset, clariori haud subalternandum Lumini duxi quam Tuo. Ipse enim non ut Luna, quæ â Sole, verum ut Sol qui â se ipso lumen habet effulges; honoresque ac dignitates, quæ aliis venerationem conciliant, a TE plus recipiunt quam tribuant, Tu quidquid non est virtus Tuum non reputas, nec splendore gloriaris qui possit minui. Scis Te nobilissima ortum origine, Scis TE Cantorali (ut alia sexcenta silentio prætream) sublimatum dignitate, sed fortuitis non extolleris, qui præter meruisse omnia existimas aliena.

At

At quid in infinitum laboro? verbis inæqualibus tuam oſtendo modeſtiam, unum oſtendiſſe ſufficiat Ei ſe credere Tetralogiam Myſticam, Cujus in virtute ſpem ingentem ponit publica ſalus: erat cur Patronum adiret Cliens ſui ſecura quia Tua eſt, nec Tibi ſe daret, ſed redderet.

Fave igitur benigna Tui favoris aura Reverendiſſime Domine, & ſereno ut aſſoles oculo Paradiſum hunc Concionatorum reſpice, inque mole graviſſimorum negotiorum quæ in Eccleſiæ emolumentum gratioſè tueris, hocce divino Zephyro velut manu Aſſiſtore & Auxiliatore, ad feliciores

quam

quam semper actionum successus perpetuo fruere. Ita ex imo precor

Reverendissimæ ac Gratiosissimæ
Dominationis Tuæ

Æternum devotus Cliens

Joannes Arnoldus Cholinus.

EMBLEMA.

En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt.

Cantic. 3.

Sexaginta ſunt Reginæ.

Cantic. 6.

MAgna fuit quondam Salomonis cura Dynaſtæ,
Sex vigilum decades adhibuiſſe thoro.
At dum Reginas totidem numerabat in aula,
Tum ſua Majeſtas amplius enituit:
Major viſa mihi eſt Majeſtas Regis Olympi
Quantò Majorem Rex habet ille domum.
Nam ſexaginta vigilum cuſtodia; nec non
Reginæ, exiguum conficiunt numerum:
Lectulus at Chriſti qui eſt floridus, aureus æquè,
Reginas plures exhibet, ac vigiles.
Id ſi noſſe velis, florens Eccleſia Chriſti,
Tanti Myſterii nobile dogma dabit.
Hæc eſt quam celebris thalamus Salomonis adumbrat,
Qui cubat ipſe Deus, protegit, atque regit:
Ipſum circumdant, quotquot numerantur in aula,
Cœlorum Sancti, robore conſpicui.
Et quoniam numerum vix poſſunt claudere certum,
(Nam ſe hæc Majeſtas extenuare nequit)
Hinc ſis contentus numero quem protulit Author.
Et fac, ut plures cœlitus invenias.

In gratiam Operis & Authoris

Obtulit

Conventus Pilſnenſis S. Margaritæ, V. & M. Ord. Prædicatorum.

IN-

INDEX THEMATUM.

In festo S. Andreæ Apostoli.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.

Ambulans Iesus juxta mare Galilea vidit duos fratres. Matth. 4. v. 18. p. 1

Thema Sermonis 2.

Vidit Iesus duos fratres Simonem qui vocatur Petrus & Andream fratrem ejus. Matth. 4. v. 18. p. 4

Thema Sermonis 3.

Venite post me faciam vos Piscatores hominum, at illi continuo relictis retibus secuti sunt eum. Matth. 4. v. 19. p. 7

Thema Sermonis 1.

Dilexit Andream Dominus in odorem suavitatis, Rom. Eccl. p. 10

In festo S. Nicolai Pontif.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.

Homo quidam peregre proficiscens, vocavit servos suos & tradidit illis bona sua, Matth. 25. v. 14. p. 13

Thema Sermonis 2.

Abiens fodit in terram & abscondit pecuniam Domini sui. Matth. 25. v. 18. p. 16

Thema Sermonis 3.

In multitudine electorum habebit laudem. Eccles. 24. v. 4. p. 19

Thema Sermonis 4.

Beatus qui intelligit super egenum & pauperem Ps. 40. v. 2. p. 22

In festo S. Thomæ Apost.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.

Thomas unus de duodecim. Joan. 20. v. 24. p. 25

Thema Sermonis 2.

Non erat cum eis quando venit Iesus. Joan. 20. v. 24. p. 31

Thema Sermonis 3.

Infer digitum tuum huc, & vide manus meas. Joan. 29. v. 27. p. 31

Thema Sermonis 4.

Dominus meus & Deus meus. Joan. 20. v. 28. p. 36.

In festo S. Stephani Protomartyris.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.

Stephanus plenus gratiâ & fortitudine. Actor. 6. v. 48. p. 39

Thema Sermonis 2.

Ecce video cœlos apertos. Actor. 7. v. 55. p. 41

Thema Sermonis 3.

Positis genibus clamavit voce magna dicens, Domine ne statuas illis hoc peccatum. Act. 7. v. 59. p. 43

Thema Sermonis 4.

Exultavit ut gigas ad currendam viam suam. Ps. 18. v. 6. p. 45

In festo S. Joannis Evangelistæ.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.

Aquila grandis magnarum alarum. Ezech. 17. v. 3. p. 48

Thema Sermonis 2.

Conversus Petrus vidit illum discipulum quem diligebat Iesus. Joan. 21. v. 20. p. 50

Thema Sermonis 3.

Recubuit in cœna super pectus Iesu. Joan. 21. v. 20. p. 53

Thema Sermonis 4.

Hic est discipulus, qui testimonium perhibet de his. Joan. 21. v. 24. p. 55

In Festo S. Innocentum.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus. Matth. 2. v. 16. p. 59

Thema Sermonis 2.
Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt. Matth. 2. v. 18. p. 61

Thema Sermonis 3.
Sine macula sunt ante thronum Dei. Apoc. 14. v. 5. p. 63

Thema Sermonis 4.
Flores apparuerunt in terra nostra. Cant. 2. v. 12. p. 65

In Festo S. Blasii Martyris.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Si quis vult venire post me abneget semetipsum. Matth. 16 v. 24. p. 68

Thema Sermonis 2.
Si quis vult venire post me abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me. Matth. 16. v. 24. p. 71

Thema Sermonis 3.
Si quis vult venire post me abneget seipsum & tollat crucem suam. Matth. 16. v. 24. p. 74

Thema Sermonis 4.
Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Matth. 16. v. 25. p. 77

S. In Festo S. Matthæi Apostoli.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Cecidit sors super Matthiam. Act. 1. v. 26. p. 80

Thema Sermonis 2.
Annumeratus est undecim discipulis. Actor. 1. v. 26. p. 83

Thema Sermonis 3.
Vidit Dominus humilitatem meam. Gen. 29. v. 32. p. 86

Thema Sermonis 4.
Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus & revelasti ea parvulis. Matth. 11. v. 25. p. 89

In Festo S. Thomæ Aquinatis D. Angelici.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Vidi Angelum fortem descendentem de cœlo amictum nube. Apoc. 10 v. 1. p. 92

Thema Sermonis 2.
Iris in capite ejus. Apoc. 10. v. 1. p. 94

Thema Sermonis 3.
Quasi sol refulgens sic iste effulsit in templo Dei. Eccl. 50. v. 7. p. 97

Thema Sermonis 4.
Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona. Matth. 5. v. 16. p. 100.

In festo SS. Apostolorum. Philippi & Jacobi.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Non turbetur cor vestrum, creditis in Deum, & in me credite. Joan. 14 v. 1. p. 103

Thema Sermonis 2.
Domine ostende nobis Patrem & sufficiet nobis. Joan. 14. v. 7. p. 106

Thema Sermonis 3.
Isti sunt duo filii olei splendoris. Zach. 4. v. 14. p. 108.

Thema Sermonis 4.
Posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello. Zach. 10. v. 3. p. 111

In festo Inventionis S. Crucis.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Qui me invenerit inveniet vitam. Prov. 8. v. 35. p 114
Thema Sermonis 2.
Circuibam quærens ut illam mihi assumerem. Sap. 8. v. 19. p. 117
Thema Sermonis 3.
Inventâ una pretiosa Margaritâ abiit. Matth. 13. v. 46. p. 120
Thema Sermonis 4.
Nunc dilatavit nos Dominus & fecit crescere super terram Gen. 26 v. 22. p. 123

In festo S. Catharinæ Senensis.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Simile est Regnum cœlorum grano sinapis. Matth. 13 v. 31. p. 126
Thema Sermonis 2.
Quæsivi sponsam mihi eam assumere Sap. 8. v. 2. p. 129
Thema Sermonis 3.
Vivo jam no[illegible]it verò in me Christus. ad Gal. 2. p. 132
[illegible]rmonis 4.
Ego stigmata Domini Iesu, in corpore meo porto. ad Gal. 6. v. 17. p 135

In festo S. Joannis Baptistæ.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Elisabeth impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Luc. 1. v. 57. p. 138
Thema Sermonis 2.
Ioannes est nomen ejus. Luc. 1, v. 63. p. 141
Thema Sermonis 3.
Quis putas puer iste erit. Luc. 1. v. 66. p 144
Thema Sermonis 4.
Manus Domini erat cum illo Luc. 1. v. 66. p. 147

In festo SS. Apostolorum Petri & Pauli.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Ego dico tibi quia tu es Petrus. Matth. 16. v. 18. p. 150.
Thema Sermonis 2.
Nomen eorum permanet in æternum. Eccl. 46. v. 15. p. 152
Thema Sermonis 3.
Laudemus Viros gloriosos & parentes nostros in generatione sua. Eccl. 44. v. 1. p. 154
Thema Sermonis 4.
Statuit duas columnas in porticu templi. 3. Reg. 7. v. 21. p. 157

In festo S. Margaritæ V. & Mart.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito. Matth. 13. v. 44. p. 160
Thema Sermonis 2.
Simile est regnum cœlorum negotiatori, quærenti bonas margaritas Matth. 13. v 45. p. 163
Thema Sermonis 3.
Inventa una pretiosa margarita abiit. Matth. 13. v. 46. p. 166
Thema Sermonis 4.
Inventa una pretiosa margarita abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Matth 13 v. 46. p. 168

In festo S. Mariæ Magdalenæ.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix. Luc. 7. v. 37. p. 170

Thema Sermonis 2.
Stans retrò secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus. Luc. 7. v. 44. p. 174
Thema Sermonis 3.
Remittuntur ei peccata multa. Luc. 7. v. 47. p. 177.
Thema Sermonis 4.
Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Luc. 7. v. 47. p. 179
Thema Sermonis 4.
Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Luc. 7. v. 47. p. 182

In festo S. Jacobi Apostoli.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Iustè vocatum est nomen ejus Iacob. Gen. 27. v. 36. p. 187
Thema Sermonis 2.
Quam pulchra tabernacula tua Iacob. Num. 24. v. 5. p. 188
Thema Sermonis 3.
Non vocaberis ultrà Iacob, sed Israel erit nomen tuum. Gen. 32. v. 28. p. 191
Thema Sermonis 4.
Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Matth. 20. v. 22. p. 194

In festo S. Annæ Gloriosæ Matris B. V. M.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis & sanctæ spei. Eccl. 24. v. 24 p. 197
Thema Sermonis 2.
Ego quasi Vitis fructificavi suavitatem odoris Eccl. 24. v. 23. p. 200
Thema Sermonis 3.
Mulier timens Deum ipsa laudabitur. Prov. 31. p. 203.
Thema Sermonis 4.
Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Matth. 13. v. 45. p. 206

In festo Portiunculæ.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Festinans descendit, & excepit illum gaudens. Luc. 19. v. 6. p. 209
Thema Sermonis 2.
Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Gen. 28. v. 16. p. 212
Thema Sermonis 3.
Non est hic aliud nisi Domus Dei. Gen. 28. v. 17. p. 215.
Thema Sermonis 4.
Major pars venit Benjamin. Gen. 43. v. 34. p. 217

In festo S. Laurentii Martyris.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Granum frumenti cadens in terram, si mortuum fuerit multum fructum affert. Joan. 12. v 24. p. 221
Thema Sermonis 2.
Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Joan. 12. v. 25 p. 224
Thema Sermonis 3.
Qui mihi ministrat, me sequatur, & ubi ego sum illic & minister meus erit. Joan. 12. v. 26. p. 227.
Thema Sermonis 4.
Qui mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus, qui est in cœlis. Joan. 12 v. 26. p. 230

In festo S. Bartholomæi Apostoli.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Ecce verè Israelita, in quo dolus non est. Joan 1. v. 47. p. 235
Thema Sermonis 2.
Vos estis qui permansistis mecum intentationibus. Luc. 22. v. 28. p. 236
Thema Sermonis 3.
Iussit Rex expoliari Ionatham vestimentis, & indui eum purpuara. 1. Mach. 10. v. 62. p. 239
Thema Sermonis 4.
Surrexit quasi ignis, & verbum illius quasi facula ardebat, Eccl. 43. v. 17. p. 241

In

THEMATUM.

In festo Exaltationis S. Crucis.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.

Oportet exaltari filium hominis. Joan. 12. v. 34. p. 244.

Thema Sermonis 2.

Si exaltatus fuero à terra: omnia traham ad me ipsum. Joan. 12. v. 32. p. 247

Thema Sermonis 3.

Exaltavi lignum humile. Ezech. 17. v. 24. p. 250

Thema Sermonis 4.

Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, ad Galat. 6. v. 14. p. 253

In Festo S. Matthæi Apostoli.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.

Vidit Iesus hominem. Matth 9. v. 9. p. 256

Thema Sermonis 2.

Vidit Iesus hominem sedentem in telonio, Matth. 9. ibid. p. 259

Thema Sermonis 3.

Vidit Iesus hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine; & ait illi, sequere me, Matth. 9. ibid. p. 262

Thema Sermonis 4.

Surgens secutus est eum. Matth. 9. ibid. p. 265.

In Festo S. Michaelis Archangeli.

Sermones 5.

Thema Sermonis 1.

Angeli eorum semper vident faciem Patris mei. Matth. 18. v. 10. p. 268

Thema Sermonis 2.

Quis putas major est in regno cælorum, Matth. 18. v. 1. p. 271

Thema Sermonis 3.

Væ homini per quem scandalum venit, Matth. 18. v. 7. p. 273

Thema Sermonis 4.

Vidi & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu Throni, Apoc. 5. v. 11. p. 277

Thema Sermonis 5.

Collaudemus venerantes omnes cœli milites;

Sed præcipue Primatem Cælestis exercitus,

Michaelem, in virtute conterentem Zabulum. Ex hymno Eccl. p. 280

In Festo Sanctorum Apostolorum Simonis & Judæ.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.

Plantati in domo Domini in atriis domus Dei nostri florebunt Ps. 40. v. 7. p. 283

Thema Sermonis 2.

Iustus ut palma florebit sicut Cedrus Libani multiplicabitur. p. 286

Thema Sermonis 3.

Iustus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur. p. 289

Thema Sermonis 4.

Iustus ut palma florebit, sicut Cedrus Libani multiplicabitur.

In Festo omnium Sanctorum.

Sermones 5.

Thema Sermonis 1.

Gaudete & exultate: Ecce enim merces vestra copiosa est in cœlis, Matth. 5. v. 12. p. 295

Thema Sermonis 2.

Gaudete & exultate. Ecce enim merces vestra copiosa est in cœlis. Matth.5. ibid. p.297

Thema Sermonis 3.

Beati qui habitant in domo tua Domine. Psal.90. v.1. p.299

Thema Sermonis 4.

In octo gradibus ascensus ejus. Ezech. 40. v.34. p. 302

Thema Sermonis 5.

Gloria hæc est omnibus Sanctis ejus. Ps 149. v.9. p.305

In commemoratione fidelium animarum.

Sermones 5.

Thema Sermonis 1.

Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. p.307

Thema Sermonis 2.

Miseremini mei saltem vos amici mei. Job 19. v. 21. p.310

Thema Sermonis 3.

Miseremini mei. Quia manus Domini tetigit me. Job.19.ibid. p.313

Thema Sermonis 4.

Mementote vinctorum tanquam simul vincti, & laborantium tanquam & ipsi in corpere morantes. ad Hebr.13.v.3. p.315

Thema Sermonis 5.

Dies mei sicut umbra declinaverunt, & ego sicut fœnum arui. Psal.101.v.12. p.317

In festo S. Martini Pontificis.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.

Nemo lucernam accendit & in abscondito ponit. Luc 11.v.33. p.321

Thema Sermonis 2.

Sicut dies mercenarii dies ejus. Job.7.v.1. p.324

Thema Sermonis 3.

Certamen forte dedit illi ut vinceret. Sap. 10. v. 12. p.327

Thema Sermonis 4.

Super volucres cœli erudit nos. Job.35.v.11.p.329

S. In festo S. Catharinæ V. & Mart.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.

Non est talis mulier super terram, in aspectu & in pulchritudine & in sensu verborum. Judith.11.v.19. p.333

Thema Sermonis 2.

Adamavit eam Rex super omnes mulieres. Esther.2.v.17. p.335

Thema Sermonis 3.

Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. Prov.31.v.29. p.337

Thema Sermonis 4.

Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, Prov.9.v.1. p.340

FINIS.

IN FESTO SANCTI ANdreæ Apostoli,

CONCIO I.

Ambulans IESVS juxta mare Galilææ, vidit duos fratres.

Matth. 4.

EAmosa erat illa rubri maris Insula Asiongaber dicta, quoniam multi Regum propter aurum quod ferebat, illam ad re solebant: ita legimu libro 2. Paralipomenon, cap. 8. de Rege Salomone: *Tunc abijt Salomon in Asiongaber & in Hallath ad oram maris rubriq; est in terra Edom. Misit autem Hyram per manus servorum suorum, naves & nautas, gnaros maris, & abierunt cum Servis Salomonis in Ophir, tulerunt q; inde quadringenta quinquaginta talenta auri.* 2. Paralip. 8. Idem fecisse Regem Iosaphat testatur libro tertio Regum caput ultimum, in quo scribitur sic: *Rex Iosaphat fecerat classes in mari, quæ navigarent in Ophyr propter aurum.* 3. Reg. 22. Sed multò famosius erat illud littus maris Galilææ, ait enim sacer textus hodierni Evangelij, quod dum Iesus perambularet illud, ibidem reperit, non metalla auri, cui minimè afficiebatur, quia coluit paupertatem, sed invenit duos fratres quorum aspectu in tantum oblectatus fuit, ut in ipsis desiderij sui metam statuisse visus fuerit, ait enim Sanctus Evangelista. *Ambulans IEsus juxta mare Galilææ vidit duos fratres.* Ex quibus verbis antequam aliquod encomium eruamus S. Andreæ Apostolo, cujus hodie celebrem agimus memoriam, primum illa consideratione spirituali ponderabimus.

I. Sicut in antiquo testamento præclare Deus in aquis per aquas & circa aquas faciebat olim miracula, ita & in novo Christus Dominus, ne dum præclara, sed multò præclariora præstabat. Quod cõcernit antiquam legem, multa hujus rei habemus argumenta. Inprimis in exordio creationis Universi hujus, non displicebat Domino occupatio circa aquas, sic enim scriptum extat Genesis 1. cap. *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Quæ verba sacri textus antiqui Authores Tertullianus, & Theodoretus, si explicant, nempe quod per Spiritum, ventus intelligi debeat, quia suam vicinitatem habeat cum aquis, tamen pleriq; sacrarum scripturarum Doctores, nempe Divus Basilius, Augustinus, nec non venerabilis Beda, ipsum fuisse Spiritum Sanctum dicunt, tertiã in Sancta Trinitate personam: S. verò Chrysostomus per Spiritum Dei, virtutem & efficaciam, quam Deus impressit aquis, intelligit. Ex hisce duabus sententijs, juxta doctrinam Abulensis, illud elicimus, divinam virtutem statim à principio mundi in aquis fuisse operatam, intuendo eas, & considerando futurum tempus quo per eas tanquam per instrumenta animæ hominum erant regenerandæ. Verba sunt Abulensis. *Voluntas & mens Dei opificis ferebatur super aquas, quasi mente pertractans & designãs quæcunq; ex aqua facere statuerat.* Non minoris mysterii erat illi occupatio Dei, quando dividebat aquas ab aquis, ubi aridam, vocavit terram

Genesis 1.

Tertullian. lib. contra Hermog. Theod. Q. 8. sup Genes. S. Chrisost. Homil 3. sup Genes.

Abulens. in Gen.

ram, congregationes verò aquarum, appellavit maria, in quo opere testante Hugone distinctionem statuum & ordinum in hominibus designabat. Cur autem Deus tantam in aquis habuerit complacentiam, varias rationes assignant viri docti, inter quos Theodoretus ita ait: *Qui vivificabat & fecundabat aquarum naturam præfigurans quodammodo gratiam baptismi:* in quibus verbis ea ratio invenitur: Cur Deus aquis majorem operam præstiterit quàm alijs creaturis, quia illæ servire debebant suo tempore in materiam Sacramenti Baptismatis, quod est janua cæli & redemptionis humanæ instrumentum. Oleaster eam assignat rationem dicens: Quod quando aquæ totam terræ superficiem occupaverant, ita ut nihil illius appareret, illisq; Deus imperasset, quatenus cederent loco suo, & terræ etiam suum relinquerent, illæ paruerint, & exactissimè mandatis Dei obtemperaverint. Unde prædictus autor examinans illa verba scripturæ: *Congregentur aqua quæ sub cælo sunt, & appareat arida & factum est ita:* pulchrè moralizat dicens: *Cesserunt aqua suo loco, ut terra posset fructificare, tibi verò non præcipitur tuum locum relinquere sed alienum non occupare.* Ex hoc aquarum facto, discant avari, mandatorum Dei obedientiam. Ecce enim si tibi diceretur: *Congregentur aquæ* id est ut deseras locum tuum eumq; cedas alteri. O quam durus hic sermo tibi videretur: sed hujus rei minimè quid tibi dicitur, nisi illud solum, ut proprio contenteris, & ne occupes aliena: Vide ergo, quàm te rationis compotem longè superent aquæ, ratione sensuq; carentes.

Hugo in Genes.

Theodoret. Q. 8. in Genes.

Oleaster in Genesin.

II. Doctor Alicujus elegantem quoq; de aquis discursum subministrat; qui ponderans infelicem illum parentum primorum casum propter quem Deus maledixit terræ, dicens: *Quia comedisti de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo,* sic igitur curiosam movet quæstionem, quam ob causam Deus non maledixerit aquis, sicut fecit terræ. Si aquæ non peccaverunt, quomodo terra peccare potuit? quam tamen maledixit? ita ergo ait prænominatus author: *Terra maledicitur non aquis, quia homo de fructu terræ contra vetitum manducavit, non de aquis bibit, & in aquis erat peccatum abluendum, de fructu terræ contractum.* Pulchra planè resolutio. Peccavit homo comedendo ex fructibus terræ, & non bibendo ex aquis maris, & per illas, mundandum atq; delendum erat peccatum contractum ex fructibus terræ, voluit ergo Deus castigare mundum per aquas, sumens illas tanquam instrumentum vindictæ suæ, & postea eas causam instrumentalem nostræ redemptionis facturus erat, portæ cæli, & primi Sacramenti legis gratiæ, ergo id quod culpas auferre debet & maledictionem peccati ex mundo exterminare, injustum esset quod illa incurreret vel speciem eorum haberet.

Gen. 3.

Alcuinus in Genes.

Genesis 6.

III. Non hac solum vice, sed multis alijs aquarum servitio tanquam aptissimo quodam instrumento, Deus utebatur, voluit educere populum Israëlis de Ægypto, non eduxit eum per terram sed per mare, & quidem sine ullis navigijs. Postquam enim ad littus maris perveniissent, illiusq; aquas virga sua Moyses attigisset, mox divisæ fuerunt in partes, ita ut in altum erectis atq; stantibus ille populus tanquam inter muros quosdam altissimos sicco pede ambulaverit, ita testante sacro textu: *Cum extendisset manum suam Moyses super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi, & urente tota nocte, & vertit in siccum, divisaque est aqua, & ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris. Erat enim aqua quasi murus à dextra eorum & leva.* Idem populus dum perveniisset in Raphidem, nec haberet aquam ad bibendum, murmurabat contra Moysen, ad quem Dominus: *Antecede populum & sume tecum de senioribus Israel, & virgam quâ percussisti fluvium tolle in manu tua & vade. Ecce ego stabo ibi coram te supra petram & exibit ex ea aqua ut populus bibat.* In qua historia advertit unum D. Augustinus: nempè cur scriptura commemoret sitisse populum aquam. Cur non dixit populum simpliciter sitisse, sed addidit sitisse aquam, sic enim habet antiqua translatio: Et respondet dicens; Quare hoc addidit? nisi aquam, sitivit, qui debuit sitire justitiam, ubi per aquam intelligit justitiam. Sic enim habetur Matthæi 5. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam.

Exod. 14.

Exod. 17.

S. August.

Matth. 5.

IV. Non

IV. Non minora in novo testamento circa aquas Christus fecit, ut meritò dicat Tertullianus: *Nunquam sine aqua CHRISTVS.* Pisces ex aqua productos fuisse testatur sacer textus & quidnã designant aliud quam homines? hi enim ut in Ecclesiam admittantur, piscibus conformari debent, qui de aquis & in aquis nascuntur. Hoc indicat Christus Dominus dicens: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei.* In aquis filius à Patre manifestatur his verbis: *Hic est filius meus dilectus*: super aquâ aperti sunt cæli, & in illis Christum Joannes agnovit eumq; suo digito mundo manifestavit. In aquis Dominus primum divinitatis suæ ostendit argumentum & miraculum, quod in illis patravit. Per aquas instruxit Nicodemum dicens, Necessum est renasci hominem per aquam. Ad aquæ puteum convertit Samaritanam. Pro aquæ calice cælos promereri ait. Super aquas in confirmationem potestatis suæ ambulabat. Per aquas navigabat, fluctusq; sedando tempestatis, filius Dei proclamatus erat. Per aquas quibus lavabat discipulorum suorum pedes, passionis suæ mysteria in choabat, in aquis ultimam vitæ suæ imposuit Catastrophen, dum ipso expirante, & latere ejus lancea aperto, continuo exivit sanguis & aqua.

Tertullian. contra Quintil.

Ioan. 3.

Matt. 3.

Ioan. 1.

Ioan 4.

Ioan. 4.

Matth. 10.

Matth 4.

Ioan. 3.

Ioan. 19.

V. Sed nec hodiernum festum suis caret aquis, etenim *ambulans* Jesus juxta mare Galileæ vidit duos fratres, Simonem qui cognominabatur Petrus & Andream *fratrem ejus*. O felix Christi ambulatio! quæ hisce duobus fratribus, & per ipsos toti Ecclesiæ fuit commodo. Illa deambulatio filiæ Ægypti Pharaonis filiis Israëlis valde fortunata fuit, hæc enim cum descendisset ad flumen, ut in ipso lavaretur, vidit fiscellam in papione, in qua occlusus erat infantulus Hebræorum, cumq; allatam aperuisset, cernens in ea parvulum vagientem, tradidit nutriendum matri suæ, atq; jam adulto dedit nomen Moyses, eo quod de aqua tulerat eum. Sed quanto fælicior erat nobis Christianis Christi Domini juxta mare Galilææ deambulatio: quandò quidem deambulans juxta mare Galilææ, vidit non fiscellam scirpeam, in qua Moyses latitabat, sed duos fratres nempe Simonem, & Andream, qui Moysis encomia non solum adæquarunt, sed certè superarunt. Maneamus penes Andream Apostolum cujus hodie memoriam celebramus. Moyses inventus ad flumen, Andreas ad mare Galilææ. Moyses primus ductor Hebræorum, Andreas primus ductor Christianorum. Moyses virga à Deo sibi cum potestate tradita, multa signa fecit. Virga crucis Domini plura & majora fecit Apostolus. Moyses serpente æneo in signo crucis posito populum à morte liberavit. Sed Sanctus Andreas Apostolus, per signum crucis JESU CHRISTI, non solum serpentis infernalis mortem clusit, sed etiam veram invenit vitam. Cum enim coram Tyranno suo crucem Domini prædicasset, & ad ejusdem supplicium fuisset condemnatus, eidem affixus, in sequela mortis JESU,

Vitam invenit sempiternam,

AMEN.

Exod. 2.

IN FESTO S. ANDREÆ Apostoli

CONCIO II.

Vidit Iesus duos fratres Simonem qui vocatur Petrus & Andream fratrem eius.
Matth. 4.

COmmuni Proverbio dicitur. *Oculus Domini saginat equum*: hujus modi enim equi melior est conditio, quem sæpius dominus suus intuetur, & si advertat macilentum, ei prospicit de pabulo; at ego mundiale hoc proverbium rectius præferre possum de hominibus justis, quam de jumentis dicens illud Psalmistæ *Non vidi justum derelictum, nec semen eius quærens panem* Cujus rationem habemus Psalmo 33 Quia *oculi super istos*: patet hoc in multis locis sacræ scripturæ, quæ passim testatur, quod dumcunq; in aliquem Dominus jecit oculum suum, singulariter, multumq; illi proderat, & ne conquirete videar tot testimonia quæ palpabilia sunt, S. Andreã Apostolum unà cum fratre suo pro argumento habeo. Hi duo piscationi (ex quâ viverent) dabant operam. Sed quàm primùm Jesus eos vidit, mittentes rete in mare ut sequantur ad eos dixit, mox illi relictis retibus secuti sunt eum. Unde occasionem habeo hic aliquid dicendi, de efficacia oculorum Domini, quibus ad se pertraxit Apostolum.

Psal. 36.

Psal. 33.

I. Sanctus Joannes Chrysostomus, explicans illum sacri Evangelii locum in quo S. Joannes ennarrat historiam de quodam homine à nativitate cæco, illud singulare adnotavit in Christo Domino quod illum cæcum hominem attentius atq; diutius intuitus fuerit adeo ut idem videntes discipuli hinc occasionem sumpserint interrogandi Dominum dicentes. *Rabbi quis peccavit, hic aut parentes ejus ut cæcus nasceretur.* Verba sunt S. Chrysostomi *Tam diligenter eum intuitus est, ut discipulos ad interrogandum converteret.* Quod autem illos ad interrogandum solo visu suo permoverit, patet in fronte huius historiæ dicente sic Evangelista. *Prætereins Iesus vidit hominem cæcum à nativitate.* Nec minimum adhuc verbum Christus ei locutus fuerat, sed eo solo quia præteriens, tã attente ipsum intuitus fuerit, discipulis ad interrogationem instituendam occasionẽ dedit. Si id S. Chrysostomo admirationi fuit, multo major me hodie tènet admiratio, dum lego Matthæum dicentem. *Ambulans Iesus juxta mare Galilææ vidit duos fratres* Domine! hic tuus intuitus me compellit ad interrogationem, Quid in mari, vel in piscatoribus in eodem mari piscantibus intueris? Quid hic oculis tuis dignum habes? Quid hic spectas, nisi piscatores? homines rudes, idiotas, de labore manuum suarum victitantes? Nunquid vehementer Regem admirareris, si exiret de magnifico pulchroq; suo palatio, ubi regiæ abundant opes, cujus oculi pulchra quæq; & pretiosa videre consueverunt: & hic pagum ingressus figeret oculos suos in aliquod sterquilinium. Idem & me in admiratio... m rapit, quod unigenitus filius Dei Patris Rex cæli & terræ suo egressus palatio, & in hunc mundum veniens converterit oculos suos in homines, qui nihil aliud sunt nisi miseriarum cumulus & immunditiæ sterquilinium. Unde meritò filium Dei, Regem Dominum q; meum verbis sancti Job alloqui possum. *Et dignum duceis super hujusce modi aperire oculos tuos?* Merito S. Job mirabatur, vel semel Deum oculos suos aperire potuisse super hominem, sed ego plus Dominum & Salvatorem nostrum Jesum demirari debeo, hic enim non solum dignatus fuit aperire suos oculos, sed insuper firmasse & fixisse illos in hodiernos piscatoros Petrum & Andream: sed cesset admiratio, multùm enim differunt oculi divini, ab humanis: hi facilè quemvis defectum incurrunt, nec valent intueri, nisi illud quod sibi conveniens judicant, at divini oculi, soli

Iob. 14.

Ioan 9.

S. Chrysost. in Ioann.

sunt

sunt similes ecq; ipso perspicatiores, qui non luto, non sterquilino humanorum defectuum, & imperfectionum inquinantur sed in eodem conditionis suæ statu permanent.

II. Oculos humanos, fenestras animæ dixerunt Philosophi, ipsosque autor naturæ Deus sapientissima providentia creavit Cum enim natura creata, multis & diversis opprimatur necessitatibus & defectibus ut aliquid habeat, unde sibi provideret, nempe de victu, potu, vestitu, deinde ut in hoc mundi emporio negotiati, lucrari, proficiscíq; possit, quo sibi conduceret, id circo tali, naturæ autor ejusdem Deus oculos tanquam fenestram dedit, quos aperiat & videat qualiter posset necessitatibus suis prospicere, defectus resarcire, illisq; subvenire. Hinc D. Chrisostomus *Matth. 5.* ponderans illa verba sancti Matthæi Euangelistæ dicentis. *Videns Iesus turbas ascendit ad montem*, ita discursum suum deducit, quod ex eo, dum aliquis quidquam diligenter & attentè intuetur, possit colligi ibidem esse illud quod desiderat, & quid illi desit; Faber lignarius lignum intuetur, vir doctus libros lustrat *S Chrisost. hom. 6. in Matth.* volvit revolvitque, ut materiam quam desiderat lectione percurrere, eò citius invenire possit. Sic miles arma quibus afficitur, famelicus panem quo cupit saturari, & sic de aliis. Atqui Deus omnigenis abundat bonis, tamque alienus est ab omni defectu ut sicut *sine ipso factum est nihil*, ita *ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia*, hinc nō opus est illi, ut oculos *Ioan. 10.* suos aperiat, quibus quærat aliquid sibi necessarium, sed ut vacua investiget, quæ repleat, & defectus restauret. Non male dixerat S. Petrus Apostolus, cuidam pauperi claudo à nativitate, *respice in nos*, nec ille impertinenter fecerat, dum intendebat in eum, id tamen eo fine fecerat ut ait sacer textus, sperans se aliquid accepturum. *Actor. 3.* Porrò Christus Dominus aliter intendebat in hodiernos piscatores, non ut aliquid ab eis acciperet, sed potius ut illis benefaceret.

III. Benè advertit discrimen S. Job inter oculos Dei & hominum, dum ait. *Nunquid* *Iob. 10.* *oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo & tu videbis?* Quid est caro? subjectum omnibus privatum bonis, quod ex se nullum possidet bonum. Namq; vitam habet ex seipsa, nec salutem, nec pulchritudinem, neque cibum. Advertit hoc S. Paulus Apostolus qui in Epistola ad Romanos sic ait: *Non est in carne mea bonum.* Cum autem ex privatione oriatur appetitus, caro autem omnibus bonis privata sit, nec immeritò comparatur fœno dicente Propheta: *omnis caro fœnum*: quia sicut fœnū quod antea habebat speciem seu colorem graminis virore præstantis, sive floris, solis ardore adustum id totum amittit, ita & caro nostra, ardore concupiscibili pomi vetiti, per primos parentes exusta, totum amisit quod habuit; non est inquam mirum, id ipsam appetere, quod non habet. Unde carnis oculi, nihil aliud sunt, quam faces quædam carnis & corporis, quibus fertur desiderio ad acquirenda ea, quæ non habet. Rex Achab tales habuit oculos, qui cum aspexisset Naboth vineam horto suo adjacentem, non poterat esse quietus quin eam etiam per nefas, nempe per mortem hominis illius in justissimam, sui juris faceret. Non tales oculi erant Salvatoris nostri sunt quales describit D. Joannes in Apocalypsi dicens *Vidi & ecce in medio throni & quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem habentem oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnē terram.* Quid est hoc quod oculi Dei Spiritus nominentur? nisi quia oculi ejus non carnales sunt, aut aliquid quod alterius est concupiscant, seu ut ab aliquo aliquid recipiant, sed potius ut aliis calorem, vigorem, vitam, spiritumq; ad bonū tribuant. oculi inquam illi divini sunt, qui lumen vitæ tribuunt. Petrus Apostolus negan- *D. Chrys. hom. 22. in Ioan.* do Christum, jam, jam prope ad occidentem properabat. Sed quid ait D. Chrysostomus *Respexit Dominus Petrum intuitu suo, jacentem excitans & ad lachrymas movens*: iisdem oculis Dominus *Vidit hominem sedentem in telonio*, subitò eum excitaverunt ut Christum sequeretur. Sed quid fit. *Hunc cum vidisset Iesus*, ait Joannes Evangelista ei vigorem & sanitatem contulit. Erat quidam cæcus à nativitate. Quid tum? *Vidit* hominem cæcum ait idem Euangelista, morq; ei binos restituit oculos ut videret. Periclitabantur in mari Apostoli dicente S. Marco Euangelista: *Vidit illos laborantes in remigando* Sed quid tum? liberavit eos à periculo, quam primum enim ascendit in navim, cessavit ventus. Denique bini hi fratres Simon & Andreas, ab oculis Christi Domini ad altiorem vitæ statum vocati sunt, qui enim prius piscinm erant

piscatores, effecti sunt hominum piscatores, id propalante Domino hisce verbis: *Faciam vos fieri piscatores hominum.*

IV. Vulgi est opinio, aliquos homines tales habere oculos, qui non solum bruta animalia, sed homines quoq; præsertim in prima infantiæ ætate constitutos infascinare valent. Non noxii sed salutares & fortunati oculi Christi, qui Andream Apostolum non infascinarunt, sed tam arctè roborarunt, ut quam primùm secutus fuit Dominum, nunquam ab eo divelli potuerit. De Elizæo scribit sacra pagina quod cum vocatus fuisset ab Elia Propheta pro discipulo, non extemplo eum secutus fuerit, dixit enim ad Eliam: 3. Reg. 19. *Osculor oro te Patrem meum & matrem meam & sic sequar te.* Et deinde primò Elizæus instruxit Eliæ convivium, in quo ipsum detinuit antequam ipsum sequeretur: ait enim sacer textus: *Tulit par boum & mactavit illud, & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo & comederunt.* Quam historiam examinans Abulensis, singulare hic advertit mysterium, supponens quod neutiquã deerant in domo ejus obsonia ferina, quibus Prophetam genialiter exciperet, neq; etiam ligna, quibus cibos coqueret, & ideo asseverat Elisæum id egisse, ut toto corde mundum desereret, & eò liberiùs Magistrum suum sequeretur, Abulensis Q. 236. Verba sunt authoris: *Mactavit par boum, faciens solemnitatem magnam omnibus amicis & cognatis suis, quia nunc recedere volebat ab eis, tanquam nunquam rediturus ad statum eorum.* Quod verò comburat aratrum, ait author: *Hoc fecit non quidem tanquam non haberet alia ligna, sed quia transibat ad Dominum, omnino volebat renunciare seculo, ita ut nihil relinqueret in illo, quod ad se pertineret.* Sed quidquid sit de Elisæo, magis mihi probatur celeritas S. Andreæ Apostoli, huncenim quam primùm JESUS vidit, & ad sequelam sui unà cum Simone fratre suo invitavit, non petiit primò veniam osculandi parentes suos, non fecit aliquam dispositionem de navi, retibusq; : sed ambo *continuò relictis retibus secuti sunt eum.*

V. David pr pari visus fuerat reddidisse Jonathæ filio regis aulis, quem summopere dilexerat, hunc enim dum occisum esse comperisset, talibus verbis amorem suum erga ipsum protestatus fuit dicens: *Sicut mater unicum amat filium suum, ita & ego te diligebam.* Sed hic amor non erat sine fundamento 2. Reg. 1. reciproco, quia etiam Jonathas eodem modo Davidem dilexit, de quo amore habemus testimonium 1. Reg. cap. 18. *Anima Ionatha conglutinata est animæ David & dilexit eum* 1. Reg. 18. *Ionathas quasi animam suam.* Non exilis erat iste amor qui fuit inter Jonatham & David, sed multò major erat inter Christum Dominum & Andream discipulum ejus, quod probo taliter: De Jonatha dicitur, quod se expoliaverit tunicâ quâ erat indutus, eamq; dederit David & reliqua vestimenta sua usq; ad gladium & arcum suum & usque ad baltheum: sed non minùs dederat Christus Dominus Andreæ dilecto suo Apostolo, de quo illud dici potest: *Induit eum Dominus loricam fidei*, hoc vestimento tunc eum induit, quando eum vocavit & primum Christianum fecit, dedit ei gladium verbi Dei, quo errores gentilium dissecabat, & fidem Christianam in Scythia, Epiro, atq; Thracia promovebat. Unicus lectulus, Davidi denegatus erat à Jonatha, sed Jesus sui proprii lectuli Andream discipulum suum conthoralem fecit: nunquid ergo non summè dilexit eum: sed cujus lectuli? illius in quo ultimo requievit, nempe sacratissimæ crucis suæ, quam ita adamavit, ut cum crucifigendus duceretur, exclamaverit: *O bona crux quæ decorem de membris Domini suscepisti! accipe me ab hominibus, & redde me Magistro tuo.* Factum ita: nam in crucem actus, mortem Christi effor- mavit, & nunc cum eodem lætatur æternùm,

AMEN.

IN

IN FESTO S. ANDREÆ Apostoli.

CONCIO III.

Venite post me, faciam vos piscatores hominum: at illi continuo relictis retibus secuti sunt eum. Matth. 4.

SI hodie præcisè præconem laudum S. Andreæ Apostoli agere vellem, sufficientem haberem pro integra concione materiam: Si enim summa est excellentia, esse ab intimis consiliis alicuius magni Dynastæ, maior fuit S Andreæ Apostoli, qui fuit à peritissimis Christi consiliis & arcanis cœlestibus: si magna est dignitas esse Legatum Imperatorum, Regum, & Principum, qualis fuit Moyses Patriarcha, dum propter liberationem *Israëlis* mitteretur à Deo ad Pharaonem Regem Ægypti, maior fuit Andreæ Apostoli, hic enim Legatus erat magni Dei, qui vocatus à Christo & electus Apostolus, factus Legatus in causa fidei Christianæ & salutis proximorum, non unam Ægyptum; sed plurima terrarum regna peragravit, totq; barbaras nationes perlustravit & millenas animas à servitute Diaboli liberavit. Fuit enim magnus prædicator in Scythiâ, Thraciâ, Achaiâ & in urbe Patras, Prædicator, inquam, crucis Christi ejusque mysterij. Fuit magnus heros, quia pugnavir contra idola, & cultores eorundem. Fuit Sacerdos magnus, quia seipsum ad similitudinem Christi obtulit in cruce in sacrificium. Fuit assessor Domini, nam juxta edictum Aman Principis sic dicentis: Homo quem Rex honorare cupit, debet sedere super eqũ qui de sella Regis est: talem ille sellam ascendit, dum in cruce cui Christus affixus erat, & ipse mortem sibi delegit: sed quia mihi animus est assumptum concionis thema prosequi, ideo cessando à laudibus Sancti Apostoli, vocationem Christi benignam, nec non S. Andreæ obedientiam celerem in hac concione demonstrabo.

I. Magna certè est Dei bonitas, & erga homines miseratio, qui homines in terris degentes exornat gratiis donisque, & tandem vult omnes salvos fieri: sed hic adhuc major eluceſcit, quod nõ ijs tantum qui ipsum quærunt ejusq; implorant opem, benefaciat, sed quod ipsemet exeat, & hinc inde obambulet, quasi bonus pastor ovem perditam quærens, aut quasi venator diligens feram quam capere possit inquirens. Pulchrè id demonstrare possum ex 4. capite S. Joannis Evangelistæ, in quo describit qualiter Jesus dum venisset in civitatem Samariæ quæ dicitur Sichar, fatigatus ex itinere sed erit supra fõtem. Et quænam fuit necessitas Domino venire ad gentilium civitatem, aut sedere supra fontem? Non alia sanè nisi hæc, quod in eodem loco offecerit bonam prædam, inhians saluti cujusdam mulieris peccatricis Samaritanæ. O immensam Dei bonitatem! qui alias in omnibus est festinus moræque impatiens, tunc ut lucraretur peccatricem, sedebat supra puteum. Simile quid legitur in Evangelio S. Lucæ. Invitatus erat quondam Jesus ad convivium Simonis, Itaq; *Ingressus domum Pharisæi discubuit*: non aliquo casu S. Evangelista Christum Dominum discubuisse ait, quasi ad longas moras dispositus esse videretur, quia mulierem in civitate famosam ad se expectabat venturam. *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix*, ideo igitur discubuit quia sese ad adventum peccatricis expectandum composuit. Sic & illud non caret mysterio quod idem Evangelista commemorat dicens: *Ingressus Iesus perambulabat Iericho*: Iste terminus perambulandi non est sine mysterio positus, perambulare enim non significat hominem communi passu incedere, sed aliquem circuitum causa recreationis, aut etiam alicuius necessitatis factum. Vultis scire cur Dominus Jericho perambulaverit?

Ioan. 4.

Luca 7.

Luca 19.

non

non aliam ob causam, nisi ut Zachæum inveniret, eidem salutem oblaturus. Id ipsum apertè patet in hodierno Evangelio, ubi S. Matthæus ait: *Ambulans Iesus juxta mare Galilææ.* Domine circa littus maris curambulas? Si mundo quæras Magistros, vade ad Scholas Athenienſium: ſi Duces robuſtos? Romam proficiſcere, quid ad littus, niſi piſcatores, invenies? Hinc pater quod dum Chriſtus Dominus in ſimplices piſcatores ſuos oculos conjecit, ſe oſtendat Dominum abſolutum, ut qui pro ſuâ voluntate cuncta faciat; eumque vocet, in quo ſibi complacet.

II. Nec etiam fefellit Dominum ea vocatio, quam primum enim verbum vocantis inſonuit. *Venite poſt me, faciam vos piſcatores hominum, illi cõtinuo relictis retibus ſecuti ſunt eum* Quantum artificium divinæ potentiæ, quanta vocationis ſubtilitas, ut piſcatores ad culmen vocationis eveheret, noluit eos extra piſcaturæ artem extrahere, ſed potius per piſcaturæ regulas, cœleſtem illorum vocationem ordinavit, ſicq; effecit ut illum celerrimè ſequerentur. Etenim is Deus eſt, qui juxta cujuſq; fortunam & conditionem ſciat facilem ſuæ vocationis viam oſtendere, & ad culmen perfectionis deducere. Nonne David à pueris pulſandæ cythatæ traditus? Nonne ille eſt qui Regem Saul a vexatione mali ſpiritus liberabat? Hunc ergo qualiter Deus ad perfectionem duxit? juſſit ne Cytharam dimittere? Muſicæ valedicere? Minimè, imò ut per Muſicam ſibi gratum faceret, addixit componendis cantandiſq; Pſalmis. Unde venerabilis Beda ſic exclamat. *Qualis artifex eſt Spiritus Sanctus, tetigit puerum Cytharædum & Pſalmiſtam fecit.* Similis erat trium Regum vocatio. Hi enim cum eſſent Aſtrorum obſervatores peritiſſimi, vocavit eos per ſtellam, & perduxit uſque Jeroſolymam, quo pervenientes diligenter interrogabant de Rege nato dicentes. *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum, vidimus enim ſtellam ejus in Oriente.* Mirabilis plane Dei vocatio, cur non potius miſit aliquem Angelorum qui hiſce tribus Magis nativitatem novi Regis nunciaret, eiſque viam ad nativitatis locum demonſtraret, ſed potius ſtella mediante eos ad ſe vocare voluit? Appoſitè reſpondet

1. *Reg.* 16.

Beda.

Matth. 2.

D. Chryſoſtomus dicens. *Indicium ſtellæ ſic occurrentis ſibi, ſecundum tempus intelligebant, quia divinitus eis nativitas illa Regis oſtenſa eſt.* Sicuti ergo Magos per ſtellam, tanquam aſtrorum exploratores ſtudioſos, ita etiam hoſce duos piſcatores per piſcationem ad ſe invitavit & Evangelico hamo raptos nempe *Venite poſt me:* fecit hominum piſcatores.

S. Chryſoſt. in Cap. 2. Matth.

III. Aliud eſt quod in Chriſto vocante invenio, nempe mira ejuſdem efficacia, taliter enim traxit poſt ſe Apoſtolos, quod relictis retibus quæ neceſſaria erant ad victum inſtrumenta, Chriſtum ſecuti fuerint; Sed valde prudenter fecerunt, ſi enim ij qui vocantur à Chriſto conformes in omnibus illi fieri debent, qualiter hi duo diſcipuli cum retibus ſequi poſſent illum, qui abſq; ullis retibus illos vocabat? Talem Ieſus ſe nobis proponit, qualẽ vult eſſe eos qui ſequantur, non expedit ergo illum ſequi, ſi ei conformis eſſe nolis? Eliſæus ille Propheta ſuſcitaturus defunctum puerum quid non fecit? totum id recenſet Baſilius Seleucus Oratione 10. dicens *Pueri ori, ſuum os impoſuit Eliſæus, naſum naſo aptavit, faciem facie fulcit, eum pedibus contendit, pectus impoſuit pectori, oculos oculis admouit, paucis denique: membra ſingillatim applicata Prophetæ membra, vitam conferabant.* Cur hoc fiebat? an non fuiſſet melior oratio, quam membrorum applicatio? reſpondet idem author dicens. *Eliſæus Chriſti figuram gerit, populus autem genitum, erat ille mortuus in peccato*: ergo quisquis vitam ſperas, ſequere Jeſum, relictis ut Andreas retibus, & talem te exhibe, qualem videris Jeſum vocantem, qui te à retibus peccatorum liberavit & à laqueis eorundem ſolvit.

4. *Reg.* 4.

Baſilius orat. 10.

IV. Tandem & illud admiratione dignum, quod S. Andreas cum facere ſuo Simone, continuò Chriſtum ſecutus fuerit: S. Matthæus Evangeliſta non gratis poſuit hunc terminum *Continuo*: nam in ſacro textu ſignificat maximam celeritatem, ut videatur una res alteri conjungi, ſeu cum illa continuari, quaſi nulla interceſſerit mora inter vocationem Domini, & Apoſtolorum ſequelam. Eam divinæ vocationis efficaciam & celeritatem nolebat capere Julianus ille Apoſtata, qui ridet ea

qua

quæ sancti Evangelistæ dixerunt de Petro & Andrea, item de Jacobo & Joanne, item de sancto Matthæo Apostolo & Evangelista, nempe quod illi relictis retibus & navi, hic verò relictis nummis collectis ex telonio secuti fuerint Redemptorem: at S. Hieronymus meritò in ipsum invehitur dicens: *O viro umstultissime quàm parùm tibi nota est vocis divinæ potentia! qui unico verbo suo suscitare potuit & mortuum è loculo, & alium quatriduanum jam fætentem è monumento; non posset educere Matthæum publicanum de telonio, & Petrum ac Andream de mari?*

S. Hieron. in cap. 9. Matth.

V. Pulchram autem nobis adfert doctrinam, tam celer horum fratrum obedientia, qui non responderunt cum Pharaone differendo in crastinum, sed statim secuti fuerunt Salvatorem, ut & nos si salvi esse velimus, eum sequamur velociter, ne differamus pœnitentiam, cum nullam vitæ securitatem habeamus: Unde de talibus qui emendationem vitæ, & sequelam Salvatoris JESU procrastinant, benè ait Sophonias Propheta: *Vox cantantis in fenestra corvus in superliminari.* Quid ais Propheta? aut quam vocem corvo appropriasti? hæc enim sunt verba tua acsi diceres. Cantat in fenestra corvus & in postibus domus suæ vociferatur. Si Philomela, vel alauda cantaret, facile verba tua intelligerem, tales namque similesque aves in domibus servantur ad cantandum. Sed vox corvi, quid aliud quam mœrorem & nauseam adferre solet? Sed doctissimus vir Vitriacus Cardinalis ea verba Prophetæ ad moralem sensum deducens sic respondet:

Exod. 8.

Sophon. 2.

Vox cantantis in aure cordis, vox corvina, est Vitriac. vox diaboli, qui clamat cras, cras pœnitebis: ita canit omnium animarum hostis, cui dum miser peccator obtemperat, nunquam se resolvit quid agendum sit, & tandem cum corvo foris emanet: quia sicut ille tempore Noë sic evolavit de arca, ut nunquam ad eam sit regressus: ita peccator infælix cum hac infernali musica in ore foris manet & à regno cælorum excluditur. Prudentis autem est, non expectare futurum, sed ex prima occasione operari salutem, nam qui talis est, imitatur bonum latronem in cruce, cujus quàm primum Christus intellectum illuminavit, quo agnovit peccatorum suorum fæditatem, nulla dilatione quæsita, dixit ad JESUM: *Memento mei dum veneris in regnum tuum.* Et quid CHRISTUS? *Hodie mecum eris in paradiso.* Ut quid tam cito ô Domine latroni promittis paradisum? Sanè meruit id sanctus ille latro, cum neque ille ullam dilationem quæsivit, non etiam eandem accepit à Domino testante D. Ambrosio: *Ne dilatione gratia minueretur.* Quamobrem & nos Auditores exemplo hoc, & alio sancti Andreæ Apostoli, non differamus pœnitentiam, sed celeres promptique simus ad sequelam CHRISTI, quæ nos ducat ad gratiam suam vitamque sempiternam.

Vox cantantis in aure cordis, vox corvina, est Vitriac. vox diaboli, qui clamat cras, cras pœnitebis: ita Ser Dom. 27 post Pentecost.

Luc. 23.

S. Ambros. in Psal. 118.

AMEN.

IN FESTO S. ANDREÆ Apostoli,

CONCIO IV.

Dilexit Andream Dominus in odorem suavitatis. Rom. Eccl.

HOmines amoris quo se invicem prosequuntur, varias causas habere solent. Aliquando ipsa consuetudo & familiaris conversatio, amoris materiam submministrat: Exemplum hujus extat Genesis 24. cap. Isaac Patriarcha in magno luctu erat post mortem matris suæ, ast postquam accepit Rebeccam in uxorem, amor ille mutuus & conversatio specialis, omnem dolorem mitigavit, dicente
Gen. 24. scriptura: *Accepit eam uxorem, & in tantum dilexit eam, ut dolorem qui ex morte matris ejus acciderat temperaret.* Item fidele servitium meretur amorem. Exemplum hujus habetur
Gen. 30. Genesis c. 30. ubi adnotatur ob quam causam Laban cum socero suo Jacob pactum inierit: sic enim ajebat: *Inveniam gratiam in conspectu tuo, experimento didici, quia benedixit mihi Deus propter te, constitui mercedem tuam quam dem tibi,* & tali amore servos suos fideles Domini prosequi solent debentque. Item paritas
Gen. 43. ætatis morumq; causat amorem. Sic Joseph plus dilexit Benjamin, quàm cæteros fratres suos, quia erat uterinus frater, natuque cum ipso minimus. Item virtus aliqua inventa, in
1. Reg. 17. alio amorem movet. Sic Jonathas dilexit David adolescentē, ex eo quod viderit quàm strenuè Goliath gigantem prostraverit. De S. Andrea hodie canit sancta mater Ecclesia: *Dilexit Andream Dominus; sed quo motivo aut quo fine? addit Ecclesia in odorem suavitatis.* Quis nam fuerit ille odor suavitatis in S. Andrea Apostolo, ob quem dilectus fuit à Domino, in hac concione demonstrabo.

I. Autor naturæ Deus inter cæteros sensus, quos hominibus indidit, etiam olfactum tribuit, qui sicut fætorem & graveolentiam refugit, ita suavi odore delectatur. Unde legimus de sancto Jacobo Patriarcha, quod cum mater Rebecca vellet eum paternæ benedictioni & primogenituræ præparare, quam jure naturæ ad Esau pertinere noverat, cum pater grandævus oculis caligaret, ut Jacob in locum Esau substitueret, & senem cœcumq; falleret: *Vestibus Esau valde bonis,* Gen. 27. *quas apud se habebat domi induit eum.* Quæ quidem vestes parum prodessent Jacob, qui jam debili visu laborabat, & inter album seu nigrum discernere non valebat, qui tamen imbutæ erant odore fragrantissimo, hoc eodem pater ita exhilaratus erat, ut omisso ulteriori examine hæc verba protulerit: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus.* Terra diversis referta floribus, diversum quoque odorem spirat; alius est etenim odor violarum, alius nardi, alius balsami, alius rosarum, quisquis autem hortum ingressus fuerit, eamque odorum diversitatem uno olfactu perceperit, summa suavitate afficitur: similem odorem vestes illæ exhalabant, ideoq; assimilantur à Patre odori agri pleni. Sic opinatur Cajetanus quem etiam sequitur Lipomanus. Familiare fuisse illis tempori- *Cajetan.* bus ut familiarum nobilium primogeniti, *& Lipom.* vestitu cultuq; uterentur insigniori, quibus debita deferretur reverentia, tanquam futuris bonorum patris sui hæredibus, & omnibus postmodum imperaturis. Ex qua consuetudine pulchram moralitatem trahit D. Gregorius dicens. Non sine Mysterio factum fuisse quod odor ille vestium quibus Jacob indutus erat, patri placuerit, qui etiam odore virtutum bonaq; conversationis excellere debebat, unde & nunc Sacerdotes, Prælati, Deique ministri vestibus induuntur pulchris & fragrantibus, quibus animæ virtutes designent interiores, quarum spirantes odorem illud à cælesti Patre audire mereantur. *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus:* quibus verbis subjungit sequentia

Di-

D. Greg. in Moral. Divus Gregorius: *Debet virtutibus redolere. Aliter namq; olet flos uvæ: qvia magna est virtus & opinio prædicatorum, qvi inebriant mentes audientiũ: aliter flos olivæ, qvia svave est opus, qvod more olei refovet & lucet: aliter flos rosæ, qvia mira est fragrantia, qvæ rutilat & redolet ex cruore Martyrum: aliter flos lilii, qvia candida vita carnis est de incorruptione virginitatis: aliter flos olivæ, qvia magna virtus humilium, qvi ex desiderio ultima loca tenentes per humilitatem se à terra in altum non sublevant, & cœlestis regni purpuram in mente servant.* Hoc consilio Deus in antiqvo testamento præscripserat Sacerdotibus vestes honorificas & odore fragrantes, nec non vitras hyacinthinas, qvas illi vocabant fimbrias, ut per id instruerentur, ut virtutum vestimento animam exornare, nec non virtutum odore alios recreare conarentur, & exemplo coloris hyacinthini cælestia cogitarent.

II. Odorem svavem symbolum esse virtutum, vitæq; laudabilis, patet ex testimonio, qvod dat Ecclesiasticus Regi Josiæ verbis talibus: *Memoria Iosiæ in compositione odoris facta opus pigmentarii.* Josias non erat aliqvis pigmentarius, qvi in compositione specierum odoriferam versaretur, sed erat Rex Israëlis: qvæ ergo erit memoria ipsius in compositione odoris facta? Interpretes sacrarum scripturarum hæc verba diversis qvidem sententiis explicant, sed unum sensum habentibus. Græco-Latina inversio legit sic: *Memoria Iosiæ in compositione incensi facta opere ungventarii.* Vatablus ita legit: *Instar misturæ odoramenti artificio ungventarii concinnata est Iosiæ memoria.* Syrus sic habet: *Nomen Iosiæ sicut thuribulum incensi.* Pleriqve tandem ita legunt: *Memoria Iosiæ ut compositio thymiamatis, confecti opere pigmentarii.* Sensus verborum Ecclesiastici hic est, qvasi diceret: Memoria Josiæ est instar compositionis odoriferæ, confecta velut opus pigmentarii, qvo scilicet res odoriferæ apta proportione inter se commiscentur, ut fiat qvid mistum svaviter valde redolens. Sicuti enim pigmentarius ex congrua commistione qvatuor aromatum sive rerum odoratarum, nimirum ex stacte, onycha, galbano & thure, juxta præscriptum antiqvi testamenti, thymiama conficere solebat, uti testatur liber Exodi cap. 30. nec non 34. sic memoria viri sancti & pii, qvalis erat Josias, constatur ex pluribus virtutibus: hinc Apocalypsis 5. dicitur, *vidisse Ioannem 24. Seniores, habentes phialas aureas, plenas odoramentorum, qvæ sunt orationes sanctorum.* Ejusdem veritatis testis D. Gregorius, qvi in libro 1. Moralium ita ait: *Thymiama ex aromatibus componimus, cum in altari boni operis virtutum multiplicitate redolemus.* Sic Adolescentulæ illæ Spiritus sancti, hoc est, animæ fidelium, percepta Sponsi virtutum fragrantia illectæ, clamant: *Curremus post te in odorem ungventorum tuorum.* Tale ergo thymiama appropriatum erat Josiæ Regi: ille enim maximè promovebat cultum divinum, eratq; vir summæ bonitatis zeliqve, qvi sustulit aruspices, magos, sacerdotes, sacrificia, altaria & templa idolorum, fabricata à Salomone, Achab, Manasse & Jeroboam, ac pro eis veros Dei Sacerdotes & sacra, ipsumq; verum thymiama restituit. Si vis hac de re amplius informari, lege libro 4. cap. 23. ibi magnifica Josiæ Regis gesta svavissimo virtutum odore plena invenies.

Eccl. 49. Vatablus. Syrus. Cornel. à Lapide. Exod. 30. & 34. Apoc. 5. D. Greg. in l. 1. Moral. Cant. 5. 4. Reg. 23.

III. Sed qvid mirum, claris hominibus talem odorem fuisse familiarem, cum & ipsemet Deus multum eodem fuerit delectatus? Pervolvite antiqvum testamentum, & plurima hac de re invenietis testimonia. Primum extat Genesis 8. & qvidem tale. Post pacatum diluvium universæ terræ egressus est Noë & filius ejus cum universa familia de arca: ut ergo Deo, conservatori suo, signum aliqvod gratitudinis exhiberet, ait sacer textus: *Ædificavit altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare:* tum qvid? ait ulterius Scriptura: *Odoratus est Dominus odorem svavitatis.* Sed duplex hic occurrit qvæstio. Prima. Qvomodo Deus poterat percipere odorem illius holocausti, cum manens purissimus Spiritus, carnem nullam habeat, & conseqventer sensum olfactus? Secunda. Qvomodo Deo poterat videri odor svavissimus ex illis animalibus, igne concrematis, qvi olfactui fætorem potius & non odorem causant? Ad utramq; qvæstionem habemus responsum S. Augustini sic dicentis: Qvod odor svavitatis sæpe Domino dicitur sacrificium de victimis pecorum in scripturis sacris. Non utiqve Deus odore fumi delectatur, sed tantũ illud, qvod hic significatur, spiritualiter

Gen. 8. S. August. in Gen.

Deum delectat, cum spiritualiter exhibetur. Hugo Cardinalis de illo odore tale habet judicium, qvod in illis locis, in qvibus mactabantur diversa animalia in holocaustum, nullus ex perfusione sangvinis fætor fiebat, sicuti deberet esse in macellis lanionum, nisi officinas lavarent, seqve mundè gererent: ibi autem fiebat per miraculum, qvod locus ille nullum exhalaret fætorem, verba formalia Hugonis hæc sunt: *Hugo in Gen.* *Odoratus est Dominus, id est redolere suaviter. Et hoc unum est de miraculis, scil. qvæ tunc temporis acciderunt, qvod locus odoriferus ibi erat, ubi tanta sangvinis effusio fiebat.* Idem autor dat etiam aliam explicationem, qvæ est hujusmodi, nempe, *odoratus est, id est, talis oblatio placuit Deo sicut odor suavitatis placet homini.* Qvalis autem ille odor fuerit, dico secundum D. Augustinum fuisse spirituale, qvi in eo, qvod significabat, [nempe altare crucis Christi, ejusqve victimam salutarem] summoperè placebat Deo.

IV. Ex tali discursu revertor ad verba de S. Andrea Apostolo a sancta Ecclesia recitata: *Dilexit Andream* &c. & cur eum non diligeret, qvi odorem sui Magistri in seipso expressum erat? In antiqvo testamento gratissima erant Deo holocausta voluntariè oblata: S. Andreas seipsum voluntariè pro sacrificio spirituali Christo obtulit. Ecce enim, qvam primum a Deo vocatus fuit, mox relictis omnibus secutus fuit eum. Rex David non gratis dixit, atqve Deo suo sacrificium offerre volens, *Ps. 53.* talem protestationem fecit: *Voluntariè sacrificabo tibi &c. confitebor nomini tuo, Domine, qvoniam bonum est.* Bonum est, exhibere voluntate servire Deo, neqve Christus alios voluit habere discipulos, nisi voluntarios ad suum obsequium, talibus enim militibus Dux Christus pusilli exercitus indigebat. Non multos habebat Gedeon, sed qvia voluntarii erant, innumerabilem Midianitarum exercitum prostraverunt, ita & Christus non multos habebat discipulos, sed qvia erant proni ad militiam, totum mundum per ipsos debellavit. Tales & nos esse decet, Auditores, non expectare illud rusticorum vel rebellium verbum, qvod illis ex Evangelio dicitur: *Compella intrare*: sed voluntarie sacrificare Domino: unde tales plurimùm laudat S. Chrysostomus Homilia 2. in cap. 1. Matthæi: *S. Chrysost.* *Qvi voluntarius est Deo & dicit, voluntarie sacrificabo tibi, ipse est desiderabilis*, qvalis fuit S. Andreas Apostolus, de qvo merito canit S. Ecclesia: *Dilexit Andream Dominus.*

V. Inter varia antiqvæ legis sacrificia primitiæ ex omni re oblatæ Deo, erant ipsi acceptissimæ; & qvid acceptius potuit esse Christo Domino primitiis S. Andreæ? Alii offerebant olim primogenita gregis sui, sed Andreas obtulit Domino primitias cordis sui, qvia prior aliorum seqvutus Christũ, primus qvoqve factus Christianus. Sicut ergo Abraam, qvia primus Deo credidit, id reputatum fuit ei ad justitiam, paterqve gentium fuit appellatus: ita & S. Andreas Apostolus, ob primam fidem, pater omnium Christianorum meritò dici potest. Abraam, qvantis Deus affecerit beneficiis, habemus Gen. 22. cap. *Per memet- Gen. 22.* *ipsum juravi, dicit Dominus, qvia fecisti hanc rẽ, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi* &c. Qvalia sunt hæc promissa Dei! sed qvibus meritis Abraam illa promeruit? nullo alio nisi hoc unico, qvod dum Deus ipsum tentare volens dixit ad eum: *Tolle filium tuum unigenitum.* Qvia Abraam ad mandatum Dei obedivit, non factum hoc, sed illam solam voluntatem tantis Dominus muneribus honoravit. Sed qvidnam hic in tantum placuit Deo? qvia illud sacrificium Isaac, repræsentavit in figura sacrificium unigeniti filii sui. Si ergo tantum sibi Deus complacuit in illo sacrificio, qvod in figura tantùm & non in re erat, qvantò non magis acceptum fuit sacrificium S. Andreæ? Sed qvale sacrificium? Taceo plurima spiritualia, sed ultimi mentionem facio. Dum enim ab Ægea Judice adjudicatur cruci, ad exemplum Magistri sui, in eadem semetipsum obtulit. Qvamobrem & nos eum seqvamur, odorem crucis Jesu, Salvatoris nostri, ut ab eodem amari mereamur.

AMEN.

IN

IN FESTO S. NICOLAI
Pontificis,

CONCIO I.

Homo quidam peregre proficiscens vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua.

Matth. 25.

AUditores præstantissimi, non potuit nobis sancta Ecclesia mater nostra, in hac hodierna solemni memoria S. Nicolai Pontificis meliorem & aptiorem sacri Evangelii lectionem proponere, quàm hanc, quam jam audistis; in qua primò proponitur nobis liberalitas hominis cujusdam divitis, qui peregrè proficiscens vocavit servos, & tradidit illis bona sua, quibus negotiari possent, uni quinq; talenta, alteri verò duo, & tertio unum, unicuique juxta virtutem suam. Post multum verò temporis reversus, rationem de datis talentis postulavit, & quidem talem, quod hos, qui bene negotiati fuerant collaudaverit, & præclaris donis affecerit, eum verò qui fodit in terram talentum sibi concreditum, increpaverit. Certè ut veritatem proferam, non adeò timendum nobis est, divinis carere beneficiis, quàm habitis malè uti, quid enim prodest illis onerari, & non uti? Quivis homo est quasi scopus quidam, in quem beneficiorum suorum sagittas Deus dirigit. Sed quid ait Oseas Propheta: *Factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor.* Oseæ 7. Sicuti enim columba inter volucres, hac in re est dementior, quod insidias suas videns, in eas tamen propter escam se conjicit: ita homo oblitus beneficiorum Dei, ut parva delectatione fruatur, in manifestum laqueum incidit. 2. Petr. 2. Optimè ait S. Petrus Apostolus: *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti.* Sciebat 2. Reg. 14. Absolon capillos suos esse pulcherrimos, qui publici ponderis ducentis siclis æstimabantur, sed quidam id ipsum juvabat, quandoquidem iidem capilli mortis causæ ipsi fuerunt, dum pugnans adversus Davidem patrem suum, ex eis seipsum suspendit in quercu? Eodem modo ad quid homini sunt talenta sive divina beneficia, si illis uti nesciat? Unde sancta Ecclesia proponit nobis hodie S. Nicolaum Pontificem pro exemplo, qui nos instruet hac in parte, quomodo inquam talentis Domini nostri uti debeamus. 2. Reg. 18.

I. Dum ego expendo parabolam hodiernæ Evangelii Auditores, compellor dicere illa verba S. Pauli Apostoli dicentis ad Corinthios: *si evangelizavero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit, væ enim mihi est si non evangelizavero.* 1. Corint. 9. Hodierna enim parabola clarè mihi ostendit, quod juxta explicationem Hugonis Cardinalis tradiderit mihi Dominus pecuniam verbi sui, non ad gloriandum, sed ad erogandum vobis, quod nisi fecero, *væ mihi quia tacui*, ait Isaias Propheta. Sed quidnam illud est quod me dicere, vos autem facere oporteat? Inprimis scientes hoc, quod iste homo peregre proficiscens, sit CHRISTUS Dominus, qui tunc peregre profectus est quando abiit in cælum, (ait enim D. Gregorius: *Carnis locus proprius terra est, quæ quasi ad peregrina ducitur, dum per redemptorem nostrum in cælo collocatur,*) ut ipsi summas agamus gra- *Hugo Card. in Epistol.* Isaiæ. 6. D. Gregor.

gratias idque ob has rationes. Primò, quia vocavit servos suos id est nos Christianos, non ideo ut nos afficiat aliquibus malis & suppliciis, sed ut nos honoret suis beneficiis, quia tradidit nobis bona sua, id est Sacramenta, doctrinam sacri Evangelii, exempla virtutum, & tandem opera nostra, quæ ex se nihil sunt ad vitam æternam promerendam, in tantum extulit, ut si ingrati fiant, vi meritorum, & passionis suæ, valorem vitæ æternæ obtineant, & in quantum meremur per illa vitam æternam, talenta Christi nuncupantur. Quemadmodum ergo
Gen. 24. Isaac, misit Rebeccæ sponsæ suæ, inaures & armillas, quibus se adornavit ut placeret sponso suo: ita etiam Christus Jesus misit Ecclesiæ sponsæ suæ divina monilia, ut iis exornata gratiam apud ipsum inveniret. Et sicut Rebecca caruisset ornamentis illis, nisi ea Isaac transmisisset, eodem modo Ecclesia sponsa Christi Domini, caruisset suis monilibus, nempe inauribus verbi Dei, & armillis suorum meritorum, nisi per ipsum ea obtinuisset.

II. Vultis ut id ipsum aliter vobis demonstrem? Sit aliquis Rex ditissimus, qui ex mera gratia desponset sibi virginem quandam pauperem, (quemadmodum Rex
Esther 2. Asuerus desponsaverat sibi Esther ex captivorum numero, & utroque parente orbatam) & gignat ex ea filios. Hi sane liberi Regis erunt, & de jure Regni hæredes, quod tamen non à matre, sed à patre obtinent. Nostra anima est pauperrima, quia ex seipsa, non nisi exigua opera gignere potest, at desponsata Christo per fidem; & fœcundata per ipsius gratiam, gignit opera meritoria vitæ æternæ, quasi filios, cæli hæredes. Et hæc est hæreditas Christi ad nos delata, per ipsius mortem, de qua agricolæ illi seu vinitores, cum vidissent venientem Domini sui filium dice-
Matt. 21. bant. *Hic est hæres, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem ejus.* Verissimè enim obtinuimus hæreditatem Christi per mortem ejus, tametsi Judæi minimè illam quæsierunt. Et hinc intelligimus, quantùm obligemur Christo Domino, à quo accepimus talenta gratiæ, quibus regnum cælorum lucrari possimus. Taceant ergo Hæretici, nihil nobis à Christo collatum esse, si adhuc bona opera à nobis requirantur. Quomodo enim non sat superq; nobis datum est, cum habeamus talenta auri, quibus comparare cælum valeamus? Et quomodo vita æterna, non est donum Christi, quam ipsius pecunia nobis emimus? Hoc est, quod Isaias *Isaiæ 55.* dixit: *Venite, emite absq; argento, & absq; ulla commutatione vinum & lac:* id est delicias vitæ æternæ. Quomodo emuntur absque argento? Respondet S. Ambrosius, emi argento, non nostro, sed Christi, scilicet pretio sanguinis ejus, unde vitam æternam, partim ex dono, partim verò ex justitia obtinemus. Ad id, magnam habemus rationem quæ nos obligat ad reddendas Christo gratias, quia ad hanc negotiationem utilissimam, specialiter nos vocavit, & elegit ab ipso fonte sacri baptismatis, in quo posuit nos, ut eamus, & fructum afferamus. In nobis sanè implentur illa verba Christi Do-*Ioan. 15.* mini ad discipulos suos dicentis: *Vestri beati oculi quia vident, & aures vestræ quia audiunt.* *Matth. 13.* Multis enim id Regibus, Philosophis & mundi hujus Sapientibus id non contigit, qui scilicet ad Ecclesiam Christi vel vocati non sunt, vel etiam non habuerunt illud donum suæ gratiæ ut vocanti respondere possint. Etenim Judæi, Gentiles, Turcæ, hæretici, audiunt quidem vocantem Christum, sed absque ullo quæstu salutis, juxta illud sancti Job *Iob. 28.* Patriarchæ. *Perditio & mors dixerunt: auribus nostris audivimus famam ejus.*

III. Sed quid hinc sequitur? S. Gregorius sicait: *Cum augentur dona, rationes etiam* *S. Gregor.* *crescunt donorum.* Quantum quis q; accipit *Hom. 9.* à Domino, tantam quoq; eidem rationem dare debet. Unde Christus Dominus apud D. Lucam Evangelistam sic ait: *Cui multum datum est, multum quæretur ab eo.* Id est uti *Luca 12.* ait Venerabilis Beda: *Majori gratia donatos si deliquerint, major vindicta sequetur*; qualiter ergo talentis Domini uti debeamus, à sancto Nicolao Pontifice petendum nobis est consilium, & instructio. Prima ætas ipsius qualis fuerit, nempe quod diebus certis, idque semel tantum ad noctem, lac maternum sumpserit, adultior verò factus, amore castitatis conservandæ, quam diligenter fœminarum consortia fugerit, factus Presbyter, quantùm virtutum exemplo & operatione pro-

profecerit, in Sacerdotalibus functionibus, & prædicatione divini verbi quantùm laboraverit, hæc in vita illius quivis inveniet, quisquis ipsam legerit, seu legi audiverit, & si plures vitæ ipsius actus inspicere voluerimus, unum è talibus fuisse inveniemus, quem inquirebat cæli paterfamilias dicens. *Quis putas est fidelis servus?* Testatur enim Alexandria, de fidelitate & prudentia ipsius in talentis exponendis. Testatur mare, ubi Jerosolymam profiscens, in navi multa bona, de Deo loquens præstitit, ubi & tempestates quas prævidit nemine cogitante, sedavit, mortuumque è cornu antennæ suscitavit. & ad portam terræ sanctæ, quæ clausa, ultrò sibi patuit, fæliciter pervenit, ibique tanquam fidelis servus Domino creatori suo, de tot gratiarum talentis sibi datis, summas persolvit gratias.

Matth. 24.

IV. Aliud audire mirabilius. Cupiebat iste sanctus similis reddi talibus qui juxta testimonium sancti Job Patriarchæ, *ædificant sibi solitudines*, hoc est, uti explicat venerabilis Hugo Cardinalis, *qui corde suo terrena desideria expellunt & seipsos à tumultu mundi, quantùm possunt elongant, ut soli sint, & idonei loqui cum Deo:* ea propter in monasterio degens, quod avunculis suis sumptibus sibi ædificaverat, solitariam agere vitam instituit. Sed ecce tibi! audit vocem cælitus, Nicolaë, tibi ad mundi palæstram redeundum est si meam coronam expetis, non est hic ager in quo fructum quem ex te flagito proferas: ad homines redi, ut in te nomen meum clarificetur. Intelligens sanctus vir voluntatem Dei, ne talentum defodiat in agro solitudinis, respondit illud Davidicum dicens: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum:* orante ergo Dominum Mirnensi populo, ut ipsis ostendere dignaretur, quemnam in Episcopum & Pastorem animarum suarum possent eligere, uni illorum vox illabitur. Qui primus mane ad templum venerit, hic in Præsulem à Deo mittitur. Venit S. Nicolaus, & quamvis invitus, talentis Domini negotiari precibus totius cleri coactus fuit.

Iob. 3.

Hugo Card.

Psal. 56.

V. Quis hic effari queat, qualiter hic fidelis servus & prudens accumulaverit fænus in hoc sacro officio? Si tempus ipsum quæras, quo Pastorale onus susceperat, mirari sanè non desines, quia tunc dum sæviebat Diocletiani & Maximiani persecutio, sanctus Nicolaus Pontifex regebat gregem suum: quot hic angustias sustinere debuit, quot pressuras? toties captus, toties afflictus, libenter tamen omnia sustinens, & mirifica consolatione suos concaptivos roborans, hæc Christi Jesu verba sæpius repetebat: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Nactus ergo negotiationis suæ tempus oportunum, magnum de talentis sibi datis lucrum reportabat, donec tandem Constantini edictis ipse & populus Christianus libertati restitueretur. Sed nec ea libertas negotiationi suæ quidquam obfuit, quin juvit ipsum ad templa & idola gentilium destruenda, & fidem Christi promovendam; & cum ætate sua Arriana hæresis grassaretur, adfuit Niceno Concilio, in quo cum cæteris Episcopis & Ecclesiæ patribus, quorum erant trecenti octodecim, impiam hæresim condemnavit, multaque sancivit utilia ad laudem & honorem Domini Jesu Christi,

Amen.

Luca 21.

IN FESTO S. NICOLAI Pontificis,

CONCIO II.

Abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui. Matth. 25.

FEstivam hodie memoriam sancti Nicolai Pontificis celebramus non ingratam pueris puellisque, qui hodierna nocte, varia munuscula nomine eiusdem Sancti à parentibus suis acceperunt: cui consuetudini, magna huius sancti viri liberalitas occasionem dedit. Cum enim necdum in sacris esset constitutus & post mortem suorum parentum, multis divitiis sibi relictis abundaret, putans ad se pertinere illud dictum Spiritus Sancti: *Qui miseretur pauperis beatus erit*: per admirabilem actum quendam misericordiæ, iuxta sententiam Divi Augustini dicentis, *ille verè Christianus est, qui omnibus misericordiam facit*: verum se Christianum exhibuit. Erat Patarææ urbis concivis quidam, tres habens filias virgines, hic cum ad extremam deductus esset paupertatem, eas prostituere, turpique quæstui exponere cogitabat: id ergo sanctus Nicolaus intelligens, una nocte massam auri panno involutam, in cubiculum huius pauperis per fenestram clam proiecit, quam vir ille mane inveniens gratias egit Deo, & filiam ætate seniorem in matrimonium elocavit, dumq; ab eodem Sancto, secundò & tertiò idem factum esset, trium virginum pudicitiam conservavit, fecitque ut omnes tres casto matrimonio iungerentur. Sed dum talem historiam profero, quæ sancti Nicolai insignem misericordiæ & liberalitatis actum manifestat, ut quid ergo tale thema concionis huius introduxi: *Abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui.* Cum ille observans illud Ecclesiastici dicentis: *Perde pecuniam propter fratrem & amicum & non abscondas illam sub lapide in perditionem*, plane id fecerit & juxta ejusdem Ecclesiastici verba sequentia, concluserit eleëmosynam in corde pauperis: quomodo igitur sibi tale thema conveniet. Sed sciendum est, hæc verba Evangelica, adjuncta admirabili hujus Sancti charitatis & liberalitatis historiæ, eidem parere laudem; quia contraria penes se posita magis eluceſcunt: at nobis cautelam, ne talenta nobis tradita in terra defodiamus. Sed quænam illa? in hac concione audiemus.

Prov. 14.

S. August. de vita Christiana.

Matth. 25.

Eccles. 29.

Aristotele in lib. Phys.

I. Inter illos servos tres qui à Domino suo talenta acceperunt ad negotiandum, primo loco & numero sanctum Nicolaum ponendum censeo: quinque enim talenta, invenio quæ à Deo acceperat. Per primum talentum intelligo substantiam rerum temporalium, nempe divitias quibus in hoc seculo abundabat: natus enim erat, ex patre Epiphanio, matre vero Joanna, qui divitiis & pietate erant conspicui. Sed cum illi vitam cum morte commutassent, totius illorum hæreditatis particeps effectus, illud non cogitabat, quomodo ipsam conservaret, vel augeret, sed quomodo utiliter expenderet: succurrebat enim viduis & pupillis pecunia & consilio. Inprimis autem uti jam dixi tres illas pauperes filias civis Patarensis, jamjam prostituendas in pudicitia servavit, ut nuptui traderentur, atque ita non corpus tantùm, sed & animas earum ab interitu liberavit.

Item,

Item famis tempore, suæ Civitati providit de navi plena frumento, ut non solum se alere sed etiam agros suos seminare possent. Ipse etiam sibi omnem superfluitatem interdixit, & vix necessaria concessit tam in vestitu, quam in victu. Cum ergo S. Nicolaus hoc primum talentum tam utiliter expenderit, egregie confundit illos, qui tale talentum in terram fodiunt, & abscondunt pecuniam Domini sui de quibus habemus Proverbiorum 11. capite. *Qui abscondit frumentum maledicetur in populis, benedictio autem super caput vendentium.* Quantum malum sit avaritia, patet ex fructibus suis, nempe quod avari homines tot sint laqueis irretiti, & in hac vita nihil experiantur solatij nisi sollicitudines & labores aspernimos. & tandem damnationis sibi caulam pariunt. Deinde avaritia falsitatis socia est inseparabilis, quæ dona divina & promissa impedit, mentemque tetrahit, ne homo videre possit cælestia. Avarissimus ille Balaam dum fertur ad maledicendum populum Dei, inter miras & nobiles visiones sibi à vero Deo immissas, quibus Israëlitarum bona videbat, tamen de se ajebat. *Dixit Balaam filius Beor, dixit homo cujus obturatus est oculus, qui visionem Omnipotentis intuitus est:* Componamus hæc duo loca sacri textus, quod obturatos habeat oculos, & visiones Dei intueatur. Quid hoc novi? obturatos habere oculos, & inter visiones Dei non videre? Sed non miremini, sequitur enim in textu historico. Perrexerunt Seniores Moab, & majores natu Madian, habentes divinationis pretium in manibus, quod considerans Rupertus ita ait: *Cujus obturatus est oculus & visionem Omnipotentis intuitus est, contraria sibi videntur. Nunc autem planum intellectu fit, quia per Propheticam scientiam visionem Omnipotentis intuitus est, sed per avaritiam cor cæcatum habet.* Nihil sunt oculi, ubi splendet aurum, licet Argo oculatior sis, & auri cupiditate rapiaris, etiam inter visiones cæcuties. Porrò non tantum illi abscondunt, & defodiunt pecuniam, qui illam appetunt, & ex avaritia non communicant, sed & hi qui illam malè expendunt in nugas & næ-nias, cum in opera bona & Deo grata exponi possent.

Proverb. 11

Num. 24.

Rupertus

II. Per secundum talentum, intelligo ingenium & rationem Sancti Nicolai à Deo Creatore sibi traditum, ut sanè de se ipso illud dici queat: *Puer eram ingeniosus & sortitus sum animam bonam.* Hoc talentum illi tepeluunt, qui rationem & ingenium ad noxia & inutilia perdiscenda, vel tractanda applicant. Veluti qui fabulis & jocis se & alios pascunt: qui omnis generis ludos exactissimè addiscunt, quirelictis utilibus & sanctis libris, ludicros evolvunt & amatorios. Testatur id S. Gregorius dicens: *Talentum in terra abscondere, est acceptum ingenium terrenis actibus implicare, lucrum spirituale non quærere, Cor à terrenis cogitationibus nunquam levare.* Idem agunt, qui secundum rationem non vivunt, sed velut bestiæ, sensualitatem tantum sequuntur. Unde D. Augustinus ait: *Si calicem aureum invenisses in terra donares illum Ecclesiæ Dei accepisti à Deo ingenium spiritualiter aureum, & ministrus inde libidenibus, & in illo Sathanæ propinas te ipsum?* Refert S. Hieronymus se moribundum aliquando raptum ad judicium & à Judice interrogarum de conditione: Christianum se respondisse. Ad quod Judex: *Mentiris: Ciceronianus es non Christianus. Ubi enim est Thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Iste quippe Sanctus magis se oblectare solebat potius Gentilium Authorum lectione, quam sacrarum literarum studio. Unde ex Judicis sententia, dirè flagellis cædi & ad corpus redire jussus est, dolorem adhuc sentiens & plagas in corpore gerens. Si hoc actum cum Hieronymo ob libros gentilium, quid fiet his qui noxiis studiis addicti sunt? Non abscondit hoc talentum S. Nicolaus, qui propriam quietem in Monasterio deseruit, seque ad oves suas contulit ut illis doctrina & Consilio prodesse possit.

Sapient. 8.

S. Gregor. Hom. 9.

S. August. Epist. 39.

S Hieron. in Reg. Mon. cap. 15.

III. Hinc sequitur talentum tertium, per quod intelligo potestatem sive jurisdictionem Pontificiam S. Nicolao à Deo datam. Multi sunt qui hoc talento abutuntur de quibus dicitur Zachariæ 11. *O Pastor & Idolum, derelinquens gregem: gladius super brachium ejus, & super oculum dextrum ejus.* Quasi dicat: quia non tam Judex, quàm Judicis simulachrum ligneum est educere gladium nolens ideo dignus ut gladius divinę ultionis in eum animadvertat. Quod Regi Achab prædictum fuit, cum dimisisset Benadab Regem Syriæ, dicente textu. *Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro*

Zacharia 11.

3. Reg. 20.

3. Reg. 20. *anima ejus*: quod paulo post ei contigit, quia in prælio ab Assyriis occisus fuit. Porro S. Nicolaus suo talento quam benè usus fuerit, id patet ex Justitiæ zelo, quo ardebat. Nam tres Cives Myrenses nequitia Judicis iniquè condemnatos, & jam gladio carnificis subjectos mirabili animositate eripuit, excutiendo gladium carnifici & arguendo judicem, comminandoque accusationem apud Imperatorem. Item, tres tribunos Legatos Constantini Magni fraude malorum neci destinatos itidem liberavit, arguendo per visum Imperatorem, & comminando illi prælium, interitumque suum & totius familiæ.

IV. Quartum talentum significat scientiam scripturarum & verbi DEI: hoc terræ infodiunt hi, qui effecti velut canes muti, verbum DEI prædicare nolunt. Et cum Christus verbum DEI semini ex quo panis fit comparaverit, quemadmodum ille malè faceret, qui abundans panibus eos in cista recluderet & parvulis famelicis dare nollet: Eodem modo se habent illi, qui spiritualiter esurientibus panem divini verbi communicare nolunt. Sanè quatuor illi leprosi videntes in castris Syrorum maximam omnium victualium abundantiam dixerunt invicem: *Si tacuerimus & noluerimus nunciare usque mane, scelerus arguemur.* Quomodo igitur non arguentur, qui cum aliis communicare verbum DEI possint, pro oblata occasione non faciunt? Scimus quid evenerit Jonæ Prophetæ, quando jussus à DEO prædicare Ninivitis instans periculum subvertendæ urbis, renuit & aufugit à facie DEI? Similis pœna sequitur hos qui occultant verbum DEI. Non ita Sanctus Nicolaus: hic enim contra edictum Maximiani Cæsaris, fidem Christi liberrimè prædicabat, & cum abductus esset in carcerem, suos conceptivos virtiliter ad martyrium incendebat, eosque verbo DEI, in quo prædicando non cessabat, in carcere solabatur & confortabat.

Luca 8.

4 Reg. 7.

V. Per quintum talentum intelligo gratiam Dei, de quo talento Divus Paulus sic ait: *Exhortamur vos ne in vacuum gratiam DEI recipiatis.* Hi in vacuum gratiam DEI recipiunt qui ea non utuntur ad id ad quod data est illis. Datur autem nobis non tantum ut vestis quæ animam exornet Deoque gratam faciat, sed etiam ut gladius, ad resecanda peccata, nec non ut scutum, ad vitanda, & tandem ut aurum, vel pecunia, ad comparanda merita gloriæ & dignificanda opera nostra quatenus Deo placeant, & gloriam mereantur, juxta illud Sapientis. *Infinitus thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ DEI.* Hunc thesaurum in terram defodiunt & abscondunt omnes hi qui ad prædictos fines, gratia DEI non utuntur. Ideo enim in baptismo cæterisque Sacramentis gratiam DEI accipimus ut cum ea negotiemur, & lucrum faciamus. Fæliciter usus est hoc talento S. Pontifex Nicolaus: gratiam enim innocentiæ quam accepit à DEO in primo infantiæ suæ limine conservavit usque ad ultimum diem vitæ suæ. Unde tanquam bonus dispensator horum quinque talentorum intravit in regnum DEI & fruitur gloria sempiterna, Amen.

2. ad Corinth. 6.

Sap. 7.

IN

IN FESTO S. NICOLAI Pontificis,

CONCIO III.

In multitudine electorum habebit laudem.

Ecclesiastici. 24.

MUltò felicior est Ecclesia Christi Domini, quam Synagoga Judæorum Auditores mei. In antiquo enim testamento multa quidem exempla habemus virorum illustrium, sed tamen cum illo defectu, quod parem quem uni opponere aut comparare possent, neminem habuerint. 1. Reg 10. In primis legimus 1. Regum c. 10. Saulem filium Cis de tribu Benjamin fuisse virum præcellentis staturæ, & talem quidem cui similis inveniri non potuit, cum enim productus esset in medium, ut à Samuele Propheta, & Judice Israelis in Regem crearetur, ait textus. *Altior fuit universo populo, ab humero & sursum.* Ipsemet Propheta idem testabatur dicens: *Certè videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo.* Ezechias Rex Juda in probitate morum & excellentia non habuit sibi similem juxta illa verba 4. Regum. 4. Reg 18. *Post eum non fuit similis ei, de cunctis Regibus Iuda, sed neque in his qui ante eum fuerunt.* In eodem libro de Josia Rege Juda tale habetur testimonium. *Similis illi non fuit ante eum* 4. Reg 23. *Rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & universa virtute sua, juxta omnem legem Moysi, neq; post eum surrexit similis illi.* Et tandem de Salomone Rege Juda & Israëlis, in 3. libro Regum hæc verba habentur. *Magnificatus est ergo Rex Salomon, super omnes Reges terræ, divitiis & sapientia.* Ex quibus exemplis patet longe fæliciorem esse Ecclesiam Christianam. In hac enim licet multi viri sanctitate 3. Reg. 10. illustres, virtutibus clari, miraculis magni numerentur, uti erant S. Apostoli, Martyres, Confessores cæterique Sancti Dei, non est tamen tam infœcunda mater nostra S. Ecclesia quæ tantis viris alios quoque similes parere sque invenire nequeat. Habet viros Apostolicos nempe Dominicum cæteroſque verbi DEI præcones; habet inter Martyres duos Levitas sibi similes, nempe Laurentium & Vincentium Diaconos: habet inter virgines ambas sibi similes, nempe Agatham & Luciam: sicuti enim Catana Civitas per unam, ita Syracusana per alteram honoratur à Domino. Et tandem ut multa paucis concludam, dixerat quondam Christus Jesus de Joanne Baptista. *Non surrexit inter natos mulierum major Ioanne Baptista.* Matth. 11. Est quidem verum, quod ætate illa nemo illi par inventus fuerit, sed postmodum sacra mater nostra edidit nobis tales filios, quorum aliqui etiam cum S. Ioanne Baptista similitudine & paritate certare possint. Unum vobis hodie produco S. Nicolaum Pontificem, cujus annuam & solennem memoriam celebramus: hic virtutum splendore, & prærogativis quàm conformis S. Joanni Baptistæ fuerit; audietis.

I. Imprimis ut à parentibus utriusque Sancti initium faciam, ex præclaris sanctisque parentibus S. Joannes Baptista natus erat, juxta testimonium S. Lucæ scribentis. *Erant autem ambo justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus DOMINI sine querela:* Non minus ex piis & honestis parentibus S. Nicolaus ortum suum habuit: erant enim amdo fideles

Simon Metaphrast. Christiani omnibusq; vicinis Patarensibus ob synceram vitæ probitatem, non solum venerationi fuerunt, sed etiam amori. Mater S. Joannis nempe Elizabeth sterilitate laborabat, diuque in matrimonio vixerat antequam ipsum genuisset. De Joanna Matre S. Nicolai similiter dicitur à gravissimis autoribus diu prole caruisse, & precibus ipsum una cum Epiphanio marito suo a Deo obtinuisse, in quo S. Joannem Baptistam paritate consequitur, quia de ipso sic scribit S. Lucas. *Et non erat illi filius, eo quod esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.* Quod verò ipsum precibus à Domino obtinuerint, patet ex verbis Angeli dicentis. *Ne timeas Zacharia quoniam exaudita est oratio tua.* Quorum utrumque considerans venerabilis Beda, nempe sterilitatem Elisabeth, & preces Zachariæ, ita ait: *Divinitus est procuratum, ut provectæ ætatis diuq; conjugii fructu privatis Ioannes parentibus nasceretur, quatenus inopinato prolis ortu, & ipsos donum gratiùs afficeret, & cæteros miraculi stupor futuri Prophetæ pararet auditui.* S. Nicolaus de sua nativitate non absimile habet testimonium, de quo S. Patriarcha Methodius ita fatur. *S. Nicolai parentes diurnis precibus divinam omnipotentiam flagitabant, ut aliquam sobolem præstaret, omnipotens autem Dominus illorum piis precibus annuens, honestissimum illis filium donavit.* Unde & ipsi sua prole accepta a Domino, magna ex tali dono lætitia affecti erant, rursusq; illud in corde suo ad servitium Dei consecrarunt. In nativitate S. Joannis multa miranda concurrebant, quæ tanquam manifesta prætereo: non minùs mirabilis erat S. Nicolai nativitas de quo sancto infante, Sanctus Vincentius Jerrerius in sermone suo sic ait: *Dum obstetrix Nicolaum die nativitatis lavare voluit, vidit ipsum stantem in pelvi, in quo jam ostendebatur, intentio recta quam semper habiturus erat.* E re sanctus hic prædicator protulit talem de infante S. Nicolao sententiam, solet enim Deus à primo etiam limine vitæ, præmonstrare in sanctis suis signa futuræ sanctitatis. Unde ferre idem cum Sancto Thoma Aquinate contigit, hunc enim cum nutrix abluere vellet, & conaretur de manu illius chartulam quadam tollere, ut eum commodius lavare posset, tandem cum à matre sua fuisset vi extorta, in qua exarata fuit Angelica salutatio, ille planctu repetitam chartulam deglutivit.

Ven. Beda in Luc.

S. Methodius.

S. Vinc. Ierr. Serm.

In Vita S. Thom. Aq.

II. Sanctus Joannes Baptista octavo post nativitatem suam die, excellentia dona contulit suis parentibus nempe, loquelam patri, & Spiritum Prophetiæ matri. Cum enim in sua circumcisione tractaretur quonam nomine vocari deberet, juxta Divi Ambrosii sententiam ille quomodo deberet nominari insinuavit marito suo, ille verò cum mutus esset nec loqui posset, postulans pugillarem scripsit *Ioannes est nomen ejus*, quo facto, illicò apertum est vinculum oris ejus. De hoc spiritu Prophetico matris suæ sic ait prætactus D. Doctor *Per Prophetiam didicit, quod non didicerat à marito.* Quod concernit S. Nicolaum, Parentum quidem suorum neuter his donis indiguit, quia pater habuit suam loquelam, prophetia verò, quasi ab utero matris, traducta & translata est in sanctum infantem Nicolaum, qui tam in pelvi existens futura omnia suæ sanctitatis prophetavit, in mari autem jam existens maturus, nautis naufragium: nihilominus maximis donis affecit parentes suos, quibus impetravit perfectissimum donum continentię, uti hac de re Dionysius Carthusianus luculenter testatur dicens: *Nicolai Parentes, post hunc editum filium continenter vixerunt.* Cujus Causam assignat alius quidam Doctor dicens: *Sicut meritum Ioannis Baptistæ, in sua circumcisione, miraculosè loquelam patri reportavit, sic meritum Nicolai in nativitate, continentiam parentibus impetravit.*

S. Ambrosius.

Dionysius Carthusian.

III. Vicini Zachariæ & Elisabeth conjugum, quicunque S. Ioannis Baptistæ nativitati aderant, omnes mirabantur dicentes. *Quis putas puer iste erit?* non deerat etjam Sancto Nicolao nascenti hæc conditio, quia S. Methodius Patriarcha hac de re luculenter testatur dicens: *Neq; ii solùm, qui illo tempore aderant, & cognoverant quæ fiebant, admirationem habuerunt, sed hac etiam tempestate, qui vivunt & audiunt, simili stupore mentis incitantur.* Quod si quæramus speciale testimonium: de Joanne quidem in hunc mundum edito Zacharias parens suus vir omni fide dignus, talia verba protulit. *Tu puer Propheta altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem*

S. Methodius ubi supra

faciem Domini parare vias ejus. Pariter in nativitate S. Nicolai. Patruus ejus unaque Archiepiscopus præclarissimus, præter Sanctitatem infantis futuram, cognovit quoque propherico spiritu, ei oves Christi committendas fore, & ipsum ad dignitatem Pastoralem assumendum, quod re ipsa ita contigit: in quo officio, quemadmodum Joannes Christum futurum, sic ille præsentem prædicabat. *Luc. 1.*

IV. Quod concernit abstinentiam S. Joannis Baptistæ, jejunia ipsius toti orbi patent, nam de cibis illius hæc testatur Sanctus Matthæus Evangelista dicens. *Esca ejus locusta, & mel sylvestre.* Quin ipsamet veritas Christus Dominus de ipso ait: *Venit Ioannes neq; manducans, neq; bibens.* Ejusdem fere abstinentiæ extitit S. Nicolaus. Siquidem ab ipso vitæ exordio, abstinuit à lacte consueto diebus Mercurii & Veneris, quibus diebus semel tantum materna suxit ubera, quasi Ecclesiastici jejunii normam repræsentans. Hinc plurimi Doctores ajunt, tale infantis jejunium, futuræ Sanctitatis suæ fuisse præsagium, quod ve hoc jejunio ad singulare certamen provocare voluerit, animarum nostrarum inimicum, qui non magis solet tentare homines, quam per gulam: sic tentavit parentes nostros in Paradiso dicens. *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi?* Sic etiam tentavit Dominum dicens. *Dic ut lapides isti panes fiant.* Non absque mysterio igitur S. Nicolaus quam primum aspexit mundum, hac se armatura præmunivit, ut factus tyro in militia Christi, eo fortiùs hostem suum aggredi posset. *Matth. 3.* *Matth. 11.* *Gen. 3.* *Matth. 4.*

V. S. Joannes Baptista, ut se à contaminatione mundi hujus conservaret, majorem ætatis suæ partem traduxit in eremo, uti testatur Sancta Mater Ecclesia dicens:

Antra deserti teneris sub annis
Civium turmas fugiens petisti
Ne levi saltim maculare vitam
Famine posses. *Rom. Breviar.*

De Sancto Nicolao hoc idem fatentur vitæ suæ scriptores. Quod solitariæ vitæ studiosissimus fuerit, & in secreto monasterii loco habitans, in jejuniis, abstinentiis, vigiliis, orationibus, & meditationibus cælestibus soli Deo vacaverit. In una re Sancto Nicolao fælicior Joannes Baptista, hic enim cum esset baptisans trans Jordanem in Bethania, dignitatem Messiæ quam Judæi sibi offerebant acceptare noluit; uti habetur Joannis Evangelistæ 1. cap. at S. Nicolaus, in humilitate quidem Sancto Joanni Baptistæ se conformavit, dum ab Episcopo Lyciæ interrogatus de nomine respondit dicens: *Nicolaus vocor peccator, servus tua sanctitatis:* nihilominus precibus populi, ipsum pro Episcopo postulantis resistere non potuit, quin tale officium acceptavit, in quo certè Joannem Baptistam ad vivum expressit: Sicuti enim ille reprehendebat peccatores, uti habetur Lucæ 3. ita & de S. Nicolao canit Ecclesia. *Severitatem Nicolaus in reprehendendo perpetuo adhibuit.* Et tandem S. Joannes Baptista actu ipso martyr fuit, S. Nicolaus affectu, quia Martyres Christi in fide confortabat. Unde qui se conformabat S. Joanni Baptistæ in terris, nunc regnat cum ipso in Cælis,

A M E N. *Ioan. 1.* *Luc. 3.*

IN FESTO S. NICOLAI Pontificis,

CONCIO IV.

Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.
Psalmo 40.

Pausanias lib. 4.

REfert Pausanias Atalanta virginem tanta agilitate pedum fuisse præditam, ut omnes qui potiundi amoris & connubii sui causa, secum currere vellent, facile superaret. Pluribus ergo devictis prodiit Hippomenes, & quamvis jam senex, amore tamen illius captus, venit quoque cum illa in certamen, ast singulari usus est stratagemate. Curavit enim sibi fieri tria poma pulchertima ex auro facta, quorum mulieres bene noverat avidissimas, unde his acceptis, ad metam ab Amasia sibi constitutam properavit, dumque simul currerent, illeque in illo cursu se à virgine superari cerneret, projecit tria illa poma successivè, in quorum collectione cum illa trantisper moraretur, eam ob causam retardata, Hippomeni qui illam præcurrit, palmam dedit. Sit historia, vel fabula, parum refert. Ego hodie non Hippomenis sed Sancti Nicolai, tria poma verè aurea conspicio, quæ etiam in ædes trium virginum unius civis Patarensis filiarum injiciens, retardavit cursum illarum, quæ à patre suo ob inopiam prostituendæ, & turpi quæstui exponendæ, jamjam præcipites ibant & currebant ad metam inferni: ob hoc ergo factum tam insigne promeruit S. Nicolaus Pontifex ut in laudem suam hæc verba depromamus. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem*: ex quibus quidquid præconii desumptum fuerit, id sancto Præsuli dedicabimus.

I. Auditores præstantissimi, hæc verba sancti David, nempe: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem*, mihi paradoxa videntur esse. Inprimis enim quodnam hic objectum intellectus nostri, & non potius voluntatis nostræ pauper & egenus, à qua dependet ut ipsius misereamur? & deinde quænam est hæc schola paupertatis? quæ scientia, ut ipsam intelligamus? & tandem quænam hæc connexio, beatus qui intelligit? cur non potius, ingeniosus & sapiens qui intelligit? Sed certè quomodocunque ad explicationem hujus sacri loci veniamus, intellectum à nobis requiri intelligemus, quo feramur super egenum & pauperem. Venerabilis Hugo explicans istum locum, per egenum & pauperem intelliget: Primò Christum Jesum, de seipso dicentem: *Ego autem mendicus sum & pauper.* Debemus ergo super ipsum intelligere, nempe intelligentes per fidem ipsius divinitatem, juxta quam non est pauper, sed dives in misericordia: tenemur etiam intelligere, ut recogitemus quid pro nobis fecit: ait enim Ecclesiasticus. *Gratiam fidejussoris ne obliviscaris, dedit enim pro te animam suam.* Alio modo prætactus autor hæc verba intelligit. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem*: id est super Christum, qui egenus & pauper est in membris suis, unde dicturus est in judicio. *Nudus fui & cooperuistis me.* Sed hoc tempore pauci sunt; qui sic intelligant super egenum, & pauperem, pauci qui recordentur verborum Christi Domini dicentis. *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*; nunc enim magis attenti sunt homines, ad magnates & divites, quàm ad pauperes: sed de talibus pulchrè ait D. Augustinus. *Christus donat, & eget; quando donat vis accipere, quando*

Hugo Card. in Psal. 40.
Psalm. 39.
Ecclesiastici 29.
Matth. 25.
S. Augustin.

quando eget non vis dare. Sed longè aliter fecit Divus Nicolaus: hic enim intelligens Christum in illo cive Patarensi sed paupere, & ob id filias suas prostituere cogitante, non solum intellexit super egenum & pauperem per compassionem, sed etiam per largam auri eleëmosynam, quam pro tribus virginibus matrimonio elocandis, per fenestram cubiculi sui clam trina vice projecit: tam egregia eleëmosyna Sanctus Nicolaus adjuvit & sublevavit miseriam inopum, dum adhuc esset in statu seculari: sciebat enim illud dictum S. Tobiæ dicentis: *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere, ita enim fiet ut non avertatur à te facies Domini*; estque exemplo cunctis, ut pietatem illius imitentur. Certè S. Thomas Doctor Angelicus, cui dictum fuit à Domino; bene scripsisti de me Thoma; non aberravit à veritate, dum ait eleëmosynam cadere sub præcepto, & qui eam prætermittit damnandum fore: idque probat taliter, Nullus punitur pœna æterna, nisi pro omissione alicujus, quod cadit sub præcepto: aliqui autem puniuntur propter omissionem eleëmosynæ, juxta illud Matth. 25. *Esurivi & non dedistis mihi manducare*: & tandem: *Ite maledicti in ignem æternum.* Non est ergo dubitandum, quia opus misericordiæ cadat sub præcepto. Idque in duobus casibus: Primò ex parte dantis, juxta illud S. Lucæ. *Quod superest date eleëmosynam.* Secundò autem ex parte recipientis, si eleëmosyna tali pauper indigeat: licet enim superfluum quod dives habet suum sit, & id secundum autoritatem dispensandi: tamen secundum usum, est illorum, qui extremam necessitatem patiuntur. Unde D. Ambrosius: *Captivorum redemptio est pecunia, quam tu in terram defodis, nudorum indumentum est, quod tu recludis.* Contra tales clamat vox clamantis in deserto. *Qui habet duas tunicas, unam det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.*

Tob. 4.
S. Thomas 2. 2. Q. 32. Artic. 5.
Matth. 25.
Luc. 11.
D. Ambrosius.
Luc. 3.

II. Quod ergo S. Joannes Baptista, quin imo universa sacra scriptura, nec non Patres Ecclesiæ eleëmosynam in tantum prædicent, non est putandum id gratis fieri. Eleëmosyna enim illa quam S. Nicolaus egenis exhibuit, quemadmodum ipsum magnum fecit coram DEO & hominibus, sic etiam quemvis, dantem ipsam exaltat, & ad sublime Sanctitatis fastigium evehit. Sanctus Propheta David faciens mentionem in quodam Psalmo suo universalis judicii sic ait: *Congregate illi Sanctos ejus.* Quærit hic S. Augustinus, quinam sint hi sancti, qui congregandi dicuntur; respondetque id verbis sequentibus sufficienter insinuari. *Qui ordinant testamentum ejus super sacrificia*: quasi diceret. In die illa ad dexteram Christi congregandi, hi nimirum erunt, qui ordinant testamentum DEI super sacrificia: per eos autem sanctus hic Doctor eleëmosynarios intelligit dicens: *Qui disponunt ejus testamentum super sacrificia: opera enim misericordiæ sunt super sacrificia, id est, sacrificiis præponenda, juxta sententiam DEI dicentis: misericordiam volo plus quam sacrificium.* Unde evidenter liquet, eleëmosynam elevare homines ad summum sanctitatis gradum.

Ps. 45.
S. Aug. de Civitate Dei lib. 20. cap. 20.

III. S. Bruno Carthusianorum Patriarcha, considerans illos duos Cherubinos, quos Salomon ex lignis Olivarum factos, in templo collocarat, juxta quod ait sacer textus. *Fecit in oraculo duos Cherubin de lignis olivarum*; quærit, cur illæ statuæ duos Cherubinos repræsentantes, factæ fuerint de lignis olivarum, cur non ex Cypresso, Cedro, alioque majoris pretii ligno, sed ex oliva? & respondet hisce verbis. *Magna est virtus misericordiæ, sine qua nec ipsi Cherubin esse possunt.* Necessarium prorsus fuit, ut Cherubin isti ex oliva, non vero ex aliis lignis fierent, tametsi plures sint arbores oliva longè pretiosiores. Oliva namque misericordiam significat, id est eleëmosynam quæ est effectus misericordiæ, cujus tanta tamq; efficax virtus est, ut sine illa ne ipsi quidem Cherubin esse possint. Sed ut conceptum Divi Brunonis plenè intelligamus, notandum nobis est, hoc nomen Cherubin, quod idem est atque plenitudo scientiæ, denotare hominem beatum atque glorificatum in cælis. In hac vita, homines non possunt esse Cherubini: nam quamdiu in hoc mundo vivimus, teste S. Paulo, *Ex parte cognoscimus, ex parte prophetamus,*

3. Reg. 6.
S. Bruno de laud. Eleem.
1. Corinth. 13.

at in altera vita, ibi evademus in Cherubinos, id est in beatos & plenitudinem scientiæ habentes, ut tamen efficiamur similes Cherubin, necessum est, ut simus de lignis olivarum: Eleëmosyna enim animas beatas efficit: *Sine quanec ipsi Cherubin esse possunt.*

Luca 16. IV. Legimus S. Lucæ 16. c. Lazaro mendico mortuo, quod Abraham Patriarcha, gremio suo, veluti quodam hospitio ipsum susceperit. *Factum est autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Novimus peroptime Abraam Patriarcham dum in hac vita degeret, plurima hospitalitatis exhibuisse officia, inter quæ illud fuit valde officiosum, quod describitur Geneseos cap. 18. Dum inquam sedens in ostio sui tabernaculi, elevasset oculos, vidisset que tres viros itinerantes, quod mox in occursum eorum cucurrisset, & ado-
Gen. 18. rans eos summopere rogasset, ne pertransirent ipsum dicens: *Afferam pauxillum aquæ, & laventur pedes vestri, & requiescite sub arbore, ponam buccellam panis, & confortate cor vestrum, postea transibitis.* Magna ea fuit S. Abraam hospitalitas: sed magnum
Ad Heb. quoque sibi fructum peperit, cujus memi-
13. nit S. Paulus dicens: *Hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim quidam placuerunt* DEO, *Angelis in hospitio receptis.* Jam vero quod jam in cælo beatus existens, suoque fruens gaudio, adhuc Charitatis Officia exercebat, res est consideratione dignissima. At S. Petrus Chrysologus sic re-
S. Petr. Chrysol. serm. 121. spondet dicens: *Parum se beatum credidit, si in ipsa superna gloria ab hospitalitatis pio cessaret officio:* quo responso Sanctus ille Præsul demonstrabat, quod hominem eleëmosyna in tantum in cælis glorificet. Quod ipsismet Sanctis plus beatitudinis, dum aliis præstant opera misericordiæ, accrescere videatur, quod de accidentali & non essentiali beatitudine intelligitur,

V. Unde cum S. Nicolaus Pontifex existens in tertis maximum charitatis opus præstiterit, nec semel tantum sed certè multoties, non est mirum, ipsum non solum in tertis tot miraculis & prodigiis exaltatum fuisse, sed etiam summa in cælis effulgere gloria. Sed placet ipsum imitari? Fiet, si hæc fecerimus, & talibus conditionibus eleëmosynas nostras ornaverimus. Nempe ut sit copiosa: non in quanto sed ex quanto, nempe ut ex magna charitate fiat: ait enim D. Hieronymus, *Non quantum, sed ex quanto desiderio dederis Deus considerat:* si non habes facultatem dandi, habe solum affectum & sufficit. Deinde ut sit fructuosa, debet esse propria, non ex rapto, furto seu usura: talis fuit S. Nicolai qui ex hæreditate propria, à parentibus sibi derelicta dedit eleëmosynam. Item ut sit pura, sine intentione vanæ gloriæ. *Nesciat sinistra quid faciat dextra tua.* Et tandem, ut conferens eleëmosynam sis in gratia DEI, ait enim S. Paulus. *Si distribuero omnes facultates meas, in cibos pauperum, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Simus ergo solliciti de pura conscientia, & sic opera misericordiæ erunt nobis fructuosa coram DEO cæli,

D. Hieronymus.

Matth 5.

1. Cor. 13.

AMEN.

IN FESTO S. THOMAE Apostoli.

CONCIO I.

Thomas unus de duodecim. Joannis 20.

HOdie Auditores completa est illa de una Ove Christi Domini Parabola, quam S. Lucas describit taliter. *Quis ex vobis habens centum oves, & si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam?* Et quamvis Doctores S. Ecclesiæ per istam unam ovem perditam, genus humanum intelligant, nam S. Augustinus sic ait: *Ovem perditam, omnes peccatores dixit qui per pœnitentiam reconciliantur Deo, quam humeris suis portat, quia humiliando se tales evexit.* Item venerabilis Beda sic ait: *Una ovis tunc periit, quando peccando homo pascua vitæ dereliquit.* Nihilominus ego si per oves Apostolos Domini intellexero, minimè aberrabo, taliter enim à Christo Domino cõpellatos invenio Matth. 10. cap. dicente: *Ecce ego mitto vos sicut oves inter lupos.* Itaq; S. Joannes Evangelista inter istas oves, unius hodie mentionem facit dicens: *Thomas unus ex duodecim:* Erraverat ovis illa gregis Salvatoris, dum testibus fide dignis de resurrectione Domini asserentibus, credere nollet & signa clavorum in manibus & pedibus suis videnda & palpanda postularet. Quanta in Apostolo durities & pertinacia! Sed nunquid illi cessit in aliquod damnum? Minimè verò: quin Christo Domino & ipsi Thomæ in gloriam: quod vobis in hac concione demonstrabo.

S. Augustin. in Lucam. Ven. Beda in Lucam lib. 4.

Matth. 10.

I. Si hanc hodierni Evangelii Historiam bene discutere voluerimus duo singularia inveniemus; Inprimis calamum Sancti Joannis diligenter attemperatum, quo omnes circumstantias infidelitatis Sancti Thomæ Apostoli tam accuratè descripsit. Primo enim vocavit eum de nomine Thomas. Quod jam satis videbatur, quia cum nemo alius Apostolorum hoc nomine vocaretur, jam bene personam quænam fuerit manifesta fuit, Sanctus autem Evangelista eo non contentus: procedit amplius dicens: *Thomas unus è duodecim:* Id est quod inter omnes Apostolos qui post mortem Christi Domini simul propter metum Judæorum congregati erant, solus ille fuerit qui in errorem illum ceciderat. Similiter Christus Jesus durus minusque humanus mihi videbatur esse, dum tam acutis verbis arguebat discipulum. *Quia vidisti me Thoma credidisti, beati qui non viderunt & crediderunt.* Et quid est quod Deus Sanctorum suorum culpas ita exaggeret? Divus Chrysostomus perpendens animo, peccatum à Rege David commissum, integram scripsit Homiliam contra quosdam nonnullis Sanctis addictos, qui prius fuerant peccatores, & arbitrantur illos macula aliqua infamiæ & dedecoris affici, si eorum delicta publicantur. Sed imprudentium ea est opinio, nemo quippe Sanctos magis honorat quam ipse Deus juxta illud Psalmistæ. *Nimis honorati sunt amici tui Deus*, & nihilominus eorum casus & errores clarissimis verbis manifestat eosq; arguit, & corripit. Nec aliquem invenio qui ita graviter inimici sui culpam extollit, quem velit castigari, uti Deus Electorum suorum effert praya opera, qui prius peccatores extiterunt. Exemplo primo sit ille Moyses S. Patriarcha; & quis illo erat Deo propinquior familiaritate & amicitiâ? aliis meta ponebatur, ne montem vel saltim tangerent, illi verò liberum erat ipsum montis verticem ascendere, aliis novum & ignotum erat cum Deo conversari, illi autem familiare fuit cum Deo loqui, & de magnis rebus frequentius cum ipso habere negotia. Summus Sacerdos non minus erat acceptus Deo, eorundem enim laborum quos Moyses obire solebat, erat socius

Psal. 138.

Num. 20. & adjutor. Sed quid tum? Postquam venerunt filij Israel in desertum Syn, nec invenerunt aquam ad bibendum, insurrexerunt semel, & seditionem fecerunt contra Moysen & Aaron, qui audientes seditionem populi, dimissa omni multitudine ingressi in Tabernaculum Fœderis, corruerunt proni in terram & oraverunt Dominum ut populo suo aperiret thesaurum aquæ vivæ. Tunc ait sacer textus. *Apparuit gloria Domini super eos locutusq; est Deus ad Moysen dicens. Tolle virgam & congrega populum tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas.* Sicut præceptum erat Moysi sic fecit. Tulit enim virgam quæ erat in conspectu Domini dixitque ad populum. *Audite rebelles & incredduli. Num de petra hac vobis aquam poterimus elicere.* Cumque elevasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimę. Magna hic emicuit divina gratia quod ad preces servorum suorum aquam de petra dederit. Nihi ominus quia in utroq; invenit diffidentiam, minimè ipsam dissimulare voluit, sed statim dixit ad Moysen & Aaron. *Quia non credidistis mihi ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis.* Quid putatis? Fortè jam quievit Deus nec amplius eis illam noxam exprobravit? Minime vero. Nam post aliquod tempus cum filii Israël de Cades venissent in montem Hov, ibi locutus est Deus ad Moysen dicens. *Pergat Aaron ad populos suos. Non enim intrabit terram quam dedi filiis Israel, eo quod incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis.* Mortuus igitur fuit Aaron in montis supercilio, similiter ad Moysen se habuit, cũ enim ascendisset de campestribus Moab, jussit illum Deus ascendere montem Nebo ex quo omnem promissionis terram eidem ostendit & tandem dixit. *Hæc est terra pro qua juravi Abraam, Isaac, & Iacob, dicens semini tuo dabo eam, vidisti eam oculis, & non transibis ad illam.*

Deut. 34.

II. Non minus David erat cordi Domino, & tamen postquam peccavit, non permisit eum larvatum incedere; sed adulterium suum cum Bersabea commissum, mox detexit, nec solũ detexit, sed multoties illud exaggeravit. Si enim historiã hujus casus legamus in scriptura, ibi omnes circumstantias inveniemus adulterium ejus aggravantes, nempe qualiter Uriam fidelem, fraudulenter occidi mandaverit. Deinde aggravat ejus ignominiam dicens, quod & ipsi gentiles tale peccatum execrentur, & quod supplicium tanti sceleris secum duxerit in sepulchrum. Unde infert Sanctus Chrysostomus; si Spiritus Sanctus aggravat & extollit culpam David, quare & ego illam non publicabo? cum evidens sit, quod sicut Deus per hoc, ejus intendit honori, sic nec ego eidem derogabo. Verba sunt S. Doctoris. *Non vereor magna hac voce publicare, cum Spiritus S. non in dedecus, sed in laudem universam hanc historiam per scripturam exposuerit.* Idem in novo Testamento contigit cũ S. Petro Apostolo, quem licet Dominus Jesus multum dilexerit, nihilominus ejus negationem neq; ille dissimulare voluit, quin in mensa publicè eam prædixit omnibus discipulis id audientibus. Ecclesia quoq; Sancta eandem negationem S. Apostoli non contexit, sed omnium oculis spectandam proposuit. Extra controversiam est quod Deus Apostoli sui non intendebat aliquam ignominiam, sed honorem, ideo culpam illam nolebat subticere, aut pertransire, sed aperte propalare. Idem ergo judicium de hodierna commemoratione infidelitatis S. Thomæ Apostoli ferre possumus, quam sicut Deus & Salvator noster Christus non sine utilitate in ipso arguebat, ita eandem nc. Sancta Mater Ecclesia frustra commemorat.

2. Reg. 11.

D. Chrysost. Hom. 27. in Matth.

III. Sic quippe divino ejus honori convenit, & ita gloria gratiæ suæ manifesta redditur quæ in peccatorum justificatione consistit; juxta illud Apostoli: *In laudẽ gloriæ gratiæ suæ.* Accipite hujus testimonii similitudinem. Aliquis creditor donavit debitum alteri, tu autem illud debitũ extenuas nempe fuisse exiguum vel injustum, & quidnam hic aliud facis, nisi illud quod detrahas liberalitati donãtis tale debitum? Quo enim amplius agnoscitur debiti gravitas, eo probatur ejus quirem sit illud, major fuisse liberalitas. Quidam Medicus curavit alicujus infirmitatem, tu autem morbum deprimas & cavillas, dicens fuisse exiguum & sine cura Medicorum eum curari potuisse, & quidnam hic aliud agis nisi quod detrahas Medico, ejusq; experientiam infamas & extenuas? Perlegite historiam Evangelicam, & liquido constabit quanta diligentia sacri Evangelistæ eorum infirmitates descripserint, quos Christus sanitati restituit, morborum enarrando qualitates, mali gravitatem

S. Paulus ad Eph. 1.

tatem, eamque ipsam, quam natura sola non poterat restaurare: sic mortuorum describunt circumstantias, quos Salvator noster ad vitā revocavit, nempe quod Lazarus jam computresceret, alter quod à nativitate cœcus esset, alter quod totam substantiam in Medicos erogaverit; idem ergo de infirmitatibus spiritualibus censendum est, nempe quo majores sunt, eo majorem in illis Dei potentiam atq; gloriam inveniri. Hinc D. Paulus ut divinæ gratiæ magnitudinem præconio majori extolleret, crebro & data opera miserias & lapsus humanos enarrabat, ut quanto studiosius culparum enormitatem extolleret, tanto evidentius abyssum miserationum Dei demonstraret. Hinc scribit raliter ad Romanos: *Ubi abundavit delictum superabundavit & gratia*: quod ergo S. Thomas, tam grandem infidelitatis morbum incurrerit, id recenset Ecclesia non in confusionem Apostoli, sed in gloriam Medici Jesu Christi, qui tam magnam infirmitatem percuravit.

Ad Romanos 5.

IV. Imo propalatio defectuum quibus aliquando sancti viri laborabant, non solum Deo sed etiam ipsismet cedit in honorem. Considerate illam monomachiam quam habuit David cum Goliath, quanta diligentia sacer textus describat non solum qualitatem gigantis quoad staturam suam, sed etiam, qualiter armatus in campum descenderit, nempe quod fuerit altæ staturæ. *Egressus est vir spurius altitudinis sex cubitorum & palmi.* Nonne sufficiebat dixisse id quod erat principale, nempe quod sex cubitis sive quatuor ulnis majoribus altus fuerit? ad quid addidit palmum? Non scirem aliā rationem nisi quod Spiritus S. nec minimum quod ad magnitudinem gigantis attinebat, præterire voluerit. Deinde quod concernit arma, ita subjungit. *Cassis ærea super caput eius.* Ulterius lorica squamata utebatur, non ex squammis illis cōmunibus fabricata & compacta, neq; ex ferreis annulis facta, sed ex parvis scutis & conchis opus plane singulare. *Pondus hujus loricæ ejus quinq; millia siclorum æris erat*: singuli sicli quartam partem unciæ continent, ita ut propemille & quingentas uncias appenderet. *Ocreas æreas habebat in cruribus, & clypeus æreus tegebat humeros eius, hastile hastæ eius erat quasi liciatorium texentium, ipsum autem ferrum hastæ ejus sexcentos siclos habebat ferri.* Ecce quam distincte vires armorum gigantis describat, non per pondera graviora, sed per uncias & quadrantes. Sane ideò facta est tam exacta descriptio, ut per id clarius exaltaretur David. Sic hodie Ecclesia exaggerat pessimū crimen Apostoli, nempe incredulitatis, non ut illi inferret aliquam infamiam, sed potius, quia illum defectum reparavit, ut ipsum majori honore afficeret.

1. Reg. 17.

V. Et merito! Sancti n. viri quod maxime intendunt, ducuntq; sibi glorioſum, est id, per quod clarius elucescit Dei bonitas & misericordia: quanto ergo maiora sanctorū peccata manifestantur, tanto magis glorificatur Dei benignitas: quod patebit hac similitudine. Romanis Principibus moris erat post confectum bellū & partam victoriā urbem Romā cum publico triumpho ingredi, ubi inter cæteras solennitates iste quoq; mos servabatur, quod ante ipsum victorē, non solū præda pretiosa nempe aurū argentū vestesq; pretiosæ præferebantur, sed ea quoq; quæ suis militibus antea horrori erant nempe arma bellica, quibus fugabantur gladii, quibus vulnerabātur hastæ, tela, bombardæ, aliaq; id genus instrumenta à quibus multi de suo exercitu perierunt. Et cur spolia tam ingrata præferuntur? nonne satius erat illa projecisse, & non in ipsis gloriari? Minime vero: quo enim plora erant illa arma bellica, quo plures captivi catenati ducebantur, eo illustrior apparebat victoris triumphus: obtenta jam victoria, profligato inimico, non erubescit victor si pericula sua in quibus versabatur, cunctis innotescant. Si timor, si cordis anxietas, qua in præludio certaminis trepidabat, sed nec si hostium furori aliquando cedendum erat, nihil eorum celat, sed omnia manifestat, narrat, evulgat, velut glorioſas victoriæ suæ circūstantias. Ita ergo dicendum est de S. Thoma Apostolo, aliisq; sanctis qui antea peccatores extiterant, quod Ecclesia Sancta ipsa commemoret, non in cōfusionem, sed in majorem ipsorum gloriā, eo quod per gratiam Dei, à tanto malo liberati, triumphum retulerint: cuius rei vel in S. Thoma habemus exemplū. Hic enim quamvis in principio infidelitatis notam incurrerit, postmodū tamen ab ipsa resiliens, ita fideliter adhæsit Christo Deo, ut pro ipso maximos labores inter barbaras Indorū nationes, quin mortē quoq; ipsam subire non dubitaverit & post certamen suū laborioſum, nunc triumphum agit in cælis, exultans cum suis commilitonibus, omnibus inquam sanctis, Amen.

IN FESTO S. THOMÆ Apostoli.

CONCIO II.

Non erat cum eis quando venit Jesus.
Ioannis 20.

VIdetur hodie Sancta mater Ecclesia inhonorasse Sanctum Thomam Apostolum: quæ enim festa Apostolorum tali elogio condecorare solet, nempe *hoc est præceptum meum ut diligatis invicem*; sive illud; *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*: Similiter sanctorum Martyrum: *Beati eritis cum vos oderint homines*: Sic quoque S. Confessorum. *Vos estis sal terræ*: Vel illo alio. *Sint lumbi vestri præcincti*: Nec non Sanctarum virginum, aut viduarum, comparans eas lampadibus, margaritis, seu thesauro in agro abscondito. Hodie inquam proponens nobis memorabilem festivamque diem S. Apostoli Thomæ, loco laudum, absentiam illius nec non incredulitatem exaggerat dicens. *Non erat cum eis quando venit Jesus*: & sic videbatur cum ignominia quadam affecisse. Sed qui penitius rem inspiciat, videbit servos Dei, aliter cordi habere honorem, aliter mundiales: nam servi Dei volunt sciri suas infirmitates, ut honor medici prodeat nempe Christi Jesu qui curavit eas. Repetuntur toties in Ecclesia Sancta, casus Adæ parentis nostri, Noe ebrietas, Loth incestus, filiorum Jacob proditio, Aaronis idololatria, Davidis adulterium. Petri perjurium: Pauli in Christianos persecutio, Matthæi telonium, Magdalenæ septem dæmonia, & tandem hodie Thomæ infidelitas. Cur? non ut in similia peccata labamur, sed ut exemplis aliorum utamur ad cautelam: ex quibus accipiemus hodiernum S. Thomæ, quod proderit ad nostram doctrinam salutarem.

Matth. 10. *Matt.* 5. *Luc.* 12. *Matth.* 13.

I. Non immerito aliquis id mirari posset, quod Dominus unum de Principibus suis nempe sanctum Thomam Apostolum in peccatum infidelitatis tam graviter labi permiserit Sed ego dum istum casum considero, multa in ipso documenta invenio, inter alia id unum adverto, quod ad utilitatem nostram id contigerit. Plus enim Principum & illustrium hominum casus, commovere possunt alios ut sibi attendere suæque infirmitati consulere valeant, quam si incurrat eundem ex plebeis, seu vulgari & promiscua turma. Exemplum hujus habemus Josuæ cap. 10. Pugnante Davide Rege in Gabaon, captisq; Regibus quinque qui se absconderant in spelunca, cum adducti essent ad eum, convocavit omnes viros Israel dixitque ad Principes exercitus qui secum erant. *Ite & ponite pedes super colla Regum istorum.* Cum igitur illi juxta mandatum Ducis sui ita fecissent, & Regum in terra prostratorum colla calcassent, iterum dixit ad eos. *Nolite timere nec paveatis: confortamini & estote robusti.* Miratur hic Abulensis quidnam sit causæ, quod Josue dum quinque illos Reges è spelunca productos, ante oculos Principum suorum posuisset, mandato illis dato, ut ponerent pedes suos supra colla eorum eosque conculcarent, nihil ipsis dixerit, ne inquam paverent ipsos, sed postquam jam ipsos conculcaverant, tunc demum ipsos admonuit, ne timerent, id videtur ante potius quam post fuisse faciendum. Cur non potius ante conculcationem Regũ confortantur ut illam strenuè & sine ullo metu peragant? Cur magis indigent robore post Reges conculcatos, quam antea? Nonne antea magis illos cohiberent vultus Regii adhuc in suo splendore stantes? Revocate in memoriam Primogenitum Gedeonis. Hic cum jussus fuisset à patre ut irrueret in duos Reges Zebee & Salmana eosque occideret, ait textus. *Non eduxit gladium; timebat enim quia adhuc puer erat.* Cur timebat? illi duo Reges ligati stabant, non audentes sed nec valen-

Josue 1. *Abulensis* *Iudic.* 8.

valentes se defendere. Cur igitur timere poterat? Regalis sanè hominum illorum præsentia, juveni timorem incussit, ne ad ipsos accedere auderet, ita ergo etiam dici posset, convenientius fuisse ut Principes illi Israelis tunc cum ante se haberent quinque Reges conspicuos, confortarentur à Josue, ne ipsos metuerent, quam post colla Regum conculcata. Sed respondet idem Author Abulensis, optimè fecisse Josue, quod non antea sed post conculcata Regum colla, postquam jam Reges sub pedibus suis prostratos aspexerunt tunc eos animabat ne timerent. Cur enim nō timerent suas vices qui Reges heri potentissimos, fulgentesque in thronis aureis nunc videant prostratos humi & cōculcationi subjectos, non est humanæ fortitudinis à tali conspectu non concuti non frangi.

II. Petrus Damianus insignis Author quærit, quidnam sit causæ quod Deus summos Romanos Pontifices non permittat diu vivere, suamq; sedem Apostolicam per plurimos annos gubernare, nemo quippe est qui annos Sancti Petri primi Pontificis, existens in hoc sublimi Præsulatus sui officio excesserit; quin crebro illorum apparent funera, & interitus, & respondet dicens: *Dum præcipuus hominum, tam Augusti temporis compendio moritur, tremefactus quisque ad præstolandi sui obitus custodiam provocatur.* Nulla res invenitur ita vehemens quæ humanum animum concutere valeat, sicut humana fastigia humiliata & ad terram dejecta, sicuti splendores dignitatum obscurati, sicuti throni aurei & eburnei in pulverem cineresque redacti. Legimus 4. Regum 3. cap. quod cum filii Israel obsedissent civitatem Regis Moab, ut obtenta urbe, toto etiam regno potirentur, tunc cum urbs jamjam capienda esset, miserimus Rex Moab, uti ait sacer textus, *Arripiens filium primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum, & facta est indignatio magna in Israel. statimque recesserunt ab eo, & reversi sunt in terram suam.* Victor exercitus qui nullis machinis ab obsidione deterreri potuit, cum jam victoriam & regnum præ manibus haberet, ad conspectum occisi Principis Moabitæ, ita consternatus erat & confusus, ut abjecta è manibus victoria, & civitate derelictâ, statim recesserit in patriam suam. Tam multum valent casus Principum ad commonendos animos cæterorum, quatenus fragilitatis humanæ recordentur.

Petr. Damianus lib. 1. Epist. 17.

4. Reg. 3.

D. August. in Psal. 5.

III. Secundo non est putandum Ecclesiam Sanctam defectus Sanctorum morales sicuti incredulitatem S. Thomæ Apostoli commemorare, quasi in despectum personæ & per modū exprobrationis alicujus, sed quia juxta Philosophum eadem est ratio oppositorū, ut ex gravitate lapsus seu peccati, magnitudinem divinæ misericordiæ, & consequenter majorem Sanctorum gloriam agnoscamus. Quod concernit primum id est divinam Misericordiam: Quærit D. Chrysostomus cur Spiritus Sanctus illud peccatum Regis David tam strictè exaggerare voluerit, omnes adducens circumstantias adulteriū ejus aggravantes, nempe, quod Uriam Etheum percusserit gladio, uxorem illius acceperit sibi in uxorem & interfecerit illum gladio filiorum Ammon. Ad id respondit Sanctus Doctor dicens. *Non vereor magna hac voce publicare: Cum Spiritus Sanctus non in dedecus, sed in laudem universam hanc historiam per scripturam exposuerit.* Idem facit judicium de negatione Petri: quis n. eam vivis magis coloribus depictam nostris objecit oculis quam ipse Deus in Evangelio? ibidem ejus expendit promissa, & præcedentem jactantiam, quæ duo gravius prodebant & accusabant ejus pusillanimitatem, ibi profert occasiones, verba, juramenta, anathemata, & cum id quod ab uno scribitur Evangelista, interdum ab alio omittatur, hic in describendo peccato suo quatuor Evangelistas convenire fecit, extra controversiam est, quod Deus Apostoli sui non intendat ignominiam, sed quia id cedit in laudem & commendationem misericordiæ divinæ, quam in justificatione peccatorum demonstrare dignatur. Hinc est quod Sancti Evangelistæ, infirmitates humanas quas Christus sanaverat, sic ad amussim & diligenter adnotarint, ut nihil quod ad circumstantiam eorundem desiderari possit intermiserint, similiter mortuorum, omnes circumstantias posuerunt, nempe quod Lazarus mortuus, jam quatriduanus esset, quod computresceret quod fœtore suo horrorem suæ sorori causaret, quod ideo faciebant ut ex magnitudine casus, magnitudo quoque & excellentia misericordiæ Domini appareret. Eodem igitur modo dicendum est de infidelitate Sancti Thomæ, ideo tam accurate à Sancto Joanne

Hom. 27. in Matth. 2. Reg. 12.

describitur & ab Ecclesia decantatur, ut id notum fieret quod scribit Sanctus Paulus ad Romanos: *Ubi abundavit delictum ibi superabundavit & gratia.* Ad Rom. 5.

IV. Ex eodem lapsu Sanctorum non solum divinam misericordiam, sed etiam majorem eorundem gloriam & triumphum agnoscimus. Quærit D. Gregorius utrum in ultimo illo Dei judicio, quando omnia ante tribunal Judicis manifestari oportebit, sive bona quæ quis gessit dum viveret, sive mala, etiam denudanda erunt Sanctorum peccata? Nempe Davidis adulterium & homicidium, Petri trina negatio, vanitates Magdalenæ, Divi Matthæi lucra injusta, Thomæ infidelitas? Et respondet Sanctus Pater, eorum peccata indubiè revelanda fore: sed absit ut id futurum sit ad eorum confusionem; quinimo ad majorem gloriam & consolationem ipsorum. Figuram hujus veritatis habemus Exodi 14. cap. Horrendum, Israelitis erat videre Ægyptios à quibus tam dure tractabantur. Solatur ipsos Deus per Moysen dicens: *Ægyptios quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis usque in æternum.* sed quid fit? dum Israelitæ permare fugerent ex Ægypto, viderunt post se Ægyptios: ait enim iterum textus: *Viderunt Ægyptios mortuos super littus maris.* Objicit ergo Divus Augustinus. Quid est hoc quod Deus dixerit non visuros amplius Ægyptios quos tamen viderunt? & respondit dicens: primo vidisse eos cum fastidio & dolore, sed postea vidisse eosdem jam submersos cum gloria & consolatione magna. Hoc idem ergo dicendum est tam de peccatis Sanctorum, quam etiam de infidelitate Sancti Thomæ: quod sicuti nunc auditur & pensatur à nobis ad majorem sui gloriam, ita & in futuro judicio idem fiet. S. Greg. Exodi. 14. D. Aug.

V. Sed jam ad gloriam hujus Sancti Apostoli, quam ipsi attulit sua infidelitas, accedamus. Et quam majorem habere potuit nisi tunc quando visis Domini cicatricibus exclamavit: *Dominus meus & Deus meus.* Nunquam sane fælicior esse poterat de potentatibus hujus mundi: ait facer textus: *Vocaverunt nomina sua in terris suis*: nempe qui fundant gloriam suorũ nominum in substantia hujus mundi transitoria, nempe urbibus, arcibus & dominiis: quanto erit Thomas illustrior qui non aliquam terrenam possessionem, sed in ipsum Deum jus quoddam acquisivit; dum ait: *Dominus meus & Deus meus* Dixerat quõdam David: *Beata gens cujus est Dominus Deus ejus.* Si ita est, ergo Dominus Deus possessio alicujus est, cujus nisi Thomæ Apostoli antea increduli, sed jam fidelis? Quod considerans in salutaribus documentis S. Augustinus, pereleganter ait, dicens: *quis te fecit ut esses, qui etiam malis præstat solem, præstat pluviam, præstat fructus fontes, vitam, salutem, servat tibi aliquid quod non dat nisi tibi. Quid est autẽ quod tibi servat nisi se? O te felicem qui tanta possessione ditaris, qui Deum ipsum possides.* Pulchrè iterum D. Augustinus *Quid potest esse in mundo felicius quam cui efficitur suus Imperator & redemptor census, & hæreditas dignatur esse ipsa divinitas?* Quis tantum bonum sibi præsumeret? sane præsumpsit Thomas; præsumpsit & ille quidicebat. *Portio mea Dominus.* Quæ verba pulchrè expendit D. Ambrosius dicens: *Portio mea Dominus: non ob hoc decimas quæro, non fructus, nõ dona, ipse mihi pro munere est, ipse pro tributo, non in possessione sua munificus mihi, sed ipse mihi possessio.* Quid igitur de meo nõ faciam? Quid mihi non licebit circa meum? Felix ille cujus fuerit Deus possessio. Fælix Thomas qui ad Deum tutum habet accessum, quem non ut alienum appellat, sed ut suum Quamobrẽ Auditores, laudemus Deum nostrum qui ex peccatoribus scit sanctos facere: laudemus eum qui S. Thomam Apostolum tanta gloria cumulavit ejusq; infidelitate nostram fidem roboravit, rogantes ejus clementiam, ut patrocinio S. Thomæ nos hic in fide sancta sua gratia dignetur confirmare detq; nobis gratiam sempiternam, Amen. S. Augusti. Psal. 118. D. Ambr. in Psalm.

IN

IN FESTO S. THOMÆ Apostoli,

CONCIO III.

Infer digitum tuum huc, & vide manus meas. Ioann. 20.

MAgna hìc amoris signa video, quæ Christus Dominus sancto Thomæ, discipulo suo, declaravit. Qvi qvalis antehac fuerit, cùm necdum naturam humanam assumpsisset, sacra scriptura antiqvi testamenti id in multis locis commemorat. Primò Exodi 3. *Exod. 3.* habemus scriptum, qvaliter Dominus Moysen, appropinqvantē sibi, allocutus fuerit dicens: *Ne appropies huc.* Item montem Sina, in qvo Moysi apparere solebat, tanti fecit, ut per circuitum ejusdem terminos constituerit, eaqve verba pro lege promulgari fecerit, dicens: *Exod. 19.* *Qvi tetigerit montem, morte morietur.* Eodem sancto Patriarcha Moyse nullus erat Deo familiarior, cum qvo miscebat sermones, eiqve secreta sua revelabat, & tamen cum qvadam vice faciem suam exhiberi sibi voluisset, illud *Exod. 33.* responsum tulit: *Non poteris videre faciem meam.* Oza, propter hoc solum, qvia extendit manum suam ad arcam Dei, & tenuit eam, *2. Reg. 6.* [qvoniam calcitrabant boves, & declinaverunt eam] indignatus fuit Dominus contra ipsum, & percussit eum, & mortuus est. At jā, postqvam naturam humanam induit, qvantam benignitatem humano generi demonstraverit, qvis enarrare qveat? Cum Samaritana cōversabatur liberius, à muliere sanguinis fluxum patiente tangi se permiserat. *Ibann. 4.* *Matth. 9.* Mariam Magdalenam ad oscula pedum admiserat; & ut multa alia prætream, qvæ passim ab *Luc. 7.* Evangelistis annotantur, discipulum suum, sanctum Thomam, ad tactum suorum vulnerum invitaverat, dicens: *Infer digitum tuum huc &c.* Ex qvibus verbis Domini hanc qvæstionem formabo: Cur Christus Jesus se à Thoma palpari voluerit?

I. Qvamvis omnia hominum scelera Deo sint abominabilia, propter qvæ elongat se ab hominibus, juxta illud: *Longè à peccatoribus salus.* Nihilominus peccatum infidelitatis præ omnibus aliis abominabile est, & infen- *Salmeron.* sum Deo. Unde Salmeron notat ex Divo Augustino, lib. de natura & gratia, qvòd præstet, cum fide habere omnia peccata, qvàm omnes virtutes morales sine fide. Dicebat sanctus David hæc verba: *Iudicabit Dominus populum suum, & in servis suis deprecabitur.* Ex Græco *Psalm. 134.* textu legitur: *Et in servis suis consolabitur.* Ubi pro servis Domini intelliguntur universi fideles, universi Christiani. Sed qvidnam est hoc, qvod dicatur in hoc Psalmo, Deum in judicio suo in universis Christianis consolationem suam habiturum? Nonne qvàm plurimi Christiani innumerabilium scelerum invenientur rei? Nonne ibi Christiani aderunt raptores, injusti, adulteri? Qvi fieri ergo potest, ut in his Dominus consoletur? Eqvidem tam odiosa & abominabilis Deo est infidelitas, ut præ illa in servis suis fidelibus, alioqvin peccatoribus, qvasi videatur aliqvā consolationem accepturus. Testis est hujus dicti mei insignis qvidam author Arnobius, qvi sic ait: *Arnobius.* *Cum judicaverit vivos & mortuos, in solis suis consolabitur servis. Melior enim ibi invenietur fornicator Christianus, qvam castus idololatra.* Displicent qvidem peccata Deo, sed si tamen à fideli magis videantur extorta, qvā admissa, per pœnitentiam merentur veniā. At infidelis nihil habet, unde Deo placere possit. Cū ergo infidelitas tam sit Deo abominabilis, in qvam Thomas Apostolus graviter cecidit, dicens: *Nisi videro in manibus ejus fixurā clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.* Qvid est, qvod non solum ei de proximo appropinqvavit, sed permisit se ab illo tangi, dicens: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Ad id scimus, qvalis fuerit Deus in antiqvo testamento. Sanctus Moyses Patriarcha, ingressus qvoddam desertum, & videns ardentem rubum, volebat progredi ulterius, ut videret, qvare rubus arderet, & nō combureretur; cernens autē Dominꝰ, qvòd pergeret *Exod. 3.*

ad

ad videndum, mox cohibuit eum dicens: *Ne appropies huc.* Et ſicuti illa vice difficilem acceſſum Moyſi ad ſe fecit, ſic etiã altera qvoq; vice filiis Iſraëlitarum idem contigit. Dum enim per Moyſen, ſervum ſuum, legem ſuam iisdẽ daturus eſſet, mandavit eidem, ut diceret populo, ne qvisqvam illorũ monti appropinqvaret, multo minus eũ tangeret, in qvo Domin⁹ apparere debuerat. Sed illud eſt graviſſimum, qvod Oza acciderat, cum enim arcã Domini, qvæ ad caſum inclinabatur, manu ſuâ attigiſſet, ut illi opẽ ferret, ſubitò corruit, & expiravit. Jam verò qvàm ſit humanior in nova lege, patet exemplo ſancti Thomæ Apoſtoli, qvẽ cum veniens ad diſcipulos ſuos infidelem reperiſſet, non ei dixit, ne appropies huc, ſicut Moyſi; non ei dixit, ne ſeipſum, qvi vertice montiũ erat ſublimior, manu ſua tãgeret. Qvinimo exhibitis ſibi cicatricib⁹ dixit ei: *Infer digitũ tuũ huc, & vide manus meas.*

Exod. 20.

2. Reg. 6.

II. Sed Chriſtus Dominus non ſine ratione ita ſe humanum & acceſſibilem Thomæ exhibuit. David, filius Iſai, dum coram Saule Rege fortitudinis viriumq; ſuarum produceret argumenta, inter alia id dicebat: *Paſcebat ſervus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo vel urſus, & tollebat arietẽ de medio gregis, & perſequebar eos, & percutiebam, eruebamqve de ore eorum.* Dignus pretio David propter magnã diligentiam, qvam adhibebat circa gregem ſuum, non expectabat, donec fera cum præda fugeret, & abiret, ſed mox eam inſecutus, ovem amiſſam repetebat. Verus Paſtor ovium Chriſtus Jeſus idẽ fecit, videns enim unam ovem ſuam, nempe Thomam incredulum, faucibus Diaboli (*qvi tanqvã leo rugiens circuit, qvem devoret*) apprehenſam, nullam moram interpoſuit, ſed qvàm primùm venit ad diſcipulos, ſtatim ſe convertit ad Thomam, nõ expectatis ullis cæremoniis, donec ipſum, tanqvam Magiſtrum Dominumq; ſuum, ſalutaret, ſed dixit ei: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas.* Qvid poteſt huic miſericordiæ cõparari? Si patris primogenitus, uti recenſet ſanctus Lucas, qvondam oblocutus fuit, qvia filium prodigum ad ſe venientem recepiſſet, qvando murmuraret inſtantius, ſi videret, qvòd illum qvæſiverit. Elias, videns Iſraëlis infidelitatem & impietatem, pluviam detinuit per triennium. Jonas, videns Domini benignitatẽ, qvòd Ninivitis miſertus fuerit, eosqve, ut prædixerat, non perdiderit, graviter contra Dominum murmurabat, ſed qvidnam tunc Prophetæ illi dicerent, ſi tantam viderent humanitatem Chriſti Jeſu, qvam Petro Apoſtolo, qvi ipſum negaverat, qvam peccatrici Magdalenæ, qvæ ipſum offenderat, qvam denique Thomæ infideli non ſolum non negavit, ſed qvam celerrimè contulit.

1. Reg. 17.

1. Petr. 5.

Luc.

3. Reg. 17.

Jon. 2.

III. Sed poſſet aliqvis dicere, audimus deprædicari Chriſti Domini benignitatem, ſed numqvid non eſſet melius, ſi illum potius ita turpiter in crimen incredulitatis tuere non permiſiſſet? Qvis pater invenitur, qvi filium manu ducens eum per loca lutoſa, aut aliqva præcipitia ire ſinat? Sancti filii ſunt Dei, qvos per hæc varia mundi itinera, plena præcipitiis & laqveis vitiorum, ſua deducit manu. Qua igitur ratione multos eorum labi ſinit in præcipitia vitiorum? Non commemoro Davidem Regem, qvi in tot peccata, nempe in adulterium, deinde in fraudem ſui proximi, & tandem in necem ejus doloſam ruere permiſit. Non commemoro Petrum, Apoſtolorum Principem, qvem licet elegerit in fundamentalem Eccleſiæ lapidem, qvi ſuſtineret Eccleſiam ſuam, nihilominus illum dum negaſſet Magiſtrum ſuum Chriſtum, vacillare permiſit. Sufficit enim mihi exemplum S. Thomæ Apoſtoli, qvem in tam obſcurum infidelitatis locum labi permiſit, ut nec Apoſtolis, veluti reſurrectionis Domini teſtibus oculatis, nec ipſi cælorum Reginæ, neqve duobus diſcipulis ab Emaus redeuntibus credere voluerit. An ergo, Domine potentiſſime, congruentius non fuiſſet, ſi filios tuos ita ſuffulcites, ne in tantos caſus laberentur? Sed audite reſponſum D. Auguſtini: *Neqve enim Deus omnipotens, cum ſummè bonus ſit, ullo modo ſineret, mali eſſe aliqvid in operibus ſuis, niſi usqve adèo eſſet omnipotens & bonus, ut bene faceret etiam de malis.*

Lib. de natura contra Manicheum, c. 3.

IV. Eandem doctrinam confirmat D. Hieronymus in Epiſtolam ad Philemonem, Tomo 8. expendens duos illos titulos, qvibus S. Apoſtolus Philemonem ſalutavit, ſcribens, *dilectiſſimo & cooperatori noſtro, & Appiæ, ſorori noſtræ*, qvam D. Chryſoſtomus conjugem ejusdem fuiſſe opinatur, unde in mentem venerat ſancto Paulo, qvod Philemonem vocaverit dilectiſſimum & cooperatorem ſuum? Sane ob hanc cauſam,

Hom. in Epiſtolam ad Philem.

ſeu

seu occasione Onesimi cujus mentionem facit in eadem sua Epistola fuisse servum Philemonis, à quo cum aufugisset, atque tanquam fugitivus Romam venisset, audiens doctrinam seu prædicationem Sancti Pauli, qui jam tunc in vinculis tenebatur, Deo sic disponente, conversus fuit ad fidem Catholicam, tantisque virtutibus claruit, ut Apostolus eum sibi pro socio adoptare voluerit, attamen magis justitiæ debito, quam suo commodo satisfacere volens, eum cum commendatitia hac Epistola Domino suo remisit. Quod S. Hieronymus considerans ita ait:

D. Hieron. in Epist. ad Philem. Tomo 8. *Nonnunquam malum occasio fit bonorum & hominum prava consilia Deus vertit ad rectum.* Idem docet nos nota illa Historia de Joseph. Hunc vendiderunt fratres Ismaelitis, à quibus ductus in Ægyptum multa mala pertulerat, nam falsè à propria Domina de crimine adulterii accusatus conjectus fuit in carcerem. Porro Deus tanta inde bona ad honorem illius elicuit, ut cum se vidisset exaltatum, fratribus ad se venientibus id locutus fuerit. Gen. 50. *Vos cogitastis de me malum sed Deus vertit illud bonum.*

V. Jam forte dicetis, volumus scire bonum hoc quod ex infidelitate D. Thomæ promanavit. Est quidem verum quod S. Thomas Apostolus, pernicioſum infidelitatis crimen in corde suo habuerit, resurrectioni Christi Domini tam pertinaciter recalcitrans, & auditis tot testimoniis illud dicens. *Non credam.* Fuit hoc semen zizaniorum ad comburendum aptum, fuit semen perditionis, quoniam ipsamet veritas dixit. *Qui autem non crediderit condemnabitur.* Ecce tamen Dominus ex tali semine tantam eduxit messem, quâ nulla copiosior ad confirmationem fidei de sua resurrectione Sanctam Ecclesiam solid are potuerit: ita indicat Divus Gregorius, eius verba audite. *Egit miro modo superna Clementia ut discipulus ille dubitans, dum in Magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis sanaret vulnera infidelitatis.* Est quidem verum, quod cæteri discipuli facile crediderint. Sed S. Gregorius pro parte D. Thomæ Apostoli sic ait. *Plus nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides discipulorum credentium profuit, quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postposita in fide solidata.* Sufficiet nobis exemplum unicum S. Thomæ. Quam primum attigit Christi vulnera, quid ait? *Dominus meus & Deus meus.* Unde tanta in hoc Apostolo fortitudo, ut qui antea negabat suum Dominum, nunc ita virili corde & alta voce illum confiteatur: *Dominus meus & Deus meus.* Unde ea virtute præditus ut post divisionem Apostolorum ille usque ad ultimos terræ fines pervenerit? Certe volavit sicut columba; quia in his Christi vulneribus nidum sibi constituerat. Expertus fuit vulnerum vim, ideo illis mente adhærens nec longum ad prædicationis munus obeundum iter habuit, nec ipsum multitudo infidelium nempe Parthorum, Persarum, Medorum, Hyrcanorum, aliarumque barbararum gentium deterruit, quo minus illis fidei Christianæ præcepta daret, quin jam postremo ad Indos se conferens, cum inter illos plurimos ad fidem Christi convertisset, à Rege hujus gentis cultore idolorum sententia mortis condemnatus, telisque confossus, Calamine Apostolatus honorem Martyrii corona decoravit. O fælix Thoma qui in mystico Achaz horologio nempe in vulneribus Christi Domini fælicem terminum nempe beatum vitæ tuæ occasum inveniſti. Quamobrem & nos Christiani, si S. Thomam Apostolum sequi volumus, accedamus ad vulnera Christi Jesu. Accedat parcus, inveniet suas manus extensas ad conferendam suam Charitatem. Accedat deses & negligens salutis suæ ad sanctos suos pedes, inveniet medicinam ad bene ambulandum in via Dei. Accedat crudelis & immisericors, ad pectus suum, inveniet viscera misericordiæ Dei. Invenit S. Thomas gratiam: eam & nos inveniemus: & pòst gloriam sempiternam,

S. Greg. Hom. 26. 4. Reg. 20.

AMEN.

IN FESTO S. THOMAE Apostoli,

CONCIO IV.

Dominus meus, & Deus meus. Joannis 20.

VIdetur mihi Sancta Mater Ecclesia contra ordinem agere, dum nobis hoc tempore adventus Domini quod præcedit nativitatem filii Dei & Salvatoris nostri Jesu, memoriam immisceat Sancti Thomæ Apostoli, & deinde Confessionem suam quâ Christo fecit, hodie publicet dicens. *Dominus meus, & Deus meus.* Si enim primum perpendamus, scimus hoc Sancti Joannis Evangelium ad resurrectionem Redemptoris nostri, & non ad nativitatem ejus pertinere. Si secundum tale Sancti Thomæ Apostoli testimonium hoc tempore erit impertinens, siquidem in illo, non potestatem in Cœlo & in terra dominantis, juxta illud. *Data est mihi potestas in Cœlo & in terra*, meditamur, sed solam paupertatem & humilitatem in carne nostra humana ad nos venientis. Sed si unum dixero cessabit nostra admiratio, nunquid idem est Sol qui oritur & qui ascendit? Christus Dominus est verus Sol justitiæ, qui licet in nativitate divinitatis suæ, radios absconderit, confracta tamen ad similitudinem Gedeonis Principis laguncula carnis suæ, eos in resurrectione demonstravit, quibus etiam Sanctus Apostolus Thomas tale dedit testimonium. *Dominus meus*, &c. Quam ob rem juxta sententiam Authoris gravissimi, *Convenit ut qui fuit testis resurrectionis; præcedat etiam testis nativitatis.* Quod autem ita sit, in hac concione demonstrabo.

Matth 28.

Pontanus in Concione de S. Thoma

I. Cur Christus Jesus postquam gloriosè à mortuis resurrexit, cicatrices sibi reservavit, cum illas sanare, & ut non apparerent efficere potuisset. Docti viri diversas assignant rationes, Sanctus Thomas Aquinas Doctor Angelicus, eam assignat causam dicens. *Vt in perpetuum gloriæ suæ triumphum circumferret.* Idem sentit Rupertus Abbas, dicens. *Plagarum cicatrices idcirco in corpore suo retinuit, & reservavit, ut Victorias suas semper loquatur, illis quasi linguis.* Excellens est ea ratio, nam cuilibet militi Cicatrices sunt gloriosæ, ut testes fidi animi & virtutis, sed quod materiam concionis meæ hodiernæ concernit, hæc alia ratio proposito meo inservit, nempe cicatrices sibi reservasse, propter fidem de resurrectione sua adstruendam. Ostendunt id verba D. Chrysostomi: sic dicentis. *Christus sua vulnera jactat non secus, quàm solent milites Vexiliferi, sic exultat vulnera circumferens.* Idem autem Sanctus Doctor horum Christi vulnerum, cur ea sibi reservaverit, eam assignat causam. *Hæc namq; vocem, tubâ clariorem, & sublimiorem emittunt, adversus eos qui mihi contradicunt.* Loquitur Sanctus Doctor in persona, seu loco Christi Domini. Qui cum bene nosset futurum, ut multi de ejus resurrectione dubitarent, quorum è numero erat unus Thomas, qui audiens à suis Condiscipulis resurrexisse Dominum, dixit. *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam:* ea propter ad evidentiam hujus, quod verè resurrexisset, eadem vulnera quæ in Cruce pertulit, sibi reservavit. Ejusdem est sententiæ D. Hilarius qui sic ait. *Spoliata est fragilitas, exinanita mortalitas, sola in cicatricibus permanent reverenda testimonia passionis. Nimirum resurrectio unde erat credenda, non abstulit.* Et quia non minoris esset res periculi, si quis crederet Christum Dominum in cruce fuisse passum, & eundem resurrexisse, de nativitate autem ejus dubitaret, ideo Sancta Mater Ecclesia, hoc tempore adventus Domini celebrat festū Sancti Thomæ; ut jūxta testimonium Pontani, *Qui fuit testis resurrectionis, præcedat etiam testis Nativitatis.* Et licet verum sit, neminem de aliqua re testari posse ex visu vel auditu, nisi

S. Thomas 3. P. Q. 54. art. 1.

Rupertus Abb lib. 12. cap. 24. de Victoria verbi.

D. Chrysostomus.

D. Hilar. Hom. 8.

eam

eam viderit aut de illa ab aliquo fide digno audiverit. S. autem Thomas, sicut & cæteri Apostoli, non aderant Nativitati Jesu quos primo trigesimo ætatis suæ anno convocabat, nihilominus S. Thomas qui fuit testis resurrectionis Domini, bene etiam nativitatis suæ testis esse potest. Quod probo authoritate S. Pauli Apostoli qui sic ait. *Iesus Christus heri, & hodie, ipse est, & in sæcula.* Quæ verba licet de divinitate eius à quibusdam Doctoribus intelligantur, iuxta quod sapit ille locus S. Davidis Psalmo 101. *Tu autem idem ipse es.* Item habetur Malachiæ cap. 3. *Ego Deus & nō mutor.* Nihilominus etiam de persona Christi nempe secundum utramque naturam tam divinam quàm humanam debet intelligi. Idem enim Christus est, qui ascendit ad cælum sedetque ad dexteram Patris, qui resurrexit à mortuis, qui in cruce passus fuit, & qui conceptus fuit, de Spiritu Sancto, natusque de Maria Virgine. Consequens igitur est, ut sicut Thomas Apostolus testis fuit resurrectionis Domini, quod etiam convenienter præcedat testis nativitatis eius. Dum ergo S. Mater Ecclesia hoc tempore adventus Domini, qui præcedit eius sanctam nativitatem celebrat memoriam S. Thomæ qui fuit testis resurrectionis Salvatoris, videtur agere more Magistri, qui postquam lectionem suam longâ oratione finivit, postmodum eam repetit, & quod fusè tractaverat, compendiosè pauciſque verbis absolvit. Idem facit Magistra nostra Ecclesia. hodie enim tot articulos fidei quos confitemur de Christo, compendiosè tractat, dum in uno Thoma & resurrectionis Christi & nativitatis ejus lectionem claudit.

Ad Heb. 13.

Psal. 101.

Malach. 3.

II. Sed ô sancte Thoma, videris mihi esse aliquantum partialis, qui igitur mysteriorum Christi Domini testis esse poteris? Auscultate Auditores Thomæ Cōfessionem, quam fecit de Christo à morte redivivo, & ita invenietis. Postquam audivit sibi dici à Christo. *Infer digitum tuum huc & vide manus meas & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus* sed fidelis. Mox ille exclamavit dicens. *Dominus meus & Deus meus.* Qua authoritate Sancte Apostole id tibi soli arrogas quod non pro te solo, sed pro omnibus est? Cur ita dominium Christi limitas, ac si tibi tantum esset Deus, Dominusq; & non aliis? nunquid etiam tuorum Condiscipulorū fuit Dominus? nunquid pro omnibus mortuus & passus est? Cur igitur ais. *Dominus meus & Deus meus*, ac si tantum tibi præstitisset amorē & beneficia? Sed norandū est aliā esse differentiam donorū eorū quæ homo homini confert, & aliam quæ Deus homini præstat: beneficia hominū finita sunt, ideo sic conferantur ab aliquo in cōmuni, in minori quantitate, accipiuntur à particulari. Verbi gratia donaret aliquis Rex centum aureos, eosq, pro centū personis destinaret, sic ex illis centum personis nullus participaret totam illam summam, unus enim aureus veniret super illum & sic nō posset dicere, centum illos aureos esse suos; Sed dona Dei infinita sunt; Quamobrē omnibus æqualiter communia, nō uni plus quā alteri: sicuti enim Christus pro omnibus, ita quoq; pro unoquoq; nostrum passus & mortuus est. Taliter ergo bene protulit S. Thomas: *Dominus meus & Deus meus*: bene enim noverat amorē Christi Domini tantū ad se pertinere quantū extendebatur & ad cæteros. Idem planè fecit & S. Paulus Apostol. hic enim loquēs de sublimi passionis Dominicæ Sacramēto, ita ait, *Qui dilexit me & tradidit semetipsū pro me.* Qua veritate S. Paule id quod omnibus profuit, tibi soli vendicas? aliter te audio locutum ad Colossenses. In Christo Jesu non est Gentilis & Judæus, Circumcisio, præputium, barbarus & Scytha, servus & liber, sed omnia & *in omnibus Christus.* Et quibus verbis id concluditur quod Christus Dominus tanquam Sol justitiæ, in totum genus humanum æquales passionis meritorumq; suorum radios diffuderit. Sed cum S. Paulus benè nosset, tale Christi beneficium factū in communi nō minùs ad se pertinere, ideò tantùm de illo locutus fuit, ac si ille solus fuisset cujus gratia hoc ei fieret. Et sanè requiritur id in quolibet homine, ut ex consideratione amoris Christi Jesu tantùm proficiat, quatenus colligat se obligari in particulari ad gratitudinem, Deique servitium, ac si illa quæ Jesus fecit pro omnibus, pro se solo peracta fuissent.

Ad Gal. 2.

Ad Colos. 3.

III. Inter omnia Christi beneficia, mors unica præcellit, quia ad nostram redemptionem directa fuit. Venit filius Dei in mundum, nostram absolvit salutem, tanto quidem suo impendio, ut ad ultimam usque sanguinis guttam, quam corde gerebat absconditam, liberaliter impenderit. Si ergo ô homo beneficium hoc attenderes, ut

factum pro omnibus in communi, nonne te sic excitabis ad gratitudinem? ut noscas tuam obligationem qua pro illo beneficio Domino tuo adstrictus sis, tantumque opus suum magnifacias? Attende illud quasi pro te solo peractum fuisset. Considera quod pro te unico fuerit illa agonia in horto oliveti, illa captura, flagellatio, spinæ, crux, mors, tandem tot opprobria, & injuriæ. Hæc fuit methodus qua Thomas Apostolus inæstimabile hoc perpendit Passionis Christi beneficium, dum vulnerum cicatrices signaqi in redivivo eius corpore conspexit, tetigit, & palpavit. Considerabit enim illa, quasi sui solius gratia, à Christo susceptа & tolerata fuissent; quo circa non memor, quod pro totius quoque mundi salute ea susceperit, exclamat. *Dominus meus & Deus meus.* Hæc vulnera me tangunt, hæc me provocant ad gratitudinē: licet enim alios dilexerit, se pro cunctis tradiderit, omniū sit Dominus, sitque Deus, tamen ex eo quod infinitæ sint dignitatis, infiniti valoris, infiniti meriti, nihil mihi inde quoad affectum detrahitur, ergo nec quo ad gratitudinem, obligationem & obsequium. Itaq; *Dominus meus & Deus meus.* Dominus meus, qui me ita sibi servum redemit ac si solum redemisset Deus meus, qui me ita dilexit, & semetipsum tradidit pro me, ac si solus ego in mundo fuissem, quem diligeret, & pro quo semetipsum in mortem traderet.

IV. O dignam homine fideli vocem, *Dominus meus & Deus meus* sidatur equidem Deus fidelibus, ut ipsi eum possideant, habeantque tanquam rem propriam & thesaurum proprium. David Psal. 84. dicebat Deo. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.* Salutem hominibus ostendi petit, sed salutis fontem Christum, eum petet fidelibus donari. Id quod expendens Cassiodorus ait. Da nobis, id est concede nobis salutare tuum, quasi amplectendum, quasi possidendum. Perfidis enim tantum apparuit, nō etiam datus est. Da ergo dicit, ut cum mente nostra cælesti dono recipitur, nullis tentationibus auferatur. Hoc est donum optimum, & donum perfectum fidelibus à patre luminum exhibitum. Cuncti enim homines, à Deo multa in dies accipiunt. Verum fideles Deum istum accipiunt possidendum, quasi illorum ditissimam possessionem, fundumque feracissimum. Hinc Thomas ubi fidelis esse jubetur, hanc primam vocem emisit. *Deus meus & Dominus meus*; quasi in Deum jus aliquod accepisset. Quippe Psalmo 32. dicitur. *Beata gens, cujus est Dominus Deus eorum.* Ergo Dominus Deus possessio alicuius est? Cujus nisi fidelis? Pulchrè D. Augustinus ad hæc: Qui fecit ut esses, qui etiam malis præstat solem, præstat pluviam, præstat fontes, vitam, salutem, præstat tibi aliquid quod non det, nisi tibi. Quid est autem quod tibi servat nisi se? Compesce iniquitatem, audi veritatem. Beata gens cuius est. Quid? Beata gens cujus est Dominus Deus eorum. Hoc ama, hoc posside, hoc cum vis habebis, hoc gratis habebis. O te fælicem qui tanta possessione ditaris, qui Deum ipsum possides, à quo universi thesauri. Alios ditant horti, Paradisus, montes feraces, oppida. Sed fideles ditat Deus ipse ferax suorum possessio. Alludit ad hoc S. Augustin. dicens, *Quid potest esse in mundo fælicius, quàm cui efficitur suus Imperator, & redemptor, census, hæreditas, dignatur esse ipsa divinitas.* Quis tantam homini concedat fælicitatem? Quis tantum bonum sibi præsumeret? Attenti estote & dicam.

V. Præsumpsit Thomas dum dixit *Dominus meus & Deus meus.* Sed nunquid ille solus? minimè verò, quin etiam ille, qui dixit. *Portio mea Dominus.* Quæ verba pulchrè expendit S. Ambrosius, inquiens. *Portio mea Dominus.* Non ad hoc decimas quæro, non fructus, non dona, non munera, ipse mihi pro munere est, ipse est pro tributo. Non in possessione sua munificus mihi, sed ipse mihi possessio, ipse meus fructus, *ipse meus census.* Quid igitur de meo faciam? Quid mihi non licebit circa meum? Ipse Christus Dominus in cruce agens sic apud Patrem querebatur. *Deus meus Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Famosus Author Arnoldus expendens hæc verba Domini, sic ait, *Deum suum dicit ut nobis minimè formidandum Judicem intimet, quē sicut suum flectere possit.* Et quis tam imprudens esset, qui eam Christi Jesu orationem impugnare vellet? ut *Deus meus*: quin ingeminat *Deus meus.* Si erat suus, uti sic credimus: Cur non liceret exorare tanquā suum? Fælix ille est cujus Deus est possessio ejus: Fælix Thomas qui ad Deum talem habet accessum, dicens: *Dominus meus & Deus meus.* Quem non ut alienum appellet, sed suum. Jonas cū jam à ventre ceti in lucem vomendus esset,

Psal. 84.

Cassiodorus.

Psal. 32.

D. Augustinus.

S. Aug. de Salutatione docum. cap. 10.

Psal. 18.

Arnoldus.

Jona 2.

hic

sic ait. *Ascendit de corruptione vita mea, Domine Deus meus.* S. Hieronymus hæc Prophetæ verba examinans, imprimis miratur, cur vocet Deum suum, quem ut alienum fugiebat, & respondet dicens. *Communem Deum omnium beneficii magnitudine quasi suum proprium sensit Deum.* Planè huic Prophetæ Sanctum Thomam comparaverim. In profundum venerat, quia profunda Christi vulnera scrutabatur. Sed quid tum? in profundo invenit Dominum, invenit Deum & suum nominavit. *Dominus meus & Deus meus.* Quid hoc? suas hæreditates noscunt homines ex fructibus acceptis O fælix Thoma qui possessor extitisti tanti boni, jam te non proteste habeo Christi Jesu, sed pro hærede & possessore cælestis boni sui, ad quod nos pervenire faciat Jesus Christus Salvator noster, qui vivit & regnat in æternum.

S Hieronymus.

Amen

IN FESTO S. STEPHANI.

Protomartyris,

CONCIO I.

Stephanus plenus gratia & fortitudine, Actorum 6.

MIrum quid videtur Auditores, quod cum hesterna die fuerit Nativitatis & Salvatoris nostri Iesu Christi memoria tam solemnis, hac sequenti nempe hodierna die celebremus militis sui fortissimi mortem & interitum; quàm multum enim inter se differant dies Natalis & dies Mortis, benè nostis. Quo pacto ergo ista cohærent, ut qui heri natalem Domini celebravimus, hodie propter Stephani Protomartyris obitum diem festum agamus? qui heri Domini ingressum in mundum coluimus, hodie Stephani egressum de mundo recolamus, heri cum ingenti lætitia Angelos canentes audivimus: *Gloria in excelsis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Hodie non sine dolore beatum Lucam dicentem audiamus: *Curaverunt Stephanum viri timorati & fecerunt planctum magnum super eum.* Et quid quæso affinitatis habet ortus cum obitu, ingressus cum egressu, & gaudium cum fletu? Et tamen certum omnino & exploratum nobis esse debet, non sine divino consilio, Nativitatem Christi Domini cum morte Sancti Stephani conjunctam esse. Unde ut hoc Sancti Spiritus consilium & vobis constet, taliter illud aspirante Numine vobis explicare constitui, ut primùm vobis quandam historiam depromam ex Veteri Testamento, & deinde in laudibus Sancti Stephani sermonem meum finiam.

Luca 2.

Act. 8.

I. Ut exordiar ab historia, legimus 4. Regum 6. capite. Cum filii Prophetarum die quadam prope Jordanem fluvium ligna cæderent, ut sibi quisque domicilium suum ædificaret, uni ex illis securis de manibus excussa est, & in profundū fluminis cecidit. Mox ille ad Elisæum properavit querulando. *Heu heu Domine mi, & hoc ipsum mutuo acceperam.* His vocibus commotus Elisæus, arripuit lignum atq; in eum locum projecit ubi ferrum jacebat: contigit autem res planè admirabilis, ligno descendente, ferrum repente ascendit, non secus ac si lignum illud nuncius ad ferrum iviſſet, eique Prophetæ voluntatem atque mandatum exposuisset. Ut hanc historiam moraliter ad propositum nostrum deducamus; inprimis per ferrum Naturam hominis debemus intelligere. Ferrū enim, ut gladius aut malleus vel securis, à seipso ad ima fertur & nisi in manu artificis sit, nihil penitus operatur. At in manu artificis positum, multa patrat mirabilia, nempe defendit, cædit, secat, vulnerat, occidit, denique templa, palatia, civitates, ferreorum instrumentorum opera sunt. Sic & homo, Auditores, si in manu Dei non sit, & ab eo tanquam ab Architecto non regatur, per seipsum solum nihil potest. Sic

4. Reg. 6.

2. Cor. 3. enim ait Divus Paulus, *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est.* Et vere sufficientia nostra ex Deo est. Siquidem cum Deum nostrorum operum authorem habemus, & in ipso tanquam in architecti manibus sumus, res præclarissimas gerimus: Cum dæmonibus dimicamus, iram cæteraſque animi passiones compescimus, omnes animi motus coërcemus, & quod magis admirandum est, dum in terris existimus, palatia in cælis fabricamus. Hoc igitur ferreum instrumentum nempe homo, primum in filii Prophetæ manibus erat, siquidem Sapientia Dei ipsum condidit & juxta illud Sapientis *Justorum animæ in manu Dei sunt*, tam diu in manibus ejus fuit, quamdiu innocentiam mentisque integritatem conservavit: Sed cum hæc securis in manibus artificis constituta, die quadam in paradiso voluptatis aliquid operaretur, repente vento quodam superbiæ ab Aquilone exoriente agitari cœpit, & post paululum de manibus Dei exiliens in fluvium profundissimum maximo impetu cecidit. Hinc illæ voces querulosæ Sancti David. *Infixus sum in limo profundi & non est substantia: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Hinc Salvator noster casum hunc hominis miserabilem variis similitudinibus apud Sanctos Evangelistas expressit. Quid enim drachma amissa? quid ovis perdita? quid filius prodigus? quid ille qui ab Jerusalem in Jericho descendebat, nisi humani generis funestum casum & ruinam miserabilem designabat? Ex quibus similitudinibus liquet securis amissio, nempe hominis. Quæ inquam securis, id est homo, excussa per peccatum de manu Dei cecidit in profundum fluvii.

Sapient. 3.

Psal. 6.

II. Sed quisnam ille fluvius? Certe nihil aliud significat quàm mundum in quo nihil aliud reperitur, nisi fluxum & pertransiens; Ut enim fluvius semper fluit, estque alius atque alius, & in eo aquis aquæ succedunt. Sic etiam omnia quæ anima humana excepta sunt infra lunam, id proprium habent, ut perpetuo fluant & aliis occidentibus alia exoriantur, & ea quæ exorta sunt paulatim augeantur, senescant & intereant: Et quò magis celeriter crescunt ut sint, eò magis festinant ut non sint. Hinc pulcherrimè protulit sententiam suam mulier illa Thecuitis, hæc enim, cum pro Absolone Principe apud Regem David intercedere cuperet, sic ait. *Omnes morimur & quasi aqua dilabimur in terram quæ non revertuntur.* Quid verius? In hunc fluvium homo miserrimus cecidit, cum de manibus Dei excussus à dæmone passus est. Quid igitur tunc Prophetæ filius, nempe Dei verbum fecit, cum securim suam hoc est genus humanum in fluvium cecidisse conspexit? Quid? Ad Elisæum Patrem suum se contulit, & coram eo casum nostrum deplorare incepit: *heu, heu, heu, Pater mi*, inquam *heu!* quia corpus humanum ex immortali mortale factum est. Iterum *heu!* quia mens humana destituta lumine sapientiæ densis tenebris obruta est. Et postremò *heu!* quia voluntas humana amissa justitiæ rectitudine, conversa ad terram, & propensa ad malum effecta est. Et rursum *heu, heu, heu, pater mi.* Primò, quia natura hominis & omnes ejus vires magnam plagam acceperunt: Secundo quia gratiæ decor qui humanum animũ illustrabat, omnino evanuit: Tertiò, quia princeps orbis & paradisi colonus nempe homo, spe gloriæ & beatitudinis penitùs excidit; Denique *heu, heu, heu, pater mi* quia locum deliciarum paradisum inquam amisit: quia ejectus in terram, in qua in sudore vultus sui vescitur pane suo: quia vitæ præsentis superatis laboribus nihil aliud ipsum expectat, nisi mors, & interitus.

2. Reg. 14.

3. Hac igitur piâ querimonia, Prophetæ filii, viscera Elisæi nempe Cælestis Patris mota sunt, & continuò de hominis liberatione cogitationem cœpit. Sed quo consilio vel qua ratione, illum usum esse putatis? Non deerant quidem Patri sapientissimo media per quæ ferrum hoc nempe genus humanum de lacu miseriæ erueret: Nihilominus placuit ei Angeli magni consilii audire consilium, atque ait: Ecce vocibus tuis permotus hominem liberare non renuo. Sed quid consilii capiemus? Quis ibit nobis? Quem mittemus? Tum ille. *Ecce ego, mitte* Isaiæ 6,

me

me. Ego, qvi dedi consilium, feram libenter auxilium. Accepit igitur lignum noster verus Elisæus, & misit illud in aqvas. Qvid enim lignum, nisi eundem ipsum Dei filium significat? De ipso sanè mentionem fecit regius
Psalm. 1. Psaltes dicens: *Erit tanqvam lignum, qvod plantatum est secus decursus aqvarum, qvod fructum suum dabit in tempore suo.* Ut enim lignum, cùm leve sit, in profundum aqvæ mergi non potest, sic etiam Dei filius, cùm sit absqve ullo peccati pondere, nunqvam in hunc fluvium cecidisset, id est, nunqvam in mundum veniſſet, nisi à Patre suo missus sponte in aqvis istis mergi voluisset. Venit igitur filius Dei in mundum, sed numqvid frustra? Non certè, Auditores. Nam, ligno isto in aqvas descendente, ferrum, qvod ceciderat, repentè super aqvas ascendit. Ejus enim mersio nostræ emersionis causa fuit.

IV. Ut ergò ad propositum revertamur. Cur Ecclesia sancta memoriam mortis & interitus sancti Stephani cum solemni natalis Domini memoriâ combinaverit, hæc est ratio: Ferrum illud filii Prophetæ typus est sancti Stephani & cujuscunqve mortalis hominis. Lignum figura est unigeniti filii Dei: dum ergò natus est Christus in terris, idē est, ac si lignum immissum esset in aqvas, ut ferrum extraheret, & mortalem hominem [in morte Stephani designatum] ab interitu extraheret, & sursum ad Cælum elevaret. Eo, inqvam, mysterio memoria Stephani adjungitur natali Christi, qvia Christus natus est in terris, ut Stephanus noscceretur in cælis. Ingressus est DOMINUS in mundum, ut Stephanus ingrederetur in Cælum. Altus ad humilia descendit, & humilis ad alta ascendit. Filius Dei factus est filius hominis, ut filios hominum faceret filios Dei. Unde pulchrè Fulgentius: Solus descendit Dominus, ut multos elevaret, humiliavit se, ut nos exaltaret. *Fulgentius in sermone,*

V. Aliam qvoqve ob causam sanctum Stephanum Protomartyrem securim ferream dicere possem. Sicuti enim ferrum symbolum est fortitudinis, & securis ferrea lapide acuitur, sic & sanctus Stephanus metalli hujus expressit similitudinem, juxta illud sancti Lucæ testimonium: Stephanus plenus gratiâ & fortitudine. Jam aspicite hanc securim in fluvio natantē, nec non Christum Dominum per lignum suum eandem eruentem. Sanctus Stephanus erat in medio fluvio pressurarum hujus mundi & inter lapides constitutus, sed qvidnam illum fecisse putatis? Numqvid animum abjecisse? num lapidum impetū extimuisse? Nihil horum fecit. Nam in solam ripam oculos conjectos habebat. *Ecce,* (inqvit) *video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris Virtutis Dei.* Ecce, qvid *Act. 7.* ille aspiceret, qvid animo cogitaret, cùm fluvium istum pertransiret, patet ex istis verbis sancti Lucæ: *Obdormivit in Domino.* Hoc est, ad ripam portumqve fælicissimum pervenit. O verum somnum, ô qvietem placidissimam! Obdormivit beatus Stephanus, ut in die novissimo gloriosus resurgeret. Obdormivit, ut jam à laboribus penitus requiesceret. Obdormivit in terris, ut perpetuò vigilaret in cælis, ubi coronâ gloriæ juxta nomen suum coronatus, & Martyrii palmâ illustris triumphat æternùm. Amen.

IN FESTO S. STEPHANI
Protomartyris,
CONCIO I.

Ecce, video cælos apertos. Act. 7.

QVantū differat hæc ætas nostra, qvā nobis attulit Nativitas Christi, ab illâ primâ ætate mundi, facilè qvivis concipere poterit. Illius enim ætatis tempore, qvando peccavit primus homo Adam, tunc Deus, creator suus, non solùm ipsum ejecit è paradiso, sed etiam portas ejusdem clausit: & ne eas ingredi posset, bonâ munivit custodiâ, sic, testante sacro elo-

Gen. 3. eloqvio: *Collocavit ante paradisum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium atq; versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.* Ob qvam clausuram qvantum afflicti fuerint sancti Patres antiqvi testamenti, omissis aliis sufficiet nobis authoritas sancti Isaiæ Prophetæ Isaia 64. dicentis: *Vtinam dirumperes cælos.* Et qvamvis misericors Deus spem aliqvam reliqverit humano generi, qvòd illa paradisi porta aliqvãdo aperiri debuerit. Nam, juxta explicationem venerabilis Hugonis Cardinalis, ideò Hugo Card. collocavit Cherubin, qvi significat plenitudinem Scientiæ, id est, charitatẽ, qvæ est plenitudo legis, gladium verò versatilem, id est, tolerantiam passionum, qvia per hæc duo ad arborem vitæ ingressus patet: Nihilominus, cùm tot sancti Patres, Patriarchæ inqvam & Prophetæ, præcesserint, qvi & Charitate & Martyrio pro cultu Dei tolerato excellebant, nullus tamen illorum apertam paradisi portam videre potuerat. Hinc jam ætatem nostram fæliciorem dico, qvia, postqvam Jesus venit in mundũ, portas paradisi cælestis aperuit, qvas nos fideles populi non solùm videre, sed etiam intrare possimus. Testem hujus rei habeo sanctum Stephanum Protomartyrem. Hic enim, dum post longam concionẽ in Concilio Judæorum habitam, invidiam, odiumqve illius in se concitasset, qvi audientes hęc, ut ait textꝰ, *Dissecabantur cordibꝰ suis, & stridebant dentibus in eum.* Ille, intendens in Cælum, videnqs; gloriam Dei, ait: *Ecce, video cælos apertos.* Sed cùm non sufficiat, videre Cælum, sed in ipsum introire. Qvibus mediis S. Stephanus in illud introivit, in hac concione inqviremus.

I. Tria potissimùm media deprehendo, per qvæ sanctus Stephanus introitum sibi ad regnum cæleste comparavit. Primum fuit fides bonis operibus informata. Nam sicut corpus sine anima vivere neqvit, ita qvoqve, Jac. 2. dicente sancto Jacobo Apostolo, *Fides sine operibus mortua est.* Qvòd autem sine tali fide non detur accessus ad portam cælorum, patet hac similitudine: Sicuti enim nõ qvilibet habet accessum ad palatium sive ad cubiculum Regis, nisi sit bene notus Regi, & absq; hoc, qvòd se alicui insinuet, speciale habeat privilegium, tecta intrandi ad Regem: ita qvoqve nullus habet jus sive privilegium intrandi ad regnum cælorum, nisi habeat fidem, sine qvâ nemo æterni Regis amicus esse potest, juxta illud sancti Pauli Apostoli: *Sine fide impossibile est, placere Deo.* Figuram hujus discursus habemus Esth. capite 4. & 5. Lex erat promulgata à Rege Asvero, ut nemo auderet ingredi interius atrium Regis, nisi vocatus: qvi autẽ non vocatus illud intraret, absqve ullâ cunctatione interficeretur, nisi fortè Rex auream virgam super ipsum poneret pro signo clementiæ. Itaq; Regina Esther, cùm admonita esset à Mardochæo, avunculo suo, ut intraret ad Regem, & deprecaretur pro populo suo, qvem Princeps Aman morti addixerat, inducta regalibus vestimentis, ingressa est palatiũ, & stetit in atrio domus regiæ, qvam Rex cùm vidisset stantem, placuit in oculis ejus. Hìc si qvis me interrogaret: Cur Rex Asverꝰ, qvi sub pœnâ mortis prohibuit omnibus ingressum ad suum interius atrium, ad idem Reginam Esther impunem intromiserit? Facilè respondebo: Qvia illa per fidẽ matrimonii sibi desponsata fuit. Idem ergo est judicium de homine Christiano, qvi, si per vivam fidem Deo suo fuerit desponsatus, ab ingressu aulæ Dei non arcebitur. Qvòd verò per fidem desponsemur Deo nostro, id apertè testatur Ozeas Propheta, dicens in persona Domini: *Sponsabo te mihi in fide.* Ad majorem hujus evidentiam, nempe qvòd vera fides sit primus gradus ad Cęlum, suffragatur mihi testimonium sancti Joannis Evangelistę, qvi sic ait: *Dedit eis potestatem, filios Dei fieri, his, qvi credunt in nomine ejus.* Qvę verba sancti Evangelii explicans venerabilis Beda Presbyter ita ait: *Consideremus qvanta est virtus fidei, cujus merito datur potestas hominibus, filios Dei fieri.* Nullum est dubium, qvin sanctus Stephanus in hunc fidei gradum primum pedem fixerit. Nisi enim hac imbutus esset, non ita acriter cum adversariis ejusdem sacræ fidei disputasset.

ad Hebr. 6.

Esth. 4. & 5.

Ozea 2.

Ioann. 1.

Beda in Ioannem.

II. Alter gradus, per qvem ascenditur ad cælestem beatitudinem, est Charitas, sed non ea solùm, qvâ diligitur Deus & proximus, sed etiã hæc, qvâ diligitur inimicus. Iste qvidem gradꝰ valdè est difficilis & lubricosus, ex qvo multi cadere consveverunt, nihilominus tamen ad talem ascensum, per qvem acqviritur æterna Patris cælestis hæreditas, summè est necessarius. Sic enim ait Christus Dominus Matthæi 5. *Diligite inimicos vestros, ut sitis filii Patris vestri, qvi in cælis est.* Sed, ô Christe, Domine & Magister noster, tua propositio

Matth. 5.

valdè

valde subtilis est, nec mihi captu facilis: nam qualiter ego diligens inimicum, efficiar filius Dei Patris qui in cælis est? Audi igitur modum qui erit valde pulcher. Filii æterni patris non poterimus esse, nisi tales simus qualis ipse est: Ille est æternus sine principio & sine fine, oportet ergo ut habeamus aliquid, quod sit sine principio & sine fine. Sed quidnam illud erit? ubinam tale medium requirendum? in terra non invenitur, quia clauditur suis terminis: in mari non, quia circumdatur metis suis; in aëre non, quia habet ignem, quo circumdatur: in igne non, quia à cælo concluditur sive à sphæra lunæ: in cælo non, quia habet suam superficiem quæ est illius terminus: unde Sanctus David ait: *Omnis consummationis vidi finem.* *Psal. 118.* Quid igitur faciemus, vel ubi quæremus medium, per quod possimus affiliari æterno Patri nostro ut simus ejus filii? Advertite quidnam in eodem versu dicat Propheta David: postquam enim protulit hæc verba; *Omnis consummationis vidi finem*: deinde addit sequentia: *Latum mandatum tuum nimis.* Omnia habent finem, sed sola charitas non habet finem; non habet à parte ante, quia est ab æterno, quia semper fuit in Deo, qui est æternus: non habet à parte post, quia semper extenditur juxta illud: *Charitas Dei diffusa est* *ad Rom. 5.* *in cordibus nostris.* Testis hujus dicti sui est S. Paulus, qui alio in loco ait de ipsa: *Charitas patiens est, benigna est. Charitas non æmulatur, non agit perperam: non inflatur: non est* *ad Cor. 13.* *ambitiosa: non quærit quæ sua sunt, nō irritatur non cogitat malum: non gaudet super iniquitate: congaudet autem veritati. Omnia suffert: omnia credit: omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit sive Prophetiæ evacuabuntur; sive linguæ cessabunt: sive scientia destruetur.* Quid clarius deduci potest, quàm solam charitatem inter cætera virtutis opera esse quid æternum à parte ante & post: hac ergo si inimicos dilexerimus, cælesti Patri nostro similes erimus.

III. Bene quidam Doctorum de charitate protulit, asserens Christum Dominum illam pro trutina bonorum operum nostrorum habiturum. Qui enim apud Sanctum Lucam capite 21. videns quosdam divites mittentes munera sua in Gazophilacium pluris fecit duo æra minuta quam divitum aurum & argentum cum jactantia quadam Deo offerentium: similiter in extremo illo judicio in quo examinabit opera nostra, pro lance utetur charitate, & non quid vel quantum, sed ex quanto aliquid obtuleris, id ab ipso pensabitur. Hinc patet charitatem, esse quandam rem infinitam, quâ Deus infinitus utetur pro pondere & mensura nostrorum meritorum. Unde antiqui Reges qui durationem quærebāt in suis familiis & genealogiis, eam vel maximè acquirebant, dilectione suorum inimicorum. Nam Agezialus Macedonum Rex, coacto Principum suorum conventu, eis inter cætera in sua concione dixit: *Nihil dignius Rege est, quam condonare injurias.* Approbat idem S. Chrysostomus dicens: *Regium est condonare injurias.* Quod demonstratur exemplo Davidis cui Saul locutus fuit, *Nunc scio quod certissimè regnaturus sis.* Et quis id ei dixit? Scimus enim quod tunc Spiritus Dei ab illo recesserat. Respondeo ipsum didicisse id, ex dilectione Davidis, qui cum potuisset eum in specu quadam occidere tanquam hostem suum ei pepercerat. *Regium* *1. Reg. 24.* *ergo est condonare injurias.* *Luca 21.* *S. Chrysost.*

IV. Sed quid mihi cum terreno regno? dicamus nos aliter. Regium est Christiano homini condonare injurias. Cur? quia dicimus orando, *Adveneat regnum tuum.* Sed quid dico Regium? imo divinum est condonare injurias. Non dico ego sed Divus Cyprianus inquiens, *Divina est generositas condonare injurias.* Ostendit id exemplo Christi, qui etsi multa miracula fecit, tamē illa omnia unicum in cruce verbum superavit, dum diceret, *Pater dimitte eis.* Sed numquid hoc fuit opus divinum? Audite; Deus multa miracula fecit, cæcos, claudos, paralyticos, leprosos, surdos, energumenos, & dæmonio vexatos persanavit, insuper & mortuos suscitavit. Sed quid Judæi, num quid ista curabant? minimè verò: nihilominus enim vocabant eum poratorem, seductorem, dæmoniacum. Quando autem à pendente in cruce hæc verba audiverunt, *Dimitte illis*; tunc uti ait Matthæus 28. Lucas 23. revertebantur, percutientes pectora sua & dicebant: *Vere filius* *Matth. 28.* *Dei erat iste.* Ecce divinum est remittere ofLuca 23. fensas, & qui dimittit filius Dei est. *D. Cypr.* *Luca 23.*

V. Tertius ascensus est in cælum per tribulationem, quod probo sic: ait Plutarchus de Philosophis. Quadam vice illos disputasse, undenam possint cognosci parentes

spuriorum natorum, dumque multa protulissent, exurgens unus ait. Sicut ista olla ex sono agnoscitur, num bona, vel mala sit: ita & filius, si probetur. Si ergo signum tale datur parentibus: multò magis DEO qui suos quoq; filios probat. Ita probavit S. Job Patriarcham dicentem: *Manus Domini tetigit me.* Et inventus est legitimus filius juxta illud. *In omnibus his non peccavit Iob.* Quod vero tribulatio filios Dei efficiat, ex hoc cognoscite, quod Deus nullam tribulationem relinquat sine consolatione. Hæc omnia patent in S. Stephano Protomartyre. Habuit primò fidem, quia de ea disputavit. Habuit charitatem, & dilectionem inimicorum, quia pro se lapidantibus Dominum exoravit. Tribulationem mortis patienter sustinuit. Sed non absq; fructu: quia vidit cælos apertos & Jesum stantem à dextris Dei. Hæc ergo tria & nos habere studeamus, ut cum S. Stephano post finem vitæ nostræ cælum conscendere valeamus, Amen.

Iob. 29.

IN FESTO S. STEPHANI
Protomartyris,
CONCIO II.

Positis genibus clamavit voce magna dicens, Domine nẽ statuas illis hoc peccatum. Act. 7.

QUamvis in multis excelluerit Sanctus ille Patriarcha Moyses, & ductor Israëlis, nempe in fortitudine, & zelo, per quem eundem populum de Pharaonis tyrannide liberavit, per rubrum mare sicco pede eduxit ex Ægypto, multos hostes profligavit, populo sitienti aquam è petra elicuit, esurienti panem de cælo impetravit; inter omnia tamen in hoc uno apparuit excellentior, quod juxta illud præceptum Domini dicentis; *Inspice & fac secundũ exemplar quod tibi in monte monstratum est*: juxta illud tabernaculum Domini, & alia ipsum attingentia erexerit. Præstantiorem ego video Sanctum Stephanum Protomartyrem, non solum ob id, quod plenus fuerit gratia & fortitudine, nec ideo insolum, quod fecerit prodigia & signa magna in populo, sed vel maximè ideo, quia uti Moyses accepit exemplar à se erigendum in monte Synai, illudq; summa cum industria ad finem deduxit: Eodem modo Sanctus Stephanus, viso vivi tabernaculi exemplari in monte Calvariæ, de quo tabernaculo ait sacer textus: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* Quod inquam exemplar, erat Christus Dominus in cruce pendens atq; hisce vocibus Patrem suũ cælestem interpellans. *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*: Illud inquam exemplar idem Sanctus Protomartyr imitari cupiens, cum lapidaretur à Judæis nullam vindictam à Deo expetebat contra ipsos, quin omni injuria illis condonata, oravit pro ipsis testante sacro textu. *Positis genibus clamavit voce magna dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Et quia nobis Christianis hoc idem Exemplar Christi, in Sancto Stephano demonstratum, vel maximè imitari decet; hodiè proponam vobis: Quam bonum & utile sit remittere offensam inimicis.

Exodi 25.

Luca 23.

I. Antiqui illi Romani, nec non Athenienses, scutum militare in magna æstimatione habebant. Apud Hebræos verò ungebatur etiam oleo sancto quo & ipsi Reges coronati: unde illud 2. Regum 1. capite. *Abjectus est clypeus Saul quasi non esset unctus oleo.* Insuper etiam in præliis magna scuti ratio habebatur, uti quædam mulier filio suo in bellum proficiscenti unaq; scutum deportanti [Plutarcho teste] dixerat; *Aut in hoc aut cum hoc*; loquens de scuto. Cum ergo tanti æstimetur scutum, si videres aliquem contra te jaculum quodpiam vel telum vibrantem, si à vulnere tutus esse

2. Reg. 1.

Plutarch.

esse velle, quidnam faceres? in hunc modum responderes. Clypeum illi evibrationi opponerem. Sed quid si ab impetu jaculi clypeus dividi vel destrui deberet? secundo responderes. Non curo damnum clypei, modo ego salvus evadam, nunc igitur pulchrum conceptū audite; Aristoteles in Ethicis honorem assimilat scuto dicens: *Honor scutum virtutis est.* Si honoc habet se per modum scuti, quid potius perdere velletis, animam vel honorem? non scio quid respondere velitis, ego tamen interim dico honorem esse rem transitoriam, animam verò permanentem: Quid jam igitur dicetis? Si vultis honorem vindicare, jam anima periit, si vero offensam remittatis, anima salva est, & insuper eritis sicut Dii. Id qualiter probem audite & miremini. Duos insignes actus edidit Sanctus Moyses Patriarcha. Primus ille fuit dum videns populum Israelis vitulum ex auro conflatum adorasse, in tantum ira excanduerat, ut tabulas lapideas confregerit, & idolum illud in cineres redegerit. Alter actus ille fuit, dum Moyses pasceret gregem in monte Oreb, vocatus fuit à Domino, cui dixit: velle ipsum mittere ad Regem Pharaonem in Ægyptum ut de manu illius afflictum populum liberaret, mittendo autem ipsum dicebat Deus, *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Pergit Moyses, accedit ad aulam Regis, Legati officio fungitur dicens: Hæc dicit Dominus; *dimitte populum meum ut sacrificet mihi.* Sed quid fit? à Rege contemnitur, ab aulicis irridetur, & ab ipsis Hebræis ob labores sibi additos odio habetur. Jam combinate hos duos actus nempe vituli à Moyse confracti & alterius cum Pharaone habiti: cur in illo actu nulla mentio facta fuit alicujus Deitatis suæ: cur ibi non fuit vocatus Deus; sed in hoc alio actu dum tractaret cum Pharaone de liberatione Israelis? *Pulchrè respondet Lactantius dicens: Qui injurias sustinet, eum non solū summis comparo laudibus, sed Deum esse quodammodo puto.* Quia inquam Moyses exercebat vindictam Israëlis in fractione tabularum legis, nec non vituli aurei, ideo non merebatur vocari Deus. At verò cum stans coram Rege Pharaone, tot ludibria, & injurias accepisset, eas tamen patienter sustulisset, nec minimum animum se vindicandi habuisset, ea propter meruit vocari Deus. *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Ad eundem modum S. Basilius antiquus Pater Ecclesiæ pulchram protulit sententiam dicens, *O insignis gloria injurias sustinere, cui divinitatis titulus convenire videtur.*

Aristot. in Ethicis,

Exodi 32.

Exodi 7.

Exodi 8.

Lactantius

8. Basil.

II. Parum id protuli, quin altiora dicam, nempe hunc qui parcit inimico & offensas remittit, ratione cujusdam obligationis superiorem Deo reddi. Respondete mihi Auditores. Quem putatis esse superiorem? numquid creditorem an verò debitorem? absque dubio creditori votum vestrum dabitis, eumque debitore superiorem esse dicetis. Jam ergo progrediamur. Qui parcit inimico eiq; remittit offensam, ille censendus est esse creditor, Deus autem ex oppadam obligatione videtur esse debitor, quia diligentibus inimicos promisit affiliationem, & hæreditatem cælestis Patris sui. Stigitur homo in remissione vindictæ creditorem, Deus verò in sua obligatione debitorem repræsentat, sequitur ex hac ratione hominem quodammodo esse Deo superiorem. Ut autem id vobis meliùs constet, attendite! Scribit quodam in loco Psalmorum S. David Rex & Propheta. *Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.* Quid est hoc ô David: ergone Deum tuum debitorem facis? quænam hæc est tua puritas manuum? quæ hæc tua justitia? Sed egregiè respondet Abulensis dicens: *Postea David egit aliqua bona propter qua debebat recipere præmium, scilicet quia potuit occidere Saulem & noluit.* Hinc ergo patet ejus qui remittit injurias Deum debitorem esse.

Psal. 17.

Abulensis

III. Sed dicet aliquis: remittere injuriam nec esse honestum nec conveniens. Quid dicis? nonne dixit Plutarchus: *Nobilissimum genus vindictæ est parcere?* Probarem id pluribus exemplis sed unum Augusti Cæsaris sufficiat. Quidnam huic celeberrimam peperit memoriam? Certe non illa prælia, non victoriæ & triumphi, non pacis compositio, non Romanæ urbis ampliatio, sed sola injuriarum remissio. Nam uti refert Suetonius, habebat hic bonus Imperator duos adversarios, è quibus unus erat Calvus Orator, & alter Catullus Poëta, qui ipsum suis scriptis mordicus impetebant: At veriti mulctam, conscientia malefacti torquebantur, & libenter inirent gratiā cum Cæsare si auderent. Audiēs

Plutarchus.

Suetonius.

hoc Imperator, eo contentus fuit, quod ad se redierint. Unde Calvo per expressas litteras obtulit veniam. Catullum verò qui publica contra eum scripserat carmina, die eodem ad suam cænam invitavit. Nonne igitur honorificum est, inimico parcere & offensam dimittere?

IV. Nec solum honorificum sed etiam plurimum utile est parcere inimicis: qui enim remittit offensam alterius, id facit amore Christi Domini, cujus corpus in cruce pro nobis dilaceratum fuit, cujus plagæ & vulnera quædam linguæ sunt, quæ nos rogant ut condonemus injurias inimicis nostris. Id vobis ostendo testimonio Sancti Joannis Evangelistæ 6. capite, in quo enarrat; qualiter invitatus ad quandam solennitatem quæ agebatur in cælis, viderit ibidem Deum throno Regio insidentem; è cujus regione erat altare totum cristallinum, & juxta illud chorus Musicorum cantantium, quorum aliqui vulnerati languida & lugubri voce clamabant dicentes. *Usquequo Domine; sanctus & verus, non judicas & non vindicas sanguinem nostrum.* Tandem pòst conspexit, hisce omnibus lauciatis albas stolas dari juxta illud. *Data sunt illis singula stola alba, & dictum est illis, ut requiescerent adhuc modicum tempus.* Possumus Auditores, pulchrum aliquod dubium super hoc proponere. Si pauper aliquis læsus ab altero adiret judicem & postularet justitiam, ille verò homini illi læso offerret aliquod indusium eo fine ut taceret & à querela cessaret: annon hic magna esset judicis dementia? Cum igitur illi vulnerati expetant in cælis vindictam à Deo, ut quid illis obtrudit stolas candidas loco justitiæ? Scitis ne Auditores, quinam fuerint illi vulnerati? Sunt Christi Martyres quibus datur stola candida quæ passionem Christi denotat juxta illud canticum Ecclesiæ. *Lavarunt stolas suas & candidas eas fecerunt in sanguine agni*: ut memores passionis Dominicæ injuriam sibi illatam sustinere discerent, juxta illud Tertulliani. *Martyrum quoque anima quæ sub altari erant, in ostensione passionis Domini sustinere didicerunt.*

V. Hæc stola candida, nempe Christi Domini passio, maximo argumento nobis debet esse, ne vindicare conemur injurias nobis à quopiam illatas; præsertim ob id, cum talem stolam in sanguine afflictionum lotam sequatur alia candidissima, quæ est beatitudo cælestis; huius intuitu dulcis erat crucis passio Sancto Andreæ Apostolo: exoptatus gladius Sancto Paulo; molle pulvinar fuit succensa crates Sancto Laurentio & tandem exemplo nobis est Sanctus Protomartyr Stephanus; de quo canit Ecclesia. *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Quæritis rationem? *Quia vidit cælos apertos.* Vidit ibidem stolam suam pretiosam, vidit coronam in manibus Christi Domini qua mox coronandus erat. Unde non solum lapidantes se non abhorruit; sed etiam oraturus pro illis, *Positus genibus clamavit voce magna dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Quam ob rem Auditores, imitemur patientiam Sancti Stephani, ut per stolam passionis Jesu, æternam in cælis consequi mereamur. Amen.

Apocal. 6.

Loco citato.

IN

IN FESTO S. STEPHANI
Protomartyris,

CONCIO IV.

Exultavit ut Gigas ad currendam viam suam. Psalm. 18.

QUisnam hic gigas fuerit de quo in hisce prolatis verbis Sanctus David Rex & Propheta mentionem fecit dicens: Exultavit ut gigas ad currendam viam suam, Sancti Patres Ecclesiæ nec non expositores sacri textus, diversimodè opinantur. Bellarminus Cardinalis per hunc gigantem solem intelligit, eo quod sine fatigatione & summa celeritate decurrat viam prope immensurabilem: Nam immensum cæli spatium sine ullo tædio, quin cum summa alacritate velociter & sine labore ab Oriente usque ad Occidentem, & ab Occidente ad Orientem, cæteraque mundi partes percurrit. Sed venerabilis Hugo Cardinalis, quamvis jùxta literam idem sentiat, mysticè tamen per talem gigantem Christum Dominum intelligit. Est quippe incomparabilis omnibus; quia immensus est majestate: incomparabilis fortitudine; incomprehensibilis veritate: & tunc exultavit ut gigas ad currendam viam suam: dum cum gaudio in humana carne veniens cucurrit viam passionis suæ. Alter gigas post Christum Dominum meritò censendus est Sanctus Stephanus Protomartyr, quia eandem viam Christi Domini primus calcavit, nec solum calcavit sed *exultavit ut gigas ad currendam viam suam.* Quia dum lapidaretur à Judæis, nulla tristitiæ signa edidit; quin imo hilarem & angelicum præferens vultum, inter lapides volantes suum cursum peragebat & dirigebat ad cælum. Cum ergo Sanctus hic Protomartyr plurimas virtutes & miraculosa opera in vita sua patraverit, eum in campum Christianum tanquam gigantem quendam producam, vobisque præsentabo.

Bellarminus.

Hugo Card.

I. Postquam Christus mundi Salvator resuscitatus ascendit ad cælum, onus totius mundi reliquit suis discipulis Sanctis inquâ Apostolis, de quibus Sanctus Job Patriarcha visus est prophetasse dicens: qui *portant orbem*: illorum enim erat officium portare orbem: quia ad ipsos spectabat spirituale regimen totius orbis, ut illum doctrinâ & prædicatione Sancti Evangelii, quod Christus Dominus onus suave & jugum leve appellat, ad fidem ejusdem JEsu Christi adducerent. Sed cum Apostoli huic oneri portando impares essent, & utrique curæ nempe spirituali & temporali perfectè satisfacere minimè possent, spiritualia vero negligere & curare temporalia minimè conveniret, uti dicebat Sanctus Petrus. *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei & ministrare mensis*: ponderis hujus partem in Sancti Protomartyris humeros exoneraverunt, ita utillis spiritualibus rebus intendentibus, Stephanus rebus corporaliter necessariis curandis incumberet. Si ergo Apostoli orbis hujus erant quidam gigantes, quis etiam Sanctum Stephanum onus ipsorum sublevantem gigantem esse neget? Solemus quandoque continentis sive loci magnitudinem à contento seu à multitudine personarum judicare. Verbi gratia intelligentes aliquam civitatem intra se continere posse multa millia hominum, facilè colligimus situm quoque illius debere esse magnum. Quam igitur magnum & vastum illum esse existimabimus situm sive locum in quo Deus continetur cujus immensitas effatu est impossibilis? Certe ille situs loci debet esse major non solum magnis civitatibus, sicuti posset esse Ægyptus, Constantinopolis, Roma, cæteræque majores urbes; sed etiam universo mundo, quia Deus ubique est, per essentiam, præsentiam, & potentiam. Sed ubi tam immensam capacitatem loci inveniemus?

Act. 6.

mus? Respondebit nobis Sanctus Lucas qui Actorum 6. capite ait: *Elegerunt Stephanum virum plenum fide & Spiritu Sancto.* Si ergo Sanctus hic Protomartyr plenus erat Spiritu Sancto, quantæ cor ipsius capacitatis fuisse æstimatis? Sanè maxime, quia gigas erat. Quando scriptura sacra Regis Saulis magnitudinem describit & dicit 1. Regum 9. capite: *Ab humero & sursum eminebat, super omnem populum*; tunc in illis verbis gigantem quendam mihi describere videtur. Statum gigantum ex hoc agnoscimus, quod sint aliis hominibus multò altiores & robustiores; uti ait Boccatius loquens de primis gigantibus ab Adamo procedentibus. *Gigantes fuerunt homines forma seu statura ultra modum cæteros excedentes.* Non loquor hic de statura Sancti Stephani tali, quæ molis quantitate metiri deberet, sed virtutis. Nam Sanctus Augustinus considerans virtutes hujus Sancti tale ipsi dedit encomium. *In plebe adhuc positus erat sed jam virtutibus eminebat.* Hinc apparet Sanctum Stephanum non solum assimilari posse uni alicui gigantum; sed etiam in tantum omnes excellere, in quantum animus corpore est excellentior,

Act. 6.

1. Reg. 9.

Boccatius in Geneal.

S. Aug. sermon. 5.

II. Fingunt Poëtæ, fuisse quosdam gigantes ita temerarios & vecordes, quod cum illis nullus quasi mortalium exæquari posset, & nemo quomodocunque fortis illis se opponere auderet, tantam præsumptionem concepisse ut etiam consilium inierint, quatenus Jovem exturbare regnoque suo privare possent: Hi autem gigantes, cur rem ita arduam attentare ausi fuerint, eam assignant rationem, audaces generosique animi fuisse ideo, quia è sangvine Regio orti putabantur. Sanctus Stephanus Protomartyr non minoris fuit audaciæ; quia tanquam gigas fortissimus, ictus lapidum fragore frementium fortiter sustinuit: unde licet ipsum nomen suum aliquid Regium & generoso Rege dignum in ipso denotet (Stephanus enim in Græco idiomate idem sonat quod corona, quæ non conceditur nisi Regibus vel sane Oratoribus & Triumphatoribus munere Regio dignis:) nihilominus ego probare possum alio etiam argumenti genere, nempe Sanctum Stephanum è sanguine Regio prodiisse & fortissimum gigantem extitisse. Quæretis forte signum aliquod vel stemma sanguinis Regis in Protomartyre Stephano? Non erunt mihi hic necessum domus Principum, familiæ Regum aut Imperatorum: quia Regis Regum quin totius universi pretiosissimus sanguis, quem Sanctus Stephanus per suam passionem legitimè hæreditavit, mihi pro argumento sufficiet, Sanctum Martyrem Regem fuisse & gigantem. Vultis ne experiri Sancti hujus audaciam & fortitudinem? ô quot cum nationibus hominum dimicavit, semper tamen victor extitit? *Surrexerunt quidam de Synagoga quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium & Alexandrinorum & eorum qui erant ex Cilicia & Asia disputantes cum Stephano, & non poterant resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur.* Qualis nam homo Stephanus, qui cum omnibus dimicans, superabat & vincebat omnes? Audite hac de re Gregorii Nisseni testimonium. *Cum omnibus conflixit, & omnes superavit, adversus omnes adversarii copias cum se opposuisset adversus omnes victoria clarus designatur.*

Act. 6.

Gregor. Nissenus.

III. Possum etiam ex ipsa voce Sancti Stephani argumentum desumere, eoque probare verum fuisse gigantem: ait enim de ipso S. Lucas in Actis Apostolorum. *Positis autem genibus voce magna clamavit.* Certum est in exili corpore & infirmo vocem magnam dari non posse, ad id enim ut aliquis fortiter clamet & vociferetur, requiruntur fortia latera, laxum pectus & totius corporis fortitudo; & hæ sunt gigantum conditiones: cum ergo Sanctus Stephanus in lucta & agone passionis positus inter illos strepentes lapides fortiter clamaverit hinc gigantem fuisse patet. Sed quidnam clamavit: *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* O vocem gigante dignam! Quid clamor hic adeo ingens & fortis significavit? Respondet S. Petrus Damianus dicens: *Clamat voce magna, quia magna utiq; charitate* Vehementiam inquam charitatis magnus ille clamor designabat. Ignis quippe cordis sui nequaquā debilis aut languidus erat, sed intensissimus. Tanta enim in passione sua ardebat charitate, ut Nicætas Philosophus de ipso dixerit. *Charitate ardebat*

Petrus Damian.

...pud Lipom. 9. Aug.

ardebat magis, qvàm omnes Sancti sui temporis.

IV. Verè oratio illa, qvam S. Stephanus pro suis interfectoribus fecit, appellari debet memorabilis qvidam cum Deo armato habitus conflictus, gloriosâ qvadam victoria terminatus. Tales enim sunt orationes, qvas Sancti pro inimicis suis instituunt. Qvando Moyses Deũ adversus populum indignatum vidit ob aureum vitulum, qvem adorarunt pro Deo, ait sacer textus, qvòd licet & ipse Moyses hoc peccatum gravissimè tulerit, nihilominus vicit charitas, qvam gerebat in pectore, ut pro illo populo deprecaretur Dominum, eidemqve veniam precaretur. Habetur enim Exodi 32. capite: *Deprecatus est faciem Domini.* Qvæ verba ponderans Oleaster ait, in tantum Moysen suis orationibus apud Deũ institisse, ut non secus ac si luctam qvandam cum illo habuerit, eum debilitaverit, suisqve orationibus superaverit, ut populo illi parcere dignaretur. Qvisqvis Deum pro suis persecutoribus orat, uti Moyses faciebat, cum Deo confligit & certat, eumq; orationis gladio debilitat & enervat: qvando Stephanus Christum in cælo stantem vidit, tunc absqve dubio Christus armatus stabat, ut certamen gigantis sui intueretur, deqve suis homicidis supplicium sumeret. At qvid ille? Animadvertens talem animum divini Judicis, mox genua posuit in terram, & clamavit dicens: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Per qvam orationem adeò Christum debilitavit, ut ad vindictam sumendam ne gressum qvidem facere potuerit. Numqvid igitur in hoc tam heroico facinore verè se gigantem demonstravit? Nemo præter solos gigantes cum Deo confligere possunt, uti audistis superius.

Exod. 32. Oleaster.

V. Neqve id etiam est prætermittendum, qvòd sanctus Protomartyr, pro interfectoribus suis orare volens, in terram se prostraverit: *Positis autem genibus clamavit.* Cur, obsecro, pro adversariis orans in terram se projecit? Sanè non ob aliud, nisi ut se gigantem esse demonstraret. Legimus de qvodam gigante, cui Antheus nomen erat, qvòd, dum cum Hercule confligeret, qvotiescunq; terram tangebat, toties robustior & fortior resurgebat, uti testatur Lucanus Poëta: *Lucanus.*

Terra suifœtus qvæ cum tetigere parentem,
Iam defœta vigent renovato rob...e membra.

Majorem pugnam habuit Sanctus Stephanus. Non enim cum uno Hercule, sed cum tot inimicis decertavit. Proinde, tanqvam alter gigas, ut novas vires resumeret, terram non solùm tetigit, qvin prostratus in ipsam fuit, & sic pro suis persecutoribus Dominum exoravit. Et qvoniam victoribus debentur coronæ, insignis author Jacobus de Voragine, Episcopus Genuensis, *Iacobus de Voragine.* ait, qvatuor coronas sanctum Stephanum meruisse. Unam roseam, alteram auream, tertiam gemmeam & qvartam stellatam fuisse, qvarum rationem præfatus Author assignat dicens: *Habuit coronam roseam, in qvantum fuit sangvine purpuratus: auream, in qvantum fuit virgo incorruptus: gemmeam, in qvantum fuit Sanctus perfectus: stellatam, in qvantum fuit prædicator lucidus.* Qvamobrem, Auditores, exemplum hujus sancti Stephani seqvamur, & fortiter cum hoste animarum nostrarum dimicemus, ut cum eodem coronam in cælis assequi mereamur, Amen.

IN FESTO S. IOANNIS
Evangelistæ,
CONCIO I.

Aqvila grandis magnarum alarum. Ezech. 17.

NOn immeritò aqvila Rex avium dici solet. Nam inter cæteras naturæ suæ proprietates eam etiam habet præ cæteris, qvòd volatu suo forti & feloci alias volucres longè superet: sanctè enim ait B. Albertus Magnus, adeò in altum ascendit volatu suo, ut cùm ab hominibus ipsa conspici ulterius non possit, illa tamen de tanta sublimitate piscículos natare videat, celerrimoqve lapsu per modum sagittæ eos deprædetur. Per aqvilas sancti Patres & Doctores Ecclesiæ sanctos Dei servos intelligunt. Sanctus enim Chrysostomus ita ait: *Sancti ideò aqvilis assimilantur qvia sicut filii aqvilarum ad Solem probantur, sic & filii Dei ad Christi justitiam pleno corde suscipiendã comprobantur.* Vera qvædam aqvila mystica fuit S. Joannes Apostolus. Nemo enim inter ipsos qvoqve Angelos aliosqve cælites adeò sublimè volavit, ut cum volatu sancti Joannis Apostoli & Evangelistæ comparari mereatur. Qvod verò concernit alteram aqvilæ proprietatem, & ea qvoqve peroptimè sancto Joanni correspondet, inhærens enim Christi Domini, qvi est Sol justitiæ, vestigiis, seq; ipsum ad similitudinem vitæ suæ exemplaris conformare studens, se filium Dei esse comprobavit. Qvod amplius in hac concione audiemus.

Alb. Magn. lib. 8, cap. 2.

S. Chrysost. hom. 49.

I. Cùm omnes qvatuor Evangelistæ specialia symbola sua, tanqvam insignia qvædam aut stemmata, habent, qvibus unus distingvatur ab altero, qvæ etiam in prophetia Ezechielis adnotantur, nempe, uti ait sanctus Hieronymus in prologo, prima, hominis facies, Matthæum significat, qvi qvasi de homine exorsus est scribere: *Liber generationis Iesu Christi.* Secunda, leonis facies, Marcum Evangelistam, eò, qvòd qvasi leo rugiens audiatur: *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Tertia vituli sanctum Lucam Evangelistam, qvia à sacrificio Zachariæ Sacerdotis initium suum præfigurat. Tandem qvarta facies, nempe aqvilæ, hæc meritò sancto Joanni Evangelistæ assignatur. Is enim cùm esset tunc in Asia, ubi hæreticorum semina Cerinthi & Ebionis Christum in carne venisse negantium pullulabant, coactus penè ab omnibus Asiæ Episcopis & multarum Ecclesiarum legationibus, ut de divinitate Salvatoris scriberet, indicto prius jejunio & communi totius populi Christiani oratione, tanqvam aqvila alis sursum elevatis, volavit usqve ad cælum dicens: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum & Deus erat verbum.* O qvàm in altum aqvila nostra evolavit, qvàm irreverberatis oculis Solem divinum intuetur in rota sua! Oculi illi Seraphinorum qvàm sint clari & perspicaces, ex eo patere potest, qvòd cùm in supremo spirituũ ordine collocentur, eorum qvoq; natura angelica majoribus donis debet excellere. Sed S. Proph. Isaias aliqvid aliud mihi de ipsis narrat. Ecce enim, dũ vidisset stantes ante thronũ illum cristallinum, in qvo splendidissimus ille Sol justitiæ residet, simul etiam expressit oculorũ suorũ defectum, non valentes enim intendere in rutilantem faciem vultus ejus. De alis ipsorum ait textus: *Duabus velabant faciem ejus.* In qvem locũ sacri textus scribens S. Chrysost. ita ait: *Alas vice murorum objiciunt, nõ ferentes radios inde proficiscentes.* Qvia nimirum immenso splendori, qvem DEI vultus de se vibrabat, resistere minùs poterant, ideò umbraculi cujusdam loco alas objiciebant. Aliter se habuit Divus Joannes Apostolus. Hic enim velut gene-

Ezech. *S. Hieron.*

Matth. 1.

Marc. 1.

Luc. 1.

Ioann. 1.

Isaiæ 6.

S. Chrysost. hom. 2. in Is.

generosa quædam aquila quæ solem in rota sua intuetur, apertis oculis facieque discooperta sublimi cõtemplationi essentię divinæ summi & increati solis assistere potuit. Unde
S. Proclus Orat. 15. S. Proclus in Oratione sua sic ait: *Evangelista Seraphinis ipsis inventus est sublimior, quandoquidem illi, coruſco concussi fulgore, facies velant suas: at hic ex gratia spectans, tum generationem, tum substantiam expressit divinam.* Sanctus Paulus 2. Epistola ad Corinthios ait, se
S. Paulus 2. Corinth. 12. fuisse raptum usque ad tertium cælum, ibidemque sibi à Deo tot & tanta revelata fuisse mysteria, ut inter omnes velut quoddam vas sacratissimum electus esse videatur, in quo occulta divinitatis secreta reponerentur, &
Actor. 9. conservarentur. Unde merito dictus est *Vas electionis.* Verum ubi ego video, incomparabiliter S. Joannes Evangelista, Sanctum Apostolum Paulum transcendit, hic enim volatum suum non solum direxit in Paradisum aut tertium cælum, verum etiam supra Paradisum & tertium cælum, imo super omnes cælorum cælos longè transcendit. Judex hujus rei est Origenes qui sic ait. *O benedicte*
Origenes Hom. 2. de Diverſ. *Paule, raptus es ut ipse asseris in tertium cælum & Paradisum, sed non es raptus super omne cælum, & Paradisum. Ioannes omne cælum conditum, omnemque creatum Paradisum, hoc est omnem humanam, Angelicamq; transgreditur creaturam.*

II. Non minus hac de materia pulchrum discutsum fecit eruditus Ecclesiæ sanctæ Pater Haymon de Paulo Apostolo loquens in caput duodecimum Secundæ ad Corinthios, ubi comparando raptum Sancti Pauli, visioni Sancti Joannis Evangelistæ, id advertit, quod licet Sanctus Paulus, tam in tertio cælo quam etiam in Paradiso plurima viderit, habita nihilominus inhibitione à Deo ne illa cuiquam propalaret, id non ausus erat facere dicens. *Non licet homini loqui.* Cur non liceret Sancte Paule; nonne etiam tunc dum hæc videras tibi revelata, eras Doctor gentium? Hi qui promoventur ad Doctoratum, habent facultatem publicè docendi divina mysteria nempe sacram Theologiam, in qua arcana cælestia continentur, habent libertatem interpretandi & aperiendi sensum sacræ scripturæ, & ut loquar unico exemplo Sancti Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici, qui communi elogio vocatur interpres voluntatis divinæ, & ipsi ejusdem voluntatis sunt
Haymon in 2. ad. Cor. 12.

Interpretes. Cum ergo tu omnium orbis Doctorum facile Princeps extiteris, cur ais quod ea quæ vidisti in cælo & Paradiso, seu audisti, *non licet homini loqui*? Et deinde, quidnam illud est quod Angelus Dei Raphael coram Tobia dixerat? *Sacramentum Regis* *Tob. 12.* *abscondere bonum est, opera autem Dei revelare, & confiteri honorificum est.* Hic jam te dupliciter excellit S. Joannes Apostolus. Primo quia uti præfatus Haymon ait. *Non solum ea quæ in Spirituali cælo sunt, intelligendo vidit, sed etiam ipsam Dei substantiam, verbumque Domini per quod facta sunt omnia, in charitate Spiritus sancti contemplatus est.* Secundo in hoc, si quidem S. Joannes de iisdem decretis, quæ Sanctus Paulus subticuit, non tantum clare locutus est, sed etiam idem suo calamo in Evangelio publicavit, uti testatur B. Thomas de Villanova dicens. *Paulus cum* *B. Thom. de Vill. nova.* *illam gloriam perambulasset, quæ vidisset interrogatus, nescit dicere, nisi vidi arcana verba, quæ non licet homini loqui, Ioannes vero vidit & scripsit.*

III. Audistis qualiter S. Joannes in enucleandis arcanis cælestibus, magistro orbis Paulo superior evaserit? Apponamus quoque illi Principem Apostolorum Sanctum Petrum. Legimus Matth. 16. Christum Dominum quæstionem quandam inter discipulos suos projecisse. *Quem dicunt homines esse filium* *Matth. 16.* *hominis*? Cumque si in diversas irent sententias easque nomine vulgi recitarent dicentes, *Alii Ioannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Ieremiam, aut unum ex Prophetis.* Christo magis instante, ut & ipsi quoque propriam suam sententiam, quidnam ipsis videretur propalarent: tunc assurgens Petrus, tanquam Primas cæterorum ait. *Tu es Christus filius Dei vivi.* Hic dicite quæso Auditores, quidnam de hoc responso sancti Petri sentiatis forte diceris, hic Sanctum Petrum in sublime evolasse, quia Deum hominem factũ confessus est. Sed Origenes altius adhuc Joannem evolasse judicat, utpote qui Christum Dominum antequã homo fieret, Deum esse cognovit, cujus hæc sunt verba. *Petrus quidem Christum* *Origines in Matth.* *Deum ac hominem, jam factum in temporibus agnoscens & dicens Tu es Christus filius Dei vivi; altissime volavit. Sed Ioannes altius illo, qui eundem Christum Deum de Deo, ante omnia tempora genitum intelligat dicens: in principio erat verbum.*

IV. Sed unde hæc Joanni velocitas, quâ etiam prævit Petrum? quid de semetipso dicat audite, Accepto quondam hi duo Apostoli nuncio, de lætissima resurrectione Salvatoris Christi à Sancta Maria Magdalena, quæ hæc novalia inter Apostolos sparsit, tunc ut se hac de re certificarent, ad Sanctum Christi sepulchrum simul cucurrerunt, Et tametsi Petrus utpote levissimus, qui una vice supra aquas maris ambulabat, festinanter pergeret, tandem tamen à Joanne in cursu superatus erat dicente textu. *Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus, præcurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum.* Cur quæso Joannes Petrum currendo superavit? Respondet Sanctus Hieronymus dicens: *Joannes Petro tardius ambulante, elatus virginitatis alis cucurrit ad Dominum.*

Ioan 20.

V. Hæc eadem fuit ratio, cur Christus Dominus in cruce pendens, dilectam matrem suam virginem Mariam, sub eadem statem Sancto Joanni recommendaverit Ecclesia teste, quæ dicit: *In cruce moriturus huic matrem suam virginem, virgini commendavit.* O privilegium singulare! Si attentè ponderaveritis, quidnam hic moriens Christus Joanni commendaverit, luce clariùs experiemini, quam ex hac recommendatione Domini in altum S. Joannes evolaverit. Illi namque recommendata fuit Regina Angelorum, Imperatrix, & Domina totius universi, & denique eam ipsi commendavit, quæ uti ait S. Bernardinus, *Omnem hujus mundi meruit principatum & regnum.* Cum igitur Christus JEsus, talem ipsi recommendaverit Dominam, qua excepto Deo nihil altius quæri potest, quomodo etiam Sanctus Joannes alis suis virgineis, altius sublimari potuisset? Rex Theodericus de Romanorum Regum majestate & dignitate conferens, ita ait: *Nemo amplius videtur erigi, quam cui potuit Romana committi.* Credebat enim, quod cum Roma maximæ Orbis parti principaretur, neminem quoque altius posse exaltari, quam cui datur illam civitatem committi. Idem dicendum est de S. Joanne Apostolo, cum ei non Romanam civitatem; sed totius cæli terræque Dominam commendaverit, quonam altius Sanctus hic evolare potuit? non aliò sanè quàm ad ipsam cælorum sedē in qua fruitur gloria sempiterna. Amen.

S. Bernardin. Tom. 1. Serm. 61.

Cassiod. var. lect. lib. 54.

S. Hieron. in Isaiam.

IN FESTO S. IOANNIS
Evangelistæ,
CONCIO II.

Conversus Petrus, vidit illum discipulum, quem diligebat JEsus.
Ioannis 21.

SAnctus Jacob Patriarcha quamvis duodecim filios habuerit, qui deinde duces tribuum & familiarum gentis Judæorum extiterant, inter ipsos tamen habuit unum ætate juniorem, quem teneriùs cæteris diligebat, unde etiam fecit ei tunicam polymitam. Cur hunc magis præ cæteris amaverit, quamvis in ipso textu ratio huius assignetur, nempe ob id quod ipsum in senectute genuerit, hæc tamen sola non sufficit, cum Joseph minorem adhuc ætate haberet fratrem Benjamin. Sanctus ergo Ambrosius, eam causam assignat dicens: *Iacob illum plus amabat, in quo majora virtutum insignia prævidebat, ut non tam filiū pater prætulisse videatur, quam Propheta mysterium* Quod autem concernit tunicam Polymitam, ejusdem quoque vestitus causam reddit talem *Meritoq; variam tunicam fecit ei quod significaret, eum diversarum virtutum amictu fratribus præferendum.* Sanctum Joannem

Gen. 37.

D. Ambrosius lib. de S. Ioseph.

nem Apostolum & Evangelistam Domini sancto Joseph Patriarchæ non absimilem esse video. Cùm enim Christus Dominus tot etiam, qvot Jacob filios, habuerit discipulos, nempe numero duodecim, neminem tamen ex illis singulariter magisqve diligebat, sicuti sanctum Joannem Apostolum, qvod ipsemet optimè, ut perspectum habens, apertè qvoqve, ut fatetur in hodierno Evangelio, dicens: *Conversus Petrus vidit illum discipulum, qvem diligebat Iesus, sequentem.* Jacob Patriarcha non sine ratione filium suum Joseph diligebat, unde & nos amoris Christi rationem, qvo prosequebatur S. Ioannem, discipulum suum, in hac concione scrutabimur.

I. Licet hìc sanctus Joannes de seipso dicat, qvaliter à Christo dilectus fuerit, super cujus qvoqve pectus recubuit, nihilominus hoc Apostoli testimonium adhuc verti posset in dubium. Nam S. Thomas, Doctor Angelicus, præmissa qvæstione: *An Deus semper diligat meliora?* & postmodum edita conclusione seu sententia affirmativa, pro argumento in contrarium utitur tali discursu: *Petrus melior fuit Ioanne, qvia plus Christum diligebat.* Cùm ergò dicatur in Proverbiis Salomonis: *Ego diligentes me diligo:* juxta reciprocationem amoris sequetur, Petrum Apostolum magis qvàm Joannem dilectum fuisse à Domino. Sed ad id respondet idem sanctus Doctor dicens: Qvòd Petrus plus dilexit Christum in membris, & sic etiam à Christo plus fuit dilectus, unde ei Ecclesiam commendavit. At verò Ioannes plus dilexit Christum in seipso, & sic etiam plus ab eodem dilectus fuit, qvia illi matrem commendavit. Petrus plus amavit Christum in membris suis, qvorum erat caput, & cui etiam Deus singularem indidit amorem, qvo fideles suos prosequeretur, verùm tamen Ioannes plus amavit Christi personã, qvi amor nobilior est, utpote excellentius habens objectum: qvapropter simpliciter dicendum est, fuisse magis dilectum à Domino, potioribus qj suæ dilectionis exortum fuisse privilegiis. Unde ait S. Doctor: *Ioannes plus dilectus, qvantũ ad qvadam familiaritatis judicia, qvæ Christus ei magis demonstrabat.* Hinc, cùm sanctus Ioannes Apostolus in tantum fuerit dilectus à Domino, ut etiam suo modo Petrum Apostolum præcedere videatur, qvantæ fuerit dignitatis & excellentiæ, omnibus patere potest, juxta illud sancti Gregorii Nazianzeni: *Non etenim summa est parvos præcedere laudis.* Id est, exigui est meriti, inter parvos præcedere, at inter magnos eminere, magnæ est dignitatis, qvod patet exemplo. Ait sacer textus: *Noe vir justus.* Si sola hæc verba attendamus, magnum aliqvid de hoc sancto Patriarcha cogitabimus, sed dum ulterius legimus: *Justus in generationibus suis.* Hìc jam parum subsistimus. Si enim in hisce verbis Lyranum consuluerimus, ille respondebit nobis, hæc sacri textus verba ad diminutionem laudis suæ fuisse addita, cujus hæc sunt verba: *Licet Noe fuerit justus & perfectus in comparatione ad homines illius temporis, qvi mali erant tamen, si fuisset tempore Abrae, parum fuisset in aspectu ejus.* Sed qvæ comparatio inter Sanctos veteris & novæ legis gratiæ? Veteres illi Patriarchæ, si ponantur ex oppositò Sanctorum novæ legis, videbuntur Pygmæi qvidem è regione gigantum positi. Cùm verò inter Sanctos novæ legis sancti Apostoli propter primitias Spiritus sancti excellant, inter ipsos autem sanctus Petrus primatum habeat, qvale jam de sancto Joanne feretis judicium, qvi Principem Apostolorum directione superavit? Patet id ex ejusdem Evangelio, in qvo Christus Dominus, colloqvium habens cum suis discipulis, omnes amicos suos compellavit dicens: *Vos amici mei estis.* Qvod tamen concernit sanctum Joannem Apostolum, qvamvis & ipse unus ex illis fuerit, nihilominus præter eam communem amicitiam speciali amoris prærogativa honoratus fuit à DOMINO, uti ait textus Evangelicus: *Qvem diligebat Iesus.*

II. Legimus Genesis 37 capite, volente Moyse rationem Jacob recensere, ait textus: *Hæ sunt generationes Iacob. Ioseph, cùm sedecim esset annorum, pascebat gregem.* Qvænam est ratio, qvòd, cùm sanctus Moyses recensere deberet totam Jacob Patriarchæ progeniem, in ipso Ioseph cessaverit, & narrationis suæ finem fecerit? Cùm sanctus Iacob duodecim habuerit filios, cur aliorum non meminit? Expendens locum hunc Scripturæ sacræ Rupertus Abbas eam hujus rei rationem adinvenit, qvòd ideò Moyses texendo Chronicam generationis Jacob

S. Thom. 1. P. Q. 20. artic. 4.

Prov. 8.

D. Thom. in resp. ad 3.

D. Greg. Naz.

Lyranus in Gen.

Ioann. 15.

Gen. 37.

alios filios præterierit, & in solo Joseph substiterit. Qvia licet qvòqve cæteri ad ipsam seriem pertinuerint, non tamen erant in tantum necessarii, qvia solus Joseph virtutibus, moribusqve suis elegantibus, decorem & gloriam familiæ ac domus Jacob conservavit, ea propter illius tantùm singularis mentio facta fuit: verba sunt authoris: *Licet duodecim fuerint Iacob filii, in uno tamen Ioseph suam Iacob generationem, scilicet paternæ similitudinis, transfudit pulchritudinem.* Qvia, inqvam, solus Joseph instar omnium erat, solus, inqvam, morum paternorum atque virtutum in omnibus filiis imitator, uti ait idē author, idcircò sufficiebat Moysi, solius fecisse mentionem, unde seqvitur, non gratis in sacro textu fuisse dictum: *Israel autem diligebat Ioseph.* Cùm enim præcæteris emineret virtutum gloria, dignum qvoqve erat, ut præcæteris fratribus diligeretur magis à patre. Ubi venerabilis Hugo Cardinalis scribens in illa verba: *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens*: egregiè & ad propositum illa explicat dicens: *Accrescens secundùm virtutem, accrescens secundùm dignitatem.* Id est, ideò Joseph fuit cæteris fratribus prælatus in donis à patre, qvia ille meritis excedebat.

Rupertus Abb. in Gen.

Gen. 49.

Hugo Card.

III. Duodecim filii Jacob Patriarchæ symbolum præmonstrabant duodecim Apostolorum Christi Domini, qvorum unus, nempe Joannes Evangelista, rectè comparandus venit sancto Joseph Patriarchæ. Legimus enim 21. cap. S. Joannis Evangelistæ, qvòd, dum Jesus ad seqvelam sui Petrum invitasset, ille sciens Dominū plures habere discipulos, qvàm ipse solus fuerit, qvorum series ad eadem Christi vestigia pertinebat, omnibus enim odium, qvod à mundo passuri erant, prædictum fuit, nihilominus omnibus præteritis soliu. Joannis mentionem facit dicens: *Domine, hic autem qvid?* Qvod qvidem eodem modo fecit, sicuti & Moyses Patriarcha generationem Jacob recensendo. Sciebat enim S. Joannem, tanqvam alterum Joseph, similitudinem Christi in seipso exprimendo, pro omnibus qvoqve cæteris sufficere solum, tanqvam majorem, præ cæteris exceptione dignum, & magis dilectum à Domino. Dicite mihi causam, cur interrogante Domino Petrum taliter: *Diligis me plus his?* ille non responderit directè ad qvæsitum? Dicere enim & taliter respondere: *Tu scis, Domine, qvia amo te.* Non est ad propositum: jam qvippe sciebat Dominus se diligi à Petro, sed modum dilectionis reqvirebat. Bene tetigit mentem Divi Petri Apostoli S. Augustinus: Intelligebat bene Petrus qvæsitum Domini: *Diligis me plus his?* Nempe ibi voluisse scire Christum, qvanto majori præ cæteris condiscipulis suis Dominum Jesum amore dilexerit, sciebat qvoqve hisce discipulis Jesu, connumeratum fuisse Joannem Apostolū, ideoqve non audebat in filo stare, qvia non putabat, se comparandum Joanni in amore, unde sufficiebat ei dicere: *Tu scis, Domine, qvia amo te.* Secundò hærebat Petro Apostolo illa Christi abnegatio, qvam Joannes non commiserat, ideò ei se comparare non audebat, testante Raulino verbis talibus: *Qvis inter discipulos fidelior Ioanne, qvi eum comitatus est usqve ad mortem, Petro eum negante & cæteris absentibus.*

S. August. in Ioann.

Raulinus serm. 1.

Ioann. 21.

IV. Posset hìc dicere qvispiam, magis à Domino dilectum fuisse Petrum, qvàm Joannem, qvia Divus Thomas, Doctor Angelicus, sic ait: *Deum diligere magis aliqvem, nihil aliud est, qvam ei majus bonum velle.* Sanctus Jacob Patriarcha omnes filios suos diligebat, magis tamē Joseph filium amasse ex eo patet, qvòd ei plus boni fecerit, qvia moriturus sic ad ipsum dicebat: *Do tibi partem unam extra fratres tuos.* Eodem modo ergò dici posset de Divo Petro Apostolo. Cùm enim vocatus à Domino, & an ipsum diligeret, interrogatus, respondisset: *Tu scis, Domine, qvia amo te.* Idqi trina vice ingeminasset, totidem vicibus Dominus ait ei: *Pasce oves meas.* Hìc ergò intelligitur, majorem jurisdictionem commendatam fuisse Petro, qvàm Joanni, qvia huic matrem suam commendavit, Petro autem commisit Ecclesiam sanctam. Sed ad id facilis est responsio, nempe jurisdictionem non secundùm qvantitatem, sed qvalitatem esse metiendam. Unde majoris est jurisdictionis, qvi paucos habet regendos, si sint nobiles & præclari, qvàm si qvis multos, at ignobiles. Cùm ergò S. Joannes jurisdictionem habuerit in sanctissimam Deiparam, qvæ est suprema potestas Ecclesiæ militantis, seqvitur, illam fuisse potiorem.

S. Thomas 1. P. Q. 2. art. 4.

Gen. 48.

V. Ad id jurisdictio Petri non fuit illius propria, qvando enim commisit illi Deus pascen-

pascendas oves, non abdicavit omnino possessionem earum, dando illam Petro, sed solummodo tanquam suas commisit Petro pascendas. *Pasce oves meas.* Ad insinuãdum ei ait S. Augustinus, quanta sollicitudine & cura fideles suos veluti rem non propriam, sed alienam, regere & custodire teneretur. Sed Joanni commendavit Sanctissimam matrem tanquam propriam ipsius & non ut suam, dicens, *Ecce mater tua.* Hinc etiam de seipso ait. *Accepit eam discipulus in suam.* O S. Joannes cum tantum sis dilectus à Christo, impetra nobis ejusdem gratiam & gloriam sempiternam. Amen.

S. August. in Ioan.

Ioan. 19.

IN FESTO S. IOANNIS Evangelistæ,

CONCIO III.

Recubuit in cœna super pectus Iesu. Ioan. 21.

QUod olim docuerat Christus Dominus Lucæ 14. cap. id Sanctum Joannem Apostolum & Evangelistam, cujus hodie annuam memoriam recolimus, transgressum fuisse video. Ibidem enim legimus, quod dum Christus Dominus, invitatus à quodam Principe Pharisæorum, sabbato manducare panem, vidisset quosdam ad primos accubitus festinantes, eosque sibi præ cæteris eligentes, dedisse ipsis hanc doctrinam. *Cum invitatus fueris ad nuptias non discumbas in primo loco.* Quæ verba explicans venerabilis Beda ait sic. *Has nuptias quisquis invitatus adierit, id est Ecclesiæ se membris fidei gratia conjunxerit non discumbat in primo loco, hoc est, non se de meritis gloriando, quasi cæteris sublimior extollat.* Quin quod plus est, addit idem Pater Ecclesiæ sanctæ, quod licet quispiam videat se egregie amictum veste nuptiali, nec tamen adhuc, eligere præsumat sibi primos accubitus: verba sunt authoris. *Et quidem studeat juxta alterius loci parabolam, veste nuptiali vestitus, hoc est virtutum fulgore coruscus, apparere, sed ipsarum habitum virtutum, loco devotæ humilitatis adornet.* Sanctus Joannes totum fecit contrarium, invitatus enim à Christo Domino, ad spirituales nuptias, id est ad illam cœnam ultimam, Asueri cœna lautiorem; quia obsonia gratiæ solo igne amoris coquebantur & assabantur: ad eam dum venisset una cum cæteris Apostolis Jesu, non solum se posuit in primo loco mensæ, sed etiã de seipso narrans ait. *Recubuit in cœna super pectus Iesu.* Qualem hic feremus sententiam Auditores, num forte hic Domini discipulus aliquam temeritatis culpam incurrit? Nullam plane. Quemadmodum enim Esther Regina licet contra edictum Asueri Regis intrasset non vocata ad ejus cubiculum, speciali quodam privilegio excusata fuit. Eodem modo & S. Joanni, summo amoris privilegio à Christo honorato, licuit recumbere in cœna illa super pectus suum, qua de re in hac hodierna concione plura audiemus.

Luca 14.

Ven. Bedæ

Esther. 15.

I. Quam longe quietis diversa ratio qua in lectulo suo fruebatur S. Jacob Patriarcha, à quiete Sancti Joannis Evangelistæ. Jacob dum pergeret in Mesopotamiam, requiescere volens ad occasum solis, loco pulvinaris usus est lapide in quo posuit caput suum, sicque dormiebat: at Sanctus Joannes Apostolus Domini, ad occasum solis, nempe dum lex antiqua ad occasum properaret, nova autem in illa ultima cœna conderetur à Christo, recubuit super pectus Jesu. Quanto fœliciot Sanctus Apostolus, illo Patriarcha antiquæ legis: si interrogemus utrumque de causa suæ quietis, tam unius responsum quam alterius in eodem sensu conveniet. Jacob enim non tam ab itinere lassus quam ab Esau fratre suo minis perterritus, qui ei mortem minabatur, & sic tristitia fatigatus recubuit: similiter Sanctus Joannes Apostolus, audiens illa verba Domini, *Unus me vestrum traditurus est*, nimis

Gen. 28.

Matt. 26.

anxius, summèque de vita dilectissimi magistri sui sollicitus, & nimio cordis dolore tactus, cum eum sufferre non posset, recubuit, sed quam diversimodè: ille super lapidem, & hic *super pectus Iesu*. Quam bonus Jesus qui ad consolandum suum discipulum, non solũ permisit, sed etiam præcepit, ut caput super pectus suum reclinaret. Nam ut ait Euthymius cum videret Christus Jesus ob ea dicta quæ audiverat, angustiam animæ ejus, quæ etiam in vultu apparebat, eo ad se inclinato, ipsemet languentis caput super pectus suum reclinavit: verba sunt Euthymii. *Magistri morte admodum æstus, propterea accitus fuerat ibique recubuerat.* Planè ita fecit Dominus, sicut illa Sunamitis, quæ cum vidisset filium suum sibi precibus Elizæi datum infirmari, & his verbis lamentari, *caput doleo, caput doleo*, tunc mater pia, ut alleviaretur dolorem filii, vel ad minus eum solaretur dicente textu, *posuit eum super genua sua*. Alii existimant, eum sponte sua cecidisse in pectus Jesu, quando tam triste nuncium proditionis, ex ore Magistri percepit, ita docet Cardinalis Cajetanus, & doctus quidam author modernus, qui casum hunc his verbis describit. *Cum assideret* Jesu proximus, pro ea quâ ipsi Jesus indulgebat familiaritate, reclinavit caput suum in pectus Iesu quasi præ luctu & condolentia, non valens *tenere corpus rectum*. Sed sit ut cunque sive ipsum Dominus posuerit supra pectus suum, sive ipsemet ex languore nimio supra illud corruerit, sufficit id sibi magno cessisse privilegio, nempe eum qui Oza morte percussit subitanea quod umbram sui corporis nempe Arcam illam fœderis tetigisset, pectus suum discipulo permisisse pro lecto, & cor pro pulvinari concessisse.

Euthym. in Ioan. 13.

4. Reg. 4.

Cajet. hic.

Franc Luc. Burg. in Ioan. 13.

2. Reg. 6.

II. Hinc patet quantum Christus Dominus dilexerit suum discipulum Joannem, cui tantum amoris signum exhibuit. Evangelicus ille Propheta Isaias ait se vidisse aliquando Deum residentem in excelso solio, eidemque Seraphim assistentes, qui laudes & gloriam ejus decantabant, & deinde subjungit, quemlibet eorum senas alas habuisse, quarum duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes ejus, & duabus *volabant*. Quærit hic Rupertus Abbas, cur hi Seraphini non habuerint alas, quibus etiam pectus Domini operirent, sic dicens. *Quomodo non datur ala, quæ operiat pectus & cor*: Certe non esset inconveniens, si enim de corde Regis dicitur. *Cor Regis inscrutabile*, multo cõvenientius de Deo qui est Rex Regum, & Dominus dominantium idem dici posset. At respondet idem author, datq; responsi rationem dicens de corde, quod sit locus amoris, & quia amor celari non potest, ea propter neq; cor divinum abscondi posse. Sed aliam responsionem magis proposito meo convenientem suggerit mihi Petrus Damianus dicens quod illud Privilegium ideo Seraphinis fuerit denegatum, nempe ut velarent pectus & cor divinum, quia id soli Joanni Seraphinis majori reservatũ erat, unde ait. *Eos qui ob ardorem charitatis Seraphim vocantur, imitatur* Videamus in quo S. Joannes Seraphinos fuerit imitatus, illi duobus alis velabant faciem Dei, & aliis duabus pedes ejus: sanctus vero Joannes quod illi exequi nequiverunt, adimplevit, quia succensus amore Christi, & recumbens in eiusdem pectore illud operuit. Id ipsum confirmat Divus Augustinus dicens. *Quia ipsum præcæteris, & familiarius diligebat, ita ut in convivio supra pectus suum recumbere faceret.* Summè idem demiratur S. Cæsarius Arelatẽsis, qui explicans ineffabilem illam unionem, & intimam æqualitatem, summumque honoris gradum, quem unigenitus Dei filius habet cum Patre æterno in sinu ejus, comparat illum eidem honori, quem Joannes habuit in pectore Christi dicens. *Neque alius quisquam incarnati ei, & verbi aut usus fuit attingere illud formidabile pectus super quo hic Ioannes, velut pater super filium diffusus recubit, inde de verbe verbum hausit.* Videtur S. Doctor alludere ad illud Sancti Joannis dicentis. *Vnigenitus qui est in sinu patris.* Ut quemadmodum Christo Domino pectus æterni Patris sui familiare fuit, ita pectus Christi Joanni, ex quo multa desumpsit secreta mysteria, quę humanum ingenium nullo modo assequi potest.

Isaiæ 6.

Prover. 25.

Rupertus in Isaiam.

Petrus Damianus Ser. 2. de Evang.

S. Augustin. in Ioan.

D. Cæsarius Dialogo 3.

Ioan. 1.

III. Refert Sanctus Joannes Apocalypsis 4. cap habita fuisse in cælis comitia quædam generalia, ibique inprimis se vidisse Dominum sedentem super solium excelsum nimis, & circumquaque assistentes sibi viginti quatuor seniores cum coronis aureis, deinde adfuisse quoque ibi quatuor animalia majestatem

S. Hiero. & Auguſt. in Apocal.

tem Dei collaudantia, quorum enarrans qualitatem cum ad quartum veniſſet ait. *Et quartum animal ſimile Aquilæ volanti.* Duo Sancti Doctores nempe Sanctus Hieronymus & Auguſtinus per hos viginti quatuor ſeniores intelligunt Chriſti diſcipulos, quos ille præfecit ſuæ Eccleſiæ cæteroſque ſanctos, dicentes. *Per viginti quatuor ſeniores in duodecim Apoſtolis, & præpoſitis, & in aliis duodecim, reliquam Eccleſiam intellige.* Porro per quatuor animalia, communiter quatuor Evangeliſtæ intelliguntur, in facie hominis Matthæus, in facie leonis Marcus, in facie vituli Lucas, & tandem in facie Aquilæ S. Ioannes Evangeliſta. Quando ego hanc viſionem Sancti Ioannis confero cum altera Sancti Ezechielis Prophetæ, id invenio, juxta ſententiam multorum Patrum Sanctæ Eccleſiæ, quod illa quatuor animalia eadem prorſus fuerint, ubi Sanctus Propheta, diviſis illis animalibus, nempe faciei hominis & leonis dextra parte, faciei vero bovis ſiniſtra parte aſſignata, tandem de Aquila ſic ait. *Facies Aquilæ deſuper ipſorum quatuor.* Quidnam eſt myſterii quod iſte ſacer Vates, tribus illis animalibus Aquilam præpoſuerit, nempe; *Facies Aquilæ deſuper ipſorum!* Reſpondet Vitriacus Cardinalis dicens. *Ioannes enim inter alios Evangeliſtas præeminentiam obtinuit*, id eſt viginti quatuor illi ſeniores, & tria animalia immobiliter adhærebant throno Dei, ſed quarta nempe S. Ioannes volabat in medio ſedis, & in pectore Agni quieſcebat.

S. Hieron. in Prologo.

Ezechielis 1.

Iacobus à Vitriaco.

IV. Hinc non eſt mirum poſt reſurrectionem Domini, ubi nullus diſcipulorum Chriſtum cognoſcere poterat, ſolum Ioannem agnoviſſe. Appatuit Dominus poſtquam ſurrexit à mortuis ſuis diſcipulis ad mare Galilææ cumque illum intuerentur Apoſtoli, diu hæſerunt dubii & ſuſpenſi quiſnam eſſet qui illis apparuit. Tandem Ioannes Apoſtolus convertens oculos ſuos in eum qui illis apparuit in hanc vocem erupit dixitq; cæteris. *Dominus eſt.* Unde hæc Ioanni notitia, ex quonam ſigno agnoverat fuiſſe Dominum? Aves nunquam aberrant à nido ſuo, & ſi avolent ad aliquot tempus propter hyemem, in vere dum revertuntur, agnoſcunt & repetunt nidos ſuos: Aquila eſt S. Ioannes & pectus Domini fuit nidus ſuus in quo recubabat, hinc ergo non mirum eſt Chriſtum Dominum tam facilè agnoviſſe.

Ioan. 21.

V. Non abſimilis huic ratio[illegible] eſt alia Divi Petri Chryſologi dicentis. *Primus qui diligitur, videt, quia ſemper amoris oculus acutius intuetur, & ſemper vivacius qui diligitur, ſentit.* Aquila noſter S. Ioannes dum recubaret in pectore Ieſu non ſolum majus acumen oculorum ſuorum ſed etiam omnium ſenſuum ſuorum interiorum ſummam vivacitatem percepit, quid ergo mirum, ſi tam cito agnovit Dominum qui ipſis apparuerat, lynceos oculos habet anima amore capta ad cognoſcendum rem amatam. Hinc illa cæleſtis ſponſa dum amiſiſſet ſponſum ſuum, non aliter ipſum inquiſivit niſi unico amore. *Iudica mihi quem diligit anima mea:* nec aliter invenit, niſi per amorem. *Inveni quem diligit anima mea.* Quapropter Auditores mei invitemur S. Ioannem recumbentem ſuper pectus Ieſu, amor ipſi hoc cubile ſtravit. Cubile autem oculos ſuos illuſtravit, unde & nos amemus Chriſtum Ieſum ut in ipſo quietem noſtram invenire valeamus.

D. Petrus Chryſol. Ser. 4.

Cant. 1.

Cant. 3.

AMEN.

IN

IN FESTO S. IOANNIS Evangelistæ,

CONCIO IV.

Hic est discipulus, qui testimonium perhibet de his. Joan. 21.

INter alia laudum argumenta, quibus hodierna die Sanctum Joannem Evangelistam [illegible] & condecorare cuperem, vel hoc solum non est exiguum quod de seipso ait Sanctus Apostolus dicens. *Hic est discipulus qui testimonium perhibet de his*: Ad dandum enim testimonium præsertim in re maximi momenti, non adhibenda personæ qualescunq;, sed fide, omnique exceptione dignæ. Sed mirum est, cur etiã non detur locus testimoniis fæminarum. Quod enim scribit Matthæus Evangelista de septem panum multiplicatione, & in fine addit: *Erant autem qui manducaverant, quatuor millia hominum, extra parvulos & mulieres:* quod inquam soli viri computentur, pueri vero & fæminæ extra numerum collocentur, id causæ est, quia soli viri ad testimonium tanti miraculi, non vero pueri aut mulieres pertinebant. Hinc etiam cum Maria Magdalena, & Joanna, & Maria Jacobi, cæteræque resurrexisse Dominum Apostolis nunciassent, ait Evangelista. *Visa sunt ante illos, sicut deliramentum, & non crediderunt illis:* non gratis quidem dicente Divo Chrysologo. *Adam novus cito cecidit, dum cito credidit: at veteranus Petrus fœminam non facile audit, fœminis nunciantibus credit tarde, & ut veteranus deliberat, ne ut puer incurrat.* Sic & prudentissimus Paulus, narrans Christi apparitiones post resurrectionem, sic ait. *Visus est Cephæ & post undecim. Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul. Deinde visus est Iacobo: deinde Apostolis omnibus. Novissime autem omnium tanquam abortivo, visus est & mihi.* Cum fœminæ primæ Jesum redivivum viderint, cur nullius mentionem fecit? Respondet Doctor Angelicus D. Thomas Aquinas. *Noluit ponere testimonia, nisi authentica, & ideo tacuit apparitiones mulieribus factas.* Sequitur ex dictis Sancti Pauli nec non explicatione Divi Thomæ Aquinatis, quod si ille solos viros accepit pro testimonio resurrectionis Dominicæ, tanquam authentico & fide digno, jam hic ex duplici capite Sanctum Joannem à nobis laudari posse. Primo, quod non solius resurrectionis, sed totius vitæ Christi Domini testimonium dederit: secundo; quod unicus soluſque ille tantum valuerit, quantum omnes alii collective sumpti: quod vobis in hac concione patebit.

Matth. 15.

Luc. 24.

D. Chrys.

D. Paul. 1. Cor. 15.

D. Thomas Aquin.

I. Quod concernit primum punctum, non est cur in ipso immorer, qui enim non credit Sanctum Joannem totam Christi vitam conscripsisse, legat librum ejusdem Evangelii. Quod autem concernit secundum, nempe omnibus cæteris Sanctis ipsum prævalere, neque id difficile erit ad probandum. Legimus 1. Reg. 18. cap. quam graviter Rex Saul exanduerit adversus David, audiens ipsi dari ob victoriam de gigante partam decem millia, sibi vero, unicum tantum mille: sed si fuisset prudens, & considerasset hoc laudis suæ testimonium à mulieribus sibi fuisse datum, nõ habuisset causam eidem indignandi: sed tunc potius, si à viris adeoq; toto exercitu Israelis audivisset dici eidem David: *Tu unus solus pro decem millibus computaris.* Mea argumenta, quibus probare intendo Sanctum Joannem Evangelistam nõ pro mille sed pro millibus computari, non ore fæminarum, sed scripturæ sacræ & sanctorum Patrũ testimoniis constant quorum è numero primus prodit Sanctus Dionysius Areopagita, qui in sua quadam Epistola sic alloquitur Sanctum Joannem Apostolum; *Saluto te sanctissimam animam*: quæ verba Oratores Evangelici communiter sic exponunt. Cum S. Joannes, totus in spiritum transmutatus, duceret vitam, ab omni cupiditate humana alienam, non existimavit S. Dionysius se melius facturum, quam si hominem sanctum appellaret, volensque eum tanquam omnino spiritualem rite honorare, animam

1. Reg. 18.

2. Reg. 18.

S. Dionys. Areopag.

sancti-

sanctissimam nuncupavit, & ea quidem bona est interpretatio, at ego tam sanctum & tam prudentem Doctorem aliquid his sublimius intelligi voluisse existimo, nimirum illis verbis voluisse insinuare, Ioannem esse quodammodo animam cæterorum Sanctorum. Et quemadmodum anima uti Aristoteles docet: *est tota in toto, & tota in qualibet parte:* ita sanctus Evangelista erat in omnibus Sanctis & singulis, in quem omnes quæq; dona & virtutes suas referre teneantur. Ne verò hic meus discursus peregrinus à veritate videatur, assumo in testem inclytum Martyrem S. Cyprianum, qui conceptui meo suis verbis suffragatur dicens: *Spiritus sanctus omnium viventium anima est*: id est anima totius Ecclesiæ: sed qualiter? *Non quod ipse sit spiritualis anima singulis, sed de plenitudine sua distributor magnificus*: sicuti ergo vocatur divinus spiritus anima, non quod informet corpora hominum, sed quod vitam spiritualem tribuit omnibus; eodem modo anima sancti Ioannis à sancto Dionysio vocatur sanctissima, quasi ejus sanctitatem tantam esse, ut esset anima cæterorum Sanctorum, qui à virtutibus suis esse quoddam sanctitatis participant.

Aristoteles

S. Cyprianus de spiritu S.

II. Duo sunt necessaria, ut quis in virum sanctum evadat, fides nimirum, & amor, si ergo ego ostendero, cæteros Sanctos fidem & amorem à S. Ioanne participasse, ex eo eum sibi præferri non dubitabit. Quod concernit fidem, author quidam neotericus Viguerius Cardinalis, ad demonstrandum id, quod cæteri homines, participent fidem à sancto Ioanne Evangelista, id probare contendit ex verbis ejusdem dicentis: *Fuit homo missus à Deo cui nomen erat Ioannes, hic venit in testimonium*: ac si id de seipso dicat, id autem deducit, ex aliis hujus sancti Apostoli verbis, quæ primis illis sunt conformia, uti illa 19 capite: *Et qui vidit, testimonium perhibuit.* Item in principio primæ suæ Epistolæ: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, & vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt, de verbo vitæ, & vita manifestata est, & vidimus & testamur, & annunciamus vobis.* Et tandem in principio Apocalypsis sic ait: *Apocalypsis Iesu Christi, quem dedit illi Deus palam facere servis suis, quæ oportet fieri cito, loquens per Angelum servo suo Ioanni, qui testimonium perhibuit verbo Dei.* Cum ergo in tot locis sacræ scripturæ dilectus ille Christi discipulus, non se indigitet, nisi per testimonium fidei, sequeretur ipsum fuisse, illum hominem, qui dicitur Ioannes, qui *venit ut testimonium perhiberet de lumine ut omnes crederent per illum.* Sed quia non solum Doctores, & Patres Ecclesiæ, illum textum *fuit homo missus à Deo*, intelligunt de Ioanne Baptista, quin imo ipsemet sanctus Apostolus, facta combinatione verbi Divini cum humana carne dicens: *Et verbum caro factum est*, statim descendit ad præcursorem suum dicens: *Ioannes testimonium perhibet de ipso, & clamat dicens: Hic erat quem dixi, qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat.* Hac tamen manente veritate, nihil hic de laude S. Ioannis Evangelistæ minuitur, qui facto primum magnifico fidei Christianæ Dei hominis facti testimonio, deinde [ut ait Joannes Ferus Concionator Moguntinus] *Ideo Ioannem Baptistam introducit, ne quis forte ea, quæ hactenus de Christo dixit, in gratiam hominis Christi dicta putaret, & ob id minus credibilia judicaret: adjungit igitur sibi alium testem, ut in ore duorũ testiũ stet omne verbum.* Jam verò quid de eodem S. Apostolo D. Augustinus sentiat, audite: *Erat iste Ioannes fratres Charissimi, de illis montibus de quibus scriptum est. Suscipiant montes pacem populo tuo & colles justitiam. Montes excelsæ animæ sunt, colles parvulæ animæ sunt. Sed ideo montes excipiunt pacem, ut colles possint excipere justitiam. Quæ est justitia quam colles excipiunt. Fides; quia justus ex fide vivit.* Quandoquidem igitur S. Ioannes Evangelista huic fidei testimonium perhibuerit, nemo erit fidelium qui eum sibi præferri non patietur.

Apud Corvinũ Tract. 3. Cons. 4.

Ioan. 1.

Ioan. 19.

1. Ioan. 1.

Apocal. 1.

Ioan. 1.

Ioan. Ferus in Annotat.

S. Augustinus in Ioan.

III. Quod verò concernit amorem; & hic non est parvus sed maximæ virtutis: amor enim ille quo Apostolus Petrus Christum dilexit, tanti momenti erat qui eum ad tantæ dignitatis fastigium evexit, ut Salvator Vicarium suum in terris fecerit. Sed illud non caret admiratione. Primum quod Dominus interrogans illum an se diligeret, addiderit nomen Ioannis dicens: *Simon Ioannis diligis me?* & deinde quod non semel sed trina vice de una re eademque ipsum interrogaverit. Quoad primum nonne sufficiebat nominasse

Ioan. 21.

Petrum vel Simonem, ut intelligeret Apostolus, quod Dominus secum loqueretur, ad quid addidit Joannis, & quidem trina vice? Sed scienti gradus amoris, facilis patet responsio. Amor est triplex: Primus, amor Dei, Secundus proximi, Tertius inimicorum. Quia vero hujus trini amoris, nempe quo Deus, proximus, & etiam ipsi inimici diliguntur. S. Joannes Apostolus erat quoddam speculum, ut qui illud intueretur, in eo expressam effigiem amoris divini, quo prosequitur bonos & malos, conspiceret, ac idem foret eum spicere, ac memoriam facere amoris Christi Domini: igitur ut Petrus cognoscat, specialem, & singularem esse amorem Joannis, ea propter, dum ventum esset ad amoris materiam, repetit in auribus Petri hoc nomen Joannis dicens: *Simon Ioannis diligis me?* quatenus diceret, amorem ubicunque viget, Joannem semper habere comitem individuum, & illum qui Deum diligit, eum habere amorem à Joanne participatum. Ne verò id gratis proferre videar, quid de Joannis amore dicat Petrus Damianus attendite: *Divinitus illi concessum est, ut tanta cor ejus etiam circa fratres, charitatis gratia repleretur, ut sacrosanctum pectoris ejus templum, velut caminus quidam divini videretur incendii.* Quod profecto in suis Epistolis, & in quibuslibet scripturis patenter agnoscitur, in quibus per omnem ferè paginam, quasi per rimas charitatis flammæ effunduntur. *Vt nimirum plus amaret, qui plus amabatur, & qui primus erat in redemptoris amore, præcipuus in fraterna fieret charitate.* Hinc patet omnes Sanctos debere Sancto Joanni fidem & amorem, à quo utriusque exemplar ab ipso perceperunt.

D. Petrus Dam. ser. 1. de S. Ioan.

Idē author.

IV. Non absque ratione egregius præco verbi Dei Gilbertus, extollere cupiens Divum Joannem Evangelistam, suis laudibus eum comparavit concluso dicens: *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus.* Ingrediamur hortum istum; quidnam in illo inveniemus, ait ulterius sacer textus: *Emissiones tuæ Paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus, cypri cum nardo nardus & crocus, fistula, & cinnamomum cum universis lignis Libani, myrrha, & aloe cum omnibus primis unguentis*: quanta in illo horto debet esse odoris fragrantia, in quo tot diversi flores reperiuntur. Sponsa sese tanta varietate florum oblectans est anima S. Joannis Apostoli, quæ fuit paradisus plantarum cælestium, in quem prodiga manu Deus contulit & congessit omnes virtutes, unde cæteri Sancti, exemplar virtutis quæcunque sibi arrideat, desumere possint.

Cant. 4.

Gilbertus serm. 37. in Cantica.

V. Amplius aliquid profert S. Bonaventura Doctor, hic enim nuncupat S. Joannem *Microcosmon Sanctitatis*, id est mundum abbreviatum totius sanctitatis in una persona concluse, quatenus quidquid perfectionis in omnibus Sanctis dispersæ & diffusæ, id totum in uno Sancto Joanne Evangelista quasi in quodam cumulo congestum & coacervatum fuerit. Ut sit Virgo cum Virginibus, Confessor cum Confessoribus, Doctor cum Doctoribus, Martyr cum Martyribus, Evangelista cum Evangelistis, Apostolus cum Apostolis, Propheta cum Prophetis, ut liquido constet ipsum fuisse, quod cæteri fuerunt. S. Petrus Damianus ipsum comparat mannæ de quo Sap. 16. *Omne delectamentum in se habentem*, id est omnium virtutum sapore redundantem in evidens signum quod Joannes est manna sanctorum Dei, qui ab eodem eum saporem participant, quem illi CHRISTUS JESUS instillaverat tunc, quando recubuit super pectus ejus. Ipsi honor & gloria in æternum.

AMEN.

S. Bonavēt. de S. Evāg.

D. P. Dam. Opusc. 11.

IN

IN FESTOS. INNOCENTUM,

CONCIO I.

Occidit omnes pueros, qvi erant in Bethleem & in omnibus finibus ejus.
Matth. 2.

HÆc hodierna dies, in qva sancta mater Ecclesia celebrat festivam memoriam sanctorum Innocentum, non mediocrem cuipiam parere posset admirationem: Cùm enim Christus Dominus eo fine in hunc mundum venerit, ut homines vitam habeant, juxta illud Joannis: *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Qvid est, qvòd permiserit occidi tam crudeliter Innocentes? Dum cohors militum venisset ad hortum oliveti ad capiendum Dominum, non fuit ita de seipso sollicitus, qvàm de suis discipulis, dicens ad satellites: *Si me qværitis, sinite hos abire.* Cùm ergo ibi tantùm studuerit saluti discipulorum suorum, cur non etiam Innocentum? Legimus in Vita S. Thomæ Cantuariensis: Qvòd cùm fugisset à furore Henrici II, Regis Angliæ, & ad Monasterium Pontiniacense Ordinis Cistercienſis declinasset, videns propter se Monasterio cladē imminere, ne qvid propter ipsum mali pateretur, sponte ex eodem discessit. Certum est, ob Christum Dominum cædem Innocentibus illatam fuisse. Uti enim narrat sanctus Matthæus Evangelista, videns Herodes, qvòd illusus esset à Magis, qvi juxta conditum ad se reverti, & de puero nato responsum adferre debuerant, ob id iratus est valde, mittensqve suos milites per omnes partes regni sui: *Occidit omnes pueros, qvi erant in Bethleem & in omnibus finibus ejus.* Qvid causæ est, qvòd Christus permiserit tam crudeliter mactari Agnellos, nempe pueros innocentes, cùm id facilè impedire potuisset? Aliqvas hujus rei rationes in hac concione audiemus.

Ioann. 10.

Ioann. 18.

I. Qvòd Christus Dominus mox, ut nasci dignatus est, infantes absqve ulla culpa tam crudeliter necari permiserit, possemus qvidem dicere cum S. Paulo Apostolo: *Qvis enim cognovit sensum Domini?* Nihilominus hujus divini consilii qvædam etiam rationes satis congruæ dari possunt, & primò qvidem Venerabilis Beda talem assignat rationem; nempe illam stragem Innocentum fuisse typum persecutionis in Ecclesia Christiana. Legimus in Exodo, Dominum Deum vocasse ad se S. Moysen Patriarcham, eiq; demandasse, ut sibi erigeret tabernaculum: Sed anteqvam ad rem ventum fuisset, primò typum & delineationem hujus fabricæ sibi exhibuisse, qvod patet ex verbis Domini dicentis: *Inspice, & fac secundū exemplar, qvod tibi in monte monstratum est.* Eodem modo de Rege David scribitur, dedisse Salomoni, filio suo, descriptionem porticus templi, qvod Jerosolymis Domino Deo ædificare debuerat; & id patet ex istis verbis 1. Paralipomenon, à Rege David prolatis: *Omnia venerunt scripta manu Domini ad me, ut intelligerem universa opera exemplaris.* Ubi Abulensis opinatur Davidem accepisse à Deo templi & vasorum omnium ideam in membrana vel tabula descriptam. Jam si ad materiale templum Deus præparavit exemplaria, qvantò magis illud fieri decebat in Ecclesia universali, cujus templum illud figura fuit. Strages ergo Innocentum Ecclesiæ sux sanctæ exemplar erat, non atramento, sed infantili sangvine exaratū. Verba sunt Venerabilis Bedæ: Magno nimis constat hoc exemplar, qvod sangvine describitur? Sed magna etiā est Ecclesia, nec opus unius diei, juxta illud Esdræ dicentis: *Opus grande est & latū.* Qvod si prima alicujus ædificii delineatio multo constat pretio: Cur non etiam Ecclesia Christi constaret multo sangvine innocentū?

ad Rom. 11.

Ven. Beda.

Exod 25.

1. Paral. 28

Abul. Q. 7.

Ven. Beda.

1. Esdræ 10

Monstravit Deus Moysi exemplar tabernaculi. Monstravit etiam Christus exemplar suæ Ecclesiæ: sicut enim illorum Innocentum maximus erat numerus, sic & Christianorum numerus (uti testatur S. Joannes in Apocalypsi) est millia millium, diversi erant illi infantes occisi, nempe ætate, qvia à bimatu & infra, alii etiam erant nobiles & alii plebei, pari tamen discrimine & corona Martyrii. Eodem modo in Ecclesia Christi magna invenitur differentia status & personarum, omnibus tamen pro Christo certantibus una datur corona, juxta illud S. Iacobi Apostoli: *Beatus vir, qvi sustinet tentationem, qvoniam, cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ, qvam repromisit Deus diligentibus se.*

Apocal. 7.

Iac. 1.

II. Sanctus Leo Papa non minus pulchram excogitavit rationem, nempe ploratum & ululatum illorum infantum, dum trucidarentur, vices egisse qvorundam præconum nativitatem Domini & Salvatoris nostri proclamantium, ubi ait: *Dum Herodes atroci intentus facinori ignotum sibi puerū indiscreta infantium cæde persequitur, anunciatum calitus Dominatoris ortum insignior ubiq; fama loqvebatur.* Et hinc magna dementia Herodis apparuit: dum enim innocentes tollebat de medio, ut non essent, illi ploratu & ululatu suo denunciabant Christum morientes. Qvibus gladio ora obtundebat, eò magis ipsorū sanguinē vociferari fecit. Imprudens videretur, qvi, organi sonitum cohibiturus, calcaret folles: Sic enim organum vento plenum altius sonabit: Eodem modo insanivit Herodes, qvi, famam Christi nati jam resonare cœptam extincturus, parvulos pedibus proculcabat, occisosqve tumulis premebat. Folles erant hi innocentes, qvi, qvò magis premebantur, eò magis Christum resonabant: vox enim illorum non tantùm in Rama, sed etiam in Roma audita fuit, teste Macrobio, qvi scribit Augustum dixisse: Præstare porcum esse Herodis, qvàm filium.

S. Leo Papa serm. 2. Epiphan.

Macrob. l. 2. Saturn. c. 4.

III. Sed & ipsa Christi dignitas id exigebat, ut illi innocentes primitias sui sanguinis funderent, idq; cujusdā mercedis loco: qvia, uti ait Palatius: *Cùm Christus in circumcisione sanguinem suū fuderat, infantilis ipsius sanguis innocente qvoq; infantium sanguine compensari debuit.* Iacob Patriarcha, dum apud Laban ovium pastorem ageret, nihil pro mercede petiit, qvàm oves varias & sparso vellere maculosas. Qvo ergò plures oves obtineret, objiciebat bibenti pecudi virgas decorticatas, variiqve coloris. Pastor noster Christus oviū suarum causa in circumcisione vulneratus erat. Et qvid mercedis postulas, ô Pastor? Petiit, ut alter Iacob, oves variegatas, unde ad hoc negotium defervivit virga Herodis decorticata, nempe gladius tyranni, qvi infantes illos tanqvam oves, sparso illorum sanguine, variegatos & maculosos fecit. Nec mirēre Christi bonitatem, qvòd per sanguinem infantum glorificari voluerit, sic enim usus est qvondam ad sui gloriam punitione Pharaonis. Item, si glorificari voluit, & sanctificari dicebatur per noxiorum supplicia Hebræorum: Qvomodo non glorificetur, cùm innoxii pro ipso cruorem fundant?

Palat. in Matth. 2.

Gen. 30.

Exod. 14.

Lev. 10.

IV. Supra nominatus Palatius addit etiam talem rationem dicens: In illis infantibus trucidatis parentes fuisse punitos, qvia [uti ille ait] parentes eorum suum Messiam, qvem Magi adoraverunt, non curarunt agnoscere. Qvod patet ex verbis S. Lucæ dicentis: *Non erat ei locus in diversorio.* Sed nimirū, si pomposus aliqvis Dominus venisset, procul dubio pro illo locus fuisset. Sicut fit in spectaculis, ubi nunqvam ita plena sunt sedilia, qvin pro adventante Principe vel Magnate supersit aliqvis locus. Diceret fortè aliqvis: Cur filii pro peccatis parentum pœnas luant? Sed id nihil novi esse respondet D. Gregorius dicens: *Percutitur pater in filiis, ut acrius uratur.* Plena est sacra historia ejusmodi exemplis. Puniti fuerunt ob scelera parentum infantes in diluvio. Item in Sodomitico incendio. Item in Benjamin vastatione & incendio, cęterisq; in occasionibus, qvæ latè patent in sacro codice.

Luc. 2.

D. Greg. lib. 15. c. 31.

Gen. 7.

Gen. 19.

V. Sed qvidqvid sit: hæc infantum profusio sanguinis fuit in bonum ipsorum, qvod patet hoc exemplo sacri textus: Non fecerat injuriam fratribus suis Joseph, qvòd in ore sacci eorum scyphum suum insciis ipsis absconderit, licet eos postea insequeretur, & veluti furti reos durè acciperet: hoc enim medio ad ipsum revocati sunt fratres, à fame liberati, & in opulentam terram traducti. Eodem modo summa Dei gratia fuit, qvòd infantulis illis passionis propinarit calicem, &

Gen. 44.

nesciis

nesciis quodammodo infuderit: Sic enim à miserrimo liberati ergastulo, ad campos paradisi fæliciter educti sunt. Agnovit id S. Doctor Augustinus dicens: *Nunquam Herodes parvulis tantum prodesse potuisset obsequio: quantùm profuit odio.* Nam in suo sanguine balneati: *Laverunt stolas suas in sanguine Agni.* Et quem secuti erant in circumcisione sua cruentatum, nunc jam cum eodem lætantur in cælis. Amen.

S. August. serm. 3.

Apocal. 7.

IN FESTO S. INNOCENTUM,

CONCIO II.

Rachel plorans filios suos, & noluit consolari quia non sunt.

Matth. 2.

QUod hic sanctus Matthæus Evangelista describens cædem sanctorum innocentum truculentam, referat se ad Prophetiam Jeremiæ dicentis: *Vox in Rama audita est ploratus & ululatus multus. Rachel plorans filios suos, & noluit consolari quia non sunt*, quæ in nova lege adimpleta fuit. Origo huius Prophetiæ, dependet à Rachele, sancti Jacob conjuge, de qua habetur in Genesi. Quod cum parturiret, & ob difficultatem partus periclitans magnis doloribus premeretur, morte jamjam sibi imminente *vocavit nomen filii sui Bennoni, id est filius doloris mei.* Sed posset aliquis dicere. Cur apud S. Matthæum, Rachel dicitur plorare filios suos, cum non nisi ex exteris istum unicum habuerit cujus partum illum difficilem deploravit? Respondet D. Hieronymus, eam hujus esse rationem, quia cum illa Rachel, in loco illo condita & sepulta fuerit, circa quem strages illa infantium edebatur, quasi suos flevisse à S. Matthæo describitur. Sed mirum quid videri posset Auditores; tot millia innocentum in terra illa Herodis occisa fuisse constat, qui non tantum Matres, sed Patres quoq; habere debuerunt, nunquid illorum pectora ferrea? Cur non & ipsi fleverunt? Cur non & ipsi mortem suarum prolium deplanxerunt? In hodierna concione has producam rationes, ex quibus egregia documenta habituri sitis.

Jerem. 31.

Gen. 35.

S. Hieron. in Jerem.

I. Legimus Genesis 37. de S. Jacob Patriarcha quod dum ipsi fama perlata esset, quin oculis suis sanguineam vestem filii sui Joseph inspexisset, & à fera pessima devoratum audivisset, multùm doluisse casumq; filii cadentibus lachrymis deflevisse. Ait enim textus: *Scissis vestibus indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore noluit consolationem accipere.* Quid putatis quantùm Jacob flevisset tot filiorum sanguinem, qui unius videns filii tunicam cruore conspersam tantum fleverat. Cur ergo innocentum cædes à luctu tanti patris non commendatur? Cur Jacobi luctu & lachrymis dimissis, Rachelis apud Bethleem defunctæ, Bethleemiticos pueros parentantes exponuntur lachrymæ? Audite pulchrum responsum. Martyres non habent Patrem super terram, sed cælestis Patris censentur filii. Accipite hujus dicti pulchrum in Machabæis exemplum, qui unius matris voce in generosam ob fidem patriam, mortem occubuerunt armati. Tunc sic D. Cyprianus: *Nec vacat mysterio, quod in passionibus sola cum liberis mater est. Martyres enim qui se Dei filios in passione testantur, jam non nisi Deo Patre censentur.* Et hoc probat amplius ex verbis Christi Domini dicentis: *Patrem nolite vocare vobis super terram: unus est enim pater vester qui in cælis est.* Quid illustrius ad rem præsentem? Etenim sola Rachel

Gen. 37.

D. Cypr. de Exort. Mart.

Matt. 23.

mater in cæde infantium illorum sanguinem rigat lachrymis, ut inde notarentur Christi Martyres non habere patrem in terris, sed cælestis Patris esse filios. Hinc Moyses Dux Israëlis pulchrè animabat populum Dei contra hostes suos dicens : *Exultate gentes cum populo ejus, & adorent eum omnes filii Dei, quoniam sanguinem filiorum suorum ulciscetur.* *Deut. 32.* Cum quibus verbis sacri textus D. quoq; Chrysostomus concordat dicens : *Eos qui traditi sunt ut viles & abjecti, filios appellat Deus & tanquam filios ulciscetur.* *S. Chrysost. in Psal. 95.* Imo sui Martyres, non tantum habentur pro filiis, sed etiam pro hæredibus regni cælestis. Magna igitur Dei Patris clementia, ut ubi Herodis falce infantuli metebantur, ibi electi manipuli in horreum Domini inferrentur. Qua de re pulchre ait S. Chrysostomus dicens : *Transmittit infantes infans Christus ad cælum, nova Xenia patri, primitias fructuum exhibet Genitori.* *S. Chrysost.* Quasi jam novis his pignoribus inciperet apparere cælestis Pater. Sanè modo mirabili & inusitata ratione divinus infans : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri:* quijuxta Tertullianum: *Simul ex sanguinibus & ex Deo nati sunt* Et enim pro Christi nomine effusus sanguis, semen est quo Deo Patri filii charissimi generamur. *Tert. lib. de fuga in perse.*

II. Hinc sequitur alia ratio, cur infantes suos non defleverint in terris patres, sed solæ matres : quia Martyribus nulli sunt patres in terris, cælestis autem pater qui Martyres sanctos habet pro filiis, cur eorum mortem deploraret, quos in cælis triumphare videt? Pulchra hujus figura est, quam jam recensui de Rachele sancti Jacob Patriarchæ conjuge: hæc enim ob difficilem partum plorante, & filio suo nomen Bennoni, id est filius doloris imponente, pater è contra non voluit vocari ipsum Bennoni sed Benjamin, id est filium dexteræ : quod nihil aliud erat quàm typus sanctorum Martyrum, qui sunt filii dexteræ, quâ potiuntur in regno patris sui. Nec immeritò : illi enim sunt præcones Christi Domini, qui toti pæne orbi nunciarunt Christum natum, & propterea illorum præconium tonitruo comparare possumus, quemadmodum audivimus in epistola hodierna, quia procul auditum fuit : Dæmonibus terribile velut tonitru, hominibus vero amabile velut vox Cytharædorum.

III. Mirentur quoq; cælestis Patris dexteram, erant enim Christi nati quodammodo servatores: Primò: quia hoc ipso quod coætanei Christi fuerint, eundem inter se occultarunt, ne ab Herode agnoscereretur. Deinde subtracto per fugam Christo, vicario suo sanguine Herodis sitim extinxerunt, ita ut persequi Christum desineret, quem occisum jam putabat, minimè alioquin cessaturus Christum fugientem persequi. Legimus primo Regum, magno beneficio Michol Saulis filiam affeciisse Davidem maritum suum, quando eum ad necem quæsitum dimisit per fenestram, & reposita in ejus lecto statua pellibus cooperta, apparitores qui eum comprehensuri erant, elusit. *1. Reg. 19.* Non magno tamen constitit hic astus uxoris suæ. At innocentes nostri cum vitæ dispendio personam Christi induerunt, & mortem pro ipso subierunt. *Apud Dion. lib. 42.* Magnis laudibus celebratus Quintus filius Ciceronis, qui patrem ad necem quæsitum occultavit; & tormentis suppositus eum prodere noluit. Sed majori laude digni censendi sunt innocentes nostri, hi enim licet non propria electione, sed divina dispensatione gladium Christo decretum in se exceperint, nihilominùs hoc facto ipsum defenderunt.

IV. Pulchram hujus rei figuram accipite: de lectulo Salomonis Canticorum 3. hæc verba scribuntur : *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios* Quem locum licet diversimode explicent Doctores & Interpretes sacri textus: aliqui per sexaginta illos fortes intelligentes Patriarchas & Prophetas, qui thalamum antiquæ legis diligenter custodiebant. *Cant. 3.* Aliqui per sexaginta fortes intelligentes universos Prædicatores, qui censentur fortes ad portandum onera totius Ecclesiæ, & in manibus suis tenent gladios ad expugnandum hostes ejus oris & operis efficacia. Nihilominùs mihi hic appositè venit lectulus ille Salomonis intelligendus pro cunis Salvatoris. Sed quinam illi fortes? & gladiis insigniti? Sanè sunt infantes, non quidem tenentes gladios, sed excipientes pro Christo suis in corpusculis. Et quia taliter pro lectulo veri Salomonis decertarunt, hinc tenere palmam in manibus, & cælestis Patris possidere dexteram meruerunt. *Hugo Card. in Cant.*

V. Quia

V. Quin imò jam non deflendi in terris amplius: illi enim sunt primitiæ Martyrum & totius Ecclesiæ sanctæ. Legimus Exodi capite 23. In festo tabernaculorum quod erat in exitu anni, Deum postulasse à Judæis omnium frugum primitias. Impletum est hoc in innocentibus, qui in exitu anni eoque tempore quo Christus habitabat in terra peregrina, velut omnium Christianorum primitiæ Deo oblati sunt, juxta illud Canticum Ecclesiæ. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno. Sunt veluti præcoces ficus cæteris sapidiores: tum ob novitatem, tum ob martyrii & innocentiæ pulchritudinem. Sunt Ecclesiæ fundamenta seu primi lapides ab ipsomet fundatore Christo positi; juxta illud Isaiæ Prophetæ. *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos & fundabo te in Zaphyris.* Tales lapides erant innocentes nostri, strati per ordinem à militibus Herodis Regis. Sed evaserunt in fundamenta Ecclesiæ, cujus primi Martyres extiterunt. Nunc autem tripudiant cum eodem Christo Jesu in æternum.

Exodi 23.

Isaiæ 54.

Michæa 7.

AMEN.

IN FESTO S. INNOCENTUM,

CONCIO III.

Sine macula sunt, ante thronum DEI.
Apocal. 14.

LEgimus Danielis Prophetæ 1. capite. Nabuchodonozor Regem Babylonis mandasse Præposito domus suæ ut introduceret de filiis Israël pueros in quibus nulla esset macula, decoros forma, & eruditos omni sapientia, qui possent stare in palatio Regis. Hoc mandatum Regis Babylonici in Ecclesia Christi Domini jam impletum esse cognovimus. Imperator enim cæli terræque Deus, more Principum hujus mundi, qui elegantes Ephebos ad ministeria sua adhibere solent, his etiam non absimiles in aula sua cælesti habere volens, qui essent absq; omni macula & starent ante thronum suum, hos elegit innocentes, quorum hodie sacram memoriam celebramus, eosq; assumens ad aulam suam, pro ministris jam non laboris alicujus sed summi honoris sibi deputavit. Testis hujus rei est S. Joannes Evangelista, qui Apocalypsis capite 14. ait: Se vidisse Agnum stantem supra montem Sion & cum eo centum quadraginta quatuor millia cytharisantium in citharis suis, & cantantium novum canticum ante sedem Dei. Cujus officii tam honorati ipsisq; à Deo dati rationem reddens ait: *Sine macula enim sunt ante thronum Dei.* Unde intelligentes neminem habentem maculam ad cælum admitti posse, quænam illæ sint, & qualiter elui possint in hac concione pensabimus.

Daniel. 1.

Apocal. 14.

I. Quod Rex Herodes occidi jusserit Innocentes, à malo Genio instigatum fuisse existimo, cujus præcipuum opus est mundū instigare adversus innocentiam, qui nescit irasci nisi in innocentes: & quò est aliquis innocentior, eò magis ad se putet spectare mundi iras, mūdi prælia. Accipite exemplum ex libro 2. Regum: Ubi textus ait: *Dixit ergo Achitophel ad Absolon. Elige mihi duodecim millia virorum, & consurgens persequar David hac nocte.* Ecce tibi cui parantur insidiæ? adversus quē armātur exercitus? quis petitur ad

2. *Reg.* 17.

mor-

mortem? nimirum David, erat tunc in populo patricida Absolon, erant innumeri rebelles, sceleſtiſſimi quam plurimi, & bella & mortes, unum Davidem petunt, forte quia hic ſolus inter tot myriades hominum innocens erat. Chryſoſtomus de Abſolone ait: *O Innocentia, quantùm apud reos periculi ſuſcipis, quantum malitia perflagitioſos incurris! David ſanctiſſimus tot dementes exercitus [quia non deliquit] offendit: tot populorum rabies [quia non læſit] incurrit.* Expende cur tot a...atorum phalanges David ſuſtinuit, nimirum *quia non deliquit, quia non læſit*: quaſi mundi prælia ſolos petant innocentes. Hæc eſt continua mundialium iraſcentium vox data Sapientiæ 2. *Circumveniamus juſtum.* Huc ſpectant univerſi exercitus, Pſalmo 9. *Vt ſagittent in obſcuro rectos corde.* Poteſt fieri, ut aliquando impius prælii caſtigetur, at non poteſt fieri, quod mundialia prælia nõ petant ſemper innocentem, juxta illud: *Non ſcient omnes, qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam ut cibum panis?* Dei populus, Dei filii innocentiſſimi, ſanctiſſimi, ubiq; laniantur, vorantur, ut cibus panis. Quid eſt vorari innocentes, ut cibum panis? Acutè & ſapienter, D. Auguſtinus eam quæſtionem ſolvit dicens: *Tanquam panem manducant populum Dei. Cætera enim quæ manducamus, poſſumus modo illa, modo illa, non ſemper hoc olus, non ſemper hanc carnem, ſemper autem panem.* Equidem quod eſt panis in conviviis, id eſt innocens in mundo. In conviviis contingit aliquando eſſe perdicem, aliquando gallinas, aliquando palumbum, vel alia pro guſtu invitantium, & temporis differentia: Sed panis nunquam poteſt abeſſe à conviviis. Sic eſt in mundo: aliquando rapit virginem, aliquando perſequitur hunc fidelem, aliquando alium, ſed innocens nunquam poteſt preſſuras illius evitare. Quod patet hodierno exemplo: hi enim infantes cum nullius culpæ rei eſſent, ſed ſolam innocentiam pro ſchemate habuiſſent, ob eam quoque exitium vitæ incurrerunt, quia mundus & Diabolus neſcit iraſci niſi innocenti, juxta illud Eccleſiaſt. 4. capite: *Verti me ad alia, & vidi calumnias quæ ſub ſole geruntur, & lachrymas innocentium.*

S. Chryſ.

Sapient. 2.

Pſal. 52.

S. Auguſt.

Eccleſ. 4.

II. Sed ne totum Diabolo concedamus, poſſumus etiam dicere Chriſtum infantem ſimiles quoq; ſibi habere voluiſſe miniſtros, nempe innocentes & ſine macula. Sic enim olim proteſtatus fuerat dicens: *Ambulans in via immaculata hic mihi miniſtrabit.* Unde S. Hieronymus ſcribens ad Euſtachium ita ait: *Statim quando ingreſſus eſt in mundum novam ſibi familiam inſtituit*: id eſt hos infantes & innocentes pueros aſſociari ſibi voluit. Cujus ratio duplex dari poteſt. Prima quæ habetur apud Eccleſiaſticum: *Omne animal diligit ſibi ſimile & omnis homo proximum ſibi.* Quia ergo filius Dei dignatus eſt eſſe puer & virgo de pura virgine, congruum fuit ut ſibi pueros & immaculatos aſſociaret, de quibus dicitur: *Virgines enim ſunt, & ſequuntur Agnum quocunq; ierit.* Secunda cauſa eſt quia filius Dei venit ad reparandam innocentiam: & cum ille manens innocens ſanguinem ſuum fuderit, mortemque oppetierit: Sanctos innocentes ejuſdem ſanguinis præcurſores eſſe voluit. Ut medio mortis ſuæ ſine macula ante thronum Dei ſtare poſſent.

Pſal. 100.

S. Hieron.

Eccleſ. 13.

Apocal. 14.

III. Sed cum abſque macula oporteat intrare in regnum cælorum, quænam hæ ſunt & quibus modis eluendæ? Ego triplicem maculam invento, nempe: Primam cordis, alteram oris, & tandem tertiam operis. Macula cordis eſt mala delectatio, in corde immundo concepta, quæ maculat faciem animę coram Deo. Unde S. Iob ſic ait: *Si non manſerit in tabernaculo tuo Injuſtitia, tunc levare poteris faciem tuam abſq; macula.* Interpretes hujus loci per tabernaculum intelligunt cor humanum, juxta illud: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus & habitavit cum eis.* Qui igitur tabernaculum cordis ſui ab omni injuſtitia immune habet, ſic faciem animæ ſuæ abſque macula permanentem levare ad Deum poterit. Cæterum ſi inquinata maneat & deformis, viſu illius, nequaquam Spiritus ſanctus delectabitur, juxta illud Sapientis: *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum & auferet ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu.* Eſt quidem difficile hominem illa libertate frui, ne cogitet aliquid Deo animæq; ſuæ contrarium, ſed conſenſus eſt tanquam arbiter, qui diſcernit inter lepram & lepram, id eſt voluntatem, maculam peccati recipientem, aut illi reſiſtentem.

Iob. 11.

Apocal. 21.

Sapient. 1.

IV. Et hæc reſiſtentia cordis, in ore comprobatur juxta illud Lucæ 6. cap. *Ex abundantia cordis os loquitur*, quæ enim in corde con-

Lucæ 6.

Matth. 15. concipimus illa ex ore patturire solemus, juxta illud Matthæi 15. capite: *Quæ procedunt de ore, de corde exeunt & ea coinquinant hominem.* Inter tot maculas oris turpissimum est mendacium & detractio, quibus maculis infantes hodierni caruerunt, de ipsis enim repetimus illud Apocalypsis 14. *In ore eorum non est inventum mendacium, sine macula sunt ante thronum Dei.* Hoc loco sacræ scripturæ nihil est verius, detractor enim honoris nihil aliud facit, nisi quod maculet os suum, estque similis emunctorio, quod mundans lumen candelæ, seipsum conspurcat & denigrat: Eodem modo detractor dum honorem alterius sugillat, ejusq; bonum nomen emungit, Sapient. 1. seipsum maculat. Contra tales optimè loquitur sapiens dicens: *Ad detractione parcite linguæ*, quasi diceret; nolite maculare linguam per detractionem.

V. Sed quod amplius est, macula operis est 1. ad Tim. ultimo cap. adhuc turpior, quia designat peccatum operationis. Mirum est quod S. Paulus Apostolus discipulum suum Timotheum talibus verbis admonuerit dicens: *Præcipio tibi ut serves mandata Dei sine macula.* Quid est hoc? Numquid jam tunc Timotheus erat aliquis novitius? Numquid toties probitas vitæ suæ à Magistro suo Divo Paulo collaudata fuit? ut quid ergo præcipit servari mandata Dei sine macula? Respondent quidam Interpretes sacri textus. Non sufficere hominem sibi ipsi esse bonum & virtuosum, sed quia aliquando contigit labi, juxta illud Proverbiorum 24. *Septies in die cadit justus.* Ideo Divus Apostolus in eodem loco commonefacit discipulum Prov. 24. suum Sanctum Timotheum, ut non tantummodò sibi soli sit absq; macula, sed ut ejusdem exemplar per observationem mandatorum Dei, cæteris quoque illam ad sequelam exhibeat. Pulcherrimè id expressit Sanctus Iob dicens, *Si in manibus meis adhæsit macula:* S. Iob. 31. *seram, & alius comedet:* id est si opera mea fuerint maculata seu crimi..osa, nō prosunt mihi Eleemosynæ quas semino, seu omnia opera bona quæ facio. Quapropter lavemus maculas peccatorum aqua pœnitentiæ, ut cum innocentibus stare possimus ante thronum Dei. Amen.

IN FESTO S. INNOCENTVM,

CONCIO IV.

Flores apparuerunt in terra nostra. Canticor. 2.

In vitis Sanctor. LEgimus in vita S. Dorotheæ Virginis & Martyris: Quod dum euntem ad Martyrium eaque verba dicentem; Gratias tibi amator animarum qui me ad Paradisum tuum vocasti; Theophilus quidam Præsidis Advocatus irrideret dicens: Eja tu sponsa Christi mitte mihi de paradiso sponsi tui mala aut rosas; Sanctam Dorotheam id se facturam spopondisse & ipso facto præstitisse. Cum enim ante ictum brevi precari permissa esset, pulchra specie puer ante eam apparuit ferens in orario tria mala & tres rosas, quas cum de mandato suo Theophilo obtulisset, multum obstupuit, quod cum esset Februarius & cuncta gelu rigerent, tam pulchros fructus floresque rosarum videre meruerit. Majorem admirationem ego habeo Auditores, dum in hoc mense Decembri in quo cuncta rigent, flores quidam vernantes & pulcherrimi oculis meis objiciantur, nobisque non jam à S. Dorothea, sed à cælesti sponsa proponantur sacro dicente textu: *Flores apparuerunt in terra nostra.* Quinam hi flores sint respondet S. Au- S. August. gustinus, hodiernos sanctos Innocentes & in serm.

Martyres verè dici flores, quos in medio frigore infidelitatis exortos, velut primas gemmas erumpentes, pruina persecutionis invasit, decoquere tamen non potuit, quia illæ gemmulæ in pulcherrimos flores purpureo colore vernantes eruperunt, dum pro Christo IESU recens nato Herodis Tyranni percussi gladio sanguinem suum innocentem profuderunt. Cur verò floribus comparentur aliquas rationes in hac concione audietis.

✠ Quemadmodum Ecclesia Christi horto aut vineæ alicui; ita quoq; Sancti Martyres floribus comparari possunt. Cum enim insurgunt venti, videntur inimicari & hostiliter agere cum floribus, dum flatu suo illos concutiunt: nihilominus loco injuriæ, id ipsis cadit in lucrum maximum, tali enim flatu gemmæ florum aperiuntur, & perfectè explicantur, suavemque exhalant odorem. Hinc est quod sponsa illa cælestis flatum ventorum exoptabat dicens: *Surge Aquilo & veni Auster, & perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Per flatum ventorum, intelliguntur diversæ tentationes & tribulationes, quibus Sancti Martyres, quasi flores quidam quatiuntur. Per hoc tamen plus illis prosunt quam obsunt, quia hisce motibus concussi, per amorem Christi Domini in confessione sanctæ fidei dilatantur & explicantur; nec non innocentis vitæ suæ suavem spirant odorem. Talium florum, numerosam hodie copiam in vinea Christi nempe in Ecclesia sancta conspicimus, & hi sunt Sancti Innocentes ab Herode pro Christo occisi, quos cur floribus assimilem, justas rationes habeo. Inprimis dicuntur flores propter puritatem vitæ flori non absimilem, juxta illam Prophetiam S. David de Christo loquentis: *Super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea*: id est apparenter florebit effectus sanctificationis meæ, qui in membris meis nempe justis hominibus, tanquam flores quidam elegantes apparere solent. Quod ergo concernit puritatem Innocentium, eam triplicem in illis reperio, nempe cordis, oris, & operis. Prima puritas ex eo patet, quia nitorem interiorem non amiserunt. Cujus ratio hæc est. Nam macula est quidam tactus animæ, dum homo peccat adhærendo aliquibus rebus per amorem, contra lumen rationis, & divinæ legis: Porrò illi pueri ante usum liberi arbitrii occisi fuerunt. Cum ergo per amorem rebus temporalibus non adhærere potuerint, consequenter mentis munditiam non amiserunt. Hinc de ipsis canit Ecclesia: *Sine macula sunt ante thronum Dei.* Item, habuerunt puritatem oris, quia nullum mendacium aut aliquod siniſtrum verbum protulerunt juxta illud: *In ore eorum non est inventum mendacium.* Et tandem habuerunt puritatem corporis, quia nunquam amiserunt castitatem, juxta illud: *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt.* Et meritò tales esse decuit, quia introducendi erant in cælestem aulam in quam nihil coinquinatum introire potest. Juxta illud quæsitum S. David: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* & responsum ejusdem: *qui ingreditur sine macula*: & tales fuisse Sanctos Martyres testatur S. Augustinus dicens: *Beata es ô Bethleem terra Iuda, quæ sub uno tempore candidatam plebem infantiæ offerre Deo meruisti.*

Cant. 4.
Hugo Card.
Psal. 131.
Apocal. 5.
Apocal. 14.
Psal. 14.
S. Augustin. in serm.

II. Altera floris hortensis est conditio, quod habeat dulcem odorem, quod autem hic conveniat justis hominibus patet ex eo sacræ scripturæ loco: *Christi bonus odor sumus.* Quo in loco bona fama vitæ sive sanctimonia intelligitur. Hinc habemus Genesis 27. capite. Quod dum Jacob filius Isaac Patriarchæ venisset ad parentem & ad eum prope accessisset, ille sentiens fragrantiam vestimentorum illius & benedicens illi, ait: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni.* Ubi per odorem intelligit bonam famam & integram vitam filii sui Iacob, erat enim simplex & timoratus adolescens. Et quicunq; tales sunt ad illos spectant illa verba Ecclesiastici dicentis: *Florete flores, quasi lilium & date odorem.* Quæ verba explicans Venerabilis Hugo Cardinalis sic ait: *Florete flores id est virgines quæ floretis interius per sanctum propositum, & exterius per effectum.* Tales flores erant Sancti Innocentes bonam famam infantilis vitæ suæ exhalantes.

S. Paulus. ad Cor. 2.
Gen. 27.
Eccles. 29.
Hugo Card.

III. Est etiam & hæc floris conditio: Quod in se quandã dulcedinem ex qua mel gene-

generari solet, contineat, quod patet ad oculum: Videmus enim apes de floribus diversis mel colligere, & ad sua alvearia comportare. Huic dulcedini mellis Sancti Innocentes meritò comparari possunt: illi enim copioso suo numero exhilararunt, & summa dulcedine affecerunt cælestem patriam &
Luca 15. justè quidem: Si enim dicente S. Luca: *Gaudium est Angelis super uno peccatore pœnitentiam agente.* Si teste Venerabili Beda tota Trinitas Sanctissima gaudet de conversione peccatoris. Nempe Pater, quia videt imaginem suam deformatam per pœnitentiam reformari. Gaudet filius, quia videt amaram passionem suam non frustrari. Gaudet
Beda. Spiritus Sanctus, quia videt templum sibi augmentari: Multò magis tota cælestis curia gavisa fuit de Sanctis Innocentibus, quia primos flores sui sanguinis aspexerunt, eorumq; odorem perceperunt.

IV. Et quia hi Sancti Innocentes primitiæ erant agni immaculati pro nobis immolandi, nempe Christi Jesu Salvatoris nostri, hinc ut ad particulares flores descendam, sanguinem illorum flori violaceo non absurdè assimilare possum, idq; ob has rationes, uti enim violæ sunt primi flores anni. Ita Sancti Innocentes fuerunt primi flores nascentis Ecclesiæ, & ab ipsis primus vitæ fructus processit, sicut prædixerat Isaias Propheta dicens:
Isaiæ 17. *Mane semen tuum florebit.* Ubi dicit Glossa. Mane in illis semẽ floruit, quia adhuc in pueritia, divina gratia in eis germinavit. Ad videndum hos flores Christus sponsus Ecclesiæ
Cant. 2. prænonet sponsam suam dicens: *Surge propera amica mea & veni. Iam enim hyems transiit, imber abiit & recessit, flores apparuerunt in terra nostra.* Eodem modo sponsa cælesti suo sponso correspondere volens, desiderium suum aperuit dicens: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Si defectu seu deliquio aliquo laborabat, ad quid floribus pro medicamento uti voluit. Nonne pharmaca aliqua magis utilia habere potuit? Sed egregiè respondet novus quidam Commentator dicens: *Hi enim sunt illi plane similes effecti, qui de semetipso dixit Ego flos campi: nihil magis sibi sapiebat, quàm flores, nempe sancti, vita Innocentia præstantes, tan quam similitudinem sui floris in se referentes.* *Gulielmus sup. Cant.*

V. Quæ tandem est laus hortorum & vinearum, quod non solum varietate florum clareant, sed etiam eorundem odore præcellant. Eodem modo Sancta Ecclesia, non solum de floribus Sanctorum suorum, sed etiam de odore sanctæ fidei cæterarumq; virtutum, quem exhalant per martyrium, gloriatur. Et hoc patet in hodiernis Sanctis Innocentibus: hi enim quamvis Herodis gladio tanquam falce quadam demessi fuerint, ob hoc tamen odorem suum amittere nõ potuerunt, quin majorem exhalarunt, ad instar florum & aromatum quæ contrita digitis majorem spirant redolentiam. Hinc optimè ait D. Augustinus: *Hostis Herodes nunquam beatis parvulis tantùm prodesse potuisset obsequio, quantùm profuit odio.* Nam quibus erat author mortis, his etiam & vitæ cælestis. *S. Augustin. in serm.*

AMEN.

IN FESTO S. BLASII

Martyris,

CONCIO I.

Si quis vult venire post me abneget semetipsum.

Matth. 16.

ANtiqui illi tam Romanorum quàm Græcorum gentiles, templa à se extructa, illa illustriora esse putabant, quæ è numero cælicolarum, majoribus Diis seu Deabus consecrata forent. Hinc argumentum habeo, eam nostram Ecclesiam, quam devotionis causa hodie visitamus, omnibus Romanorum Græcorumque templis illustriorem esse: hæc enim non inanibus falsisque simulacris sed imagini veri DEI, quin (ut ita dicam) ipsi DEO, (de nobis enim ait sacer textus: *Ego dixi Dii estis.*) Sancto inquam Blasio, fortissimo Athletæ Domini dedicata, illustrem sibi titulum comparavit. Sed unde huic Sancto laudes promam? Sanè non ideo, quod sibi magnam orbis partem sicuti Magnus Alexander subjugarit, non; quod leones quemadmodum fortis David occiderit, non; quod de hostibus gloriosam victoriam reportaverit. Sed ob id quod pro nomine CHRISTI JESU passus fuerit, mortemque fortiter subierit. Quæretis fortè, undenam Sancto Blasio Martyri tanta virtus accesserit, nempe quod seipsum abnegaverit, crucem Domini tulerit, eumq; secutus fuerit? Respondeo. Quod amor Dei qui omnia reddit facilia Sancto Martyri Blasio, tantas vires subministraverit, quod vobis in hac concione demonstrabo.

Psal. 81.

I. Memini Ovidium Poëtam de amore quondam id protulisse: *Omnia vincit amor.* Quod ille de prophano amore dixit, id nos de divino elegantius cum Sancto Paulo dicere possumus: qui ad Corinthios capite 13. sic ait: *Charitas omnia suffert.* Et merito talis amor, omnia sufferre debet propter DEUM: si enim juxta testimonium sacri textus, Jacob Patriarcha, qui antea vivebat sine curis, postquam egressus domo paterna, perrexit in Mesopotamiam, amore captus Rachelis speciosæ, ut in uxorem sibi eam acquirere posset, nulli pepercit labori, sed uti ait sacer textus Geneseos 29. *Servivit pro Rachel septem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Quantos Christianum decet pro amore Dei & Creatoris sui sustinere labores? Hinc ait sanctus Doctor: *Quanta passus fuit Patriarcha Iacob ut Rachelem in conjugem consequeretur? amemus & nos Christum, & facile videbitur omne difficile.* Lex illa veteris testamenti filiis Israelis nimis dura videbatur, at ego legem novi testamenti dicere possem duriorem: in antiqua enim lege sufficiebat non occidere, at in nova, inhibetur etiam irasci fratri suo, nihilominus Christus Dominus legem suam appellat onus leve & jugum suave. Sed facilis hujus veritatis ratio dari potest; Lex nova seu Evangelica, non quasi difficilis, sed ut facilis nominatur, quia est lex amoris, unde à diligente DEUM facillimè executioni demandatur: nam testante Sancto Augustino sermone 9. de verbis Domini: *Omnia sæva & immania prorsus, facilia reddit amor.*

1. ad Cor. 13.

Gen 29.

S. Hieron. Epist. 20.

S. August. serm. 9.

Ovid. lib. de amore.

II. Figuram hujus rei habemus Cant. 1. ubi scribitur qualiter sponsa illa mystica inter diver-

diversa nomina quibus sponsum suum compellabat, etiam ipsum vocat fasciculum myrrhæ : *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur* : per quem fasciculum myrrhæ intelligit sanctus Bernardus plurima tormenta & cruciatus Christi Domini : itaque sponsa vocat eum non fascem, sed fasciculum, ad demonstrandum summum amorem suum erga hominem, cujus causa omnes dolores sui levissimi sibi videbantur : Verba sunt Sancti Bernardi: *Non fascem sed fasciculum dilectum dicit : quod leve pro amore illius ducat, quidquid laboris immineat & doloris* : ut id amplius pateat, exempla quædam audiamus. Legimus Joannis 21. cap. Sanctum Petrum Apostolum, utrum Jesum diligeret, trina vice interrogatum fuisse ab eodem: Petrus audiens interrogationem Domini tribus vicibus fuisse repetitam, summè angebatur, nullam sibi occasionem dari, per quam amorem suum quo in Dominum ferebatur probare posset. Tandem bona ipsi accidit occasio. Cum enim discipuli Domini in piscatione occupati, vidissent Dominum supra aquas ambulantem, turbabantur dicente phantasma esse. Sed quid Petrus ? Solus ille fuit, quin prosilivit ex navi, descenditque in mare ut magistrum suum accederet. Miratur hic Sanctus Ambrosius audaciam magnam Petri quod se committere mari ausus fuerit, & respondet dicens : *Amore CHRISTI ductus descendit in mare, & dum CHRISTVM respicit, non respicit Elementum.* Magna igitur amoris divini est potentia, quę amatores suos efficit audaces & invictos.

Cant. 1.

S. Bernard.

Joan. 21.

Matth 14.

S. Ambros. Sermone 2. de sanct.

III. Non minùs pulchrum extat exemplum de Sancto Joanne Evangelista, quod Tertullianus autor antiquissimus enarrat: *Hic invictus miles Jesu Christi, jussu Imperatoris Domitiani cum condemnatus esset ad martyrium, nempe ut in Aheno oleo ebulliente pleno torqueretur, omnium admiratione illæsus exivit ex eodem.* Quid rei ait prænominatus author, quod voracissimus ignis olei bullientis nihil nocuerit ? & respondet dicens : *Flamma pectus ejus comburens, ignis actionem suspendit.* Quasi diceret, tunc cum sanctus ille Evangelista in cacabo illo torqueretur, duos ignes pugnam inter se habuisse, & tandem ignem amoris, quo in Christum summè ferebatur, de illo materiali victoriam reportasse. O magnam amoris potentiam quæ nullas formidat afflictiones, sed superat & vincit omnia. Pro confirmatione hujus satis faciet nobis exemplum Sancti Blasii Martyris, cujus festivam memoriam celebrat hodierna die sancta Mater Ecclesia. Quantas ille tribulationes, quantam sævitiam à Tyrannis fidei Christianæ perpessus fuerit, quis enumerare queat? Placeat vobis audire aliquid de fortissimo sancti hujus Martyris certamine. Cum Diocletianus Cæsar magnam crudelitatem in Christianos exerceret, se in speluncam montis Argæi abdiderat, ubi orationibus & meditationibus assiduè vacabat, feræ silvestres ad eum confluebant, nec prius abibant, quàm acceptâ ab eodem benedictione. Sed cum à venatoribus ibidem inventus esset, atque conjectus in carcerem detineretur in eodem, multis ibidem ægrotis persanatis, tandem productus ad tribunal, cum neque blanditiis nec minis adduci posset ut Diis sacrificaret : primùm flagella agrestia sustinuit, deinde ligno suspenditur, carnes ei ferreis pectinibus dilaniantur, in lacum demergitur, sed salvus ab Angelo extrahitur, tandem jubente eodem Tyranno truncato capite illustre fidei & amoris testimonium Christo Domino dedit. Liceat ergo mihi ingeminare verba Sancti Augustini dicentis : *Omnia sæva & immania prorsus, facilia reddit amor.*

Tertullian.

IV. Utinam qui huic concioni adsumus exemplum hodierni Ducis nostri, nempe Sancti Blasii Martyris, imitari velimus, moderno etenim tempore multi reperiuntur qui dicunt cum sancto David. *Tuus sum ego quoniam justificationes tuas exquisivi :* at quod ore dicunt, utrum opere exequantur, præstò adest testimonium S Ambrosii dicentis : *Facilis vox* : & communis hæc videtur : *Tuus sum ego.* Sed paucorum est, satis rarus est, qui possit dicere : *Tuus sum ego.* Scitis ne quis id possit dicere ? is qui taliter amat Deum ut præ amore ejus seipsum abne-

Psalm. 118.

S. Ambros.

abneget, & tollat crucem suam, is qui propriam deserit voluntatem & facit voluntatem DEI; Audite S. Ambrosium dicentem. Non potest dicere secularis tuus sum, plures enim Dominos habet: venit libido, & dicit meus es, quia ea quæ sunt corporis concupiscis: venit avaritia, & dicit meus es, quia argentum & aurum quod habes tibi dominatur: venit gula, & dicit, meus es, quia unius diei convivium, pretium vitæ tuæ est: at CHRISTUS Joannis 14. *Si quis diligit me sermonem meum servabit.* Quomodo ergo potes dicere, Tuus sum ego, cum hæc verba tantum proferas, sed operibus negas? Bene ait S. Gregorius: *Probatio dilectionis, exhibitio est operis,*

Joan. 14.

Homil. 30. in Evang.

V. Porro quidam sunt, qui videntur amare DEUM, sed id faciunt commodi sui gratia; similes plane illi S. Isaac Patriarchæ, qui Jacob post habito, Esau plus afficiebatur, non ob aliud, nisi quod ille venator fuerit, de cujus venatione interdum vescebatur. Ad eundem modum & homo ipsius commodo & lucro studens, DEUM diligit: quia multa ab eo beneficia recipit, & plura sperat. Horum amor quam sit instabilis ex eo patet, quia tempore prosperitatis amant DEUM, & tempore tentationis ab eo recedunt. Legitur Exodi 15. Quod cum Hebræi vidissent, inimicos suos qui persequebantur illos in mari submersos esse, se ipsos autem incolumes ad alterum littus pervenisse: lætum carmen Domino cecinerunt: *Cantemus Domino gloriosè enim magnificatus est.* At non multò post, cum rerum penuria laborarent, omnes adversus Moysen & Aaronem in deserto murmurarunt: *Vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium:* serviebant nimirum DEO, quamdiu ad votum cuncta habuerunt, at dum adversa ingruebant ab eodem recedebant. Quotnam hodie ô DEUS Israëlitis pares invenies, qui non nisi in prosperis amorem suum erga Dominum DEUM protestantur. At justi homines servique Domini longè aliter faciunt, qui cum Sancto Paulo ajunt: *Quis nos separabit à charitate CHRISTI. Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* & tandem concludit dicens: *Certus sum quod nulla creatura poterit vos separare à charitate CHRISTI.* E numero talium erat S. Blasius Martyr. Cujus vestigia si secuti fuerimus, nunc viventes divina gratia, post mortem verò cælesti gloria perfruemur.

Exod. 15.

Exod. 16.

Ad Rom. 8.

AMEN.

IN

IN FESTOS. BLASII Martyris,

CONCIO II.

Si qvis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.
Matth. 16.

Plato. SApiens ille Philosophus Plato solebat dicere, eam Rempublicam beatam fore, qvæ doctis viris abundaret. Ast ego beatiorem dixero spiritualem Rempublicam, nempe Sanctam & Catholicam Ecclesiam: hanc enim Christus Jesus non solùm doctis, sed etiam sanctis hominibus decorare dignatus est, non *Cant. 2.* sexaginta dicam, qvi lectulũ Salomonis [Ecclesiæ veram imaginem] circumstabant, sed millenũ eorum numerum producere possem, qvos brevitatis causa præteriens, unum vobis propono S. Blasium, magnum Episcopum & Martyrem Christi, qvi qvantæ fuerit doctrinæ & sanctitatis, id evidenter patet ex historia vitæ suæ. Sanctus vir Blasius tanta virtutum & sanctitatis laude floruit, ut Sebaste in Armenia ad Præsulatum adscitus fuerit. Ubi, cum plurimum in Ecclesia Domini fructum feciſſet, tandem, grassante Diocletiani tyrannide, secessit in eremum, seqve abdens in spelunca montis Argæi, ibidem orationibus & meditationibus assiduè vacabat. Feræ sylvestres ad illum confluebant, nec priùs inde abibant, qvã accepta ab ipso benedictione: tandem à venatoribus deprehensus, & ad Præfectũ militum Agricolaum perductus, cùm, ut Deos gentilium coleret, nullo modo adduci posset, pro fide Christi decertans fortiter, martyrii coronam adeptus est. Hinc occurrit mihi una qvæstio: Cur Deus præpotens, qvi sanctos suos protegit, S. Blasium in spelunca illa diutius latitare non permisit, qvin per venatores prodidit, & ad martyrium ordinavit? Ea qvæstio erit materia concionis meæ.

I. Qvàm magnam & singularem protectionem experiantur à Deo, qvi ad ipsum refugiunt, ejusqve alas, sub qvibus protegantur, implorant; varia hujus exempla in sacris scripturis invenimus. Inprimis habemus historiam de sancto Jacob Patriarcha Gen. 28. *Gen. 28.* Hic, in magno periculo vitæ suæ constitutus, qvod ipsi Esau, frater major natu, ob surreptam sibi benedictionem intentabat, relicta domo paterna aufugit, seseqve peregrinationi dedit. Sed qvid fit? Postqvam longum diei peregisset iter, cernens adesse noctem, nesciens, qvo loco sibi pernoctandum esset, procubuit in terram, & suppositis suo capiti aliqvot lapidibus obdormivit. Pensate divinam protectionem; Vix clausit oculos, ecce tibi visio Dei scalam sibi in somnis exhibentis, per qvã angeli ascendebant, & descendebant. Sed qvidnam designabat talis discursus Angelorum? S. Bernardus Abbas, explicans *S. Bernard.* Psalmum David Regis 90. ait: Per sanctum *in Ps. Qvi* hunc Patriarcham Jacob repræsentari & signi- *habitat.* ficari omnem hominem, qvi verè est peregrinus, juxta illud sancti Pauli ad Corinthios 2. *2. ad Cor. 5.* cap. 5. *Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino.* Sicuti ergo Jacob, tremens & fugiens persecutionem fratris sui, invenit Angelos, qvi ad protectionem sui parati esse videbantur, sic & nos, dum cunq; fugere volumus varias insidias inimicorum nos perseqventium, habemus Deum nobis præsentem, qvi semper nostri curam habet, ut nos protegat, & ab omni malo tueatur.

II. Alio exemplo id evidenter patet, uti habetur 4. Reg. 6. Sanctus Propheta Elisæus 4. *Reg. 6.* morabatur in Dothaim, cùmqve servus Prophetæ hujus summo mane egrederetur civitatem, vidit illam undiq; magno exercitu circumcinctam: nam sic habet textus: *Viditqve exercitum in circuitu civitatis, & eqvos, & currus.* Perculsus timore discipulus sine mora currit ad Elisæum, alta voce clamans: *Heu, heu, heu, mi Domine, qvid faciemus?*

Qvid

Qvid est? ait Propheta. Totus, Domine, exercitus Regis Siriæ hìc congregatus est, ut te ducat captivum, nec est ullo modo possibile, ut effugiamus manus illorum. At Elisæus ait: *Noli timere, plures enim nobiscum sunt, qvàm cum illis.* Utq; puer ille esset certior de illis dictis Prophetæ, rogavit Dominum Deum, ut aperiret oculos suos, qvibus divinam suam potentiam videre posset. Et ecce, confestim Dominus aperuit oculos pueri, & vidit, & ecce, mons plenus eqvorum & curruum ignitorum in circuitu Elisæi. Ex hoc exemplo evidens argumentum deducitur Dominum Deum, sicut tempore illius necessitatis, qvæ imminebat Elisæo, paratum fuisse ad succurrendum ei, imò præsentissimum protectionis suæ remedium ostendisse, sic nulli unqvam hominum deesse, qvem in periculis adjuvare, & ab iisdem eripere nollet. Maximum illi Loth, homini justo, imminebat peri- *Gen. 19.* culum: habitabat enim in illa civitate, qvæ ab Angelis incendio delenda erat, sed nunqvid in illo derelictus? Minimè autem: mox enim adfuit Angelus Domini, qvi illum extraxit de loco periculi, & insuper, qvaliter se salvare deberet, documentum dedit dicens: *Festina, & salvare ibi, qvia non potero facere qvidqvã, donec ingrediaris illuc.* O qvantum hìc respectum habuit Dominus servi sui! Instituerat infames perdere illos peccatores, & ecce, unico Loth moram faciente cum vindicta illorum fit dilatio. Optimè hìc ait S. Joannes *S. Chrysost. Hom. 24. in Gen.* Chrysostomus hom. 24. in Genesin dicens: *Consvetudo enim misericordiæ Dei est, honorem hunc dare servis suis, ut propter eos salventur & alii.* Qvæ verba sancti Episcopi alio qvoqve exemplo dilucidare possum. Legimus 1. Reg. *1. Reg. 22.* capite 22. qvòd postqvam David fugit à facie Absolonis, & venit in speluncam Odollam, qvòd ad eum pervenerint non solùm viri honorati, sicuti erant aliqvi oppressi ære alieno & omnes alii, qvi erant in angustia constituti: hi igitur, qvia Davidi associati erant, ipsius qvoqve gratia omnia pericula evaserunt: qvibus licet multoties David à Saule impetitus fuerit, semper tamen divinam protectionem habuit, tunc tamen potissimum enituit, qvando David latitabat in deserto Moan. Tunc enim, qvando Saul, cum *1. Reg. 24.* aliqvot millibus eũ persecutus, totum montem, in qvo ille morabatur, circumcirca cinxisset. David in magno periculo versabatur. Unde ait Textus: *Porro David desperabat se posse evadere à facie Saul.* Sed qvid tum? David qvidem pro sua tutela medium non inveniebat, sed Deus non erat procul cum suo: immissis enim Philistæis in regnum Saul eum ab obsidione montis avocavit, & Davidem à periculo liberavit.

III. Talibus tantisq; gratiis honorat Deus servos suos, qvos ex maximis periculis eripere consvevit. At dum ego hodiernum servum suum, nempe sanctum Blasium Antistitem, considero, planè totum contrarium video, servum fuisse Dei non dubito, qvia fuit vir maximæ sanctitatis, qvem etiam Dominus multis miraculis donisqve illustravit, à qvo multi langventes diversarum ægritudinum sanitatem perceperunt, qvi filium cujusdam mulieris jam pene morientem, in cujus gutture os piscis transversum manserat, persanavit, qvi lupum cũ sue rapta redire compulit, & ut animal mulieri restitueret, demandavit, & ut unico verbo dicam, Domino Deo charus erat. Qvod cum ita sit, illud demiror, qvòd illi eam gratiã denegavit, ut in latibulo illo permaneret, sed ex eodem evocavit, & ad seqvelam passionis suæ invitavit. Legimus *3. Reg. 19.* de S. Elia, qvòd, cùm ab ira Reginæ Jezabel fugeret, & desertum locum peteret, corvum à Deo fuisse missum, qvi eum pasceret, nõ absimile, qvid cum S. Martyre Blasio factum fuit: hic enim cùm in specu lateret, aves pabulum ipsi adferebant. At istud discrimen video, qvia Elias latere permittitur, hic verò exire compellitur. Jam rationem accipite: Nemo est tam simplex aut temerarius, qvi dicere audeat Dominum Deum tunc odio Isaac S. Patriarcham habuisse, cùm illum in holocaustum offerri voluit, qvin eo ipso plus eum *Gen. 22.* adamasse: hinc enim occasionem tot promissorum habuit, qvibus S. Patriarcham remuneraret. Idem ergo sentiendum venit de S. Blasio, servo Dei, ut eum maximis remuneraret donis, è spelunca illa evocavit, & ad sacrificium, nempe ad martyrium, invitavit. Unde ea ipsa nocte, captionem suam præcedente, CHRISTUS JESUS sancto viro ter apparuit, monens, ut sibi offerret sacrificium. Qvi surgens intellexit se CHRISTO per martyrium immolandum, & celebrata missa cum militibus ad judicem profectus est.

IV. Sen-

IV. Sentiebat bene sacèr ille Antistes illam vocem Christi Jesu, qva invitabatur ad martyrium, signum fuisse maximi amoris sui. Finxerunt Poëtæ, qvòd Jupiter omnes sagittas, qvas mittebat in terram, in ardenti Vulcani fornace prius candentes faciebat. Fabula ea fuit, at Catholica veritas est, Deum nunqvam sagittas tribulationum mittere in terram, qvin prius easdem temperet in ardenti fornace amoris sui. Unde David Psalmo 7. ita ait: *Sagittas suas ardentibus effecit.* Hugo autem Cardinalis, exponens eundem locum, ita ait: *Exigua divini amoris sagitta amoris veniunt. Sagitta est igitur, ô paterfamilias, qvando tibi Deus è præsente vita surripit filium. Sagitta est, ô adolescens, qvando tibi mittit infirmitatem. Sagitta est, ô frater, qvando tibi obviat aliqva persecutio: sciendum tamen omnibus est, istas sagittas tribulationum primùm fuisse temperatas in fornace divini amoris: qvia exigua divini amoris sagitta amoris veniunt.* Qvælibet ergo adversitas sagitta est Domini, nusqvam tamen venit ad interitum, sed ad salutem animæ, cujus si rationem velis, eam assignat sanctus Basilius dicens: *Qvoniam signa sunt amoris divini, non furoris.* Egregiam hujus rei praxim habemus in sanctis Martyribus. Sebastianus ille confossus erat sagittis ob fidem Christi, & pro mortuo derelictus; & ecce, paulò pòst, qvi mortuus putabatur Diocletiano factus obviam, ejusq; arguit impietatem. Sic & S. Blasius, [alia enim exempla prætereo] cùm tot supplicia pertulisset, primò fustibus graviter cæsus, carceris sqvalore maceratus, in ligno suspensus, & ungvibus ferreis laniatus, & tandem ligato ad collum saxo in flumen præcipitatus, nihilominus submergi non potuit, qvia ab Angelo deductus fuit ad terram. O Martyr fortissime, estne possibile, qvòd tot tantaqve tormenta sustinueris, ea tamen tibi non potuerunt causare interitum? Ita sanè, qvia hæ passionum sagittæ signa erant amoris divini.

Psalm. 7. Hugo in Ps. 7.

S. Basilius annot. in lib. 1. Reg.

V. Confusus tandem tyrannus, qvòd tot crudelitatis suæ instrumentis pugilem Christi superare non potuerit, jubet ipsum decollari. Qvo mortis genere sacrificium Isaac Patriarchæ qvod inchoatum, sed non completum erat, consummavit. Hinc argumentari licet: Si Deus Isaacum Patriarcham ob solam voluntatem & affectum, qvo in holocaustum offerri voluit, sed ad sacrificium non pervenit, tanti fecit, qvòd illi benedictiones stellarum, cæli & arenæ maris obtulerit. Qvomodo S. Blasium Martyrem pro ipso effectu holocausti non pluribus affecit beneficiis? Sed qvænam illa? Corona gloriæ cælestis & vita æterna. Nunqvid hoc exiguum? Sed qvo labore tantum præmium? Audite, qvid S. Bernardus dicat: *Hæc est via vita tribulatio, via gloria, via regni.* Non aberravit S. Pater in hac sententia: nam cùm Christus Dominus de se dicat: *Ego sum via:* & in alio loco taliter: *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam; evidens est, qvòd præsens tribulatio sit via vitæ, via gloriæ, via regni.* Pulchram hujus rei figuram præbet S. Petrus Apostolus: Vo'ebat hic dilectum Magistrum suum supra aqvas ambulantem conspicere, optabat etiã ambulandi artem supra easdem, qvam concessit illi Salvator noster. Verùm dicit Matthæus, non potuisse Apostolum sine periculo submersionis perficere iter suum. Nam sic habet textus: *Videns ergo ventum validum, timuit, & cùm cœpisset mergi, clamavit.* S. Maximus qværit: Cur Apostolus Petrus non potuerit pervenire ad Christum Dominum, qvin prius mergeretur? & respondet taliter: *S. Petrus dum fluit, dum mergitur, dũ periclitatur, sic pervenit ad Dominum, ostendens nobis, qvòd non nisi per pericula pervenitur ad Christum.* Qvamobrem, Auditores, eamus ad Christum, Salvatorem nostrum, cum S. Petro. Seqvamur ipsum cum S. Blasio Martyre, ut, vestigiis eorum inhærentes, vitam æternam pervenire valeamus. Amen.

Serm. 2. de Dom. Pſ.

Luca 24.

Matth. 14.

S. Maximus hom. 4. de S. Petro.

IN FESTO S. BLASII
Martyris,
CONCIO III.

Si qvis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam.

Matth. 16.

VAlde celebris est in sancta Ecclesia Christiana memoria sancti Blasii Martyris & Episcopi, non solùm ob magna vitæ sanctæ testimonia, sed etiam propter diversa beneficia plerisqve hominibus à se non solùm libertate potienti, sed etiam vincto & incarcerato præstita: ubi dum esset datus in carcerem, absens corpore, sed præsens animo, aliqvos sanavit existens in vinculis. Unde etiam devoti Christiani in diversis partibus orbis Christiani singulatem ad istum Sanctum devotionem habent, in cujus honorem & memoriam tale sacrificium DEO offerre solent, qvale ipse ultimo suo testamento pro DEO moriturus instituit; cujus solennis memoria cùm singulariter hac in sacra æde, DEO maximo sibiqve dedicata, celebretur, ut istius sancti Martyris, nec non Patroni hujus sacri loci, vita & virtutes vobis constent singulares, nec non ad imitationem incendant corda vestra, eas vobis ostendam, qvibus Patres & Sanctos antiqvi noviqve testamenti superavit.

I. Multa invenio laudum præconia in sancto Blasio ob virtutes, qvibus claruit; sed inter cæteras eas primùm depromo, qvæ magis singulares videri debent. Et primò qvidem illud est, qvod se ad divinum servitium totus devoverit, non propter aliqvod præmium, sed ex amore DEI, in qvo recolebat cælestia beneficia, sibi data. Ubi notare debent Auditores, qvod officium pietatis, per qvod inservit aliqvis DEO suo, duplices habeat oculos. Sicuti enim humani oculi, qvamvis omnino similes sint, diversimodè tamen ambo eandem rem intuentur, v. g. Si unus sit sanior altero, ille rem clariùs, qvàm alter, videbit, sic & servitium, qvod DEO impendimus, non æqvaliter se habet, nec æqvaliter respicit motiva, vel rationem finis sui; aliqvi enim serviunt DEO solo ex amore & intuitu suorum beneficiorum, aliqvi autem propter præmia, qvæ pro suis servitiis reposcunt & expectant à DEO. Id patebit exemplis. Petrus & Paulus, sancti Apostoli, erant ministri Dei, cui serviebant, unus & alter advigilabat officio Apostolatus sui, ad qvem fuerunt vocati, æqvaliter serviebant DEO, sed inæqvalibus oculis respiciebant finem servitii sui. Videamus Paulum, de hoc habemus Actorum 9. qvòd, cùm vocatus fuisset à CHRISTO Domino, taliter respondit: *Domine, qvid me vis facere?* Ante istum Apostolum vocaverat Petrum: *Sequere me.* Sed qvid ad hæc Apostolus: *Ecce, secuti sumus te. Qvid ergo erit nobis?* Combinate ergo istos duos Apostolos, & invenietis, qvòd Paulus servitium suum præsentaverit Domino non ob spem alicujus mercedis & præmii, sed ob solum amorem, qvo ferebatur in Christum, recognoscens beneficium conversionis suæ. Petrus etiam servitium suum Domino

Act. 9.

præ-

præsentavit, unà cum discipulis, sed propter præmium, quia interrogavit de mercede.

II. Relinquamus & sinamus Petrum; quia ante ipsum magni Patriarchæ idemmet ipsum fecerunt. Volens DEUS attrahere ad se Abraamum, dixit ad eum: *Noli timere Abraam: ego protector tuus & merces tua nimis magna.* Quid autem ille? dixitque Abraam: *Domine quid dabis mihi?* Genesis capite 15. Eundem secutus fuit Jacob nepos suus, hic enim cum proficisceretur ad domum Avunculi sui Laban, atque pergeret Mesopotamiam, tunc exhibuit se illi DEUS in visione dum requiesceret, in qua multa Jacobo promittebat, dicens: *Ego sum Dominus Deus Abraam Patris tui & Deus Isaac, terram in qua dormis tibi dabo.* Quid ad hæc Jacob? dicit sacer textus Genesis 28. capite: *Cum evigilasset Iacob de somno: Votum vovit Domino dicens: Si fuerit Dominus mecum & custodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum & vestimentum ad inducendum, erit mihi Dominus in Deum*: Et si Deus votis tuis non satisfecerit, non erit tuus DEUS? malè mihi sonant verba hæc: ait Sanctus Gregorius libro 9. Moralium. Videris velle consortium DEI Jacob & velle temporalia bona, duplex habens videlicet cor & adhuc inconstans in viis Domini. Ex hoc igitur meo discursu magnum & singulare est encomium Sancti Blasii Martyris: non dico quod antecelluerit Sanctum Petrum Apostolum, non dico quod superaverit Abraamum & Jacob, sed id solùm dico, quod iste Sanctus servitium suum Domino suo præsentaverit, non propter mercedem aliquam, sed ex puro amore quo (propter divina beneficia collata sibi) in Deum ferebatur.

Gen. 15. Gen 28. S. Gregorius

III. Etsi autem in servitiis suis nullam sibi mercedem proposuerit, remunerator DEUS, qui nullum servitium, nullum opus sine mercede relinquit, servum suum Blasium liberalissimè præmiavit & honoravit, dum in Sebaste civitate Armeniæ ad sedem Episcopalem provexit, & in ea virtutum laude florentem exaltavit, eam enim dignitatem non muneribus, non auro, & argento, sed studio populi per quem electus fuerat, acceptavit. Prudenter differit Sanctus Petrus Chrysologus, explicans verba illa Spiritus Sancti per os & calamum sapientissimi Salomonis dictata, Sapientiæ 1. cap: *Sentite de Domino in bonitate & in simplicitate cordis*: quærite illum, id est adhærete & placete DEO studete, servientes illi in sinceritate cordis sine ulla cupiditate lucri & quæstus, sed sola amoris dulcedine illecti. Cujus rei Sanctus Chrysologus talem assignat rationem: *Quis Rex devotis militibus, debitam non procuret annonam? Quis dominus fidelibus servis justa cibaria non ministrat? Si ergo hoc credi debet de homine probo, qui honorem suum cordi habet, multò magis de Domino celi credi debet: cui quicunque amore illius & non spe præmii servit, illius curam habet, & obsequia condigno præmio remunerat.* Servivit Jacob Avunculo suo Laban annis quatuordecim satis diligenter & sollicitè, & tamen de iniqua mercede sua querebatur. DEUS autem tam est justus Dominus, quod non tantùm annorum spatium, sed minimam etiam morulam temporis servitiis suis datam præmiare solet.

Sapient. 1. S. Chrysol.

IV. Dicetis forte Auditores, ergo servitii Sancti Blasii onus Episcopale fuit præmium? Curas, labores, & gravamina quis unquam acceptat pro mercede? multi sanè erant sancti viri qui tale officium refugiebant, aliqui deserta petebant, quidam autem ut ad id officium inepti viderentur, se ipsos mutilabant, quorum aliquos excusat timor oneris, maximum enim onus est, pro animabus aliorum reddere DEO rationem: aliquos autem excusat humilitas, quæ quantò major est, tantò magis exaltat hominem & sublimi loco dignorem reddit, sed magna est vis divini ignis, qui etiam res onerosissimas leves reddit, uti pater in plumbo ex tormento æneo ejaculato, habet Dominus ignem suum quo accendit lucernas suas delitescant in terra, ne jaceant sub modio, sed positæ super candelabrum in mensa luceant omnibus qui in

domo sunt : juxta illud : *Nemo accendit lucernam* &c. Lucæ 15. capite. Super quæ verba Sanctus Hieronymus in caput 5. Matthæi ait : *Docet fiduciam prædicandi, ne Apostoli abscondantur ob metum, & sint similes lucernæ sub modio, sed tota libertate se prodant, ut quod audierunt in cubiculis prædicent in tectis.*

Luca 15.

D. Hieron.

V. Adhuc objiceret quispiam : Sanctus Blasius Episcopus, qui fuit lucerna supra candelabrum posita, id non fecit, nam eo tempore quo Diocletianus in Christianos sæviebat, se in speluncam montis abdidit : verum quidem est, uti narrat Historia vitæ suæ. Sed ego respondeo, quod iste Sanctus Episcopus id non fecerit, ex aliqua animi pusillanimitate vel ex timore, sed tunc divina gratia prævehebatur ad majora. Ingeminabat sæpe ipse iste Sanctus in corde suo, illa verba Apostoli Pauli : *Cupio dissolvi & esse cum CHRISTO.* Vinculi dissolutionem natura negabat. Quid igitur fecit ? intravit speluncam & seipsum vivum sepelivit. Multi erant viri prælari, qui viventes in carne moriebantur mundo ! Multi qui viventes sollicite erant de sepulchris suis, in quorum numero erat Sanctus Abraam Patriarcha. Sed prævit omnes Sanctus Blasius, qui se ipsum vivum sepelivit in spelunca, in qua se & sepultum mundo & viventem DEO demonstravit,

Ad Phil. 1.

orationibus ibidem & meditationibus cælestibus unicè vacans. Placere sibi talem servi sui solitudinem comprobavit DEUS miraculo. Dum enim seipsum destituisset omni consuetudine hominum, providit pro sociis silvestres feras, quæ ad eum confluebant nec priùs ab ipso abibant, nisi accepta primùm ab eo benedictione. Et quia erat lumen, non poterat esse diu in abscondito, nam ab Agricolai Præfecti venatoribus ibidem deprehensus, atq; ad tormenta raptus ostendit toti mundo sibi non ob aliquem metum latitasse, sed ut ibidem melius DEO vacare posset : ostendit autem per multiplicia atq; atrocissima tormenta sua pro fide JESU CHRISTI susceptæ, quæ fortissimè superavit & glorioſissimam certaminis sui coronam à DEO recepit. Hasce igitur virtutes Sancti hujus Episcopi atq; Martyris imitari studeamus, ejusq; patrocinium imploremus, ut in sancta fide constantes inventi, tentationes quæ occurrunt vincere valeamus : adjuvante Christo Domino ; qui vivit & regnat æternùm.

AMEN.

IN

IN FESTO S. BLASII
Martyris,
CONCIO IV.

Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam,

Matth. 16.

ET si summa DEI providentia toti orbi sit manifesta, nihil enim creavit Deus, quod in esse suo non conservet, hæc tamen maximè elucet in sanctis & electis suis, quos singulari manu ab omnibus malis protegit. Quod etiam S. David considerans, longum hac de re Psalmum confecit. Cujus id est initium: *Qui habitat in adjutorio altissimi, in protectione DEI cæli commorabitur:* in qua cantione sex præcipuè ponit bonorum genera, quæ DEUS in se confidentibus conferre solet. Primo: Umbram protectionis suæ offert. Secundo ab occultis insidiantium hostium laqueis eos liberat. Tertio opponit se hostibus velut scutum. Quarto sub alas protectionis suæ eos suscipit. Quinto prosternit hostes eorum, neve illis nocere possint prohibet, & tandem demandat Angelis suis, ut eis adsint præsidio, eosque portent in manibus, ne forte offendant ad lapidem pedes suos. Quod cum ita sit, quidnam rei est, quod DEUS permittat sanctos homines à malis hominibus vexari? Si hic status divinæ providentiæ, quem describit S. David, respectu justorum esse debet, nempe ut quietè, securè, & absq; ullo meru periculi vitam suam ducant; cur tot millia Martyrum numeramus, qui per atrocissima tormenta sibi à barbaris & perfidis hominibus illata vitam suam finiverunt. E tanto ipsorum numero sit nobis pro exemplo S. Martyr Blasius, cujus hodierna die memoriam celebramus: nonne hic erat unus ex electis DEI; & quod plus est, nonne unus erat ex illis qui mortem abhorrent, & tenentur vitæ desiderio: de hoc enim sancto legitur quod eo tempore, quo Diocletianus insatiabilem crudelitatem in Christianos exercebat, se in speluncam montis Argæi abdiderit, à venatoribus verò deprehensus & ad Agricolaum Præfectum ductus, ab eodem martyrium pertulerit. Cur igitur voluit DEUS sic ipsum vitam finire? Rationes quas afferam, cedent in encomium sancti huius Martyris.

Psalm. 90.

I. Est quidem verum Auditores, statum divinæ providentiæ, quam justis repromisit in eo situm esse, ut tranquillam vitam agant, nullisq; timoribus vel periculis vitæ involvantur, & illa quæstio cur DEUS Sanctos in hoc mundo affligi permittat, in præcitato Psalmo Regis David non sit malè fundata; habet tamen facilem solutionem in doctrina sanctorum Patrum, sacrarumq; literarum, quæ passim docent, eam esse consuetudinem DEI maximè familiarem, & antiquam, nimirum majores servos suos & singulares amicos gravioribus & crudelioribus exponere tormentis. Exempla vultis? patent ad oculum. Inprimis, objicio intuendum vobis primum Martyrem novæ legis, sanctum inquam Joannem Baptistam, de quo habetur Marci 6. capite, quod

cum Herode Rege in natali suo convivium celebrante, filia sua introisset, & saltasset, Regique unà cum recumbentibus placuisset, Regeque interrogante : *Pete à me quodvis & dabo tibi* : illa caput Joannis Baptistæ in disco dari sibi postulasset, ad id faciendum Regem coactum fuisse propter jusjurandum, & propter simul discumbentes, unde misso spiculatore præcepit abscindi caput Prophetæ, & puellæ in disco dari. O ferale facinus in convivio! ô summa Joannis injuria! ô mirabilis DEI providentia! Cum S. Joannes talis, tantusque fuerit, cujus ipsa nativitatis exordia non carebant miraculis, qui erat præcursor Domini, quem CHRISTVS Angelis præferebat, cur igitur eum non liberavit ab insidiis, & occulta proditione Herodiadis? ubi est adimpletio illius promissi : *Liberavit me, de laqueo venantium & à verbo aspero?* Cur non eripuit eum, è manibus carnificum, qui caput ejus amputare venerant, uti revificetur illud : *Cadent à latere tuo mille.* Cur ipsum Angeli non vindicarunt ab ergastulo carceris, & servarunt incolumem à martyrio, uti promissum fuerat : *Angelis suis mandavit de te.* Cur in virtute tantæ fiduciæ, non subjecit pedibus suis Herodem, veluti leonem, & tanquam serpentem Herodiadem, ut id verbum adimpleretur : *Super aspidem & Basiliscum ambulabis* : & tandem cur ipsum divina providentia ab illa pernicie non eripuit?

Marc. 6.

Psalm. 90.

II. Ad alios Sanctos & electos DEI accedamus : num exiguus erat Sanctus Petrus Apostolus? quin ille quem Christus Dominus Principem fecerat Ecclesiæ, cui oves suas pascendas commiserat, quem à secretis suis habuerat. De hoc S. Apostolo legimus in Actibus Apostolorum, qualiter ab Herode Rege datus fuerit ad carcerem, appositis eidem quatuor quaternionibus militum ad custodiendum ipsum, & qualiter ab eodem carcere per Angelum liberatus fuerit, cui etiam ipsa porta civitatis ultroneè aperta fuit; egregium divinæ providentiæ signum : sed cur tandem postmodum ipsum tentari permisit, moriique martyrio? Idem de Sancto Paulo dici potest, hunc quoties eripuit à periculo vitæ? Inprimis cum moraretur Lystris unà cum Barnaba : ubi etiam claudum persanavit, supervenientes quidam Judæi ab Antiochia & Iconio, invaserunt Paulum, & lapidarunt : putantes verò mortuum esse, extra civitatem extraxerunt; sed tamen divina providentia conservavit eum. Deinde dum prædicaret in Macedoniæ civitate Philippis, ibidem custodiæ mancipatus, & virgis cæsus, non sine prodigio, à Deo liberatus fuit. Item dum prædicaret in Thessalonica, ibidem concitata contra se civitate, servatus fuit à periculo, qui cupit plura scire quot pericula sanctus iste evaserit, legat epistolam secundam ad Corinthios. Sed cur tandem tot ereptum casibus & periculis, gladio ipsum vitam suam finire permisit?

Actor. 12.

Actor. 16.

2. Cor. 11.

III. Idem dici potest de S. Blasio Christi dilecto servo : hunc cum ad id elegerit, ut pasceret Divino verbo animas fidelium hominum, quo in officio (factus in Armenia, urbis Sebastæ Episcopus) egregie proficiebat, omnibus Christi oviculis factus exemplar summæ mansuetudinis; cur eum in tali officio diutius manere non sustinuit, cur in spelunca abditum tyrannis prodidit; annon poterat ipsum conservasse? Hoc dubium non est malè fundatum, sed facilem habet solutionem ex sacris literis & doctrina Sanctorum Patrum, qui passim docent, eam esse consuetudinem DEI maximè familiarem, & antiquam, nimirum majores servos suos, & singulariores amicos, gravioribus & crudelioribus exponere tormentis, ut in improba Tyrannorum sævitia, comprobetur, & eluceat excellentia amoris Divini, quem cor eorum veluti incognitum & latentem occultabat. Vnde ut Joannes Baptista, Petrus & Paulus Apostoli prodant amorem suum, quo CHRISTVM prosequuntur, necesse est ut pro illo moriantur : *Quia majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Joannis. 15.

IV. Et quid amplius? Numquid Christo ne-

necessum fuit mori? una sanguinis sui gutta poterat mundum redimere, quam in circumcisione sua profuderat, & tamen eo non contentus, properavit ad mortem. Legimus enim Joannis 14. c. quod postquam cum maxima humilitate laviſſet pedes discipulorum suorum, id in fine suæ concionis dixerit: *Vt cognoscat mundus quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater sic facio: surgite eamus hinc.* Quidam sanctorum Patrum dicunt, in his verbis nullam esse connexionem, sed diversas esse clausulas: at Toletus Cardinalis sequens sententiam Divi Augustini & Hilarii Doctorum Ecclesiæ, ait optimam in illis verbis connexionem dari. Cum enim CHRISTUS JESUS tot & tanta dixisset, de amore suo quo prosequitur Patrem suum cælestem, nec non genus humanum, tandem subintulit: *Surgite, eamus hinc*: quasi diceret, uti ait Toletus: *Surgite eamus hinc, nempe ad locum mortis meæ; quia volo & quia mandatum hoc accepi à patre, propter cujus dilectionem paratus sum etiam gravissima pati.*

Ioan. 14.

Toletus Hic.

V. Si ergo CHRISTO unigenito DEI filio non fuit grave mori, quo conteſtaretur amorem suum, idem etiam à servis suis fieri voluit. Et deinde quid est persecutio tyrannorum, quam lapis quidam Lydius, quo probatur Sanctorum patientia? Doctus Commentator Apocalypseos Viegas, scribens in illa verba Apocalypsis 13. ubi faciens mentionem cujusdam gladii Sanctos persequentis addit: *Hic est patientia, & fides sanctorum*: ea verba taliter elucidat dicens: *Maximè observare volumus, persecutiones esse veluti lapidem quendam Lydium, ad quem fides & patientia probatur*: Si igitur sancti servi DEI in hoc mundo tranquille viverent & nullas ærumnas pro DEO tolerarent, quomodo nobis constaret firmitas eorum patientiæ? unde quoque nobis constarent laudes Sancti Blasii servi DEI, nisi sciremus illum fortiter sustinuisse carceres, in quibus plurima miracula fecit? Virgas, equuleos, ferreos pectines, submersionem in lacu, & tandem capitis truncationem: hæc tormenta illum illustrem reddiderunt: & insuper qui visus erat in hoc mundo animam suam propter CHRISTUM perdidisse, invenit eam, nec invenit solum, sed jam gloriose in cælis jucundatur in æternum.

Apocal. 13.

Viegas hic.

AMEN.

IN

IN FESTO S. MATTHIÆ Apostoli,

CONCIO I.

Cecidit sors super Matthiam. Actor. 1.

HAbemus scriptum 1. Reg. 2. Qualiter sterilis Anna uxor Helcanæ tot ob infæcunditatem suam fusis lachrymis, cum tandem miseratione divina prolem obtinuisset, exultans in Domino, cantico à se composito in laudem ejusdem eruperit dicens: *Exultavit cor meum in Deo salutari meo:* & progrediens ulterius sic ait: *Dominus mortificat & vivificat:* id est [uti explicat Hugo Cardinalis] Phenennam fœcundam, facit sterilem, fœcundat autem seipsam sterilem, dans ei filium *Samuelem.* Ego similiter Auditores mei, recogitans hodie annuam memoriam Sancti Matthiæ Apostoli, qualiter in solenni illa Apostolici Senatus renovatione vacuum locum proditoris Iudæ occupaverit, possum eodem modo cum matre nostra Ecclesia & sponsa Christi, idem canticum repetere: *Exultavit cor meum in Deo salutari meo.* Ratio lætitiæ, est in promptu: quia *Dominus mortificat & vivificat.* Misericors inquam Dominus, non permittit aliquem cadere, quin alium erigat, & si permittit: *Iudicia Domini abyssus multa:* si erigit, & conservat, misericordia ejus prævenit, & subsequitur. Potentia & indignatio Dei est dejicere, misericordia autem ejus & gratia, iterum cum profectu sublevare. Si in uno nos visitat, in altero consolatur, uti testatur S. Iob Patriarcha dicens: *Conteret multos, & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis.* Sic enim in locum Angelorum cadentium substituti sunt homines, uti ait D. Augustinus: *In eorum locum succedentes filii Catholicæ Matris, in ea pace de qua ejecti sunt, sine fine permanebunt.* Corruit Cain parens damnatorum, cum his qui in diluvio perierunt, successit in locum ipsorum Seth cum electis ab eodem descendentibus. Corruit Canaan cum triginta duobus Regibus ab eo descendentibus, qui omnes gladio occubuerunt: in eorum locum successit Iosue, cæterique Duces & Reges Israëlis. Corruit populus Chaldæorum, creaturas adorantium; in locum eorum successit Abraam, cæteriq; Patriarchæ. Corruit Heli cum filiis suis Ophni, & Phineas; in locum ejus successit David, & tandem ut omissis cæteris veniam ad Sanctos Apostolos, è numero ipsorum corruit Iudas, in locum ipsius electus est S. Matthias Apostolus, testante S. Luca. Cecidit sors super Matthiam, de hac ergo electione Apostolica aliquid audiemus.

1. Reg. 2.

Hugo Card. ibidem.

Psalm. 35.

Iob. 34.

D. August. 2. sent. dist. 10.

Iosue 3.

Gen. 15.

1. Reg. 1.

I Non est dubium Auditores mei, S. Matthiam Apostolum magnam occasionem laudis sibi vendicasse ex eo, quod in officium tam sublime electus fuerit. Nam Apostolica dignitate nulla excelsior esse potest. Sancti Apostoli, ex eo quod sint *lux mundi*, sunt quoq; Magistri totius orbis dicente S. Chrysostomo: *Lux sunt propter gentes, quas ad scientiæ lumen perduxerunt.* Sunt judices hominum & Angelorum, illis enim dictum erat à Christo Domino: *Vos qui reliquistis omnia & secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Quod officium quàm magnum sit, patet ex verbis Cassiodori dicentis: *Grande est Procerem esse, sed multo grandius Proceres judicare.* Sunt Beati, à Christo pronunciati apud Matt. cap. 13. dicente Domino: *Vestri beati oculi, qui vident, & aures vestræ quæ audiunt:* quæ verba explicans Venerabilis Hugo Cardinalis sic

Matth. 15.

S. Chrysost. in catena

D. Thoma in Matth.

Matth. 19.

Cassiod. lib. variat.

Matth. 13.

sic ait: *Oculis interioribus Deum, exterioribus hominem videbant.* Et tandem sunt Dii, juxta illud Divi Petri responsum: *Tu es* CHRISTVS *filius* DEI *vivi.* Quia teste Sancto Thoma Aquinate in Catena: *Qui de filio hominis loquuntur homines sunt, qui verò divinitatem ejus intelligunt, non homines, sed Dii appellantur.* Certe adeò Deus Sanctos Apostolos honoravit, ut in honorum attributione, nimium excessisse videatur, ac proinde David Propheta, DEUM quodammodo arguisse visus est dum ait: *Nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Nimis inquam sunt honorificati: nam licet Christum Dominum multum offenderint, primò Petrus dum ipsum negaverat, tum deinde cæteri discipuli, quando relicto solo in manibus Judæorum, omnes ab illo diffugerant, nihilominus, dicitur Joannis cap. 20. Dum Christus Dominus post resurrectionem suam, apparuit sub specie hortulani Mariæ Magdalenæ, quæ anxia & sollicita quærebat corpus ejus, eique se manifestavit, undè summè exultans prosterneret se ante pedes ejus, Redemptorem nostrum præcepisse illi, ne se tangeret, sed potius Sanctis Apostolis se resurrexisse à mortuis nunciaret; dicens: *Vade ad fratres meos:* summè id admiratur D. Chrysostomus dicens: *Non dixit: dic errantibus, dic fugitivis, dic latentibus, dic negantibus, sed dic fratribus meis.* O *admirabilis bonitas Salvatoris!* Multi siquidem fecit officium Apostolicum. Hinc ergo glorioſissimi Sancti Matthiæ magnitudo quanta fuerit, ex Apostolica dignitate ad quem electus fuit, facile colligitur.

Hugo Card. *Matth. 16.* *S. Th. Aqu. in Cat.* *Psalm. 38.* *Joan. 20.* *S. Chrysost. Hom. 2. de Resurrect.*

II. At verò si modum electionis suæ pensare voluerimus, ignoro, an aliquam Sancto Matthiæ laudem & non potius vituperium sit paritura, ad eam enim dignitatem Apostolicam sorte pervenerat, cujus usum non approbat Sancta Ecclesia Christiana. Legimus de Jona Propheta. Quod cum fugiens in Tharsis à facie Domini in navem descendisset, Dominum Deum misisse ventum magnum in mare, factamq; esse magnam tempestatem in ipso, ita ut navis in summo esset periculo. Cumq; nautis vasa in mare projicientibus ut illud alleviarent, nihilominus desæviret: magisq; intumesceret, tandem scire volentes unde hoc malum ipsis acciderit, in unum convenerunt, ut sortes mitterent, quod dum fecissent ait textus: *Cecidit sors super Ionam*: planè coincidit cum illo altero Sancti Lucæ; cecidit super Matthiam. Sed quid hac de re sentiendum sit, Venerabilis Hugo Cardinalis explicans hanc Prophetæ Jonæ historiam, citat S. Hieronymi judicium in hæc verba: *Quod Matthias sorte eligitur, & hic fugitivus sorte deprehenditur, non agitur virtute sortium, sed voluntate* DEI *qui sortes regebat incertas. Non ergo hoc exemplo debemus credere vel uti sortibus, quia privilegia paucorum legem communem non faciunt*: nihilominus ego dico, talem modum qui in electione Sancti Matthiæ Apostoli fuit adhibitus fuisse laudabilem, singulari siquidem Dei privilegio, qui eam sortem direxerat, erat honoratus, qualiter autem eam electionem DEUS direxerit, patebit vobis ex hoc sequenti discursu quem produco.

Ionæ 1. *Hugo Card. in Ionam.*

III. Dicunt Naturales, quod lux de se projiciat splendorem, splendor autem, aërem diaphanum illuminans, manifestat occulta quæque & latentia, quod patet in sole per experientiam, hic enim tunc illuminat & simul calefacit dum radios suos ex se ejaculatur. Communiter per lucem Christus Dominus intelligitur, nam de se ipso ait Joannis 8. capite: *Ego sum lux mundi.* Simile Sanctus idem Apostolus & Evangelista, dat eidem testimonium: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Nec sine ratione CHRISTUS dicitur lux, nam quemadmodum teste Divo Ambrosio, Lux est pulchritudo omnis visibilis creaturæ; Sic CHRISTUS est pulchritudo omnium creaturarum. Testatur idipsum Sanctus Bernardus in soliloquio dicens: *Quid est lux solis, & decor omnis creaturæ in comparatione tui, nisi tenebræ? ornasti cœlum syderibus, cœlum empyreum Angelis, aera volucribus, aquas piscibus, terram*

Joan. 8. *Joan. 1.* *S. Ambr. in Examer.* *S. Bernard in soliloq.*

herbis & floribus, sed non est his species neque decor in tui comparatione, ô fons universæ pulchritudinis Iesu. Ab hac jucunda luce JESV CHRISTO processit splendor divinus, qui manifestavit suos famulos quos elegit. Legitur enim de Beato Gregorio, quod dum latitaret, ne in summum Pontificem eligeretur, revelatum fuisse per columnam lucidam è cælo missam: idem ergo factum fuisse cum Sancto Matthia Apostolo testatur D. Dionysius dicens: *Splendor divinus affuit, qui ostendebat ipsum assumendum in Apostolum.*

D Dionys. de cæsti Hierarch.

IV. Eidem electioni Sancti Matthiæ Apostoli per sortem factæ, plurima testimonia veteris testamenti suffragantur, quorum aliqua lege divina, aliqua autem lege politica probata fuisse constat. Sic Deus in veteri populo, sorte dividi jussit terram promissionis. Josue cogniturus quisnam in Jericho anathema accepisset, sortem conjecit de toto Israëlitarum exercitu. Samuel cum Rex instituendus esset conjecta sorte, edixit in Regem Saul. Idem Saul tenens jam sceptrum Regium, ut cognoscere posset quisnam jejunii legem irritam fecisset, de toto exercitu sortione facta, deprehendit Jonatham, quod solus contra edictum Regis mel comedisset. Deinde Aaron sorte fuit prælatus cæteris, nam uti habetur Numer. 17. Cum inter duodecim virgas in quibus nomina tribuum inscripta erant, virga tribui Levi deputata in qua nomen Aaronis inscriptum erat fronduisset, cessavit murmur populi, qui prius ipsum sibi præesse noluerat. Levitici quoque cap. 16. legimus: filios Israëlis, eorumque Sacerdotes sortes in duobus hircis observasse, è quibus unum Deo sacrificabant, alterum vero cum imprecatione peccatorum populi in desertum emittebat, & tandem uti

Iosue 14.

I. Reg. 10.

Num. 17.

Levit. 16.

habetur Lucæ 1. cap. Sacerdotalia ministeria sorte solebant dividi. Dicente sacro Evangelista: *Sorte exiit ut incensum ponerent.* Hæc igitur testimonia combinando cum sorte Sancti Matthiæ Apostoli, causam ejusdem conjicimus ex verbis Venerabilis Bedæ dicentis: *Matthias sorte eligitur ne Apostoli electio à mandato discrepare legis veteris videretur.*

Luc. 1.

V. Bed. in Act. Ap.

V. Cæterum quia nunc inter homines plurimæ superstitiones inveniuntur, qui se in quibusvis sortibus magis fundant quam in ipso Deo spem suam collocant: Hinc notandum nobis est, eaq; Divi Thomæ Aquinatis doctrina observanda. Sortes cujuscunque tandem generis sint, tunc haberi illicitas, cum quis actus humanos, sortiri putat effectum suum, juxta dispositionem stellarum, aut Dæmonum ingestionem: Cum quis eventum ex fortuna expectat, quod est vitium vanitatis; Cum etiamsi expectet à DEO, tamen abest necessitas, estque Dei tentatio, quando divina oracula, terrena negotia convertuntur, & tandem cum quis sine delectu, & peculiari Dei instinctu, in quibusve rebus spiritualibus sorte utitur. Unde nobis nihil aliud restat nisi ut sortem Sancti Matthiæ Apostoli figuralem, ad nostram mysticam transferamus, rogemusque Dominum, ut *qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum,* ad societatem eorundem nos admittere dignetur.

S. Thom. 22. Q. 95. Artic. 5.

Item Opusc. 25. de sort.

Colos. 1.

AMEN.

IN FESTO S. MATTHIÆ Apostoli,

CONCIO II.

Annumeratus est undecim discipulis. Act. 1.

POsset nonnullus qværere, Auditores præstantissimi, qvænam fuerit necessitas adnumerandi sanctum Matthiam undecim Apostolis, ut in ipsorum numero duodecimum locum occuparet, cùm CHRISTUS dicat Matthæi 18. capite: *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, qvamcunq; petierint, fiet vobis à patre meo, qvi in cælis est.* Qvod si qvis diceret, parvum hujus loci numerum tantùm reqviri ad petitiones DEO faciendas, qvæ adunatæ gratiores illi esse solent, qvàm si privatim à solo fiant, non verò sufficere ad graviora seu publica negotia, ad qvæ obeunda plures personæ reqviruntur: in eodem sacri Evangelii capite seqvuntur verba Domini: *Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et deinde, si qvis legat hoc sancti Matthæi capitulum, ibi reperiet, Christum Dominum locutum fuisse cum Petro, Apostolorum Primate, de judiciis, de correptione fratrum, de indulgentia culparum, si ergo ad hæc duo vel tres sufficiebant, multò magis sufficissent undecim, uti etiam idem videmus in foro Politico, nempe in curiis & subselliis Senatorum, ubi non semper sunt duodecim, sed interdum pauciores, qvia tamen ad decisionem causæ faciendam major personarum medietas sufficit, eorum qvoqve decreta pro ratis habentur. unde & Christus Dominus post suam resurrectionem undecim discipulis simul congregatis toties apparuit. Proinde in hac concione primò responsum dabo ad qvæsitum, deinde verò ipsum processum, qvo S. Matthias annumeratus erat undecim Apostolis, producam.

I. Sicuti qvondam fortissimum illum Judam Principem numeroso Syrorum exercitui occurrentem suorum militum paucitas non deterruit, qvo minùs tam magnæ hostium multitudini cũ paucis occurreret: cùm enim qvidam dicerent: *Qvomodo poterimus pauci pugnare contra multitudinem hanc tam magnã & tam fortem?* respondit ille: *Facile est concludi multos in manu paucorum, & non est differentia in conspectu Dei cæli, liberare in multis & in paucis, qvoniã non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cælo fortitudo est.* 1. Macc. 3. Eodem modo & ego possem dicere, æqvale idemq; esse DEO, in multis vel in paucis Ecclesiam suam sanctam gubernare: qvi enim totum populum Israẽlis, qvi excedebat sexcenta millia virorum bellatorum, exceptis mulieribus & parvulis, per Moysen & Aaronem gubernabat, si per totidem numero Apostolos rexisset suam Ecclesiam, nihil ei defuisset, sicuti ante extremum judicium Enoch & Elias, qvoad certamen, qvod cum Antichristo sunt habituri, toti mundo sufficient. Nihilominus, qvod concernit numerum Apostolorum, expresè habemus scriptum Lucæ sexto capite: *Cùm dies factus esset, vocavit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, qvos & Apostolos nominavit.* Luca 6. Magnum hìc latet mysterium, nempe ad eũ finem ex illa multitudine discipulorum duodecim fuisse electos, & ad illam electionem duodecim fuisse necessarios, qvos & Apostolos nominavit: nam, ut ait V. Beda: *Apostoli Græcè, Latinè missi dicuntur.* Beda hìc. Cujus nominis sacramentum exponens sanctus Marcus Evangelista ait: *Et fecit, ut essent duodecim cum illo, & ut mitteret eos prædicare Evangelium.* Marci 3. Cùm, inqvam, hi duodecim Christi discipuli destinandi mittendiq; fuerint ad prædicandum Evangelium, hinc non sine ratione duodecim sunt electi in Apostolos, ut videlicet mundi salutem, qvam

verbo prædicarent, suo qvoqve numero mysticè commendarent. Pro intellectu hujus rei accipite qvandam figuram de mari æneo fusili, nempe rotundum fuisse per circuitum, impositumqve supra boves fusiles duodecim, qvos sapientissimus Rex Salomon ita disponi fecerat, ut tres respicerent ad Aqvilonem, tres ad Occidentem, tres alii ad Meridiem, & reliqvi tres ad Orientem, habentes mare superpositum. Hoc mare rotundum nihil aliud repræsentat, qvàm orbem, qvi rotundus est, & dividitur in qvatuor plagas, in Aqvilonem, Orientem, Meridiem & Occidentem. Qvòd ergo Rex Salomon taliter illud mare æneum fieri jusserit, id fecit, uti ait Venerabilis Beda, *figuraliter insinuans, qvoniam Apostoli, Apostolorumqve successores, cunctas orbis qvadrati plagas fide & confessione sanctæ Trinitatis essent à peccatorum labe purgaturi.* Qvòd autem sancti Apostoli id officium à CHRISTO Domino habituri essent, patet ex illo loco Evangelii, ubi DOMINUS ait: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Qvæ verba ponderans Venerabilis Beda, sic ait: *Qvi mundo qvadriformi fidem sanctæ Trinitatis prædicaturi erant, operis perfectionem numeri qvoqve sacramento firmarunt.* Unde ex hisce dictis evidens patet responsio, nempe sanctum Matthiam rationabiliter annumeratum fuisse undecim discipulis.

2. Paral. 4.

Ven. Beda in Luc.

Matth. 28.

Beda in Act. Ap.

II. Dicam aliqvid amplius: Dum sanctus Matthias terminat seu concludit numerum ordinis Apostolici, non possum aliud dicere, nisi id solum, qvod si maximum parit encomium, dum enim annumeratus undecim discipulis clausit duodenarium Apostolorum numerum, plurimas antiqvi testamenti figuras in seipso repræsentasse videtur. Inprimis duodecim Principum, de qvibus Dominus mentionem fecerat coram Abraam Patriarcha, uti habetis Geneseos 17. capite: promissum autem compleverat in Ismael, ex qvo prodierunt duodecim Principes tribuum suarum, uti habetur ejusdem libri cap. 25. Et qvid aliud iste Principum numerus designat, nisi duodenarium Apostolorum? Ita sanè: de illis enim intelligitur, qvod prophetaverat olim Rex David dicens: *Constitues eos Principes super omnem terram.* Item, complevit S. Matthias Apostolus illam figuram insignem sancti Jacob Patriarchæ filiorum duodecim: sicuti enim isti in duodecim Patriarchas, à qvibus descenderat populus DEI, evaserunt, eodem modo ejusdem numeri Patriarcharum novæ legis, nempe S. Apostolorum, qvi gentem Christianam propagarunt, S. Matthias Apostolus annumeratus ipsis finem fecit. In immensum sermonem meum extenderem citando illos fontes duodecim in Helim, circa qvos castra metati sunt filii Israëlis; illos, inqvam, fontes duodecim, circa qvos castra metati sunt duodecim Apostoli. Citando illos duodecim exploratores, à Moyse missos, nempe duodecim sanctos Apostolos, qvi totum exploraverunt orbem. Citando illos duodecim leunculos Salomonis, qvos in gradibus sui throni collocari fecit, qvi numerus & figura throni nihil aliud exprimit, nisi illud, qvod Christus Dominus Matth. 9. capite dixit ad suos Apostolos: *Cùm sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim.* Non est opus, ut vobis plus respondeam, ergo ad processum electionis hujus Apostolicæ transeo.

Psalm. 44.

Exod. 15.

Num. 13.

3. Reg. 13.

Matth. 19.

III. Qvod concernit totam hanc electionem sancti Matthiæ, Apostoli CHRISTI, multùm est laudabilis, qvia ex conditionibus reqvisitis nihil ipsi defuit. Inprimis Electores erant magnæ autoritatis, qvia fuerunt Apostoli, qvi sunt Principes mundi, janitores cæli, dapiferi verbi divini, cubicularii cælestes, secretarii æterni Regis, vicarii CHRISTI & judices seculi. Deinde, qvod concernit numerum eligentium, non solùm numero abundabat, qvia centum & viginti electorum erant congregati, sed etiam qvalitate personarum excellenti, qvæ in hoc apparuit, tum, qvia nemo in tanto numero discrepavit, qvin imò, qvemadmodum de Moyse, sancto Patriarcha, legimus, qvòd, de successore suo sollicitus, talem orationem ad Deum fuderit dicens: Dominus Deus exercituum, omnis carnis provideat hominem, qvi

Gen. 17.

Gen. 25.

Num. 27.

qui sit super multitudinem hanc, eodem modo electores illi Apostolici, antequam ad electionem accesserunt, primùm orationem præmiserunt ad Dominum. Inter alia verò ipsum Sanctum Petrum miror, hic enim etsi habebat clavum Ecclesiæ CHRISTI JESU, nihilominus authoritate sua propria nihil attentavit, volens enim pro Juda alium in Apostolatu numerare, tale negotium retulit ad alios dicens: *Viri fratres oportet impleri scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os David de Iuda.* *Actor. 1.*

IV. Cur S. Petrus tanquam Princeps Apostolorum non substituit aliquem in locum Judæ, suo arbitrio? Miratur idem S. Chrysostomus & simul sapienter respondet dicens: *Cur non solus à Christo postulavit, ut ipse daret aliquem substituendum in locum Iuda? Deinde cur non potius per se ipsos perficiunt electionem?* mox subjungit responsum dicens: *Petrus erat se ipso factus melior.* Quibus verbis innuit S. Doctor, illud potissimum esse signum bonitatis in Prælato, qui non totum tribuit potestati suæ, sed etiam utitur consiliis aliorum. Sapientissimus hac in parte erat Moyses, hic enim quamvis maximum ingentis populi principatum acceperit à Deo, & de ejus bono toties cum eodem (uti amicus cum amico solet) collocutus fuerit, nihilominus cum ei Jetro, de gubernatione illius populi consilium ingessisset, non detrectavit illud, sed uti ait sacer textus: *Moyses fecit omnia quæ illi suggesserat.* Pulchrè hac de re fatut Origenes dicens: *Moyses qui erat homo mansuetus super omnes, accepit consilium inferioris, ut formam humilitatis populorum Principibus daret.* *S. Chrysost. Hom. 3.* *Exod. 18.* *Origenes.*

V. Pulchrum promissum divinum quod recitat Isaias Propheta dicens: *Restituam judices tuos, ut fuerunt prius, & consiliarios tuos sicut antiquitus, posthæc vocaberis civitas justi, urbs fidelis.* Pensate Auditores, quod hic non dicat Deus se restauraturum civitatem illam Jerusalem, sed saltim quod restituet judices & consiliarios, statimque post restitutionem illam vocabitur civitas & erit urbs, ubi enim judex bonos consiliarios auscultat, id solùm sufficit, ut civitas restauretur & erigatur. Unde pulchrè ait D. Basilius: *Sacra quædam res est consilium, voluntatum unio, fructus dilectionis, humilitatis insigne.* Ille Princeps, ille Judex, ille Prælatus præclarissimus est, qui nihil facit absque aliorum consilio, nam ab auscultatione consiliorum Regum & regnorum, civium & civitatum tota dependet fælicitas. Et quid hic aliud dicam, nisi illud Sapientiæ 6. capite: *Audite ergo Reges & intelligite, discite judices finium terræ, prabete aures vos qui continetis multitudines.* Et quia utriusque mentionem agimus, tam electionis quam electi S. Matthiæ Apostoli, utriusque sequamur vestigia, ut ad æternam vitam pervenire mereamur. *Isaiæ 1.* *S. Basilius.* *Sapient. 6.*

AMEN.

IN FESTO S. MATTHIÆ Apostoli,

CONCIO III.

Vidit Dominus humilitatem meam. Genesis 29.

SIcuti quidam Cubiculariorum Regis Darii, inter omnia fortia, veritatem fortiorem esse ostenderat, ita & ego humilitatem cæteris virtutibus potentiorem esse plurimis argumentis demonstrare possem. Inprimis audistis toties qualem Sanctus Jacob Patriarcha habuerit luctam cum Angelo, quam describens S. Moyses Patriarcha, ait Angelum petiisse à luctatore suo Jacob, quatenus ipsum dimitteret: *Dimitte me, quia jam aurora ascendit.* Quærit hic Rupertus Abbas, unde tanta Patriarchæ fortitudo advenerit, quod non solùm cum Angelo luctam habuerit, sed etiam victoriam tulerit? Respondet igitur dicens: *Quomodo putamus illum potuisse cum Deo luctari, & invaluisse cum Angelo, nisi per magna humilitatis virtutem, quæ vera est fortitudo?* Eodem modo Oleaster inquirit causam, ob quam Deus Josephum Patriarcham exaltare volens, tam in domo Putipharis, quàm etiam in universo regno Ægypti, prius ipsum tanquam mancipium vendi, & deinde tanquam malefactorem in carcerem conjici permiserit. An non exaltationis suæ major fuisset honor, si ipsum non ex tam humili loco abjectoq; statu in altum erigeret? Nos quando similes videmus exaltatos, dicere solemus: *Ab hara ad aram, ab extremo ad tribunal.* Et respondet, quod tametsi ratio ista, juxta perversam mundi consuetudinem prævaleat, nullius tamen momenti est apud Deum, apud quem homo magnificari non potest, nisi prius humilietur, unde ait: *Servos esse permittit, ut ex servis dominos faciat.* Plurimis virtutibus clarebat S. Joseph, nempe honestate morum, vitæ pudicitia, fidelitate, cæterisq; ob quas merebatur à Deo promoveri, soli tamen humilitati eam promotionem reservare voluit, ut ostenderet illam cæteris virtutibus præcellere. Sanctus quoq; Paulus Apostolus pluribus eminebat virtutibus, & tamen non ob illas raptus fuit ad tertium cælum, sed cur? respondet Gulielmus Durandus: *Quia dixit, non sum dignus vocari Apostolus, propter hanc humilitatem, raptus fuit usq; ad ultimum cælum.* Qua in re clarè quidem non tamen sine admiratione videtur incredibilis humilitatis potentia. Hæc eadem palam elucet, in hodierna electione Sanctorum Apostolorum, quam describit S. Lucas Apostolus dicens: *Statuerunt duos, Joseph qui vocatur Barsabas, qui cognominatus est justus; & Matthiam:* quo tandem eventu rei? *Cecidit sors super Matthiam.* Hic recensere licet hos versus:

O quantùm distant humana supernis
Judiciis! parvi meritò transceditur ille
Laude hominum qui justus erat.

En parvus Matthias humilisque (id enim nomen suum sonat) Josephi præcellit justitiam, ut jam meritò dicere queat: *Vidit Dominus humilitatem meam.* Hæc enim sola ipsum extulit, hæc fecit Apostolum, ne sine ratione; quia uti ait S. textus: *Gloriam præcedit humilitas*: quod vobis exemplo S. Matthiæ Apostoli palam fiet.

I. Moris olim erat mundi huius Principibus, quod in electione illum præferrent, qui in toto populo statura, formaque præcelleret. Unde Latinus Pacatus, dum quadam vice coram Theodosio Imperatore declamaret, id protulit: *Virtus tua meruit imperium; sed virtuti addidit forma suffragium.* Euripides pariter post se scriptū reliquit. *Priami species meretur imperium.* Simile quid habe-

Gen. 32.

Rupert. Abb. in Amos lib. 4. c. 8.

Gen. 39.

Oleaster ibidem.

2. Corint. 12.

Gulielmus Durand.

Act. 1.

Prov. 15.

Pacat. apud Tiraquel.

Euripides.

habemus in sacro codice nempe 1. Reg. 10. ubi dicitur, quod cum Samuel elegisset Saul in Regem Israëlis eumq; in medio populi constituisset, videns altiorem esse universo populo, ab humero & sursum, ait: *Certè videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo.* At longè alia est ratio apud Deum: hic enim non judicat hominem capacem dignitatis, juxta molem corporis, sed virtutem animi, adeo ut nec ipse Saul, ex eo electus fuerit in Regem, quia alios superabat statura corporis, sed potius ideo quia uti ait Hugo Cardinalis: *Placuit Domino in principio dum fuit humilis.* Unde & Sanctus Matthias Apostolus, quia juxta nominis sui explicationem revera fuit humilis, ob eam virtutem quâ multum Domino placuerat, evectus erat in apicem dignitatis Apostolicæ: hæc enim virtus ipsum exornavit, dignumq; reddidit tali subsellio, quia uti ait Sanctus Bonaventura: *Humilitas est quidquid in valore est pretiosius, quidquid in decore est gratiosius.* Non caret illud magno mysterio, quod priusquam Christus Dominus captus ac crucifixus esset, orans in horto, in terram profundè se dimiserit, juxta illud D. Matthæi: *Procidit in faciem suam orans.* Quo fine id fecit, ut se in terram usq; prostraverit? Certè non ob aliud nisi exempli nostri gratia, ut insinuet, quod Deus neminem exaltare soleat, qui non fuerit prius profundè humiliatus. Deus exaltationis nostræ sufficientes merces habet, sed eas dare non solet, nisi prius à nobis dari videat denarium humilitatis. Id quod adeo verum est, ut dum filium suum unigenitum exaltaturus esset, id facere noluerit, nisi prius hac prædicta commutatione præmissa, nisi humilitatis pretio prius exoluto, unde Christus non immemor hujus divinæ consuetudinis, ut in cælo exaltaretur, se profundè humiliavit in terra: sic ait Origenes dicens: *Procidit in faciem suam orans, quoniam pretium exaltationis humilitas est.* Cum igitur gloriosus Christi Apostolus Matthias, hac moneta adeo abundârit, ut in ipso quoq; nomine eandem possederit. Matthias enim in sermone Latino parvulus vel humilis interpretatur, & Abdias author antiquissimus de hoc Sancto Apostolo scribit: *Licet eruditissimus erat, nullatenus tamen extollebatur sed juxta sui nominis Etymologiam, verè se parvulum & humilem exhibere nitebatur.* Unde meritò ad summam Apostolici officii dignitatem est evectus.

1. Reg. 10.

Hug. Card. ibidem.

S. Bonavēt. in Diat. salit. 7. c. 1.

Matth. 26.

Origenes Tract. 35. in Matth.

Abdias.

II. Non dubito quod & vos persuasum sibi habeatis, nempe illa verba Sancti David Psalmo 18. prolata, nempe *Cæli enarrant gloriam Dei*: non de cælis materialibus, qui ad laudes Dei decantandas loquela carent, sed de spiritualibus nempe de Sanctis Apostolis intelligi, uti & Venerabilis Hugo Cardinalis ita sentit dicens: *Cæli sunt Apostoli*: verè cæli sunt Apostoli, cæli sunt sphærici, Apostoli pariter, quia sunt completi & perfecti, cæli sunt luminosi, Apostoli à Christo vocantur lumen mundi, cæli, Dei sunt habitaculum, eodem modo & Sancti Apostoli: id enim in persona ipsorum protestatur Sanctus Paulus dicens: *Vivit in me Christus.* Cæli in continuo motu versantur, & Apostoli sine quiete, sine respiratione continuò currebant, laborabant, & in salute hominum procuranda nusquam quiescebant. Cum ergo Sanctus Matthias debuerit eligi in Apostolum, ipse quoq; cælum aliquod fieri debebat. Quemadmodum ergo cælum eodem modo quo & cætera ex nihilo factum fuit, ita quoq; ut Sanctus Matthias fieret illi similis, se pro nihilo id est pro humili reputavit. Neq; enim humilis aliud se reputat esse quam nihilum, quod patet in Sancto Joanne Baptista: qui interrogatus à Judæis utrum esset Christus, respondit; Non. Utrum Elias? Non. Utrum Propheta? Non. Sed quid tandem? *Vox clamantis in deserto.* Unde S. Joannes tot negativas didicerat? ex nihilo humilitatis, dum diceret. *Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est, cujus ego non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti.*

Psalmo 18.

Hugo ibid.

S. Paulus ad Gal. 2.

Ioan. 1.

III. Quod per cælos Sancti Apostoli intelligantur, patet id ex alio textu sacræ scripturæ, ubi ait Sanctus Isaias Propheta dicens: *Qui extendit veluti nihilum cælos.* Scimus bene cælos materiales, corpora esse solidissima, adamante solidiora; itaq; de illis verba hęc intelligi nequeunt, non sunt enim velut lamina auri vel argenti quæ dum crebris tusionibus malleorum extenditur, tandem ad illam subtiliationem venit, ut spuma quædam levissima videatur: ad eum modum cæli extendi nequaquā possunt. Unde per ipsos in-

Isaiæ 40.

intelligendi sunt Sancti Apostoli, quos tunc Dominus extendit velut nihilum, dum virtutem humilitatis illorum, suæ humilitati quâ amplior esse nequit, configurari vidit. Talium vestigiis Sanctus Matthias inhærebat, nec sine causa, siquidem jam cælum factus unà cum cæteris non suam sed Dei gloriam per totum mundum prædicaturus erat. Testatur id Sanctus Bernardinus dicens: *Cæli enarrant gloriam Dei, non propriam gloriam.* Et merito quidem, sicuti enim superbi proprium est prædicare semetipsum, sic è diametro proprium est humilitatis prædicare gloriam Dei.

Hugo Card.

IV. Sed quæramus in his cælis ampliora. Sanctus Joannes Apostolus narrat, in sua Apocalypsi se vidisse pulcherrimam quandam civitatem in cælis constructam, ex auro gemmis, & lapidibus pretiosis, cujus sanctæ civitatis mentionem facit mater nostra Ecclesia hisce Rythmis:

Brev. Rom.

Vrbs Ierusalem beata, dicta pacis visio
Quæ construitur in cælis vivis ex lapidibus.

De his lapidibus ait S. Joannes Evangelista: *Fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata.* Et hi lapides in duodenario numero collocantur; quia duodecim Apostolos designant, nempe Jaspis, Saphyrus, Calcedonius, Smaragdus, Sardonis, Sardius, Chrysolitus, Hyacinthus, Amethistus. Et quia longum esset de omnibus loqui, sufficiet nobis scire proprietatem Amethisti, qui concernit S. Matthiam Apostolum, tanquam in ordine ultimum. De proprietate hujus lapidis dicit Venerabilis Beda, quod sit coloris purpurei violaceo permixti, qui color simili s redditur vino nubenti. Iste lapis pulcherrimè quadrat Sancto Matthiæ Apostolo, dicente eodem

Apoc. 21.

Venerabili Patre Ecclesiæ: *Purpureus decor cælestis regni habitum, roseus verò atq; violaceus, humilem sanctorum verecundiam designat.* Unde cum lapis iste humilitatem denotet, necessario S. Matthias ob hanc virtutem eligi & undecim Apostolis, velut totidem pretiosis lapidibus, ad cælestis fabricæ consummationem adjungi debebat.

Ven. Beda, ibidem.

V. In civitatibus glorioſis magnæ quoq; domus sive palatia solent erigi, tale palatium, exhibet nobis quasi digito Rex Salomon dicens: *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem: immolavit victimas suas, miscuit vinum & posuit mensam.* Gloriosa sanè domus & omni præconio digna, in qua non solum habitare, sed etiam epulari conceditur, sed quis auderet, non vocatus ingredi aulam & accedere mensam? ait ulterius: *Misit ancillas suas ut vocarent ad arcem.* Nonne mirabimini quod dicam? Per istas ancillas Apostoli intelliguntur, Apostoli enim missi vocantur, ad quos Dominus ait: *Ecce ego mitto vos.* Sed cum Apostoli viri sint & non mulieres, cur ancillæ vocantur, cur non potius ait Spiritus Sanctus, Sapientia misit servos & non ancillas? Respondet S. Hieronymus dicens: *Misit ancillas suas eo quod prædicatores infirmos & despicabiles elegit.* Quod cum ita sit, quis non censebit Sanctum Matthiam Apostolico dignum fuisse collegio qui adeo erat humilis ut ipsam humilitatem in suo proprio nomine portaverit. Et nos eandem imitemur Auditores, ut sanctorum Apostolorum consortio adscribi mereamur.

Proverb. 9.

Matth. 10.

S. Hieron. in Prov.

AMEN.

IN FESTO S. MATTHIÆ Apostoli,

CONCIO IV.

Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus & revelasti ea parvulis. Matth. 11.

VErum quidem est Auditores mei, quod hodierna dies, dicata Sancto Matthiæ Apostolo, sit multùm solemnis. Est enim dies annua, unius è numero Principum Sanctæ Ecclesiæ. Est dies illius Apostoli, qui humilitate, & Angelica puritate, non solum chorum Apostolicum, sed ipsum quoque Cælum exornavit, est dies illius Apostoli, qui cum in Macedonia prædicaret, ejusque loci gentiles, ad explorandam vitæ suæ sanctimoniam, toxicatam potionem, quæ cunctos viventes visu privabat, ei propinarent, nec quidquam ipsi nocere poterat. Est dies illius Apostoli, qui ducentos quinquaginta cæcos illuminavit. Est dies illius Apostoli, qui dæmonibus summo terrori fuit. Cum enim datus fuisset ad carcerem, hi eidem apparentes illudebant, in eumque dentibus frendebant, [eò quod cultum eorum imminueret,] appropinquare tamen ad eum non audebant. *Actor. 12.* Est dies illius Apostoli, quem Christus Dominus majori privilegio, quàm ipsum Petrum cæterorum Principem honoravit, ad ipsum enim è carcere Herodis liberandum miserat Angelum, ad hunc autem ipsemet venire dignatus est, cui cum multo lumine assistens eum comportavit, & ostio aperto, liberum abire permisit. *Num. 16.* Est dies Apostoli, cuius prædicationem cum nonnulli respuerent, præsente se, non secus atque olim Moyse Patriarcha, Dathan, Chore, & Abyron, cunctos illos verbi Dei contemptores, terra hiscens absorbuit. Est dies illius Apostoli, qui rediens in Judæam, multisque ad fidem Christi Domini, tam doctrinâ verbi divini, quàm etiam per signa & portenta conversis tandem lapidibus obrutus, & securi plexus, coronâ accepit gloriosam. Sed licet hæc dies sit ita solemnis, utrum etiam læta dici *Esther. 1.* possit, id est mihi in dubio, Quis enim lætum *Matth. 22.* diceret Asueri convivium, in quo Regina Vasthi è regno excitur? Quis illas hilares nuptias, in quibus quidam veste nuptiali carens, in tenebras exteriores mittitur? Scio comedisse panem sanctum illum Tobiam, sed cum *Tob. 2.* tremore, luctuq; nimio, eò quod è suis Contribulibus jugulatum in platea occultè sepeliverit. Idem nobis occurrit in hac die sancti Matthiæ Apostoli, dum enim fit mentio electionis suæ in Apostolatum, sequitur altera perditionis Judæ. Sed non gratis in hac die recensentur verba Domini. *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Ex his enim verbis justi Dei judicii rationem addiscemus. Et tunc dum justos assumit ad gratiam, & etiam dum injustos derelinquit.

I. De bellicoso illo Rege David legimus 2. Reg. 8. quod postquam sibi per tot bella & *2. Reg. 8.* Victorias, terram Moabitarum subjugasset, eandem mensus fuerit funiculo, id est, ut ait Venerabilis Hugo Cardinalis, mensurans eorum hæreditatem, & distribuens, quam dabat cui volebat: ulterius ait textus *Mensus est duos funiculos, unum ad occidendum, & unũ ad vivificandum*, id est, uti explicat idem autor, *ad arbitrium suum quos voluit occidit, & quos voluit reservavit.* Quod hic de David *Hugo Card. ibidem.* de scribitur, idem planè impletum videmus in Christo Domino: ecce enim & ipse mirabili quodam funiculo sortis suæ mensus est Judam, & Matthiam: Unum ad occidendum, & alterum ad vivificandum: in uno miramur divinam suam justitiam, in altero autem magnam misericordiam, primo nempe justitiæ mensus fuit Judam ad mortem, hunc enim numeramus, in sorte illorum maledicta, quos Deus in peccatis suis obcæcatos, justo suo judicio desevit, æterno gehennæ supplicio punien-

puniendos; altero autem nempe misericordiæ, mensus est Matthiam ad vitam, quem de medio reproborum segregavit, fide illuminavit, spe lætificavit, charitate inflammavit, & tandem non solum undecim Apostolis annumeravit, sed etiam ad Cælestе consortium simul cum illis habendum destinavit. Vultisne scire quisnam ille funiculus fuerit? In antiqua lege fortissimus ille Josue ex mandato Dei terram illam promissam funiculo sortium dividebat, & cui filiorum Israel pars aliqua obtingebat, hæc sibi cedat in jus hæreditatis suæ, uti ait S. David psalmo 77. dicens. *Ejecit à facie eorum gentes, & sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.* At in nova lege, alter Josue nempe Christus Jesus, alium habet funiculum, unum inquam, quem S. Paulus sic describit dicens. *Cui vult miseretur & sic est funiculus vitæ, alterum verò quem vult indurat* & sic est funiculus mortis. De primo illo funiculo sortis congratulabatur quondam sibi Sanctus Paulus dicens. *Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum.* Huic Sancto Apostolo, si adjungamus Matthiam, ambo dicent *Sorte vocati sumus.* Et quænam illa? mera & libera Dei voluntas; addit enim *Secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum Consilium voluntatis suæ.* O quantum Dei beneficium, vocari in partem sortis sanctorum, id est, uti explicat Hugo Cardinalis, Vocari ad annunciandum nomen Domini. Certè id magnum est juxta illud Isaiæ dicentis in persona Dei. *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel convertendas?* Hinc sequitur, hodierna die, nos debere misericordiam divinam collaudare, sancto verò Matthiæ congratulari, quem secundum propositum voluntatis suæ elegit in servum suum, nempe in Apostolum, cuius Ministerii Majestas omnes Mundi dignitates longè superat.

Psal. 77.

A Rom. 9. d

Ad Colos. 1.

Ad Ephes. 1.

Isaiæ 49.

II. At forsitan aliqui murmurabunt, & conquerentur, quod Deus Matthiam in Apostolum elegerit, Judam autem reprobaverit. Multi sanè sunt qui ajunt: Cur me Deus non creavit nobilem seu divitem, uti alterum? illi dedit prosperitatem, sanitatem, pulchritudinem, mihi verò omnia hæc denegavit, illi vicino meo dedit multas proles, & cum hoc omnium rerum abundantiam, ut omnia illi superfluant, mihi verò cum nullam prolem dederit, nihilominus in tanta sum paupertate constitutus, ut neque me ipsum alere possim Insulsa querimonia: quemadmodum enim vas testaceum, non lamentatur contra figulum, quod se fecerit in usum quendam ignobilem uti ait S. Paulus ad Rom. 9. *Numquid dicit figmentum, ei qui se finxit, quid me feciſti sic?* Certè non! habet enim potestatem figulus facere ex una massa aliud vas in honorem & aliud in contumeliam; eodem modo inanis est hominis querimonia, qui nihil aliud est nisi vas testaceum ex luto factum. Obloquebatur aliquis Patrifamilias Matth. 20. quod tam iis qui primi venerant ad vineam suam, quàm etiam his qui novissime venientes una tantum hora laboraverant, æqualem dederit mercedem, nempe denarium diurnum, sed vano successu. Quod enim primo debebatur juxta conventionem, id accepit, non poterat autem illi Domino auferre libertatem, quin tantundem daret novissimo. Unde Ecclesiastes. *Omne quod voluerit faciet, & sermo illius potestate plenus est, nec dicere ei quisquam potest: quare ita facis?*

Ad Rom. 9.

Ecclesiastes cap. 8.

III. Porro ne aliquis dicat Deum uni velle benè, alteri malè, uni esse liberalem, alteri parcum, contra habemus evidens Sancti Joannis Evangelistæ testimonium dicentis. *Erat lux vera quæ illuminat omnē hominem venientem in hunc mundum.* Sicut Sol nulli denegat suum radium, ita & Deus omnes vult salvos fieri, lucem gratiæ suæ salutarem cunctis hominibus communicat. Sed si omnibus, cur igitur non omnes eam participant? Quod enim in hoc mundo inveniantur homines obtenebrati, id ipsemet Christus cum dolore fatetur coram Nicodemo dicens. *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quā lucem.* Ad id respondet Origines dicens. *Illuminat omnem hominem, quosdam ut lateres, alios ut adamantes, & specula.* Omnes Deus illuminat, sed non omnes æqualiter lumen recipiunt, quidam ut lateres tantum secundum exteriorem partem, quidam verò ut adamantes, non solum exterius sed etiam interius: later cum sit ex denso luto, exterius tantum illustratur, interius verò manet obscurus, at adamas cum sit transparens, non exterius tantum, sed etiam interius illustratur, eadem ergo ra-

1. Tim. 2.

Ioan. 3.

Origenes in Cantica.

go ratio est de hominibus: qui habent cor lapideum & obscurum. His licet fulgor superni luminis luceat, nihilominus in anima obscuri manent, uti erat Judas, cui doctrina Christi & tot miracula nihil profuerunt ad salutem: at verò qui habent cor penetrabile, si quam primum illuminantur à Deo, non extrinsecus tantùm sed etiam ad intra, gratiæ suæ radios recipiunt, & talis erat Sanctus
2. Cor. 3. Matthias unà cum cæteris Coapostolis, juxta illud divi Pauli. *Nos revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem.*

IV. Proinde Auditores, duo hic opera Dei considerantibus nobis, nempe in Juda opus justitiæ, in Matthia verò successore suo, opus misericordiæ, opus gratiæ ex mera liberaque
Ad Phil 2. voluntate sua proveniens, hinc sequitur cautela salutaris, nempe ut cum metu & tremore salutem nostram operemur. Dum noctu vult aliquis quidpiam operis agere, accipit ignitabulum, ferit lapidem, & accendit candelam: eodem modo, quotiescunque viro justo aliquid offertur agendum, ad quod à proprio appetitu inclinatur, ne à recto deviet, ignitabulum intellectus sui, lapidem ferit nempe Sacræ Scripturæ Historias, & hinc judiciorum Domini lumen accendit, quo illuminetur & ad rectum iter dirigatur; vult affectus contendere ad altiora, proponit sibi casum Luciferi. Titillat animus ad quædam illicita? Confestim producit Adami judicium, qui pomum comedit, & posteros suos duplici morte corporis & animæ mulctavit. Instigat avaritia? venit obviam infælix Judæ præcipitium, quem sua avaritia condemnavit.

V. Et hæc est inter justum & peccatorem differentia, quod justus exemplis aliorū, qui cum familiares Deo fuissent à gratia illius exciderunt, ad timorem sanctum, filialem q; invitatur; at verò peccator, ex operibus divinæ gratiæ & misericordiæ, temeratiam in se ipso excitat audaciam, prætenditque quod Deus ita secum, quemadmodum cum aliis agere teneatur. Adulter Davidem adducit, eò quod licet adulterio & homicidio peccaverit, post duo tamen verba *peccavi Domino* 2. Reg. 12. veniam obtinuit. Latro tota vita sua in latrociniis vivens, alterum latronem sumit in exemplum. Cui pœnitenti Christus ait *Hodie mecum eris in paradiso.* Luca 23. Usurarius proponit sibi publicanum. Qui post unam pectoris tusionem *Deus propitius esto mihi peccatori* exivit justificatus è templo. Simile quid ergo & sibi Luca. 18. certò pollicetur dicens. Quod Judæ evenit, mihi nequaquam eveniet. Quod Matthiæ Deus ex gratia tribuit, confido & mihi non negabit, invenit ille misericordiam, inveniam & ego. O impudentem præsumptionem, in donis gratiæ. Quia hæc aliis collata sunt, sibi quasi ex contractu certoque adscribere. Et deinde quo jure fælicissimam Divi Matthiæ sortem expostulas? Nunquid talis tu, qualis ille? numquid tu, omnia pro Deo reliquisti sicut ille? nunquid tu ea humilitate & puritate fulges sicut ille? Absit hæc à nobis temeritas, quinimò metuentes & cavetes Judæ justum judicium, gratiam Divo Matthiæ datam, taliter nobis dari petamus, ne ab illa excidamus.

AMEN.

IN FESTO S. THOMÆ Aquinatis, Doct. Angelici.

CONCIO I.

Vidi Angelum fortem descendentem de cælo, amictum nube, Apoc. 10.

S. Vincent. Ferrerius in serm.

EA est sententia S. Vincentii Ferretii, quam edidit in sermone suo, quem fecerat de S. Thoma Aquinate Doct. Angelico, cujus hodie solemnem memoriam celebramus, quod dum cumque Deus aliquem magnum, illustrem sanctumq; virum dignatus est mittere in hunc mundum, pro generali orbis illuminatione, & pro salute hominum, illum præviis diversis figurarum hieroglyphicis repræsentavit, & delineavit: quod multis exemplis probari potest: primò Joannem Baptistam ad nos missurus, eundē in Angeli per-
Malach. 3. sona longo antè tempore apud Malachiam Prophetam depinxit his verbis. *Ecce ego mittam Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Priusquam unigenitum filium suum in mundum amandavit, eum sub agni, mannæ, aliarumque plurium figurarum symbolis, quibus totum vetus testamentum plenum est, proposuit. Eodē modo Reginam mundi, nempe Beatissimam Virginem Mariam missurus ad terras, quatenus auxiliaretur nobis, eandem in nube, quam Elias Propheta de mari descendentem conspexerat, præ-
3. Reg. 18. figuravit, & ne vos pluribus exemplis occupem; cum divina providentia. Sanctum Thomam Doctorem Angelicum, in hunc mundum mittere decrevisset, ut per vitæ sanctitatem, & admirabilis doctrinæ suæ splendorem, huic mundo succurreret, eum per Angelum fortem, de cælo descendentem, nubeque amictum Sancto Joanni Apostolo in revelatione sua demonstravit. Nam S. Thomas Aquinas verè fuit Angelus, neque è numero simplici spirituum cælestium; sed è numero fortium. Quod ego hac in concione mea vobis demonstrabo.

I. Non dubito Auditores mei, vos toties vidisse, in templis vel in palatiis, Angelos pictos seu sculptos in specie infantili. Ipsimet Hebræi in antiquo testamento, uti refert Oleaster, Angelum Paradisi custodem juvenem exprimebant; eandem formam exhibebant illi Angeli, qui circa propitiatorium, cernebantur constituti. Sed quid est causæ, quod Angeli in hac juvenili specie depingantur, & non potius senes, & cani; maximè, cum Angeli adeo sint antiqui, à tot annorum millibus, imò anteqnam homines essent creati? Respondeo id fieri, tum quia Angeli, semper in eodem statu manentes, nunquam consenescunt, iidem enim sunt nunc, qui primo creationis die fuerunt: tum quia sunt sine ulla culpa purissimi. Et quia juxta S. Isidorum *Puer à puritate vocatur, quia purus est*; ob eandem rationem Angeli, qui puri sunt, tanquam pueri oculis nostris videndis proponūtur. Angelicus Doctor S. Thomas quantam vitæ puritatem conservaverit, non solum in pueritia, sed per totum tempus ætatis suæ, Reginaldus ejus confessor & socius publicè confitetur dicens: *Ego sancti Doctoris hujus & conscientiam, & vitam optimè novi, testorq; Dominum Jesum, me semper eam in illo puritatem comperisse, quâ solent esse quinque annorum pueri.* Hinc ergo infero; siquidem sanctus Thomas Aquinas omni tempore vitæ suæ purus extitit, ergo verus erat Angelus. Quod concernit primum gradum ætatis suæ, dum adhuc infans esset, demonstravit se Angelum fuisse, & id tali argumento probo. Sæpe audistis illud manna, quod filiis Israelis in deserto, pro cibo datum fuit, vocari panem Angelorum: sic enim S. David ait Psal. 77. *Panem Angelorum manducavit homo.* Idem Sapientiæ cap. 16. *Angelorum esca nutristi populum*

Oleaster in cap. 3. Gen.

S. Isidorus, Etym. c. 11.

Venerab. Reginald. in vita S. Thomæ.

Exod. 16.

Psal. 77. Sap. 16.

ulum tuum. Scimus benè, Angelos Domini, nullo cibo indigere: nam ille S. Raphael Tobiæ ductor, cum tandem vellet illi secretum divinum aperire, & manifestare quisnam esset, id per cibum, cujus natura Angelica usum non habet, demonstravit, dicens: *Ego cibo invisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, utor.* Tob. 12. Cum ergo Angeli nec comedant, neque bibant, cur illud Hebræorum mannа Angelorum esse dicitur? Lyranus respondet: *Lyranus in Psal. 77.* Quia ab Angelis in aëre formabatur, eorumq; ministerio decidebat. Sed communis ratio hæc est: illud mauna fuisse figuram cibi cælestis & divini, quo Angeli perfruuntur; ideo vocari cibum Angelorum. De Sancto Thoma scribitur, quod cum infantulum nutrix abluere vellet, interea ille chartulam è terra sublatam, manu sua validè tenuerit, quam nutrix ut eum lavare posset, conata est eripere; in ea verò charta salutatio Angelica exarata fuit: cumque infans ploratu gestuque eandem chartam reddi sibi postularet, restitutam deglutivit. Mysterium incarnationis filii Dei, nonnè est cibus Angelorum? istud S. Thomas Aquinas, adhuc dum infans fuisset, una cum chartula deglutivit: igitur Angelus fuit. Quinquennis cùm fuisset, id jam non in figura tali, sed opere ipso demonstravit. Cum enim montis Cassini Benedictinis Patribus fuisset traditus, literarum rudimentis ibidem imbuendus, in his brevi eruditus, ad Angelicum cibum properavit: nam de profundis scientiæ divinæ arcanis cũ Præceptore suo conferebat. Et cum Deus sit proprius cibus Angelorum, quem S. Thomas adhuc puer degustabat; Angelum fuisse constat.

II. Multùm cibus iste divinus, S. Thomæ sapiebat, cum enim jam adolescens, Neapolin ad studia mitteretur, ne inter literas seculares tali cibo privaretur, talem ordinem, nempe Prædicatorum ingressus est, in quo ipso vesci posset. Sed ecce quid contigit juveni? Idem planè quod S. Jacob Patriarchæ, cum quo ex Mesopotamia redeunte in patriã Angelus luctabatur usque mane. Gen. 32. Majorem luctam habuit S. Thomas. Cum enim Lutetiam Parisiorum missus, raptus in itinere fuisset à fratribus, & in arcem perductus, variis modis cum illo agebatur, ut habitum deponeret, & sacrum propositum mutaret: sed cum eæ artes non proficerent, tandem in suum cubiculum introduxerunt mũlierem, quæ labefactaret juvenis constantiam, eumque virginitate Angelica spoliaret. O quantam hic luctam fuisse putatis. Samson erat vir fortissimus, qui una mandibula asini, trecentos Philistæos interemit: sed ab una fœmina victus occubuit. *Iud. 15.* David fuit bellicosus, qui de gigante triumphavit; ab una nihilominus Bersabeë, ictus telo cupidinis, succubuit. *1. Reg. 17.* Salomon erat sapientissimus; nihilominus mulieres suum cor depravarunt. Et quid cum Thoma Aquinate adhuc adolescente futurũ arbitramini? nonne succumbet coram facie meretricis? tot heroës, torque sanctos viros fœminæ superarunt: ergo hæc unum iuvenem in conclavi clausum non devincet? Minimè verò Auditores: loco gladii accepit S. Thomas ardentem è foco titionem, & fœminam, & à se libidinis flammas fugavit. Quid jam dicetis? num se hic sanctus iste adolescens probavit fuisse Angelum? Non solum hunc, sed Angelum fortem. *2. Reg. 11.* *3. Reg. 11.*

III. Alia ex parte idem cognoscetus. Dicite mihi, cur sanctus Paulus præcepit mulieribus, ut in Ecclesia, tectum & coopertum caput gerant? Sic enim scribens ad Corinthios ait: *debet mulier velamen habere super caput suum, propter Angelos.* *1. Ad Cor. 12.* Aut turpe est & inhonestum mulieres velare sua capita; aut conveniens & honestum: turpe esse non potest, quia juxta sententiam sancti Pauli. *Mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suũ.* Si ergo velamen capitis conveniens est fœminis; cur se velare debent propter Angelos? an forte ne videntes torturam capillorum, gemmis & auro ornatorum, ex hoc scandalizentur? Fortes certè Angeli sunt, ea gratia & virtute donati, ut nunquam fœminarum ornatus illis nocere soleat. S. Bruno per Angelos, intelligit Spirituales, & præsertim Doctores Ecclesiæ, qui Angeli dicuntur, quia Dei nuncii sunt. Itaque mulieres juxta ordinationem sancti Pauli velare debent capita sua propter Angelos; *ne visa lascivia impudicarũ mulierum, illicitè moveantur ad eas.* *S. Bruno in Ep. ad Corinth.* Quid putatis Auditores: Forte illa mulier ad conclave S. Thomæ introducta velatum caput habens introivit? minimè verò, sed cum apertis, discriminatis, auro gemmisq; onustis capillis venerat, ut oculos adolescentis Thomæ illaquearet. Sed in vanum laboravit, nihil effecit.

Vultis rationem scire? Sanctus Thomas fuit unus ex Angelis, quibus Venus nihil nocere potest.

IV. Jacob Patriarcha post luctam suam, domum redit, & S. Thomas Aquinas post suam alteram, ordini sacro restitutus quis posset dicere, quantum se in virtutibus Angelicis exercuerit? Sic taciturnus erat, ut sui condiscipuli, qui secum in Schola Beati Alberti Magni studuerant, bovem mutum ipsum appellaverint. At quia ejusdem Magistro perspicuum erat, qualis ille esset, discipulos suos arguebat dicens. *Vos hunc bovem mutum vocatis, sed ille certe, tales quandoque docendo mugitus dabit, ut totus possit orbis audire:* factum ita. Nam viginti quinque annos natus Magister est appellatus, publiceque Philosophos ac Theologos summa cum laude est interpretatus, cujus doctrina quantum profuerit, & etiam nunc prosit sanctæ Ecclesiæ, tot summi Pontifices nempe, Innocentius Sextus, Urbanus Quintus, Pius Quintus, Clemens Octavus, Paulus Quintus, cæteriquesummi Pontifices, pro testimonio, simulq; pro argumento mihi sufficient. S. Thomas ergo licet à suis condiscipulis per jocum Bos fuerit appellatus, ego jam bovem verum esse pronuncio, sed eum, quem Ezechiel viderat Prophetiæ suæ primo capite, necnon S. Joannes Evangelista Apocalypsis quarto, nempe, in specie Bovis seu vituli, Angelum Domini.

Surius in vita D. Thom.

Ezech. 1.

Apoc 4.

V. Procedamus ulterius, ipsumque nube vestitum contemplemur. Tametsi omnes animæ nostræ habeant pro vestimento suo *Corpus quod aggravat animam.* Hujus tamen Sancti anima loco carnis, nube amicta videbatur. Quidnam in hoc amictu mysterii latet? patebit ex S. Antonino, qui de divo Thoma testatur quod dum cælestia, & divina contemplabatur, *Sic ad Deum elevatione mentis ascendebat, quasi nullum pondus carnis sustineret.* O quam bene S Thomæ Aquinati quadrat, fuisse amictum nube. Rex Salomon, aulicos suos taliter vestiebat, ut quilibet ex vestimento suo etiam officium suum nosse posset. Et quid aliud Thomas, quam cælestis nubes? Quid aliud operabatur, nisi quod pluvia, roreq; doctrinæ suæ Ecclesiam sanctam irrigabat? Merito Aquinas dicitur, quoniam ut Historia Lombardica inquit, aquas doctrinæ cælestis depluebat. Et quia cognomen suum erat Aquinas, non immerito sibi suo schemate vel insigni assumpsit aquæ symbolum. Dum enim pro more Academico, Doctoratus titulo decorari deberet, ipse orationem ad alios habiturus, hoc sibi thema cælitus datum adscivit *Rigans montes de superioribus suis.* Et cum dicat S. David. *Qui operit cælum nubibus.* Cum iisdem nubibus S. Thomas amictus fuerit, ipsum quoq; cælum repræsentat. Et revera cælum fuit. Resplendet cælum, & S. Thomas collustrat totam Ecclesiam, cælum tot ardet ignibus, quot stellis nitet. Et S. Thomas tanta charitate arsit in Deum ut nihilum se putaret propter ipsum. Cælum est Angelorum locus, istud idem est quod recepit S. Thomam, tanquam verum Angelum, ubi fruitur gloria sempiterna. Amen.

S. Anton. in vita sua

Historia Lombardica.

Psal. 103.

Psal. 146.

Sapient. 9.

IN FESTO S. THOMÆ
Aquinatis Doctoris Angelici,
CONCIO II.

Iris in capite ejus. Apocalypsis. cap 10.

PAtvam (uti colligere possum) opinionem de hac concione mea capietis Auditores mei, in qua S. Thomam Aquinatem Doctorem Angelicum (huic themati insistendo, Iris in ca-

in capite ejus] laudare cupio. Si enim juxta id, qvod iris in se repræsentat, illum laudare volvero, timeo, ne loco præconii plus cum vituperem. Nec sine fundamento dico, qvia S. Ambrosius dicit: Iridem esse figuram hypocrisis: nam qvæstione facta: Cur in illo trium puerorum cantico, cujus principium

Dan. 3. est: *Benedicite omnia opera Domini Domino:* in qvo illi tres pueri, nempe Ananias, Azarias, Misaël, in camino Babylonico ab igne conservati, Dominũ benedicentes, universam creaturam ad laudes divinas invitabant, qvam enumerare longum esset, solius Iridis nullam fecerint mentionem, eam causam subjungit,

S. Ambr. in Epist. dicens: *Laudare Deum non meruit arcus ille pulcherrimus, qvia fictos habebat colores.* Si ergo ita est, qvalem Divus Thomas, Doctor celebertimus, qvin imò Angelicus, ex hoc themate habebit Panegyrim? *Iris in capite ejus.* Sed parvam habete patientiam, & summas divi Thomæ laudes, ex hac iride sibi factas, audietis.

I. Est verum, Auditores mei, qvod protuli, nempe Iridem, qvasi nihil esse in veritate, sed solam repercussionem radiorum Solis, qvæ citò evanescit, & secundùm hoc laudare possem sanctum Thomam ab illustrissima sua familia, nempe, qvòd progenitus fuerit Laudulpho, Comite Aqvinate, & Theodora Neapolitana, parentibus nobilissimis. Sed ego hinc, qvod citò paret, & citius perit, sanctum Thomam laudare non intendo, S. Gregorius, glorię mundanæ titulos considerans, qvod S. David fumo comparat dicens: *Qvemadmodum*

Psalm. 36. *fumus deficient:* in eundem locum egregiè discurrit dicens: *Fumus ascendendo deficit, &*

S. Greg. *sese dilatando evanescit, sic videlicet ei fit, qvem præsens felicitas comitatur.* Confirmat idē Philo Hebræus dicens: *Nihil est in humanis rebus*

Philo de Immutab. Dei. *& negotiis præter umbram, auramqve levissimam præter volantem.* Inter talia epitheta poterat & Iris poni: licet enim splendida appareat, & diversis coloribus exornata, non diu tamen durat, sed brevi tempore evanescit. Jactantia illa Regis Babyloniæ qvid aliud erat, qvàm Iris? Deambulando ille

Dan. 4. qvondam in aula Babylonis dicebat: *Nonne hæc est Babylon, civitas magna, qvam ego ædificavi in domum Regni, in robore fortitudinis meæ?* Sed qvid seqvitur? *Cùm sermo adhuc esset in ore Regis, vox de cælo ruit: Tibi dicitur, Nabuchodonozor Rex: Regnum tuum transibit à te, & ab hominibus excient te.* Sollicitudo illius divitis, qvi, habens abundantiam fructuum, volebat destruere sua horrea, & facere ampliora, qvis erat? Subitò enim audivit sibi dici: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, qvæ autem parasti, cujus erunt?* *Luca 12.* Illa vestis aurea, in qva Herodes Rex gloriabatur, & acclamationes aliorum lubens acceptabat: *Dei & non hominis:* Iris *Act. 12.* erat citò disparens, qvia, illicò percussus ab Angelo, à vermibus expiravit. Cùm ergo Iris tã citò dispareat, & eodem modo omnis mundi hujus gloria brevi durat tempore, citòqve finitur; ea propter encomia sancti Thomæ non à stemmate domus suæ, non à nobilitate parentum, non à numero fratrum & consanguineorum mihi qværenda sunt, sed aliunde, qvod non perit. Et qvid illud? Sacrarum suarum virtutum, qvarum memoria manet in æternum. Sed dicetis: Qvomodo mihi eas Iris repræsentare poterit, cùm citò deficiat? S. Doctor Augustinus responsum nobis dabit: Legimus Genesis *Gen. 27.* cap. 27. Jacob, filium Isaac Patriarchæ, juxta consilium matris suæ, vestes optima Esau, fratris sui, induisse, escas patri suo attulisse, & sic benedictionem ab eodem accepisse. Videretur hìc qvibusdam Jacob mentitum fuisse: qvòd enim vestes Esau induerit, qvòd hædinis pellibus membra contexerit, fecit id, ut putaretur esse, qvi non erat. Atqvi S. Augustinus ait, nullum ibi commissum *S. Aug. lib.* fuisse mendacium, sed factum illud extitisse mysterium: sic enim omnes parabolæ & figuræ mendacia dicerentur. Itaqve illud factum Jacob non est intelligendum per proprietatem, sicuti & cæteræ figuræ, *sed in eis aliud ex alio est intelligendum.* Eodem modo & ego dico de Iride, si accipiatur, ut in se est, nempe qvòd splendeat, sed splendorem suum citò amittat, sic videretur esse imago qvædam falsitatis & inconstantiæ, at si ex eo, alia qvædam scrutari velimus, summam laudum materiam sancto Thomæ Aqvinati adferre possunt. Sit hoc primum ejusdem encomium. Cùm S. Thomas adhuc esset infans, atqve ablueretur à nutrice sua, sublevans chartulam à terra, in qva Angelica salutatio scripta fuit, eam in manibus suis arctè clausam tenuit, nutrix, ut ipsum lava-

contra mendacium.

lavare posset, è manibus chartulam rapuit, ille verò cùm ejulatu repetitam deglutivit. Beatissima virgo Maria, cujus salutationem infans Thomas deglutivit, inter cæteros titulos, qvi ipsi appropriantur à rebus variis, nempe à cælis, elementis, plantis, animantibus & artefactis, habet etiam symbolum

Ernest. c. 14. Iridis, cui ab Ernesto primo, Archiepiscopo Pragensi, comparatur, qvi sic ait: *Ipse arcum posuit in nubibus, qvi Mariam posuit in lumbis Abrahæ, & in sanctis Patribus, ut, qvoties obduxerit nubibus cælum, ut inde ostenderet iram suam, ipsa appareat vultui Dei pro nobis advocata.* Qvandoqvidem ergo sanctus Thomas mysticæ hujus Iridis, qvæ est beatissima Virgo Maria, salutationem Angelicam, diversis gratiarum coloribus insignitam, deglutivit, jam illud in maximam ipsius laudem cedet, qvod de ipso protuli: Iris in capite ejus.

II. Philosophi naturales dicunt de iride, qvòd qvatuor habeat colores, nempe igneũ de cælo, purpureum ab aëre, cæruleum sive Hiacynthinum ab aqva, & tandem viridem à terra. Sanctus Thomas Aqvinas hos omnes colores habuit, primum amoris Dei, qvi est

S. Aug. super omnia, deinde proximi, qvi est juxta nos, tertium amorem sui, sed castum & timoratum: contempsit enim aërem, qvem captant laudipetæ, &, relicta domo sua perillustri, intravit sacrum ordinem Prædicatorum, ut, Hiacynthino colori similis, in contemplatione cælestium totus esset. Qvartus color, nempe viridis, fuit summa humilitas S. Thomæ: nam cùm pro tanto viro ab omnibus haberetur, ille nihilominus minima de se sentiebat, superbiam, qvæ extollit homines, nusqvam novit, ut in officio suo Ecclesia Dominicana canit: *O munus Dei gratiæ, vincens*

Ex Brev. Ord. Prad. *qvodvis miraculũ, pestifera superbia nunqvam persensit stimulum.* Non sine mysterio qvartus iste color à S. Joanne Evangelista smaragdinus vocatur, ubi ait: *Iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinæ.* Ut enim ait

Apoc. 4. *Solinus.* Solinus: Smaragdo nihil est visu jucundius: dum enim ipsum vident oculi, virent super omnes herbas & silvarum frondes, qvæ repræsentantur in ipso. Unde Nero Cæsar, cùm Romæ instituisset in theatro amplo gladiatorum pugnas, eas in smaragdo spectare volebat, ut non solùm illa pugna, sed etiam tam pulchra visione lapidis oculos suos oblectaret. Oblectabat oculos S. Thomæ color smaragdinus, cui sancta humilitas unicè cordi erat.

III. Progrediamur ulterius, illumqve hac iride coronatum contemplemur, nam ait sacer textus: *Iris in capite ejus.* Iridem bene vocavi coronam, qvia in modum circuli apparere solet. Pulchra profectò hæc est corona, non aurea, argentea, sive gemmea, aut ex floribus contexta, ex qvibus coronæ cęteræ fieri solent, sed ex iride, qvæ constat tot pulchris coloribus, est fabricata. Nostisne causam? Deus per talem coronam summè admirabilem Divum Thomam demonstrare voluit. Refert Cælius: Poëtas finxisse qvandam fa- *Cælius l. 22.* bulam de Iride, nempe fuisse filiam Taumantis, qvi in mari & in terra tot mirabilium erat patrator. Qvidnam, obsecro, est, in qvo Angelicus Doctor stupendus ac prodigiosus non fuerit? Refert de ipso Surius, qvòd, *Surius in* dum adhuc esset juvenis, Alberto Magno ita *Vita.* admirandus videbatur, ut eidem tale dederit elogium: *Non est inventus similis illi.* Qvod *Eccl. 44.* si doctrinam ejus, pietati, sanctis virtutibus conjunctã, attendatis, hoc mihi dicere sufficiat, qvod Joannes vigesimus secundus Pontifex dixerit: Si pro Thoma canonisando miracula deficerent, hoc sufficeret pro testimonio, qvòd articuli sui, qvotqvot in sua sacra *In Bulla* Theologia fecit, pro miraculis haberentur. *Canon.* *Iris in capite ejus.*

IV. Sed diceret aliqvis: Qvomodo hæc iris, loco coronę, potest poni in capite D. Thomę, cũ illa, respectu sui capitis, sit maximæ qvantitatis? Videtur enim extendi ab una parte mundi ad alteram. Respondeo, Sanctum Thomam, Doctorem Angelicum, etiam habuisse caput magnum, non qvidem qvantitate moli, licet staturæ suæ proceræ proportio- *S. Ant. Flor.* natum qvoqve caput haberet, sed fuit magnum qvantitate virtutis. Unde bene de illo dicitur: *Iris in capite ejus.* De Scipione Africano scribunt Historici, qvòd, dum esset in qvodã convivio, in qvo omnes convivæ coronas ex floribus contextas habebant in capitib⁹, sua verò corona eo qvòd parva esset im- *Aldus Manut. p. 486.* proportionata qvoqve suo capiti videretur, accessisse ad eum Lucinium Varum, idqve ei judicasse, cui ille respondit: *Noli mirari, si non convenit, caput enim magnum est.* Qvibus verbis insinuare volebat, caput ejus non ad coronas floriaceas, sed ad triumphales aptũ esse. Tales etiam coronæ decent sanctum

Tho-

Thomam, unde parvas hujus mundi contemnebat. Nam Neopolitanum Archiepiscopatum cæterosque plures, quibus summi illi Pontifices nempe Clemens Quartus, & postea Urbanus Quartus caput suum coronare volebant, ille recusavit.

V. Sed ea Sancti Thomæ humilitas non caruit suo præmio, cum enim quadam vice oraret coram altari, in quo Christi crucifixi imago erat, rogasset que Dominum, de statu vocationis suæ, an sibi in illo complaceret, crucifixus miraculosè loquens respondit dicens: *Benè scripsisti de me Thoma: quam ergo mercedem accipies?* Duo hic miranda sunt, primum, quod Deus ipsum collaudaverit, quod raro fit ab illo: dicente Guerrico Sermone 3. de Nativitate S. Joannis. *Deus neminem facile laudat, quem laude inflari posse videt.* Unde signum est Sanctū Thomam Aquinatem perfectum fuisse in humilitate, nullumq; jactantiæ casum timuisse. Secundum illud est. Quod Dominus adhuc in hac vita sua mortali, de mercede quam haberę vellet ipsum interrogaverit. Similem ergo dixerim Sancto Abraham Patriarchæ. Cui multa Deus promiserat dicens: *Ero merces tua*: similem inquam dico Abrahamo, nam & Sanctus Thomas, responsum daturus Domino ait: *Non aliam Domine nisi te ipsum.* Deum pro mercede habere voluit & obtinuit. Sicuti enim Dominus S. Abraham Patriarcham, Patrem fecit multarum gentium, sic & Sanctum Thomam Aquinatem gratia sua Divina in tantum extulit, ut non solum recenseatur in numero Sanctorum illorum Patrum, nempe Gregorii, Augustini, Hieronymi, Ambrosii, sed & nunc in Ecclesia sancta Dei, communi voce Parens Theologorum nominetur. Sed quid mirum? Cum sit Doctor Angelicus, iride æternæ gloriæ coronatus à Deo, cui sit laus & gloria. Amen.

Guerricus Abbas.

Gen. 15.

INFESTO S. THOMAE
Aquinatis Doct. Angelici,
CONCIO III.

Quasi Sol refulgens, sic iste effulsit in templo DEI.
Ecclesiast. 50.

MUltum mihi gratificaret Auditores mei, si hodierna die, S. Thomam Aquinatē, Doctorem Angelicum, possem tot præconiis prædicare, quot, & quanta à nobis promeruit. Nam si Spiritus Sanctus, omnibus iis laudes decrevit depromendas, qui aliqua virtute claruerunt; dicens: *Laudemus viros gloriosos.* Multò magis S. Thomas laudandus est, qui non una virtute excelluit, sed earum omnium, quæ in diversis Sanctis sigillatim numerantur, ille universale compendium factus fuit. Si enim quæris Angelos? invenies hic Doctorem Angelicum. Si Patriarchas, qui fide claruerunt, hic habes ejusdē sacræ fidei acerrimum defensorem. Si Prophetas, hic habes plus quàm Prophetam, quem interpretem Divinæ voluntatis unus Pontificum maximorum nominavit. Si Apostolos, his familiarem habes S. Thomam, cui obstracto in visione Petrus & Paulus Apostoli apparuerunt. Si Martyres, his omnino major extiterat, quia non ab hostibus extraneis, sed à matre propria, suisq; fratribus uterinis, plurima passus erat. Si Confessores, his major erat, quia non solum ore, sed etiam assiduo calamo, confitebatur Deum. Si virgines, singularem virginitatis accepit lauream, qui corpore & animo virgo fuit. Sed quid sollicitor! Cum præ oculis habeam, laudum suarum materia? Quænam illa sit scire vultis? An non videtis pretiosam catenam è collo suo dependentem,

Eccl. 44.

Clemens Octavus.

tem, & in ejusdem pectore, figuram solis sustentantem? Proinde, quidcunq; in tali Sancti Doctoris schemate mysterii deprehendero, id convertam, in hujus Sancti Patroni præconium.

I. Prineipes, & viri illustres hujus mundi, solent gestare in collis suis torques aureos, & ex eis Agnellos dependentes, ex auro affabrè factos, quod monile in testimonium virtutum, & excellentiæ, ipsis dari solitum vellus aureum appellatur. An non excellentius monile S. Thomæ, qui non agnellos, mansuetudinis symbola, sed solem ipsum, dextrũ totius orbis oculum, multorum titulorum symbolum, in pectore suo gestat? Monile huic simile, neminem ego Imperatorum, & Principum gestare vidi, & audivi. Romanos Senatores, legi gestasse lunulas in calceis, sed solẽ non solum non in calceis, sed neque in ipso pectore. Legi Regem Pharaonem circumposuisse collo Joseph torquem aureũ, similiter invenio, Danielem Prophetam, à Rege Balthasare donatũ fuisse torque aureo, eo quod ei, scripturam in pariete, manu apparente scriptam, legerit, & interpretatus fuerit. Sed nullus istorum, Sancto Thomæ comparari potest, qui non solo torque, sed sole etiam ab eodem dependente donatus, & exornatus erat. Sed non sine causa sic depingitur, dum enim viveret, familiare sibi fuit cum sole commercium. Inprimis, sol quàm primum exoritur, non potest suos radios continere, sed eos subitò circumquaq; dispergit. S. Thomas in ortu seu nativitate sua, non fuit soli absimilis, quàm primum enim in mundũ prodiit, clarissimos sanctę vitæ suæ radios demonstravit. Res est, Beatus Thomas natus ex parentibus, Laudulpho Comite Aquinate, & Theodora Neapolitana: cum adhuc infans esset, eumq; nutrix abluere vellet, chartulam de terra sublatam, in manu gestantem deprehendit, ut ergo ipsum commodius lavare posset, eam ipsi accipere conabatur, sed cum ille acriter fleret, nec eam sibi eripi pateretur, relicta in manu chartula, sic ipsum abluit, remque totã matri ejus indicavit. Quæ ægrè tandẽ manum infantis aperiens, chartã accepit, cumque eam perlegisset salutationem Angelicam, in eadem scriptam invenit, quam gestu, & ejulatu expostulans, sibi redditam deglutivit. Solis exorientis, nempe infantis Thomæ hi erant primi radii, quid amplius dicam de eodem sole, audite.

Gen. 4.

Daniel. 5.

S. Anton. Arch.

II. Sol quamvis se per radios suos luto asso-ciet, non tamen inquinatur, neque aliquam contrahit maculam, quid mirum, cum eam contrahere non possit? ergo S. Thomas, dum adhuc esset juvenis, solem superavit, hic n. dum cum sole ascendente, suum quoq; ascensum quæsiviſſet, juxta illud scripturæ; *Ibunt justi, de virtute in virtutem*; illumque in sacro ordine Prædicatorum inveniſſet, mater sua, accepta hujus rei notitia, atq; nimium indignata, eum per suos filios euntem Parisios raperet, & in castrum suum reduceret, varios adhibebat modos, ut solarem adolescentis animam obfuscaret, & à proposito avocaret, sed non fuit illi datum, illud Iosue beneficium ut solẽ retrò cedere faceret, nam etiamsi impedimenta plurima habuisset, nihilominus eosdem, quin majores virtutũ progressus faciebat. Quid plura? mater cum sanctum propositum in filio mutare non posset, introduxit in ejusdem cubiculum impudicam mulierem, quæ luto carnalis concupiscentiæ solem inquinaret; sed in cassum: nam & illam, arrepto è foco titione, camera sua exturbavit, & oratione facta ante signum crucis, quod sibi carbone effinxerat, eam à Deo gratiam impetravit, ut ab Angelis præcinctus lumbos, omni postmodum libidinis sensu caruerit. Mirabilis sol S. Thomas, qui etiam in lutoso prato, suam famam non amisit.

Psal. 83.

Iosue 10.

III. Quin ut postmodum magis mirabilem audiatis, audite primùm quædam solis mirabilia. Quatuor præcipuè in sole admiramur. Primò lumen ipsum, nempe quod illud in ea mensura communicet mundo, quantum ipsi sufficiat. Deinde, quod sit summæ agilitatis, nam quot horis decurrit, viginti millia milliariũ, quàm sint nostra longiorum, conficit. Item summa est in sole subtilitas, transparet enim omnia lucida. Tandem admiranda est in illo impassibilitas, quia à sui creatione, nullam passus est suæ naturæ imminutionem: nec enim igne suo comburitur, nec cursu atteritur, nec quippiam ab aeris tempestatibus patitur, & tandem est altior omnibus casibus. Hæc omnia in mystico S. Thomę sole, facile inveniemus. Nam quoad primum, quod sol omnibus terræ partibus, lumen suũ ad sufficientiã communicet, id certè securiùs dici potest de S. Thoma Doctore Angelico, nam in hoc mundo, invenimus pleraſq; partes terræ, quæ solem rarò vident, uti aliquæ

Majolus.

regio-

regiones in Aquilone, quibus totis sex mensibus sol occultatur Aliqui autem sicuti Cymmerii, lumen ipsius nunquam vident. At sol Angelicus D. Thomas, ubiq; suæ doctrinæ radios dispergit. Lucet in sacris Palatiis Pontificum Romanorum, lucet in diversis Sanctorum Ordinum locis, lucet in scholis Theologorum, lucet in cathedris Prædicatorum, lucet in tota Ecclesia Dei, lucet in universo orbe Christiano, lucet insuper in splendoribus Sanctorum.

IV. Magna est solis agilitas, quia una hora ut jam dixi, viginti millia milliarium, suo cursu conficit. Sed sol intellectualis Divi Thomæ, quanto agilior, qui unico mentali conceptu, seu cogitatione, non viginti millia milliarium, sed totū illud percurrit, quod Deum non potest capere, de hoc enim dum unicam meditationem facit, millena milliarium millia conficit & absolvit, magna itidem est solis subtilitas; sed quid Angelico sole subtilius; qui non solum dura ingenia penetravit, sed quod plus est, lapideas peccatorum animas pertransivit, ultimum quod miremur in sole, est impassibilitas. Sed ego, venia tanti luminaris dicam, solem Angelicum Divi Thomæ, multo magis esse impassibilem: ille enim materialis, aliquando Ecclipses patitur, & in fine mundi obscurabitur: hic autem alter Doctoris Angelici, quam immobilis, & firmus semper fuerit, sufficit mihi illud Christi Domini testimonium, orantem aliquando Sanctum Thomam ita alloquentis, Bene scripsisti de me Thomo: sol cum sit in se lucidissimus, non sibi lucet, sed mundo huicquem illuminat. Sol Angelicus S. Thomas attendens ad illa verba Christi dicentis. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona*, expressit solis materialis qualitates: quod enim ore docuit, hoc etiam opere (aliorum ad exemplum) exequebatur & quidem, si virtutes suas inquiramus, innumera illarū exempla, tanquam radii quidam oculos nostros perstringunt. Adest prima animi innocentia, nullis peccatorum inspersa maculis, & fervore orationis tam in altum elevata, ut dum oraret, in sublime raperetur. Porro ad dignissimum Eucharistiæ sacramētum, tanta erat in ipso cordis affectio, ut cum sacra perageret, totus lachrymis distillaret, nec mirum, nam signa sereni solis, ros matutinus præcedere solet. Sed quod vel maxime in ipso mirandum venit, est contemptus gloriæ & dignitatum, despexit enim purpuras Pontificum, & thiaras Episcoporum. Et cum luceret omnibus, qui in domo sunt magni Regis, ipse nulla dignitate Ecclesiastica (qui è se repulerat secularem) exornari voluit: sane non sine mysterio nam & sol cum ipse illuminet omnia, nullum tamen ab aliis requirit lumen.

Matth. 5.

V. Lumen solis nullam habet metam, inepte ergo faceret si quis eā sibi præscriberet, nec ego huic divino soli Sancto Thomæ, hac concione mea, aliquam præfigo metam, quin cum ipsemet, ex æquo ipsum laudare nequeam, id aliis faciendum relinquo. Legimus de Alexandro magno, quod cum post plurimas patratas victorias, iter faceret in urbē Thessaliam, illam oppugnare volens, antequam ad illam perveniisset, cuidam fonti pulcherrimo obviavit, ad quem cum quievisset, & ad latus fontis prospexisset, vidit statuam æneam Orphei viri nobilissimi, quam cum attentius inspiceret, ecce repente tanquam rem prodigiosam, videt ipsam statuam toto corpore sudore coopertam. Alexander tanti prodigii causam scire cupiens, protinus suos Sapientes, quos apud se habebat convocavit, ut rei visæ mysterium exponerent; qui respondetunt. O Princeps fæliciſſime Alexander, bono esto animo, nam hi sudores hujus statuæ indicant, multos oratores, & historicos, sudorem concepturos, qui tuas laudes & præclara facinora, ore aut calamo celebrare attentabunt. O quot, & quanti hodierna die oratores sacri inveniuntur qui in diversis orbis partibus, in laudibus huius Sancti & Angelici Doctoris desudant. Laudemus ergo solem justitiæ Christum Jesum, qui tot in Ecclesia sua sancta, instituit luminaria, è quorum numero imitemur virtutes, hodierni luminaris Sancti Thomæ, ut radios doctrinæ, vitæque suæ exemplaris, in bonis operibus proficere valeamus, ejusdemque pio patrocinio, absoluto cursu vitæ nostræ, ad claritatem æternæ gloriæ pervenire mereamur. Amen.

Curtius in vita Alex.

IN FESTO S. THOMÆ
Aquinatis Doct. Angelici,

CONCIO IV.

Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona. Matth. 5.

AUreus Ecclesiæ Doctor S. Chrysostomus, hoc hodiernum Evangelium, ad Sanctos Apostolos pertinere ait: Sed mox quæstionem movet. Ob quam causam Dominus Apostolos sali, & luci comparavit. Certè si utriusque naturam scrutati fuerimus, inveniemus, nec lucem habere aliquid cum sale, neque sal cum luce. Et respondet dicens in hunc sensum. Ea propter primò assimilatos fuisse sali & deinde luci: (verba sunt Chrysostomi,) *Quia prius est benè vivere, quàm benè docere. Et ideo postquam Apostolos dixerat sal, consequenter vocat eos lucem.* Sciunt benè Auditores, Sal condimentum esse ciborum, lucem autem esse id, per quam tenebræ discutiuntur, & illuminantur omnia. Repetam ergo verba Chrysostomi. *Sicut Doctores, propter bonam conversationem, sunt sal, quo populus conditur, ita propter verbum doctrinæ sunt lux, qua ignorantes illuminantur.* Quod Christus Dominus, clarè expressit dicens: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* Ex hoc fundamento discursus mei, patet, quantæ fuerit excellentiæ S. Thomas de Aquino, Doctor Angelicus, cujus hodiernam celebritatem S. Mater Ecclesia commemorat, merito sali, & luci comparandus, nam fuit planè vir Apostolicus, quia fuit sal in vita, & lux in doctrina. Quod vobis in hac concione demonstrabo.

S. Chrys. in Matth.

Matth. 5.

I. Sapientiam esse donum Dei speciale, nemo est qui dubitet, nam Rex Salomon, quam vis auro & argento omnique pretiosa supellectile abundaret, nihilominùs pluris æstimavit sapientiam, quam in exordio Regni sui à Deo petivit, eique tale dedit elogium. *Non compuravi illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, & tanquam lutum, æstimabitur argentum, in comparatione illius.* Nihilominùs, qui ipsa abutitur, id est qui sapiens vult videri in verbis docilibus, & non in bonis operibus, talis assimilari potest, uni ex servis Regis cujusdam, qui cum accepisset talentum, à domino, ut illo negotiaretur, & lucrum faceret, ille abiens, abscondit talentum Domini sui. Per hoc talentum, intelligo sapientiam, de qua idem Rex Salomon, tale dat judicium. *Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati*: super quæ verba sacri textus, Venerabilis Hugo, quatuor inter sapientes invenit differentias, dicens: quidam sunt, qui habent sapientiam, in corde tantum, quidam in codice, quidam in ore, quidam in opere & hi soli participes sunt amicitiæ Dei, juxta verba Domini. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis.* Unde concludo, cum Sancto Chrysostomo dicente: *Per illos Doctores, qui docent, & faciunt, magnificatur Deus.* Abulensis satis pulchram quæstionem movet, super duo illa loca Sancti Evangelii, ubi Matthæi 3. capite, Christo in Jordane baptisato, descendit vox à Patre suo cælesti. *Hic est filius meus dilectus in quo mihi benè complacui.* Postmodum autè Matth. 17. nempe in transfiguratione sua, ea vox insonuit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui ipsum audite.*

3. Reg. 3.

Matth. 25.

Sap. 7.

Ioan. 15.

S. Chrysost. cap. 5.

Matth. 3.

Matth. 17.

audite Dum Christus baptisatur, dilectus Patri suo nominatur, eodem modo, dum transfiguratur: sed quidnam est, quod declaretur, & habeatur pro Magistro, dicente Deo Patre, *ipsum audite.* Ibi autem nulla mentio cathedræ fuit habita, cum sciamus Jesum, adhuc ante baptismum, nempe duodecimo ætatis suæ anno, in medio Doctorum disputasse? Autor quidam ex recentioribus Mendoza, pulchrè respondet, dicens: *Quia Christus Dominus in Baptismo, quandam peccatoris imaginem præferebat, in transfiguratione autem summam prædicatoris sanctitatem repræsentabat.* Hinc docemur, quod lumen bonæ vitæ, det pondus doctrinæ, & tunc laudabilem esse Doctorum sapientiam, & doctrinam, dum vita probat, quod verba docent, sola verò verba, operibus destituta, non esse efficacia in animis aliorum.

Abulensis.

Luca 7.

Mendoza.

II. Habemus hujus rei similitudinem, sonat horologium, horam duodecimam, & dicit auditus, hora duodecima est, sed si oculos attollas, & monstratricem manum, seu indicem intuearis, vides quartam horam indicare, tunc non poteris dicere aliud, quam id, quod sit malum horologium. Eodem modo, si audias Doctorem aliquem, de virtutibus differentem, & docentem humilitatem, ipse autem habeat in se indicem superbiæ: si contemptum rerum terrenarum prædicet, ipsemet autem spiret avaritiam, talis doctrina nullum fructum adferet auditori, nisi hæc duo combinentur, verba & opera, vita & doctrina. Extat hujus veritatis figura Exodi 34. Ubi sacer textus ait: Moysen Patriarcham, dum descendisset de monte Synai, portans duas tabulas legis, habuisse cornutam faciem, id est radiis coruscantem, quos ex conspectu Domini participaverat. Scimus benè Moysen, non illa tantùm vice, sed antea quoque, in eodem monte, cum Domino fuisse conversatum, ubi etiam priores legis tabulas acceperat, sed in descensu montis, videns maximum peccatum populi, illas confregerat: quid igitur est, quod prima illa vice, nullis radiis coruscans apparuerit, sed secunda? Sanctus Doctor Augustinus respondet dicens: *Accepta potestate cum honorificentia, descendit de monte facie gloriosa.* Quasi diceret Sanctus Doctor, quod prima vice, detulit Moyses tabulas legis, quas frangeret, secundas autem, ad docendum populum, legem & ceremonias Domini, ideo, tanquam Magistro, facies resplendens erat necessaria. Quia sicut lux non potest non videri, ita Doctoribus convenit, quatenus videantur opera sua bona.

Exod. 34.

S. August.

III. Sed jam tempus est, ut id probemus aliquo exemplo, non habemus convenientius quam in Doctore Angelico Sancto Thoma Aquinate, cujus hodie celebritatem recolimus: ad hunc igitur accedamus, & id quod docuit, cum vita sua componamus. Non est ignotum, tot Scholis, quin toti mundo, imo & ipsis Hæreticis, quos confudit, & dissipavit, quod & quanta sapientiæ suæ, sibi divinitus datæ, monumenta reliquerit. Præ oculis sunt tot summi Pontifices, quin Princeps illorum, Christus Dominus, qui doctrinam suam approbavit, & ipsi multis elogiis collaudarunt. Sed numquid doctrina operibus respondebat? audite: Primam virtutem Sancti Thomæ, adfero vobis humilitatem; hæc tanta in ipso fuit, ut licet è clarissimo Comitum Aquinatum stemmate ortus fuerit, nihilominus, spreta hujus sæculi, pompa & gloria, statim in juventute Christi jugo se subdidit, & amplexato Prædicatorum ordine, virtutum suarum auspicium, à prima humilitate inchoavit. Posset aliquis mirari, cur sol cum radiis pingatur in pectore Sancti Thomæ? Sed ego id non miror, quia ex doctrina Sancti Chrysostomi, hujus rei mysterium agnosco. Hic S. Doctor Homil. 9. ad populum, differentiam perpendit, inter lumen solis, candelæ, & ignis, & sic ait; *Ignis natura alta petit, sydus verò tam magnum, ad inferiora vergit, & ad terram respicit.* Ignis, & candela, dum accenduntur, videntur velle ascendere, & illuminare cælum, sol autem planeta formosissimus, cælum relinquit seque humiliat, ut terram illustret, cujus quidem Solis figuram Sanctus Thomas expressit, qui licet doctrina sua totum mundum illustraverit, nihilominus per summam humilitatem, radios virtutum suarum, in terram, id est, pro ædificatione fidelium, demittebat.

S. Chrys. Hom. 9.

IV. Magnates hujus mundi, solent portare in pectore, diversa insignia seu monilia à collo dependentia: S. Thomas monile fulgoris cælici, nempe Solis portat in pectore,

jam aliud quoque hujus rei secretum inve-
Iosue 10. nio. Nota vobis est illa de Iosue invictis-
simo Principe historia, qualiter dum depu-
gnaret cum hostibus Domini sui, solem sta-
re fecerit. Plurimos hostes, noster sol ruti-
lans, nempe S. Thomas habuit: erant fratres
sui carnales, qui euntem Parisios ad studia,
interceperant, & ad arcam suam perduxerant,
utque propositum sanctum relinqueret, va-
riis modis horrabantur. At mater omnibus
Tyrannis pejor extiterat, hæc enim ut cur-
sum hujus solis retardaret, mulierem ad su-
um cubiculum, ad labefactandam ejus con-
stantiam introduxerat, quam ipse titione fu-
gavit, eoque signo Crucis in pariete facto,
flexis genibus ante ipsum oravit, atque An-
gelicum castitatis donum à Domino impetra-
vit. Hæc in Sancto Thoma adhuc adolescen-
te, erant virtutũ semina, & quid putatis, qua-
les in provectiori ætate fructus ediderit. Non
miror, ab operatione solis, tot tales q; fructus
processisse: non enim ideo depictum in pe-
ctore gestat solem, nempe ad manifestan-
dum, ipsum esse solem Ecclesiæ, qui erro-
rum tenebras dispellit, & hæreseum nebu-
las suæ doctrinæ radiis dissipat, neque ad
contestandum, ipsum esse solem Doctorum,
& cæteros in comparatione ipsius esse stel-
las; sed etiam ad mysticè significandum,
quod radii & splendores, ipsius doctrinæ, sint
participatio divinæ lucis, quos sol divinus,
ei tam copiosè communicavit.

V. Præclarum insigne solis, in pectore Di-
vi Thomæ consignatum, nullus est, qui ipsi
non faveret, quia toto dilexit pectore solem
justitiæ Christum Iesum. Et quis enumera-
re sufficiat, quanto fervore coluerit sanctis-
simum corporis & sanguinis Domini Sacra-
mentum? Hic est primus ille Melchisedech,
qui Abrahamo Patriarchæ panem, & vinum
obtulit: quia S. Thomas, summa pietate
addictus sanctissimo huic mysterio, offici-
um, & hymnos de corpore Christi compo-
suit, utque festum suum solenniter cele-
bratetur, à summo Pontifice impetravit.
Hic ille est, qui dum Missæ sacrificium pe-
agebat, uberes lachrymarum fontes ab ocu-
lis suis emittebat. Hic ille est, qui in ce-
lebratione Missæ, in aëra elevabatur. Hic
ille est, qui lectionibus suis, & studiorum
exercitiis, orationes, & jejunia adhibebat.
Hic ille est, qui ad ultimum usque diem,
in servitio Christi permanebat, ut hinc pate-
at, jure vocari Doctorem Angelicum, qui
doctrinam, cælitus sibi datam, Angelicæ
quoque innocentiæ adjunxerat, suamque
doctrinam, non solùm librorum multitu-
dine, sed etiam sanctitate vitæ probaverat.
Non in corde tantum, vel codice, sive ore,
sed in ipso opere, suam demonstrabat sa-
pientiam; hinc factus est particeps amici-
tiæ D E I. Quamobrem Auditores mei,
dignum est, ut tam sanctum, piumque
Doctorem imitemur, ejus doctrinam,
quam exemplo sanctæ vitæ suæ demon-
stravit, sectemur, quod fiet tunc dum
ita lucebit nostra lux, coram hominibus,
ut videant opera nostra bona, per
quæ mereamur adipisci vi-
tam æternam.

A M E N.

IN FESTO SS. APOstolorum Philippi & Jacobi,

CONCIO I.

Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, & in me credite.
Ioann. 14.

Ios. 4. IN venio scriptum in libro Josue cap. 4. qvaliter Princeps hic totius exercitus Israëlis, cùm duceret populum Dei in terram promissionis, atqve per transire deberet aqvas Jordanis, qvæ cesserunt, eisqve transitum permiserunt, qvòd de singulis tribubus elegerit viros duodecim, qvi tollerent totidem lapides de medio Jordanis, eosq; ponerent in loco castrorum, in qvo figere debebant sua tentoria, idq; ob hanc rationẽ, qvòd aqvæ Jordanis defecerint in monumentum sempiternum. Non aliter verus Josue, Christus Jesus, è numerosa fidelium suorum multitudine elegit duodecim sanctos Apostolos, qvi de sacra Scriptura, tanqvã de medio Jordanis alveo, tulerunt duodecim lapides, nempe duodecim articulos fidei, qvibus hucusqve innititur sancta Romana atqve Catholica Ecclesia. E numero horum duodecim Apostolorum hæc eadem sancta Ecclesia annuam celebrat memoriam duorum Apostolorum, nempe Philippi & Jacobi, cò minoris dicti, qvòd alio posteriùs à Christo Domino vocatus fuerit, & electus pro discipulo. Qvi duo sancti Apostoli qvanti qvalesve fuerint, patet ex figuris hisce seqvẽtibus. Erant & sunt, sicut duo Cherubini, pleni sapientia, qvi supra propitiatorium, nempe sanctam Ecclesiam, extendunt alas protectionis suæ. Erant sicut duæ tubæ ductiles, qvibus populus convocabatur, dum castra moverentur: nam unus, nempe sanctus Philippus, in Scythia, alter verò, nempe S. Jacobus, Jerosolymis Christi Domini fidem prædicavit. Erant sicut duæ columnæ æneæ, in porticu templi Salomonis erectæ, qvibus fulcitur sancta Ecclesia. Erant denique similes duobus illis Ducibus Israëlis, nempe Moysi & Aaron, qvorum facta generosa & illustria qvaliter fuerint imitati, in hac concione audiemus.

Exodi 25. *Itẽ Exod. 37.* *Num. 10.* *3. Reg. 7.*

I. Fortè dicetis, Auditores mei, si isti duo sancti Apostoli similes censentur fuisse Moysi & Aaroni, qvi erant illustres Principes Israëlis, insignes audacia, qvi in faciem restiterunt Pharaoni, Regi Ægypti, qvos Spiritus S. Eccl. cap. 45. magnis & multis extollit præconiis, qvomodo hi duo Apostoli, S. Philippus & Jacobus, ipsis poterint adæqvari, cùm appareat ex hodierno Evangelio, fuisse meticulosos, qvandoqvidẽ ipsis à Christo dictum fuit: *Non turbetur cor vestrũ.* Sed ego respondeo, nõ solis hisce duobus, aut etiã omnibus discipulis ejus, hæc verba Domini dicta fuisse, sed etiam & nunc nobis dici, & ad nos pertinere. Sed qvid tum? Moris habere solent Duces & Generales exercituum, qvòd eo tempore, dũ est cũ hostibus confligendũ, orationẽ ad milites habeant, qvâ illorũ animos accendant ad pugnã, & omnẽ formidinẽ ex eorũ animis pellãt. Deinde militib⁹ suis proponere solent hostiũ suorũ ignaviã, suorũ verò militũ laudare audaciã & fortitudinẽ, promittunt auxilia, proponunt magna spolia, qvæ post victoriã sunt habituri, aliaq; similia, per qvæ milites prompti reddantur ad pugnam. Hac de re aliqvot exempla in historiis sacræ Scripturæ invenio, inprimis habemus Judic. 3. cap qvaliter ille Aioth, pugnator strenuus, occiso Rege Eglon in cœnaculo suo, filios Israëlis ad pugnam animaverit dicens: *Seqvimini me, tradidit enĩ Domin⁹ inimicos nostros, Moabitas, in man⁹ nostras.* Item seqventi cap. qvaliter Debora Principem Barrach adhortata fuerit, ut pugnaret contra Sisarã, ducẽ exercitus Chanaã, dicens: *Surge, hæc est enim dies, in qva tradidit Dominus Sisaram in manus tuas.* Idem fecit Gedeon, qvi

Eccl. 45. *Iud. 3.* *Iud. 4.*

pugna-

pugnaturus cõntra maximum exercitum Madianitarum, nec habens plures milites, qvàm trecentos, in castris suis, nihilominus animabat eos ad pugnam dicens: *Surgite, tradidit enĩ Dominus in manus nostras castra Madian.* Et ultimò Judas Machabæus, cùm pugnaturus esset cum Nicanore, qvi venerat cum maxima multitudine exercitus sui, habens copiam elephantum & apparatum varium armorum, ipse autem satis cum exiguo suorum numero obviam illi procedere debuisset, magis confisus in auxilio divino, qvàm in armis, fecit orationem ad populum, eum adhortans, ut essent bono animo, qvòd cõtra eum sint pugnaturi, qvi omnipotentem Deum sprevit, unde, ut haberent certam spem divini auxilii, eisqve somnium qvoddam enarravit, qvod erat omen victoriæ. Hac oratione sua finita Princeps ille sui exercitus plus effecit verbis, qvàm si armis eos instruxisset: qvàm primùm enim sermoni suo finem fecit, ait textus: *Statuerunt dimicare & confligere fortiter.* Nec fefellit eventum fiducia: nam, prostratis non minus triginta qvinqve millibus hostium, & occiso ipso qvoqve Nicanore, obtinuerunt præclaram victoriam. Tanti valet bellorum tempore admonitio Principum & Ducum exercitus. Advenerat jam tempus, in qvo pugna illa ineunda erat, in qva Dux noster Christus Jesus de morte & inferno triumphaturus erat. Apostolis qvoqve imminebat pugna cum universo mundo, cum idolis infidelium gentium: imminebat pugna agnis duodecim cum innumeris lupis & leonibus, imminebat pugna duodecim piscatoribus contra mundi potentiam & astutiam. Nonne formidandum erat tale prælium? Videns ergo Jesus pusillum numerum suorum bellatorum, qvod fecit Ajoth, qvod Debora, qvod Gedeon, qvod Judas Machabæus, hoc idem fecit Christus Dominus, dum sermone suo animabat & consolabatur Apostolos, ne formidarent hostes suos, dicens: *Non turbetur cor vestrum.*

Iud. 7.

2. Mach. 15.

II. Nec inanis erat sermo Domini: qvantum enim eo profecerint, [ut omittã cæteros Apostolos] in hisce duobus Sanctis, Philippo & Jacobo, possumus videre, in qvibus tanta postmodum animi magnitudo fuit, ut non immeritò illis duobus Ducibus Israelis, nempe S. Philippus Moysi, sanctus verò Jacobus Aaroni, comparari possint. De Moyse legimus Exodi 2. cap. qvòd, cùm Pharao, Rex Ægypti, omnes filios Israëlis, qvotqvot nascebantur, jussisset in flumen projici & submergi, tunc, cùm etiam Moyses natus esset, neqve illum mater diutius occultare posset, sumpta fiscella scirpea, bitumine & pice circumqvaqve illinivit, & sic, posito in ipsam puero, exposuit eum ripæ fluminis. Sed filia Pharaonis, cùm venisset ad fluvium, ut lavaretur, inventa & aperta fiscella, visoqve eleganti puero, miserta ejus, uni Hebrææ mulieri tradidit nutriendum, *vocavitqve nomen ejus Moysen dicens, qvia de aqva tuli eum.* Simile qvid legimus in Actibus Apostolorum 8. cap. de sancto Philippo Apostolo: qvaliter ille, cùm in Samaria prædicatione sua multos ad fidem Christi convertisset, tandem admonitus ab Angelo, ut iret contra Meridiem, ad viam, qvæ ducit à Jerusalem ad Gazam civitatem; cùm id fecisset, obviavit cuidam Æthiopi Candaces Reginæ Cubiculario & Præfecto, qvi expleta devotione sua in Jerusalem revertebatur, sedens super currum, legensqve Isaiæ Prophetæ verba talia: *Tanqvam ovis ad occisionem ductus est.* Dixit autem Spiritus Philippo: *Accede, & adjunge te huic currui.* Qvod cùm fecisset, invenit Æthiopem, hanc prophetiam legentem, & interrogavit ipsum, utrum eam intelligeret, qvi cùm respondisset, à seipso eam intelligere non posse. Tunc aperiens Philippus os suum, prædicavit ipsi Christum Jesum, cùmqve ad aqvam perveniisset, in eadem ipsum baptisavit. Ulterius ait sacra historia: *Cũ ascendisset de aqva, Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus.* Hinc cognoscitis paritatem inter Moysen & Philippum: ille enim assumptus de flumine vitam obtinuit corporalem, hic autem in aqva per Baptismum vitam spiritualem Eunucho comparavit.

Exod. 2.

Isaiæ 53.

Act. 8.

III. Tria invenio, qvibus Dominus Deus singulariter Moysen honoravit. Primò in hoc, qvòd fecerit eũm legatum suum ad Regem Pharaonem. Secundò in hoc, qvòd per ipsum sanaverit populum Israelis: nam, uti legimus Num. 21. cùm populus murmuraret contra Manna, sibi de cælis missum, iratus Dominus, misit in ipsum ignitos serpentes, à qvibus interficiebantur, sed deinde, cũ ad preces Moysis Dominus placatus esset, jussit, ut faceret serpentem æneum, eumqve in ligno suspenderet, qvem qvi aspexerunt, sanabantur.

Exod. 3.

Num. 21.

Ter-

Num. 21. Tertio in hoc honoravit Moysen, quod uti legimus Exodi 33. Cum oraſſet Deum, ut faciem ſuam ſibi oſtenderet, id ei reſponderit. *Ego oſtendam tibi omne bonum.* Similiter & ego tria invenio, in quibus Chriſtus Sanctum Philippum honoravit. Primò, quia non ſolùm illum pro Legato ſuo fecerat, ut in longinquis partibus terræ, nempe in Scythia fidem ſuam prædicaret, ſed etiam habuit illum pro ſuo Secretario. Cum enim ſemel eſſet cum Chriſto in Bethania, ubi Lazarus, & duæ ſorores ſuæ, fecerant ei cænam magnam, ad cujus domum multi ex gentibus, ut viderent Jeſum convenerant, id obtinuerunt per Philippum. Item Joan. 6. Dum eſſet Jeſus trans mare Galilææ, & vidiſſet maximam plebis multitudinem dixit ad Philippum, *Vnde ememus panes, ut manducent hi?* Secundò, ad ſimilitudinē Moyſis Draconem quendam quem homines tanquam Deum adorabant & qui flatu ſuo multos interficiebat, confregit, & populum à periculo mortis liberavit, & tandem ad modum Moyſis qui deſiderabat videre Dei faciem, hic ſanctus Apoſtolus, non ſolum divinam faciem in Chriſto viderat, ſed etiam nunc glorioſam in Cælis intuetur.

Exod. 33.

Joan. 6.

IV. Alterum Apoſtolum S. Jacobum, meritò Aaroni comparabo, ſicuti enim Aaronem in tribus Deus honoravit, ita & ſanctum hunc Apoſtolum, primum fuit in Aarone dignitas Sacerdotii, quia primus fuit Pontifex in veteri Teſtamento. Sic & S. Jacobus, in novo teſtamento, primus fuit Epiſcopus electus, & ordinatus, & inter Apoſtolos primus fuit qui miſſam celebravit Jeroſolymis. Secundò ſingularem Dominus curam habuit Aaronis. Legimus enim Exodi 29. Quod Dominus mandaverit Moyſi, ut tolleret arietem conſecrationis, & coqueret carnes in loco ſancto, quibus Aaron veſceretur, ſimiliter panibus è caniſtro ſublatis, qui erāt in veſtibulo tabernaculi teſtimonii, majorem curam habuit Chriſtus Dominus S. Iacobi Apoſtoli, nam tunc, cum obtuliſſet, non arietem ſed ſe ipſum, nempe in ultima illa cæna in qua ſuos diſcipulos ad eſum agni invitaverat, nempe Corporis ſui pretioſiſſimi, adfuit eidem cænæ S. Iacobus Apoſtolus, ubi poſtquam fecit finem menſæ uti ait S. Hieronymus, *Votum ponit, ſe non comeſſurum, donec videret Dominum, à mortuis reſurgentem.* Ideoque ipſa reſurrectionis die, apparuit ei Dominus, pariterque aliis condiſcipulis, & ut votum ejus impleretur, mandavit menſam apponi, ubi accepto pane benedixit, deditque diſcipulis ſuis, dicens ad Jacobum, ſurge & comede, quia filius hominis à mortuis reſurrexit. Hæc relatio S. Hieronymi non eſt à fide aliena, quia concordat cum verbis S. Apoſtoli Pauli ſic dicentis de reſurrectione Domini. *Viſus eſt Iacobo, deinde Apoſtolis omnibus.*

Exod. 28.

Exod 29.

S. Hieron. de viris Illuſtr.

I. Cor. 15.

V. Similiter magna fuit excellentia Aaronis, quod oraverit Dominum, pro populo ſuo legimus enim Num. 16. Quod cum omnis multitudo Iſraëlis, contra Moyſen, & ipſummet Aaronem ſeditionem excitaſſet, Dominuſque eum punire & delere voluiſſet, videns Aaron in medio populi graſſari incendium, cucurrit ad mediam multitudinem, ſtanſque inter viventes & mortuos, oravit pro populo, & plaga ceſſavit. Sed ampliorem ego dilectionem in ſancto Jacobo Apoſtolo comperio, hic enim dum Jeroſolymis, coram Caipha, aliiſque Judæorum Principibus prædicaret verbum Dei; aliquis Judæorum, de loco altiori in quo annunciabat veram fidem Chriſti Jeſu præcipitavit eum deorſum, à quo caſu claudicavit, & cum ab incepto propoſito ceſſare nollet, primò lapidibus fuit impetitus, mox vi altum templi locum adductus inde fuit præcipitatus, qui cū confractus jam eſſet crur bus nihilominus uti alter Aaron, qui ipſo ſuperior, pro perſequentibus ſe oravit Dominum dicens. Domine ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt. Sic igitur beati iſti Apoſtoli, nempe S. Philippus in cruce affixus, & poſtmodum lapidibus obrutus. Sanctus verò Jacobus lapidatus, & de alto loco præcipitatus, nec nō fullonis fuſte in capite percuſſus animas ſuas Chriſto reddiderunt, omneſq; hujus mūdi tentationes vicerunt; digni plane de quibus illud ſancti Pauli Apoſtoli, dicatur. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones.* Sed quænam illæ? dixerat Chriſtus Dominus hiſce ſuis Apoſtolis. *In domo patris mei māſiones multæ ſunt.* Has igitur adepti ſunt, unde & nos horum diſcipulorum Domini, fidei conſtantiam, proximi zelum, cæteraſq; virtutes ſanctas imitari conemur, ut ad eaſdem Cæleſtis Patris noſtri māſiones intromitti mereamur, Amen.

Num. 16.

Ad Hebr. 11.

IN FESTO S. APOSTOlorum Philippi & Jacobi,

CONCIO II.

Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Joan. 14.

SI aliqui tituli sive in hoc sive etiam in futuro seculo dari possunt quibus Dominus Deus Sanctos suos honorat, non potest major dari, quam ille solus, si servus Dei nominetur. Legimus Dominum Deum dixisse per os Isaiæ Prophetæ ad populum Israëlis. *Servus meus es tu.* Forte aliquis existimaret, id in contemptum dixisse illius populi, sicuti exempli gratia mundiales Domini eos, qui ipsis officia sua præstant, servos vocare solent; planè ad similitudinem Ioseph Patriarchæ ad filios Iacob Patris sui, fratresque suos dicentis. *Qui furatus est scyphum, ipse sit servus meus.* Sed alia est ratio Dei & hominum. Servitia quæ exhibentur hominibus, parum dignitatis & honoris habent, at quæ Deo, plurimum, quia servire Deo regnare est. Unde S. Zeno, perpendens illa verba Domini ad populum dicentis. *Servus meus es tu;* cum quadam admiratione ait, *Magnum est tibi vocari puerum Dei.* Glorioſissimi & honoratissimi tituli loco habere debes si Dei servus nomineris. Si enim Sancti illi Cælestes spiritus Cherubim, atque Seraphim se indignos reputant, quatenus incomprehensibilibus divinæ Majestatis obsequiis adhibeantur, qualis erit mortali homini gloria, si illius servus esse mereatur, cujus servitute ipsi Sancti Angeli se indignos putant. S. Philippus Apostolus agnovit eam servitii dignitatem: quia Christum Iesum Magistrum suum Dominum nuncupavit dicens: *Domine ostende nobis patrem.* Unde qualem ex hoc suo servitio tam ille, quam etiam S. Iacobus minor, gloriam & honorem adepti fuerint, in hac Concione demonstrabo.

Isaiæ 41.

Gen. 44.

S. Zeno in Psal. 126.

I. Legimus Exodi cap. 16. dixisse quondam Deum ad populum Hebræorum, *Vespere comedetis carnes, & mane saturabimini panibus, scietisq; quod ego sum Dominus Deus vester.* Ad hoc ut possitis agnoscere, vos esse servos meos, me autem vestrum Dominum, id pro signo vobis erit, quod sim prospecturus vobis, de copiosa carnium, & panis abundantia. Quàm bonus, Dominus Deus noster, quamvè longè aliter dominium suum manifestat à filiis hominum. Mundiales Domini, quando notificare volunt dominium suum cæteris hominibus, non extendunt ad dandum, sed potius accipiendum manus suas: certè benè sunt memores illius legis, 1. Reg. 8. capite à Samuele Propheta, & judice Israelis promulgatæ, verbis talibus. *Hoc erit jus Regis qui imperaturus est vobis. Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, faciet q; sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum.* Et paulò post ait. *Agros vestros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit servis suis, sed & segetes vestras, & vinearum redditus addecimabit sibi.* Sed ego ipsis oppono verba Hugonis Cardinalis qui negat jus esse regii, subditos suos depauperare, dicens. *Quidam dicunt, quod hoc est jus Regis, & propter hoc faceret Rex sine peccato.* Sed [ait ille] *audiant jus Regis, quod describitur Deuteronomii, cap. 17. cum fuerit constitutus Rex, non multiplicabit sibi equos, non reducet populum in Aegyptũ, equitatus numero sublevatus, non habebit uxores plurimas, neq; argenti & auri immensa pondera, describet sibi Deuteronomium legis, leget q; illum omnibus diebus vitæ suæ ut discat timere Deum.* Qua in re omnes potentes & domini hujus mundi, possunt sibi sumere exemplum à Domino Deo, qui suum dominium & imperium non per exactiones, sed per amplissima donativa quæ contulit Israëlitis, & nunc quoque

Exod. 16.

1. Reg. 8.

Hugo Card. in 1. Regum.

Deut. 17.

confert

confert nobis, notum efficit, uti hac de re pulchrè ait Oleaster. *Considera quaso, in quo se Dominum ostendat, non in bonis auferendis, sed dandis, non exigendo ministerium, sed in bonis exhibendis.* Eapropter quemadmodum, particularis quidam fortunæ defectus est servum esse hominum, ita è converso summa fælicitas est, servum esse Dei: servi enim mundani cum ipsimet sint pauperes, Dominos suos locupletant, è contra verò Dominus & Deus noster, servis suis dona sua elargiens eos ditat & omnibus bonis abundare facit. Hoc patet in Sancto Philippo Apostolo, qui quam dives fuerit, *Bethsaida* sua patria id ipsum manifestat: hæc enim in Latino idiomate *Domus frugum* interpretatur. Cum enim servus Dei fuerit, omnibus bonis corporis, & animæ debuit abundare, quæ cum summa liberalitate & magnificentia servis suis elargiri consuevit.

II. Eruditus interpres Sacrarum Scripturarum Oleaster veniens ad locum quendam Deuteron. 10. cap. in quo Deus sic ait. *En Domini Dei tui cœlum est, & cœlum cœli, & terra & omnia quæ in ea sunt.* Valde miratur dicens. *Ad quid ô bone Deus, te divitem jactas? ad quid Dominum cæli & terræ esse dicis?* Erat ne aliqua necessitas, ut Deus tunc ostentaret divitias gloriæ suæ: illa enim verba ex ore suo divino prolata idem sonant, ac si diceret, attende populo mi & obstupesce, quam sit amplum meum dominium, nam cælum, & cæli cælorum, nec non terra, & omnia quæ in ea sunt, mea sunt. Sed respondet idem autor dicens. *Non alia de causa, nisi & ostendas, te omnia hæc, servis tuis præstare posse, & revera præstas.* Quasi diceret, non aliam ob causam Deum de tot suis bonis gloriari, nisi, ut per hoc innuat, quam opulenta media habeat, quibus servos suos locupletes & divites faciat, quæ enim habet in cælo & in terra, horum fecit participes, omnium que bonorum, quæ supra vel infra reperiuntur, patronos constituit. Et si Menander, audacter protulit illud dictum tanquam verum: *Beatus qui servit beatis:* Quomodo non beatus ille censebitur, qui inservit illi Domino, à quo tota omnium beatorum beatitudo dependet? Beatus igitur fuit S. Philippus Apostolus, qui Dei servus erat, cui nihil defuit, quod desiderari potest. Videtur quidem in dictis suis aliquis defectus extitisse, quia petebat à Christo Jesu ut Patrem suum cælestem sibi ostenderet, sed neque hic defraudatus erat à suo desiderio, plusque favoris obtinuit, quam olim Moyses Patriarcha in antiquo testamento: illi enim dictum erat à Deo: *Faciem meam non videbis,* huic autē Sancto Apostolo, mox speculum objectum fuit, in quo æternum Patrem intueri posset, dicente Domino. *Philippe qui videt me, videt & patrem meum.* Et quid aliud desiderare vellet, quam in illius facie, videre cælestem Patrem, illam inquam faciem, *in quam desiderant Angeli prospicere,*

Deut. 10.

Oleaster hic.

Menander.

Exodi 33.

Ioan. 14.

1. Pet. 1.

III. Vultis ne causam nosse, cur Sanctus Philippus ad unam vocem Christi Domini dicentis *Sequere me,* nulla mora interposita ipsum secutus fuerit? Rupertus Libro 2. in Ioannem Evangelistam dat causam, quod Christus Dominus antequā adhuc ei aliquid dixisset, jam gratia sua præveniente cor ejus ad se traxerit: nam hæc sunt verba sua. *Iam enim gratia sua nescientem prævenerat, & antequam voces ad aures dirigeret, manum suam ad trahendum illum in cor ejus miserat.* Unde colligitur cor Sancti Apostoli priusquàm vocaretur, jam antea positū fuisse in manu Domini. Verùm quomodo id posset fieri? legimus enim illud in proverbiis Salomon. *Cor Regis in manu Domini esse:* at de corde servi nihil simile invenitur. Non putemus Sanctum Philippum fuisse aliquem servum è numero despectorum, sed fuit servus honoris, fuit servus & Rex simul: taliter ergo servitium suum accipiendo, sequitur bene cor Philippi Apostoli tanquam servi Domini Dei, simulque Regis, fuisse in manu Domini collocatum. Quod vero Sancti sint servi simulque Reges patet ex verbis Sancti David. *Et nunc Reges intelligite.* Cum quibus Regibus hic Deus loquitur? num quid hujus mundi? minimè verò, uti respondet S. Bruno Carthusianus, quia ad omnes servos suos, qui eo ipso dum servitia sua rite obeunt, justè judicando, pupillorum & viduarum curam habendo, non solum servi Domini sunt, sed etiam Reges. Quia servire Deo regnare est.

Prov. 21.

Psal. 2.

IV. Multa servitia Sanctus Philippus Apostolus à Christo sibi imposita obierat, unde non solum meretur titulum Regis, sed etiam amici & familiaris Domini. Nihil quippe etiam in mundo novi est, servos Regũ iisdem familiares extitisse. Sic Magnus Alexander, familiares suos habuit, Parmenionem, Clitũ cæterosque. Quin & in antiquo testamento Rex David suos quoque habuit, uti erat, Chusi, Achimaas, Nathan, cæterique. Unde & S. Philippus talem tantamque à Christo suo Domino gratiam obtinuerat, ut cæteri quoq; qui ad Dominum accedere volebant, ejus favori se committerent. Habemus enim Ioan. 12. quod cum gentiles nonnulli, Ierosolymã veniissent, ut Christum videre possent, atque in ejus introducerentur conspectum, eos ad Philippum accessisse, & rogantes dixisse. *Domine volumus Iesum videre.* Hinc facile excellentia S. Philippi agnosci potest.

2. *Reg.* 17. 3. *Reg.* 1. *Ioan.* 12.

V. Sed non posterior fuit, Sancti quoque Iacobi Apostoli. Hic enim non solum familiaris erat Domino, sed [quod plus est] Frater Domini vocabatur, non quod germanus frater illius fuisset, ut impiè Helvidius Hæreticus blasphemavit, *sed quod illi simillimus fuisse perhibetur ut plerique in eorum specie fallerentur.* Hinc perfidus ille Judas oculi signum Domino in horto in quo capiendus erat obtulerat, ne in persona sua, & alterius discipuli milites à Judæis missi fallerentur, quia uti ait Dionysius Carthusianus, *Iacobus minor fuit simillimus Christo.* Non in sola vultus specie, sed etiam in moribus & virtutibus sacris, in quibus ipsum imitari studebat. Christum Dominum S. Matthæus Evangelista 40. diebus & noctibus jejunasse ait at vero quis post Christum Jesum hoc servo suo fideli, nempe sancto Jacobo abstinentior? Hic enim ille est, qui veluti alter Samson, quin verus Samson, vinum & siceram non bibit, carne abstinuit, capillos sui capitis nullum ferrum attigit, & cui tanta fuit orandi assiduitas, ut ab assidua genu flexione, callum genibus obduceret & camelorum duritiem traxisse videretur. Sed vel tunc maxime similis Christo visus erat, quando pro suis persecutoribus qui illum fidem Christi prædicantem mactaverunt, orabat dicens. *Domine ignosce illis.* Et tu ô Iesu per intercessionem servorum tuorum S. Philippi & Iacobi ignosce nobis peccata nostra, & da vitam æternam. Amen.

Dion. Carth. in 6. Matth. *Matth. 4.* *Iud. 16.* *Actor. 7.*

Historia Lombar.

IN FESTO S. APOstolorum Philippi & Jacobi,

CONCIO III.

Isti sunt duo filii Olei splendoris. Zachariæ 4.

Lyranus in 4. Zachar.

NIcolaus à Lyra, explicans istum locum Sancti Zachariæ Prophetæ, per hos duos filios Olei, intelligit, duos illos viros celeberimos nempe Zorobabel Ducem populi Hebræorum, & Pontificem maximum qui de nomine Jesus vocabatur, cur autem ipsis appropriet vocabulum Olei, ejusque filios dicat, hanc assignat rationem, quia Zorobabel, fuit de tribu regia, Iesus vero de tribu fuit Sacerdotali, & quia dignitas utriusque officii, Regii inquam & Sacerdotalis, per unctionem olei cõferri solet, ideo, ambo isti, quibus post captivitatem Babylonicam à Dario Persarum Rege reædificatio templi Ierosolymitani demandata fuerat, hoc tam honorifico Olei titulo insigniti erant. Ego qui jam ab antiquo testamento, ad aliud novæ legis descendo, per hos olei duos filios, duos Sanctos Apostolos nempe Philippum & Iacobum intelligo, & quidem non solum ob hanc causam, quia inuncti erant ambo à Spiritu Sancto oleo lætitiæ & exultationis, charismatum inquam cælestium, nec solum ob id, quod iidem non à Dario Rege sed à cæli terræq; Rege destinati

fuerunt

fuerunt ad templum spirituale in cordibus fidelium extruendum, sed etiam ob quasdam proprietates olei, quas ambo ad vinum expresserunt. Quæ verò hæ fuerint; In hac concione ad Dei gloriam, eorumque memoriam honorandam explanabo.

I. Hosce duos sanctos Apostolos non sine ratione filios olei splendoris appellavi. In primis enim ut incipiam à Sancto Philippo Apostolo, hic in sermone Latino os lampadis interpretari solet, lampas vero absque oleo lucere non potest, juxta illud, quod fatuæ virgines protulerunt dicentes *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur*. Quandoquidem Sanctus Philippus ad instar lampadis resplendebat, debuit fuisse plenus oleo. Jam verò quanto S. Philippus Apostolus arserit amore erga Christum, testis est hujus rei Simeon Metaphrastes, qui apud Lipomanum, de hoc Sancto Apostolo, ita fatur. *In Christum quidem perfectiorē assumpsit charitatē ut reputaretur perinde ac filius*, verùm ut S. Philippum ardentissimè amasse Christū clarius ostendamus, facillimè id patebit ex interpretatione altera sui nominis: quidā etenim sunt, qui per os lampadis: os Jesu sive faciem suam splendidissimam, quæ in monte Thabor apparuit lucida sicut Sol, intelligunt. Hinc ab Isaia Propheta, Christus Dominus lampas dicitur: sic enim ait Prophetiæ suæ cap. 62. *Egrediatur ut splendor justus eius, & salvator ejus, ut lampas accendatur*. Tritum illud est axioma Philosophorum, quod similitudo sit causa amoris, omne enim diligit sibi simile, quod ut relinquamus animalia irrationabilia, quæ in hoc passu duce natura utuntur clarè est videre in homine. Primum hominem Deus creare volens, quid ait? *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostrā*. Mirum artificium, facere hominē ad imaginem Dei. Cum Deus sit purissimus spiritus, homo verò naturæ corporeæ, Deus omnipotens, homo infirmus, ille immortalis, hic mortalis, in quo igitur divinam imaginem exprimere poterit? Ordinariè respondent Theologi, eam imaginem hominis referri ad animam, quæ cum sit ratione prædita, hinc fit conformis imagini suæ. Sed cur etiam Deus ad suam similitudinem eum facere voluit? Respondet Venerabilis Hugo Cardinalis dicens *Factus est homo ad imaginem Dei, ut cognoscat, ad similitudinem ut diligat*. Eodem modo legimus in capite. 2. ubi recensēt sacer textus Deum sic dixisse. *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sui*. Cur in adiutorium simile? quia amor requiritur in matrimonio, cujus typum gerebant parentes nostri, similitudo vero est causa amoris. Cum igitur sanctus Philippus Apostolus, dictus, os lampadis, faciem Christi Domini vivaciter retulisse videatur, juxta illud quod ait Paulus de Palatio: *Philippus os lampadis interpretatur, illius lampadis, quæ de se ait, Ego sum lux mundi*. Cum inquam illi fuerit simillimus, quid igitur censetis, quantùm ipsum dilexerit?

II. Sed ne saltim ex solo nomine sed etiam ex operibus sanctum Philippum Apostolum, Christo Domino assimilare videar, alio conceptu id demonstro, Christi Jesu crucem esse quoddam torcular, in quo oleum cæterique liquores exprimuntur, id non obscurè Sacra Scriptura insinuat. Sed in quodam loco apud Isaiam Prophetam cum querela Dominus ait. *Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum* Sanctus Paschasius eum Sacræ Scripturæ locum considerans, dicit per hæc verba responderi à Christo ad illam quæstionem dicentium. *Quare rubrum est indumentum tuum?* Quia torcular calcavi solus, quibus verbis non solum respondet, sed etiam simul conqueritur, se nullum habuisse socium, qui se ipsi tunc adjungeret, quando in torculari crucis suæ, oleū sanguinis sacratissimi exprimebat. Verba sunt Sancti Paschasii. *Christus unus est mortuus & solus pro omnibus*. Similis planè factus, sancto illi Job Patriarchæ, qui eidem modo conquerebatur dicens. *Fratres mei transierunt à me*. Origenes autem antiquus Pater Ecclesiæ, perpendens hæc verba Patriarchæ adnotavit. Sanctum Job, post illum casum suum infælicem, deliberatè exiviſſe domo sua, & civitate, ut secum solus esset in doloribus, & afflictionibus. *Sedebat Iob super acervum stercoris extra civitatem. Me solū inquiens circumdent mala mea, mihi soli molesta sint vulnera mea, ne efficiar alijs execratio*. Ita & Christus Jesus, postquā ab iniquis illis judicibus morti crucis adjudicatus fuit, ab omnibus amicis ac discipulis suis derelictus uti ait sanctus Joannes Evangelista, *Bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum*.

Isaiæ 62.

Gen. 1.

Hugo in 8. cap. Gen.

Lipom.

Matth. 25.

Paulus de Palatio c. 14 in Matt.

Isaiæ 63.

S. Paschas. lib. 2. in Matth. Iob. 6. Origenes lib. 2.

Ioan. 19.

locum. Sed quamvis Christus Jesus, dicatur sous crucis torcular calcasse, nullius n. indigens auxilio, solus pro peccatis omniũ mortem obiit. Nihilominus Sanctus Philippus Apostolus, ut ipsius exemplũ sequi posset, similiter calcavit torcular suum nam Sanctus Vincentius Ferrerius sic de ipso ait, *Ad instar magistri sui Iesu Christi quem prædicabat, eum affixerunt, & Crucifixum lapidaverunt.* Hinc jam quadrabunt illi hæc verba Isaiæ Prophetæ. *Vineæ facta est dilecto meo, in cornu filio olei.*

S. Vincent. serm. de Sanctis.

Isaias 5.

III. Ab omnibus creditur, oleum esse symbolum charitatis: nam inter pleros q; autores sic ait unus Alvarez. *Ad vitam spiritualem, necessarium est oleũ charitatis, quo emolliamur.* Ambo Sancti Apostoli, Philippus, & Jacobus, veri filii hujus olei extiterunt, Sanctus enim Philippus tanto amore afficiebatur ad Christũ, ut eandem gratiam quã ipse habuerat cæteris quoque communicare cupiens, multos ad ejus notitiam invitaret, nam ipse Nathanaëlem adduxit ad Christum dicens ei. *Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, invenimus Messiam.* Item plurimos ex gentilibus adduxit ad Jesum, quia nimia charitate ardebat erga ipsum: magnum & illud fuit signum charitatis in Sancto Philippo Apostolo, quia grandia postulabat à Domino. Quando Joannes Apostolus petierat in ultima cæna, revelari sibi proditorem Jesu, magnum tunc signum familiaritatis in ipso apparuit quam cum Christo habuit. Quando Petrus, Jacobus, & Joannes petierunt sibi revelari, adventum suum ad judicium, signum quoque fuit magnę charitatis, Sed profecto & id non erat exiguum signum ejusdem; quin summum & maximæ charitatis, quando Philippus petierat sibi ostendi patrem cælestem, in quo est omne bonum, & omnis cælestium civium, & spirituum beatitudo: accedit hoc ad commendationem ejusdem charitatis, quod in hac petitione quamvis difficili nullam repulsam acceperit, perfectam enim patris cælestis notitiam in Christo Jesu tanquam in speculo ostensam sibi conspexit.

Alvarez lib. 2. P. 1.

Ioan. 1.

Matth. 24.

IV. Eandem olei proprietatem expressit S. Jacobus Apostolus, non inquam olei simplicis, quo utimur ad ungendum aliquid, sed olei fulgoris, quod accomodatum in lampade simul ardet, & lucet. S. Jacobus Apostolus lucebat vitę sanctimonia, quia communi vocabulo justus appellabatur, & meritò: nã virtutibus comparandis nec non suæ, proximorumq; saluti in tantum studebat, ut ad nihil terrenũ, sed sola spiritualia, omnes cordis sui vires intenderet: audite quale Simeon Metaphrastes huic Sancto Apostolo dederit testimonium. *Inter noctem & diem, nullum erat ei discrimen, sed noctu quoq; lucis exercebat opera.* Quidni exerceret. Olei splendoris erat filius, aliud ergo ipsum non decebat, quàm ut luceret, & arderet Et quia Ecclesiastes ait, *Dulce lumen, & delectabile est oculis videre solem.* Hinc est quod Sanctus Jacobus ab omnibus amabatur, tanquã olei splendoris filius. Hinc de Sancto hoc Apostolo scribit Hegesipus, quod cum nulli Apostolorum, sed solũ summo Pontifici semel duntaxat in anno liceret ingredi in Sancta Sanctorum. Verba sunt autoris *Huic uni licebat ingredi in Sancta Sanctorum.* Et quis luci aditum prohibeat?

Simeon Metaphr.

Ecclesiastes c. 11.

Hegesipus

V. Non solum lucebat sed ardebat simul charitate immensa Sanctus Apostolus: ut lãpas ardeat, duo ad id requirũtur, nempe oleũ, & lychnus Fides similiter adjuncta charitati cor Sancti Apostoli in tantum incendit in Christum Dominũ, ut cum audisset de morte sua, quamvis non dubitasset juxta promissum suum de morte surrecturum; nihilominus victus desiderio eum videndi quem amaverat, voto se adstrinxit, quod non comederet, nisi Christum resurrexisse videret: unde ait S. Paulus Apostolus. *Deinde visus est Iacobo.* Id maximũ planè fuit amoris sui præmiũ. *Moris* n. est quod dũ aliquis de regione longinqua revertitur, huic qui sui amantissimus est primùm se manifestat: quia ergo Dominus Jesus, de regione mortis redeundo, prius ipsi quàm cæteris se demonstravit, per id amorem Apostoli quo in Christum ardebat, honorare voluit Nec in vita solùm, sed in morte quoq; Sanctus Jacobus Apostolus se filium olei splendoris demonstravit Cum enim coram populo Judæorum fidem Jesu Christi, ejusdemq; resurrectionem Jerosolymis prædicans Martyrio afficeretur, erumpente è corde suo flamma charitatis pro inimicis & persecutoribus oravit Dominum, illud ingeminans. Domine ignosce illis, quia nesciunt, &c. Quã veri filii splendoris Sancti Apostoli Philippus & Jacobus: unus lucẽ suam spargebat per Scythiam barbaras gentes ad Christi fidem convertendo, alter verò in Judæa, illis eandẽ fidem prædicando. O Sancti Apostoli, qui jam lucetis in cælesti gloria, orate pro nobis. Amen.

S. Hieron.

S. Paul. 1. Cor. 15.

IN

IN FESTO SS. APOstolorum Philippi & Jacobi,

CONCIO IV.

Posuit eos qvasi eqvum gloriæ suæ in bello. Zach. 10.

DIvus Cyrillus, explicans locum istũ Zachariæ Prophetæ, Apostolos dicit esse eqvũ gloriæ Christi. Sed qvænam comparatio eqvi cum Apostolis, seu, cùm plures numero fuerint, cur uni tantũ, & non pluribus? Audite Metaphoram. Per eqvitem intelligendus est Redemptor noster Christus Jesus: sic enim de ipso scribit S. Joannes Evangelista in Apocalypsi, c. 6. *Vidi, & ecce, eqvus albus, & qvi sedebat super illum, habebat arcum, & data est ei corona, & exivit vincens, ut vinceret.* Unus ex Patribus sanctæ Ecclesiæ, venerabilis Beda, per istũ eqvum intelligit sanctam Ecclesiam, per eqvitem verò Christum, nam sic ait: *Ecclesia, qva super nivem dealbata est, Dominus præsidet, & spiritualis doctrina cõtra impios arma ferens, victor in suis coronam percipit.* Sed nihil erit cõtra fidem, sive contra rationem, si etiam per illum album eqvum intelligamus sanctos Apostolos, qvos Christus Jesus gratia sua dealbavit: nam Concionator qvidam neotericus, sed egregius & approbatus, ita ait: *Eqves hic super Apostolos suos, velut eqvos, ascẽdit, à qvibus per universum mundum glorioſus defertur, dum ejus gloria ab ipsis toto orbe terrarum prædicatur.* Qvòd autem Apostoli plures fuerint, uno tamen eqvi unius nomine à Propheta vocentur, id nõ obstat, qvia licet plures fuerint qvoad personas, omnes tamẽ nomine unius eqvi gaudere possunt, & id propter unitatem fidei, doctrinæ, capitis, Sacramentorum, nec non ipsius Dei, qvem ubiq; prædicabant, ea namqve de causa dicebat S. Paulus Apostolus, *Multi unum corpus sumus.* E qvorum numero sancta Mater Ecclesia producit nobis duos Apostolos Domini, nempe Philippum & Jacobum, qvorum labores qvàm strenui fuerint, & gesta glorioſa, sub hac eqvi metaphora, juxta textum hodierni sacri Evangelii Auditoribus meis in hac Concione mea declarabo.

Apoc. 6.

Beda in c. 6. Apoc.

La Nuza hom. 23. n. 5.

1. Cor. 10.

I. Convenienter S. Gregorius generosis eqvis, nec non velociter currentibus, sanctos Apostolos, nec non Prædicatores verbi divini comparavit: explicans enim qvendam locum S. Job Patriarchæ, ubi ait: *Numqvid præbebis eqvo fortitudinẽ?* Sub ejusdẽ symbolo mirificè prædicat eosdẽ, qvòd, cùm ex seipsis nihil essent, plebs vilis & infimæ conditionis, nihilominus tam magnã animi fortitudinẽ à Christo Domino acceperunt, ut, qvemadmodum de eqvo dicitur, *contemnit pavorem, nec cedit gladio, super ipsũ sonabit pharetra, vibrabit hasta & clypeus; fervens & fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem,* sic & sancti Apostoli, nec lituos, nec tympana, armorũqve strepitum paveſcentes, in brevi temporis spatio totum orbem peragrarunt, suasq; vires in prædicatione Evangelii invincibiles ostenderunt. Refert Historicus qvidam, nomine Nauclerus, Probum Imperatorem, dũ adhuc fuisset dux militiæ, tantæ velocitatis & fortitudinis eqvũ habuisse, ut, eidem insidens, uno die centũ milliaria currere potuerit. Sit fides penes autorem, ego verò majorem in sanctis Apostolis velocitatẽ invenio, non ideò tantũ, qvòd ea die, qva beatissima Deipara ex hoc mũdo migrare debuerat, ex diversis orbis partibus ad locum dormitionis suæ convenerint, (id enim adscribendum est divino miraculo) sed qvia vocationi divinæ velociter obediverint: eqvus, ut benè currat, debet qvoq; bono pabulo præmuniri: Sancti verò Apostoli, ad cursum suum à Domino evocati, nullum planè pabulum acceperunt. Vocavit Christus Petrum & Andream ad currendam viam Domini, qvid illi? *Continuò relictis retibus secuti sunt eum.* Valde id miratur S. Gregorius Papa dicens: *Petrus & Andreas relictis retibus secuti sunt Redemptorem. Nulla verò hunc facere adhuc miracula viderant, nihil ab eo de præmio æterna retributionis audierant.*

Iob. 39.

Iob. ubi supra.

Sim. Majolus de Qvadrup.

Matth. 4.

S. Greg. hom. 5.

Nec

Nec minus mirabilis fuit sancti Matthæi velocitas. Hic alligatus erat telonio, & tamen, qvaliter se gesserit ad vocem Christi Jesu dicentis sibi: *Sequere me:* audite S. Chrysostomum dicentem: *Confestim ita obtemperavit, ut nec domum qvidem, ad communicandum rem cum suis, profectus sit.* Ejusdem velocitatis fuerunt sancti Apostoli Philippus & Jacobus: cùm enim ordinati fuissent a Domino, qvatenus prædicarent populis verbum Dei, sanctus Philippus, cui Scythia ad prædicandum obtigerat, se absqve omni tergiversatione expedivit, magnamqve gentis illius partem ad Christianam fidem convertit. Jacobus verò post ascensionem Domini Jerosolymorum Episcopus ordinatus, licet annis pluribus, indefessè tamē cursū laboris sui cōsummavit. Qvā generosos & qvā agiles eqvos Christus habuit!

Matth. 9.
S. Chrysost. hom. 31. in Matth.

II. Sed qvid mirum, Christum Dominum fortes & celeres discipulos habuisse? Qvi versantur in sacris literis, id invenient, immensum illum populi Israel exercitum in duodecim tribus divisum fuisse, qvibus singulis Dux unus præerat. Sic etiam Christus Dominus, exercitum conscripturus fidelium, qvos in terram deduceret promissionis vitæ æternæ, duces elegit duodecim, huic exercitui colligendo præfectos: inter istos ergo numerantur hodie duo, nempe Philippus & Jacobus. Cùm verò duces deceat fortitudo & animositas, qvam cæteri imitentur, qvis jam mirari potest, fortissimos fuisse sanctos Apostolos, qvi, Ducatum gerentes in populo Dei, suæ fortitudinis & agilitatis aliis qvoqve exemplum subministrare debuerunt. Legimus Deuteronomii 20. capite, Dominum Deum ad populum Israelis dixisse, ut, dū contigerit eum exire ad bellum contra hostes suos, & viderit majorem adversariorum multitudinem, ne timeat: cujus rei rationem assignavit hisce verbis: *Qvia Dominus Deus tuus tecum est qvi eduxit te de terra Ægypti.* Sed Cyrillus Alexandrinus miratur illud, qvandoqvidem Deus assecuraverat populum Israelis, ne hostem suum timeret, licet numero multo esset copiosior, assignans pro ratione securitatis præsentiam similem, qvalem olim exhibuerat in terra Ægypti: Cur deinde hæc verba addiderat: *Qvi formidolosus est, & corde pavido, vadat, & revertatur.* Sed facilis est responsio; proverbio dicitur: *Qvot capita, tot sensus.* Tunc etiam non defuerat divina præsentia in populo Israëlis, qvando aliqvi illorum missi erant ad confinia terræ promissionis, ut lustrarent eam, cùm tamen reversi dixissent: Terram qvidem esse fertilem, qvæ fluit lacte & melle, sed habere cultores fortissimos, nihilominus textus ait: *Omnis turba flevit nocte illa, & murmurati sunt contra Moysen & Aaron.* Aliqvi enim erant inter ipsos audaces, qvi svadebant, uti talium è numero fuit Caleb, ut omni timore postposito irent, & possiderent terram, sed multi etiam illorum erant timidi & pusillanimes: hinc Divus Cyrillus ait optimè ea verba Dominum protulisse, qvatenus formidolosi castris excederent, & abirent: nullus enim miles congruus aptusqve est ad invadendum Cælum pretio spirituali, qvi timori locum cedit, idcirco volens Deus suos milites, nempe sanctos Apostolos, fortes reddere, ait in hodierno Evangelio: *Non turbetur cor vestrum.*

Num. 1.
Cyrill. Alex.
Num. 14.
Ioann. 14.

III. Eleëmosyna est qvidam aries, qvo Cælum pulsatur, ut nobis patere possit, danda ergo est hilariter, & abscondenda in sinu pauperis, obediendū igitur est Domino dicenti: *Vendite, qvæ possidetis, & date eleemosynam:* Sed qvid timor impedit, si porrexero Eleëmosynam, penuriam patiar, si aliena restituero, ad extremam deveniam paupertatem, si corpus castigavero, sanitatis damnum incurram, si injurias remisero, qvid de me spargetur? si sustinuero patienter, honoris jacturam subibo, si ad orandum templum ingressus fuero, negotia domi negligam. Timor est, qvo qvis superatur, & ad casum proximè disponitur. Inopiæ timor offendiculum est puellæ, paupertatis metus lapis est avaritiæ, mercatori & fœneratori honorem perdendi formido, vindicta flagrant, contemptus ambitioso, ea propter ergo Dominus absqve omni timore vult esse suos discipulos, dicens eis, sicuti & nobis: *Non turbetur cor vestrum.* Das Eleëmosynam pauperi? Non turbetur cor tuum, qvia & tibi dicenti, *Panem qvotidianum da nobis hodie,* dabit Deus. Aliena restituere debes? Non turbetur cor tuum: Qvia peccatum non dimittitur, nisi ablatum restituatur. Corpus est castigandum? Non turbetur cor tuum: Qvia *Christus passus est pro nobis, vobis relinqvens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Injuriæ proximo sunt remittendæ? Non turbetur cor tuum: nam & tu orando ais: *Dimitte nobis debita nostra.*

Luca 11.
Matth. 6.
1. Petr. 2.

IV. Re-

IV. Refert Ælianus de Elephante, quod duplex cor habeat, unum audaciſſimum, ut integrum adoriri exercitum non vereatur, alterum verò timidum, quia rubros horret vermiculos, ad grunitum nefrendis fugit, & multa alia ſunt ſatis exigua quæ reformidat. O quot ſunt homines huic Elephanti ſimiles de quibus Spiritus Sanctus ait: *Væ duplici corde.* Sed qui ſunt tales? Eccleſ. 2. Tu qui ad voluptates tuas inhoneſtas non times noctem, vos qui biduum luſibus conſumitis, abſque cibo & ſomno, vos qui ad venationes veſtras quadriduanas ſuſtinetis inedias, diſcurrendo per invia & devia, unius verò diei jejunium vos deterret, una diſciplina metum incutit, unius horæ oratio tædium parit, vobis corde duplicibus væ dicitur, qui ad malum audaces, ad bonum verò eſtis timidi, de vobis dicitur Jeremiæ 23. capite. *Factus eſt curſus eorum malus, & fortitudo eorum diſſimilis.* Jerem. 23. Hi qui ſunt fortes & veloces ad peccatum, ad adulteria, rapinas, ut neque calorem timeant nec frigus, nec famem nec ſitim, qui perdurare poſſunt, duas treſvè horas ludendo, videbis eos adeo pigros & timidos ad bonum, ut vires non habeant, ad jejunium unius diei, vel ad orationem unius horæ, hi ſunt quorum curſus eſt malus, & fortitudo eorum diſſimilis.

V. O ſtrenuos milites Philippum & Jacobum, acceptâ jam Spiritus Sancti gratiâ & virtute induti ex alto quàm ferventes, quàm animoſi extitere: Sed quid reddidit animoſos? Audi reſponſum Apoſtolicum. *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Quid Sancto Philippo audaciam indidit, quod non exhortuerit infame illud Crucis ſupplicium, quin imo illud audacter & ſine ullo timore ſuſtinuit? *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Quis Sancto Jacobo vires adminiſtravit, ut intrepidus pinnam aſcenderet templi, Chriſti fidem, nomenque profeſſurus, unde in præceps dejectus, & fullonis fuſte percuſſus, non animo deſponderet, quin imò pro ſuis interfectoribus, & populi cæcitate Dominum ſupplex rogaret dicens; *Domine ignoſce eis quia neſciunt, quid faciunt?* Perfecta charitas foras mittit timorem. O ſancta charitas quantæ es potentiæ, quæ Sanctos Apoſtolos aliàs debiles & infirmos ita roboraſti, ut nihil à mundo potuerit inveniri, quod ipſos contriſtaret, aut puſillanimes redderet. Redeo igitur ad verba Sancti Prophetæ Zachariæ, illaque in laudem eorum repeto. *Poſuit eos quaſi equum gloriæ ſuæ in bello.* Quamobrem Auditores mei, ſi & nos volumus eſſe equelli Domini noſtri Chriſti Ieſu, ſubdamus dorſum noſtrum ſeſſori huic per obedientiam veram, accipiamus ad os frænum timoris divini, & ſic curramus viam mandatorum illius ut ad cæleſtem patriam pervenire valeamus. 1. Ioan. 4.

AMEN.

IN FESTO INVENTIONIS S. Crucis,

CONCIO I.

Qui me invenerit, inveniet vitam. Proverb. 8.

AUditores mei præstantissimi! Cum ego in hac æde & domo Dei vos congregatos intueor, venit mihi in mentem illa parabola Evangelica, à Sancto Luca conscripta de quadam muliere, quæ cum è decem drachmis quas habebat, unam perditam in-
Luæ 15. venisset, convocatis vicinis suis & amicis, eos ad gaudium invitabat, dicens: *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram.* Eodem modo & vos huc convenisse puto, ut vos invicem de perdita, & iterum
1. Petri 1. inventa drachma congratulemini. Dicetis; quænam illa? Audite Sanctum Petrum Apostolum, qualiter respondeat, *Non corruptibilibus, auro vel argento redempti estis; sed pretioso sanguine agni immaculati Christi.* Moneta quælibet in aliqua tabula numerati solet: hæc inquam tabula fuit crux Christi Domini; in qua tunc persolvit pretium salutis nostræ: dum tot guttas sanguinis sui pretiosi in cruce exposuit, quasi in tabula numerandas.
Matth. 25. Sed ecce tibi; dum servus nequam *fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui*: dum, inquam perversa gens Judæorum, non contenta morte Domini nostri Jesu, etiã crucem ejus infodisset terræ; alia mulier Evangelica, locum hujus drachmæ pretiosæ exploratum habens, accensa lucerna fidei, accinxit se ad quærendam? per quam mulierem Helenam Constantini Imperatoris matrem intelligo; hæc enim, cum in somnis admonita conquirendæ hujus sacræ crucis studio Ierosolymam pervenisset, eam tam diligenter inquisivit, donec inveniret. Cur autẽ de hac sanctæ crucis inventione hodie, semperque lætari debeamus; in hac concione aliquot rationes demonstrabo.

I. Video non mihi opus esse, ad probandam lætitiam nostram hodiernam, quærendis rationibus: quia unam & quidem præcipuam, in fronte sive themate concionis habemus, dicente sacro textu: *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Et quid vita dulcius, quid salute optabilius? Dicetis fortè, hæc verba in Pro-
Exod. 15. verbiis Salomonis adnotata, intelligi de Sapientia! Ita verò: nam Christus Iesus est sapientia Patris; qui nobis amarissimas mortis
Prov. 14. aquas, [uti alter Moyses] per lignum dulcoravit: de quo lligno rursus habetur Sapientiæ 14. *Benedictum lignum, per quod fit justitia.* Licet autem ad literam, per hoc lignum intelligatur navis, sive Arca Noë Patriarchæ; per quam servavit genus humanum, ne periret in diluvio; nihilominus ea humani generis conservatio per tale lignum facta, nihil aliud erat, nisi quædam figura alterius ligni benedicti, nempe sanctæ crucis; cujus hodie in-
Hugo Card. ibidem. ventionem celebramus. Audite, quid de isto ligno sentiat Venerabilis Hugo Cardinalis. *Lignum est crux Christi, per quam facta est justitia: quia per crucem Dominus justè Diabolum debellabit, & suum populum liberavit.* Duo hic in istis verbis Venerabilis Hugonis adverto. Primum est, quod Christus IEsus per crucem non qualitercunque sed justè Diabolum debellavit. Secundum id est, quod suum populum liberavit. Ad primum punctum revertamur. Non sine ratione posuit istum terminum, *justè debellavit,*

lavit. Etiamsi enim aliquis debellet suum inimicum, & obtineat victoriam, non semper est laudabilis, sed tunc laude digna censetur esse, ubi justum bellum fuit. Unde filii Jacob Patriarchæ, qui ob injuriam Dinæ Sororis suæ à Sichem Principe civitatis illatam, non solum ipsum patremque suum Emor, sed etiam omnes masculos necaverunt, & ipsam civitatem spoliaverunt, quamvis videantur esse excusabiles, ait enim textus historiæ, *Depopulati sunt urbem in ultionem stupri*: tamen ipsum factum non adeo videtur laudabile: nam tam Princeps illius terræ, quam etiam ipsi cives, fraude fuerunt circumventi: dum filii Jacob promittentes se nuptui daturos sororem suam, si se ipsos juxta ritum eorum circumciderent: ecce tibi, dum cuncti consenserunt, tunc duo Jacob filii, Simeon & Levi, die tertio, quando dolor est gravissimus, intrantes urbem cum gladiis, incolas illius, nihil adversi expectantes, occiderunt. Et quamvis posset id censeri pro stratagemate militari, Hugo tamen Cardinalis sic ait: *Factum tamen hoc per se facinus est, quod etiam Iacob displicuit: sed id Ecclesia prophetia fuit.* Sic Joab digne reprehensus erat à Rege David, quod Amasam & Abner Principes fraudulenter occidisset. Sed nec ipse David evasit Prophetæ Nathan capitulum, & poste' divinum supplicium: eo quod Uriam injustè in prælio occidi demandasset. Soli ergo hi, qui juste debellant hostes suos, pro legitimis habentur victoribus An ergo justè Christus Dominus Diabolum debellaverit, pensemus.

Gen. 34.

Hugo Card. ibidem.

3. Reg. 2.

2. Reg. 12.

II. Inter bellatores non justior concertatio, quam hæc, quando paribus sive similibus armis, sibi invicem correspondentibus, utrinque depugnant, id est si unus gladio, similiter & alter, si lancea & alter, si sclopeto, & alter. Hinc puto accepisse occasionem offensæ, gigantem illum Philisthæum adversus David: dum videret ipsum contra se (cum hasta & gladio prodeuntem) cum baculo & funda progredi: unde & dicebat: *Numquid ego canis sum, quia tu venis ad me cum baculo?* Videamus quoque arma Diaboli, quibus cum homine concertavit. Legimus Genes. 3. cap. Diabolum in formâ serpentis erecti, & ut ait Beda, habentis vultum virgineum, aggressum fuisse Evam matrem nostram; quia timebat à viro deprehendi; eamque tentasse tribus modis; nempe gula, vana gloria, & avaritia: dum post longum dialogum diceret de fructu ligni illius vetiti: *Quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.* Et sic Evam superavit; quia tulit de fructu illo & comedit, deditque viro suo. Debellavit hominem Diabolus; debellavit per gulam; quia gustavit fructum, per vanam gloriam, dicendo, eritis sicut Dii, per avaritiam, dicendo, scientes bonum & malum: quia teste Hugone Cardinali. *Avaritia etiam altitudinis est, cum supra modum sublimitas ambitur.* Debellavit hominem, eumque denudavit gratia divina spoliatum. Quid igitur? In exercitu Saul, nullus erat qui cum gigante certaret, excepto David: itaque alter David, cum isto gigante infernali descendit in arenam, & pro imagine sua cum illo pugnavit. Quia ergo ille lignum mulieri exhibuit pulchrum & suave ad vescendum: ideo Christus, ut illum similiter per lignum vinceret, ascendit lignum crucis: quia ille fecerat Evam extendere manus suas ad pomum ligni decerpendum, ille quoque in cruce extendit manus suas: pro gulâ, acetum cum felle degustavit, pro superbiâ, contumeliam & nuditatem subiit, pro avaritiâ, vitam posuit. Quid plura? Audite quid dicat S. Hieronymus. *Pependit in ligno, ut peccatum quod commiseramus, in ligno scientiæ boni & mali, ligno deleret appensum.* Quis ergo non videat, quod Christus Dominus juste Diabolum debellaverit.

1. Reg. 17.

Beda in Gen.

Gen. 3.

Hugo Card.

S. Hieron. in cap. 15. Marci.

III. Et quia non satis est hostem debellare, sed etiam populum de servitute ejus liberare: Christus Dominus per lignum crucis idem fecit: postquam enim suâ sanctâ cruce Diabolum debellasset, tanto illi terrori fuit, ut non amplius sibi jus aliquod in hominem crucifixum præsumere posset. Sed quid hoc dico? aliquid majus proferam,

nempè tantam fuisse crucis Dominicæ efficaciam, tantumq; illam Diabolum expavisse, ut cum necdum eam Christus ascendisset, aëreæ illæ potestates in destructionem illius armarentur. Dicite mihi, unde illud somnium, uxoris Pilati, post quod excitata dicebat ad virum: *Nihil tibi & justo illi: multa enim passa sum hodie per visum, propter eum.* S. Ignatius Martyr pulchram invenit causam; nempe jam tunc advertisse Diabolos; quod si Christus Iesus crucem ascenderet pro humano genere moriturus; illorum carcer & potestas tartarea in nihilum sit deventura. Audite verba S. Martyris: *Cum paranda esset crux, Diabolus tumultuabatur, & panitentiam immisit proditori, & mulierculam turbans in somniis, ut à crucifixione cessarent, inducere moliebatur; suam ipsius perniciem sentiebat.* Ecce quanta virtus crucis Dominicæ, quam Diaboli exhorrebant.

Matth. 25.

IV. Et quid mirum Diabolos timuisse crucem Domini, quam à Judæis præconceptam, sibiq; exploratam, in perniciem sibi imputabant. Cum etiam eo tempore, dum adhuc Iudæi de cruce nihil cogitarent, saltim ex auditu Christi Domini dicentis: *Si quis vult venire post me, tollat crucem suam*; turbarentur. Audite verba Divi Timothei dicentis: *O rem admirabilem! nondum crux à Iudæis fabricabatur, & crucis trophæum fidelibus monstrabatur.* Quid ergo mirum, si Iudæis jam crucem clamantibus, crucis virtutem agnoverunt, si antequam crux in mentem Judæorum venisset, jam illius trophæum exhorruerint? Antelucana crucis Dominicæ victoria tunc adhuc apparuit, quando pugnante populo Hebræorum cum Amalechitis, S. Moyses Patriarcha ascendens in vertice collis, manus suas levabat ad cælum; dumcunque enim id faciebat, tunc populus ille vincebat. Intelligitis mysterium? Extensio & elevatio manuum, quid designat? Audite Divum Gregorium Nazianzenum dicentem: *Quibus armis adversus insidias Diaboli instruar? Quis hunc profligavit? Moyses manus in monte extendens: ut crux adumbrata, & antè indicata, victoriam ferat.*

Matth. 16.

Timoth. Antioch.

Exod. 17.

Nazianz. Apol. 1.

V. Diceret quispiam; & unde hæc crucis Dominicæ efficacia? Respondeo; hinc illam emanare, quia se habet ad similitudinem scuti, quo homo dum protegitur, tutus sit ab omni periculo. De Mirmilli scuto ajebat Alciatus:

Bina pericla unis effugi sedulus armis;
Cum premerer q; solo, cum premerer q; salo.
Incolumem ex acie clypeus me præstitit: idem
Naufragũ, & appensus littora ad usq; tulit.

Alciatus.

Melius ait Sophronius de Cruce Christi Domini; hæc est verus clypeus, qui nos ab omnibus periculis protegit in terra, marique. Audite qualiter nos ad capiendum ipsum invitet. *Habeamus crucem in terra simul gradientem, & in mari simul navigantem comitem tanquam salutis utique largitricem.* Quamobrem Auditores, cum crux Christi Iesu tantæ sit virtutis, quæ & Diabolum vicit, & hominem à potestate illius liberavit, sic de inventione illius gaudeamus, ut per ipsam æternam salutem consequi mereamur.

Sophron.

AMEN.

IN FESTO INVENTIONIS S. Crucis,

CONCIO II.

Circuibam quærens, ut illam mihi assumerem. Sapientiæ 8.

NOn scandalizemini quæso, Auditores mei quod in hoc festo inventionis S. Crucis tam stultum thema assumpserim dicens: *Circuibam quærens, ut illam mihi assumerem.* Volebam his verbis insistendo, quasi in quadam comœdia repræsentare vobis illam venerabilem matronam, & egregia memoria dignam Helenam, Constantini Imperatoris matrem, quasi alicui nostrum ad interrogata (an illam sanctam crucem, quam Jerosolymis summâ cum diligentiâ quæsierat, tandem invenerit) respondentem: *Circuibam quærens, ut illam mihi assumerem.* Sed cum hæc responsio inprimis facta sit non à fœmina sed à viro, uti apparet in ipso textu: & deinde; cum illa verba de sapientia intelligantur, & non de cruce: hinc puto, vos illa pro themate concionis meæ assumpta, nõ solùm pro incõvenientia sed etiã pro stultitiâ habituros. Sed, ut ut sit, nõ curo. 1. Cor. 1. Ego absque hoc scio, Prædicationem crucis, infidelibus esse stultitiam, iis verò, qui salvi fiunt, sapientiam. Scio etiam, juxta Divum Ad Rom. 10. Paulum, nullam esse distinctionem inter Græcum, & Judæum; nullam inter marem, & fœminam: in his inquam, quæ salutem animæ respiciunt, omnibus una eademque via, ad quærendam & inveniendam. Quia ergo hæc illustris matrona, quæsivit & invenit arrham salutis nostræ, nempè crucem salvificam Christi Jesu Salvatoris nostri; parcite mihi, & in laudem sui laboris, imò potius in recompensam, permittite mihi, ut in suâ personâ eadem verba repetam, dicens: *Circuibam quærens, ut illam mihi assumerem.* Ex his autem verbis constabit vobis processus verus inventionis huius crucis salutiferæ.

I. Rogavi à vobis veniam, jam non peto. In quo enim eritis mihi contrarii? numquid in eo, quod sapientia quam Rex Salomon exquirebat, & crux quam Helena indagabat, sunt diversa? Sed iterum quæro, quid illud est, quod scribitur Proverbiorum 9. cap. *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas, miscuit vinum, & posuit mensam.* Prov. 9. Dicant alii quidquid velint: ego per sapientiam, unigenitum Dei filium, Christum Jesum, & patris æterni sapientiam intelligo. Per domum, intelligo crucem suam: quia sicut in domo manentes sumus tuti à pluviâ, cæterisque aëris incommodis: ita in cruce Jesu manentes, simus tuti ab omni tentatione malorum spirituum. Per septem columnas, intelligo septem verba, à Christo Domino in eadem cruce prolata, quibus tanquam septem columnis tota fulcitur Ecclesia. Per victimas immolatas, intelligo omnium fidelium tentationes, & tribulationes, nec non Martyrum passiones, quas Christus Jesus crucifixus in sua passione obtulit Deo Patri; juxta illud ad Ephesios 5. capite: *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis.* S. Paul. ad Eph. 5. Per vinum quod miscuit, intelligo Divinitatem suam nube humanitatis temperatam: similiter intelligo illum calicem, quẽ bibendo prior nobis etiam propinat & offert, dicens: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Matth. 20. Per mensam, intelligo plurimarum gratiarum suarum fercula, in eadem sacra cruce igne amoris sui decocta, nobisq; præparata. Tandem inter has ancillas, quas misit Sapientia ut vocarent ad arcem (per quas intelliguntur Apostoli, & Prædicatores verbi Dei) meritò adnumerare possum nobilem illam Helenam Constantini Imperatoris matrem:

crem: hæc enim ea est, quæ inventa cruce Dominicâ, hodie nos invitat ad ejusdem arcem & mœnia civitatis, qui nobis per ipsam regnum cælorum promeruit. Vultis nosse zelum ipsius & diligentiam, cum qua crucem eam Dominicam inquirebat? Interrogate, iterum respondebit vobis: *Circuibam quærens, ut illam mihi assumerem.* Non venit talis responsio ex quadam jactantiâ; quia plurimos fideque dignos testes habet. Inprimis Divus Ambrosius in Oratione sua, quam in funere Theodosii peroravit, introducit ipsam quasi dicentem: *Ego in regnis, & crux Dominiin pulvere! Ego in aulis, & in ruinis latet Christi triumphus!* Non patiar id: *Surgam & circumibo, quæram vexillum victoris quem diligit anima mea.* Unde Regina Helena, divina inspiratione commota, anno Domini trecentesimo vigesimo sexto, ad Calvariæ montem perrexit: sed ubi sanctum illud monile esset, nullo signo id explorare potuit. Uti enim refert Divus Hieronymus; dum sævissimi illi Christianæ religionis hostes, funditus eandem extirpare niterentur, id excogitarunt ut in loco crucis fanum Veneris erigerent, existimantes fidem crucis abituros, si sacrum illum locum tam spurcissimo idolo polluissent: hinc Reginæ difficultas crevit in veniendi illam.

D. *Ambros. Orat. in funere Theod.*

Cant. 3.

D. *Hier. ad Paul.*

II. At Regina hisce difficultatibus non exterrita, recogitans, in laboriosa inquisitione tanti thesauri majus sibi meritum causari, congregata ingenti fossorum multitudine, varia loca, & inter illa quendam magis præcipuum, à quodam Judæo sibi demonstratum exploravit. Aperta igitur humo & decusso pulvere, tres cruces inventæ fuerunt, quas ruina contexerat; inimicus absconderat; quæ tamen ex his esset in qua Christus pependit, id explorare nequivit. Licet enim aliqui dicant, agnitam fuisse ex titulo eidem affixo; plures tamen sunt qui contrariam sententiam sequuntur; nempe avulsum fuisse titulum à cruce: unde ambigente Helena, quænam ex illis esset, celebre miraculum dubitationem sustulit. Cum enim hominis recenter mortui cadaver allatum adhibitum esset uni & alteri cruci, in quibus duo latrones pendebant, sprevit mors eorum ligna: sed cum Dominicæ cruci applicatum esset, statim homo surrexit vivus: nam ad salutaris ligni tactum, morte profuga, corpus surrexit, & veluti alter Lazarus, quondam vinculis expeditus, inter apportatores suos redivivus incessit. Itaq; illud discrimen inter crucem Christi & latronum innotuit: quod istæ mortuæ, illa autem quasi viva, vivificandi virtutem habuit. Sed non in eo solùm, sed in alio quoque vitam se habere ostendit. Cum enim ex hoc sanctæ crucis ligno tot particulæ scinderentur & detraherentur; nihilominus hucusq; perseverans, in materia illa insensata, vitam quandam habere videtur. Sed jam contemplemur Auditores; postquam Helena hanc crucem invenit, quidnam dixit? Sanè repetit illa verba Sapientiæ: *Circuibam quærens, ut illam mihi assumerem.* Aut sanè illa verba protulit, quæ contemplatus fuit S. Ambrosius, dicens in persona Reginæ: *Quid egisti Diabole, ut absconderes lignum, nisi ut iterum vincereris? Vicit te Maria, quæ genuit triumphatorem, & quæ sine diminutione virginitatis edidit eum, qui crucifixus vinceret te, & mortuus subjugaret; vinceris & hodie ut mulier tuas insidias deprehendat.*

D. *Chrys. & Ambr.*

S. Paulin. Severus & alii.

S. Cyrillus.

S. Ambr. ubi supra.

III. Sacra narrat Machabæorum historia, solemni pompa apud Hebræos olim celebratum fuisse festum, quando sacrum ignem invenerunt, qui per multos annos latuerat. Ignis sanè est lignum sacræ crucis, quem Christus Dominus venit mittere in terram; cujus inventio, ignis illius inventione fælicior, & celebrior reputari debet: ut enim sacer ille ignis, in aquam crassam conversus, denuo post inventionem accensus est, pristinamq; naturam induit: ita crucis gloria tot annis sepulta, post inventionem demum, toto terrarum orbe exaltari & claresceré cæpit. Imò quod plus est, quemadmodum olim repertus liber sub Josia Rege, plurimi Judæorum audientes verba legis divinæ, à cultu idolorum recesserunt, & idololatria quæ tunc apud illos invaluerat, valde deinde imminui cæpit: ita crux Dominica postquam inventa fuit, eandem impietatem Diabolicam dissipavit; adeo ut velut sole in mundum illato, certatim homines idololatriæ tenebras deserentes, Christianæ Ecclesiæ se aggregaverint. Quod Diabolus ante præsentiens idque expavescens, eam crucem in abscondito loco recondi curavit. Ea tamen astutia multum ipsum fefellit de quo dici potest; *Mentita est iniquitas sibi*: nam cruce per Helenã reperta,

2 *Machab.* 1.

Ps. 26.

&

& omnium oculis expoſita, gladius detectus eſt, quo infernalis Goliath caput, cum ſummo ejus dedecore amputatum, & idolorum cultus, qui plurimum invaluerat, mirum in modum decrevit & hucuſque decreſcit.

IV. Refert Ioſephus libro undecimo Antiquitatum, Hebræos inſtituiſſe feſtum certæ diei, quod celebrare ſolebant propter translationem ignominiæ, quam Mardochæus ſuſtinere debuerat in Aman ſuperbum Principem: uti enim patet in Hiſtoria Heſther capite quinto. Cum rediens Aman ex convivio Reginæ Heſther domum ſuam, vidiſſet Mardochæum ſedentem ante fores palatii, non ſolum non aſſurrexiſſe ſibi; ſed nec motum quidem de loco ſuo: indignatus eſt valde, & diſſimulata ira reverſus in domum ſuam, convocatis amicis ſuis, eiſque recenſito honore quem à Reginâ hac die acceperat, poſtea addidit loqui dicens: *Cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Iudæum, ſedentem antè fores regias*: reſpondentibus illis, ut ſibi excelſa trabs quinquaginta cubitorum pararetur, & ille Regi ſuggereret, ut in illa Mardochæus appendatur: ſic iturum unà cum Rege lætum ad convivium, ad quod etiam ſequenti die invitatus erat: ait textus; *Placuit ei conſilium, & juſſit excelſam præparari crucem.* Sed adverſa fortuna; *Ignorans quid ſuperventura pariat dies.* Tali enim die Mardochæus exaltatus à Rege Aſuero, Aman vetò in eadem cruce ignominiosè ſuſpenſus erat. Prout igitur illa dies memorabilis erat genti Iudæorum, ſic meritò hodierna dies nobis celebris eſſe debet: qua crux Chriſti *Domini*, Diabolo quidem in ignominiam, nobis verò Chriſtianis, mediante hac fælici ejuſdem inventione, nec non tot miraculis ab ea patratis, in honorem, victoriam, gloriamque cedit.

Ioſephus lib. 11. Ant. cap. 6.

Eſther 5.

Prov. 27.

V. Quámobrem Auditores præſtantiſſimi, dignum eſt ut hodiernâ die, omnes lætemur in Domino: gaudeat primò Sancta Mater Eccleſia, de invento theſauro tam pretioſo: gaudeat de inventione ligni vitæ; quod certè ſuperat lignum vitæ in paradiſo plantatum; gaudeat de tali arbore, è quâ dulciſſimum fructum æternæ vitæ ſperare poſſit. Non abſque causâ ille ſponſus ajebat: *Aſcendam in palmam.* Palma enim apud diverſas nationes ſemper erat ſymbolum victoriæ: item palma nullo unquam onere ſibi ſuperpoſito poteſt opprimi; quin magis erigitur: eodem modo crux Ieſu Chriſti, nec à Diabolo, neque à miniſtris illius opprimi poterat: licet enim memoriam illius auferre conarentur; nihilominus jam nunc ſicuti malis ſpiritibus cruce Domini nihil horribilius; ita Chriſtianis fidelibus, eâ nihil glorioſius: quam in veſtimentis, in vexillis, in coronis Regum, & Pontificum; quin imo in frontibus noſtris circumferimus: & tandem, eadem crux glorioſa poſt finem hujus ſeculi fulgebit in cælis, ad gloriam Chriſti Ieſu, & ſolatium Sanctorum Dei.

Cant. 7.

AMEN.

IN

IN FESTO INVENTIONIS S. Crucis,

CONCIO III.

Inventa una pretiosa margarita, abiit. Matth. 13.

AUditores mei, ignoro, quænam hic offeratur mihi prædicandi materia. Concio debet fieri de inventione sanctę crucis; thema vero illius, offertur mihi tale. *Inventa una pretiosa margarita, abiit.* Quis est hic, vel potius dicam, quænam illa, [fœminæ enim plus oblectantur in his quam viri] quæ illa est, quæ tam avide quæsivit margaritas? Scio Cleopattam Reginam, margaritarum inopem non fuisse: quia magno Antonio unam in aceto liquefactam propinavit, & alteram epotandam eidem obtulit, & earum unaquæque Regni unius pretio constare dicebatur. Magna Reginæ temeritas, quæ tam pretiosas gemmas inaniter prodegit: prudentior illa fuit, quæ inventa una pretiosa margarita, abiit: quorsum abiit? *abiit & vendidit universa quæ habuit, & emit eam.* Quæ tanto labore, sumptuque unam margaritam comparavit, quam personam putatis esse? Erit quædam Helena. Quænam illa? Numquid illa Helena Menelai Lacedęmoniorum Regis uxor, quæ rapta à Paride eversionis clarissimę illius urbis Trojanæ causa fuit? Apage cum talium fœminarum quæstu impudico, quæ ut venustæ appareant, margaritis & auro onerant corpus suum; & sic dum similibus lenociniis oculos aliorum illaqueant, non solum substantiæ temporalis, sed etiam animarum suarum grave incurrunt detrimentum. Alia Helena longe nobilior Regina, mihi est præ oculis, nempe illa piissimi Constantini mater; quæ existens jam octogenaria talem margaritam quæsivit & invenit. Sed ad quid decrepitæ margaritæ? Adhuc magis mirabimini, ubi dixero, quæsivisse crucem Domini, & fœliciter invenisse; sed à me ipsam pro margarita pretiosa haberi: ob quam autem rationem, in hac concione audietis.

Plutarch.

Virg. lib. 1, Aeneid.

I. Diceret fortè aliquis, crucem Domini non posse dici margaritam; eo quod margarita inter lapides pretiosos, crux autem Christi Domini facta fuerit ex arbore, & inter arbores numeretur: at ego plurimas invenio rationes, in quibus egregie elucescit convenientia & similitudo inter margaritam & crucem Domini. Inprimis illa verba Proverbiorum cap. 25. multum inserviunt meo proposito: ubi sacer textus ait: *Inauris aurea & margarita fulgens, quæ arguit sapientem.* Venerabilis Hugo Cardinalis explicans locum istum sic ait: *Sicut benè sedet margarita inaurea inauri; ita competenter argutio Magistri eruditi collocatur, quasi in proprio loco, in discipulo obediente.* Jam quæramus ex isto discipulo, quodnam præcipuum habeat instrumentum ad excipiendam doctrinam Magistri sui? Respondebit esse aurem: quia juxta Divum Paulum Apostolum, *Fides est ex auditu.* Jam porro convertamus nos ad Magistrum gentium, Sanctum Paulum, & quæramus ab illo; quænam est illa margarita, quam tunc in inauri collocabat, dum Christi Evangelium prædicabat? Respondebit fuisse crucem Domini: hæc enim unica præcipua fuit materia doctrinæ & lectionis suę, quam tradebat. Vultis ut probem? Inprimis in primâ Epistolâ ad Corinth. sic ait: *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare: non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi.* Nonne aperte videtis, crucem Christi esse margaritam, in inauri Christi fidelium à sancto Doctore collocatam? Reges hujus mundi solent gloriari in coronis, pluribus margaritis exornatis: habuit & Divus Paulus suam margaritam, in quâ solebat gloriari, dicens: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Si non habetis satis in uno teste, tantâ fide digno;

Proverb. 25.

Hugo Card. ibidem.

Ad Rom. 10.

1. Corinth. 1.

Ad Gal. 6.

digno; produco alium, Sanctum inquam Andream Apostolum. Hic dum crucifigendus duceretur ad locum supplicii, videns longè crucem sibi præparatam, eam lætanter salutavit dicens: *Salve crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membris ejus tanquam margaritis ornata.* Quid ais Sancte Martyr? duceris ad infame lignum supplicii tui, & dicis te videre margaritis exornatum? Revera ita erat: nam Venerabilis Beda, explicans Apocalypsim Ioannis, in qua mentio est de margaritis duodecim; ibi ait; Christum Dominum esse margaritam singularem, quam negotiator sapiens venditis omnibus emit: cum ergo in cruce mortuus fuerit, eandem contactu suo ita reddidit illustrem & conspicuam, ut fulgorem margaritarum longè superet & excellat. Et unde venit, quod plurimi sanctorum eam Christi Domini crucem expetiverint? De Sancto Dominico scribitur: *Sitiebat servus Christi martyrium, sicut sitit cervus ad aquæ fluvium.* Sanctus Franciscus Seraphicus studio navigavit in Siriam, quærens margaritam, nempe crucem Domini; cupiens ut sibi aliqua daretur occasio patiendi pro Christo. S. Franciscus Xaverius tot in Indiis terras percurrebat, ut pro Christo Martyrium subire posset. S. Ludovicus Bertrandus idem fecit: quodnam de illis cæteris? quos prætereo judicium dabitis? Ego censeo fuisse negotiatores quærentes bonas margaritas.

Ex Act. Passionis ejus.

Ven. Beda in Apoc.

Theodoricus.

Rom. Brev.

Apoc. 21.

II. Illa civitas sancta Ierusalem, quæ ostensa fuit Sancto Ioanni Apostolo, erat ad stuporem pulchra: quia fundamenta murorum illius civitatis, erant omni lapide pretioso exornata; ipsa verò civitas erat aurum mundum. Illa civitas habebat portas duodecim, dicente sacro textu: *Ab oriente portæ tres; & ab aquilone portæ tres; & ab austro portæ tres; & ab occasu portæ tres.* Hæ portæ sic ordinatæ, si ad numerum reducantur, faciunt duodecim. Sed cum hæc civitas tam pulchrè erecta fuerit, ex quali materia portas illas constasse putabitis? Respondet ibidem sacer textus: *Duodecim portæ duodecim margaritæ per singulas.* Mirum dictu, Regem illius civitatis neminem intrò admittere velle, nisi per portas gemmeas: quid hic putatis latere mysterii? Pulchrum sanè & memoria dignum. Crucem Christi Iesu esse pretiosam margaritam luculenter vobis demonstravi, ad cœlestem igitur Ierusalem portas ex margaritis fieri decuit, quia crux Christi est porta cæli. Patet id ex illa historia S. Iacob Patriarchæ, qui dum è somno [in quo viderat scalam stantem super terram & cacumen ejus tangens cælum, Angelosque Dei ascendentes] evigilasset, in se reversus sic ait: *Terribilis est locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei & porta cæli.* Totum relinquo & ad solam portam me converto. Estne illa quam Ioannes viderat ex margaritis? utique quia porta cæli una ex illis duodecim: sed quænam hæc margarita quæ porta cæli dicitur? Respondet Hugo Cardinalis, dicens: *Crux porta cæli dicitur, quia non nisi per eam intratur in regnum.* Idem ait Sanctus David Psalmo 83. *Hæc porta Domini; justi intrabunt in eam.* Quia uti elucidat S. Lucas Actorum 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum.*

Gen. 28.

Hugo Card. ibidem.

Psal. 83.

Actor. 14.

III. Revertor rursus ad easdem portas; quia cum ita pulchræ sint nullum fastidium intuenti patiunt, se potius rapiunt oculos ad spectandum. Duodecim portas video, sed in quatuor ordines dispositas: quid hic censetis Auditores, vel quid notatis? Ego duo noto, inprimis numerum duodenarium, & deinde dispositionem ejusdem. Per numerum duodenarium, primò intelligere possum Sanctos Apostolos numero duodecim; quia Venerabilis Beda, explicans istum locum sic ait: *Portæ duodecim Apostoli sunt, qui suo vel scripto, vel opere, cunctis primordialiter gentibus, Ecclesiæ pandebant introitum.* Sed quod iste numerus ad quaternarium reducatur, disponendo portas tres ad orientem, tres ad aquilonem, tres ad meridiem, tres ad occasum: talis ordo sapit figurâ crucis gemmeæ per quam Sanctos Apostolos oportebat intrare in cælestem illam Ierusalem. Similiter ipsas margaritas, ex quibus eæ portæ factæ sunt, repræsentant: adeo ut in primo ordine, tres margaritæ refulgeant; Fides, Spes, Charitas: in secundo ad austrum, aliæ tres margaritæ, id est, Obedientia, Paupertas, & Castitas: in tertio, tres aliæ, nempe Patientia, Humilitas, Mansuetudo; & in quarto tres reliquæ, id est, Iejunium, Eleemosyna, & Oratio: & hæ margaritæ mysticæ, dum cruci Christi Iesu innituntur, tunc portas per quas itur in illam civitatem auream, efficiunt.

Beda in Apoc.

IV. Adhuc unum est quod considero, nullum datur corpus physicum, quod non possit mensurari; imò de ratione sui est mensura:

hæc autem est quadruplex: nempe latitudo, longitudo, sublimitas & profundum, ergo neque portis illis gemmeis, sicut neque ipsis margaritis quantumvis exiguis, eadem mensura denegari potest. Videamus, an crux Domini, quæ est Domus & porta cæli, eandem mensuram habeat. Certè, dum lego Epistolam S. Pauli ad Ephesios, elegantem ibidem invenio: nam 3. capite ita scribit: *ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum.* Hæ quatuor dimensiones, portæ hujus gemmeæ, quidnam significant? Respondet Venerabilis Hugo Cardinalis, significare figuram crucis Dominicæ, habereque in se mysteria admiranda, nempe latitudinem, id est transversum illud lignum, in quo manus Salvatoris nostri confixæ fuere, significare bona opera, extensa etiam ad inimicos: Longitudinem, nempe lignum ab alto procedens versus terram, in quo corpus Christi affixum stetit, significare perseverantiam in bonis operibus: Altitudinem, id est, tabulam superiorem, significare expectationem æternorum, & tandem profunditatem, id est, lignum subterraneum, quod terræ infixum erat, significare profunditatem gratiæ Dei. En iterum pulchra proportio portarum gemmatarum, cum cruce Salvatoris nostri.

S. Paulus ad Ephes. 3.

Hugo Card. ibidem.

V. Crateres caliceſque non solum ex auro fieri sed etiam lapidibus pretiosis gemmisque exornari nihil novi: Rex David fortè similem habuit; ubi ait: *Calix meus inebrians quàm præclarus est!* Hic quidem loquitur de calice mysteriorum divinorum, quæ contemplando inebriari vel extra se rapi videbatur; sed habebat etiam alium calicem, non minùs pretiosum: cujus mentionem facit Psalmo 115. dicens: *Calicem salutaris accipiam:* hunc autem calicem, figuram fuisse crucis Dominicæ, nempe passionis Domini, nec non Sanctorum ejus; patet ex verbis sequentibus: uti testatur S. Hieronymus dicens. *Calicem in scripturis divinis intelligimus passionem juxta illud: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* Et in Psalmo: *Calicem salutaris accipiam, statimque infert, quis sit iste calix: Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Hinc vobis abunde patet, crucem Christi esse illam gemmam pretiosam, inauri aureæ, duodecim portis urbis Jerusalem, nec non calici Novi Testamenti inclusam. Unde de inventione tanti monilis lætemur in Christo Domino, qui vivit in secula.

Psal. 22.

Turre Cremata. Psalm. 115.

S. Hieron. in Comment. in Matth.

A M E N.

IN

IN FESTO INVENTIONIS S. Crucis,

CONCIO IV.

Nunc dilatavit nos Dominus & fecit crescere super terram.
Gen. 26.

LEgimus Gen. 26. capite de Sancto Isaac Patriarcha; quod cum peregrè venisset Geraris ad terram Regis Philistinorum, ibiq; moraretur, in omnibus ei Dominus benedixerit, ait enim sacer textus: *Sevit autem Isaac in terra illa, & invenit in ipso anno centuplum; benedixitque ei Deus, & locupletatus homo.* Quod videntes pastores Palæstini, eique
Gen. 26. tantam fortunam invidentes, *Omnes puteos, quos foderant servi Patris ejus Abraam, obstruxerunt implentes humo* Cumq; ea in re magnam contrarietatem, & difficultatem pateretur, tandem effosso uno adhuc puteo sine ullius obstaculo & contradictione, hæc verba protulit: *Nunc dilatavit nos Dominus, & fecit cre-*
Gen. 22. *scere super terram.* Isaac Patriarcha vera in hoc passu fuit figura Christi Domini: illa enim ligna, quæ ad aram immolationis suæ portabat in suis humeris, nihil aliud figurabant nisi oblationem Christi Domini, in ligno crucis peractam, ille mons in quo offerri debebat, designabat similiter montem Calvariæ, in quo immolatus erat. Deinde terra illa Palæstinorum, in qua Isaac morabatur, designabat
Luc. 8. terram patriamque Judæorum, in qua Christus conversari dignabatur. Semen illius, quod in terram jactum tam abundè fructificabit, erat verum semen verbi Dei, quod Christus Jesus, cum centesimo fructu in quorundam cordibus seminabat, in tantumque ipsum pater suus cælestis benedixit, ut cum advenisset Jerosolymam, non alio nomine quam
Matth. 21. benedicti compellatus fuerit, cunctis ita acclamantibus: *Benedictus qui venit in Nomine Domini.* Sed ecce dum ad tantum honoris culmen pervenisset, ut à traditore suo Judæis traditus, licet ab iisdem multa passus fuerit, nihilominus eidem, ignorantes mysterium, purpuram, coronam, titulumque Regium tanquam Regi vero obtulerint, videns Diabolus quorsum processus iste collimaret; nempè ideo actum in crucem fuisse, in eaque exaltatum, ut per ipsam triumpharet de morte, & Diabolo, & per eandem vitam quam perdidimus, nobis restitueret; quid fecit? Sicut Philisthæi obstruxerant puteos Isaaci, sed ipse iterum obstructos eruderavit, nec aquam latere passus est: ad eundem modum, si inferorum Palæstini, nempe dæmones, crucem Domini omnium bonorum, donorumque cælestium puteum, terra, lapidibus, quin imo libidinoso veneris simulachro obstruxerunt. Sed Helena non passa est, talem gratiarum cælestium aquam, latere diutius? hodie enim inventionem illius lætanter celebramus dicentes: *Nunc dilatavit nos Dominus & fecit crescere super terram.* Quod an ita sit, in hac concione probabimus.

I. Auditores mei, dum ego hæc verba, pro themate Concionis meæ assumpta cõsidero; nempe: *Nunc dilatavit nos Dominus, & fecit crescere super terram*: non puto Sanctũ Isaac Patriarcham ea pro se ipso dixisse: quin. in tantum dives erat, ut Rex ipse unà cum Palæstinis opulentiã ipsius miraretur, quid sibi ex uno effosso puteo, aquis ve redundante, dilatationis & incrementi domus suæ accresceret? sed in figurâ illâ dixisse existimo. Sicuti enim ligna proprer oblationem sui. ad montem humeris suis deportata, erant figura holocausti Christi Domini, in arâ crucis peracti; ita etiam illa aggratulatio, his verbis à se concepta & prolata, nempe:
Gen. 22.

Nunc dilatavit nos Dominus, & fecit crescere super terram; erat quædam Prophetia dilatationis domus mysticæ, nempe Sanctæ Ecclesiæ Christianæ; quæ à sacro Baptismo, non secus atq; à puteo Isaaci, suæ dilatationis & incrementi principium sumpsit. Et certè illud miror, quod lignum cum aquâ singularem quandam familiaritatem habere, in Scripturis Sacris inveniam. *In primis* habemus 1. Geneſis. Quod ubi produxit Dominus Deus in paradiso omne lignum pulchrum visu, similiter lignum vitæ lignumq; scientiæ boni & mali talibus lignis vicinæ erant aquæ, immediate dicente sacro textu. *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum.* Noë per lignum conservatus fuit ab aquis diluvii, juxta illud Proverbiorum 14. capite. *Benedictum lignum per quod fit justitia* Filiis Israelis aquas rubri maris metuentibus, præcepit Deus Moysi dicens, *Eleva virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & divide illud, ut gradiantur filii Israel in medio mari.* Jacob Patriarcha, ope sui baculi se transivisse aquas Jordanis fluminis ipsemet fatetur dicens: *In baculo meo transivi Iordanem istum.* Filii Prophetarum ligna cædentes, dum uni ferrum in aquam cecidisset, jussit Elizæus in ipsam lignum mittere, quod dilapsum ferrum revocavit. Rex David, quendam beatum ligno, secus aquas plantato, comparat: *Erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum* Et tandem S. Ioannes Apostolus, ultimo capite Apocalypsis ait, se vidisse ex utraq; parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim. Et ut ad puteum Isaaci revertamur, in quo aquas invenerat, ad fodiendum ipsum usus fuit ligno. In hodierno quoque Evangelio, simile quid lego: nempè de aqua, & ligno, quæ duo à Christo Domino Nicodemo erant proposita. Aqua his verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Lignum vero illud, in quo Moyses serpentem exaltavit: quia inquam tale lignum figura erat Sanctæ crucis, aquas Moysis dulcorantis, nempe aquam Baptismi sanctificantis. Hic jã subsisto, & Prophetiam Isaaci Patriarchæ in Ecclesiâ Christianâ, cuius sumus filii, impletam esse dico. *Nunc dilatavit nos Dominus, & fecit crescere super terram.*

Gen. 1. Prov 14. Exod. 14. Gen. 32. 4. Reg. 6. Psal. 1. Apocal. 22. Ioan. 3. Num. 21.

II. Magna Christi Domini potentia, qui ligno crucis humili Ecclesiam suam dilatavit & fecit crescere super terram. Quando Rex Salomon ædificare volebat domum Domino in Jerusalem, multis ad id lignis indiguit, quæ de monte Libani tollebantur; uti patet 3. Regum 5. capite. Christus Dominus unico crucis ligno, tam amplam domum ædificavit, ut ejus termini extendantur ad orientem, meridiem, occidentem, & septentrionem. Sed jam non miror. Jacob Patriarcha unicum baculum habuit, cui innixus, pergebat in Mesopotamiam; ut sibi inde uxorem acciperet, & ecce dum somnum caperet, dicitur sibi à Domino: *Terram in qua dormis tibi dabo, & semini tuo; eritque semen tuum quasi pulvis terræ: dilataberis ad orientem & occidentem, & septentrionem, & meridiem.* De isto Sancti Jacob baculo audite & Augustini sententiam, *Iacob ad accipiendã uxorem exhibuit baculum, & Christus ad redimendam Ecclesiam, detulit crucis lignum.* Alibi scribitur; Dominum Deũ magnificare promisisse Moysen corã Pharaone, è cujus manu liberaturus foret Israëlem; ut facilius crederet, jussit eum Deus projicere virgam quam in manu tenebat, quod dum fecisset versa est in colubrum, rursusque ad pristinum statum rediit; eademque virga tot patravit miracula, eduxitque populum de Ægypto. Rursus de eadem virga S. Augustinus: *Virga illas crucis mysterium præferebat. Sic enim per virgam Ægyptus decem plagis percutitur; ita & per crucem, totus mundus humiliatur & vincitur.*

3. Reg. 5. Gen 28. Exod. 4. D. August. in Exod.

III. Hæc eadem de re prophetabat Isaias dicens: *Levabit signum nationes, & congregabit profugos Israelis, & dispersos Iudæ colliget, à quatuor plagis terræ.* Pro signo & vexillo quodam virga illa sua Moyses utebatur, quam præferre solebat coram universa Israelis multitudine: at Christus Jesus juxta Evangelicam illam Isaiæ Prophetiam longè aliud signum sustulit, nempè crucem suam, quâ nationes Israelis, nempe infideles, à quatuor plagis terræ, id est, ex toto mundo, ad fidem veram per sanctos Apostolos congregavit. Unde tanta cruci Dominicæ virtus & potentia, ut homines ex omnibus mundi partibus congregare queat. Divus Basilius, expendens istum Prophetiæ locum, in qua significatur virtus Christi crucifixi tam efficax, ut ad se dispersos attrahat, per quatuor mundi cardines, sic ait. *Vt hac significatione, omnes mundi partitiones, per eas sancta crucis partes ad salutẽ dispen-*

D. Basil. in Isaiam.

dispensentur Egregia plenaque mysteriis responsio; in qua intelligit sanctus Doctor, Christum extensum in tali ligno quod in formâ crucis factum suis quatuor cornibus totum mundum attingebat, eundem ad se attraxisse.

IV. Diligenter inquirunt Doctores, Sanctique Patres Ecclesiæ, quidnam causæ fuerit, quod Pilatus, dum Christo Jesu crucem erigi curavit, in eadem titulum sui nominis, *Ioan. 19.* nempe *Jesus Nazarenus Rex Judæorum*, in triplici idiomate posuerit; nempe Hebraicè, Græcè & Latinè. Ad quid tot linguæ? nonne sufficiebat una Hebraica, tanquam lingua patria? Quidam respondent, ideo triplex idioma fuisse adhibitum, ut quia Christus Dominus longè latequè in diversas terras & gentes diffusurus esset iisdem suum nomen juxtà usum cujusque linguæ notum esset. Alii dicunt, id instinctu Judæorum nequam fuisse factum, qui cupientes eam infamem Christi mortem, non solum domesticis; sed etiam extraneis, qui tunc Jerosolymam convenerant, notam fieri; eum quoque diversum titulum procurasse à Pilato: nam ut ait *Actor. 3.* S. Lucas: *Tunc in Ierusalem erant viri habitantes ex omni natione, quæ sub cælo est*, S. *S Chrysost. in Ioan.* Chrysostomus è contra dicit: Talem titulum in contumeliam Judæorum, & honorem Christi Domini, quem ipsorum Regem intitulavit, posuisse; ut hinc omnes scirent, qui suam linguam nossent legere, malitiam Judæorum. Sed tandem sufficiet meo proposito, responsum Sancti Cyrilli dicentis: *D. Cyrillus in Ioan.* *Divinitus factum est, ut trium linguarum, quæ præcipuæ sunt, literis titulus scriptus fuerit: omnium enim gentium regnum, Christo attributum esse significavit.*

V. Moris erat antiquis illis Regibus & Dynastis, in triumphis extruere arcus, qui vocantur triumphales, quibus deinde apponunt titulos; nempe victoris nomen, patriam, item gentem quam superavit. Sic constat fecisse Saulem Regem *Israelis*: hic enim cum superasset Regem Amalechitarum, ejusque *1. Reg. 15.* exercitum dissipasset, & ingentem prædam abstulisset, erexit in signum victoriæ fornicem triumphalem, in Carmelo. Theseus *Stobæus.* Princeps, cum devicisset hostes suos, erexit trophæum, & utens sanguine pro atramento, hunc inscripsit titulum. *Lacedæmones de Archivis.* Idem fecit Julius Cæsar, de quo Sue- *Suetonius* tonius; quod cum Ponticum triumphum *c. 37.* celebrasset, inter cætera victoriæ insignia, talem titulum admiscuit: *veni, vidi, vici.* Judæi, tanquam ignorantes, idem fecerunt victori nostro Christo *Iesu*, titulum triumphi sui cruci affigentes, & uti ait Divus Chrysostomus; *Tanquam trophæo cuipiam, literas in-* *D. Chrysost.* *sculpserunt, clara voce & victoriam, & Regnum profitentes.* Qui titulus quantam gloriam Victori Christo pariat, clarissimus patet sensus ex ipsismet verbis. Dicere enim aut legere, *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*; idem est ac si dicerem: Vivat Jesus; vivat Nazarenus; vivat Rex; qui nos cruce sua dilatavit & fecit crescere super terram. *Ipsi* honor & gloria in secula seculorum.

AMEN.

IN FESTO S. CATHARINÆ Senensis,

CONCIO I.

Simile est regnum cælorum grano sinapis. Matth. 13.

AUtor quidam Philo Alexandrinus diligenter considerabat, cur omnes quasi virtutes fæmineo nomine & articulo exponantur. Dicimus enim, hæc fides, hæc spes, hæc charitas, fortitudo, prudentia, temperantia, justitia, &c. & mox subjungit causam, quasi insinuando, quod fæminæ plus inclinatæ videantur ad virtutes quàm viri: unde etiam Ecclesia sexum fæmineum devotum appellat. Atqui ego hic dicere possum, quod si fæmineo sexui virtutũ insignia attribuimus, inter omnes fæmineas excellat Sancta Catharina Senensis, cujus hodie Ordo Sancti Patris Dominici juxta suam directionem celebrat solemnitatem. Illa enim hæc est, cui quidam Doctor Parisiensis accommodat illa verba Salomonis, Proverbiorum 31. *Multæ filiæ congregaverũt divitias, tu supergressa es universas.* Id est, multæ sanctæ animæ, congregaverunt sibi thesauros virtutum, sed tu plures tibi conquisivisti. Multæ quidem erant sanctæ Matronæ, virgines & viduę, quędam eleemosynis, orationibus, jejuniis, quędam castitate, quędam martyrio claruerunt: sed liceat mihi dicere, nullam magis quam Sanctam Catharinam, meritis & spiritualium donorum ornamentis excellere. Quod probo tali argumento: Nullam Sanctarum filius Dei Christus, ita familiariter coluit, quàm Sanctam Catharinam, cum nulla ita frequenter conversabatur. Consequens ergo est, illam etiam majoribus meritis & virtutibus dotatam fuisse, quod vobis in hac concione, quam in laudem Sanctę virginis comparo, simul etiam demonstrare conabor.

Philo Alex.

Prov. 31.

I. Posset mihi aliquis hodie objicere, quandoquidem virtutes Sanctę Catharinę Senensis, ejusdemque dona & privilegia singularia prędicare destinasti: Cur ergo illam minimo grano comparasti, dicens: *Simile est regnum cælorum grano sinapis.* Sed audite, quidnam Christus de eodem sinapi dicat: *Minimum quidem est omnibus seminibus, cũ autẽ creverit majus est omnibus oleribus.* Ex quibus verbis Christi Domini docemur: Quodille qui vult in virtutibus proficere, & ad excelsum perfectionis gradũ ascendere, debet lento passu procedere in ipsis. Nota est omnibus nobis illa scala, quam Deus Jacob Patriarchæ in somnis ostẽderat. Vidit ille scalam, Angelos quoq; descendentes & ascendentes. Tot sunt mysteria in illla scala, quòd sancti Doctores ea comprehendere minimè valeant: habet enim sensus diversos, & quasi absq; numero, unde miratur S. Basilius dicens: Deus ostendit illã scalã Sancto Jacob, tunc in tristitia posito, dũ declinaret à facie Esau sibi itati pro sua consolatione. Sed ad quid mandavit Angelis, ut descenderent & iterum ascenderent? scimus enim quod Angeli qui sunt velociores sagitta, scala pro ascẽsu nulla indiguerint; quia in puncto de terra ad cælum ascendere possunt, & tamen gressum humanum imitabantur: primò quippe de terra fecerunt unum gressum, seu ascensum ad unum gradum scalæ, & sic consequenter per ordinem graduum per scalam ascenderunt, usque quo ad cælum pervenerint. Respondet igitur S. Doctor dicens: *Vt eos admoneret, qui ad virtutem instruuntur, primùm, ut primis admoveant gradibus vestigium, & indepaulatim ascendendo progrediantur.* Fecerunt planè Angeli, sicut parentes faciunt, qui dum puerulum ambulare docent, paulatim cum illo incedunt, & juxta proportionem virium, ad fortiorem gressum animare solent.

Gen. 28.

S. Basil. Hom. 1. in Psalm.

II. Antiquus Doctor Ecclesiæ S. Rupertus Abbas, ingeniosè ponderavit modũ quẽ Deus in creatione rerum observavit, nempe quod omnia ex nihilo, & solo verbo fecerit, juxta textũ Sacræ Scripturæ, nec non S. David dicẽtis. *Dixit & facta sunt.* At quãdo voluit creare hominẽ, deliberavit prius & consiliũ iniit dicẽs: *Faciamus hominẽ ad imaginẽ & similitudinẽ nostrã.* Accepit igitur lutũ, illudque primũ cõposuit, tũ deinde in formã redegit, deinde corpus plasmavit, & tandẽ infudit ei animã, hominẽq; vivũ fecit juxta illud: *Formavit igitur Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciẽ ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.* Cur Deus qui Angelos

Psalm. 3.

Gen. 1.

Gen. 1.

creavit

creavit tam celeriter, in creatione hominis, tam lente processit? cur etiam Deus non dixit, fiat homo: sicuti dixit, fiat lux [per quam Angeli intelliguntur] & facta est lux, & factus est homo? Audite egregiam solutionem quæstionis. *Quia non repente, sed operose agendum erat, consummatus fieret, ad creatoris sui imaginem & similitudinem: nempe ut homo pariter disceret, quod sicuti Deus processit lente in creatione hominis; ita & homo qui vult obtinere vitam spiritualem, non repente sed paulatim debet pergere ad virtutum perfectionem.* Quod & Christus docuit, quia ascendens cum discipulis ad montem, in octo illius beatitudinibus, gradatim eos instruebat dicens: Beati pauperes spiritu, beati mites, & tandem usque ad ultimam beatitudinem.

S. Rupert. Tuitien. in Gen.

Matth. 5.

III. Optimum ejusdem rei testimonium adducit Sanctus Paulus Apostolus: hic enim [uti habetur in Actibus Apostolorum] cum accepisset mandatũ à Rege Agrippa, & Festo Præside [coram quo à Judæis injuste & per calumniã accusatus erat] ut pro se loqueretur, suaque crimina sibi objecta dilueret, Divus Paulus ita sapienter pro se respondit, ut etiam Rex Agrippa dixerit: *In modico suades me Christianũ fieri.* Narravetat S. Paulus totam seriẽ conversionis suæ, ubi Rex vi sermonis ejus permotus, ingenuè fassus est, se proclivem redditum esse, ad amplectendam religionem Christianam. Cui respondit S. Apostolus: *Opto apud Deum & in modico, & in magno, non tantum te sed etiã omnes qui audiunt, hodie fieri tales qualis & ego sum, exceptis vinculis meis.* Miratur hic Sanctus Joannes Chrysostomus, Sanctũ Paulum tam audacter & diserte, gloriatum fuisse de statu suo, de Christo Domino, quẽ adorabat, de fide quam colebat, & de omnibus his quæ pro amore suo patiebatur. Sed cur excepit sua vincula? Optavit enim Agrippæ Regi, ut ipse & alii fierent Christiani, sicut ipse, præter vincula quæ portabat: fortè ergo aliquem concepit timorem ex vinculis, vel pudorem. Minime vero, sed egregiè respõdet S. Doctor: *Si vincula audierit, tribulationis studium refugiet, cũ vinculorum virtutẽ non novit.* Nolebat ergo coram Rege Agrippa, S. Paulus laudare vincula, tanquã rem arduam, sed pedetentim procedebat, ne si laudaret catenam, magis Regem deterreret à fide, quam ad eam alliceret. Qui vult pervenire ad metam, sed valde remotam, stolidus esset, si à principio nimis curreret, quia se defatigaret, eoq; citius deficeret: necessum igitur est ut lento passu gradiatur: sic enim ad metam suam, ad quam tendit, facilius perveniet: eodem modo procedendum est in viâ virtutis, si ad metam perfectionis quivis pervenire velit.

Act. 26.

S. Chrysost. Hom. 16.

IV. Sancta Catharina Senensis, ea omnia quæ protuli, exemplo suæ vitæ demonstravit. Est quidem verũ, quod vita illius talis fuerit, quam plus admirari oporteat, quàm verbis comprehendere possimus: pauci enim erant Sancti, quos tantis Deus dignaretur donis, sicuti dignatus fuit S. Catharinam, uti brevi audiemus: nihilominus ad talem perfectionem sanctitatis, nõ subito, sed paulatim, nempe per spatium triginta trium annorum pervenit, in quo Christum Jesum imitari videbatur: nam & ille, licet ab initio nativitatis suæ, in omnibus donis cœlestib9 perfectissimè excelluerit, tamen non se statim intromisit, ad exercendũ opus salutis humanæ, non statim ad prædicationem Evangelii, ad patranda miracula, sed id primo incepit, trigesimo anno ætatis suæ. Sic etiam Sancta Catharina, licet de ætate juvenili suâ, in qua demonstrabat mirabilem vitæ suæ sanctitatem, illud merito dici posset, *Multæ filiæ cõgregaverunt divitias, tu supergressa es universas:* nihilominus vestigia Christi Domini imitanda, adeo sibi proposuerat, ut in illo ætatis suæ triginta trium annorum spatio, nec unicam horam, ne dicam diem aut mensem, haberet, in qua non procederet de virtute ad virtutẽ, donec tandem ad dignitatem suæ perfectionis perveniret. Ab ineunte ætate, cæpit crescere granum illud sinapis, sed dum excrevit, tandem effectum est arbor tam excelsa & sublimis, ut ramos suos, per universum orbem Christianum extenderit. Incepit primo crescere per jejunium, in solo pane & herbis victitans, postmodũ subtraxit sibi panem, & solis herbis victitavit, & tandem successu temporis, omnem sibi detraxit cibũ, & plus quam octo annis, solæ species materiales sanctissimi Sacramenti, erant illius alimentũ. Quid autem mirum, cum dicat Sanctus Spiritus, *Pinguis est panis Christi & præbebit delicias Regibus.* Legistis vel audistis, tres illos Hebræos juvenes, pinguiores evasisse ex oleribus, quam cæteri Chaldæorum Regis pueri, qui carnibus & vino fruebantur: multo facilius id Sancta Catharina obtinuit, cujus anima pinguedine panis Christi satiata, corpus sine omni cibo materali vegetum efficiebat. Quod concernit somnum, dum adhuc fuisset

Proverb. 31.

Gen. 49.

Daniel. 1.

tyruncula, magnam noctis partem insomnem ducebat, soli orationi vacans; verum crescente ætate, omnem sibi interdixit somnum, excepto illo tẽpore, quo Religiosi matutinas laudes Deo persolvebant: tunc veniam quiescendi à Deo petebat dicens: usquequo Domine oravi pro illis, nunc ergo salva tua venia paululum quiescam, ut perseverare valeam. Tandem eo devenit, ut solũ alternis diebus, sola media hora quiesceret. Tenella adhuc cingebat corpusculum suum cordula nodosa; paulo post, eam in catenam ferream commutavit, & postremo tandem, etiam quotidie ter cædebat corpus suum usque ad sanguinem; ut pro sanguine Christi suum redderet, & in hoc patrem suum S. Dominicum imitaretur. In principio solis parentibus, & Confessario suo loquebatur; decursu vero temporis, soli Confessario, quem uti patrem spiritualem in spiritualibus consulebat; & tandem eo pervenit, quod cũ nullo loqueretur, nisi tunc, quando ei confitendum erat. In his exercitiis, excrevit istud granum sinapi, & factum est arbor altissima, de qua merito illud dici potest: *Statura tua assimilata est palmæ.* Palma id habet singulare, quod licet habeat radicem in terra, sicut cæteræ arbores, tamen fructum habet in sublimi. Talis est justus homo: solet enim sursum spectare, & in sublimibus versari; & licet habeat pedes fixos in terris, cogitatione tamen in cælis conversatur, & illuc dirigit omnem fructum vitæ suæ.

Cant. 7.

Philo Hebr.

V. Hugo Cardinalis explicans illum textum in Genesi. *Producant aquæ reptile & volatile.* Supra ea verba talem facit discursum. Quod inquam Dominus Deus ex una materia, nempè ex aquis eisdem, produxerit pisces & aves; quarum creationem si consideremus, tunc valde diversa invenietur. Pisces enim in aquis remanserunt; aves autem statim à creatione suâ, deseruerunt elementum suum, & avolarunt in aërem, semperque ibidem commorantur. Dicit igitur iste autor. Quod pisces & aves formatę ex aquis, designent homines, qui omnes ex eadem materia sunt creati; magna tamen inter eos versatur differentia: aliqui enim inhærent terræ, de qua originem traxerunt: aliqui autem corde evolarunt ad superna; quorum conversatio est in cælis. Elevata avis fuit Catharina: nam conversatio ejus tam familiaris erat cum Christo, tamque desiderio ferventi quotidie elevabatur in cælum, ut ejus vita continua esset, teste Divo Paulo, conversatio in cælis. Ne autem corpus grave, spiritum impediret, fecit ei Christus eam gratiam, quam promiserat Joannis 12. cap. dicens: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Id fecit Catharinæ, jam in cælo existens: hic enim cęlestis magnes, tanta vi & virtute attraxit ad se Catharinam, ut toto triduo in extasim elevata, molem corporis sui non sentiret: tota enim evacuata fuit per crucem Christi, cujus etiam cicatricibus exornata fuit. De Elia Propheta scribitur, quod propter jejunium quadraginta dierum, Deus ipsum in spelunca inviserit: de quare sic Tertullianus ait: *Tanta est jejunii prærogativa, ut Deum præstet homini contubernalem.* Sed id quid aliud fuit, nisi figura quædam eorum, quorum Deus in Catharina factus erat. Eliæ miserat semel per Angelum panem subcinericium; Catharinæ autem per manus Angelicos toties misit panem cælestem, in cujus fortitudine jejunium transegit in quadraginta diebus, quin imo tot annis fuit sine victu, sola communione Eucharistię satiata. Deus familiariter agebat & loquebatur cum Elia; sed familiarius cum Catharina; quia eam sibi prosponsa subornavit, & invicem Divinum officium recitando, cum ad finem Psalmi deventum esset, nempe Gloria patri; illa loco illius verbi, & filio, inclinata sic orabat: Gloria Patri & Tibi, & Spiritui Sancto. Hæc sunt quædam Sanctæ Catharinę privilegia: plura alia, nempe quod plurimos infirmos curaverit, Dęmones ex obsessis ejecerit, odia & inimicitias in Principes multoties sustulerit, tot legationibus functa, pacem Ecclesię fecerit, dono Prophetię claruerit, longũ esset enarrare. Videtis ergo qualiter hoc granum sinapis, in arborem tam altam creverit, nempe gradatim, de virtute procedendo, ad virtutem. Studeamus ergo, quantum virium in nobis est, gressus Sanctę Catharinę, passibus cordis nostri imitari, ut possimus ire de virtute in virtutem: per quas hic gratiam consecuti à Christo Jesu, ipsum deinde in cęlis videre possimus.

Genes. 1.

Hugo Card. in Genes.

Ad Philip. 3.

Ioan. 12.

Tertullian.

AMEN.

IN FESTO S. CATHARI-næ Senensis,

ONCIO II

Quæsivi Sponsam mihi eam assumere. Sap. 8.

QUandoquidem communi Proverbio dicitur, *omne carum, rarum*; non etiam seipsum unicuiq; passim obtrudit, uti res viles quæ foras ejiciuntur; sed potius id requirit, quatenus à sagacibus oculis inquirarur, donec inveniri possit. Unde non miror illum negotiatorem Evangelicum, qui cupiens habere bonas margaritas, prius diligenter eas quæsivit, inventa autem una pretiosa, omnia sua vendidit ut eam compararet: non etiam miror illum sponsum, qui sponsam habere volens, eam summa cum diligentia inquirebat, uti ipsemet insinuato primũ amore suo, quo illam ob venustatem formæ aliaq; charismata prosequebatur, studium quoq; suum quo illã inquirebat, inculcat dicens: *Hanc amavi, & exquisivi eam, à juvẽtute mea, & quæsivi sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius*: qua talis sponsa, est summi pretii; juxta illud: *Procul & de ultimis finibus pretium ejus.* Quamvis autem hic per talem sponsam, intelligatur sublimis illa sapientia; nihilominus, cum etiam cælestis sponsus, sit æterna sapientia, non mirum, quod sibi conformem sponsa quæsierit; qualis illa esse posset, de qua habetur Judith 11. *Non est talis mulier, super terram, in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum.* Sed quænam illa? Sancta virgo Catharina Senensis, quæ cum ob dotes suas mirabiles, nulliq; virginum comparabiles, cælesti sponso placuisset: erat enim una ex illis, de quibus dicitur: *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas*: hinc amore illius captus, eam sibi desponsare dignatus est, dicens: *Quæsivi sponsã mihi eam assumere* Unde de hac desponsatione aliquid in hodierna cõcione audiemus,

Matth. 23.

Sap. 8. vers. 2.

Iud. 11. vers. 19.

Prov. 31.

I. Primus naturæ humanæ sponsus, ac ardentissimus animarum nostrarum amator Christus Jesus, qua ratione desponsavit sibi Ecclesiam sanctam, eadem quoque Divam virginem Catharinam Senensem: uti legimus 4. Judicum. Sisara Dux militiæ Regis Jabin, salvari cupiens à persecutione populi Israẽlis, qui ipsum unà cum Duce exercitus insequebatur, ad tabernaculum Jahel declinavit: quem suscipiens, cum sitibundum lacte refocillasset, & quiescere volentem operuisset, assumpsit postmodum clavum pariter & malleum, & ingressa cum silentio, posuit clavum supra caput dormientis, percussumq; malleo defixit in cerebrum, ac sic sopori mortem sociavit. Quid interea domestici ejus dicebant? Pulchre Vates Debora illorum meditationes ridet dicens: *Per fenestram respiciens ululabat mater ejus, & de cænaculo loquebatur: Cur moratur regredi currus ejus? Quare tardaverunt pedes quadrigarũ illi9? una sapiẽtior cæteris uxoribꝰ ejus; hæc socrui verba respõdit: Forsitã nũc dividit spolia, & pulcherrima fœminarũ eligitur ei.* Quæ circa Ducem Sisaram fœminæ illæ inaniter meditabantur, & inter se invicẽ conferebant, hæc vere implentur in Christo Jesu Duce nostro, in tabernaculo illo crucis non uno, sed multis clavis transfixo. Plane Dux noster fortissimus jacebat in cruce defunctus, transfossi lancea lateris, ostium patulum præferens: interea per hanc lateris apertam fenestram respiciens, ô quam ululabat mater ejus! Quæ halabat suspiria? Quos gemitus? Jam dolorum finem exoptans, redivivum Jesum sperans, anxia dicebat? Cur moratur regredi currus ejus? Quare retardaverunt pedes quadrigarum illius? Cur tam longa datur

Iud. 4.

Iud. 9. v. 28.

nocendi licentia? Sed matrem anxiam, sapientia plena vox perdocebat, inquiens: *Nunc dividit spolia, & pulcherrima faminarum eligitur ei.* O mater doloribus plena, ne amplius contristeris, respice per fenestram sui lateris aperti filii tui facinora, & videbis quod dividat spolia, & pulcherrimam fæminarum sibi insponsam exquirat. Testatur id Rupertus dicens: *De patefacto Christi latere sanguis & aqua sacramentum productum est, & exinde statim Ecclesia reformata. Nam statim universa priscorum electorum, quantacunq; ab origine mundi collecta fuerit apud inferos, redemptionem suam spectans, illo sanguine, & illa aqua emũdata, atq; huic viro copulata est.* Rupertus lib. 2. cap. 19. de op. Spir. S. Ecce Dux noster qui ad similitudinem Sisaræ clavis transfixus erat, in apertione lateris sui sponsa dividebat victor, & tenebrarum potestates spolians, sibi electorum Ecclesiam, sponsarum omnium pulcherrimam, sumpsit & desponsavit. O maxima victoris Christi gloria! Siste parumper quadrigarum triumphantium currus, morulam in morte age, dum spolia à tartaro eripit; sibiq; pulcherrimam fæminarũ, Ecclesiam inquam sanctam, pro sponsa deligit. Pulchre id depinxit suo calamo Divus Augustinus ajens: *In habitu jacentis & dormientis, is secundus Adam, inclinato capite in cruce dormivit; ut inde ei formaretur conjunx, quod de latere dormientis effluxit. O mors, unde mortui reviviscunt! Quid isto sanguine mundius? Quid vulnere isto salubrius?* S. Augustin. apud Bœzam lib. 4. c. 6.

II. Quemadmodum ergo Christus Dominus desponsivit sibi Ecclesiam sanctam, eadem ratione sanctam Catharinam, eligit sibi in sponsam. Cum enim verum sit quod vulgo dicitur:

Si cupias felix nubere, nube pari:

Christus Dominus ut conformem sibi redderet Catharinam, ante hoc connubium sive sponsalia, per quinque cicatrices sui corporis clavis & lancea perforati reddidit sibi similem Cum enim in urbe Pisana moraretur, die Dominico post perceptionem Sacratissimæ Eucharistiæ rapta in extasim vidit Christum Dominum crucifixum magno cum lumine advenientem, & ex ejus vulnerum cicatricibus, quinq; radios ad quinq; loca sui corporis descendentes. Quod mysterium illa advertens, Dominum precata, ne cicatrices apparerent, continuò radii colorem sanguineum mutaverunt, in splendidum, & in forma puræ lucis pervenerunt ad manus & pedes & cor ejus. Ut autem eo perfectior sponsa Jesu crucifixi redderetur, non tantum cicatricum suarum, sed etiam doloris quem in cruce pati dignatus est, mirabiliter sane participem fecit: dum enim hi stigmatum Christi radii ad se pervenirent eamq; in prætactis corporis sui locis contingerent, tantum dolorem sensibiliter patiebatur, ut nisi eum Deus minuisset, brevi se crederet morituram. Sed ô Domine quæ nam tibi inde recreatio, quod famulam tuam Catharinam [illabendo suo corpori hasce splendidas cicatrices] tantum dolorem pati permiseris? Etiam de Sancto & Seraphico Patre Francisco legitur, quod ejus manibus & pedibus, nec non lateri vestigia clavorum impressetis. Hæc insignia tui in eum amoris summa certè admiratione digna sunt, id tamen non legitur, utrum tunc has dolorum angustias quas sancta virgo habuit, passus fuerit. Sed quid mirum? S. Bonaventura.

III. Legimus de S. Isaac Patriarcha, quod dum venisset cum uxore sua in Geraris, & interrogatus à viris loci illius super ipsa, responderet esse suam sororem, quia timebat, ne si uxorem suam esse diceret, ab illis interficeretur: tunc Abimelech Rex Palæstinorũ prospiciens semel per fenestram vidensq; jocantem cum illa, vocato ad se ait: *Perspicuum est quod uxor tua sit.* Venerabilis Hugo Cardinalis per Isaac hic intelligit Christum Dominum per Rebeccam Ecclesiam, quæ dicitur sponsa propter nimiam charitatem, & soror propter naturæ conformitatem, per jocum verò in quo exprimitur conjugalis affectus, ludibria crucis, cujus lusus figura fuit David dicens: *Ludam & vilior fiam*: in Christo verò Jesu tunc adimpleta fuit, quando in cruce denudatus illusus fuit à Judæis. Et quia de eodem dicitur in Proverbiis Salomonis. *Delectabar per singulos dies coram eo, omni tempore ludens, & delitiæ meæ esse cum filiis hominum.* Quemadmodum antiquitus luserat in figuris nempe in morte Abel, in oblatione Isaac, in persecutione Jacob, in captivitate Joseph, in nova autem lege in Ecclesia sponsa sua, cum Gen. 26. Hugo Card. hic. 2. Reg. 6. v. 22. Prov. 8. v. 30.

qua

qua tunc habet lusum suum dum illam provocat ad bajulationem crucis suæ, hunc jam lusum perfectius in Sancta Catharina demonstravit, dum ei non solum impressit cicatricum suarum insignia, sed etiam gratiam, nova quoque alia cumulavit, ut sentiret dolorem illa ipsa vulnerum, cruenta tamen signa, minimè apparerent.

IV. Non minus & illud signum præcipuæ inter sponsum & sponsam charitatis evidens est, dum non semel vel bis sed sæpissimè familiariter conservantur. Vultis scire quàm sæpe & verè Christus Dominus cum Diva virgine Catharina conversatus fuerit? Audite primum canticum laudis à Moyse ductore Israëlis compositum. Inter cætera id ait: *Iste Deus meus & glorificabo eum.* Quidam Hebræorum Rabini dicunt, hęc verba ideo à Moyse prolata fuisse, quod ipsis patenter Deus se exhibuerit videndum, & ipsum Moyses digito demonstrare potuerit, unde ait: *Iste Deus meus.* At Lyranus aliter sentit, nempe non esse recurrendum ad rem in certam, ut intelligamus Moysen habuisse Deum tam præsentē, quod potuerit eum indigitare: verba sunt Autoris quæ sequuntur, *Hoc enim quod videbant factum divinæ virtuti possibile, intelligebant Dei præsentiam adesse.* Quidquid sit de rei veritate, id saltem clarum est, neq; Moysen, neque populum tunc visibiliter conspexisse Deum, quia beneficium adeo magnum, & privilegiū tam singulare, soli aureæ ætari, legis gratiæ, erat reservatum. In qua Deus incarnatus, non semel, sed sæpius erat ad terram descensurus, & communicaturus suam præsentiam nedum apparentem sed realem, dilectissimæ inquam suæ sponsæ Catharinæ Senensi, quam sibi, assistente Sanctissima Dei para Maria, & utriusq; manus tanquam materiâ conjungente, dato in digitum annulo pretioso desponsavit, & cum ipsa à modo tam familiariter se habuit, ut cum Christo Sponso suo Psalmos alternatim recitaret.

Exod 15. v. 2.

Lyranus hic.

V. Hæc Sanctæ Catharinæ desponsatio oportuno planè tempore contigerat, cum enim in Ecclesia Christi Domini tot essent schismata, maximusque jam tepor charitatis, corda hominum occupasset, supremus æternitatis Princeps, non secus, atque olim Rex David, quæsivit talem virginem, quæ se in membris Ecclesiæ suæ calefaceret. Legimus de David sene, & jam frigido, quod instructu suorum aulicorum, præceperit sibi quæri, puellam speciosam, quæ ipsum calefaceret: ait ergo textus. *Quæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel.* Hic movet dubium Abulensis. Cum quævis puella seu filia populi Israëlis, potuerit esse sponsa Regis jam decrepiti ad id ut ipsum calefaceret, cur servi illius totum Regnum perlustrarunt, & ubique scrutantes formosissimam virginem quæsiverunt, quæ eum calefaceret? Numquid, paucæ erant speciosæ virgines ad hoc opus Jerosolymis, aut in vicinioribus civitatibus? Respondet ergo Abulensis dicens: *Ad hoc ut calefaceret Regem, sufficiebat utcunq; haberi virginem. At causa erat, quia ista puella debebat esse uxor Regis, oportebat autem Regis uxorem, cæteris pulchritudine excellere.* Ad rem ergo Si David ad se calefaciendum pulcherrimam virginem habere voluit, non minus Christus Dominus ad calefaciendum corpus Ecclesiæ suæ, sibi desponsavit in terris Catharinam, quæ jam in cælis, nuptiis perfruitur sempiternis. Amen.

3. Reg. 1. v. 3.

Abulens. hic.

IN FESTO S. CATHARINÆ Senensis,

CONCIO III.

Vivo jam non ego, vivit verò in me Christus. Ad Galat. 2. v. 20.

LEgimus 3. Reg. c. 19. Quod cum Elias Propheta fugiens iram, & minas Jezabel Reginæ, perrexisset in desertum, iterq; unius dieiconfeciffet, & sic labore itineris defatigatus, sedisset subter unam juniperum, & petiisset animæ suæ ut moreretur: venisse ad ipsum Angelum Domini, eiq; subcineritium panem, & vas aquæ sub ministrasse, & monuisse ut comederet & biberet, qui cum finito suo prandio obdormisset, rursus ab Angelo excitatum, suo jussu comedisse & bibisse. Cum ergo bina vice confortatus fuisset ait sacer textus: *Ambulavit, in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, usq; ad montem Dei Oreb.* Quis hic non miretur Prophetam, nempe in fortitudine cibi illius, tot diebus ambulasse, & infra illud tempus peregrinationis suæ, nihil amplius degustando, subsistere potuisse? Majori admiratione digna est Sancta Catharina Senensis, de hac enim scribitur, quod interdum â die cinerum, usque ad Ascensionem Domini, quod tempus octuaginta quinque dies complectitur, sola Eucharistiæ communione contenta sine cibo permâsisset, & octo annos solis speciebus sacramentalibus, absque omni alio cibo corporali transegisset. Sed si unam rem expendere voluerimus, ipsa quoque cessabit admiratio. Dignum quippe est notatu: Cur Elias, quando primum cibum sumpserat, non ambulaverit, sed primò post secundum, nonne idem cibus erat, & ad eodem Angelo oblatus, & ejusdem virtutis, sicut alter? Sed respondet Rabanus dicens: *Elias bis pastus, exprimit nostræ naturæ infirmitatem, quibus non sufficit simplex pastus, quatenus ad superna valeamus ascendere.* Si Eliam bina comestio panis in tantum confortavit, ut quadraginta diebus absque omni alio cibo ambulare posset, quis miretur Beatam Catharinam Senensem, non tot diebus sed tot annis absq; cibo durare potuisse, cum non bis sed pene quotidie pane cæli pasceretur? Merito sanè inservit ipsi illud dictum Sancti Pauli Apostoli. *Vivo jam non ego, vivit vero in me Christus.* Solus enim Jésus Divæ Catharinæ sufficiebat, & ob id cibum corporalem contemnendo, viatoris vitam agens, speciali beatorum privilegio donata fuit. Quod vobis in hac concione demonstrabo.

3. Reg. 19. v. 8.

Rabanus.

I. Inter cæteros gradus octo beatitudinũ, quas Christus suis Discipulis in monte proposuerat, hanc etiam unam in eleganti forma posuit dicens: Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Cum n, Christus nostra sit justitia juxta illud Divi Pauli ad Corinthios, *Factus est nobis sapientia & justitia, hinc sequitur hos esurire non posse, qui Christum habent pro pabulo, quia unicus ille est, qui sufficit homini, cætera non sufficiunt.* Sanctus Abraam Patriarcha, cum beneficam Dei manum in se inclinare cuperet, eò pietatis devenit, ut ad mandatum Domini, non renueret Deo litare filium suum Isaac. Et unde huic viro tanta celeritas? nulli sanè ad arduum aliquod subeundum promptitudo, nisi hinc maximum aliquod bonũ se consecuturum speraret: sed quid Abraam cupiebat, quẽ ẽ sacrificio sui filii profectum spetabat? Notate secundam promissionem Dei huic Patriarchæ factam. Uti scribitur Genesis 15. cap. Promiserat illi Dominus dare terram optimã in qua semen suum habitaret; ille hac in re certior fieri volens, ait: *Domine Deus unde scire possum, quod possessurus sum eam?* Dominus jubet Abraamum, sumere vaccam triennem

Matth. 5.

1. Cor. 1. v. 30.

Gen. 15. v. 8.

&

& capram trimam, arietem annotum trium, turturem quoque & columbam, eaque sibi offerri, quod dum fecisset, ait sacer textus. *In illa die pepigit Dominus fœdus cum Abraam dicens: Semini tuo dabo terram, à fluvio Ægypti usque ad fluvium magnum Euphratem.* Ab hac ergo vice sapientissimus ille senex consuetudinem divinam perspectam sibi habens, quod dumcunque juberet offerri sibi sacrificium, illud futurum esset pro signo magni alicujus boni consequendi, ea propter quâ priaudiverat sibi dici: *Tolle filium tuum quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum*; Sperans jam è tali sacrificio, majus aliquid se consecuturum, non inquam terram promissionis, non aurum, & opes hujus mundi, sed cælestes cupedias quibus saturari posset, id quantocyus exequi satagit: sed ecce dum extrahit gladium, jamque pene jugulat filium, audit divinam vocem clamantem. *Ne extendas manum super puerum.* Quis modus loquendi ô Domine? antea vocasti filium, antequam litaretur, & dum jam offertur, jamque jugulari debet, appellas puerum? Notate inprimis morem sacri textus antiquitestamenti, ubi puer idem est quod servus, uti patet in multis locis, & audite responsum S. Chrysostomi dicentis. *Quare non dixit filium sed puerum? Opus erat non puero, vel servo, sed filio.* Hic Sanctus Doctor: per servum, aut puerum qualis erat Isaac, intelliguntur bona temporalia, & quia hæc hominem satiare nequeunt; sed sola cælestia quæ à Christo Jesu vero Dei filio emanant, hinc est quod in illa immolatione Isaac, jam non filium sed puerum vocaverit, ut sciret Abraam & omis homo, quod nemo alius esuriem spiritualem explere posset, præter quam solus æterni patris filius.

Gen. 22. Vers. 2.

Vers. 1, 2.

S. Chrysost. Homil. de Iob & Abraam.

II. Probe id exploravit Sanctus Paulus Apostolus dum diceret *Vivo ego, jam non ego; vivit vero in me Christus.* Quomodo verum esse potest, quod Paulus vivat & non vivat? Sed Pulchre respondet S. Nazianzenus dicens. *Illud de se non tanquam penitus mortuo dicit sed quod meliorem; quam plures alii vitam vivat: ac vitam adeptus sit permanentem, & quæ nulla morte posset finiri.* Equidem præclare ex tunc vivit, ex quo ipse non vivit, sed Christus vivit in illo, nam per Christum est vita vera quæ nunquam deficit, nunquam

Nazianz. Orat. de Stat. Episc.

languescit, nec aliqua esurie debilitatur. Cum Paulus per se ipsum vivebat, antequam Christum cognovisset, quot & quantis rebus indigebat? Semper erat indigus, & creaturarum saturari micis cupiebat: at ubi cognovit veram vitam in Christo permanentem, jam non ipse vivebat, sed Christus in illo, jam nullum defectum timebat, & quam primum servilia mundi bona fastidivit, omnibus superabundabat in Domino. Eodem modo & Sancta Catharina Senensis, quandoquidem vitam suam, in Christo & à Christo habebat, mundialem autem quæ potius mors est, prorsus contemnebat, merito inquam dicere poterat. *Vivo ego jam non ego, vivit vero in me Christus.* Ut non mirum sit quod nullam ciborum esuriem senserit cui solus Christus sufficiebat.

III. Legimus Genesis 2. cap. Dominum Deum Adamo Parenti nostro præcepisse ut comederet: *Ex omni ligno Paradisi comede.* Quænam fuit hæc Dei jussio, cum ipsa naturæ necessitas sine ullis regulis & præceptis comestionem doceat, & ad ipsam invitet? Supervacaneum igitur fuit præceptum illud, cum unicuique ad vivendum, comestio cibi sit necessaria, prius vero parens noster bene sciverit, ligna illa Paradisi producta fuisse ad vescendum. Scimus quidem in eodem loco sacri textus Dominum Deum prohibuisse illi esum ligni vetiti, dicens. *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas.* Sed esto quod id prohibuerit, et illa prohibitio sufficiens fuerit materia: ut homo creatori suo tanquam Domino debitum gratitudinis & obedientiæ rependat, quorsum igitur Deus non solum prohibet illi ne comedat, sed etiam præcipit ut manducet? Modernus quidam Commentator pulchrè hanc quæstionem diluit dicens. *Erat enim tam mira divina contemplationis, cui soli tunc vacabat, dulcedine delibutus, & quasi mente à sensibus, omniumque studio corporis in Deum avocatus, ut omnino necesse fuerit admoneri de comedendo.* Confessarius Sanctæ Catharinæ, animadvertens id quod tam longo tempore ab omni pene cibo abstineret, mandavit ei ut comederet, cui Sancta virgo obtemperare volens, ubi periculum fecit, num posset corpori cibum ingerere, solus aspectus illius tantam illi nauseam adferebat, ut vel minimus bolus quem ori admoveret tormentum sibi videretur, sed quid mirum, cum meliori

Gen. 2.

Bened. Fernan. hic.

cibo huic Christus est, exsaturata fuerit: nausij solent esse cibi bene satiatis, unde & Sanctæ Catharinæ Senensi cibi corporales nauseam pariebant, quia dulcedine Dei delibuta, nullas alias mundi dapes admittere patique potuit.

IV. Quamvis autem verum sit quod anima quæ vivit in Christo, & elevata est in Deum, omnium rerum hujus mundi obliviscatur, ait enim D. Augustinus *Amore animæ secedit, & excedit corporis sensibus, ut se se non sentiat, qui Deum sentit*, nihilominus in Sancta Catharina Senensi, hæc alienatio sensuum, & oblivio ciborum corporalium, non ex sola tantum contemplatione cælestium emanabat, sed præcipue ex digna & frequenti ejus communione, & sacræ synaxis refectione, ex qua tanta cælestium consolationum copia in cor ejus descendebat, ut stomachus non modo aliquo cibo nõ indigeret, sed etiam languorem eidē causaret: sumpta vero Eucharistia, nedum animam illius recreabat, sed etiam totum corpus vegetabat. Quid mirum? Cum S. Clemens Alexandrinus dicat. *Christus alimentum est, & per eum ad mamillas patris accedimus, quæ carorum oblivionem inducunt.* Dicite mihi rationem, cur Deus in veteri lege Moysi præceperit, ne mensa panum propositionis, illo cooperiretur velo, quod erat ante altare; juxta illud *Mensamque extra velum*? Petrus Abbas Cellensis, hoc Dei mandatum expendens, ingeniosum dat responsum dicens. *Nulla enim intra velum esca necessaria, quia nulla unquam indigentia, ubi una satietas, ubi gloria perennis incommutabilitas, semel intrasse, semelque gustasse, est semper satiatum manere.* Non egebat ergo Catharina cibo corporeo, quia in cælis conversans, & dotibus beatorum perfruens, nulla re alia opus habuit.

D. August. apud Fernand. in Genes. 2.

D. Clem. Alex. lib. 1. Pædag. c. 6.

Exod. 26. v. 35.

V. Non caret misterio, quod S. Matthæus Evangelista describens illud, quod discipuli quodam tempore navim cum Christo conscenderint, commeatus quoque ad navigandum necessarii sed per oblivionem prætériti nec accepti, singularem mentionem fecerit, dicens. *Cum venissent discipuli trans fretum, obliti sunt panes accipere.* Rabanus antiquus Pater operosius examinat hanc discipulorum negligentiam in hunc modum. Potuitne contingere, quod tanta esset incuria discipulorum, ut jam accincti itineri, oblivisc erentur panis ad peregrinandum necessarii? & quis enim disponit se ad iter absque viatico, & necessariis vitæ suæ corporalis? Filii Israel compellebantur ab Aegiptiis, ut cito exirent de terra sua, & tamen cum nullum quasi illis daretur tempus quo se disponerent ad iter; nihilominus, nequaquam obliti erant comeatus sui, juxta illud. *Tulit populus conspersam farinam antequam fermentaretur, & ligans in palliis posuit super humeros suos.* Discipuli autem *obliti sunt panes accipere.* Sed idem autor pulchre respondet dicens. *Vnus panis quem secum habebant in navi, Salvatorem designat, cujus amore quia semper intus reficiebantur in corde, minus de terreno pane curabant.* Felix ergo Sancta Catharina Senensis, quæ cælesti pane satiata in terris, respuebat terrenum, nunc autem hoc divino pane plenius oblectatur cum beatis in Regno cælorum.

Matth. 16. v. 5.

Exod. 12. v. 34.

Rabanus in Matt. 5.

AMEN.

IN FESTO S. CATHARInæ Senensis.

CONCIO IV.

Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto. Ad Galat. 6. v. 7.

VEtus est sponsorum consuetudo, quod suis sponsis monilia, ornatumque pretiosum pro posse suo offerre soleant, unde amorem suum erga illas contestentur. Sic fecerat servus Isaac Patriarchæ, qui nutu divino inventa Rebecca, & suo Domino desponsata, ejusdem nomine, obtulit sibi inaures aureas & armillas totidem: cælestis sponsus Christus Dominus, pretiosius monile obtulit sponsæ suæ, de quo habetur mentio Canticorum 1. cap. *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Quæ verba interpretes sacri textus expendentes, per has murenulas vermiculatas argento intelligunt juxta septuaginta interpretum translationem stigmata Christi Domini, sive murenulas vulnerum suorum cicatricibus excultas. Cui sensui insistens Philo Carpharius, asserit per hoc pretiosum monile, quod sponsus sponsæ suæ nimirum Ecclesiæ promisit ad decorem & ornatum ejus, debere intelligi Sanctos Martyres, qui sunt singulare decus & ornamentum Ecclesiæ, quibus illa maximè exornatur, imò ad majorem ejusdem sententiæ intellectum, addit verba hæc sequentia. *Qui aurei dicuntur, propter sapientiæ, & vitæ probitatem, & sunt cum notis, atq; stigmatibus argenteis, per quæ designantur erumnæ, atq; tormenta.* Prosequens idem Autor discursum suum confirmat eundem, præclaro illo Sancti Pauli Apostoli testimonio, dicentis: *Ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Quamvis hæc expositio Sanctæ Ecclesiæ ejusque sacris Martyribus benè conveniat, nihilominus mea sententia, nō incongruè possunt accommodari, amantissimæ Christi sponsæ, Catharinæ inquam Senensi, cui Dominus Jesus in tesseram synceri amoris sui, quo erga eam ferebatur, dignatus est conferre hasce murenulas aureas, vermiculatas argento, nempe cicatrices suorum vulnerum, ut conformitas exterior insignium, evidens foret testimonium interioris unionis animorū, quod in hodierna concione amplius vobis ostendetur.

Gen. 24.

Cant. 4. v. 10.

Septuag. Interp. hic.

Philo Carphat.

I. Per stigmata quæ Sanctus Paulus Apostolus ait se in corpore suo portasse, communiter Doctores & Patres Sanctæ Ecclesiæ intelligunt persecutiones, tribulationes & varias calamitates pro Christo toleratas, quas Sanctus Apostolus epistola 2. ad Corinthios enumerat nempe fuisse illum. *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.* Si patientia in adversis pro Christo suscepta vices gerit & vim habet stigmatum Christi Jesu, uti docet Venerabilis Hugo Cardinalis, Sancta Catharina Senensis eò ampliorum laudum suarū campum merebitur; jam enim tunc duplicia ipsam stigmata à Christo Jesu accepisse fateri debebimus. Prima quidem, assiduas infirmitates, jejunia quotidiana, frequentissimam luctam cū Dæmonib9 habitā, austeritatem vitę incredibilem, cæteraq; vitæ hujus incommoda, quæ enumerare longū esset. Alia verò stigmata vera, nec sine dolore maximo impressa sibi á Domino; quæ licet ut occultè lateret in suo corpore, nec cuiq; essent conspicua, id à Christo petierit, & obtinuerit, id tamen quod profundissimæ humilitatis gratia fecerat, non caret quoq; mysterio. Ea enim est invicē se amantium cōsuetudo, ut si un9 alteri, in pignus singularis amoris aliquid offerat, id benè ab illo custoditū nec ulli alii commune esse velit. Diligebat Jacob omnes filios suos sed Joseph juniorē impensius. Quid igitur? Cum Joseph ægrotantem inviseret, ille sciens se morti proximum, antequam cæteros filios suos convocaret, eisque benediceret, ait ad Joseph: Do-

2. Cor. 11. v. 26.

Hugo Card. Ep. ad Gal. 6.

Gen. 48. v. 22.

Do tibi partem unam extra fratres tuos, quã tulide manu Amorrhei in gladio & arcu meo. Aliud exemplũ amoris quo ferebatur Princeps Jonathas in Davidem adnotatum est in libro primo Regum verbis talibus. *Inierant David & Ionathas fœdus; diligebat enim eum quasi animam suam. Nam expoliavit se Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam David & reliqua vestimenta sua usq; ad gladium, & arcum suum & usq; ad baltheum.* Quemadmodum ergo Joseph donum Patris sui Jacob, nec non David Jonathæ amantissimi sui plurimi faciebant, eodem modo & Sancta Catharina Senensis, stigmata dilecti Sponsi sui Christi Jesu quæ in cruce ruletat multi faciens, & pro summo thesauro reputans, ne communis esset, aliorumque oculis patefieret, idcirco postulavit à Domino quatenus absconderetur in agro, & ne in membris sui corporis visibiliter appareret ab eodem impetravit.

1. Reg. 18. v. 3.

Matth. 13.

II. Aliud mysterium quod in absconsis Sanctæ Catharina cicatricibus reperio, illud est. Inprimis corpus Sanctæ Virginis, animæ adunatum, firmamento cæli assimilare possum, idque ob hanc rationem, quia per firmamentum superiores aquas continens, Hugo Cardinalis intelligit animam rationalem, per aquas verò superiores sancta desideria, & mundas cogitationes, juxta illud. *Benedicite aquæ omnes, quæ super cælos sunt Dominum.* Et quia cor Sanctæ Catharinæ plenum fuit Sanctis desideriis, & cogitationibus cælestibus, hinc tali firmamento merito comparari potest. Sicuti autem opifex universi Deus tale firmamentum cæli stellis: ita quoque Christus Jesus, Corpus Sanctæ Catharinæ Senensis, cicatricibus suis splendorem lumenque habentibus exornavit. De stellis id ait sacer textus: *Posuit eas in firmamento cæli ut lucerent super terrã.* Per quas stellas, quamvis Sancti intelligantur, qui fulgebunt ante thronum Dei: *quasi stellæ in perpetuas æternitates*: in quorum etiam numero Sancta Catharina Senensis miro splendore coruscat: à communibus tamen stellis ad illas priores redeundo: illud dico, quod ipsamet docet experientia, nempe stellas non nisi noctu videri posse, de die verò non: quia veniente sole ab oriente, suosque radios per universum orbem dispergente, ita suo splendore vestiuntur & palliantur, ut de die minimè appareant. Tale firmamentum fuit Sancta Catharina Senensis, quod Christus Jesus suis stigmatibus splendidis, tanquam stellis exornavit. Quia verò ille vocatur ab Ecclesia sancta sol justitiæ juxta illam Prophetiam Malachiæ Prophetæ dicentis: *Orietur vobis timentibus nomen meum; Sol justitiæ.* Ad cujus solis lumen omnes stellæ obtenebrescunt, ideo prævidens Sãcta Catharina majus se bonum adepturam ex frequenti divini hujo solis præsentia, maluit suas stellas, illas inquam cicatrices sub lumine suo occultari, quam conspicuas cæteris patefacere, & solis hujus pati absentiam, sine quo nec unica hora vivere poterat in hoc mundo. Nec etiam à suo desiderio defraudata fuit, tam enim familiarem sibi Christum Jesum habuit, tamq; ferventem illius amorem in se experta fuit, ut digna fuisset reddita, quæ cor ipsum Christi Domini, loco sui accepisset.

Hugo Card. in Gen.

Daniel. 3. v. 10.

Gen. 1. v. 18.

Daniel. 12. v. 3.

Malach. 4 v. 2.

III. Contigit quadam die ipsam in altissima contemplatione constitutam orasse Dominum Jesum & sponsum suũ, ut auferret ab ipsa cor proprium, & omnem propriam voluntatem. Tunc quid fit? Videbatur oranti adse venire Christus, latus ejus sinistrum aperire, suum cor auferre, & cum ablato recedere, ita ut sancta virgo miraculosè superviveret, seq; suo corde destituta esse ita omnino sentiret. Post paucos dies dum in Sacello quodam Ecclesiæ Dominicanorum Senensium meditationibus divinis elevata & in ecstasin rapta tandem adse rediens, illuc reverti vellet unde venerat, ecce cum multa luce appatuit ei Dominus, ferens in manu cor quoddam rubicundum & illustre propiusque accedens, illud sinistro lateri virginis imposuit hæc suavissima adjiciens verba. En filia mea charissima, paucis ab hinc diebus, abstuli cor tuum, sed jam pro corde tuo habes cor meum, ut semper in me vivas: clausitq; latus ejus, & ne putaretur inane phantasma, in eodem loco cicatrix permansit, quam sociæ ejus sæpius se vidisse testatæ sunt. Et quis unquã vidit tam fælicem permutationem, & tam fælix cambium, accipere cor divinum pro humano? His jam evidens est, Sanctam virginem Catharinam, illa verba Canticorum Salomonis dicere potuisse. *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium*

Cantic. 8. v. 6.

chium tuum. Cum enim ipsum cor dilecti Sponsi sui, Christi inquam Domini habuerit, quis dubitat supra animam Sanctæ Catharinę signatum fuisse lumen vultus Domini, in quo resultat imago Regis, suiq; brachii fortitudo.

Hugo Card. hic.

IV. Est una Politica inter amantes, quod sibi invicem corde offerant, & promittant, dum enim synceritatem amoris sui mutui comprobare volunt, tam liberales in politicis esse solent, ut etiam mori pro amico suo non dubitent, nihilominus multoties contingit verba cum effectu non convenire: quod patet in Principe Apostolorum Petro, qui multa promittebat Christo Domino dicens: *Animam meam pro te ponam*; nihilominus dum ad rem ventum fuit, Dominum suũ abnegavit. Plures huic Sancto similes est invenire, certũ enim est quod dum aliquis amore incẽditur, ei multa polliceatur quem amat, nempe proprium cor, & sanguinem, adhuc tamen hactenus nulla visa est sanguinis aut cordium commutatio. De Absolone refert sacer textus, quod ambitionis spiritu stimulatus, Regique suo David Regnum eripere cupiens, corda Israëlitarum sibi conciliare conatus fuerat. *Sollicitabat corda virorum Israel*: vel ut ait Oleaster. *Furabatur corda filiorum Israel.* Id est furtivè sive omnium animos & voluntates rapiebat. Cæterum ait idẽ Autor, ut usitatum esse his qui amorem sibi conciliare volunt, quod multa simulent se daturos, id tamẽ omni sublato effectu, ideò solùm faciunt, ut furentur corda aliorum, sibi verò sua retineant. At non talis Christus Iesus, ille etenim quamvis rapuerit cor Sanctæ Catharinæ Senensis, pro illo tamen suum dedit. Unde soli Christo & Catharinæ, hanc prærogativam amor reservavit, quod in illis permutatio cordium non simulata fuerit, sed reipsa vera.

Ioan. 13.

1. Reg. 15.

Oleaster in pentat. verb. jurare,

V. Sanctus Iob Patriarcha mirabatur olim dicens: *Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* Quasi diceret, quid est homo ô Domine quod tanti facias vilitatem ejus, aut quid cordi tuo, cum illo? Non miror talem concionem Iob: videbat enim seipsum sedentem in sterquilinio, totum squalidum, ulcerosum, & vermibus scatentem, nec quasi homini similem, ideo mirabatur divinum amorem, quo unum lutum ita prosequatur. Sed ô Sancte Patriarcha tunc nondum fueras, quando Christus Iesus talem doctrinam seminabat. *Vbi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum.* Si sciviſſes Sancte Patriarcha, hominem esse thesaurum suum, tunc non tibi mirum fuisset, eidem Dominũ Deum suum cor apponere. Ad quid fuisset si Catharinam probè cognovisset? Procul dubio majori captus fuisset admiratione, videns eminentiam amoris Christi, & hujus Sanctæ virginis, & admirabilem cordium permutationem, quam in illa effecit, ita ut jam vilitas humanæ conditionis adjuncta & incorporata Christo Domino per amorem, pluris æstimari debeat, quam omnis thesaurus orbis. Eja ergo Auditores mei, vultis nosse totum thema amoris Christi cur suum cor cum Sancta Catharina permutaverit? Quia suum cor agnovit sibi simile in suis stigmatibus: hæc & nos amemus, ut Christo Iesu per gratiam uniri mereamur.

Iob. 7.

Matth. 6.

A M E N.

IN FESTO S. IOANnis Baptistæ,

CONCIO I.

Elisabeth impletum est tempus pariendi, & peperit filium, Lucæ 2.

QUanta sit hodiernæ diei solemnitas, simulq; lætitia, Auditores mei præstantissimi, si nullum ad id probandum haberem argumentum, sufficeret mihi solum Divi Augustini magni Doctoris Ecclesiæ testimonium, qui de hac solemnitate sic ait: *Post illum sacrosanctũ Domini natalis diem, nullius hominum nativitatem legimus celebrari nisi solius Beati Ioannis Baptistæ*; loquitur Sanctus Doctor de natali hominum, quia Beatissima Virgo Maria cum fuerit ordinis altioris, ut pote quæ non solum Sanctos Dei nempe Confessores, Martyres, Apostolos, Prophetas, Patriarchas, sed etiam omnes novem cælestium spirituum choros longè antecellit, ideo fælicissima ipsius nativitas excipitur à communi hominum catalogo, at præter ipsam nullus inveniri potest cujus nativitas hæc temporalis à toto orbe Christiano, tam festiva gratulatione excepta & salutata fuerit, sicuti est primus illeque unicus dies Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ. In antiquo testamento postquam natus fuerat filius Abraam Patriarchæ, magna lætitia fuit in domo sua. Prima etenim Sara gestiens summo gaudio dixit: *Risum fecit mihi Dominus.* Qualem risum ô mulier? numquid tu id habebis ludibrio, quod tibi Dominus in tabernaculo viri tui hanc promissam gratiam futuræ prolis, tandem impleverit? Non accipitur hic risus Auditores mei pro quodam ludibrio, sed pro summo gaudio, uti notat & explicat Venerabilis Hugo Cardinalis, ad modum illius mulieris Evangelicæ, uti ait Christus, quæ postquam genuit, non meminit amplius pressuræ ullius, sed lætatur, quia natus est homo in mundum. Licèt autem Sara è nativitate sui filii magnum habuit gaudium. Nihilominus illud hac die non celebravit, sed primo in die ablactationis suæ: nos è contra non expectata illa ablactatione sanguinis Christi, cujus tempore cæteri Sancti serviq; Dei, natalis sui diem in Ecclesia matre sua sancta solemnem habere consueverunt, primam diem Natalis Sancti Joannis Baptistæ, primam inquam post natalem Christi celebramus, Cur id? Quia Sanctus Joannes Baptista præcæteris hominibus Christo Domino fuit simillimus. Quod vobis in hodierna concione probabo.

D. Aug. Serm. 20. de Sanctis.

Gen. 21.

Gen. 18.

Hugo Card. in Gen. 21.

Ioan. 16.

1. Non est cur solliciter de mediis quibus promissum meũ explere, eiq; satisfacere possim, quia ipsum thema cõcionis meæ porrigit mihi forte argumentum in his verbis. *Elisabeth impletum est tempus pariendi & peperit filium.* Quid hic volo dicere Auditores: Illud quod Sanctus Joannes in partu & nativitate similis fuerit Christo Domino. Qualiter? Sanctus Lucas describens nativitatem Christi Domini, ita ait: *Impleti sunt dies, ut pareret, & peperit filium.* Sed quid S. Paulus: *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filiũ suum.* Combinate hæc duo loca Auditores mei, & conferatis cum hisce verbis S. Lucæ. *Elisabeth impletum est tempus pariendi & peperit filium:* nonne hic videtis maximã similitudinem inter Christum & Joannem? Quid sequitur? S. David prophetavit de Christo Domino dicẽs: *Exultavit ut gigas ad currendam viam suam.* Quisnam iste saltus fuerit. Venerabilis Hugo Cardinalis intelligit per ipsum incarnationẽ Domini. Quam primum enim Beatissima Virgo, Maria hæc verba protulit. *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbũ tuum*, mox & summa

Luca 2.

Psalm. 18.

ma cum exultatione verbum illud divinum, de regali sede sua surgens, concitus festinavit iter suum, & descendit in uterum virginis. Simile quid in S. Joanne conspicimus, Dum enim verbum illud patris, nempe unigenitus Dei filius, nondum à visceribus virginis in mundū lucemq; prodierat. Et ecce iste nempe Joannes venit saliens in montibus, post saltus in utero datos, magno orbis bono, inter prærupta montium natus apparuit. Nascente Domino totus mundus invitabatur ad gaudia dicente Angelo. *Annuncio vobis gaudiū magnū quod erit omni populo: quia natus est vobis Salvator mundi* Eodem modo, nascente Joanne puero, omnia vicina gaudio replebantur, muta parentis labia cantus edebant, miracula tot fiebant, quæ totus orbis mirabatur. Et unde vagienti puero sic cælum & terra arridet? *Et enim manus Domini erat tum illo.* Huc pervenit nati pueri magnitudo, quod illi merito affigatur hic titulus, mirum *manus Domini*, per quod ostensa fuit Joannis excellentia, quasi tunc apud cælestem patrem supplerit vices unigeniti filii, qui adhuc in utero virginis latebit, ut pro cælesti suo filio aliquandiu interris existens, personam illius repræsentaret, vice que ejus in mundo ageret.

Hugo Card. in Psal. 18.

Cant. 2.

Luc. 2.

Luc. 1.

II. Ut vobis ut melius innotescat, adducēda mihi est pro meliori intellectu historia quæ scribitur 2. Reg 18. cap. de Absalone David Regis filio in hæc verba. *Absalon erexerat sibi cum adhuc viveret titulum, qui est in valle Regis: dixerat enim, nō habeo filium, & hoc erit monumentum nominis mei, vocavitq; titulum nomine suo, & appellabatur manus Absalon* Qualis nam fuerit ille titulus? Quidam putant fuisse arcū triumphalē qui dicitur fornix, in quo sculpta erat manus Absalonis. Josephus dicit fuisse statuam marmoream. Hieronymus ait: nihil horum in vivis fecisse Absalonem, sed dum belligerans cum exercitu Patris sui David, fugiensq; in mulo, ingresso eodem subter quercū condensam & magnā, criuibus suis adhæsisset quercui. & mulo ipsum deserente, & prætereunte, ipse penperet in quercu, tunc à pueris Joab inducias petiisse, ut antequā moreretur, in memoriam erigeret sibi titulum, Quidquid sit de his opinionibus & sententiis, mihi sua manus erecta in titulum sufficiet. Ecce n ambitiosus hic adolescens, quomodo putavit sibi filiorum loco, sufficere posse columnæ præfixum titulum, nimirum *manus Absalonis*. si ipsi sufficiebat, cur à fortiori non sufficeret Joanni *manus Domini*. Cur ipsum filio Dei similem non redderet à quo hunc titulum obtinuit *manus Domini?* Est equidē puer Joannes, simillimus puero Jesu, & non quidem solùm in passionibus in virili ætate toleratis, sed ab ipso conceptu, nulli magis assimilatur quam generationi verbi divini. Revertor ad prædicta verba Sancti Lucæ. *Elisabeth impletū est tempus pariendi & peperit filiū.* S. Chrysostomus ex Græco non legit *Peperit*: sed legit *Genuit*; ut dicat: *Elisabeth impletū est tempus pariendi, & genuit filiū*, Meritò dicitur à matre Joannes genitus, ut in hoc ejus nativitas ostendatur, supra naturā creatam, & valde similis generationi increatæ filii Dei. De unigenito Dei filio, solo credimus in symbolo fidei nostræ Catholicæ, & asserimus. *Genitū non factū*: ut mirabilem ejus modū nascendi ostēdamus. Ecce vobis de Joanne etiam asseritur quod mater *genuit filiū*. Ut in hoc nativitas Joannis, similis verbi nativitati asseratur. Accipite quid dicat D. Chrisostomus de hac Ioannis nativitate Cur. Elisabeth peperit & genuit? Quod illud quidē est opus naturę, hoc vetò supra naturā: quando quidē peperit quidē ut mulier, sed super venit gratia S. Spiritus, & genuit supra naturam. Erat enim miraculum quod fiebat à Ioanne, & nō tantū habebat paterni generis, quantum Dei verbi. En quam patenter liquet, quod & verbū Dei, & Ioannes, similem modum generationis suo modo habuerint, ut ex hac similitudine pateat, quam singulariter Ioannes filius Dei habeatur.

Bæza in Paneg. Ioan.

Symbol.

S. Chrys. Hom. 2. in Nat. Ioan.

III. S. Matthæus Evangelista postquam finivit illam historiā suam quā de Christi tentatione in deserto habita, & devicta enarrat, tandem veniens ad finē illius sic ait: *Tunc reliquit eū Diabol⁹ & ecce Angeli ministrabant ei: Cū a. audisset Iesus quod Ioannes tradit⁹ esset &c* Quænā est hic historię conexio? Dum videt Jesus Diabolum à se discedere, & audit Ioannem in carcerem rapi; quæ convenientia tentationis Jesu cum vinculis Ioannis Baptistæ, ut immediate, post illam tentationem, de vinculis & carcere Ioannis audiatur? Magna erat convenientia: sicut enim iste sanctus in nativitate similis erat Iesu, ita suam tentationem, vincula Joannis sequi debuerunt. Pulchrè id exprimit D. Basilius: *Primum cum abluto Christo confligit Diabolus, ubi cum victoriā desperasset, in Ioannē vertit arma, & Herodianis affectibus pro armis usus, viam aperit ad Baptistæ mortem,*

Matth 4.

D. Hieron. l de Hebr. Quæst.

Hugo. Cardin. ibidem.

D. Basil. Seleis. orat 18.

Sic sibi concordant, Ioannes & Iesus, verbum & vox, ut ab uno ad alterum immediatus fieret transitus, dum Jesus tentationibus afficitur, ut etiam Joannem vincula tangant, & dū Joannes à vinculis tangitur, similem quoque sibi Christum efficiat qui ut Joanni par pari redderet, vinci se post modum in horto fecit à satellitibus Judæorum, per quod similem se amico suo Joanni exhibuit; Joannes autem Christo.

IV. Audite ulterius. Dum Joannes erat in vinculis, Jesus aberat, ad quem discipulos Joannes mittit. Jesu bone, cur non magis Joannides? Numquid es Patris sapientia? Si ita est, tunc illud tui esset officii, quod scribitur Sapientiæ 10 cap. *Iustum venditum, non dereliquit, descenditq; cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit eum.* Sapientia proxima est justo, in ipsis vinculis, & Jesus à Joanne vincto abest? Abest Jesus, à Joanne vincto, quia nondum venerat hora ejus, nec fieri poterat, quod eadem catena non tangeretur Jesus, si adesset; qua Joannes tangebatur. Nonne Joannes erat vox clamantis in deserto? Nonne Jesus erat verbum, apud Deum? Et quidem tanta erat verbi, & vocis concordia, ut altero pulsato, necessum esset, quod alter pulsaretur. Similem notat effectum in chordis ejusdem temperaturę Cassiodorus dicens: *Ubi tanta vocum collecta est, sub diversitate concordia, ut vicina chorda pulsata alteram faciat sponte contremiscere, quam nullum contigit attigisse. Tanta enim vis est convenientia, ut rem insensualem sponte se moveret faciat, quia ejus sociam constat agitatam.* Catenis pulsata Dei voce, si Dei verbum vicinum esset, proculdubio contremisceret, & similiter pulsaretur: quandoquidem tanta erat verbi, & vocis sub diversitate concordia, & tanta vis convenientiæ, ut Jesum in similia trahi faceret, quibus Joannes agitabatur, nisi magna loci distantia inhiberet.

Sap. 10.

Cassiodor. lib. 1. var. Epist. 40.

V. Quid amplius dicam? Cum dilectus Jesu socius decollatus fuisset in carcere, jussu Herodis impiissimi, uti ait Sanctus Matthæus Evangelista. *Accedentes discipuli ejus, tulerunt corpus ejus, & sepelierunt illud, & venientes nunciaverunt Iesu.* Quid hinc secutum erat? Forte Jesus properavit ad aulam Herodis, exprobraturus illi, necem amici sui innocentem! aut forte approximavit loco illi, ubi erant sui discipuli, ut ejus de morte Magistri sui consolaretur, & sub suam curam reciperet? non! ait enim idem Evangelista. *Quod cum audisset Iesus, secessit inde:* Cur Iesus audita morte discedit inde? Cur nod vult manere ubi antea? Ne similem luctum suis daret, ne post Joannem, mors ante tempus Jesum pulsaret: quasi socio pulsato, nequiret vicinus Jesus, similiter non pulsari. Hinc ait Divus Hieronymus: *Recessit Iesus parcens inimicis suis, ne homicidium homicidio jungeret, in diem Paschæ, suum homicidium differens.* Pulsaretur sanè Jesus si adesset eadem morte, qua socius erat pulsatus, tanta enim est Joannis & Jesu sub diversitate concordia, & similitudo ut nequeat alter non tangi, quando vicinus pulsatur. O quàm fælices essemus, si Christus Dominus post mortem socii & amici sui Joannis Baptistæ, nos etiam in suam non dico societatem, sed clientelam assumere dignaretur. Faciet. Si enim prout Joannes Baptista processit vincula ejus, nos secuti fuerimus erimus quoq; consortes ejusdem gratiæ hic, & futurūm gloriæ sempiternæ.

Matth. 14

S. Hieron.

AMEN.

IN FESTO S. IOANNIS Baptistæ,

CONCIO II.

Ioannes est nomen eius. Lucæ. 2.

P. Dam. Serm. de Annunc. Virg.

PEtrus Damianus expendens illud; Cur Beatissimę virgini, nomen Mariæ à Parentibus suis datum fuerit, ait id non ex voluntatę ipsorum, sed potius dispositione divina factum esse. Cum enim cælestis Pater ab æterno destinasset unigenitum filium suũ mittere in hunc mundum, pariter erat solicitus, cuinam è virginibus generationem ejus humanam commendaret, & quomodo vocaretur mater tanto digna filio: ait ergo præfatus Autor: *Et statim de thesauro divinitatis, Maria nomen evolvitur, & per ipsam, & in ipsam, & de ipsa, & cum ipsa, totum hoc faciendum decernitur.* Notanda sunt hæc verba. *De thesauro divinitatis Maria nomen evolvitur.* In palatiis Regum & Principum, & in aulis Magnatum hujus mundi, solet haberi commune penu, in quo vestimenta, cæteraque ad usum corporis spectantia asservari, & ministris depromi solent. Habentur quoque conclavia specialia, & cameræ clausura bene munitæ, in quibus thesauri, & eæ tantum res asservantur, quæ Regalibus personis sunt in usu, ut si Princeps, vel Rex, aliquem honorare voluerit, illi ex Regio thesauro, vestem vel ornamentum aliquod pretiosum donari jubet. Unde legimus *Esther 6.* Esther 6. cap. Qualiter Rege Asuero interrogante & dicente: *Quid debet fieri viro, quem Rex honorare desiderat?* Aman respondit dicens: *Homo quem Rex honorare cupit, debet indui vestibus Regiis.* Eandem ornamentorum varietatẽ in cælesti Jerusalem inveniri videmus, ibi enim est commune penu, in quo gloriosa justorũ nomina asservantur, & ideo jubet Dominus apud *Luca. 10.* S. Lucam gaudere suos discipulos dicens: *Gaudete & exultate quia nomina vestra scripta sunt in cælis.* Est præterea & alius quidam depositi locus, nempe æterni Regis thesaurus, in quo occluduntur divina nomina, in absconditis thecis asservata juxta illud. *Nomen meum Adonai, non indicavi eis.* *Exod. 13.* Id enim ut uni Deo proprium, in divinitatis deposito occultabatur. Hinc venio ad præconium Divi Joannis Baptistæ, Quemadmodum enim nomen hoc Maria, nõ ex communi penu Sanctorum Dei desumptum fuit, sed ex ipso thesauro Dei, quia futura erat mater Dei: itaq; nomen hoc Joannes, ex arcano divinitatis deposito depromptum fuit, quod quod quidem ei benè conveniebat, quia præcursor factus unigeniti filii Dei, gratiam ejusdem prædicavit. *Ioannes est nomen ejus*: meritò tale nomen quod gratiam sonet ei datum fuit, ut nomen personæ conveniret. Tanta nest Sancti Joannis Baptistæ excellentia, ut ei nullus sanctorũ conferri & æquiparari possit. Quod vobis in hac concione demonstrabo.

1. Apud antiquos gentiles hæc verba proverbii loco habebantur. *Non in utilis est nominis ferendi conditio.* Quibusdam enim id moris erat, ut si nullos hæredes haberent, quibus legarent bona sua, tunc his ea legare consueverunt, qui eodem quo & ipsi nomine vocarentur. Sempronius quidam cum morti proximus esset, inter alia quæ in testamento diversis legaverat, istud protulit: *Sempronio nepoti meo, plus tribuas in honorem nominis mei.* Item Lycon Astyanax in hæc verba suum testamentum condidit. *Quæ in urbe & Ægina habeo Lyconi fratri præcipua do, eò quod nomen ferat nostrum* Item Augustus Cæsar, Tiberio ingentem legavit pecuniam, eo quod Tiberius Augustus vocaretur. Si Magnates hujus mundi, propria sua nomina in aliis eadem habentia, tantum honorarunt, ut eos etiam muneribus afficerent, quid putatis Dominum Deum Joanni contulisse, cui tale nomen indidit quod gratiã significat, ipsa verò gratia omnẽ *In Iure lib. de Donationibus.*

donorum cælestium excellentiam, quibus Dominus Joannem abunde cumulavit. Theodericus Rex extollens laudibus Cassiodorum sic ait. *Non tyrociniorum infirmitate tubans, novitatis vitio, vel innocenter erravit, sed abstinentia firmato vestigio, imitando vixit exemplo.* Quemadmodum familiare est tyronibus, & novitiis, in quolibet officio errare, sic etiam commune est, nullum illis errorem imputari, innocenter errant qui non voluntatis, sed novitatis ignotæ sibi vitio in errorem cadunt. Videte igitur primam Sancti Joannis excellentiam: dum enim esset puerulus, eremum intravit, novitius in vita, novitius in virtutum operibus nullum videt exemplar, nullum magistrum habet, non tamen tyronum infirmitate titubat, non vitio novitatis etiam innocenter errat, *sed abstinentia firmato vestigio, imitando vixit exemplo.* Pene verba illa Jeremiæ Propheræ ad illum Dominus loquebatur. *Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam.* Memoriam faciens Dominus sui præcursoris, quid primum meminit? *Miserans adolescentiam tuam*: plane hæc verba Sancto Joanni conveniunt. Quando enim Joannem coram ejusdem discipulis ad se missis laudare Christus voluerat, omissis cæteris solius adolescentiæ meminit dicens. *Quid existis in desertо videre?* Nihil locutus erat de viri tam præclari gestis illustribus, sed saltem deserti meminit, quod trimus intraverat, in eoque non ut tyro, sed tanquam veteranus miles stipendia sua metebatur.

Cassiodor. 1. variar. 4.

Ierem. 2.

Matth. 11.

II. Cur puritia Joannis in deserto peracta, tam multum Christo placuerit, cui magis ob oculos versabatur, quam alia ipsius facinora quę divini artificis commendant manum, patebit exemplo Davidis in puritia constituti de 1. Reg. 17. cap. Provocante Goliath Philisthæo aliquem è castris Regis Saul ad certamen singulare, puer David ei se opponere nō dubitavit, utque persuaderet Regi, quod in se uno totam Israelis adversus Philisthæos collocet causam, nihil aliud in medium adducit, nisi puritiæ suæ facta, ait enim. *Pascebat servus tuus patris sui gregem, & venibat leo vel ursus, & tollebat arietē de medio gregu. Et persequebar eos, & percutiebam. eruebamque de ore eorum* Hæc David ostendit à se puero peracta in deserto facinora, hos puritię suæ ludos in mediū protulit, uti ait Ecclesiasticus c. 47. *Cum leonibus lusit quasi cum agnis, & in ursis similiter fecit, sicut in agnis ovium in adolescentia sua.* His auditis Rex annuit, & uni David credit omnem difficillimi belli fortunam. Cur Rex rem tam magni momenti puerilibus credidit facinoribus! Respondet S. Augustinus dicens *Intellexit Rex cum videret audentem puerum, aliquid in eo divinitatis esse, nec illum tenera ætate, sine divino instinctu talia posse præsumere.* Pulchrum Sancti Doctoris responsum, cujus tota vis in eo latet, nempe Regem Saul in David eideo suam spem collocasse, quia intellexit, *aliquid in eo divinitatis esse.* Non enim potest non sapere divinam manum, quod puritia tantam exerat virtutem, & adeo præcoxætas, exhibeat tam matutos fructus. Quid plura! Joannes trimus in deserto agens, nonne super aspidem, & basiliscum ambulavit? Nonne conculcavit leonem & Draconem? Nonne Serpentem ilium infernalem interfecit, aliaque mirabilia egit facinora? Et unde hæc puero? Non aliunde sane, nisi quia aliquid in eo inerat divinitatis, imo tota Dei manus erat cum illo.

1. Reg. 17.

Eccles. 47.

S. Augustin. Hom. 30. & Hom. 50.

III. Benedixerant illi vicini & cognati Zachariæ *Quis putas puer iste erit?* Si enim tantus in puritia, quantus in ætate majori? Quærit Dionysius Carthusianus, cur S Joannes Baptista nullum fecerit miraculum, uti prædictum fuerat de Messia, quod plurima in fidem adventus sui miracula patraret, & respondet dicens. *Ut Iudæi adverterent, non Ioannem sed Iesum esse veraciter Christum, seu Regem Messiam, de cuius miraculis Isaias Propheta prædixit. Tunc aperientur oculi cæcorum &c.* Conveniens inquam quin necessarium erat, ne Joannes patraret miracula, quia si ad mirabilem vitam suam, & illa accessissent, tunc, ab omnibus pro Christo haberetur. Sanctus Macarius Episcopus Philadelphiæ egregie idem ponderat, comparans Sanctum Joannem virgæ Moysis Patriarchæ, de qua legimus in Exodo quod plurima per ipsam Deus miracula fecerit, non tamen omnia sed ad alia quoque patranda aliis instrumentis usus fuerit, cujus rei hanc assignat rationem. *Non omnia per virgam fiunt, ne à suis Dei loco haberetur, & coleretur.* Pari prorsus modo egit Deus cum Joanne, illustravit nativitatem ejus miraculosis circumstantiis, plurima operatus est prodigia in ejus conceptione, evicit sterilitatem parentū ejus, solvit linguam Zachariæ, præcavens ergo, ne si Joannes miracula

Ioann. 10.

Isaiæ. 35.

D. Macar. apud Gratser.

faceret,

faceret, conciliaret sibi apud homines opinionem divinitatis, horum non dederat ei facultatem, facile enim Iudæi in errorem labi potuissent, qui absque hoc supremam Messiæ dignitatem ei offerebant.

V. Nihilominus licet alii Sancti multa miracula fecerint, non tamen Sanctitati & excellentiæ magnæ Ioannis æquiparari possunt. Legimus in Genesi Dominum Deum primam illam diem qua produxerat lucem, vocasse diem unam. *Divisit lucem à tenebris, appellavitq; lucem, diem, & tenebras, noctem, factumq; est* Gen. 1. *vespere & mane, dies unus.* Cum Deus sequentem diem vocaverit, secundum, deinde tertium, & sic consequenter usque ad diem septimum, dicendo & factum est vespere & mane dies secundus; & sic de cæteris, cur etiã non dixit dies primus, sed dies unus, præsertim cum illa dies fuerit principium numeri, ad cujus complementũ sex alii dies succedere debebant? Ad id respondent Doctores diversimode, at proposito nostro, multum desecavit responsio Sancti Ambrosii qui ait, ideo diem illam in qua creata fuit lux dictam fuisse unã, & non primam, ut demonstraretur ejusdem excellentia, qua omnes alios dies unica hæc in qua lux creata fuit, excellebat. Adeo quippe eminens est lux, ut videatur noluisse annumerari cæteris creaturis, jam verò si dies illa lucis, dies prima & non una diceretur, quasi æqualis cum cæteris computaretur: verba sunt Divi Doctoris. *Et factum est vespere & mane dies unus, ut lucis unitas ostendatur in sequentibus, non est dictum dies primus, sed* S. Ambros. *dies unus.* Lux cælica est Sanctus Ioannes Baptista, nam de ipso dicitur: *Ille erat lucerna ardens, & lucens.* Erat lux unica, quæ in suis prærogativis, & gratiis parem non admittit, quia solus fuit præcursor verbi incarnati. Solus fuit in omnibus singularis, & ut dicam cũ Sancto Damiano. *Vnus est & secundum non habet:* Sanctus autem Bernardus ait: Tria Deum fecisse quæ non admittunt secundum, puta Christum Salvatorem nostrum, virginem sanctissimam matrem suam, & sanctum præcursorem Baptistam, verba sunt Sancti Abbatis: *Tria fecit Deus sine secundo, Christum, Mariam, & Ioannem.* S. Damian de S. Bapt. S. Bernar.

V. Hæc Sanctorum Patrum testimonia, aliquot etiam rationibus confirmare possum. Prima deduci potest ex egregio quodam discursu sancti præcursoris, affirmat eum in utero matris suæ, eam gratiæ plenitudinem habuisse, quam Sancti Apostoli, à Spiritu Sancto sibi misso receperunt. Expendens enim iste Sanctus Abbas verba illa Actuum Apostolorum. *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto:* Actor. 2. singulariter probat id quod Apostoli exercitio virtutum sunt consecuti, Sanctum Ioannẽ adeptum fuisse in utero matris suæ juxta illud Sancti Lucæ. *Spiritu Sancto replebitur, adhuc ex utero matris sua.* Ubi subjungit S. Bernardus: *Ioannes legitur in utero assecutus, quod Apostolica celsitudo, tandem in longiori promissione meruit obtinere.* S. Bernar. in serm. de S. Ioan. Hinc sequitur, principia Ioannis æqualia fuisse etiam præstantissimis cælorum Sanctis, qui juxta opinionem Doctoris Angelici Sancti Thomæ Aquinatis fuerunt ipsi Apostoli, qui ubi cursum suum consummarunt, coronam justitiæ acceperunt, at Sancti Ioannis ipsa virtutum tyrocinia Christus commendavit dicens: Quid existis in desertο videre? Nam hoc in loco Sancti Evangelii, non solum Prophetis præposuit sanctum præcursorem suum, sed etiam Angelis fecit similem dicens: *Hic est de quo scriptum est, Ecce ego mitto Angelum meum.* Matth. O S. Ioannes Deo charissime, impetra nobis apud Christum veniam & gratiam.

AMEN.

IN FESTO S. IOANNIS Baptistæ,

CONCIO III.

Quis putas puer iste erit? Lucæ 2.

QUæ hic cognati Zachariæ & Elisabeth in nativitate Sancti Joannis Baptistæ invicem loquentes inter seipsos contulerunt dicentes. Quis putas puer iste erit? aliquis adscriberet eorum simplicitati, aliquis levitati, aut consuetudini talium, qui juxta illum versiculum.

Horatius. *Parturiunt montes nascetur ridiculus mus.* Montes in mente concipiunt, & postmodum dum venitur ad rem murem pariunt, Quid enim est miraculi, quod nascatur homo? Sanctum Jobum interrogate, quid de nativitate

Iob. 14. hominem sentiat, dum ait. *Homo natus de muliere repletur multis miseriis.* An non talis erat Joannes, natus de muliere? numquid nullas habuit miserias? Quin verò summas, quia loco vestis pretiosæ, pilis camelorum, & loco cinguli argentei, sive aurei zona pellicea utebatur. Numquid obsoniis delicatis fruebatur? minime vero, quia mel & locustas edebat. Numquid ad honores mundanos evectus erat? minime vero, quia eos fugiebat. Numquid in palatiis Principum habitabat? minime vero, quia domus ipsius desertum erat. Numquid inter convivia & tripudia aliquem locum ambiebat? Minime verò, quin imo inter gaudia periit, quia convivium natalis sui Rege Herode celebrante, loco obsonii genialis, illius caput amputatum, ad mensam in disco allatum fuit. Quod factum Sancti Patres, non solum mirabantur, sed etiam exhorrescebant: nam Sanctus Ambrosius sic

S. Ambr. l. de virg. ait. *Hoc crudelitati ferculum debebatur, quo insatiata ferculis feritas vesceretur.* S. Chryso-

S. Chrisost. Hom. 49. in Matth. stomus sic ait. *Qui coronari debuerat, & laudibus in cælum efferri merrebatur, percussus securi jacebat.* Et Paulo post ait. *Temporis quoque ipsius importunitas, mirum in modum scelus Herodis amplificat, qui tam nefadissimam cædem committit, quando vinctum ex gaudio solvere debebat.* Quod cum ita sit, unde ô cognati hujus pueri, in mentem venit vobis talis quæstio. *Quis putas puer iste erit?* Nolite esse solliciti: nam pro talibus cunctis qui de Joanne nato aliquid magni sentiebant, Sanctus Augustinus respondet dicens: *Quidquid supra Joannem est, non homo tantum sed Deus est.* *S. August. Ser. de Bap.* Quidnam tale? In hac concione audietis.

I. Hoc testimonium Sancti Augustini quod citavi, nihil aliud nobis insinuat nisi summam excellentiam Sancti Joannis Baptistæ, cui inter filios hominum nulla par inveniri possit, etiam ipso Domino dicente. *Inter natos mulierum, non surrexit major Joanne Baptista*, qui si surrexisset, tunc hic non homo tantum, sed juxta Divum Augustinum & Deus esse deberet. Sed quia Sanctus Joannes est immediatus à Christo, nec ante se aliquem majorem, neque sibi similem habuit. Hinc cognati & vicini matris suæ Elisab. videntes in nativitate illius tanta Dei magnalia, *S. Chrysol. Serm. 89.* non sine causa mirabantur dicentes. *Quis putas puer iste erit?* Audiatur enim quid dicat S. Petrus Chrysologus. *Ioannes Angelus est generatus in terris.* Quomodo sancte Doctor? Angeli non nascuntur, quia totum suum esse per creationem & non per generationem habent, quæ ergo hæc tua novitas, dum ais Angelum in terris generari? Tanquam diceret sanctus ille Pater Ravennas. Angelus spiritus est creatus, hæcque res est vulgaris & antiqua, cunctis nota uti ait Daniel Propheta: *Millia millium, ministrabant ei.* Sed quando *Daniel. 7.* Joannes nascitur tunc producit Deus cælestem Seraphim in corpore, & Angelum incarnatum, sive ex carne & sanguine compositum, qui

qui est admirabilis divinæ potentiæ effectus. *Et enim manus Dei erat cum illo.* Non mirum igitur quod illi cognati Elisabeth in hanc vocem eruperint. *Quis putas puer iste erit?* Quia hæc admiratio hucusq; perseverat. Audite quid dicat Guerricus Abbas successor Divi Bernardi, & hæres ejusdem spiritus sic ille ait: *Ioannes nativitatem gratia operatur, natura miratur.* Id est considerando admirabilem Ioannis nativitatem, ejusque circumstantias insolitas & inauditas, videtur natura obstupescere, nullamque manum suam operi applicare, sed solum oculis contemplari miraculum operis, cujus artifex erat gratia omnipotentis. Potest enim hæc Joannis nativitas quodammodo nativitati Dominicæ comparari, ut quemadmodum ibi in partu virgineo natura mirabatur juxta illud quod canit Ecclesia. *Tu quæ genuisti, natura mirante tuum sanctum genitorem,* totumque operabatur gratia: idem proportionaliter contigit in nativitate Ioannis Baptistæ, ut uterque partus agnosceretur potius esse cæli, quam terræ, potius Dei quam hominum, atque ideo illi visini, nihil aliud sapientes nisi modum & conditionem naturæ, merito mirabantur dicentes? *Quis putas puer iste erit.* Plinius rerum naturalium indagator, considerans mirabilia seu miracula mundi hujus, quæ in terris solent fieri illud inter cætera mirabatur dicens: *Quoniam à miraculis rerum capimus, sequemur eorum ordinẽ, in quibus vel maximum est, aliquid nasci aut vivere sine ulla radice.* Itaque portentum naturæ judicat ille Philosophus aliquid nasci, sine radice, aut sine illa sustentari. Et si hoc est præcipuum naturæ miraculum, quantò magis ipsa natura debet obstupescere, videns miraculum adeo inusitatum quod excelsissima arbor, qualis est Joannes [vocat n. ipsum idem autor cedrum Paradisi.] nascatur & foveatur, sine ulla prorsus radice in terris, & virtute creatoris, soloque cælesti beneficio nata, ejusdem virtute fuerit quoque sustentata. *Quis putas puer iste erit.*

Guerricus, Abbas ser. 1. de Bapt.

In officio B. M. V.

Plinius l. 19. c. 2.

II. Doctus quidam Theologus Seraphinus à Porrecta, considerans in primo libro Geneseos creationẽ cæli & terræ, ponderat etiam illud, quod cum Dominus Deus hæc duo simul id est uno verbò creaverit, cur cælo absoluto & perfectè consummato terram adhuc reliquerit imperfectam, juxta illud. *Terra erat inanis & vacua.* Cur inquam paulatim illam exornaverit juxta illud; *germinet terra herbam* & non statim eam in floribus, herbis, arboribus, cæterisque rebus ad illam spectantibus perfectam reddidit. Et respondet dicens: *Et actus & potentia de se producendi negatur à terra, dum tum inanis & vacua dicitur.* Non absq; singulari mysterio Deus cælo perfecto, voluit esse terram inanem & vacuam, id est sterilem, & infæcundam, nec statim atque illam creavit produxisse fructus, neq; illã habuisse aliquam potentiam producendi, ut beneficia, quæ homo ex illa reciperet, soli Deo attribueret, eiq; tanquam autori eorum debitas gratias referret, non autem terræ, quę ex natura sua erat infrugifera, & incapax generationis: *Terra autem erat inanis & vacua:* eodem modo argumentari possumus de Elisabeth matre S. Ioannis. Erat sicut terra inanis & vacua, & notate illud quod Spiritus Sãctus non solum terram vocavit inanem, sed etiam vacuam, per quod noratur illud, quod Elisabeth, non solum nullam prolem habuerit, sed etiam quod propter senectutem & sterilitatẽ illam habere non potuerit, sed ecce uti deficiente natura, partes suas suscepit gratia, ubi aggressa est opus conceptionis & nativitatis S. Ioannis, tunc ad comprobandum illud, quod potius gratiæ & non naturæ legitimus filius fuerit, idem Guertici repeti potest: *Ioannis nativitatem, gratia operatur, natura miratur.*

Gen. 1. v. 2.

à Porrecta verit. aurea in Genesis.

III. Unde si natura miratur in S. Ioanne opus gratiæ, id inde provenit, quod eundem modum servet in nativitate Ioannis Baptistæ, quem habuit in nativitate Salvatoris. Modernus D. Salmeron, observans has duas sententias S. Evangelii, nempe unam secundum Ioannem, ubi ait: *Fuit homo missus à Deo cui nomen erat Ioannes*: & alteram secundum Lucam, sic scribentem: *Missus est Angelus Gabriel à Deo*: secundum suum sensum indicat, magnam esse in utroq, textu consonantiam: nam utrobique mentio fit de quadam legatione magnifica In verbis S. Lucæ dicentis: *Fuit homo missus à Deo*, describitur legatio Angeli cælestis Paranymphi, qui venerat destinatus à Deo, ad tractandum mysterium sacrosanctæ incarnationis verbi divini, indicans hisce verbis opus de quo agebatur, totum esse divinum & cæleste, opus esse solius gratiæ, & non naturæ. Id igitur attendens Autor has effatur voces. *Fuit homo missus à Deo, id est singulariter fuit missus, quia supra naturam ex*

Ioan. 5. v. 6.

Luca 1. v. 26.

Salmeron. in Lucam, *senibus, & sterilibus venit, quod non est naturæ sed solius Dei opus.* Nesciebant hoc vicini, & cognati Joannis, meritò itaq; mirabantur dicentes: *Quis putas puer iste erit?* S. Martyr Zeno Veronensis notans illâ historiam Geneſis, de nativitate Isaaci, ex Abraam sterili nati, quam etiam describit S. Paulus ad Hebr. 11, *Propter quod ab uno orti sunt, & hoc jam emortuo.* Sic ait: Hic namq; charissimi, desperatis parentibus, sed Deo promittente susceptus, in transactæ ætatis, & generationis flore consumpto, non tam à parentibus, quam divina præceptione meruit generari. Voluit nimirum Deus, ut in Isaaci nativitate Christi Domini nativitatem quoq; admirabilem demiraremur, cujus Isaac figura fuit, & cum eadem quasi cum Christo Joannes nativitas fuerit, quæ non naturæ sed solius Dei opus fuit, jam nunc, si quis me interroget; *Quis putas puer iste erit?* dicâ similem fuisse Christo Domino.

S. Paul. ad Hebr. 11,

D. Zeno. l. de Abraam.

IV. Similitudo Joannis cum Christo Domino hinc etiam patere potest. Philo Hebræus Doctor, memor illius risus quem Sara in tabernaculo Abraami, clam cotam Angelo filiũ sibi promittente comiserat, nempe quod per illum risum, manifestaret defectum & impotentiam suam naturalem ad pariendũ propter senium, & deinde expendens ejusdem verba, postquã jam genuerat filiũ sic ait: *Risum fecit: fecit perinde valet ac genuit, ex quibus verbis colligitur hæc sententia, Isaacum genuit Dominus.* Eundem risum ego adverto in nativitate mirabili Christi Jesu: nam nascente illo ait Angelus Domini. *Evãgelizo vobis gaudium magnũ, quia natus est vobis hodie Salvator mundi.* Audiamus nunc virum doctissimum à Palude, quomodo expẽdat hæc verba S. Lucæ: *Ex quo facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit infans in utero meo:* illam exultationem accipit pro gaudio Joannis, & meritò quidem ait præfatus Autor. *Ipse namq; est secundus Isaac, qui interpretatur risus unde poterat dicere mater risũ mihi fecit Dominus: ideo dicitur in textu, congratulabantur ei quod Angelus prædixit: & multi in nativitate ejus gaudebunt.* Quasi dicerет: Si in nativitate Isaac tot erant signa lætitiæ, quia præfigurabat nativitatem Salvatoris, quanto igitur major est ansa lætitiæ in nativitate Joannis, quæ incomparabiliter magis fuit similis salvatori? Testatur id S. Ambrosius dicens: *Debuit præcursor Christi, aliquid habere simile, nativitati Salvatoris, siquidem Dominus de virgine gignitur, Joannes de sterili procreatur, sicut Mariam suspicimus quod virgo peperit, ita in Elisabeth miramur, quod anicula procreaverit.* Iterum ergo fas est dicere: *Gratia operatur, natura miratur.*

Gen. 18.

Philo.

Gen. 21. v. 6.

Luca 2. v. 10.

Luca. 1. v. 44.

Thesauri novi serm. 40.

S. Ambr. serm. 1. de S. Bapt.

V. Hæc est differentia inter Sanctum, & Sanctitatem, quod Sanctus possit esse peccator, & potest admittere aliquos defectus, at Sanctitas nullos: ideirco Sanctus Paulus soli Deo adscribit sanctitatem dicens: *Qui factus est nobis justitia, & sanctificatio:* quem sequitur Sanctus Anselmus dicens: Sanctus est, & ipsa sanctificatio, justus & ipsa justitia, Et verè quidem; nam ipsemet ait de se. *Ego sum via, veritas, & vita.* Veritas sine falsitate, Via sine omni deviatione culpæ. Vita sine tributo mortis. Nihilominus lego Regium Vatem dicentem, *Justitia ante eum ambulabit:* Quæ verba Hugo Cardinalis, aliorum insistens sententiæ intelligit de S. Joanne Baptista, qui dum esset præcursor Christi tanquam alter David coram Arca Domini, & ipse quoque exultabat coram Christo, cujus adventum ubique prædicabat, Ergone etiam homini, Sanctitas conveniet & justitia? Non omni quidem sed soli Joanni, quod & Eusebius Emissenus admittit dicens: Quid mirum si in illo culpa aditum non invenit? Jam habetis responsum ad id; Quid putas puer iste erit? Erit magnus & est coram Domino, qui vivit in sæcula.

1. Cor. 1. v. 30.

Anselm. ibidem ut supra.

Ioan. 14. v. 6.

Psalm. 84. v. 14.

Hugo Card.

Eusebius Emissen.

AMEN.

IN FESTO S. IOANNIS
Baptistæ,

CONCIO IV.

Manus Domini, erat cum illo. Lucæ 1. v. 67

REpetio apud diversos historicos, tam sacros quam prophanos, varios homines in sua, vel ante suam nativitatem, varia habuisse præsagia, quæ illud indicabant, quod postea ipsis eventurum esset. In primis ut à gentilium historiis incipiam. In nativitate Servii Tulli, sexti Romanorum Regis accidit, ut fulgentissimus quidam splendor, coronæ regalis figurā habens, caput illius redimiret, quod prænotavit Diadema Regium, quod apud Romanos post ea obtinuit. De Platone dicitur, cum ad huc in incunabilis esset, examen apum in eius ore velut in alveo existens, visum fuisse, quod eloquentiā, ac mellifluum sermonem, quo mirificè, viguit, portendebat. Rex Astyages avus Cyri ante ejusdem natalem, vidit fluvium quendam ex matris suæ utero egredientem, & utramq; regionem tam Persarum quàm Medorum irriganem, quod significabat, hujus utriusque Regni futurum Regem, quod etiam contigit. Zoroaster Bactrianorum Rex contra omnem hominum consuetudinem, uti ait Salomon (primam vocem emisi plorans) ex utero matris suæ, ridens prodiisse fertur, qui risus immaturus, signum erat levitatis, quę in vita sua apparuit, licet aliis placuerit, illud hoc prognosticum extitisse, quod in arte magica insignis futurus esset, quam postea observabat. Jam ut nos convertamus ad sacras historias. Invenio primum Jacob & Esau in utero matris existentes, inter se pugnare, quæ lucta duorum illorum fratrum non solum dissidium mutuum propter benedictionem seniori fratri à juniore præreptam denotabat: sed etiam adumbrabat figuraliter duos populos inter se adversantes, juxta Divi Pauli testimonium dicentis, & quod sacer textus ait : *Duæ gentes sunt in utero tuo*: id ad diversitatem hominum referentis. De S. Dominico Ordinis Prædicatorum Fundatore etiam legitur, matrē suam paulo ante partum in somnis vidisse se in utero portare canem, accensam facem in ore ferentem, quod erat præsagium, hunc Sanctū adversus hæreticos verbo Dei latraturum, & splendenti doctrina sui ordinis totū mundū illustraturum. De Sancto Ioanne Baptista duo noto. Primum quod adhuc existens in utero matris suæ exultaverit, & quod manus Domini cum ipso fuerit. Utrumque id quid sibi velit in hodierna concione enarrabo.

Titus Livius.

Marulus, & Volaterran.

Herodot.

Eccl. 34.

Plinius.

Gen. 25. v. 23.

Theodor. de Appold.

I. Non desunt gravissimi Autores qui existimant illam exultationem Sancti Joannis in utero matris suæ non processisse ab aliquo actu potentiæ rationalis, sive fuisse aliquod opus liber arbitrii, personæ rationis participis, sed fuisse exultationem quandam metaphoricam, & commotionem seu gesticulationem quandam corporis instar exultantis divina virtute, per Mariæ salutationem, tanquam per aliquod instrumentum factam : in quo sensu ait sacer textus res inanimatas exultasse, uti ait S David. *Montes exultaverunt ut arietes.* Inquiunt ergo hi Doctores, quod sicut de Jacob & Esau, sacra historia ait : *Collidebantur in utero ejus parvuli*: illa tamen lucta erat absque aliquo usu rationis, ita & ille motus Joannis in utero materno, in quo illum exultasse dixit S. Lucas, fuit absq; usu rationis & arbitrii liberi. Sed cæteri Patres tam Græci quàm Latini aliter sentiunt. Inprimis Divus Chrysostomus sic ait : *Cum ad nos advenisset Redemptor noster, venit protinus ad suum amicum Ioannem, dum adhuc esset in utero, quem cum ex matrice aspexisset Ioannes, terminos suæ naturæ consutiens exclamat, video Dominū, qui*

Eucherius & Iansenius in sua Cona.

Psal. 113. v. 4.

Gen. 25. v. 22.

D. Chrys. Hom. 1. in Luc.

natura implevit terminos, & expecto tempus nascendi! Origenes Doctor, hic aperte ait quid sentiat. *Sancta erat anima Ioannis, & ad huc in matris utero clausa, quæ ventura erat in mundum, quasi experientia sensum sciebat, quæ Israel ignorabat, unde exilivit, & non simpliciter exilivit, sed in gaudio, senserat enim venisse Dominum suum, ut sanctificaret servum suum, ante quam de matris utero procederet.* Venerabilis Beda de eodem Sancto Baptista sic ait: *Quia lingua nec dum valuit animo exultante salutavit, officiumq; suæ præcursionis, quam devote postea esset impleturus, etiam antequã nasceretur, adveniente Domino, quibus valebat indiciis intimavit.* S. Bonaventura sic ait. *Ex quo infans, sic supra naturã exultavit, certũ est quod naturæ Dominus ei occurrerit, & ex quo infantulus respondet ex utero, certum est te concepisse illum qui vocat ab utero, secundũ illud Isaiæ: Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.* Quorum Patrum sententia quomodocunq; intelligatur, sive taliter quod Deus miraculosè illa corporis membra ad exultationẽ illam rationalem disposuerit: sive etiam illum actum exultationis ordinavit penes solam animam, instrumento ad hoc corporis non egente; ad eum modum quot etiã Angelis & animabus separatis, similes rationis species dignatur infundere. Qualitercunque id fuerit, non debet dubitari de illa rationis usus acceleratione in Joanne, tantorum Patrum sententiam veram esse. Licet enim verbum hoc exultare interdum in sactis scripturis metaphorice accipiatur, ubi tamen dicitur, *Exultavit infans in gaudio*, manifeste sequitur, loqui sacrum Lucam de vera & propria exultatione quæ actus liberi arbitrii, usum rationis supponentis. Deinde dum Zacharias diceret ad Joannem Baptistam in circumcisione ejus. *Et tu puer propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus*, non debemus putare id ipsum dixisse joco, sicuti aliquando patres loqui solent joco se ad infantes suos, sed valde serio, ut quid n. Ioanni, licet infantulo: tanta Dei arcana jocando diceret? Consequens ergo est locutum fuisse tanquam ad rationis participem. Hinc Divus Ambrosius locutionem talem Zachariæ perpendens in primis ex aliorum ore & vulgati sententia videtur Sanctum Prophetã reprehendere quasi id sine ratione egisset; sed deinde sibimet ipsi pulcherrime respondet dicens, *Sciebat Propheta alias esse aures prophetæ, quæ spiritu Dei, non corporis aure referantur, habebat intelligendi sensum, qui exultanti habebat affectum.*

Origenes Hom. 4. in Lucam.

Beda supr. Exurg. M.

S Bonav. tunc. 1. Luc.

Isaiæ 49. v. 1.

Luc. 1. v. 44.

Luc. 1. v. 76.

S Ambros. lib. 2 in Luc c. 1.

II. Hinc patet Sanctum Joannem Baptistam excellentius prognosticon qualis propemodum futurus esset, habuisse, quam aliquis infantum habere potuisset illa enim præfagia erant tantum impressiones quædam & imagines sive per somnia, sive etiam per visiones, sive etiam aliquo alio modo in signum futuræ rei à Deo revelata, at hæc Joannis infantis exultatio in utero matris suæ, ex eo quod usu rationis non caruerit, futuræ excellentiæ Sancti Præcursoris & Baptistæ Domini, non umbratile & figurativum tantum sed vivum fuit præfagium, vivum inquam; quia ab auribus exceptum infantis. O fælicem vocem sanctissimæ Virginis quæ Joannem exultare fecit: fuit etiam quondam Deus locutus primo parenti nostro: sed ille quid? *Domine audivi vocem tuam & timui.* Pensare utriusque differentiam: Adam audita voce Domini de loco publico, in absconditum fugit, Joannes autem audita voce Virginis, de uteri penetralibus gestivit erumpere, ut se Domino suo præsentaret. O inauditam novitatem & stupendum miraculum.

Genes. 3. v. 10.

III. Magnum illud fuit Abraamo Patriarchæ collatum beneficium, quod Christus Dominus coram Judæis manifestavit dicens. *Abraam exultavit, ut videret diem meum, vidit & gavisus est.* Sed id accidit in figura & gavisus est in spe rei futuræ; at Joannes lyncæis infusæ sibi cognitionis oculis, Christum vidit præsentem, non in umbra & in imagine, sed in vera carne exiffentem. Verbum enim Dei in Maria conceptum, & ore ejus locutum à Joanne materno utero adhuc incluso recognitum fuit & (ni fallor) quasi echo loquente verbo, quod in Principio erat apud Deum, resonuit etiam vox, hoc est Joannes, qui erat *vox clamantis in deserto*: resonuit inquam non vocis sono, sed corporis motu, quem sentiens mater ejus dixit. *Exultavit infans in utero meo.* O pulcherrimum ac mundi theatro incognitum spectaculum: parvuli materno utero clausi, invicem sibi alludunt, non sicut Ismael, Isaac, alter alteri illudendo, sed se invicem salutando, sibique mutuo grãtulando,

Ioan. 8.

Genes. 21.

tulando. Ecce parvuli in viscetibus maternis, sicut olim Iacob & Esau in utero Rebeccæ
Gen. 25. contendentes, non tamen instar illorum, ut alter alterum supplantet, sed ut alter alterum sanctificet, ille sanctitatem conferendo, hic sanctitatis auctorem confitendo. Sed quid mirum Ioannem exaltasse David. Coram arca Domini saltabat cum jubilo coram vina
1. Reg 6. & vera non exultaret?

IV. Sed dicetis jam tempus esse, ut hujus Sancti Joannis Prognostici, mysterium vobis explicem, & quando vel qualiter adimpletum fuerit ostendam. Illud ipsum est quod dico, nempe hoc prognosticon omnia alia quæcũque cæteri sancti habere potuerant longe superare. Magnum illud erat S. Chrysostomi
Historia Lombard. Prognosticon, de quo scriptores vitæ suæ referunt, examen apum in ore ejus consedisse. Magnum illud S. Nicolai, dum a matre lactaretur, ter infantem in septimana omninò a lacte abstinuisse. Magnum illud S. Thomæ Aquinatis, quod dũ infans à nutrice lavaretur, chartulam è terra sublatam in qua exarata erat angelica salutatio, ne sibi eriperetur, in ore absconderit & deglutiverit, sed omnia minora sunt prognostico S. Joannis Baptistæ, illa enim nempe Chrysostmi, Nicolai, Thoæ Aquinatis, illa significabant quæ in futuro tempore evenire debebant, nempe Chrysostomum fore eloquentem. Nicolaum abstemium Thomam Aquinatem virginis Beatissimæ amatorem, at prognosticum S Ioannis, quam primum ei demonstratum simul etiam eodemq; tempore adimpletum fuit, tunc enim cum ad salutationem sanctæ virginis, infans Joannes in utero exultavit tunc etiam sanctificationem obtinuit, tunc nomen Ioannis, tunc officium præcursoris, tunc spiritum prophetiæ, & demum tunc *Manus Domini erat cum illo*. En igitur hujus prognostici excellentia; alia erant solæ figuræ eventutum futurorum, hoc vero fuit ipsum figuratũ donorum præsentium.

V. Sed quid ibi manus Domini ad agendũ habuit? nonne sufficiebat unum exultationis prognosticon? Quod in salutatione Mariæ virginis, verbum quoque incarnatum vocem salutaverit, & vox tanquam echo eidem exultatione responderit, id bene quadrat; sed dum audio istud: *Manus Domini erat cum illo* hoc non capio, quid enim verbo aut voci cum manu? Sed parumper Auditores, aspicite aliquam figuram siue imaginem, quâ mysteriũ visitationis Elisabeth & salutationis Mariæ virginis depingi solet. Nonne ibi porrectam utriusq; dexteram, unamque alteri junctam, & insertam conspicitis? Quod ergo fiebat inter Mariam & Elisabeth, idem inter verbum incarnatum, & vocem, inter Christum Dominum & Ioannem. *Manus Domini erat cum illo*: Sed cujusnam rei fuit Prognosticum? Compertum & exploratum est apud diversos Autores, per porrectionem manus stipulationem, & pollicitationem significari, hæc enim cæremonia spondendi est manus sibi dare. Unde Salomon: *Si spoponderis amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam.* De Atmenis & Iberis testatur Cornelius Tacitus, quocunque fibi spondebant aliquid, manus sibi dabant & implicatas tam diu stringebant, donec ex aliquo digito sangvis exiret, qui pro fœdere utrinque habebatur. Verbum incarnatum sanctificavit Ioannem in virtute sui sanguinis in cruce fundendi, & ad id, dedit manum Joanni, ille vicissim suam, ad quid! Quod etiam gladium Abraami Isaac immolantis suo collo adimplere velit. Quod & factum quia decollatus fuit pro veritate quæ est Christus Jesus.
Amen. *Prov. 6. v. 1.* *Cornelius Tacitus lib. 12.*

IN FESTO SS. APOSTOlorum Petri & Pauli,

CONCIO I.

Ego dico tibi quia tu es Petrus. Matth. 16.

MOris est auditores, ut quicunq; velit in aliqua petra seu in aliquo solido loco ædificare magnam domum, quærere soleat bonos Architectos qui sibi ædificium firmum & stabile extruere queant: ita fecit Rex Salomon, qui postquam decrevit ædificare domũ nomini Domini & palatium sibi, misit ad Hyram Regem Tyri de artificibus, qui ad faciendum opus illud essent idonei. 2. Paral. cap. 2. Ædificium quod struebat Salomon, magnum erat, nam ipsemet in eodem cap. ait: *Domus quam ædificare cupio magna est* Sed domus quam ædificavit Rex noster Christus Dominus major est. Nam de ipsa habemus ad Hebræos cap. 3. *Christus Iesus amplioris gloriæ præ Moyse dignus habitus est, quantò ampliorem honorem habet domus qui fabriavit eam*: ad quam fabricandam elegit Apostolos, inter quos amplissimo huic ædificio duos præfecit Architectos nempe Sanctum Petrum. & Paulum Apostolos, unum qui ex natione Judæorum, alterum verò qui ex gentiũ conversione ad fidem Christi Jesu, vivos lapides colligerent, & tali ædificio præpararent. Unde cũ diligentissimẽ opus suum consummaverint, meruerunt laudibus honorari, quas ego vobis audientibus proponam taliter, ut etiam nostræ instructioni spirituali prodesse possint.

2. Paral. 2. v. 5.

Ad Hebr. 3. v. 2.

I. Diligens erat Salomon in ædificanda domo Dei, sed Christus multò diligentior, quoniam ille rẽ suam egit per litteras, scribendo ad Regem Tyri, ut ipsi mitteret artifices: Christus verò id non fecit per litteras, sed uti ait textus sacri Evangelii *Venit en partes Cæsareæ Philippi, & interrogavit discipulos suos dicens: Quem putant homines esse filium hominis.* Scitis ne quo fine venit ad locum istum, & cur statim postquã venit, discipulis suis eam quęstionem proposuit? Legite tertium caput libri Esdrę, ibi invenietis, qualiter tres illi juvenes, custodes Regis Darii quæstionem sibi proposuerint, ut diceret unus quisq; illorum sermonem qui præcelleret, & cujus appareret sermo sapientior alterius, ille accepturus erat à Rege dona magna 3. Esdræ cap. 3. Ita planè & Christus fecit. Proposuit suis discipulus quæstionem, quã audistis, ut qui super illa sapienti⁹ responderet, ille donaretur ab illo magnis muneribus: dum ergo ventũ fuisset, ut respõderent, protulerunt responsa satis vulgaria. Nempe quod aliqui dicant esse ipsum Joannem Baptistã, alii autem Eliam, àiii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis, at dum Christ⁹ urget & postulat ut suam propriam ipsi darent sententiam, quid de ipso sentirent, dicens: *Vos autem quem me esse dicitis?* Respondens Simon Petrus dixit: *Tu es Christus filius Dei vivi*: Hoc responso magna muneta Petrus promeruit. Sed quidnam illi Christus contulit? nunquid purpuram? aut aurũ? num currum aureum & vestem byssinam, & torquem circa collum? Quæ tres illi pueri loco præmii sibi statuerant. Non minus enim donum Petrus promeruit, Sed quodnam accepit? Magnum sanè, fecit eum supremum Architectum domus suæ nempe Sanctæ Ecclesiæ, dicens: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves Regni cælorum.*

3. Esdr. 3.

v. 16.

II Summa hic in præmiando Petro Christi Domini liberalitas, sed magis in eo admirãda, quia dum eum constituit Principẽ Orbis & caput Ecclesiæ suæ, taliter eum præficere voluit, ut regimine suo non gravaret quem piã ex subditis, sed potius omnibus prodesset ad bonum, Non caret sanè mysterio quod in Cęsarea Philippi, eam dignitatẽ Petro commiserit. Cæsarea civitas fuit sic vocata à Philippo in gratiã Cæsaris Domini sui, ubi exactiones & atributa provinciæ ipsi Cæsari servabantur collecta Meritò ergò Petrus claves Regni accepit in eo loco, ubi Philippus census & tributa pro Cæsare colligebat, ut evidenter pateat discrimen inter Christi ministros & mundialium Principum. Ministri hujus mundi quantùm utiles sunt in regimine populorum, tantùm fiunt iisdẽ per exactiones & tributa gia-

ves.

vis: sed ministri Regis summi Jesu, toti sunt impensi ad salutem & alia bona spiritualia fidelibus populis conferenda. Hoc discrimen pulchre demonstrat ille Ægypti Protex S. Joseph Patriarcha: fecit illum Pharao Principem totius regni sui, sed qualiter administravit officium suum? Magna sane differentia in eo apparuit. Venerunt Israelitæ quærentes frumentum ut possint vivere, ille autem & frumentū dedit, & pecuniam pro eo datam, illis iterum restituit. Venerūt quoq; Ægyptii petentes ab ipso frumenti escas, & ecce pro illis non solum oblatas pecunias sed etiam eorum pecora & terras ab illis accepit. Uterq; populus habuit sublevamen à Principe. Sed uni erat facile, cui pecuniæ reddebantur, alteri vero nimis grave, qui nō solum pecunias, sed ipsam quoq; libertatem pro illo frumento comparando offerebat. Quod eleganter describit Cassiodorus libro 12. Variar. 28. cap. dicens. *Ioseph legimus contra famem funestam emendi quidem tritici dedisse licentiam, sed tale posuisse pretium, ut sua subventionis avidus, sepotius venderet, alimoniam mercaturus.* Post pauca ait ulterius. *Credo virum sanctum hac necessitate constrictum, ut & avaro Principi satis faceret & periclitandi populo subveniret.*

Cassiodorus.

III. Ecce quanta disparitas inter ministros Regum hujus mundi & inter ministros Christi Domini Regis nostri: illi quidem tenentur invigilare saluti plebis, bonū commune promovere, & his ad quos sua se extendit cura, proficui esse, sed ex æquo regalibus etiam thesauris debent prospicere, unde fit quod dum ipsorū opera populos ab aliquo malo liberatur, aliud non minus incurrat, dum gravatur censibus & tributis ob quę amissionem etiam suorum bonorum cogatur pati: at aliter se habent ministri Christi Jesu, qui licet de salute & omni fidelium cōmodo solliciti esse debeant, id tamen fiat sine omni gravamine, jugum enim Christi suave est & onus ejus leve. Talis erat minister Christi Sanctus Petrus Princeps Apostolorum: hic enim nō in virga ferrea, sed in spiritu lenitatis sanctam rexit Ecclesiam, cibum verbi Dei sufficientē prębuit populo, sed nō prō pecunia, & possessionibus hujus mūdi, quin sicut à Christo gratias acceperat, ita etiā gratias distribuerat. Teodoretus de glorioso illo Duce Josue Pulchrum protulit testimonium. Hic enim Princeps post tot victorias partas, post introductū Israelem in terram promissā, post distributas Provincias, nil sibi retinuit, nihil sibi elegit è tot terris acquisitis. Verba sunt Autoris *Iosue cum aliis terram dispertiret, sibi non distribuit aliquam portionem.* Sed amplius aliquid dici potest, de Principe Ecclesiæ Catholicæ S. Petro. Hic enim eū tot victorias, de carne, mūdo, & Diabolo retulisset, glorioſum Christianæ fidei vexillum Romæ, & in cæteris fidelium partibus erexisset, cum tot gentes & regna ad terram promissionis deduxisset, nullam sibi in terris portionem relinquere voluit. Quod evidenter patet testimonio S. Matthæi scribentis 19. cap. taliter. Dixit Petrus ad Jesum. *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te.* Imo quantus amator fuerit paupertatis, testatur S. Lucas, in actibus Apostolorum cap. 5. in quo describit quantam S. Petrus fecerit invectivam in Ananiam, qui servata sibi parte pecuniæ de agro vendito, aliam partem ad pedes Apostolorum deposuit, ob quod scelus cum á S. Petro fuisset redargutus in terram corruit, & subito expiravit.

Cassiodorus ubi supra.

Matth. 19. v. 27.

Luc. 5.

IV. Non longe distabat ab eodem Principe Ecclesiæ, S. Paulus Doctor gentium: hic n. cū pro salute populorum, plurimos in terris labores pertulisset, uti ipsemet in suis Epistolis aliquoties protestatus fuerat, nihil ab aliquo prēmii seu mercedis accipere volebat, sed eā solam à Deo expectabat dicens: *Bonū certamē certavi, cursū consummavi, fidē servavi, de reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* 2. ad Tim. 4. Excellentissimum fuit præmium quod sibi S. Paulus proposuit. Sed non miremini, talia decebant Principes à Deo constitutos. Ecce Petrus minime sperabat dicturū Jesum quod ab ipso sibi dici audivit. *Beatus es Simō Barjona quia caro & sanguis non revelavit tibi, Sed Pater meus qui est in cælis.* Revelatio divinitatis, omnium donorum maximum est. Id semel exoptaverat Moyses, cum diceret. *Ostende mihi faciem tuam.* Sed negativā accepit à Deo. Sed cur uni Petro hanc revelat Dominus divinitatis suę cognitionem? Cur non simul & universis aliis Apostolis, ibi existentibus eandem nō revelat? Ideo, quia Petrus omnium primus, ideo illi inter omnes prima & præstātiora tribuit Ad hæc Divus Damascenus Oratione de transfiguratione ait. *Deus eū erudit, qui primus vocatq; fuerat ac primq; secutq; fuerat, quē pro sua præscięntia dignū Ecclesiæ Antistitē prædestinārat.*

2. Timoth. 4. v. 7.

Exod. 33.

D. Damascenus.

V. Similiter & S. Paulum tale præmium sibi promisisse non est mirum. Dictum illi fuerat à Christo. *Vas electionis est iste mihi.* Act. 9. ut portet nomen meum coram Regibus. Cōsue-

Actor. 9. v. 15.

tetur

verunt Domini terrestres varia habere vasa, pro diversis rebus; unum altero carius. Græcis quoq; vasa seu crateres impleri vino coronabantur. Nec S. Paulus erat vas vacuum; sed
1. Cor. 15. impletum divina gratia: quod ipse ait 1. Cor. 15. Erat vas electionis; ut portaret nomen Christi coram Regibus. Unde pro tali commissione dignus est habitus corona, non terrenâ, sed cælesti; qua hi duo SS. Apostoli gloriosè insigniti lætantur in æternum, Amen.

IN FESTO S. APOSTOlorum Petri & Pauli,

CONCIO II

Nomen eorum permanet in æternum. Eccl. 46. vers. 15.

DUo illi Patriarchæ Iosue & Caleph, tantum sibi fecerunt nomen inter filios Israelis, ut cum sacer textus eos prolixe collaudasset, ob varia pro populo gesta; hisce tan-
Eccl. 46. dem finem laudibus imponat: *Nomen eorum permanet in æternum.* Duobus his Patriarchis & Ducibus antiquæ legis, non inferiores ego in novo invenio: nempe S. Petrum & Paulum Christi Apostolos. Hi enim SS. Patriarchæ, & Principes Ecclesiæ Christi nostri extitêre duces, qui nobis ostêderunt iter ad terram promissionis æternæ; cum tot hostibus gessêre bella: tot per fidem vicerunt regna, tandem adepti repromissiones in Christo Jesu. Quid dicendum de tantis viris? Quid de tantis Magistris qui quidem opere & sermone omnem naturam creatam vicere, tam in
Ad. Ephes. 3. v. 10. cælo quam in terra? In cælo dico: *Vt innotescat nunc Principatibus & Potestatibus in cælestibus, per Ecclesiam multiplex Dei Sapientia.*
Psal. 18. v. 4. In terra dico: *Quia in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Nec mihi sanè aliud dicendum venit, quam eadem verba Ecclesiastici: *Nomen eorum permanet in æternum.* Et quam vis jam audi veritis, unde hi SS. Apostoli immortale nomen sibi comparaverint, ampliora tamen in ipsa concione audietis.

V. Quod concernit inprimis Sanctum Petrum, nullum est dubium, illum ex multis rationibus æternum sibi nomen comparasse: si n. inspexerimus hodiernum Evangelium, & illa verba pensaverimus: *Tibi dabo claves Regni cælorum*: ex iis saltem nomen S. Petri, sin-
Matth. 16. v. 19. gularem immortalitatis titulum sortietur. Pensando n. qualiter Dominus vi verborum suorum S. Petrum Vicarium suum in terris summumq; Pontificem constituerit; ex ipsa Ecclesiæ [quæ Christi sponsa est] Sanctitate Majestate & potestate, nominis quoq; sui excellentiam & magnitudinem haud difficile pensate poterimus. Sed dignum est admiratione, cum Dominus claves pollicitus sit Petro, quidnam illi contulit, nisi vincula, verbera, itinera, sollicitudinem omnium Ecclesiarum, lassitudinem, famem, & deniq; crucem? Sanè nemo id mirabitur, qui pensare voluerit ad similem honorum, quam suo Apostolo Christus contulit, nempe clavium potestatẽ, hæc fuisse necessaria. Qua de re 1. Petri 4, elegans habemus testimonium. *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis. quoniam, quod est honoris, & gloriæ, & virtutis Dei, & qui* 1. Petri 4. v. 14. *est ejus Spiritus, super vos requiescit.* Hinc nullus est Apostolorum, qui non fuerit passus pro Domino: talis n. passio futura ipsis erat, non ad contumeliam, sed ad majorem gloriã: hanc S. Andreas in cruce viderat: dum n. ducebatur crucifigendus, ita conspectam salutavit: *Salve crux pretiosa, quæ es ex membris Iesu Christi tanquam margaritis ornata, suscipe discipulũ ejus, qui pependit in te Magister meus Christus.* Similiter S. Paulus in vinculis gloriari solebat; quia gloriam suam in iis collocabat. Unde patet, vincula, verbera & crucem S. Petri dignitati clavium suorũ nihil derogasse, quin majorem illis gloriam addidisse, ut & nos discamus, qui clavem S. Petri veneremur in tetris, per multas quoq; tribulationes oportere nos intrare in Regum Dei.

II. Quam-

II. Quamvis ergo Ecclesia Christi Domini multis persecutionibus sit exposita, nullum tamen casum metuit, nam in tam firma stabiliq; petra fundata est, contra quam non solum mallei, secures, & enses, sed neq; ipsæ inferi portæ prævalebunt: sicut autem [juxta illud axioma Philosophicum; Qui dat formam dat consequentia ad formam) Dominus Deus quâ Author naturæ, omnibus creaturis indidit virtutem naturalem, quâ mediante possint evitare quæque incommoda sibi contraria: ita quoq; quin principalius, Deus in quantum est author gratiæ, præsto est sanctis suis, quibus confert virtutem ex alto, quo minus à quacunque diversitate mundi superari queant. Indignum se reputabat Jeremias officio suo ad quod à Deo vocabatur. Quapropter dicebat: *Ecce nescio loqui quia puer ego sũ.* Sed mox audivit vocem Dei, ita sibi respondentis: *Noli dicere quia puer sum, quoniam ad omnia quæ mittam te ibis, & quæcunq; mandavero tibi loqueris.* Videbatur Propheta Dei prætexere quandam pusillanimitatem & formidinem, & ecce adest confortatio, dicentis: *Ne t meas à facie eorum quia tecum ego sum.* Eodem modo Isaias Propheta, subterfugere officium suum volebat, labia sua quia polluta essent incusando: sed accedens Seraphin purificavit linguam, ut exequendo muneri suo aptus foret Similiter & Moyses dum se excusare conaretur ne pergeret in Ægyptum ad Regem Pharaonem, propter liberationem Israëlis, atq; diceret se non esse eloquentem, esponditei Dominus: *Perge & ego ero in ore tuo docebo q; quid loquaris.* Cum ergo Sancti Apostoli Petrus & Paulus ad summam Ecclesiæ Sanctæ dignitatem vocati à Christo fuerint, ad regendam ipsam, omnem ab eodem virtutem acceperunt quâ cuncta superarent incommoda.

Jerem. 10. v. 6. v. 7.

Exod. 4. v. 12.

III. Quod concernit S. Petrum cui commisit suam Ecclesiam, hinc certè & dignitas Apostolorum Principis & amor Christi in Ecclesiam elucescit: dignitas inquam Apostoli simulque Ecclesiæ suæ dilectio, huic enim tanquam sponsæ suæ dilectæ, tale caput præparabat, de quo illud diceretur Cant. 5. *Caput ejus aurum optimum*: non deauratum, aut aureum, sed aurum ipsum, & optimum quidem, dignum caput, ut tali corpori præficeretur. Statuæ illius quam Rex Assyriorum in somnis viderat, caput ex auro optimo erat: sed non diu duravit, dum enim lapis à monte abscissus statuam percussisset, sic eam comminuit, ut omnes partes quibus constabat, in pulveres redigerentur. Statua Ecclesiæ Christianæ multò est facilior, nullum enim casum metuit, quia fundata est supra firmam petram.

Cant. 5. v. 11.

Daniel. 2.

IV. Hinc egregium motivum habeo S. Petrum Ducem Ecclesiæ Christianæ cum Moyse Duce Israëlis comparandi. Moyses de petra eduxit aquam, ut sitiens populus biberet: Sanctus Petrus magis salutarem fontem nobis præparavit, nempe Sacramentorum & cælestium gratiarum, cui Christus Dominus sanguinem è fonte sui corporis profluentem totum concredidit, omnia sua merita & satisfactionẽ pro nobis factam, ut eo medio nostrę provideret saluti. Nõ sine Mysterio sacri, summiq; Pontifices officia sua exercent sub annulo piscatoris, siquidem succedunt Petro in munere & dignitate, qui fuit aquæ ductus, ab ipso fonte proveniens, nempe Christo Jesu. Non sine causa Moyses multoties cum aquis negotiari solebat, quia repræsentabat figuram Petri. Moyses assumptus fuit de aquis à filia Pharaonis, & Beatus Petrus, à Christo vocatus est de mari. Moyses vidit Deum in rubo ardente & non combusto: Beatus Petrus vidit Christum transfiguratum in monte Thabor. Moyses fungebatur legatione ad Pharaonem ut dimitteret populum. Beatus Petrus missus fuit à Christo ad prædicandum gentibus. Moyses duxit populum, per desertum in columna nubis & ignis. Beatus Petrus deduxit populum Dei, per Spiritum Sanctum quem acceperat in linguis igneis. Moyses ministerio Angelorum, vidit manna præparatũ popu'o Dei. Beatus Petrus vidit Christum, de quinq; panibus, quinq; millia, & de quatuor panibus quatuor millia satiantem in deserto. Moyses ut judicaret Synagogam Spiritum Sanctum à Deo accepit. Beatus Petrus non solùm accepit Spiritum Sanctum pro se, sed dum imponebat manus super aliquos, ipsi accipiebant Spiritum Sanctum. Et ut nou comparationi huic finẽ faciam, unum dico. Cum perfectior sit Ecclesia Christi, quàm fuerit Synagoga Judæorum, hinc etiam patet S. Moyse Patriarcha antiquę legis prę stantiorem fuisse Sanctum Petrum Patriarcham novæ legis.

Exod. 2.

Matth. 4.

Exod. 3.

Matth. 17.

Exod 4.

Exodi 12.

Actor. 9.

Exod. 16.

Num. 11.

Actor. 8.

V. Sed quid de S. Paulo proferam? Quem S. Chrysostomus satis laudare non potuit, id ego minus efficere valeo. Sed quid faciam? hodie festum est utriusq; liceat ergo utrumq; simul prædicare, & quidem sensu verborum Pelagii Papæ. Qui in hoc fælicem ait S. Petrum, quod ei data fuerit societas Sancti Pauli, qui erat vas Electionis Jesu Christi, nempe quod non diverso, sed uno tempore, una eademq; die, gloriosa morte sua in Urbe Roma Ecclesiam Christo Domino consecrarunt. Certè non absrefactum fuit, quod in vita & morte socii fuerint individui. Hi enim sunt mundi illa duo luminaria: nempe Petrus luminare majus ut præesset nocti, scilicet gentilium & infidelium nationi Magna certè luminaria; nàm unus est Janitor cæli, & alius Doctor mundi, ambo autem Thesaurarii fideles summi Regis. Petrus Magister Apostolorum. Paulus cognitor œconomiæ supernarum virtutum. Petrus Apostolorum Princeps, Caput Ecclesiæ, Christi Vicarius, Claviger Regni cælorum, Paulus novi Testamenti Prædicator, Christi imitator Apostolus omnium Christianorum. Doctor gentium, tuba Spiritus Sancti, hæres stigmatum JESU CHRISTI, & tandem civis cælestis paradisi. Ambo Ecclesiæ Romanæ Patres, quorum uterq; decimo tertio imperii Neronis anno, uno eodemq; die, alter crucifixus, alter verò necatus gladio, ad breve tempus separati, nunc ambo in cælis gloriose triumphant & regnant cum JESU CHRISTO Salvatore nostro. Qui cum DEO Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in sempiternum, Amen.

IN FESTO S. APOSTOlorum Petri & Pauli,

CONCIO III.

Laudemus Viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua.
Ecclesiast. 44. Vers. 1.

AUditores mei. Si ego ex hoc numero vestrum aliquos simpliciores interrogarem, quid nam illis ad hanc domum Dei viam ostenderit, dicerent quod pulsus solemnis campanarum illos impulerit, qui in signum annuæ solennitatis Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli factus, nos convocavit, ut huc ad laudandum Deum ejusq; Sanctos veniremus. Sed ego aliud instrumentum quo huc convocamur invenio, Num. 10. ubi his verbis locutus est Dominus ad Moysen, dicens: *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles quibus convocare possis multitudinem. Cumque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad ostium tabernaculi fœderis.* Ex quo loco Sacræ Scripturæ, concursus vestri ad sacrum locum hunc, eam causam invenio. Illud enim tabernaculum fœderis, quid aliud designat quàm templum Dei? ad hoc igitur convocati estis. non tam pulsu campanarum quàm istarum duarum tubarum perstrepenti sono. Sed hæ duæ argenteæ tubæ, ubi nam sunt? Una tuba, est S. Petrus, Primas Apostolorum Domini. Altera est S. Paulus Doctor gentium, quorum solemnis memoria in Ecclesia Sancta recolitur. Dico fuisse tubas Quia in omnem terram exivit sonus eorum. Dico argenteas, quia pura voce prædicarunt Evangelium Christi Jesu. Dico ductiles, quia sicut tuba argentea per tusionem mallei, ductilis efficitur, sic ambo hi Apostoli, experti fuerunt multas tusiones passionis, & postremo sub Nerone Cæsare, Petrus crucifixus, Paulus verò gladio detruncatus, cursum vitę suæ finiverunt. Quam autem elegantem sonum hæ tubæ ediderint, testatur responsum S. Petri, quo ad interrogationem Christi insonuit; *Tu es Christus filius Dei vivi.* Sãcti verò Pauli quãvis nulla sit mẽtio in hoc S. Evãgelio, nihilominus & hic Apostolus quã fort iter buccinaverit tuba Evãgelica, quã audivit totus orbis, passim patet ex his Epistolis, quas in diversas orbis partes destinavit, Sunt

Num. 10. v. 2.

Matth. 16. v. 17.

ut

ne hæc parva laudum principia, quæ hisce duobus Sanctis Apostolis deserviunt? Certè sunt satis ampla & magna, sed majora audietis, si diligenter attendere volueritis.

I. Non mirabuntur Auditores mei, dum me totum propensum & devotum, vident ad laudes hisce Sanctis Apostolis dicantandas id sanè non absq; ratione facio, hi enim sunt viri glorioſi & parentes nostri in generatione sua, hi inquam sunt parentes nostri, qui nos per fidem sacram Christo genuerunt, qui nos lacte Evangelii nutriverunt, suaq; cura paterna ad perfectum & spiritualem ætatis statum deduxerunt. Hi duo, sunt duo luminaria magna, quæ Deus posuit infirmamento cæli. Solem ut præesset diei. Lunam autem ut præesset nocti. Voco luminaria Ecclesiæ Petrum & Paulum Sanctos Apostolos; Petrum dico Solem, quia de die lucebat, nempe genti illi Judæorum communicabat lumen suum, qui aliquam partem divinæ lucis habuerunt. Sanctum Paulum dico esse lunam, quia nocte, hoc est lucebat gentibus, qui nullum adhuc gratiæ divinæ lumen habuerunt: ista duo luminaria habent in effectu magnam potestatem in his inferioribus, in motu magnam velocitatem, in luce magnam claritatem, in situ loci magnam sublimitatem & in quantitate excellentem magnitudinem: nam unus illorum est Janitor cæli, & alius Doctor mundi, ambo habuerunt magnam sapientiæ claritatem. Petrus didicit illam in Magistro suo Jesu Christo. Paulus verò in Schola Angelorum, dum raptus in tertium cælum illa vidit & audivit: quæ non licet homini loqui. Petrus conabatur agro veteri & infæcundo, & in umbra legis veteris delitescenti lumen divinum impertiri. Paulus autem crucis aratro novam terram colebat & arabat, & in qua antea penitus nihil creverat, largo Evangelii semine fructuosam fecit. Petrus vineam sterilem & desolatam renovabat, Paulus autem novam fundabat. Hic enim Judæis, alter verò gentilibus prædicabat. In summa hi duo Apostoli Ecclesiam Christi Domini fundarunt, & magnopere dilatarunt.

II. Numquid igitur suis præconiis privabuntur? Utinam sanè haberem eloquentiam talem quâ olim pollebat Cicero, Plato aut Demesthenes, totam converterem in laudes debitas, easq; hisce duobus Ecclesiæ nostræ Patriarchis dedicarem. Si enim Græcorum natio suos Sapientes prædicat. Si Lacedæmones & Spartani figuras & imagines prædecessorum suorum circumgestare solebant, Romani vero triumphos celebres suorum Imperatorum conscribebant, & per Oratores suos ex rostris & cathedris palam decantabant. Cur nos ultimi debemus esse, cum plura encomia tituloſq; laudum habeamus, quibus Patres nostros, Principes Ecclesiæ & in Christo potentes celebrare possimus? Diversi sanè authores amplissimam mihi subministrant laudum materiam, atqui ego post ponendos duco, cum unum Oratorem habeam, qui dissertissimas omnium linguas longe superet & excellat, & hic est Christus Jesus verbum & sapientia Patris sui cælestis, qui in hodierno Evangelio Sanctum Petrum Apostolum mirificis laudibus effert. Et quemadmodum bonus Orator, si aliquem laudare intendat, exordiri solet à præambulo aliquo. Sic & Christus Dominus excellentem orationem suam à quæstione, loco præambuli incipit, dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis?

III. Pensate Auditores in hac oratione Christi subtile artificium. Habent Oratores suos locos, quibus in suis orationibus uti solent: vultis nosse cur Christus Dominus à tali quæstione incipiat? ideo ut ex responso Petri possit habere laudum suarum materiam: & quod semel egit Rex Magnus Alexander, simile quid Rex noster Christus Jesus: ille enim Monarcha, cum jam tot regna, tot terras cum Regibus, tot Provincias suis cum Principibus suo subjugavit imperio, convocatis suis aulicis eam ipsis quæstionem proposuit. Quem nam ipsum dicerent, & quidnam de se sentirent? & cum pleriq; diversimodè illum collaudarent, assurgens quidam ex principalibus, dixit: Quæris à nobis Rex Magne Alexander; Quem nam te dicamus, & de tua magnificentia quid nam sentiamus? tu quidem existimas Philippi Regis Macedoniæ te esse natum; sed multum falleris, tu enim non homo, sed Deus es, nempe magni Dei Haimonis filius: talem confessionē gratam, acceptavit Alexāder suumq; præconem multis affecit donis. *Plutarchus.*

simile quid feciſſe video Chriſtum Jeſum, cum enim poſt baptiſmum à Joanne ſuſceptum, multa patraſſet miracula quæ Sanctus Matthæus deſcribit in diverſis operis ſui Euangelici Capitulis; nempe 4. capite. Qualiter circumiens Galilæam varios hominum langvores curaverit: 8. capite qualiter deſcendens de monte leproſum mundaverit. puerum Centurionis paralyticum curaverit, ſocrum Petri à febribus liberaverit, tempeſtatem in navi ſedaverit, in terra Geraſenorum dæmonia ejecerit: 9. capit. Principis filiam à morte ſuſcitavit, mulierem à profluvio liberavit, oculos cæcorum aperuit, ſurdum & mutum dæmonium ejecit: 12 capite manum aridam unius hominis perſanavit, hominem à dæmonio, cæcum & mutum cutavit: 14. quinque virorum millia ſatiavit, ſupra mare ambulavit, & in terra Geneſar multos langvores curavit. 15. Filiam Syrophœniſſæ à dæmonio curavit, ſecus mare Galilææ, claudos, mutos, cæcos ſanavit, de ſeptem panibus & paucis piſcibus quatuor millia hominum ſatiavit. Hæc & plura miracula cum feciſſet Chriſtus coram ſuis diſcipulis, poſtmodum veniens cum iiſdem Cæſaream Philippi, interrogavit eos dicens: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Non fecit eam quæſtionem, alia ſuperbia motus, ſicuti Alexander, Nero, Caligula, Nabuchodonoſor, qui pro Diis haberi volebant, ſed ideo ut probaret diſcipulos, quantum in doctrina ſua profeceriat, & deinde ut ex illorum reſponſo ampliorem loquendi materiam habere poſſet.

Matth. 4. c. 9. c. 11. c. 14. c. 13. v. 13.

IV. Et cum ſui diſcipuli diverſas de illo hominum opiniones retuliſſent, & Chriſtus amplius urgeret, ipſi ut ſuam dicerent: *Vos autem quem me eſſe dicitis?* reſpondens Petrus dixit: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Paucis reſpondit Apoſtolus, ſed valde prudenter; hiſce enim verbis confutantur errores tam Judæorum qui Chriſtum Jeſum pro filio Dei non agnoſcunt, tum etiam Gentilium qui res creatas & inſenſibiles pro Diis colunt, contra quos errores Sanctus Apoſtolus dixit: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Sed quid tum? poſtquam Chriſtus Dominus tale reſponſum accepit à Petro, mox intulit: *Beatus es Simon Bar Iona.* Alexander magnus remuneravit præconem ſuum. Sed Chriſtus Dominus pluribus donis Sanctum Petrum honoravit. Quando Beatum nominavit, Beatitudine enim nihil pretioſius eſſe poteſt, quæ conſiſtit in viſione dei, quam Chriſtus Jeſus promiſit Petro adhuc in terra degenti. Ecce quia Petrus intenderat oculos in divinitatem Chriſti per fidem, ob talem confeſſionem beatus ab eodem declaratur. Et quid majus Apoſtolo dare potuit? Rex David cum multa habuiſſet, quæ ipſi adferebantur aliunde, nempe aurum, argentum, & lapides pretioſi, inſuper ampliſſimum regnum poſſideret, ab his tamen omnibus ſe animum adverſum habere pronunciavit, dicens Pſalmo 15. *Hæreditas mea præclara eſt mihi.* Super quæ verba ſcribens Hugo Cardinalis, ait: Regem David non terras bello ac quiſitas, non regnum opulentum, non divitias auri & argenti, ſed ſolum Deum ſibi pro hæreditate elegiſſe.

v. 16. v. 17. Pſalm. 15. v. 6. Hugo Card.

V. Hinc patet ſumma Divi Apoſtoli Petri fælicitas, cui non terra promittitur, ſicut Abraamo; ſed cælum, non multiplicatio Gentium, ſed fidelium, ex quibus tanquam è vivis lapidibus ædificanda & fundanda erat Eccleſia Chriſti ſupra firmam petram, dicente Domino: *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Quod attinet Sanctum Paulum quamvis in hodierno Evangelio nulla ipſius mentio fiat, nihilominus eandem cũ Divo Petro laudem promeretur. Quia fuit ſocius paſſionis & martyrii quod pro Chriſto Domino fortiter ſuſtinuit, & ſicuti Petrus Chriſti divinitatem confeſſus fuit, ita & Paulus eandem per multas Epiſtolas in diverſis partibus prædicavit, & in tali confeſſione bonum certamen certavit uterq; & ſangvine conſummavit. Laudemus ergo vitos glorioſos & parentes noſtros in generatione ſua, noſq; eorum interceſſionibus commendemus, ut qui nos per fidem Chriſto genera-runt, & nutriverunt per Evangelium, participes habeant vitæ æternæ. Amen.

v. 18.

IN

IN FESTO SS. APOSTOLORUM, Petri & Pauli,

CONCIO IV.

Statuit duas columnas in porticu templi. 3.Reg.7. v.21

LEgimus in sacris Regum Annalibus, sapientissimum Regem Salomonem in porticu templi illius sumptuosi, duas columnas collocasse. Hæ columnæ, & fortes erant, & excelsæ: fortes, quia à subtilissimo Hyram artifice, ex ære fusæ: Excelsæ verò, quia ipsum stipitem illius columnæ mensurando 18. erat cubitorum, seu ut dicitur 2. Paralip. cap. 3. quantitatem basis & capitelli supputando 35. cubitorum. Harum columnarum unam Jachin, id est directio, seu rectitudo, alteram Booz, id est fortitudo nuncupavit. Prodigiosæ hæ duæ columnæ videbantur; at ego alias duas columnas video, quæ miracula omnium columnarum superant, quas esse dico Sanctum Petrum, & Sanctum Paulum Apostolos Christi Jesu, quos ille majori prudentia, quàm ille Salomon ante fores templi, id est Ecclesiæ suæ collocavit, meritò columnæ dicti: si enim juxta sententiam Divi Hieronymi, Bedæ, Eucherii, cæterorumque *Columnæ sunt Apostoli*: potiori jure hisce duobus Sanctis Apostolis conveniunt, qui erant excelsi, nempe contemplatione ad superna erecti, ac fortes fide & opere, deniq; duo numero, quorum unus Judeorum, alter verò gentium nationem fulciebant, quod quam fructuosè & gloriosè peregerint in hac concione enarrabo.

2. Paral. 3.

I. Tam è sacro textu, quam etiam interpretatione Venerabilis Hugonis patet, non solas illas duas columnas, sed alias quoque plures, in porticu templi Salomonis fuisse collocatas, istarum tamen duarum, ideo singularem haberi mentionem, quia cæteras opere suo ad mirabili superabant. Similiter Christus Dominus non hos duos tantum Apostolos, sed plures habuit, quos ante faciem Ecclesiæ suæ sanctæ collocavit. Sed sicut illæ duæ columnæ omnes alias, ita hi duo Sancti Apostoli, cæteros Sanctos Apostolos (unus in quam primatu officii Apostoli, alter verò gentium omnium magisterio) antecedebant. De S. Petro patet ex hodierno sacro Evangelio, in quo describitur, quod cum Jesus venisset in partes Cæsaræ Philippi, & interrogasset discipulos suos dicens: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Petrus inter cæteros hæc & illa asserentes, prodiit in medium dicens: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Diserti Oratores si in aliqua causa alterius declamant (sicuti fecerat quondam Cicero in Rostris Romanis) solent hinc expectare aliquod præmium. Oratio Petri brevis fuit verbis, sed altissimo sensu, quin ipsa latebat, prolixas quasq; superabat: sed quidnam obtinuit præmii? multùm sanè: quàm primùm enim cessavit ille loqui mox Christus convertit se ad laudandum Petrum dicens: *Beatus es Simon Barjona*: numquid exile erat præconium, discipulum à Magistro, servum à Domino suo, beatum appellari? plurimum id demitatus fuit insignis quidam Theologus dicens: *O felix piscator eum tua laudis oratorem nactus, cujus verba & te summe extollunt, & efficaciam habent præstandi, quidquid in te prædicant magnum.* Sed quidnam tale putamus? prædictus author prosequitur, dicens: *Iam beatus es, jam Ecclesiæ caput, claves regni habes.* Sanctus Paulus Apostolus Domini, ille quidem novissimus erat in ordine, sed si merita & virtutes illius attendamus, inter primos collocandus erit, hic enim postquam in gratiam rediisset, jam factus vas electionis, jam in Apostolicæ dignitatis culmē evectus,

v. 13.

Beza 14. cap. 2.

Hugo in 3. Reg. 7.

S. Hieron. in Apologo ad Pammach,

jam factus Doctor gentium, & ut Hieronymus ait, Paulus *Tuba Evangelii, rugitus Leonis, flumen eloquentiæ Christianæ* Sed quod magis in ipso mirandum erit, ipsa est summa humilitas, eum enim tot prærogativis donisque cælestibus abundaret, nihilominus ut amore humilitatis altos spiritus in se supprimeret, sic dicebat: *Non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam DEI.* Plane usurpabat sibi illud Senecæ, qui Alexandri Magni egregia facta eorum memorans, simul etiam indicit Callisthenē amicum suum intimum quem absq; causa trucidavit. Cujus hæc sunt verba: *Hoc est Alexandri crimen æternum, quod nulla virtus, nulla bellorum felicitas redimet, nam quoties dixerit occidit Persarum multa millia, opponetur & Callisthenem. Quoties dictum erit, occidit Darium; opponetur & Callisthenem. Quoties dictum erit, omnia oceano tenus vicit, dicetur & Callisthenem occidit.* Eodem modo S. Paulus quamvis in rediſſimili procedit, cui quidquid titillationis vanæ gloriæ suboriri poterat, aut à raptibus aut ab humanis laudibus, aut à gratiis sibi à DEO datis, iis quasi scutum quoddam objiciebat præteritorum memoriam *Quia persecutus sum Ecclesiam DEI* atqui ea disparitate, quod sicuti Alexandro Magno suum facinus cessit in contumeliam & infamiam: ita S. Paulo Apostolo Confessio suorum defectuum in majorem laudem & gloriam: nec immerito, ait enim Sanctus Climacus *memoriam peccatorum perpetuam esse humilitatis opificem.*

Seneca qu. natur. l. 6. cap. 23.

1. Cor. 15.

Climacus.

II. Intelleriſtis harum columnarum præstantiam, quâ cæteras antecellunt? ampliora ipsarum elogia ex antiquo testamento audietis Exodi 13. legimus columnam *ignis* per noctem, & columnam *nubis* per diem Israeliticum populum per quadraginta annos deduxisse. Utrum ibi una vel duæ distinctæ columnæ fuerint discursum movet hac de re Abulensis, citarq; duplicem hac de re S. Patrum sententiam: apud me parum refert utrum fuerint duæ, vel una, sufficiat enim mihi columnæ illius duo effectus numero distincti, nempe ignis pro illuminatione, & nubis pro obumbratione: columna nubis per diem, quid aliud denotat, quam S. Petrum Apostolum? & quidem meritò; quia ille Judæis initio Ecclesiæ Dei cognitionem habentibus, iter ostendebat: S. Paulus hic erat columna ignis per noctem, quia gentiles in nocte ignorantiæ oberrantes, ad terram promissionis duxit. Pulchrè hoc testatur D. Augustinus dicens: *Hi duo electi sunt, ad duorum populorum salutem, Petrus ad Iudæorum, Paulus ad gentium.* Petrus columna nubis, cujus umbra febrium ardorem temperabat, & quibusvis infirmis sanitatem adferebat. Atque utinam hodie nō corpora sed animos nostros æstu peccatorū laborantes obumbraret & febres libidinis, avaritiæ, invidiæ, iræ accediæ, umbra sua temperaret. Petrus columna nubis? qui assiduo lachrymarum imbre, peccatum semel admissum diluebat, exemplum factus peccatoribus, ut sua peccata imbre lachrymarum eluere discant. Paulus verò columna ignis, quia ut de eo testatur S. Chrysostomus: *Ignem spirabat ut nemo eum accedere posset*: ejus enim sermo erat ut facula, qua in numera hominum corda inflammavit. Paulus columna ignis, quia ferventissimo zelo vitiorum sylvas incendebat, se ipso testante 2. ad Corinth. 11. Quis scandalizatur, & ego non uror? Erat columna ignis: quia exemplo suo aliis prælucebat, dicens: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.*

Exodi 13. v. 2.

Abulensis.

S. August. Serm 50. de SS Petro & Paulo.

S. Chrysost. Hom. 21 in 4 ad Cor.

1. ad Cor. v. 16.

III. Ut denuo revertamur ad S. Apostolum Petrum, singulariter ostenditur in hodierno sacro Evangelio, qualiter se exhibuerit, nō soli Israëli, sed toti mundo columnam nubis. Deus ignis consumens est, & quis poterit ipsum contingere ut non aduratur? Quando Deus in summitate montis verba legis tradebat, tot efficiebat terrores, ut unus Moyses intrepidus ei adstaret, reliqui autem populares terrore concussi dicerent: *Loquere tu nobis & audiemus, nō loquatur nobis Dominus.* Eodem modo dum unigenitus Dei filius descendens de cælis, venisset in mundum, non solum ipsum luce divinitatis suæ illuminaturus, sed etiam igne amoris sui accensurus, adeoq; hac de re inter suos discipulos jecit quæstionem, dicens: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Nemo sanè Apostolorum tantæ fuit audaciæ, ut vel unam hujus ignis scintillam posset attingere. putantes quidam ipsum esse Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Pro-

Exod. 19. v. 19.

Prophetis: solus Petrus ad instar Moysis adstat intrepidus, & ait: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Unde hoc primo suo magisterio, ignem divini verbi, sic attemperavit in Christo, ut jam inde, & salutaris existat hominibus & accessibilis. Erat igitur columna nubis, & S. Petrus qui altissimum divinitatis mysterium ita nobis præsentavit in Christo, ut jam nunc sub umbra Petri omnes securè dicere valeamus. *Tu es Christus filius Dei vivi.*

IV. Sed ulterius ad proprietates columnarum veniamus. Non absq; mysterio Rex Salomon duabus illis columnis ante frontem templi collocatis duo nomina tribuerat nempe uni Jachin, quod significat directio seu rectitudo. alteri verò Booz quod significat fortitudo; hæc enim duo decent columnas. Primum. Columna recta sit oportet, nam si in unam alteramve partem inclinet aut deflectat, brevi ruinam minatur, eoq; graviore casu in terrā corruet, quo graviore & celsiori mole constiterit. Item Symbolum columnæ est, Fortitudo. Quod ergo concernit hodiernos SS. Apostolos Petrum & Paulum, est quidem verum, hasce duas columnas nutasse in principio, quia Petrus unam expavescens ancillam Dominū suū abnegavit. Paulus autem in principio vitæ suæ plenus erat minarum & cædis in discipulos Domini. Sed non frustra dicitur Psalmo 74. *Ego confirmavi columnas ejus.* Quæ verba S. Augustinus explicans, sic ait: *Quas columnas confirmavit? Apostolos dicit columnas, qua in passione Domini nutaverunt resurrectione firmata sunt.* Quod concernit primam columnam, S. Petrum sic de ipso Sanctus Leo ait: *Nec mundi Dominam timet Romam, qui in Caipha domo expaverat Sacerdotis ancillam.* Quod concernit alteram columnam S. Paulum, eam quidem columnā dejectam Damasci novimus, sed Redemptor noster eandem erexit ac firmissimè stabilivit, dicente itidem S. Patre Augustino: *Columna una erat ex illis Paulus Apostolus quas confirmavit*: verè ambo columnæ, quia utramque sævitia Tyrannorum à fide & charitate Christi dejicere non potuit.

Psalm. 74. v. 9.
S. August. in Psal. 74.
S. August. ibidem.

V. Et nos exemplo Sanctorum Apostolorum proprietates columnarum imitemur. Primo ut rectitudinem ipsarum exprimamus. Senatores? Judices? igitur columna esse debes, sed recta per æqualitatem, ut nullis promissis, nullis muneribus à justitia deflectas. Item columnarum fortitudinem in Sanctis Apostolis Petro & Paulo imitari decet, in qua adeo excelluêre, adeo inquam in fide firmi perstitêre, ut nulla vi, nullis turbinibus, sanguineisque fluctibus concuti potuerint. Et sic juxta dictum Socratis Gentilis Philosophi: *Sicut statua vel columna basis, ita Vir bonus instituto innixus honesto, nullatenus dimoveri debet?* multò magis virum Christianum talis fortitudo decet, ut qui non in aliqua terra molli & limosa, sed in fortissima petra quæ Christus est, suum fundamentum habet. Deniq; proprietas columnarum est, viam demonstrare. Hinc illas Virgilius hac Epigraphe donavit: *Este Duces.* In omni familia ego duas columnas numero, quarum una est paterfamilias, altera materfamilias. Sicuti ergo columna Ignis & Nubis, filios Israelis præcedebat, & sicuti duæ illæ columnæ Regis Salomonis iter ad templum illud augustissimū demonstrabant. Sic ut etiā omnes superiores exemplo vitæ suæ integerrimæ, morum honestate, alios debent præcedere. Sic enim habetur in Concilio Tridentino. Integritas præcedentium, salus est subditorum. Quamobrem aspiciamus hasce duas columnas S. Petrum & Paulum Apostolos adeo enim ante faciem templi collocatæ sunt, ut per sanctas virtutes quas illi fuerunt operati nobis monstrent iter ad Ecclesiam Sanctorum gloriosam,

Amen.

S. Basil. sermone 10.
Virgilius Æneid. 6.
Conc. Trid. Sessione 6. cap. 1.

IN

IN FESTO S. MARGARITÆ Virginis, & Martyris,

CONCIO I.

Simile est regnum cælorum, thesauro obscondito, Matth. 13. Vers. 44.

IMprudens alicui videretur hujus hominis resolutio, qui pro thesauro abscondito, incerto, neque sibi cognito, universa quæ habuit vendidit, & emit agrum illum. Quid enim est imprudentius, quàm bona sua prodigere, & omnem suam supellectilem vili vendere pretio, & opes suas in incerto collocare! Verum si quis hujus hominis responsum audiverit, sanè non imprudentem, sed prudentissimum judicabit. Nempe si dicat se probè nosse quid ageret, sibiq; cuncta divendere necessarium esse, ut agrum hunc [in quo thesaurus ille manet absconditus, sibi verò benè notus] comparare possit. Accipite S. Gregorium Homilia 11. in Matthæum, in persona hujus prudentis ita respondentem: *Agrum comparat, qui voluptatibus carnis renuncians, cuncta sua desideria per disciplina cælestis custodiam calcat.* Per istum prudentem hominem, intelligo S. Virginem Margaritam, quæ ut primum edocta fuit, de magno pretio thesauri hujus absconditi, omnia mundi bona post posuit, ut compararet illum. Quisnam ille thesaurus sit, & qualiter eum comparaverit, in hac concione demonstrabo.

S. Gregor. in Matth.

I. Duplicem ego thesaurum invenio, unum maximi pretii, quem S. Virgo Margarita sibi comparavit, alterum quem ad mortem usque conservavit. Primus thesaurus est DEUS omnipotens, ut testatur S. Paulus ad Colos. 2. cap. dicens: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ: & scientiæ absconditi.* Est inquam DEUS thesaurus hominis, quia solus sufficit, non solùm ad ditandam hominem, sed etiam ad satiandum suum desiderium. Res notissima est, thesaurum esse aggregationem & cumulum divitiarum, in quo aurum, argentum, lapides pretiosi, & cætera monilia pretiosi coacervantur. Sed quid ait Divus Bernardus? *Ad imaginem Dei facta est anima rationalis, cæteris rebus impleri potest, satiari potest.* Ipse Deus est qui satiat hominem, juxta illud Psalmistæ: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Quid non habuit Rex David gloriosius? ille est qui locupletem fecit Jerosolymam, ad quam in auro, argento, cæterisque rebus pretiosis multos thesauros intulit, tum ab hostibus captos, tum à plurimis Regibus sponte sibi oblatos; uti habetur 2. Reg. cap. 8. Et tamen ac si nihil haberet, ita protestatur dicens: *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* Postmodum respondet sibi: *Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Quæ verba explicans Venerabilis Hugo Cardinalis sic ait: *Defecit caro mea & cor meum, ut nec carnalis affectus, nec cordis mei sensus respiret, sed sit Deus cordis mei pars, si hanc perdidero, inanis & vacuus remanebo.* Hinc patet solum DEUM esse verum thesaurum, qui ditat hominem, & explet ejusdem desiderium, & sine quo nihil dari potest, quod humanum affectum contentare possit.

S. Bernard.

Psalm. 16. v. 15.

2. Reg. 8.

Psal. 72. v. 26.

Hugo Card. in Psalm.

S. Paul. ad Col. 2. v. 3.

II. Unde Sancta Virgo Margarita fæliciorem negotiationem instituere non potuit, quàm eam, dum omnia contempsit secularia, ut solum Deum lucrifaceret. Habemus in histo-

Gen. 1.

Historia Jonæ Prophetæ. Quod dum abivisset in Tharsis, & fugisset per mare à facie Domini, uti ait sacer textus: *Dominus misit ventum magnum in mare, & facta tempestas magna in mari, & navis periclitabatur conteri.* Videntes nautæ tantum periculum, plurimum erant exterriti, & quotquot erant in navi, clamabant ad Deum suum, ut liberarentur à naufragio: solus Joans descendens ad interiorem partem navis gravi somno oppressus dormiebat. Cumque ad eum gubernator venisset, examinare cœpit ipsum verbis talibus. *Indica nobis, cujus causa malum istud sit nobis quod est opus tuum, quæ terra tua?* Unus Patrum Ecclesiæ Theophylactus, istam interrogationem, aliis verbis exprimit dicens. *Quæ est negotiatio tua? quæ terra tua? quo vadis? aut ex quo populo es tu?* Sic in navi degentem Jonam, interrogant nautæ de patria, de causa itineris, de negotiatione, quasi ille ut cæteri, qui adnavigabant, esset quidam mercator, & per mare negotiaretur quæstus gratia. Quibus ipse respondit [ut septuaginta habent] *Servus Domini ego sum, & Deum cœli ego colo, qui fecit mare, & aridam.* Pulchrè ad interrogata respondit Quia omnia ejus negotia scire cupiebant, optimam & ditissimam omnium negotiationem suam explanans his solum verbis ostendit. *Deum solum ego colo.* Quæ verba prætactus autor Theophylactus sic expendit. *Mea negotiatio est, servire Deo vero per mea opera.* Quasi diceret. Scire vultis negotiationem meam. Servus Dei sum & ipsum colo, hæc est mea negotiatio, quam à me inquiritis.

Theophylactus.

70. interp.

III. Habemus scriptum in Historia Judith. Qualiter hæc honorata vidua multisque titulis digna, dum à militibus Assyriorum, servisque Holofernis adducta fuisset ad Principem, vidisset que tantum exercitum, tot Duces strenuos, tot Officiales bellicos, tot vigiles, servosque Principis Holofernis, custodesque sui corporis, multo tunc animo suo volvisse, quonam modo rem præconceptam aggredi & peragere posset, difficile plane ipsi hoc opus videbatur. Sed quid fit? dum à Principe interrogata causa discessus è civitate, nec non de rebus cæteris quæ uni alienigenæ proponi solent, id inter alia verba respondisset dixissetque; *Ego ancilla tua Deum colo, etiam nunc apud te: & exiet ancilla tua, & orabo Deum & dicit mihi quando eis reddat peccatum suum:* his solis verbis coram Holoferne prolatis, tantam concepit spem rei suæ, quam proposuerat promovendæ, ut jam se in manibus victoriam habere putaret. Nulla quippe felicitas, nullum lucrum dubitari potest in eo, qui toto animo suo colit, Deum. Huc spectant verba Tobiæ dicentis. *Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur, si in tribulatione, liberabitur, & si in correptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit.* Quare Jerosolymitani Judæi hoc primum felicitatis fundamentum fratribus suis exoptabant 2. Machabæorum cap. 1. dicentes. *Benefaciat vobis Deus* & post pauca. *Ut det vobis cor omnibus, ut colatis eum.* Sed quid postea? *Et exaudiat orationes vestras.* Quam pulcher est gradus spei ad Deum, nempe ut si velimus exaudiri, colamus numen ejus. O felix negotiatio. Fallor si alia est negotiatio ditior, quàm colere Deum. Nulla merces copiosius, negotiatorem suum ditare potest, quam Deus, quem colis, cui servis.

Judith. 11. vers. 14.

Tob. 3. vers. 21.

2. Mach. 1. vers. 2. vers. 3. vers. 5.

IV. Fortis quædam mulier, laudatur Proverb. 31. cap. *Consideravit agrum, & emit illum.* At majoribus laudibus extollenda est, sancta negotiatrix nostra, Martyr & Virgo Margarita: hæc enim cum inspirante divina gratia, intelligeret in agro cordis sui, thesaurum latere pretiosissimum, nempe ipsum Deum, qui se vocabat & invitabat ad fidem veram, in qua talem thesaurum comparare posset, omnia quæ habuit vendidit, & emit agrum illum. Hæc enim, cum nobilium parentum sed gentilium esset filia, in tenera adhuc ætate, Christi fidem amplexa fuit, & sacrum Baptisma suscepit. Pater idolorum cultor, omnibus modis à Christi cultu, dum filiam avertere nititur, sed parum proficeret, neque virginis animum minis, blanditiisque frangere posset, tandem omnibus hujus mundi rebus spoliatam, removet à domo sua, & cum aliis puellis, ad pascendas, & custodiendas oves suæ nutricis deputavit. Sed pater impius, in quo injuriam & despectum filiæ suæ fecisse videbatur, in eo ipso, summæ utilitatis & gloriæ, eidem causa fuit; adjuncta enim erat ovicula ovibus,

Prov. 30. vers. 16.

virgo inquam virginibus, *quæ sequuntur agnum quocunque ierit.*] Moyses dum pasceret oves Jethro Madianitæ soceri sui, putaret hic quispiam ponendum esse inter abjectos homines, & nullius æstimationis, quin imo inter felices, & honoratos. Cum enim legisset gregem ad interiora deserti, apparuit ei Dominus in flamma ignis. Non minorem S. Virgo Margarita, è labore suo percepit utilitatem, dum enim oves pasceret, illis adnumeratur nonaginta novem, quam bonus pastor Jesus, quæsivit diligenter, & inventam imposuit humeris suis cum gaudio. Ecce quantum lucrum S. Virgo Margarita in despectu hujus mundi, & jactura bonorum terrestrium adepta est, invenit enim thesaurum pretiosum, nempe Christum Jesum, cujus gratia cuncta quæ habuit pro nihilo reputavit.

Apoc. 14. vers. 4.

Exod. 3. vers. 23.

Luca 15. vers. 5.

V. Alius thesaurus S. Virginis Margaritæ fuit, sua virginitas, quam sponso suo Christo Domino, à teneris consecravit. Pretiosus hic thesaurus est Auditores. Nam & ipsi gentiles eum in summa reputatione habuerunt. Unde legimus in gestis Romanorum, quod dum Cæsar publicè procederet, omnes illi de via cederent, præter solas virgines, quibus ipsemet de via cedebat, & alio deflectebat. Item refert Valerius.] Quod dum Princeps quidam civitatem unam in Græcia expugnasset, cunctis in ea occisis, solas virgines salvas abire permisit. Sed multò pretiosior est thesaurus iste in Ecclesia Chtistiana, quem ipsa quoque Beatissima Virgo Maria, tanti fecit, ut noluerit dignitatem matris Dei, [si ei virginitas amittenda foret] admittere. Unde dixit ad Angelum *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* In quo, sicut totus sacrarum virginum chorus castissimam Virginem Mariam imitatur, sic & Sancta Virgo Margarita imitata fuit. Hæc enim cum propter eximiam pulchritudinem, adamata fuisset ab Olibrio Præfecto, & informatus ab eadem de generis sui nobilitate, in conjugium petiisset, illa thesaurum suum Christo Jesu à teneris consecratum multi faciens, respuit amorem mundi, ut cœlesti sponso suo fidem servaret, & animam suam lucri faceret. Unde Tyrannus, multis afflictam tormentis tandem decollari præcepit. O felix negotiatio S. Virginis Margaritæ, quæ pro terrenis cœlestia, & pro temporali morte vitam accepit sempiternam.

Plutarchus.

Valerius.

Luca 1. vers. 34.

Amen.

IN

IN FESTO S. MARGARITÆ Virginis & Martyris,

CONCIO II.

Simile est regnum cælorum negotiatori, quærenti bonas margaritas.
Matth. 13. vers. 45.

AUditores præstantissimi, dum ego hic numerosum vestrum agmen conspicio non possum non lætari: video enim vos omnes negotiatores esse, qui merces vobis à me exponendas ematis bono pretio. Sed dum hæc dico, timeo ne vos offendam. Possetis enim dicere. Primò vos non esse negotiatores, vel si esse quosdam, non tamen omnes. Secundò, forte à me quæretis, quasnam merces habeam ad vendendum. Tertiò, fortasse petetis, ut illas exhibeam. Quamobrem ut primò à vobis occasionem scandali seu offensæ auferam, profero vobis verba S. Chrysologi sic dicentis. *Neminem nomen negotiatoris offendat, hic enim negotiatorem loquimur, providentem ornamenta virtutum.* Non vos habere volo, pro negotiatoribus rerum vilium, sed pro negotiatoribus rerum cœlestium, nempe margaritarum, & id, non qualiumcunque sed bonarum. *Quia simile est regnum cælorum negotiatori, quærenti bonas margaritas.* Ex his margaritis, ego scio unam pretiosam, quam si videritis, vendetis omnia vestra ut ematis eam. Forte à me ubinam sit, inquirietis? mihi quidem non est præ manibus, locum tamen in quo sit deposita, designabo. Intelligo ego per eam gemmam pretiosam S. Virginem, & M. Magaritam, quæ jam depositum suum in cœlis habet, quam antequam ematis, sic vos præmoneo. Communi proverbio dicitur, *ut qui emendo aliquid, parcit oculis, damnum quod incurrit in emptione, suo martyrio resarcire debeat.* Vobis verò jam non oculis sed auribus necessum erit, quidquid ergo de hac pretiosa Margarita protulero, diligenter attendite.

S. Chrysol. Ser. 47.

I. Non sine mysterio dictum à me fuit ut ad merces vobis exponendas, non oculis sed auribus attendatis, quia istæ merces, mihi quidem non sunt hic præ manibus, sed sicuti in Palatio arcis Pragensis, aliorumque urbium illustrium, inveniuntur merces variæ, æque pretiosæ, ita quoque in cœlesti palatio, dispositæ sunt ordine eleganti quædam margaritæ, inter quas unam pretiosam esse dico. Divam inquam V. Margaritam, ut autem dictis meis fidem adhibeatis illam vobis adstruo ex Apocalypsi, in qua S. Joannes Euang. narrat se vidisse sanctam civitatem novam Jerusalem ex auro mundissimo constantem, *cujus muri erant ex lapide Jaspide, fundamenta omni lapide pretioso adornata, porta autem illius, erant ex singulis Margaritis.* Itaque ô vos negotiatores optimi audistis quid nam vobis demercibus, in hoc cœli palatio depositis dixerim? jam incumbit vobis, ut eas ematis. Quia *simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas.* Hæ margaritæ, non sunt adulterinæ, non sunt liventes, & subfuscæ, sed sunt candidæ, & perfectæ. Nullus est mercatorum qui dum suas merces vendere vult, illas non prædicet. De me nulla est cura ut meas merces prædicem, dicitur enim proverbio, *bonum vinum hederâ non eget*: de meis verò margaritis Venerab. Beda tale fert judicium. *Christus Dominus, cum sit margarita singularis, quam negotiator sapiens, venditis omnibus emit, suos nihilominus margaritarum fulgori comparat.* Si Christus Jesus qui est prima margarita à concha virginalis uteri proveniens, bonus est per essentiam, aliæ quoque margaritæ, quæ sanctos suos designant, non poterunt dici, nisi bonæ, lucidæ, & perfectæ.

Apoc. c. 21. vers. 20.

Beda.

Plinius lib. 9. c. 35.

II. E numero harum una fuit S. Virgo Margarita, quam si gemmis materialibus comparare vòluero, omnes alias suo pretio superantem inveniam. De gemmis refert Plinius: quod in aqua ubi nascuntur, molles sint, foras autem extractæ, duræ solidæque fiant. D. Margarita longè excellentior gemma fuit. Hæ enim etiam in loco ortus sui, nullo modo mollem, & imperfectam se præbuit, sed mox ut nata fuit, solida, dura, fortisque apparuit. Licet enim ex patre Idolorum cultore nata fuerit, nihilominus abjecta omnium gentilium mollitie, & deliciis, quæ hominem mollem, ignavumque reddere solent, abjecto tandem errore infidelium, à teneris annis Christianam religionem amplexata, eam susceptà baptismi aqua, in Christo Jesu protestata fuit. Margaritæ ideo amantur ab hominibus, quia sunt pulchræ, oculisq; gratæ. Sanctæ Margaritæ autor naturæ Deus tantam indidit corporis pulchritudinem, ut quàm primùm Olybrius Præfectus eam aspexisset, mox ardenti ejus amore captus fuerit. Sed illa pluris faciens animæ, quàm corporis pulchritudinem, cum pravæ voluptatis sectatori consentire noluisset, sub prætextu religionis Christianæ eam ad se adductam de nomine, genere, & religione interrogavit, quæ respondit, se esse genere nobilem, vocari Margaritam, religione Christianam. In Provincia Pervana incredibilis magnitudinis margaritam inventam fuisse ajunt, quæ pomum citrinum exæquabat, cumque pretii quoque esset inæstimabilis, duo Reges ejusdem terræ, quilibet eam sui juris fieri cupiens, per octoginta annos prælio decertabant. Magnitudinem hujus gemmæ, superabat Sancta Virgo Margarita, ut enim illa iniquus tyrannus potiretur, prælio agere videbatur, dum aliquando blanditiis, quandoque minis, & tandem variis tormentorum generibus in sanctam virginem desæviret. Sed tantùm conatus sui profecerunt, ut ubi hanc gemmam cruciatibus conterere, & annihilare conabatur, eam amplius expolivit & lucidiorem fecit, ut verus animarum Sponsus Christus Jesus, captus amore illius, extractam è concha sui corporis per martyrium, ad palatium cœleste transtulerit, eamque cæteris gemmis, quibus portas palatii sui exornavit, similiter inseruerit.

III. Cum ergo hæc nostra gemma, tam excellentes in se contineat qualitates, quis vestrum eam sibi comparare nolit? neminem dari puto, nisi forte ita se haberet ad res pulchras & pretiosas, sicuti porcus ad margaritas. De quadam margarita reperta in Italia, refert Majolus, eam 3600. millibus florenorum fuisse æstimatam. Margaritæ duæ Reginæ Cleopatræ sexcentis millibus constare dicebantur. Sed cœlestis nostra gemma nempe Sancta Virgo Margarita, omne hic pretium margaritarum, quæ in materialibus conchis nasci solent, longe superat. Hinc sequitur, cum hæc margarita, ita sit à me commendata, non dubito, quin eam emere cupiatis. Sed uti alii mercatores mentibus dicere solent, unum non vendam sine altero, sic & ego respondeo dicens, hanc margaritam, sine re altera vendi à me non posse. Quodnam illud sit, vultis scire? Jam audistis antea, ex ea margarita confectam & exornatam esse portam cœlestis palatii, nam sic habet sacer textus. *Singula porta erant ex singulis margaritis.* Si ergo vultis margaritam, emendum quoque vobis erit cœleste palatium; ad quod intrare non potestis, nisi per portam gemmatam; quàm felices, si tale palatium emeritis! Multa legi de palatiis hujus orbis. Marcus Polus refert in Cambalensi urbe, Regibus esse palatium, quod fulcitur comulis 24. ex puro auro fusis, in eodem palatio, esse arborem ad modum pinus ex auro factam, ex qua unde quaque aurei pendent ramusculi, gemmis, uvarum modo pleni, tectum hujus palatii, totum ex auro, variis figuris exornatum. Odericus narrat in Persida, prope Taurim, reperiri quoddam palatium octo angulare; totum auro incrustatum, illius tectum ex auro purissimo constare, in ipso verò palatio, plurima ex auro esse simulachra, quorum capitibus diademata, gemmis innumerabilibus exornata & imposita manent. Et tandem ut omittam alia, refert Antonius Pigafet. Regi Sinarum in India, tam magnificum esse palatium, ut si quis illud circuire velit, totam diem ambulando consumere debeat, tam verò pretiosum, ut ibi nihil aliud, nisi aurum, & argentum reperiatur: & licet hoc palatium, aulas 79. habeat, inter ipsas tamen 4. insigniores esse, nempe primam ex ære constantem, quod

Majolus de Lap. Pret.

Apoc. 21. vers. 20.

Marcus Polus l. 2. c. 6.

Odericus lib. 10.

Antonius Pigafet.

apud

apud ipsos summi pretii est, secundam ex argento, tertiam ex auro, & quartam ex gemmis pretiosis. In illo palatio solium Regis est ex ebore, quod est contectum gemmis pretiosissimis, adeo, ut noctu micet, & coruscet in tenebris. Sed hæc palatiorum magnificentia, cœlesti palatio nusquam est comparanda. Vultis rationem? audite.

IV. Si verum est quod refert Marcus Polus, in Cambalensi urbe esse palatium aureum, & in eodem arborem auream, quarum loco gemmis plena in cœlesti palatio, est arbor vitæ, quâ nihil pretiosius esse potest. Si juxta sermonem Oderici, in Persida est quoddam aureum, & octoangulare palatium, cœleste palatium perfectiori modo, in octo angulos consurgit, quia continet octo beatitudines. Si Antonius Pigavet, miratur Palatium Sinarum Regis, propter situs amplitudinem, aularum multitudinem, miretur potius cœli palatium, de quo ipsa veritas Christus ait. *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Si miratur tantam in eodem palatio lapidum pretiosorum, gemmarumque abundantiam, quæ ob splendorem suum, etiam in tenebris lumen præbent, miretur potius cœli palatium, in quo pro auro, manet divina charitas, pro argento, angelica puritas, pro margaritis & lapidibus pretiosis, virtutum splendor, & pulchritudo, tantum fulgorem emittens, ut ibi nulla nox, & nullæ unquam tenebræ inveniantur, dicente Sancto Joanne Evangelista. *Civitas non eget sole, neque luna, ut luceat in ea, nam claritas Dei illuminat eam.* Quid dicam amplius? illa palatia tandem cum longo tempore consenuerunt, vel forte in nihilum devenerunt, cœleste palatium nunquam veterascit, sed semper est novum: sic enim ait idem Apostolus. *Vidi Sanctam Civitatem Ierusalem novam.* Sed cur nova dicitur? Si ego Romam dicerem novam, quis me non rideret? nonne cœlum est antiquius, quod Deus creavit in principio? Respondeo. Civitatem cœlestis Jerusalem appellari novam, quia semper floret, vernat, & nunquam veterascit. Cujus ratio hæc est, quia ille fundavit eam, qui ait: *Ecce nova facio omnia.*

Ioan. 14. vers. 2.

Apoc. 21. v. 23.

Ibidem. v. 2.

Rupertus in Apoc.

V. Quid jam cogitatis ô pii negotiatores; vultis ne contractum emptionis vestræ concludere? vultis gemmam, quæ cum cœlesti palatio simul venditur justo prætio comparare? Unum sine altero non vendetur, quia hæc gemma cœlestis, sic est cœlesti portæ arctè inserta, ut jam nulla ratione avelli possit. Forte accipietis animum, & dicetis, cum non possimus gemmam hanc emere sine palatio, quantinam hoc totum simul acceptum valoris erit? Respondeo utrumque magni pretii esse. Pro gemma enim omnia vendi debent ut ematur. De cœlesti vero palatio, S. Petrus Christi Secretarius sic ait. *Non corruptibilibus, auro vel argento, redempti sumus, sed pretioso sangvine agni immaculati.* Sed ô vos negotiatores pii, estote bono animo. Quando mercatores aliquid pretiosi vendunt, illud multum appretiant, sed tandem post tot sermones, aliquando ad dimidium, quin ad tertiam pretii postulati partem veniunt. Est quidem verum, hoc cœleste palatium esse inæstimabilis pretii, tamen mercator noster Christus Jesus, qui illud emit proprio suo sangvine, tam est liberalis, ut vel minimo pretio, tam excellens palatium dare paratus sit. Hinc creverat illa audacia S. Bernardo Clare valensi Abbati: huic enim cum gravi morbo afflicto Sathan apparuisset, eumque coram summo judice de multis accusaret, vir Dei nihil territus respondit. Fateor, indignus sum regno cœlorum, sed duplici jure obtinet illud Dominus meus, nempe hæreditate patris & merito passionis, altero ipse contentus, alterum mihi donavit, cujus beneficio illud mihi vendicare non erubesco. Alexander Magnus, pro exili servitio sibi exhibito donabat suis aulicis civitates, Christus Dominus dabit pro uno haustu aquæ frigidæ, quin pro uno devoto suspirio. O mira Christi liberalitas, qui nobis ad portam suam gemmeam, tam facilem præbet accessum. Quamobrem Auditores mei, virtutes S. Margaritæ, sacri hujus templi patronæ imitemur: ut per merita Christi Jesu, ejusque intercessionem, ad portam illam gemmeam introduci mereamur.

1. Petr. 1. vers. 18.

Ex Rom. Brev.

AMEN.

IN FESTO S. MARGARITÆ, & Martyris,

CONCIO III.

Inventa una pretiosa margarita, abiit. Matth. 13.

Reg. 10. v. 11

LEgimus 3. Regum c. 10. Salamoni Regi fuisse unam classem, quæ illi portabat aurum de Ophir & gemmas pretiosas. Per istam classem ego intelligo Sanctam Ecclesiam: sicuti enim in magna classe multa pretiosa reperiuntur, nempe aurum, gemmæ, lapides pretiosi, & id genus alia, ita & nostra classis navigans per mare mundi, multas in se continet merces pretiosas Nazaræos inquam, sive sanctos, qui sunt auro meliores, Saphiris pulchriores, gemmis cariores. Hæc inquam classis, hodie feliciter appulit ad litus nostrum, apportavit enim nobis pretiosissimam margaritam. Mercatores dum aliquid vendere volunt exponunt merces suas, rerum venalium proponunt virtutes, easque laudant. Sane & ego ita faciam, vos enim hodie cupio fieri negotiatores, ego mercatoris assumo vices. Venalem habeo margaritam, quæ tam pulchra est, tamque pretiosa, ut si cum hodierno negotiatore, omnia quæ, habetis vendideritis, vix adhuc illam comparare poteritis. Ne autem id quod dico paradoxum vobis videatur, ego me præparo ad laudes meæ margaritæ. Vos attendite.

Thren. 4. vers. 7.

Plutarchus

I. Laudare bonam margaritam, mihi videtur superfluum. Sicut enim bonum vinum (uti haberur proverbio) *hederâ non eget*, sic neque bona margarita eget laude. Negotiator quæsivit bonas margaritas, & invenit pretiosam, plus invenit quàm quæsivit. Vultis & vos pretiosam? Regina Cleopatra oblectavit Antonium, margaritâ in hausta propinata, quæ constabat uno regno, sed quali? terreno; nostra margarita, omnia regna superat, quia pro illo regno constat, in quo est Rex Regum & Dominus dominantium. Si ita est, verum dixi, quod si negotiator omnia sua vendat, illam comparare non possit. Sed jam audite virtutes hujus margaritæ. Uniones sive margaritas ex stillis roris generari testatur autor Cesalpinus libro 2. de metaliis capite 22. Dum enim stilla roris cælestis, conchæ illabitur, ibidemque sole operante concrescit, postmodum fit elegans margarita. Beatissima anima Sanctæ Margaritæ concha fuit, quæ tunc recepit rorem, dum in teneris annis baptisata, rorem cœlestis gratiæ adepta fuit, qui operatione divini solis, in pellucidam margaritam, & pulcherrimo virtutum nitore micantem formata fuit, & quis talem conspicatus eam non appeteret? quis ad eam comparandam omnem operam non collocaret? digna certè negotiatore tali, qui vendidit omnia, quæ habuit & emit eam.

1. Tim. 6. vers. 15.

Cesalpinus lib. 2. c. 22.

II. Est quidem margarita minima inter omnes gemmas, tamen omnes gemmas, quantumvis majores sua virtute excedit, quia secundum Isidorum, omnium gemmarum pretiosarum & candidarum est candidior. Beata Margarita parvula fuit in persona, & annis juvenilibus, & sic in quantitate similis erat margaritæ, sed si pensaverimus qualitatem, inveniemus esse pretii maximi. Cum enim, ex nobili parentum sed gentilium stirpe nata, quintum decimum annum attigisset, in illa ætate (quamvis adhuc juvenili) hæc apparuit, quæ in teneriori fuerat. Cum enim in illa Chri-

Isidorus.

Christianæ religioni addicta esset, in ea ulteriori tantum post susceptum baptisma, in pietate Christiana, cæterisq; virtutibus profecit, ut potuerit illud S. Pauli Apostoli testimonium dicere, quod de se ipso tanquam vir omni fide & honoris exceptione dignus coram Galatis protulit dicens. *Proficiebam supra multos coætaneos in genere meo.* Et licet tunc temporis studium illud & occupatio Sancti Pauli non fuerit laudabilis, quia tunc sectam Pharisæorum sequebatur, & Christianam fidem oppugnabat: quam ob causam ait: *Proficiebam in genere meo,* in eo tamen laudem promeruit, quod licet nesciens hæc fecisset, id tamen tanta cum diligentia exequi satagebat, ut attestante Venerabili Hugone Cardinali in explanatione ejusdem loci, non senes sed coætaneos, id est juvenes sibique in ætate pares superare visus fuerit. Majorem ergo laudem S. Margarita promeruit, illa etenim in juvenili ætate sua, coætaneas sibique annis pares, non dissolutione motum juvenilium, sed in profectu virtutum superabat. Unde gravis autor Theorinus hoc ipsi dat testimonium. *Beata Margarita timoris Dei plena, & honestate laudabilis, odiosa patri suo, sed dilecta Domino Iesu Christo,*

Ad Gal. 1. vers. 14.

Hugo Card. in Ep. Pauli.

Theotin.

III. Ait Solinus Autor in libro de mirabilibus mundi, aliquas gemmas pretiosas, ad manuum, vel digitorum reperiri quantitatem, margaritam autem se non reperisse majorem, ultra quantitatem nucis avellanæ, omnes tamē alias pretio & candore præcellere. S. Margarita parva fuit per humilitatem, licet enim fuisset nobilium parentum filia, ad judicata à parentibus ob fidem Christi à se susceptam, ut ovium gregem pasceret, id officium tam vile non refugit, quin ut ovis Christi parvula effici mereretur, bonum pastorem imitata, gregem sibi commissum pavit & custodivit. Sed quid putas, quantam sibi ea humilitas peperit pulchritudinem? turpem prolem nunquam gignit humilitas, sed venustam & omnium oculis amabilem. Beatissima Virgine Maria, quid potuit pulchrius inveniri seu cogitari, quam non aliquis Princeps, Rex, aut Imperator, sed ipsemet Dei filius adamavit. Sed in quo? *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Eandem effecit humilitas, ut sancta Margarita, in quo despecta fuit à parentibus, in hoc adamata fuerit ab exteris. Cum enim Olybrius Præfectus locum, in quo virgo juvencula attendebat gregi sibi commisso, pertransiret, videns eximiam ejus pulchritudinem, sic ipsam adamavit, ut mox eandem in sponsam sibi assumere conatus fuerit. At virgo pudica, ut se veram Margaritam, seu gemmam demonstraret, servans sponso suo Christo, animam puram, & ab omni labe segregatam, ab omni quoque contactu carnali abhorruit, potiusque pro tuenda castitate multa, & varia tormentorum genera subire voluit, quàm ejusdem jacturam pati.

Solinus.

Luc. 1. vers. 48.

IV. Ea quippe juxta Plinium gemmarum natura est, ut si ante maturitatem suam tangantur in concha à tali contactu, virtutem candoris amittant, & igneſcant. Unde Sancta Margarita, non immemor, se fuisse gemmam pretiosam, in concha cordis sui, Christo Jesu per humilitatem & castitatem dedicaram, sed se nec dum naturam sentiens, quin se ad ulteriorem maturitatem, seu spiritualem profectum per virtutes præparans, statim in primo ætatis limine se totam Christo Domino dedicavit, suamque corporis pulchritudinem, unà cum venustate spiritus soli Domino commendavit. Dum enim conspecta fuisset ab Olybrio, eamque nuptias suas flocci facere advertisset, sub specie fidei Christianæ evocatam, coram se fisti fecit, tum sic stantem, de genere, nomine & religione interrogavit. Cui cum respondisset, se genere nobilem esse, vocari Margaritam & religione Christianam, Præfectusque ad hæc subintulisset; Duo prima tibi rectè conveniunt, quia nobilis, & pulcherrima Margarita comprobaris, sed tertium tibi non convenit, ut puella tam pulchra, & nobilis, Deum habeat crucifixum; sancta virgo pereleganter respondit: Ex libris didicisti Christianorum, Christum fuisse crucifixum? Cum igitur ibidem legatur, Christi pœna & gloria, quæ verecundia est vestra, ut unum credatis, alterum respuatis? Hem quanta jam gemmæ hujus durities admixta candori! Audisti syllogismos Aristotelis? nunquam simile huic Enthimema reperies, quod virgo sapiens protulit.

Plinius.

V. Narrat Dioscorides, quod margaritæ motum Lunæ imitentur: quia decrescente Lunâ, & ipsæ minuntur, crescente verò, reperiuntur plenæ. Eam proprietatem in-

Dioscorides.

venio

venio in sancta Margarita, dum enim considero, maximam ejus humilitatem, nempe sciens se futuram sponsam magni, nec non nobilissimi sponsi, elegit potius decrescere cum Luna per humilitatem, quam exaltari thoro maritali, cum amissione castitatis, & fidei Christianæ. Sed uti deinde in plenilunio, margaritæ solent accrescere, sic & illa, nacta plenitudinem cœlestium gratiarum, crevit in tantam magnitudinem, & pulchritudinem, ut dum Tyranno assentire nollet, cuperetque mori pro sponso suo Christo: qui sibi illam subarrhavit, dignam effecit, ut suo martyrio Christi Domini passionem imitari posset; cujus passio multum conformis fuit passioni Christi: Sicut enim Christus Jesus denudatus fuit in cruce; sic & illa in equuleo. Christus flagellatus ad columnam, Margarita tota virgis lacerata. Christus perforatus clavis, Margarita lacerata vinculis, Christus totus sanguine plenus, Margarita tota sanguine cruentata, Christus in aëre passus tanquam mediator Dei & hominū, Margarita passa in aëre, tanquam nostra interventrix apud Deum: Christus in passione sua patri spiritum commendavit, & pro crucifixoribus suis intercessit, nec non pro toto mundo Deum Patrem suum exoravit: Beata Margarita oravit Deum pro suis occisoribus, & illam invocantibus. Cum enim Præfectus Sanctam Virginem post tot tormenta decollari præcepisset, timens ne per illam quæ jam quinque paganorum millia ad Christum converterat, plures converterentur, adducta ad locum supplicii, & impetrato orandi spatio, devote Deum exoravit, pro cunctis periculo quocunque laborantibus, & præsertim pro matronis in partu periclitantibus, ut omnes à periculo vitæ per ipsam liberarentur. Nec inanis fuit oratio. Facta enim fuit vox de cœlo, quod in suis petitionibus sit exaudita à Deo. Hæc est laus & commendatio Sanctæ Margaritæ. Quamobrem Auditores mei, si vobis est animus talem margaritam sibi comparandi & emendi, libenter vobis offerro venalem, sed nullam peto pecuniam, quia hæc margarita inæstimabilis est, sed si virtutes illius imitabimini, nempe humilitatem, castitatem, patientiam, & amorem in Deum; tunc eritis ipsius possessores hic in spe, futurum verò in gloria sempiterna.

AMEN.

IN FESTO S. MARGARITÆ Virginis, & Martyris,

CONCIO IV.

Inventa una pretiosa margarita abiit, & vendidit omnia quæ habuit & emit eam. Matth. 13. Vers. 46.

FOrtasse aliqui inveniētur, qui hunc hodiernum negotiatorem Evangelicum irridebunt, & stoliditatis arguent, eo quod ut unam margaritom habere posset, omnia bona sua abalienaverit, & quasi pro nihilo dederit. Perspicuum enim est, eum minime sapere, qui pro exili, ac parvo lapillo, bona quæ habet, dilapidat. Sit nobis Esau pro exemplo, qui pro uno edulio vendidit sua primogenita Jacob fratri suo, illa parvi pendens: Quod factum ponderans Divus Joannes Chrysostomus, insipientiam Esau talibus verbis arguit dicens. *Vendidit cibi gratia, dignitatem natura sibi datam*; & paulo post pro instructione nostra tale documentum addit. *Discamus nunquam negligere dona, à Deo nobis data, neque perdere magna propter parva & vilia,* Idem Iudicium & nos de hoc negotiatore Evangelico ferre possumus, quia pro una margarita, totam substantiam suam dissipavit.

Gen. 25. vers. 51.

S. Chrysost. hom. 49.

sipavit. Et deinde, quidnam id est, quod illi negotiatori quærenti in toto mundo bonas Margaritas solum unica illa oblata fuerit? Sicut ferunt, India tot margaritarum est ferax, ut orbem impleat totum, cur solam unam invenit? Estne tantùm una in mundo margarita, sicut unus in cœlo sol, aut una Phœnix in terra? Sed cum Christus Dominus in hodierno Evangelio regnum cœleste per pretiosam hanc Margaritam intelligat, non erit mirum, negotiatorum istum, inventa una pretiosa margarita abiisse, omniaque vendidisse quæ habuit, & emisse eam tantum enim est pretium hujus margaritæ, nempe regni cœlestis ut illi nulla terrestris substantia comparari possit. Pauca dicam, & ex his cæteva judicate, de portis regni cælorum sic habetur in Apocalypsi S. Joan. Evangelistæ. *Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt per singulas.* Quæ verba ponderans Venerab. Beda sic ait. *Omnis gloria capitis refertur ad corpus. Et sicut lux vera, quæ illuminat omnem hominem, sanctis donavit lumen esse mundi, sic & ipse, cum sit margarita singularis, quam negotiator sapiens venditis omnibus emit, suâ nihilominus margaritarum fulgori comparat:* è numero talium, unam hodie proponit nobis Sancta mater Ecclesia nempe Sanctam Margaritam Virginem & Martyrem, cujus sactæ virtutes, quàm benè cum nomine conveniant, in hac concione declarabo.

Apocal. cap. 21. vers. 21.

Beda in Apocal.

I. Primò ut à natalibus Sanctæ Margaritæ Virginis incipiam, meritò id nomen nempè pretiosæ margaritæ promeruit. Inter cætera est laus margaritæ, quod licet nascatur in mari quod ex natura sua salsum est & amarum, ipsa tamen non solum nullam recipit amaritudinem, sed etiam repletur quadam occulta dulcedine, ut in Regum mensis pro deliciis apponatur. Sic legimus Cleopatram Ægyptiorum Reginam, instruxisse in convivio margaritam, & liquefactam Antonio propinasse, similiter scribit Plinius, Imperatorem Caligulam, ex unionibus instructa fercula habuisse, cujus hæc sunt verba, *ut experiretur in gloria palatij, quid saperent margaritæ, atq; ut mirè placuêre, ne solus hoc sciret, singulas uniones convivis absorbendas dedit.* Est & hæc laus margaritis, quod quamvis nascantur in conchis, quæ deforis informes videntur & scraboſæ, intus tamen pulcherrimas in secontinent uniones. Similis è numero ipsarum extitit Sancta Virgo Margarita, hæc enim nobili quidem genere sed de gentilibus parentibus nata & per sacrum baptismum rursus in Christo regenerata tanquam unio pretiosa de informi concha in salso & amaro oceano facta in lucem prodiit, cunctis amabilis, & spectabilis. Gemmæ licet ex natura suâ sint æstimabiles si tamen poliantur, oculis fiunt gratiores: Similitudinem earundem Sancta Virgo Margarita consecuta fuit. Cum enim à patre dolorum cultore eo quod Christiana esset odio haberetur, ex pulsa domo, & ovibus pascendis deputata, ab omnibus despectui habebatur: at hæc domestica & familiaris persecutio in tantum Sanctæ Virgini profuit; ut licet vilibus & indignis suo statu servitiis mancipata esser, intus tamen ingenuitate Christianæ libertatis decore adeo præfulgebat, ut etiam exterius quasi sol radios miram pulhritudinem in corpore, vultuque suo virgineo exprimeret.

Plinius lib. 9. c. 35.

II. Venerabilis Hugo Cardinalis explicans illum locum sacri textus ubi dicitur. *Inauris aurea & margarita fulgens qui arguit sapientem.* Per margaritam fulgentem intelligit Doctorem, & per inaurem auream discipulum ubisic ait. *Sicut inauris aurea ornat aurem, cui margarita fulgens, majorem & gratiorem fulgorem præbet; ita argutio Doctoris eruditi auditorem sapientem & obedientem decorat.* Nostra cœlestis gemma, nempe Sancta Virgo Margarita, dum degeret in terris, imporportionatæ quidem inauri inserta fuit. Per hoc tamen splendorum suum non amisit, quin dum prædicationis officio in extollenda Christi Jesu suæque passionis gloria fungeretur, tunc apparuit fulgentissima. Legimus enim in vita hujus Sanctæ Virginis quam Theotinus vir eruditus conscripsit. Quod dum huic Sanctæ Virgini jam annum decimum quintum agenti, Olybrius Præfectus obviasset, videns eam eximiæ esse pulchritudinis mox in ejus amorem exarsit. Cum ergo ejus conspectui fuisset præsentata eam de genere, nomine, ac religione inquisivit. Tum illa Margarita inquit vocor, genere sum nobilis, religione Christiana, audito Præses tali responso, non aliter æstimabat, quam id, quod

Proverb. cap. 25. vers. 12.

Hugo Card. ibidem.

Theotinus.

in eodem virginem capiet, & suæ subjicit voluntati, unde ait ad ipsam. Duo prima quæ protuliſti convenientia ſunt, tertium verò eſt abſurditas. Nam quid ſtultus, quam ut Deum ſibi quis faciat crucifixum? Quid ad hæc virgo: Unde [inquit] didiciſti Dominum Jeſum fuiſſe crucifixum? tum Præſes. Ex libris Chriſtianorum. Cui Sancta Virgo Margarita. Quænam verecundia eſt, ut cum in iiſdem libris legatur, & pœna Chriſti & gloria, alterum credatis, alterum reſpuatis? Penſate hic Auditores fulgorem gemmeum Divæ Margaritæ, & cui tam propriè competunt illa verba ſacri textus, nempe *Margarita* fulgens qui arguit. Numquid in verbis S. Virginis fortiſſimum audiſtis argumentum, quo perfidiam Olybrii arguebat. Utinam ſaperet, ſeque tunc ad margaritam tam fulgentem excipiendam, pro inaure exhiberet ſeipſum, ſed quia voluit, quid tum? numquid fulgorem gemmeæ ſanctæque Margaritæ obſcuravit? minimè verò, quin addidit.

III. Refert S. Hieronymus, quod inter cætera orbis loca, quæ lapides pretioſos gemmaſq; edunt, etiam in mari rubro margaritæ inveniantur, quas idem S. Doctor vocat *rubri maris granũ*: tali margarita nulla eſt alia pretioſior: hæc enim denotat primam & principalẽ margaritam, quæ eſt Chriſtus Jeſus pro nobis in ſacra cruce colore tinctus purpureo, in qua pro ſalute humani generis copioſum fudit ſanguinem, eſt rubri maris granum. Nam de illo Prophetarat S. Jeremias dicens: *Magna eſt ut mare contritio tua.* Hujus Margaritæ typum & qualitatem Joannis 12. expreſſit hiſce verbis dicens. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet.* Quin omnes SS. Martyres, ut ejuſdem grani maris rubri, nempe gemmæ ipſius participes in Chriſto redderentur, quid non fecerunt? non ſatis ipſis erat, mori huic ſeculo ut viverent Deo, quin etiam tradebant corpora ſua ad ſupplicia, ut ſanguine Chriſti tingerentur. Hinc illud eſt, quod S. Andreas Apoſtolus quam primum crucem ſubiturus, eandem aſpexiſſet, eam verbis talibus ſalutaverit. *Salve crux quæ in corpore Chriſti dedicatoes, & ex membris ejus, tanquam margaritis ornata.* Si quidem igitur corpus Chriſti margarita eſt, quæ ex mari rubro paſſionis ſuæ ad nos venit, noſtra gemma, nempe Sancta Virgo Margarita quæ etiam in rubro mari inventa eſt, quantæ erit pulchritudinis?

Threm. 2, verſ. 13.
Ioan. 12. verſ. 24.

IV. Vultis ut probem? audite. Iratus Præſes ob confuſionẽ quam ex reſponſo virginis ſanctæ tam prudenti ſe perculiſſe putabat, eam in carcerem mitti juſſit, & ſequenti die evocatam, omnibus viribus à fide Chriſtiana abducere conabatur minas adjiciẽs, quod niſi ſibi conſentiret, corpus ſuum dilaniandum foret. Audiens S. Virgo tales minas, non ſolum nõ expavit, quin imo ut ſe oſtenderet eſſe granum ſive gemmam rubri maris, alacriter reſpondit, dicens. Chriſtus in mortem ſemetipſum pro me tradidit, & ideo pro Chriſto mori deſidero. O gemma fulgens non inane fuit tuum deſiderium: quia ſicut granum frumenti niſi mortuum fuerit in terram cadens, ipſum ſolum manet, eodem modo & gemma myſtica niſi ſanguine Chriſti perungatur, non erit è numero gemmarum maris rubri, quas ſanguis Jeſu Chriſti emundat & ſplendeſcere facit. Neq; caruit effectu ſuo, virginis ſanctæ deſiderium. Suſpenſa enim in equuleo, primum virgis crudeliter cædebatur, & poſtmodum pectinibus ferreis ad denudationem oſſium tam acriter dilaniabatur, ut ſanguis de ejus corpore, tanquam de aliquo fonte emanaret. Pudebat & ipſum tyrannum immanitatis ſuæ, chlamyde enim velabat ſuam faciem, ne tantam ſanguis effuſionem intueretur. Quam igitur verum erit ſanctam Virginem & Martyrem Margaritam, fuiſſe gemmam ſeu granum maris rubri.

V. Dignum eſt admiratione cur S. Paulus Apoſtolus omnem fulgorem ſuæ gloriæ in Chriſti morte fundaverit dicens. *Non judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum & hunc crucifixum.* Cur Divus Paulus dicit ſe ſolũm ſcire Jeſum, crucifixum, cum etiã ſciat Jeſum reſurgentem, imò ad dexteram patris ſedentem? Nonne ô S. Paule tua mirabili prædicatione totum mundum repleviſti, nonne Athenienſibus reſurrectionem mortuorum in Chriſto reſurgente fundatam prædicaſti? & cur nunc dicis te ſolum ſcire Chriſtum crucifixum? Reſpondet ad id S. Auguſtinus dicens: *Sciant in Chriſto crucifixo multa latere homines.* Sane in ſola Chriſti morte univerſæ continentur gloriæ. Et quæ nam illæ S. Propheta Iſaias ait. *Factus eſt principatus ſuper humerum ejus.* Principatus oſtenſio in quonam haberi ſolet, in aureo ſolio, in coronis gemmeis, in theſauris? at Chriſti Principatus ubinam exhibetur?

I. Corin. 2. verſ. 2.
Auguſt. lib. de Fide & oper. c. 10.
Iſaiæ 7. verſ. 6.

Virtullian. Lib. Contr. Jud.

betur? *Super humerum est.* De qua re Tertullianum audite, quid dicat. *Christus Jesus novam gloriam, potestatem & sublimitatem suam in humero extulit, crucem scilicet.* S. Virgo & Martyr Margarita illud met noverat, ea propter, diris & multiplicibus pro Christo Jesu affecta suppliciis, in cruce illius quæsivit gloriam, & invenit: quæ enim pro ipso tot verbera, tot ignes & tot vulnera pertulit, tot habet gemmas coronas in cælis, ibiq; lætatur in æternum.

AMEN.

IN FESTO S. MARIÆ Magdalenæ,

CONCIO I.

Ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix.
Luc. 7. vers. 37.

CElebramus hodie solemnem memoriam Sanctæ Mariæ Magdalenæ, quæ ubi accepit Dominum Jesum Bethaniæ ad Simonem divertisse, nacta occasionem, ipsum convivantem adiit, discumbenti retrò adstitit suos pedes lachrymis lavit, capillis tersit, unguento perfudit. Et ne tantum peccatricis, simulque pœnitentis, facinus ulli hominum incognitum maneret, illud per murmur Pharisæi revelare voluit. Dum enim ille intra se cogitaret, dicens. *Hic si Propheta esset, sciret utique quæ & qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est*: opposuit ei Dominus duos debitores cujusdam creditoris, unum majori alterum minori debito oneratum. Qui cum non haberent unde redderent, donavit utrisque: Ubi postquam Pharisæus ex fœneratoris ingenio, majora officia putaret in eo fuisse, cui creditor majus debitum condonavit: mox recenset peccatricis officia, quibus cor Domini emollivit, cumque sibi ita placabilem reddidit, ut venia & peccatorum condonatione dignam, dicens: *Dimittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum.* Dum igitur ego Auditores, hanc sanctæ peccatricis historiam vitamque suam mente recolo, existimo me versari in quodam horto delicatissimo, nempe in vinetis Engaddi, in quibus CHRISTUS JESUS cypri fructum legit: nempe fœminam meretricem in castitatis exemplar transtulit. Sed plures herbas floresque hocia horto reperio: quicquid ergo decerpendum, vobis in hac concione præsentabo.

Luc. 7. v. 39.

ibidem v. 47.

I. Inter odoriferos flores, seu virtutes Sanctæ Mariæ Magdalenæ, occurrit mihi hyssopus, seu profundissima hujus sanctæ mulieris humilitas: ut enim cognovit quod Jesus accumberet in domo Pharisæi, stans retrò pedes ejus maximo lachrimarum imbre sua commissa horrenda scelera deflevit. O felix peccatrix, quæ pedes Domini tenes, hinc enim non te humi inhærentē videbo, sed celsissima fulgentem gloria contemplabor. Magdalena inclyta Israëlis filia ad pedes divinos projecta, scabellum pedum Dei facta, in summam gloriæ celsitudinem ascendit. Sanctus Jacob Patriarcha somno quondam oppressus vidit scalam à terra usq; in cœlum pertingentem, cujus summitati Dominus procumbebat. Felix sanè qui hanc scalam vidit, sed felicior esset, si quoq; per eam ascenderet. Cur autem tunc ascendere non potuerit D. Gregorius Nazianzenus suspicatur causam hujus fundatā in hisce verbis Sacræ Scripturæ. *Tulit de lapidibus qui jacebant & supponens capiti suo dormivit in eodem loco.* Ubi Sanctus Doctor Oratione octava præponit Jacobo S. Basilium, dicens: *Basilii laudo scalam, non solum visam sed ascensam ascensionibus per virtutem pedetentim.* Per lapidē Christus intelligitur: hanc ergo vivam petram non qui supponit capiti, sed qui suum caput supponit suis pedibus, huic datur scalam cœli non videre solum, sed & ascendere.

S. Gregor. Gen. 28. v. 11.

Quis non miratur virtutes aquarum præ aliis elementis? ex aqua cœli nati sumus, ex aqua volucres processerunt, & quotidie cœlestes homines renascuntur, qui sanctitatis pennis scandant cœlestia. Undenam aquæ tantas virtutes acceperunt? Insinuat causam 1. cap. Geneseos hisce verbis. *Spiritus Domini ferebatur super aquas:* ubi enim aquæ se divino spiritui supponunt, seque suo subdunt imperio, necessum erat ut illius virtutem & perfectionem haurirent. Testis est huius sensus Tertullianus, qui libro de Baptismo sic habet. *A eo qui super ferebatur id quod ferebat Sanctitatem mutuabat. Quoniam subjecta quaque materia, ejus quæ desuper imminet qualitatem rapiat necessum est.* Ac si diceret, ut qui se DEO subijcit celsas ejusdem virtutes induat, qui se divinis supponit pedibus, in enarrabilem Dei tatis sui magnitudinem capiat. De Abraami gloria locutus Dominus Geneseos 15. ait. *Merces magna nimis.* Postquam Abraam audivit hæc, nempe magna & ingentia dona sibi promitti à Domino, ut ad illa pertingere posset, currit ad pedes divinos, seque eis subijcit, sic enim ait Gen. 18. *Laquor ad dominum cum simpulvis & cinis.* De quo sapienter D. Basilius Concione de pœnitentia ait. *Magnus revera erat Abraam, sic enim magnus quia terra est & cinis.* Ubi se Abraam ad pedum pulverem dejecit, inenarrabilem magnitudinem fuit consecutus.

Gen. 1. v. 2.

Tertullianus

Gen. 15. v. 1.

Gen. 18. v. 17.

II. Gemebunda igitur Magdalena & plena dolorum, dum ad Jesum accessit retrò stans, cæpit lachrymis rigare pedes ejus. Cur retrò stat? ut afflictiones suas decoraret, quæ post Christum plus placent, & plus habent efficaciæ, Moyses Exodi 17. prius in certamine locat Jesum Nave dicens ei. *Elige viros & egressus pugna contrà Amalech.* Præmittitur Josue in aream, post quem Moyses montem ascendit Prolixaque se oratione fatigat, adeò ut deficerent ejus brachia, sed non illa Moysis vexatio, nec ejusdem orationis prolixtas posset habere efficaciam, nisi vel Jesu nomen præiret in certamina. Id quod notans Divus Justinus Martyr, dialogo, adversus Judæos fatur. *Nec enim quod ita Moyses precabatur, propterea populus superior erat, sed initio pugnæ cum nomen IESV esset.* Non vacat mysterio quod notatur Lucæ 23. Simeonem illum Cyrenæum, portasse crucem Domini post Jesum, ita enim ait: *Et cum ducerent eum apprehenderunt Simonem quendam Cyrenensem venientem de Villa, & imposuerunt illum crucem portare post Iesum.* Per quod intelligitur, virtutem nostrarum operationum à solo Jesu virtutem habere dum præit, quos verò retrò manentes, ipsum dum sequimur. Sic sentit D. Ambrosius, scribens in eundem locum Sancti Lucæ, uti ait: *Bonus ordo nostri profecit prius crucis trophæum ipse erigeret, deinde Martyribus traderet erigendum.* Nulla crux nulla afflictio, nulla passio placere potest Deo, nisi post Jesum. De felici illo publicano Zachæo, dicitur Lucæ 19. quod *præcurrens ascendit in arborem sycomorum*, id est antequam Christus ad locum illum veniret, sed quid Christus? videns illum in arbore, ait. *Zachee festinans descende.* Cur Domine tam velocem descensum imperas? non tibi Zachæus placet, dum in arbore stans te videre cupit? Respondet Chrysologus Sermone 50. dicens, *Ante Zachæus ascendit arborem quàm crucem Dominus ascenderet, hinc est quod dicitur ei, festinans descende, descende ante Dominum, ut post, crucem dominicæ passionis ascendas.* Prudenter igitur fecit Magdalena, quæ stans retrò secus pedes Jesu pœnitentiæ salutari operam dabat.

Exod. 17. v. 9.

Justinus Martyr.

Luc. 23. v. 26.

S. Ambrosius

Luc. 19. v. 4.

ibidem v. 5.

Chrysologus

III. Sed quidnam postea fecerit videamus: lachrymis cepit rigare pedes ejus, & capilis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat. Multa hic miranda veniunt, nempe inconfusibilis mulieris animus, dum nihil curat murmurantium oculos, sed sese ad Jesu pedes abjicit; & osculatur, & lachrymis rigat, & aureis siccat crinibus & unguento perfundit. In primitiva illa Ecclesia fideles Christi Domini, omnia bona sua, ad pedes discipulorum suorum ponebant; uti patet in Actis Apostolorum: Vide modo cujus sit fidei Magdalena, dum ingenti lachrymarum thesauro ad Christi Domini pedes projecto, insuper etiam pretiosum capillorum suorum mantile ijsdem adaptat, quasi testans quod nihil suum ulterius possideat. Legimus in Græco Epigrammate quod describit Natalis autor. Quod quidam Lucillius

post

post naufragium sumptis suis crinibus illos Diis suis dedicaverit dicens; *Diis æquor eoq; lovi*

Lucillus.

Servatos dicat è pelagi Lucillius undis
Hos crines, aliud namq; habet ille nihil.

Sic Magdalena emergens è mundi naufragio per tabulam pænitentiæ nihil suum in animo retinet: in cujus testimonium crines suos Domino consecravit. Unde jam non mirabor quod DEUS Cant. 4. se vulneratum dicat: *In uno crine colli tui* id est Magdalenæ pænitentis. Quamvis enim non magnum sit capillorum munus, tamen magnam æstimationem habet apud DEUM, cum nihil tibi reservas, etiam si solum illi offeras *crinem*.

Cant. 4. v. 9.

IV. Nolo mirari Magdalenam pro delictis lugentem, pedes JESU lavantem, osculantem, crinibus detergentem: sed valde miror, quod ea omnia in extranea domo fecerit, in servorum pręsentia, & in oculis convivarum, nec me fallit admiratio mea. Ecce enim videns hæc Pharisæus, intra semet ipsum murmuravit? Sed mittamus Simonem murmurantem: optabat salutem pænitens Magdalena, ideo contempsit & vicit omnem mundi verecundiam. Quid autem ei Christus dixerit, audiamus; *Dimissa sunt ei peccata multa quoniam dilexit multum* Miror quod peccatrix mulier tam subitò in tantum Christi Domini amorem excreverit, quod ei absolutè dicatur à Deo, dilexisti multum: modo tota in peccatis, & jam in divino amore multa? sic ille pervenire solet ad amoris divini fastigium, qui se ad divinos pedes novit dejicere. Apocalypsis 4. *In Circuitu divinæ sedis erant sedilia viginti quatuor & super thronos viginti qaatuor seniores sedentes.* Hi omnes pleni gloria & majestate, *nulla verba dabant, nec ullũ affectum voluntatis exprimebant circa agnum, quamvis eum colerent & amarent.* Verum ubi ventum fuit ad libri apertionem, tunc capite quinto; *Ceciderunt coram agno habentes singuli citharas & phialas aureas, plenas odoramentorum & cantabant canticum uovum.* Unde tanta amoris signa ab his qui tacebant antea? Expende illud; ceciderunt coram agno, quippe ubi se ad pedes agni dejecerunt, necessum erat, ut in eius immensę amoris flammæ se ostentarent: ita in hunc locum Divus Ambrosius: *Quantum se per humilitatem dijiciunt, tantò amplius ih amore ejus exardescunt, quia humilitas quæ fit in conspectu DEI nutrit amorem.*

Luc. 17. v. 47.

Apocal. 4. v. 4.

Apocal. 5. v. 8.

D. Ambrosius.

V. Ultima tandem Christi Domini verba, quibus Christus peccatricem Magdalenam liberam à peccatis suis declaravit, illa sunt, dum ait. *Vade in pace.* Sed quid ais Domine: Scis illam tui ardere dilectione & abire jubes? non is est charitatis actus qui pendet à præsentia corporali? Accipite duos præclaros amatores, Davidem & Jonathan de quibus 1. Reg. 18. *Anima Ionathæ cougluti-nata est animæ David*: ubi est perfecta dilectio, ubi animæ conglutinantur quæ non de præsentia corporali sollicitatæ sunt, quia purè & spiritualiter se amantes ubi que se præsentes habent. Sic sentit D. Gregorius Taumaturgus Oratione ad Origenem dicens *Non simpliciter conglutinatus est Ionathas David, sed ille ipse principem tenent locum animæ, quæ nec sejunctis iis quæ apparent separari tamen ipse vi ulla cogantur.* Sic anima Sanctæ Magdalenæ conglutinata fuerat CHRISTO DOMINO. Unde cum hic viventi in terra, excellentissima charitatis mysteria exhibuerit, in tantum etiam ab ipso redamata fuit, ut quæ in mundo dilexit multùm, nunc in cœlis æterna beatitudine perfruatur.

1. Reg. 18. v. 1.

D. Gregor. Taumaturg.

AMEN.

IN FESTO S. MARIÆ Magdalenæ,

CONCIO II.

Stans retrò secus pedes ejus, lachrymis cœpit rigare pedes eius &c.
Lucæ. 7. vers. 38.

ENarraturus ego hodie vitam, pœnitentiam, & summas laudes Sanctæ Mariæ Magdalenæ, juxta historiam Sancti Lucæ Evangelistæ, mirari satis non possum, quod cum ille inceperit textum suum à convivio Pharisæi Christo exhibiti, qualenam fuerit, quot qualesque hospites, & quem ciborum delectum habuerit, hujus rei nullam planè mentionem fecerit, quin omnibus his prætermissis, digressus fuerit ad mulierem peccatricem, eamque à nobis conspiciendam voluerit, dum ait. *Ingressus Iesus in domum Pharisæi discubuit & ecce mulier.* Solita hæc est historicorum industria, ut quæ ad substantiam rei attinent, illa non omittant, sed accurate notent. Sic 1. libro Reg. cap. 1. accuratè est adnotatum, de mensa Samuelis Prophetæ, nempe qualiter Sauli primum locum dederit quod convivæ numero ibidem fuerint. *Erant enim quasi triginta viri.* Similiter in libro Ester capite 10. in quo convivium Regis Asueri describitur, ibidem quo tempore duraverit, & quam splendidum fuerit, exactè recensetur: hic autem nulla plane fit mentio de mensa Pharisæi, ac si ea materia esset impertinens: de sola autem peccatrice, qualiter ingressa domum Pharisæi, retrò pedes Jesu steterit, illos lachrymis laverit & capillis capitis sui terserit, osculis exceperit, & ungento unxerit, satis copiosè edisserit: putarem eam fuisse rationem; quia pœnitentia Magdalenæ principalius fuit epulum quo Christum recreavit, magis quàm Pharisæus suo convivio, & quod actus ejusdem pœnitentiæ, ad majorem ejusdem gloriam enarrentur; quod vobis in hac concione probare conabor.

ibidem v. 37. 38.

1. Reg. 9. vers. 10. 1. Ester 10. v. 13.

I. Peroptimè sentit D. Petrus Chrysologus, non eam fuisse intentionem Salvatoris, ut ageret convivam in mensa Pharisæi, sed quia probè noverat ad domum eandem venturam peccatricem Magdalenam, ut haberet ibidem occasionem gratissimam captandi ferculum pœnitentiæ, sibi oblatum in disco cordis sui, nam præfatus Sanctus Doctor sic ait? *Ad Pharisæi mensam venit Christus, non ut carnalibus repleretur escis, sed ut in carne negotium cœleste monstraret.* Omnibus est manifestum, quod legimus de Samaritana. Proficiscebatur Redemptor noster in die quodam jejunus à mane usque ad meridiem, idque tanto calore, ut defatigatus, coactus fuerit supra fontem residere. Apostoli interea temporis diverterunt ad civitatem empturi cibos. Interea advenit mulier Samaritana, cujus cor, & anima, Christo futurum erat epulum sapidissimum, loquitur cum illa, docet, illuminat, & ex infideli peccatrice, fidelem Sanctam efficit. Interim cibum adferunt Apostoli, & invitant dicentes: *Rabbi manduca:* at quid Christus? sic respondet. *Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis.* Audientes hæc Apostoli summè mirantur inter se colloquentes, numquid ei aliquis cibum attulit? Sed CHRISTUS clarius ait: *Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei, qui misit me ut perficiam opus ejus.* Hic ille cibus est quo vescor, anima scilicet conversi peccatoris, quam ut in cibum præparem, hoc est opus meum. Cœlestis illa sponsa sponsum suum invitavit ut descenderet in hortum suum, dicens, *Veniat dilectus meus in hortum suum & comedat fructum pomorum suorum*, non repudiavit sponsus desiderium illius quin hortum illum ingressus delicatis fructibus plenum se ad capessendas ex illis delicias præparavit. Sed attendamus, ad quemnam cibum manum

S. Petrus Chrysologus Serm. 93.

Ioan. 4. v. 7.

ibidem v. 31. & 33.

ibid. v. 34.

Cant. 5. v. 1.

num apponet? ad myrrham. *Messui myrrham meam*, & quid magis amarum & ingratum palato quàm myrrha? Sed respondet Chrysologus, & intelligens myrrham pro pœnitentia, quæ consistit in corde contrito & amato, ita ait. *Deus delinquentium gemitus esurit, & sitit lachrymas peccatorum.* Unde pœnitentiam vocat myrrham suam. Quia vera pœnitentia sicut illius opus est, & divinæ donum misericordiæ, eodem modo pro cibo suo illam habet, ejus amaritudine delectatur. Jam ergo quod concernit peccatricis Magdalenæ pœnitentiam, nempe lachrymas, & dolorem, ea Christus Dominus pro cibo principaliori habuit, quàm opiparam mensam Pharisæi. Testatur id Divus Gregorius in hodiernum Evangelium Homilia 13. dicens. *Ad Pharisæi prandium Dominus discumbebat, sed apud pœnitentem mulierem mentis epulis delectabatur.*

D. Petrus Chrysologus Serm. 93.

D. Greg.

II. Pœnitentiam Magdalenæ principalius fuisse Christi Domini epulum, ipsa mensâ Phærisæi, probè intellexistis: quantam eidem peccatrici gloriam pepererit, audite. Legimus in diversis Historiis, quod Reginæ aliique hujus orbis Monarchæ fuerint, qui in laudem posteritatis suæ gloriosa, & summa facinora ediderint. Quis enarrare queat, illum sumptum quem in cœnis apparandis Cleopatra Regina insumebat? Quis facinora Semiramis Reginæ dum fundaret primam & excellentiorem totius orbis Monarchiam, Chaldæorum inquam vel Babyloniorum? Quis Alexandri Magni tot labores, quos in diversis mundi partibus cum exercitu suo exantlavit. vel ob id solum, ut nomen suum famamque traderet æternitati? Quas plerique Dynastæ fundarunt civitates? Quod Pyramides & Mausolæa erexerunt? per id solum intenderunt talium gestorum memoriam nusquam tradendam fore oblivioni. Sed certè secus contigit: cum tempore enim diuturno cuncta ea oblivione sepulta manent. Sola Magdalenæ pœnitentia, tantæ virtutis extitit, ut nulli unquam oblivioni dari queat. Quod demonstro duplici ratione. Prima hæc sit: postquam peccatrix Magdalena illum humilem sanctumq; processum pœnitentiæ finivit, nempe lachrymis rigando pedes Jesu, extergendo eosdem capillis sui capitis, deosculando, & ungendo, quid secutum fuit? ait S. Evangelista. *Videns autē Pharisæus qui vocaverat eum, ait intra se dicens: Hic si esset Propheta, sciret utiq; quæ & qualis est mulier quæ tangit eum; quia peccatrix est.* O temerarium Pharisæi judicium per quod Christo Domino derogabat, in Magdalenam vero tanta invidia ferebatur propter istos actus heroicos à se Domino exhibitos, ut non aliud intenderet, quàm ne fuissent facti, aut quam citissimè oblivioni traderentur. Sed quid Christus! assumpta parabola duorum debitorum, nec non responso Pharisæorum, *Conversus ad mulierem dixit Simoni Vides hanc mulierem?* Quid ni videret, ob quam murmuravit? Felix ergo es Magdalena, quia etsi habueris hostes atrocissimos, dico Pharisæos, qui tua facinora sacra obliterare conabantur ne habeas Pindarum, Horatium, Homerum, cæterosque Historicos, Poëtas, & Oratores, qui ea perpetuæ tradant memoriæ, habes his omnibus præstantiorem Christum, qui tuas laudes decātat & perpetuat, quæ nunquam interibunt. *Quia verbum Domini manet in æternum.*

Luca 7. vers. 39.

ibidem vers. 44.

III. Non minus est excellens ea secunda ratio, quæ sequitur. Verum quidem, extitisse in hoc mundo Monarchas plurimos, quorum facta heroica decantantur in diversis Historiis. Hector & Ulysses habent Homerum suum præconem, Æneas & Turnus præclari Reges habent suum Virgilium, Romani Principes & Imperatores habent suum Livium, tandem viri illustres habent suum Plutarchū, cæteriq; per alios promittebant & ipsi perpetuam laudum suarum memoriam, dicentes:

Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.

Sed contra hæc politica sufficiat illud Psalmistæ. *Periit memoria eorum cum sonitu.* Nullus illorum cōparandus illi Oratori, quem habuit laudum suarum Maria Magdalena. Hæc n. cū quadam vice præsente Domino in domo Simonis leprosi, habens alabastrum unguenti pretiosi ad eum accessisset, & effudisset super caput recumbētis, indignantibus discipulis & dicentibus ut quid perditio hæc? Christus Dominus volens approbare factum Magdalenæ, illudq; rationabiliter excusando, tādem dixit, *Amen dico vobis. Ubicunq; prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur quod hæc fecit in memoriam ejus.* Miratur id D. Chrysostomus dicēs. *Quot reges multa & magna fecerunt, tamen cum suis factis silentio teguntur, hæc abjecta mulier quæ tantum effudit unguēta, toto terrarum orbe decantatur.* Sed cesset admiratio qui deprædicat Mariā Magdalenam æternus præco est, & verbum ejus manet in æternum,

Psalm. 9. vers. 7.

Matth. 26. vers. 13. D. Chrysostomus.

IV. Ab hoc unguento revertamur ad lachrymas Magdalenæ. Hæc provoluta in terram ante Dominum: *lachrymis cœpit rigare pedes ejus.* In variis scripturæ locis invenio plurimos qui immensas ex oculis suis lachrymas effuderunt. S. Jacob Patriarcha, amisso filio Joseph tam uberes emisit lachrymas, ut earum terminum in ipso sepulchro posuerit. *Noluit consolationem accipere.* Sed ait: *Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Abundantes effudit lachrymas Anna Tobiæ mater ob moram quam trahebat in itinere, *flevit irremediabilibus lachrymis.* Altera Anna mater Samuelis, antequam ipsum habuisset, afflicta ob sterilitatis opprobrium, multas in tabernaculo Dei emisit lachrymas. *Cum Anna amaro esset animo, oravit ad Dominum flens largiter.* Et tandem ut in Rege David finem faciam, hic ad quantas lachrymas dispositus fuerit, hæc verba illius testantur, dum ait: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* Ego hic non comparabo lachrymis Jacobi lachrymas Magdalenæ, quia ille invento filio Joseph tandem oculos suos absterst, non lachrymis Annæ unius & alterius, quia & illæ consolationem suam brevi habuerunt. Cum lachrymis Regis David, lachrymas Magdalenæ comparabo. Quanta lachrymarum David abundantia, qua poterat totum lectum suum madefacere, & stratum cui quierurus incumbebat irrigare: Sed quid de illo ait S. Ephrem, ita ait. *David una nocte peccavit, & quotidie lachrymatus est.* Si ergo David ob unius criminis noxam tantas emisit lachrymas, quibus rigaret stratum suum, quantò non plures Magdalena, quæ non uno sed omnibus peccatis plena fuit, quæ ut elueret, *lachrymis cœpit rigare pedes ejus.* Tempus est ô Mulier ut post tantam ablutionem pedum Jesu, quæras aliqua ad extergendos linteamina.

Gen. 32. v. 4.

Tobiæ 10.

Psalmo 6. v. 7.

Bib. de Comp. p. 591.

V. *Capillis capitis sui tergebat:* cum jam pedes Dominicos copiosissimis lachrymis irrigasset, dispersit super illos capillos suos aureos, ut illis quasi mappa pedes illos extergeret. Sed ego dicam aptius illam Sanctam peccatricem in gratiarum actionem tale obsequium Christo præstitisse, illique capillos suos obtulisse. Antiqui enim nautæ, dumquodcunq; magnum aliquod maris periculũ evasissent, pro gratiarum actione capillos suos offerre solebant Diis suis. In maximo maris periculo fuit Magdalena peccatrix: quia ergo juvante Domino de eodem liberata fuit, meritò gratitudinis ergo, pedes suos capillis capitis sui tergebat. Jam dico, in ipsa adimpletum fuisse vaticinium David sic dicentis. *Veruntamen Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium indelictis suis.* Per ambulabat in delictis suis Magdalena, nihil aliud faciebat, nisi quem circumvenire, suisque capillis auro gemmisque distinctis, aliquem decipere posset: vincebat per illos Diabolus, multorumq; animas sibi subjugabat. Sed ecce dum jam prosternitur ante pedes JESU, dum non fimbriam uti Chananea sed ipsos pedes ejus tangit, triumphum de diabolo refert gloriosum, testante S. Chrysologo. *Capillis capitis sui tergebat ut juxta Psalmistam verticẽ capilli [ex quo ambulaverat in delictis suis] in sanctitatem tali verteret servitute.* Eja ergo Auditores: Cum audiveritis quanto honore Mariam Magdalenam dignatus sit Jesus Christus propter pœnitentiam afficere, ejusdem exemplum imitemur, ut per ipsam ad gratiam divinam, & gloriam sempiternam, pervenire mereamur.

Psal. 67. vers. 22.

Serm. 95.

AMEN.

IN

IN FESTO S. MARIÆ Magdalenæ,

CONCIO III.

Remittuntur ei peccata multa. Luc. 7. Vers. 17.

AUditorēs mei, video hodiernæ Dominicæ Evangelium convenire cum solemnitate ejusdem diei S. M. Magdalenæ. Nam si examinemus Evangelium Dominicæ, in illo inveniemus Christum Dominum flevisse. *Videns civitatem flevit super illam*; causa lachrymarum Domini, fuit ruina & prostratio civitatis Jerusalem, quam prædicebat dicens. *Venient dies in te & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te & coangustabunt te undiq; & ad terram prosternent te.* E contra si consideremus hodiernum Magdalenæ pœnitentiam, etiam nos flere compellit. Quare? quia & ipsa civitas fuit spiritualis, quæ similiter tunc prostrata fuit, & tunc ruinam edidit, quando corruit ad pedes Jesu, si ergo Christus super ruinam civitatis flevit; cur nos non fleamus super ruinam spiritualis civitatis. Audite quid dicat Sanctus Gregorius: *Cogitanti mihi de Maria Magdalena pœnitentia, flere magis libet, quam aliquid dicere, cujus enim vel saxeum pectus, illa hujus lachryma peccatricis ad exemplum pœnitendi non emolliant?* Sed cur fleamus? putatisne quod Christus super ruinam murorum materialium fleverit? minimè verò: Sed super ruinam animarum, quæ corruunt, & prosternuntur, sed sine ulla spe resurrectionis. Ista autem peccatrix corruit quidem ante pedes JESU per pœnitentiam, sed surrexit per veniam, & Christum exhilaravit dum ait: *Dimittuntur tibi peccata tua*: Quibus mediis in hac concione audiemus.

Luc. 19. vers. 41.

Ibidem vers. 42.

Hom. 33. in Evang.

I, Hodie potissimum Auditores mei, experior veritatem illius sententiæ Sancti Pauli Apostoli ad Romanos scribentis: *Ubi abundavit delictum superabundavit & gratia.* Vultis scire quanta peccatrix fuerit Magdalena? Consulite S. Marcum Evangelistam & invenietis illam fuisse, de qua Christus Dominus septem ejecit dæmonia; *Et quid per septem dæmonia nisi universa vitia designantur: quia enim septem diebus omne tempus comprehenditur rectè septenario numero universitas figuratur.* Multoties audistis de illa monomachia, quæ fuit inter Goliath & David, hic exilis staturæ, ille gigas immensus, tamen superatus ab exili corruit: majora erant peccata Magdalenæ mille gigantibus; quia tot animas hominum prostravit & perdidit, sed ecce dum ad duellum itur, ubi abundavit delictum ibi superabundavit & gratia.

Ad Romanos 6. 5. vers. 20.

Marci 16. vers. 9.

S. Gregorius Hom. 33.

II. O magnam misericordiam Salvatoris Dei, qui peccatores etiam maximos, si ad eum veniant, non abigit, sed clementer recipit! Legi in vita Ciceronis, quod dum coram Julio Cæsare pro quodam reo seu accusato, peroraſſet, ut magis eum flecteret ad misericordiam, vestem sibi detraxisse, atq; sua vulnera pro ipso in bello suscepta eidem ostendisse dicens: hæc ô maximè Imperator fidelitatis suæ signa sunt, quæ pro te tulit; Quis egit Patronum cui ô Maria? nullus planè: erant quidem in illo Simonis convivio plurimi invitati, sed nullus ex ipsis erat, qui te excusaret, quia omnes accusabant: vestem tuam detraxisse, & vibices explorasse nefas fuit, quia tunc pro Deo tuo nulla accepisti, quin imò animabus aliorum conversatione tuâ pessimâ, & vitâ scandalosâ, multa vulnera intulisti. Quid igitur? Versaris in periculo, quia neminem habes, qui tui causam suscipiat. Datur reis gratia in Judiciis, quod si neminem habere possint causidicum, pro se ipsis loquuntur: vel tu igitur loquaris pro te ipsa, non est necessum ut multa dicas: nam ille Phærisæus, stans multum peroravit; Publicanus orationem suam duobus verbis absolvit,

Luca 18. verſ. 13. ſolvit dicens: *Deus propitius eſto mihi peccatori*; & tamen magis juſtificatus diſceſſit ab illo. Similiter Rex David dum objurgatus fuiſſet à Samuele propter adulterium adjunctum homicido, non multis egit verbis. Sed id ſolum dixit: *Peccavi Domino.* Et ecce audit: *Tranſtulit Dominus peccatum tuum.* Ergo & tu ô peccatrix profer aliquid ut abſolvaris. Nihil planè legimus in hiſtoria hodierni Evangelii, an vel unicum verbulum peccatrix Maria coram Chriſto protulerit, & tamen audivit ſibi dici: *Remittuntur tibi peccata* O gratia Salvatoris. Ubi enim abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia.

2. Reg. 12. verſ. 13.

III. Dicitur proverbio. *Quod per quis peccat per eadem puniatur.* Populus ille Iſraelis vitulum ex auro conflatum, adoravit, ideo pulveres combuſti & contriti in aqua mixtos bibere coactus fuit. Abſolon delectabatur in ſua cæſarie, nam de illo ſcribitur: *Semel in anno tondebatur, quia gravabat eum cæſaries.* Sed quid contigit? dum ſuo patri David propter Regnum auferendum bellum intuliſſet, ſe ipſum in capillis ſuſpendit: ſic enim ait textus ſacer. *Accidit autem ut occurreret Abſolon ſervis David ſedēs in mulo, cumq; ingreſſus fuiſſet mulus ſubter quercum condenſam & magnam, adhæſit caput ejus quercui, & & illo ſuſpenſo inter cælum & terram, mulus cui inſederat pertranſivit.* Quis unquam hæc ſomniaſſet? quis unquam putaſſet, quod capilli illi in quibus gloriabatur Abſolon, ei cauſaſſent mortem? Atqui ego totum aliud video in Maria Magdalena, per quæ enim peccavit per illa non punita ſed ſalvata evaſit; peccavit oculis, quibus laſcive utebatur, labiis, quibus infigebat oſcula impudica, capillis, quos torquebat, & gemmis exornabat, pedibus, quibus currebat ad malum. Sed quid tandem? numquid oculi ipſi quibus ſcandalizabat plurimos, eruuntur? labia cauterizantur? capillis ſuſpenditur? pedes abſcinduntur & projiciuntur? nullam planè membrorum talium jacturam paſſa fuit, quin imò majorem in iſtis gloriā & decorem acquiſivit. Tuus ô Jeſu amor fuit, qui docuiſti peccatricem qualitandem ſtratagemate peccatorum ſuorum pœnas evaderet. Sed quod nam illud?

Exodi 32. verſ. 4.

2. Reg. 14. verſ. 26.

2. Reg. 18. verſ. 9.

IV. Legimus primo libro Regum, quâ prudentiâ glorioſa illa Abigail uſa fuerit in caſu quodam ſummi periculi. Cum enim David ſummè exaſperatus inhumanitate Nabal, pergeret cum exercitu, ut ipſum cum tota domo ſua deleret, illa quàm primùm id reſcivit, mox ipſi cum donis perrexit obviam, & ſic ipſum ſibi placabilem reddidit. Major prudentia enituit in Maria peccatrice: hæc enim cum benè noſſet, quantum offendiſſet DEUM & Salvatorem ſuum JESUM; quid fecit? ut cognovit quod JESUS accubuiſſet in domo Simonis leproſi, ſubitò properavit. Illa non venit cum panibus, vino, arietibus coctis, cum uvis paſſis, & caricis, his enim antea domus Simonis abundabat, Sed attulit ſecum illa ad ſervitium Domini, quibus antea utebatur ad deceptionem aliorum. Solebat ſe delibare unguentis pretioſis, ut odorem ſpiraret corpus ſuum. Attulit alabaſtrum unguenti, dum perveniſſet ad Dominum, ſicuti fecit Abigail, ſed ſtetit retro ſecus pedes ejus & amare flevit; prudenter fecit ait Sanctus Auguſtinus. Non ad *caput* ſed ad *pedes* ejus, & quæ diu male ambulaverat, veſtigia recta quærebat. Videamus amplius: Oculis ardorem carnis exhalabat. Cum poſt ardorem ſolis ſoleat imber ſequi, rectè & illa emiſit imbrem lachrymarum, qui ſufficeret ad lavandos pedes JESU. Tortis crinibus aurum & lapillos pretioſos inſerebat, rectè ergo eoſdem ad extergendos pedes ſuos pro mantili dedicavit, oſculis pedibuſque eum offenderat, igitur oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat. Ne ſcandalizeris Phariſæe, ſed potius lauda Domini clementiam qui ex veneno oculorum, capillorum, oris, pedumque Magdalenæ novit facere thiriacam ſalutarem.

1. Reg. 25. verſ. 20. &c.

D. Auguſt. Tract. 7. in Ioan.

V. O prudens Maria, quæ dum te ipſam coram Jeſu humiliaſti ſummum decorem acquiſiviſti in membris tuis, nunc etenim de te poſſum dicere illud ex Canticis Salomonis: *oculi tui columbarum, capilli tui ſicut greges caprarum.* Dicebat quondam ſponſus

Cant. 4. verſ. 1.

de

de dilecta sua: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meũ in uno oculorum tuorum & in uno crine colli tui.* Sed quantò magis Christus Jesus vulneratus fuit in amore tui, tu enim illa es, quæ non in uno oculorum, sed ambobus, balneum Christo Domino præparasti. Tu illa es, quæ non unum crinem colli tui, sed totos capillos tuos in extersionem pedum ejus consecrasti: tu illa es quæ verè potes illud dicere. *Manus meæ stillaverunt myrrham & digiti mei pleni myrrha probatissima.* Tu illa es, cui remittuntur peccata multa. Quia dilexisti multum. Pœnitentia peccatorum & amor Jesu Mariam Magdalenam à peccatis immunem & summa gratia dignam fecit. Quamobrem Auditores mei, hæc duo amplectamur, quia per ipsã remissionem peccatorum, & æternam gloriam assequemur.

AMEN.

Cant. 4. v. 9.

Cant. 5. v. 5.

IN FESTO S. MARIÆ Magdalenæ,

CONCIO IV.

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

Lucæ 17. v. 47.

INter cætera orbis miracula, quæ plerique Autores septenario numero complectuntur, nempe muros Babylonios, colossum solis, pyramides Ægyptias, mausoli sepulchrum, templum Dianæ, Jovis simulachrum: ponitur etiam pro uno miraculo quædam turris altissima, quam Ptolomæus Rex in Insula Pharos tam ex lucido lapide ædificavit, ut lumen ab illa turri prosiliens, nocturnum splendorem lunæ superare videretur, atque nautis in mari navigantibus, lumen suum ne aberrent, submini strare t. Tali turri, si ego Sanctam Mariam Magdalenam, cujus hodie solemnem memoriam celebramus, comparavero: minime aberrabo. Fuit sane Beata Maria Magdalena, excelsa turris, quæ interpretatur ex cognomine suo *Magdalena*: quia postquam unigenitus DEI FILIUS de cœlo descendens, & homo factus, in terram venit, eam miraculosè formavit, & ad singularem immensæ pietatis suæ stuporem erexit. Fuit stupenda turris, utpote quæ igne sacro plena, atque divinæ gratiæ miro lumine illustrata, splendorem ex se effudit copiosum; Fuit turris pellucida, quæ navigantibus & itinerantibus in magno mari hujus orbis ne aberrent à scopo suo, conversationis vitæque suæ Angelicæ lumen præbet, & quia tantam gratiam obtinuit per amorem, quo in CHRISTUM DOMINUM ferebatur, de hoc juxta Historiam Sancti Evangelii, aliquid audiemus.

Plinius lib. 3. cap. 21.

I. Quod Sancta Maria Magdalena in CHRISTUM DOMINUM summo amore ferebatur, id omnes sacri Evangelistæ luculenter testantur: inprimis si accipiamus hodiernum Sancti Lucæ Evangelium, evidentissima signa amoris divini in corde Sanctæ Magdalenæ inveniemus.

Vidistis aliquando conversiónem ad pœnitẽtiam Sanctæ Mariæ Magdalenæ in imagine depictam? Solemus videre in illa, mensam cibis refertam, Simonem tanquam patremfamilias unà cum Pharisæis & Christi Jesu invitato, illi accumbentem; deinde videmus unam peccatricem retrò pedes Jesu Christi stantem, tandem prostratam, lachrymis rigãtem pedes ejus, capileis capitis suitergentem, osculantem & ungento unguentem. S. Lucas tanquam pictor bonus, hæc omnia ad vivum in tabella sui sacri Evangelii delineavit, ait enim in hunc modum. Quod dum hæc mulier peccatrix cognovisset, quod Jesus in domo Simonis accubuerit, accepto secum unguenti alabastro, nulla præmissa protestatione, nulla petita licentia, venit ad domum suam, atque circa Christum Jesum ita planè se habuit, sicut in hac sua imagine vobis demonstravi. Inprimis ergo pensate Auditores modum agendi, quo Maria Magdalena usa fuit; quidnã in illo invenietis, nisi amorem ipsum quo in ipsum inflammata erat? Quæ fuit mulier? erat peccatrix maxima, quò venire ausa fuit? ad domum Pharisæi, qui sanctitatem sectabatur, seque à peccatoribus segregabat: quid secum habuit? *Attulit alabastrum unguenti.* Nunquid hæc sunt manifesta amoris indicia? quis enim expulit delitiis deditam mulierem ex civitate, nisi solus divinusque amor? quis ad domum Pharisæi ire compulit, nisi divinus amor? quis tandem suasit ut alabastrum unguenti secum ferret? Sane non alius, quàm divinus amor. Testatur id Venerabilis Beda dicens: *Illicitis actibus prius mulier intenta, unguentum sibi pro odore suæ carnis adhibuit. Quod ergo sibi turpiter exhibuerat, hoc jam Deo laudabiliter offerebat.* Aliud in s. Maria Magdalena amoris signum: quod Christum contrectare & osculari ausa fuerit. Quam inaccessibilis erat Deus in antiquo testamento! Soli Moysi, in monte Synai loqui cum DEO permittebatur, alii verò filii Israëlis vel à solo montis tactu prohibebantur. Oza quia Arcam fœderis Domini (tenere volens ne caderet ex curru) tetigit, morte subitanea plexus occubuit. At Maria Magdalena, non solùm accessit prope fundamentum montis, nempe secus pedes Jesu, sed etiam lachrymis illos rigando & capillis tergendo contrectavit. Arcam fœderis Domini, non solum tetigit manu, sed osculis quoque delinivit, & tamen pro supplicio mortis, accepit vitam dum sibi audivit dici à Domino. *Remittuntur ei peccata multa.*

Beda in c. 7. S. Luc.

Exod. 19. v. 21.

2. Reg. 6. v. 6. 7.

II. Et quis hic non miraretur? antequam Moyses montem ascenderat, prius à Deo sibi demandatum fuit, quatenus filios Israëlis ad sanctificationem uniuscujusq; sui hortaretur, quod & fecerunt, & tamen ne montem tanguntipsis prohibetur: hæc autem cum peccatrix, & immunda esset, non tangere solum divinos Christi pedes, sed etiã osculari illi permittitur? Oza non erat profligatæ vitæ, neq; etiam postremæ conditionis, & tamẽ eò quod Arcam tetigerit, percussus fuit à Domino, hæc autem quia tetigit pedes Jesu, non percussa, sed sanata fuit. Et deinde relinquamus adhuc peccata Mariæ Magdalenæ, & dicamus fuisse parem filiis Israëlis, aut Ozæ in probitate vitæ, nunquid ob id debeat Christum Dominum tangere, & osculari? Si juxta Sanctum Epiphanium Exercitus Angelorum qui fuit scabellum pedum Christi, eos nec videre possunt nec contingere, & quomodo una peccatrix mulier id audebit? Sed jam responsum audite, quod in favorem S. M. Magdalenæ promo. Cur Israëlitis prohibitum fuerit, ne montem tangerent: Venerabilis Hugo Cardinalis id misticè dictum fuisse intelligit, ut discamus nõ tangere seu scrutari divina mysteria juxta illud Proverb. 25. c. *Scrutator majestatis opprimetur à gloria.* Quod verò concernit Ozam: ratio pœnæ suæ datur in ipsomet sacro textu verbis talibus. *Iratus est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate.* Maria Magdalena quod accesserit ad montem *sanctificationis sua*, id neque ambitiosè nec temerè fecit: nam licet sese indignam agnoverit, quæ immaculatam Christi carnem tangeret & oscularetur, nihilominus tamen, quia ardentissimè Christum Dominum amabat, ideo quasi oblita sui ipsius, ad id impulsa fuit, ut ad Jesum properaret, ipsum tangeret, & osculis salutaret. Ego id non dico, sed gravis autor Dionysius Carthusianus hisce verbis: *Quamvis contactu pedum Christi se judicaret indignam, tamen magnitudine dilectionis victa, se cohibere nequivit.*

S. Epiphanius de Lud. B. V. Magd.

Hugo in Exodic. 19. Pro verb. cap. 25. v. 27.

2. Reg. 6. v. 9.

In Lucam art. 19.

III. Forte putaret aliquis, quod peccatrix illa Magdalena postquam obtinuit à Domino remissionem peccatorum suorum, per illa verba; *Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum*; quod jam à dilectione Christi ces-

sti cessaverit: multi enim tales in mundo reperiuntur, qui inserviunt illis à quibus aliquid sperant, sed dum habent quod optaverunt, jam non amplius curant datorem hujus rei. Sed id minimè cogitandum est de S. M. Magdalena, quia sicut ante remissionē peccatorum suorum multū dilexit Christum, & per eandem dilectionem obtinuit ejus gratiam, ita jam existens in gratia, multò magis & in amore proficiebat. Narrat s. Lucas c. 10. quod cum M. Magdalena una cum sorore sua Martha, invitasset Dominum in domum suā, soror sua Martha ut tantum hospitē laute excipere posset, ob id satagebat. Circa frequens mysterium. Sed quid egit Magdalena? *Sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius.* Non vanè soror conqueritur, *Domine non est tibi cura quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi ut me adjuvet.* Domine quid est hoc? Ego hinc inde curšito & solicitor, & hæc ociosa sedet, dic ergo illi ut me adjuvet, sed quid Dominus? loco vituperii & capituli laudat Mariam & excusat ab otio, dicens: *Maria optimam partem elegit.* Quam sententiā Christi Domini considerans B. Thomas de Villa nova ita ait. *Quia noverat cordis ejus ardorem, non solum non damnat, verum etiam commendat illius otium magis quàm sororis officium.*

Luc. 10. v. 39.

ibide v. 40.

B. Thomas de Villa nova.

IV. Quod si sanctam hanc pœnitentem cōsiderem⁹, tempore passionis dilecti sui, inveniemus in ipsa longe majora amoris argumēta. Neq; n. dubitandum est, quin noctē illam qua Jesus in horto Gethsemani captus erat, sine somno & quiete peregerit. Siquidem nunc Caiphæ domū frequentabat, nunc Pilati prætorium adibat, & in summa, universā mœrēs percurrebat Jerosolymā, ex qua dum Iesus duceretur ad crucem, mox & illa exiit, & usq; ad montē Calvariæ cruenta Christi sequens vestigia, perseveravit cum eodē: donec in man⁹ Patris sui animam delictam tradidisset, Dum jam Christus post mortē & depositionem corporis sui, de cruce traditus fuisset sepulturæ & positus in monumento, nec tunc quidem recessit ab eodem. Cujus rei testem habeo s. Joannem Evangelistam qui sic ait: *Maria stabat ad monumentum foris plorans:* qua ratione fieri potuit, ut post tot labores exantlatos à se, tandem in pedes erecta stare posset? Respondet Origenes, dicens: *Amor faciebat eam stare.* Idem confirmat autor alius nomine Imperfectus dicens. *Amor spiritualis fatigationem non sentit*

Ioan. 29. vers. 11.

Origenes

Hom. 10.

V. Quem amor ostendit, continuò manens penès sepulchrum, eundem post resurrectionem Christi demonstravit; Quantæ sint pulchritudinis Angeli Dei id nullus plenè eloqui valet, tanta n. est illius pulchritudo, ut dum unus illorum S. Joanni Apostolo se conspiciendum præbuisset, is illum Deùm nō Angelum esse reputans, corā illo se prosternere voluisset, ipsumq; vere adorasset, nisi ad hoc faciendum impeditus esset: hac de re sic loquitur B. Thomas de Villa nova. *Viso Angelo qui cum illo loquebatur, & pulchritudinem ejus admiratus, sic expavit ut nisi prohiberetur, solo prostratus ipsū adorasset.* Maria verò Magdalena licet viderit Angelos, nihilominus illorū pulchritudinem amori Christi Domini postposuit, sic n. in sua Historia D. Joannes narrat: Cū M. Magdalena staret ad monumētum plorans, seq; inclinans prospexisset in illud; *Vidit duos Angelos in albis sedentes.* Hi dū incipiunt confabulari cum muliere & percontari cur plotaret, non aliud respondit præter hoc. *Quia tulerunt Dominū meum & nescio ubi posuerunt eum.* Ecce licet ob oculos ejus versaretur tantæ pulchritudinis spectaculum: nihilominus B. M. Magdalena nullam hinc cōsolationem accepit. Quare? Respondet in persona sua Origenes, dicens: *Non quæro Angelos Sed meum & Angelorum Dominum. Tulerunt Dominum meū, ipsum solum quæram, quia solus potest me consolari.* O sancta peccatrix quę antea pulchritudinē corporalem tanti faciebas, cur jam Angelicam despicis? An tibi Christus pulchriot, cujus corpus erat flagris laceratum, lividum & à sole in cruce exustum? Cogitate quanto amore hæc sancta mulier Christum deperierit, dum præ amore deformitatem suam pulchritudini Angelicæ præferebat. Sed iste talisq; amor multum ipsi profuerat: quæ enim pluris faciebat Jesum sqalidum, quam Angelos pulchertimos, postmodum existens in eremo frequenter ab illis visitabatur, & in paradisum ab illis ferebatur, & tandem semel ab illis in cœlèstem delata paradisum, de eius (quèm dilexit) gloriosa visione lætatur in æternum.

B. Thomas de Villa nova.

Ioan. 20. vers. 12.

ibidem v. 13.

Origenes.

AMEN.

IN FESTO S. MARIÆ Magdalenæ

CONCIO V.

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.
Luc. 7. v. 27.

TAm magna est vis amoris divini in corde homins perfectè constituti, ut sicut illud Idolum Philistinorum Dagon dictum, cecidit coram Arca DEI, sic omnia peccata cadunt coram perfecto amore DEI. Expresserunt hoc prisci Philosophi quadam fabulâ uti refert autor Palmirinus ex libro Plutarchi. Contenderunt Aquilo & sol inter se, quis eorum hominem priùs denudaret; cœpit ergo Aquilo vehementius insufflare & pallium tollere, sed homo illud sibi magis coaptabat, ut frigori resisteret. Tum Sol sic hominem eundem æstuare fecit, ut vestibus nudatis se projiceret in aquam. Videte quid amoris vis effecerit in Maria Magdalena, cujus calore æstuans, exuit omnia quæ mundi sunt, & in fluvium lachrymarum se injecit. Verũ igitur est quod sponsus ait: Cant. 8. *Fortis est ut mors dilectio.* Sic n. mors, omnia tollit, ita Dei dilectio animam mortificat, à corpore, & à mundo alienat. Hujus rei mirabile nobis hodie proponitur Exemplum in Maria Magdalena. Quis n. alius quam amor à corde ejus abstulit concupiscentiam mundi & carnis? Quis delicias vanumq; honorem, nisi amor? Quis duxit ad lavandos, ungendos, & osculandos pedes Christi, nisi amor? Quis remissionem peccatorum impetravit? Solus amor, id enim testatur ipsamet veritas Christus Dominus, dicens: *Dimissa sunt ei peccata multa quoniam dilexit multum.* His Igitur verbis insistens, dicam Auditoribus meis, de mirabili B. Mariæ Magdalenæ conversione ad Christum, ex puro amore facta.

Palmirinus

Cant. 8. v. 6.

I. In antiquis gentilium historiis invenio, in Græcia fuisse quandam nobilem fœminam, nomine Helenam, quæ tantæ erat pulchritudinis ut multi pictores quamvis clarissimi, venustatem ejus coloribus suis exprimere ad vivum minùs possent, unde cum Appelles depingendæ gratia ad tabulam cum penicillo accessisset, multas quidem depinxit virgines formosissimas sed cum Helena depingenda foret, reliquit imaginis suæ locum vacuum cum hisce verbis: *Hic est locus Helenæ*: nec solum pictores sua venustate fatigavit, non solum Poëtas ad carmina de sua pulchritudine componenda excitavit, non solum adolescentum corda in sui concupiscentiam provocavit, sed multorum bellorum, dum unusquisque pro ea potiunda decertaret, causam dedit. Talis planè fuit in ætate juvenili Magdalena, vultu speciosa, corporis statura præelegans, auro & margaritis fulgens, & in tale amoris simulachrum composita, quod plurimi non solum demirarentur, sed magis concupiscerent. Expressit id breviter quidem sed satis sufficienter Sanctus Lucas, dicens: *Mulier quæ erat in civitate peccatrix.* Quis ergo credidisset quod è tali statu, ad tantum deinde felicitatis gradum pervenisset? Certe sic exclamare lubet, cum Propheta dicente Psalmo 76. *Hæc est mutatio dextræ Excelsi.* Quis enim cogitasset talem fœminam, in qua septem Dæmonia nempe peccatorum multitudo fuisse dicitur,

Psalm. 76. v. 11.

dicitur, tam citò consecuturam gratiam coram Deo, sed quid Christus? *Remittuntur ei peccata multa.*

II. Ut autem eò clarius vobis pateat hæc conversio Magdalenæ ad Christum, auscultate id quod de ipsa recenset Sanctus Vincentius Ferrariensis in suo Sermone. Vixit Magdalena circiter 12. annis in mundi deliciis & vanitatibus, quam priusquam Deus ex illis peccatorum & inferni tenebris revocaret, menti ejus obscuræ radium quendam immisit divinæ lucis suæ, & ecce confestim convertitur ad Christum; Quæritis quando? Ut cognovit, quid cognovit? *Vt cognovit* se esse miseram peccatricem *ut cognovit* se peccatorum suorum turpitudine Deum totumque cœli exercitum offendisse: *ut cognovit* se ob tam enormia peccata, amisisse gratiam Dei: *ut cognovit*, se promeruisse damnationem mortis: *ut cognovit*, se post mortem suam ituram in tormenta æterna: *ut cognovit*, brevitatem mundanarum voluptatum, & æternitatem pœnarum inferni; ut hæc cognovit, tunc intra semetipsum dicebat. Ah peccatrix & inverecunda mulier! Cur oblita es tui creatoris, qui te ad suam creavit imaginem? Cur illam ita conspurcasti? Ah capilli, quos ad capiendas multorum animas adornabam. Ah vani oculi, qui ignitas vibrastis amoris insani sagittas. Ah os mendax, quod toties verbis inanibus multorum aures scandalizabat. Jam jam vindicabor de vobis. Vos capilli, exhibebitis mantilis officium. Vos oculi, pedibus Salvatoris mei aquam dabitis. Tu os impudicum & infirmum, quæres in pedibus Christi medicinam, vos verò manus annulis gemmis & monilibus adornatæ, duro in pœnam servitio addicemini. Tu insuper caro delicata, dolores, flagella, & jejunia sustinebis.

S. Vincent.

III. Dumque Magdalena mundo moriens tale testamentum emisisset aliamque vitæ rationem in Christo Jesu quærere statuisset: *Vt cognovit quod Iesus accubuisset in domo Simonis Pharisæi*, oblita suæ nobilitatis, properavit ad Jesum, utique dicit Sanctus Augustinus. *Non invitata irruit convivio ubi suus medicus recumbebat.* Refert Manutius in suis Apophtegmatibus, fuisse quendam hominem Philonidem Syracusanum, qui tam magna, variaque infirmitate laborabat, ut non solum incognitis sed vicinis quoque suis nauseam pareret, tandem una è sororibus ejus mota passione, suasit ei ut adiret medicum Menecratem, medicum expertum & patriotam suum, ille verbo obediens ita fecit, sed dum quæsitum diu reperit in quodam Magnatum convivio, arguitur à convivis temeritatis, sed in Menecrate erat cupido gloriæ & ratio summi gaudii, quod quæsitus fuisset opis causa ab infirmo: quibus ille respondet. Parcite quæso parcite laboranti, nemo enim scit quam graviter laborem: Sic & Magdalena sentiens se pravi morbo laborantem, & ob id multis exosam, atque edocta de bono medico Christo Domino: *ut cognovit quod accubuisset in domo Pharisæi*, pergit quam citissimè, & non invitata venit ad domum Simonis, seque immiscet convivantibus. Lætatur Christus quâ medicus, se habere infirmam, cui præstare possit beneficium medicinæ. Murmurat Simon cum aliis convivis, at Magdalena respõdet: tacitè in corde; ô Simon & vos domini, impudentiæ meæ parcite, nemo enim vestrum novit quo ego morbo laborem, uti dicit S. Augustinus Homilia 23. *Noverat quanto morbo laboraret & eum ad quem venerat, ad sanandum idoneum esse sciebat.* Dumque sic venisset ad Christum, attulit secum alabastrum unguenti, deinde stans retrò, lachrymis rigavit pedes ejus, & capillis capitis sui tersit, & osculabatur pedes ejus & unguento ungebat. Novi & insoliti modi pœnitentiæ, quod enim attulerit vas unguenti pretiosi, præsentat in figura illius Christo Domino cor suum contritum & humiliatum, unguenta quippe fieri solent ex odoriferis aromatibus contritis & pigmentatis. Quòd retro steterit; se enim reputabat indignam videre faciem Christi Domini, retro stetit, quia diu malè ambulaverat, vestigia ergo recta quærebat, accedit ferventi corde, sacrosanctos Domini pedes lachrymis irrigat. O felices lachrymæ, quæ in tanta copia eruperunt, ut sufficerent ad lavandos pedes Christi: sed jam feliciores, aptiores enim fuerant ad lavandum animam peccatricis.

S. Augustin.

Manutius.

S. Augustin.

IV. La-

IV. Lachrymis cœpit rigare pedes ejus, quibus toti orbi manifestare nitebattur vivam amoris flammam, quæ in pectore ejus tanquam in camino quodam ardebat, distillatio enim liquorum solet fieri mediante igne, lachrymis cœpit rigare pedes ejus, fuit enim sicut nubes peccatis obscurata, quam ubi sol justitiæ, suæ gratiæ radiis tetigit, resoluta fuit in pluviam & planctum: ita ait S. Gregorius, *S. Gregorius* Sicut nubes opposita solis radiis paulatim defluit, sic nostra peccatrix radiis divini amoris illustrata, lachrymis cœpit rigare pedes Domini. Postquam ergo calidis lachrymis laviſſet pedes Domini, capillis suis eosdem tersit. Felices quoque capilli jam non ad decipiendos juvenum oculos compositi, sed mantilis loco in obsequium Christi facti ut per quos deceperat alios, fierent ipsi in remedium pœnitentiæ. Sed in quem finem tergendo pedes, potius capillis, quam alio quodam panno usu fuit? id non caruit mysterio. Refert *Lactantius.* Lactantius Firmianus, quod cum Carthaginenses eum suis hostibus prœliarentur, & in ipso pugnæ fervore arcuum ipsorum intorti funes rumperentur, advertentes id eorum mulieres, mox proprios detonsisse capillos & ex illis ad tendendos arcus funes confeciſſe; quo stratagemate victoriam civitati attulerunt, ad eundem planè modum Magdalena fecit, quæ tradidit suos capillos Christo, ut contra hostem infernalem qui illam impugnabat, arcum intenderet.

VI Planè magnum & mirabile pœnitens Magdalena ostendit artificium: pedibus viam iniquitatis conficiebat, jam eosdem dirigit in viam pœnitentiæ, per oculos virus venereum emittebat, jam ex iisdem emisit lachrymas, per capillos multos illaqueavit, jam eosdem Christo dedicat in obsequium, ore suo impudica oscula exercebat, jam eodem pedes Domini osculatur, unguento se ipsam ungebat, eodem ungebat pedes Jesu. Quia ergo verè pœnituit meruit audire dulcissima verba Christi Domini: *Dimittuntur tibi peccata tua, vade in pace.* Ecce quàm pulchrum Magdalena speculum pœnitentibus! ait Sanctus Gregorius: tametsi Christus Dominus ei dixit; remittuntur tibi peccata tua vade in pace; ipsa nihilominus triginta annis perseveravit in pœnitentia. Unde Beatus Thomas *B. Thom. à Villa nova.* de Villa nova pulchrè ad omnes peccatores ait: *Tu nondum audisti vocem Domini peccata tibi remittuntur & in tanto periculo securè dormis & quasi recepta venia negligis pœnitentiam.* Ah miser peccator quousque excurret tua negligentia. Surge igitur ait S. Bernardus *S. Bernardo* ad exemplum Magdalenæ, prosterne te ad terram, amplexare pedes Salvatoris, lachrymis tuis illum placare stude: id enim si feceris obtinebis peccatorum veniam & ex ore DEI illud percipies: Remittuntur tibi peccata tua, vade in pace.

AMEN.

IN

IN FESTO S. JACOBI Apostoli,

CONCIO I.

Iustè vocatum est nomen ejus Iacob. Genesis 26. Vers. 36.

LEgimus in primo libro Moysis, quod Esau primogenitus filius Isaac Patriarchę postquam reversus domum ex venatione, à patre suo didicit, fratrem suum Jacob surripuisse sibi benedictionem suam, mox hæc verba protulerit. *Iustè vocatum est nomen ejus Iacob, supplantavit enim me, en altera vice, primogenita mea antea tulit, & nunc secundò surripuit benedictionem meam.* Gratis conquerebatur Esau de Jacob fratre suo. Sic enim excusat ipsum Clarissimus autor Hugo Cardinalis. *Numquid emerat primogenita? ergo sibi debebatur benedictio.* Injuriosè Esau interpretabatur nomen fratris sui Jacob, ac si fuisset supplantator suus; at ego dico, istud nomen fuisse figurā nominis hodierni Sancti Iacobi Apostoli, cujus in toto orbe Christiano solemnem memoriam celebramus, hoc nomē Sancti Iacob Patriarchæ pulchrè sibi quadrat, nō solum ideo quia supplantavit carnem, mundum, & Diabolum atq; æterni Patris benedictionem promeruit, sed etiam ideo, quia in vita suâ, similis fuerit Iacobo Patriarchæ, qnod vobis in hodierna concione demonstrabo.

Gen. 27. vers. 36.

Hugo Card. in Gen.

I. Vita Sancti Jacob Patriarchæ, quam excellens & admirabilis fuerit, patet ex illis verbis Ecclesiastici quę de illo scribuntur. *Agnovit illum Dominus in benedictionibus suis, & dedit illi hæreditatem, & divisit illi partem in tribubus duodecim.* Id est quemadmodum explicat Venerabilis Hugo Cardinalis, magnis donis affecerat Dominus Sanctum Jacob Patriarcham, non una enim sed pluribus benedictionibus ditavit illum, item cōtulit eidem hæreditatem, nempe terram promissionis quasi jure hæreditario, quam deinde Iosue Patriarcha divisit in partes duodecim, & unicuique tribui à se descendenti partem assignavit. Sed hoc elogium Sancti Spiritus principalius quadrat Sancto Jacobo Apostolo: nam quo ad primum, dignum illū fecerat Christus plurimis suis donis, & gratiis, quibus ab eodem multoties cohonestatus erat: item dedit illi hæreditatem, non hujus terræ, sed supernæ patriæ, & demum verus Iosue Christus Jesus, qui totum mundum divisit inter duodecim Apostolos convertendū, juxta illud Sancti Lucæ 9. capite. *Convocatis Iesus duodecim Apostolis, dedit eis virtutem, & potestatem super omnia Dæmonia, & ut languores curarent, & misit illos prædicare Regnum Dei,* etiam certam partem orbis contulit seu commisit Sancto Jacobo Apostolo cujus primam vocationem, si ponderare voluerimus, non absimilem Sancti Jacob Patriarchæ inveniemus. In primis constat ex libro Geneseos, Isaacum Patriarcham, duos filios cum Rebecca conjuge sua habuisse, nempe Iacob & Esau: Similiter Zebedæus pater erat duorum filiorum scilicet Jacobi & Joannis, sed pater hic multo erat felicior, in hisce suis filiis, quàm fuerit Isaac Patriarcha. Primò ex eò, quia Dominus Deus, unum è duobus, Jacob sibi pro electo, & dilecto, adaptavit, alterum verò projecit, teste Sancto Paulo. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Hi verò duo filii Zebedæi, nempe Jacobus & Joannes ambo erant dilecti à Domino, ambo ab illo vocati, ambo denique in suo consortio adscripti. Quod qualiter contigerit, Sanctus Matthæus Evangelista id enarrat dicens. *Procedens Iesus, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi & Ioannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eorum reficientes retia sua & vocavit eos, illi autem statim relictis retibus, secuti sunt eum.* Summè hic admiratur Sanctus Ioannes Chrysostomus promptitudinem horum

Eccles. 44. vers. 26.

Hugo Card.

Luc. 9. vers. 1. 2.

Genes. 24. vers. 20. & vers. 25.

S. Paulus ad Rom. 9. vers. 13.

Matth. 4. vers. 19.

rum duorum fratrum, nempe quod non solum retia, & omnia alia quæ habere poterant, sed etiam ipsum patrem suum, statim reliquerint; sic enim ait. *Petrus & Andreas dicuntur reliquisse retia, Iacobus autem & Ioannes patrem & navim.*

S. Chrysost. in Matth.

II. Est etiam felicior pater Jacobi & Joannis, quàm Isaac Patriarcha in filiis suis Esau & Jacob; quia illi dissentiebant ad invicem, at Jacobus cum Joanne fratre suo, unam quasi animam habere videbantur, quod enim unus, hoc alter sentiebat: testis hujus rei, supra nominatus Sanctus Pater Chrysostomus, hic enim cum examinaret causam, cur hi duo fratres, simul vocati fuerint sic respondet. *Erant enim habitatione cives, dilectione concordes, arte officii pares, fraternitate pietatis conjuncti, ideo sic vocavit illos.* Quod autem ambo fuerint ejusdem animi, patet ex illo sacri Evangelii loco Divi Lucæ, ubi describit ingratitudinem Samaritanorum nolentium Dominũ ad se recipere: Jacobus & Joannes, videntes tantam eorum inurbanitatem, unanimiter direrunt ad Christum Dominum. *Domine vis dicimus, ut ignis descendat de cœlo, & consumat illos?* Aliud testimonium mutuę inter illos voluntatis patet ex eo. Cum enim Dominus prædiceret quædam de futuro die judicii, inter cæteror, hi duo fratres, tum de illo die, tum etiam de aliis futuris Dominum interrogaverunt. Tandem & ex hodierno Evangelio demonstrari potest argumentum unionis suæ fraternæ: cum enim tanquam homines putassent Christum regnaturum in hoc mundo, & parum de Regno illius spirituali intelligerent, officia tamen, quæ in aula Christi more hominum ambiebant, sibi minimè invidebant, patet ex istis verbis, quæ protulerat mater ipsorum, dicens ad Dominum. *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dextram, & unus ad sinistram in Regno tuo.* Non certarunt invicem, cuinam dextera cui sinistra deberetur, sed quilibet ea sorte, quæ ipsi obtingeret, contentus esse volebat. Hic Sanctus Chrysostomus, non immeritò matrem horũ duorum filiorum, quæ fuit Maria Salome talibus verbis prædicat: *Salome, cujus apud Evangelistam alterum ponitur nomen, verè pacifica, quæ filios genuit pacis.*

Gen. 27. v. 26, 27, 28.

S. Chrysost. ubi supra.

Luc. 9. vers. 54.

Marci. 13. v. 14. 15. 16.

Matth. 20. vers. 21.

S. Chrysost. in Matth.

III. Sed jam hosce fratres duos, invicem disjungamus, & cujus hodie festi vitatem colimus, nempe Sancti Jacobi Apostoli, loquamur de illo. Revertor ergo ad Sanctum Jacob Patriarcham. Hic separatus à fratre suo Esau, cum juxta monitum parentum suorum pergeret in Mesopotamiam, & post solis occubitum, quodam in loco requiesceret, vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoq; descendentes, & ascendentes, & Dominum innixum scalæ. Hæc scala, quæ Sancto Jacob Patriarchæ in somnis ostensa fuit, juxta sententiam Sanctorum Patrum & Doctorum Ecclesiæ sanctæ, significat Christum Dominum, sic etiam ait S. Augustinus. *Per scalam Dei intelligitur ipse Salvator.* Sequitur eundem Venerabilis Hugo Cardinalis sic dicens. *Scala Christus est, per quam ascendimus in cœlum.* Et meritò scalæ assimilatur, nam sicut duo latera habet, ita in Christo Jesu, duo sunt, nempe divinitas & humanitas: & sicut scala gradus suos habet, per quos ascenditur, sic in Christo Iesu habemus gradus virtutum, nempe humilitatis, paupertatis, castitatis, obedientiæ, Patientiæ, charitatis, mansuetudinis, aliarumque, per quas tunc rursum ascendimus dum tales Christi virtutes imitamur. Cum ergo Sanctus Paulus dicat de Christo Domino, quod post resurrectionem suam Sancto Jacobo apparuerit; cujus verba sunt hæc. *Visus est Iacobo, deinde omnibus Apostolis,* quantò jam felicior erit, illo Sancto Jacob Patriarcha, qui non figuram Christi in scala sua, sed veram scalam vidit æternæ vitæ, nempe Christum Jesum. Jam vero quod concernit Angelos, quos Sanctus Jacob viderat ascendentes & descendentes, ut nihil derogat Sancto Iacobo Apostolo; sic enim Sanctus Augustinus ait. *Quod Iacob in somnis per figuram viderat, hoc de se Dominus in Evangeliis prædicabat: videbitis [inquit] cœlos apertos, & Angelos Dei, descendentes & ascendentes ad filium hominis.* An ignoramus Sanctum Jacobum Apostolum ubique fuisse in Domino? tunc præsens aderat dum Christus Jesus transfiguratus ante eum alios que duos Apostolos, ostenderat faciem suam sole clariorem, vestimenta verò sua nive candidiora; tunc præsens aderat, cum Dominus diceret, *Ecce ascendimus Ierosolymam,* tunc præsens aderat, cum Dominus peracta cæna ultima cum discipulis suis, in hortum oliveti descẽderat ad orandum, in tali autem sive ascensu sive descensu Domini, putatis ipsum Angelis caruisse? minimè verò.

Gen. 28. vers. 12.

S. August. lib. de civit.

Hugo Card.

S. Paul. 1. Cor. 15. vers. 7.

S. August. in Gen. 27.

Luc. 18. vers. 31.

Sed

Sed vel tunc potissimum Sanctus Jacobus Apostolus ascensum & descensum Angelorum in Christo viderat, dũ assistentia sua sibi præsens aderat, solus enim Jesus sive in ascensu, sive in descensu suis adest. Hinc Sanctus Augustinus illud Promissum Domini expendens Joannis 1. capite. *Videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei Ascendentes & descendentes super filium hominis.* sic ait sermone 41. *Non diceret ascendens ad filium hominis, nisi sursum esset, nec diceret descendentes ad filium hominis, nisi deorsum esset, Ipse sursum, ipse deorsum, sursum in se, deorsum in suis.* Sive Angeli ascendant, sive descendant, ubiq; Jesus sua virtute adest, ubique Jesu cernuntur effectus & assistentia ejus gratiæ, juxta illud; *si ascendero in cœlum, tu illic es, sic descendero in infernum ades.*

Ioan. 1. v. 51.

s. August. Serm. 41.

Psalm 138. v. 8.

IV. Sanctus Jacob Patriarcha, non ideo tantum, ut se elongaret à fratre suo Esau, iramque illius evaderet, sed etiam ut juxta mandatum Patris sui conjugium sortiretur, iniverat peregrinationem ad longinquas terras, nempe in Mesopotamiam. Non minùs ad remotas orbis partes Sanctus Jacobus Apostolus se contulerat ut spirituale conjugium celebraret, nempe ut gentes infidelium, Ecclesiæ Sponsæ Christi adunaret. Unde cum in Judæa & Samariâ, multas animas Christo Domino lucri faceret, se etiam contulerat in Hispanias: in qua regione licet multùm laboraverit, quia tamen infæcundam esse vidit, & ingratã, secutus fuit exemplum Jacob Patriarchæ, qui ingratum videns Laban avunculum suum, parviq; pensantem labores suos, reversus fuit ad patriam suam; sic fecit & sanctus Jacobus Apostolus, qui obstinatam videns Hispaniã, iterum in Judæam rediit, eo planè passu, quo Jacob Patriarcha. Quemadmodum enim ille invenerat in via antagonistam suum Angelum, cum quo luctari debuit: sic s. Jacobus Apostolus, non unum, sed plures antagonistas invenit, cum quibus fortem luctam habuit. Primus erat magnus Hermogenes, qui sancto Apostolo, suis magicis artibus, resistebat, non solum tamen de illo, sed etiam de spiritibus immundis, victoriam retulit, nam Spiritus quidam immundos, sive Angelos malos, quos Hermogenes incitabat, in ignem infernalem ire compulit, ipsum verò Hermogenem ab errore infidelitatis liberavit, & ad fidem Christi perduxit.

Gen. 31. v. 35.

Gen. 33. v. 7.

V. Alium antagonistam habuit Abathar Sacerdotem summum, & anni illius Pontificem, qui motus invidia propter tantum profectum fidei Christianæ, quam sanctus Jacobus in populo promovebat, seditione in populo excitata, eum ad Herodem Agrippam, fune misso in colum suum duci fecit, ut occideretur, cumque ad decollandum duceretur, Paralyticum quendam pertransiens, perfectè sanavit, quod fidens scriba Iosias nomine, qui ducebat occidendum, & ipse ad fidem Christi conversus fuit, & ab eo baptizatus, uterq; ad patriam cœlestem pervenit. Unde Auditores mei, quæ olim verba Sanctus Jacob Patriarcha protulerat dicens, *Domine, minor sum cunctis miserationibus tuis, in baculo meo transivi Iordanem istum & ecce cum duabus turmis regredior;* eadem verba Sanctus Jacobus Apostolus, per martyrium, ad cœlestem patriam properans, dicere poterat: ille enim baculo crucis Christi, pertransivit Jordanem tribulationum hujus mundi, & cum duabus turmis, nempe Judæorum & gentilium, ad fidem Christi Domini conversorum patriam cœlestem est ingressus. Unde merito eadem verba thematis mei repetere possum. *Iustè vocatum est nomen ejus Iacob*, qui non solùm nomen aut virtutes Sancti Jacob Patriarchæ quas habuit demonstravit, sed insuper inter tres Domini Jesu Secretarios, quorum unus erat Petrus, alter vero Ioannes frater ejus, ille non postremus erat. Jacob Patriarcha post mortem suam, magnam sui memoriam in filiis suis reliquerat, ait S. Jacobus Apostolus multo majorem: non solum enim in Hispania, sed in tota Ecclesia Christiana celebre nomen illius habetur, qui uti in monte Thabor Christum transfiguratum conspexerat, sic jam nunc plenius ipsum intuetur in cœlis.

Gen. 32. v. 10.

AMEN.

IN FESTO S. JACOBI Apostoli,

CONCIO II.

Quam pulchra tabernacula tua Iacob. Num. 24. v. 5.

NOn erat alterius animi Vates ille Balaam quam maledicere castris Israelis, quæ in campestribus Moab constiterunt. Sed dum elevans oculos contra desertum, vidisset populum in tentoriis, per tribus suas commorantem, irruente in se Spiritu Domini, properavit ad enarrandas illius laudes dicens. *Quam pulchra tabernacula tua Iacob & tentoria tua Israel.* Quidnam Vates ille pulchri viderit, unde impellebatur ad benedicendum illi populo, id jam patet ex verbis suis. Cum enim diversus sit usus tabernaculorum, uti patet ex sactis literis: In primis Abraam Patriarcha usus fuit tabernaculo, in ostio cujus sedenti apparuerat Dominus. Item de Sancto Patriarcha Jacob dicitur, habitasse ipsum in tabernaculis, & dum reverteretur ex Mesopotamia ad patriam sam, in monte Galaad extendisse tabernaculum. In novo quoque testamento legimus, Petrum Apostolum postquā viderat, in transfiguratione Domini, claritatem vultus ejus tanquam solis, vestimentorum veto candorem tanquam nivis, voluisse in eodem visionis loco, facere Domino tria tabernacula, pro Christo unum, alterum pro Moyse, tertium pro Elia. Idem tabernaculorum usus in castris est antiquissimus & communis, ubi nihil est frequentiùs extensione tentoriorū castrensium, sub quibus miles depellat injurias aëris, & suam supellectilem, commeatumque conservet. Videns ergo Balaam, in castris Israelis pulchertimam dispositionem tabernaculorum, non poterat minus facere, quam illis benedicere. Venerabilis Hugo Card. explicans istum locum sacri textus, ait illum Propheta admiratum fuisse, & laudibus prædicasse illa tabernacula Israelis, ob illud unū tabernaculum à Moyse factum, quod filii Israelis de loco ad locum transferebant; illud enim tabernaculum quod constabat auro, purpura, hyacintho, bysso, & cortinis factis ex cocco, tam decorum erat, ut unicum cætera quoque tabernacula Jacob exornare videretur, quæ ut laudaret Vates hac pulchritudine incitatus erat. sed hæc tabernacula prædictus Hugo ait fuisse figuram fidelium animarum in quibus Christus militat in hoc mundo. Quod cum ita sit majorem ego hodie ansam habeo prædicandi tabernacula alterius Jacob, nempe novæ legis Apostoli. Hic enim tot exstruxit in castris Ecclesiæ Christi tentoria, quot animas hominū ad fidem Christi convertit, uti in hac concione audiemus.

Gen. 18. v. 12. Gen. 25. v. 20. Gen 13. v. 14. Matth. 17. v. 2. Hugo Card. in Num. 24.

I. Per tabernaculum sive tentorium intelligi quemlibet hominem e anima, & corpore constantem, patet ex multis sacræ scripturæ testimoniis. sanctus Paulus 2. ad Corinthios sic ait. *Qui sumus in tabernaculo isto, ingemiscimus gravati.* S. Petrus Apostolus Epistola sua secunda ita protestatur dicens. *Velox est depositio tabernaculi mei secundum quod Dominus noster Iesus Christus significavit mihi.* Quod pulchra similitudine explicat Hugo Cardinalis dicens: *Loquitur per metaphoram militantium, qui post pugnam, tabernacula deponunt, cum iam habent victoriam, & ad domos proprias redeunt.* Item habetur in Apocalypsi. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis* Hinc sequitur, me bene protulisse de Sancto Jacobo Apostolo, nempe quotquot convertit homines ad fidem Christi Domini, tot ipsum extruxisse tabernacula. Sed quænam illa? In principio & in fine prædicationis suæ, dum Philetum, deinde Hermogenem, & tandem ante mortē suam Josiam scribam ad fidem

2. Corinth. 5. v. 3. 2. Petrus 1. v. 14. Hugo Card. Apoc 21. v. 3.

fidem Christi convertit, eodem tempore tria condidit tabernacula. Quod concernit primum, legitur in vita Sancti hujus Apostoli, quod cum in Judæa prædicaret verbum Dei, Hermogenes Magus facto consilio cũ Pharisæis, misit Philetum suũ discipulum, qui Jacobum convinceret, sed longè aliter res evenit, qui enim missus erat ad Sanctum Apostolum convincendum, ipsemet tum fortissimis suis rationibus, tum etiam plurimis miraculis quæ ab eodem Sancto patrari viderat, convictus est, fidemq; Christi Jesu suscepit. Ecce unũ tabernaculum. Audiens id Hermogenes, magnâ irâ adversus discipulum sed jam conversum ad Christũ exarduit, eumq; arte sua magica fecit immobilem dicens. *Videbimus si Iacobus te solvet* at ille cum id sancto Jacobo per nuncium retulisset, misit ad eum sudarium suum, ad cujus tactum solutus liberque factus rediit ad Jacobum. Videns Magus se confusum, de utroque nempe tam de Phileto quàm Sancto Apostolo pœnam sumere statuit, unde advocans Dæmones, præcepit eis, quatenus Jacobum cum Phileto ad se adducerent, volens se de ipsis vindicare, sed contrarium accidit. Venientes enim Dæmones ut jussa perficerent, ipsimet ab Angelis Dei igneis catenis religati in aëre ululabant, tandemque relaxati, Hermogenem ipsum ligatum ad Jacobum adduxerunt, petentes ab eodẽ licentiam sæviẽdi in ipsum, quæ cum ipsis data non fuisset, & ille jussu Apostoli solutus per Philetum ire quo vellet jussus esset, prænoscens iras Dæmonum, & sumpto Jacobi baculo, abiit, omnes libros magicos combussit, & pulveres ipsorum projecit in mare, & ductus pœnitentiâ, fidẽ Christi suscepit, eãdem strenuè prædicavit, & plurimas in Christi nomine virtutes fecit. En alterum tabernaculum. Placet videre tertium? illud est scriba Judæorum nomine Josias, quem taliter convertit ad Christum. Abjathar Pontifex summus anni illius videns ea quæ fiebant per Sanctum Apostolum, seditionem in populo excitavit & ipsum teneri fecit. Cumque à Josia fune collo ejus injecto ad Herodem Agrippam duceretur, & ab eodem ad mortem condemnatus, decollandus traheretur, videns Josias, quod Paralyticum in via sanaverit, ductus & ipse pœnitentia in Christum credidit, simulque cum Apostolo decollatus fuit. Ecce tertium tabernaculum. *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob.* *Num. 24. v. 5.*

Hist. Lom.

II. Vultis videre plura? De Samsone fortissimo legimus in libris Judicum, quod multò plures interfecerit moriens quam vivus occiderat, idem fere de Sancto Apostolo dici posset: hic enim cum per in vidiam Judæorum expulsus Ierosolymâ, longissimum iter usque in Hispaniam accepisset, ut ibidem ædificare posset Domini tabernacula, & fidei suæ figere tentoria, visa illius regionis petra durissima, quæ nullos doctrinæ & prædicationis suæ palos, ob duritiem cordium recipere vellet, ipse quidem relictis in ea terra petrosa quibusdam discipulis, ad calicẽ suum, à Christo sibi propinatum, rursus Jerosolimam properavit, ac exhausto illo, prius opus suum in Hispaniis inchoatum quod vivus inceperat, sed perficere non poterat, mortuus jam feliciter consummavit. Decollato enim Sancto Iacobo Apostolo, discipuli ejus, corporis sui, ne à Judæis aliquid injuriæ paterentur, curam habentes, noctu propter timorem illorum, corpus navi imposuerunt, & sepulchrum ejus divinæ providentiæ committentes, navem sine remigio conscenderunt, & Angelo duce in Gallitiam pervenerunt. Corpus ergo de navi deponentes, super magnum lapidem posuerunt, qui ut cera tenerima corpori cessit, seque mirabiliter in modum sarcophagi adaptavit. Id ergo attentiùs considerans, quod terra illa deposita duritie, tam mollis & tractabilis reddita fuerit ad recipiendum corpus Sancti Apostoli, firmiter mihi persuasum habeo, hoc miraculum fuisse loco felicis augurii, nationi illi durissimæ, quod ad recipiendam fidem Christi Jesu corda illorum futura erant mollia & tractabilia, ita ut quantâ pertinaciâ, eam à vivente recipere noluerunt, tanto deinde ardore animi, à mortuo susceptam colant, & promovere non desistant. *Plus samson fecit moriens quàm vivens.* *Iudic. 16. v. 30.* *Hist Lomb.*

III. Ingeniosè ponderavit Sanctus Hilarius scissionem saxorum, seu lapidum in morte redemptoris, & insolitam terræ commotionem, juxta historiam S. Matthæi Evangelistæ dicentis: *Terra mota est, & petra scissa sunt*, & tametsi, quidam dicant hunc tremorem

Matth. 27. v. 51.

morem terræ factum fuisse ex divisione rupium, seu scissione lapidum: manifestum tamen est, juxta mentem aliorum interpretum, hanc terræ concussionem, seu fragorem rupium, non fuisse casualem sed miraculosam, & juxta sententiam Sancti Hilarii quædam fuit protestatio, quâ tellus illa potentiæ Domini morientis reddebat testimonium, nempe quod illius potestas pertigerit etiam usque ad ipsa saxa, emolliens eorum insensibilem duritiem, & penetrans virtute sua induratam eorum resistendi pertinaciam: verba sunt divi Hilarii: *Petræ scissæ sunt, Omnia enim valida & fortia penetrant Dei verbum, & potestas aterna virtutis imperat.* Et doctus quidam modernus autor, ponderans hoc peculiare miraculum, ait; lapides & saxa hoc salutari documento voluisse instruere homines, quatenus addiscant in morte Redemptoris emolliri, ut victoriam quam vivus incepit, mortuus perficiat & consummet. *Ipsa quoque durissima saxa scinduntur, ut homines doceat in morte Redemptoris etiam corda scindere saxea* Et quis non videat similitudinem inter corpus Sancti Jacobi & Christi? ad præsentiam namque amborum petræ miraculosè divisæ fuerunt, exemplum præbentes hominibus, ut pariter cordium suorum duritiem conterant, quia coram Christo, & Sancto Jacobo petræ duræ, molles exstiterunt.

D. Hilar. in Cath. D. Tham.

Barradius Tom. 4. l. 7. c. 21.

IV. Hinc patet ratio, cur Deus voluerit, ut Sanctus Jacobus Apostolus tot tantaque tabernacula mortuus jam Christo extrueret, quæ vivus facere nequiverat, Volebat quippe Christus Dominus Jacobum sibi assimilari, ut quemadmodum ipse post mortem sibi subjugavit Ecclesiam: ita Sanctus Jacobus post mortem quoque suam non solum durissimas illas Hispaniæ regiones, sed cæteras quoque remotissimas orbis partes ad veram fidei cognitionem adduceret. Et quis potest enumerare multiplicatam generationem, & numerosam posteritatem illius, quem ne posteros, relinqueret occiderunt? Dixerat quondam Isaias Propheta. *Generationem ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium.* Quæstionem hanc moverat Vates ille Evangelicus, differens de Christo Salvatore, quem Judæi, eo fine ignominiosè cruci affixerunt, & vita exuerunt, ne quis superesset hæres spiritus legis illius, qui doctrinam ab eo haustã conservaret: cum tamen, ea vitæ ablatio, necessariò requireretur, ad longævam posteritatem habendam, dicente eodem Propheta. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Mirabilis sanè phrasis Sancti Vatis. Homines hujus mundi aliàs mortales, in longitudine vitæ suæ ponunt quoq; familiarum domorumque suorum firmitatem & durationem, juxta illud David Regis *Tabernacula eorum in progenie & progenie.* Hic vero Sanctus Propheta, non in longitudine dierũ sed in morte Christi Domini, semen Ecclesiæ longævum speculatus fuit: Sed non miror, nam Christus Jesus semen illud erat, quod si cadens in terram mortuum fuerit, multum fructum affert. Notate fæcunditatem Christi, unde proveniat, ex semine in terram cadente hinc; quia *verbum caro factum est & habitavit in nobis*, ut enim ait S. Chrysostomus, *Factus est filius hominis, dilectissimus Dei filius, ut filius hominis filios Dei faceret.*

Isaia 53. v. 8.

Isaia ibid. v. 10.

Psal. 48. v. 12.

Ioan. 12. v. 24.

Ioan. 1. v. 14

S. Chrysost. in Ioan.

V. Quod ergo Satanas attentabat in Christo, mortem illius accelerans, putansque morte illius, totam quoque fæcunditatem Ecclesiæ suæ perituram, sed valde deceptus fuit. Idem prorsus accidit Sancto Jacobo Apostolo; volens enim morte ipsius, Ecclesiæ quoque Sanctæ excidium accelerare, adversus Sanctum Apostolum, gentẽ Iudæorum, nec non Herodem Agrippam incitavit, ut hanc arborem Ecclesiæ securi abscinderet, credens se morte illius totã Christi fidem exciturum, sed eodem quoque modo deceptus est ignoravit enim germen radicum interra reconditum, quod è sanguine Sancti Jacobi pullulans, in tantum Ecclesiam Christi fæcũdavit ejusque auxit tabernacula, ut jam non solum per tot Regna Hispaniarum, sed etiam per latissima Regna Indiarum, quin per totũ orbem longè lateque extensa pateant adeoq; vere dicere possim *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob*; sed jam pulchriora habet in cœlis ubi regnat cum Christo Jesu.

Daniel. 4.

AMEN.

IN FESTO S. JACOBI Apostoli,

CONCIO III.

Non vocaberis ultra Iacob, sed Israel erit nomen tuum.
Gen. 32. Vers. 28.

LEgimus in libro Geneſis de Sancto Iacob Patriarcha, quod dum veniens in patriã ſuam, factuſq; obvius Angelo Dei in itinere, cum eodem luctaretur, videns Angelus tantã in illo fortitudinem, interrogavit ipſum de nomine quonã vocaretur, qui cum protuliſſet nomen ſuum Jacob, Angelus rurſus ait. *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſrael.* Quærunt hic commentatores ſacri textus. Cur poſt illam luctam finitam, nomen Jacob Patriarchæ permutatum fuerit, & in aliud nempe Iſraelis commutatum? & inter cæteros Venerabilis Hugo Cardinalis explicans iſtum locum, & per hoc nomen Iſrael, intelligens fortitudinem Principis, eam aſſignat rationem dicens. *Benedixit ei mutando nomen, & confortando ne timeret Eſau: quia enim ſtetit invictus contra Deum, ſignum fuit, quod ſtaret invictus contra fratrem.* At ego inſiſtens interpretationi hujus nominis Iſrael à Sancto Hieronymo datæ, qui per hoc nomen Iſrael videntem Deum ſive viſionem Dei intelligit, ad meum propoſitum inſignem acceſſum habeo. Poſtquam Jacob è paterna domo exiverat, ſeque in Meſopotamiam contulerat, nuſquam fuit ſine laboribus, tam in itinere, quam in Meſopotamia toleratis, quos ipſemet locutus ad Laban enumerabat dicens. *Die noctuque æſtu urebar & gelu: fugiebat q; ſomnus ab oculis meis, ſic per viginti annos in domo tua ſervivi tibi.* Hoc toto tempore, nuſquam aliquis Angelorum mentionem ſibi fecerat de mutatione ſui nominis, ſed primo tunc, dum iam reverteretur in domum ſuam paternam, & antequam ad illam perveniret, prius ſubiret luctam cum Angelo, tunc inquam primum audivit ſibi dici. *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum ſed Iſrael.* Cur eunti in patriam nomen permutatur, & aliud datur Iſraelis? Quia Iſrael eſt domus viſionis, cœleſtis inquam patriæ, ad quam nemo pervenire poteſt, quin primo in itinere hujus peregrinationis luctam experiatur, juxta illud S. Pauli. *Nemo coronabitur, niſi qui legitime certaverit.* Quia ergo hodierna die recolimus Sancti Jacobi Apoſtoli felicem ex hoc mundo reditum, ad patriam æternæ viſionis, merito quoque de ipſo hæc verba thematis dicere poſſumus. *Non vocaberis ultra Iacob, ſed Iſrael erit nomen tuum.* Et quia Jacob Patriarcha, exantlatis prius tot laboribus, regreſſus fuit ad ſuam patriam, quibus etiam S. Jacobus Apoſtolus ad æternam pervenerit, in hac concione perpendemus.

Hugo Card. in Gen. 32.

S. Hieron. apud Hug.

Gen 31. verſ. 40.

2. Tim. 2. verſ. 5.

I. Inter omnia media Sancti Jacobi Apoſtoli, potiſſimum fuit calix Chriſti Domini quem illi propinavit bibendum. Sed cur ita? Certum illud & indubitatum eſt Sanctum Jacobum multum à Domino dilectum fuiſſe: erat enim unus è tribus ſuis ſecretariis, cui gloriam vultus ſui, in monte transfiguratus demonſtravit, quo præſente multa fecit miracula, & neque in horto illo Gethſemani in quo in manus Judæorum tradendus erat, abſque illo eſſe voluit. Quod ſi dixeris illud eſſe præcipuum amoris ſignum apud Deum, quod illum quem amat majoribus tentationibus afficit: uti Abraamum in immolatione filii ſui Iſaac, & Job in repentina occiſione prolis ſuę cæteriſque caſibus qui ſibi acciderant: eſto quod

Matth. 10. verſ. 16, 17.

Geneſ. 22. verſ. 1. Iob. 2. verſ. 16 17.

quòd hæc fiant in tentationem hominum, in qua virtus eorum amplius eluceſcat, ſed proponere uni perſecutionem aliquam loco cujuſdam præmii, & conſtituere ob oculos martyrium mortemque acerbiſſimam loco coronæ, id mihi videtur valde peregrinum. Non caret igitur admiratione, quod Chriſtus Dominus Sancto Jacobo dilecto ſuo diſcipulo in quoddam præmium ſanctæ vitæ ſuæ, amarum paſſionis ſuæ calicem obtulerit. Nihilominus re benè perpenſâ, evidens eſt, nullum juſto homini offerri poſſe à Deo præmium donumq; nobilius, ipſa perſecutione, & calice paſſionis ſuæ, id non ego aſſero, ſed S. Hieronymus ajens. *Fundendo ſanguinem, & patiẽdo magis, quàm faciendo cõtumelias, Chriſti fundata eſt Eccleſia, perſecutionibus crevit, martyrio coronata eſt.* Eapropter dum Chriſtus Dominus amicum ſibi dilectum particulatibus vult honorare gratiis & beneficiis, non aliud offert niſi calicem paſſionis ſuæ, quod aperte demonſtrant verba Iſaiæ Prophetæ dicentis. *Coronans coronabit te tribulatione*: ad quid reduplicatio terminorum. *Coronans coronabit te?* Reſpondet Sanctus Hieronymus, in his verbis promitti juſto, & quod Dominus illum tribulatione coronabit, in præmiũ meritorum laboris ſui, ac ſi nihil pretioſius eſſet in hac vita quàm pati pro Deo, & omnẽ occaſionem patiendi, eſſe delicias cœleſtes, quibus hominem cohoneſtat.

S. Hieron. Epiſt. 62.

Iſaiæ 22. verſ. 18.

S. Hieron. in Iſaiam.

II. Sed diceret aliquis: qua'e hic in mundo poteſt eſſe præmium pati pro Domino, cũ potius pro tribulationibus meis quas pro Chriſto tolero, expectem illud in cœleſti patria? Ad id reſpondeo taliter. Accepit aliquis bonum quoddam ſervitium, à quo bonam mercedem, largumque præmium ſperare poſſit, ut ergo ſit ſecurior petit arrham, quâ acceptâ jam eſt ſecurus de reliquo, quod poſt elapſum ſuum tempus illud ſit habiturus. Pro tali arrha offertur homini calix paſſionis Chriſti, nempe tribulationes quin & mors pro ipſo ſubeunda, ubi enim totum id ſuperaverit, tunc demum poterit dicere cum Divo Paulo. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: de reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* Tribulationis calix à Chriſto Domino alicui propinatus, ſingularis eſt arrha beneficii: ſpem enim promovet aureæ illius coronæ capeſſendæ ſi illum guſtaverimus. Non caret magna conſideratione quod rurſus ait S. Paulus ad Philippenſes dicens. *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo moriamini.* Quænam hic donorum combinatio quam facit Apoſtolus, videtur enim ponere in eadem claſſe donum fidei, & aliud paſſionis. Quod concernit fidem, hæc certe donum eſt excellentiſſimum, quia non datur promeritis, ſed eſt munus Dei merè gratuitum, & non ex operibus, & tamen hortatur nos D. Paulus, ut tanti æſtimemus pati pro Chriſto, quanti eſt ipſum donum fidei. Sed pulchrè reſpondet D. Thomas Aquinas dicens. *Gratia eſtis ſalvati per fidem, quod eſt magnum, & primum donum, & etiam ut pro illo patiamini, quod eſt majus donum, ut ſcil. curam Chriſti agatis, quaſi athletæ ejus.* Quaſi diceret Doctor Angelicus, ideo pati pro Chriſto Jeſu, donum eſt per excellens, quia eſt arrha certiſſima & ſignaculum æternæ coronæ, quæ non datur ulli niſi legitimè certantibus.

Ad Philip. 1. verſ. 29.

D. Thom. hic Lect. 3.

III. Refert S. Auguſtinus libro 5. de Civitate Deo Romanos illos celeberrimos, virtutem & honorem pro duobus Diis habuiſſe, illique domos, ſive duo templa Romæ conſtruxiſſe, ſic tamen ad invicem conjuncta, & ordinata, quod nullus poſſet ingredi templũ honoris, niſi prius templum virtutis ingrederetur, & pertranſiret: per quod ſignificare voluerunt, quod nemo ad præmium ſine labore, & ad coronam ſine certamine, tandemque ad honorem ſine virtute pervenire debeat. Et hoc patet ex plurimis Sacræ Scripturæ locis, Job habetur cap. 22. *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.* Item Proverbiorum 20. *Humilem ſpiritum ſuſcipiet gloria.* Et revera imprudentiſſimus eſt ille, qui recta via abſque ulla virtute mediante humilitatis, tribulationis, aut cujuſcunque laboris, vult capere præmium, & coronam capiti ſuo imponere conatur. Dicit enim Sanctus Gregorius. *Ad magna præmia non pervenitur, niſi per magnos labores, nec coronabitur, niſi qui legitimè certaverit.* Stultus eſt miles, qui cingi vult torque aurea, & nunquam pugnavit in campo: hinc ait D. Damianus. *Delicatus eſt miles, qui priùs vult vincere, antequam dimicare incipiat, qui vult ſine pugna victoriam, aut ſine victoria anhelat ad palmam.* Quod ergo Chriſtus Jeſus ſuo diſcipulo calicem obtulerit, id fecit in ſignum maximi amoris, per ipſum

S. Auguſt. lib. 5. de Civ.

Iob. 22. verſ. 29.

Prov. 29. verſ. 23.

S. Greg. hom. in Luc.

Pet. Dam. de uno Martyre.

ipsum enim adipisci debuit quod petivit.

IV. Planè ita Christus Dominus facere dignatus est cum Iacobo Apostolo suo, sicut ille Caleb inter cæteros Duces Israelis supremus belli Præfectus: de ipso enim habetur Iudicum primo capite, quod dum filii Israelis pergerent ad expugnandam terram Chananæorum, ille milites suos animare volens, sic ad illos ait. *Qui percusserit Cariath Sepher, & vastaverit eam dabo ei Axam filiam meam uxorem*, id est, quicunque intrepido pectore expugnaverit civitatem hanc, filiam meam præmii loco uxorem habebit. Ast pulsat hic animum quædam dubitatio, quomodo ille Dux artis bellicæ peritissimus tam periculosam & quasi impossibilem conditionem edicere poterat soli & uni militi, cum tam fortis civitas & bene munita, atque clausa non unius sed plurium oppugnatione indiguerit? Respondet Abulensis dicens. *Non intelligitur quod aliquis de Israelitis deberet percutere urbem, id est, omnes habitatores urbis, & vastare eos delendo, quia hoc non posset quisquam facere, sed intelligitur de illo, qui primò irrumperet in urbem, & inciperet occidere viros urbis.* Eodem igitur modo Generalis noster Christus Iesus, ut Divo Iacobo militi suo, sponsam cælestis gloriæ copularet, obtulit primo illi ante omnes Apostolos amarum calicem passionis suæ.

Iudic. 1. vers. 12.

Abulens. in Iud. 1. c.

V. Et quia Sanctus Iacobus minimè detrectavit, sed oblatum ardenter arripuit, hinc præ cæteris Apostolis majorem quoque meretur laudem. Unde Sanctus Bonaventura tale ipsi dat elogium. *Hic S. Apostolus, dum accendit ignem ardentem, intus celare non potuit, sed primus de omnibus Apostolis, amorem Christo reddidit, quem accepit, nam primus inter omnes Apostolos pro Christo morti se dedit.* Sanctus Vincentius Ferrerius expendens illam historiam transfigurationis Dominicæ, quærit causam, cur Christus una cum Petro qui fuit primus Apostolorum, & Joanne, qui fuit suus dilectissimus, etiam Iacobum Apostolum assumpserit, & inter aliquot rationes eam quoque assignat dicens. *Iacobus fuit assumptus, quia primus debuit per martyrium paradisum intrare de Apostolis, ideo Christus voluit illum consolari, ostendens illi aliquo modo gloriam.* Sancte Iacobe Apostole; accepisti amarum calicem de manu Christi Iesu Magistri tui, non expavisti illum. quemadmodum Iacob, fratrem suum Esau, quin imò illud dixisti Psalmistæ. *Calix meus inebrians quàm præclarus est*, epotasti illum totum usque ad fundum, quid ergo? *Non vocaberis ultra Iacob*, quod nomen luctatorem significat. *Sed Israel erit nomen tuum*, quod nomen denotat videntem Deum; jam enim post illum potum amarum, bibis de calice gloriæ, & lætaris in æternum.

S. Bonav. Serm. 1. de S. Iac.

S. Vincent. Fer. serm. de Transf.

Psalm. 32. vers. 5.

AMEN

IN FESTO S. JACOBI Apostoli,

CONCIO IV.

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Matth. 20. Vers. 22.

MEmorabilis & laude digna fuit illa Asveri Regis liberalitas, quod non contentus amplissimo ac diuturno illo cõvivio Principibus Persarum, Medorumque instructo, quod durabat centum & octuaginta diebus, sed etiam expletis his diebus aliud quoque non minùs splẽdidum in domo sua fecerit, ad quod omnem populum, qui in civitate Susan poterat reperiri invitavit. Illud autem magno dignum fuit encomio, quod nemo cogeretur ad bibendum juxta illud. *Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum, sed sicut Rex statuerat, proponens mẽsis singulos de Principibus suis, ut sumeret unus quisque quod vellet.* Ego in domo Dei majorem magnificentiam, & ejusdem mensæ copiam invẽio Auditores mei; inprimis enim si convivium Regis nostri & Domini universi consideramus, id non solis Principibus Persarum, aut Medorum, non solis præfectis suarum provinciarum, sed univerſo hũmano generi, instructum fuisse reperimus: quia *omnes vult salvos fieri, & in agnitionem suæ veritatis venire.* Illud Asveri convivium, cẽtum octuaginta diebus, alterum verò multò breviori tempore duravit, nostrum autem à Rege Christo præparatum, incepit à prima creatione hominis, & durabit usque ad consummationem sæculi. Multas in domo Asveri Regis fuisse tabulas, cõstat ex multitudine invitatorum. In domo Dei nostri unica quidem tantum mensa invenitur, cujus ipsemet Christus mentionem facit dicens. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus Regnum, ut edatis, & bibatis super mẽsam meam in Regno meo.* Hæc tamen tabula tam magna est, ut omnes convivas qui à principio suæ creationis ad finem usque mundi permanebunt, sine ullo defectu sessionis capere possit. Quod verò singulariter mirandum venit id primum est, quod in mensa Christi Domini nullus convivarum cogatur ad bibendum: alterum illud est; quod nullas admittat accubitus competẽtias. Quod utrumque patet in hodierno Evangelio, in quo Sanctus Matthæus Evangelista utrumque describit, inprimis ambitionem duorum Christi discipulorum, nempe S. Jacob & Joannis fratris sui dexteram & sinistram in Regno Dei præsumentium, deinde optionem liberam à Christo iisdem oblatam hisce verbis. *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Et tandem ultimam Domini resolutionem dicentis. *Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam & sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Et quia horum duorum Christi Apostolorum unius nempe Sancti Iacobi majoris, hodierna die solemnem memoriam celebramus, quidquid ex hodierno Evangelio in laudem suam lucrari poterimus, id illi dedicabimus.

Esther 1. vers. 8.

1. Tim. 2. vers. 3.

Luc. 22. vers. 29.

Matth. 19. vers. 23.

I. Multa, eaque præclarissima habeo, quæ de Sancto Jacobo Apostolo Domini proferre possem, inprimis illud quod cum studio fidei Jesu Christi Salvatoris nostri propagandę, tot terras peragraverit, prædicans in ipsis verbum vitæ, inter illas, in limine florentissimi & Catholici Regni Hispaniarum primum pedem suum posuerit. Licet enim id cæteris quoq; Sanctis Apostolis adscribatur, tamen Sanctus Augustinus, cæterique Patres Sanctæ Ecclesiæ, id potiori jure Divo Jacobo attribuunt, qui hoc amplissimum Regnum, non solum prædicatione verbi divini, sed proprio quoque suo corpore voluit honorare, ut vivens & moriens illius esset, non solùm patritius, sed

S. August.

sed patronus. Auget materiam præconii ipsummet tempus mortis suæ, quia primus Apostolorum, eademque die, qua Christus Dominus in cruce, ille quoque uti verus Magistri sui discipulus, crucis suæ secutus vestigia, propter eiusdem fidem, quam cæteris Apostolis fortiùs tuebatur, mortem obiit per martyrium, cui Beatissima Virgo Matia, cæterique Apostoli Domini, qui necdum per mundum dispersi erant, præsentes adfuerunt: in qua quidem morte, tam mirabilem ostendit fortitudinem, animique sui constantiam, ut hic, qui ipsum duxerat ad tribunal, eam admiratus, veniam erati sui à Jacobo petierit, simulque cum ipso Martyr effectus fuerit, accedit & istud ad laudem sancti Iacobi Apostoli, quod sicut illa Prophetia Isaiæ dicentis, *Erit sepulchrum ejus gloriosum.* veridicè adimpleta fuit in sepulchro Christi Domini: quamvis enim hac ætate nostra sit in terra gentilium Sarracenorum, tamen de sua gloria nihil diminutionis patitur, quia ad visendum illud ab omnibus orbis partibus, per terras & maria Christiani homines convenire solent, quin etiam ipsi gentiles, & barbaræ nationes, eundem locum venerantur & honorant. Eodem quoque modo Christus Jesus sepulchrum Sancti Jacobi, tanquam dilecti sui discipuli, in tantum honorare & extollere dignatus est, ut non solùm ex ipsa Hispania, quæ tellus est latissima, Portugallia, Italia, Gallia, Austria, Hungaria, Germania cæterisque Regnis & remotis Provinciis, sed etiam ex ipsa India citeriori, ad illud visendum & venerandum, Christi fideles magna frequentia confluant, ibique Deo persolvant vota sua, *qui est mirabilis in sanctis suis.* Sed quia ex ipsamet Historia Evangelica, laudes ipsi contexere proposui, ad ipsas propero.

Isaiæ 11. v. 11.

Psal. 67. v. 35.

II. Multa loca reperio apud sacros Evangelistas, quæ in maximam laudem cedunt Divi Jacobi Apostoli, in primis non est illud parvum, uti scribitur Matthiæ 10. capite, quod unus ex duodecim fuerit, quibus Christus dedit potestatem spirituum immundorum, ut exercerent eos, & curarent omnem languorem, & infirmitatem. Item quod unus ex illis fuerit, quos Christus Dominus, in socios sibi assumere dignatus fuit, ut essent cum eo, & mitteret eos per universum mundum, per quod Principes Ecclesiæ suæ, Ducesque exercitus sui extiterunt. Forte dicetis quisnam ille unus fuerit è duodecim? Respondeo, habuisse eum locum inter præcipuos: tres enim elegerat sibi Dominus quos inter cæteros præcipuo loco collocavit, nempe Petrum, Jacobum & Joannem, quos suæ transfigurationi præsentes esse voluit, idem suscitationi filiæ Archisynagogi, item Orationi suæ in horto habitæ & multis aliis occasionibus, ad quas cæteri Apostoli non pervenerunt. Hinc elegans figura ex libro 2. Regum, in mente mihi venit. Rex David in aulâ sua & in exercitu plurimos habebat heroes egregios, quos in Catalogo fortium numerabat, sed inter omnes illos, habebat tres præcipuos, ad quos omnes alii non pervenerunt. Idem planè dicere possum de aula regia & magno exercitu Regis nostri Christi Jesu: fortissimos profectò habet milites, de quibus Sanctus Paulus Apostolus, tale dat testimonium, *Fortes facti sunt in bello.* Sed tres præcipui fuerunt, Petrus, Jacobus, & Joannes. Et licet alii fortissimi & robustissimi sint tamen ad hos tres nullus pervenit. Et tandem si stylum Evangelicum Sancti Marci Evangelistæ consulamus, ibidem magnam laudis materiam pro Sancto Jacobo invenimus, hunc etenim & Joannem fratrem ejus Christus Dominus Boargenes, hoc est filios tonitrui appellavit. Joannem quidem ideo, quia contra Hæreticos intonuit dicens. *In principio erat verbum.* Jacobum verò ideo, quia divina dogmata mundo intonabat velut tonitruum quoddam de cœlo auditum; hinc eum Herodes ante omnes alios neci dedit, quia fragorem vocis suæ, quâ Christum prædicabat, magis quam Petri cæterorumque Apostolorum, Judæi exhorrebant.

Matt. 17. v. 11. Marci 5. v. 41. Matt. 26. v. 73. 2 Reg. 23. v. 8. s. Paul. ad Hebr. 11. v. 34. Marci 3. v. 17. Ioan. 2. v. 1.

III. Sed dum ad hodiernum Evangelium venio, quidnam pro hoc Sancto Apostolo laudis invenio? timeo ne plus vituperii. Ecce n. in hac die solemni proponitur nobis ejus & fratris ambitio. Hi n. ambo Christi discipuli, audientes toties Regni sui ab illo mentionem fieri; matrem instigarunt, ut habita oportunitate, Christo libellum offerret supplicem,

Matt. 10. v. 8.

quo cognationis habitâ ratione filios suos ad eum dignitatis gradum extollere dignaretur, ut hic dexteram alter vero sinistrâ in Regno suo habere posset. Hæc quidquid ex materno affectu fecit, reddidit se similem cæteris matribus, quæ tria natis suis optare solent, nempe quietem, divitias, & honorem. Quietè exoptavit, quia duas sedes petiit, quæ sunt quietis symbolum. Divitias; quia non secus atq; altera Rebecca, laboravit pro suis filiis, ut primogeniti Regni cœlestis redderentur. Honorem; Sicut Bersabee filio suo Salomoni coram David, sic & ab ipsa coram Christo postulavit. sed quidquid sit de humanis defectibus, qui nobis sunt pro exemplo; dum ego religiosam fœminæ hujus mentem, cum Sanctis Patribus, Chrysostomo. Ambrosio, & Venerabili Beda contemplor, ejus animad vetro sapientiam, quâ non offert filios Deo, nisi ut sedeant, hoc est persistant immobiles coram ipso id enim est quod maximè parentes curare debent, nimirum ut eorum filii immobiles perseverent in via divini servitii semel arrepta, Quod patet exemplo matris, Samuelis filii sui, noluit enim rogata ascendere in templum, ut sisteret filium Domino, sed ait. *Non donec ablactetur infans, & ducam eum, ut appareat ante conspectum Domini, & maneat ibi jugiter.* Matri filiorum Zebedæi eandem fuisse mentē, affirmat Divus Ambrosius dicens de Jacobo & Ioanne fratre suo. *Ab esse sibi liberos patiebatur, & voluptati suæ, mercedem sequentium Christum prætulerat filiorum.*

Gen. 27. v. 42.

3. Reg. 1. v 16.

1. Reg. 1. v. 22.

s. Ambr. lib 5. de Fide. c. 3.

IV. Sed quidquid sit. Quæstio Christi Domini, quâ fecerat huic Sancto Apostolo, suoq; fratri Joanni, nec non ad illam utriusque responsio, magnum Sancto Jacobo parit encomium: hinc n. eluceſcit, amorem divinum, cor Sancti Jacobi Apostoli in tantum occupasse, eumque totum sibi subjugasse, ut se difficillimis quoque periculis, & adversis objicere non dubitaret. Quam animosus fuerit Sanctus Paulus Apostolus, & quantam habuerit charitatem, quâ Christum Jesum prosequebatur, testantur illa sua verba scripta ad Romanos. *Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Certus sum, quia neque mors, neq; vita.* Et quis hic non admiretur Paulum, toti mundo bellum indicentem, & omnes Angelorum, Dæmonumq; potestates, persecutiones, & tribulationes ad certamen provocantem: Audite quæso quid hic dicat Sanctus Chrysostomus. *Non dixit pecunia? an divitiæ? an ornatus? Hæc enim valde vilia, & deridenda sed quæ videntur esse gravia posuit: fames, persecutiones, mortes, & hæc tanquam nihil essent contempsit.* Sed quid mirū, si jam erat amore Christi armatus & cathaphractus. *Quis nos separabit à charitate Christi?* talibus enim armis præmunitus, nullos adversariorum impetus pertimescit Ajebat quōdam Paulus ad Philippenses 4. *Omnia possum.* Hodie ait S. Jacobus una cum fratre suo *possumus.* En quam animosè offert se ad bibendum Christi calicem!

Rom. 8. v 35 36.

D. Chrysost. Hom 63. ad populum.

Ad Phil 4. v. 13.

V. Sed qualem? Multi sunt putant Sanctum Jacobum Apostolum, intellexisse illum calicem materialiter; pro hausto vinia, ut alterius liquoris, quia etiam nequam Judæi, & Pharisæi potatorem appellabant Christum. Sed multò aliter sentire debemus de sancto Jacobo Apostolo, toties illè simul fuit cum Christo Domino, toties audivit mentionem calicis, sed hujus quem in cruce bibiturus erat itaque talem calicem sitiebat, qui conditus erat ex vitæ ejus pauperie, ex jejuniis, fame, opprobriis, tormentis, & sanguinis effusione. Hunc calicem propinavit Iesus Sancto Jacobo Apostolo suoquē fratri Joanni, pro arrha dexteræ & sinistræ in Regno suo; nec eum uterq; respuit, quia acceptum à Magistro suoque Domino. Christo Jesu, unus alteri eundem propinavit. Quemadmodum enim ambo erant germani fratres, ambo Christi Jesu discipuli, ambo mysteriorum ipsius participes, ita etiam passionis ejusdem consortes extiterunt. Nunc autem calicem salutaris accipiunt, & de eodem propinant sibi salutem sempiternam.

Boeza libro. 12. cap. 8.

AMEN.

IN

IN FESTO S. ANNÆ
gloriosæ matris B. V.M.

CONCIO I.

Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis & Sanctæ Spei, Ecclesiastici 24. v. 23.

HOdierna solemnitas Sanctæ Annæ, requirit à nobis talem panegyricum, qualis deceret tantã matrem, tantæq; matris genitricem. nempe Deiparæ Virginis Mariæ, Auditores piissimi. Sed undenam accipiã statum sermonis mei? non inelegans ille esset quem dictavit Spiritus sanctus Ecclesiastici cap. 24. dicens. *Ego mater pulchræ dilectionis, & agnitionis, & timoris, & Sanctæ spei.* Sed plerique Sancti Patres Ecclesiæ verba hæc communiter beatissimæ Deiparæ Virginique Mariæ attribuunt, & de sola illa dici volunt. In primis enim Sanctus Bonaventura, perpendens illa verba Isaiæ Prophetæ. *Egredietur Virga de radice Iesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini*, super eadem talem fundat Orationis suæ conceptum. *Quicunq; septiformem spiritus Sancti gratiam adipisci desiderat, ipsum florem Spiritus Sancti in Virga quærat: per Virgam enim ad florem, per florem ad spiritum in ipso requiescentem per venimus, per Mariam ad Christum accedimus, & per Christũ, Spiritus sancti gratiam invenimus.* S. Bernardus non minus elegantem devotionis suæ protestationem Sanctissimæ Virgini dedicavit dicens. *Filioli hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ.* S. Damascenus de sanctissima Deipara hæc ait. *Tibi nos hodierna die assidemus, ô Domina, Domina, atq; iterum dicam Domina Dei genitrix & Virgo, animas nostras ad spem tuam, non secus atque ad firmissimam anchoram alligantes, nosq; tibi totos dedicamus.* Germanus Patriarcha Constantinopolitanus sic ait. *Certè Domina Dei parens, meum refugium, vita & defensio; spes & robur meum, concede mihi, ut & ego quoque fruar inenarrabilibus tuis bonis in cælesti patria.* Quæ testimonia Patrũ Sanctæ Ecclesiæ tam illustrium; super hæc verba fundantur, quæ in laudes Sanctæ Annæ decantandas de sumere mihi destinavèram. Quid igitur? ergo cessandum à proposito, & alibi quærenda erit, suæ laudis materia? Non Stemus in eodem themate Auditores. Primò, quia verba hæc Ecclesiastici per prius intelliguntur de æterna sapientia; non certabit ergo filia cum matre de hoc, quod jus commune sibi vendicat. Secundo autem, ait Ecclesiastes. *Ad locum unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant.* Beatissima Virgo maria, est filia gloriosæ matris Sanctæ Annæ, quidquid ergo de tanta matre dicam, cedet in laudem filiæ, & quidem maximam, ego enim hodie agam magistrum rotatium, & ex isto themate quod assumpsi, faciam currum triumphalem quem nomine Sanctæ Aunæ matris gloriosæ, filiæ suæ tanquam Reginæ glorioſissimæ præsentabo.

Isaiæ 11. v. 1.

S. Bonavēt. in spec. B. V.M. c. 6.

S Bernard. Serm. de Aqua ductu.

S. Damasc. Orat. 1. da Dorm. B. V.M.

German. Constantin.

Eccles. 1. v. 7.

I. Volenti & proponenti mihi fabricare currum quem piã nobilissimũ & præstantissimũ, quẽ Beatissimæ Virg. Mariæ, nomine gloriosę matris suæ Sanctæ Annæ præsentare possem, fere mihi idem contigit, quod sancto illi Apostolorũ Principi Petro Apostolo, Hic enim dum interrogaretur à Domino, *Quem putant homines esse filium hominis?* respondit dicens, *Tu es Christus filius Dei vivi.* Dixerunt te quidam imperfectiores homines Eliam, alii Jeremiam, aut unum ex Prophetis, sed longè à scopo aberrarunt: his enim omnibus tu major es. *Tu es Christus filius Dei vivi.* Eodem modo Auditores mei, si vos à me percontari velitis, ut vobis demonstrem meum artificium, nempe currum hunc triumphalem Romanis curribus aureis, inquibus triumphos celebrare solebant, longe præstantiorem, currum

Matt. 16. v. 17.

rum inquam talem, quem Beatissimæ Virgini Mariæ, nomine præclaræ matris suæ Sanctæ Annæ dedicandum censui, dicam talem currum esse ipsam Sanctissimam Dei param Virginem Mariam. Est quidem verum Auditores, me plurimos legisse Oratores, & divini verbi Præcones, qui Beatissimam Deiparam plurimis, ijsque excellentissimis figuris comparatunt, nempe Soli, Lunæ, Auroræ, stellis, Angelo, Firmamento, Arcæ testamenti, Navi, Viti, Vineæ, Olivæ, Cedro, Paradiso, Mari, Margaritæ, cæterisque symbolis, quæ omnia difficile est numero comprehendere: adhuc tamen hactenus illum invenire non potui, qui illam currui compararet. Forte quia indigna res, cui comparetur? Minime vero: quia & Salomon Rex gloriosus habebat quoddam ferculum gestatorium in quo per modum vehiculi portabatur; insuper si Beatissima Virgo Maria prima est inter omnes sponsas, ad illam à divino sponso dictũ puto. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea* Cur equitatui in curribus? Sciunt bene auditores mei, ad id fabricari currus & vitro lucidissimo ad transportandum ex omnibus partibus adaptatos, quibus Imperatores, Reges, Principes & Magnates uti solent. Talis currus, sed incomparabiliter pulchrior & pretiosior fuit Beatissima Virgo Maria, qui portavit non una die, sed novem mensibus Imperatorem, Regem, Dominumque Universi, unigenitum dico Dei Patris filium, qui in curru uteri sui gemineo toto illo tempore requievit.

Cant. 4. v. 9.

Cant. 1. v. 8.

II. Scitis bene Auditores, quod dumcumque prædicatur res aliqua arte facta, verbi gratia, imago quædam pulchra, à Zeuxi, seu Apelle picta, vel sane sculptura alicujus statuæ à Phidia excellentissimo sculptore elaborata, tunc ibi opus illud quodcunq; tandẽ sit, ita laudati solet, quod tota illius laus & commendatio, ad autorem seu inventorem suum devolvatur, Inter cætera igitur quæ arte produci solent, dũ ego considero, felicissimũ ortum Beatissimæ Virginis Mariæ, venit mihi in mentem currus quidam elegantissimus, non solum currui illi aureo, in quo Xerxes Persarum Monarcha dum ad bella procederet, solem arte factum verisse quondam dicebatur, sed neque currui illi igneo, in quo Phaëton pernicibus equis, per orbem cæleſtem solem vehere dicitur à Poëtis, comparandus: hic enim currus solem orientem ex alto, nempe solem justitiæ Christum Jesum, adverit nobis in mundum, qui nos illuminaret sedentes in tenebris, & in umbra mortis. Unde autores hujus pretiosi currus, nempe parentes Beatissimæ Virginis Mariæ Joachim & Anna, maxima laude digni censendi sunt, qui tam pretiosum instrumentum vecturæ hujus solis divini præpararunt. sed numquid soli? Minime vero Auditores: divina enim illa Sapientia, quæ de se ipsa dicit. *Ab initio, & ante sæcula creata sum*: illa quoque accepto sponsi schemate, *tanquam sponsus procedens de talamo suo*, ait ad Virginem Mariam sponsam suam: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea.*

Herodotus.

Ovid in Met.

Luca 1. v. 79.

Eccles. 24. v. 14.

Psal. 44. v. 6.

III. Cur Beatissima Virgo Maria assimilatur curribus Pharaonis? Legimus Exodi 14. c. Quod dum Pharao Rex Aegypti, pergentẽ populum Israelis è terra sua, jamque ingredientem iter maris rubri insequi vellet, tunc juncto curru suo, & assumpta omni populi sui multitudine, tulit sexcentos currus electos, & quidquid in Aegypto curruum fuit: cumque sequens vestigia Israelis, una cum curribus totoque suo exercitu, eadem via pergeret, nempe per medium maris, ait textus *Respiciens Dominus super castra Aegyptiorum per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorũ, & subvertit rotas curruum*: & quid tandem ait textus ulterius? *Fugientibus Aegyptiis occurrerunt aquæ, & involvit eos Dominus in mediis fluctibus.* Per currus eorumque rotas humanum genus juxta interpretationem Hugonis Cardinalis intelligitur, per fluctus maris, peccatum primum parentum nostrorum, juxta illud Vatis Regii. *salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.* Quia ergo quotquot nascebantur filii hominum (exceptis quibusdam quos Spiritus Sanctus in utero matrum suarum visitavit, & sanctificavit) omnes fluctibus hujus maris rubri involuti erant, excepto solo curru Deiparæ Virginis, quæ solem justitiæ portare debuerat, ea propter cœlestis sponsus tale beneficium & speciale amoris sui privilegium sponsæ commemorans ait, *Equitatui meo in curri-*

Exod. 14. v. 24.

ibidem v. 27.

Hugo Card. in Cant.

Psalm. 68. v. 1.

curris

S. Bernard. Serm. 39. in Cant.

curribus Pharaonis assimilavi te amica mea. Fundamentum hujus discursus mei habeo ex verbis S. Bernardi dicentis in hunc locum Sacri textus. *Assimilat animæ pulchram, & amicam per gratiam, equitatui suo in curribus Pharaonis, liberando utiq; à jugo peccati, mortificatis universis operibus carnis.* Si hunc locum sacri textus intelligit de omni justo in gratia Dei constituto, cur non magis de virgine plena gratiarum, de qua Rupertus ait. *Tu pulcherrima mulierum, amica mea, cunctam pravitatem hæreticam interemisti, superbiam Diaboli dejecisti conceptu florida, partu fructifera, virgo in conceptu, virgo in partu, virgo ante partum, incorrupta post partum.*

Rupertus apud Corn. à lap. in Cantica.

IV. Nihil hic de munditie aurei hujus currus dubitãdum: quia si aliquod lutum in ipso curiosius scrutari quispiam vellet illud in rotis suis investigare deberet, sed certè nullum invenitur: ut enim vobis illas numerem, redeundum mihi erit ad thesin concionis meæ, *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & Sanctæ spei.* Prima rota est *pulchræ dilectionis*, quæ in conceptione & nativitate sua apparuit, quia Sancta Anna mater sua, sine ulla peccati labe ipsam concepit & genuit. Altera rota est *timoris*, quæ in præsentatione sua pulchra apparuit, quia triennis in templo præsentata, Domino Deo jugiter serviebat Tertia rota est *Agnitionis*, quæ in annunciatione Angelica pulchra apparuit; quia tunc cælestibus mysteriis vacans ab Angelo inventa fuit. Quarta rota est *Sanctæ spei*, quę in expectatione divini partus sibi promissi pulchra apparuit, quia nihil dubitavit de verbis Archangeli, sed se ancillam Domini protestata, in matrem ejusdem electa fuit.

Eccles. 24. vers. 24.

V. Et quid mirum quod talis currus, nulla ex parte maculari potuerit, siquidem ductor & auriga illius fuit æterna sapientia, duo equi trahentes ipsum, sanctæ affectiones voluntatis illius, per Spiritum Sanctum ad ambulandum in via Dei peroptimè ordinatæ, frænũ illorum, frænum laudis, qua ab omnibus suis clientulis prædicari meretur, juxta illud Isaiæ Prophetæ. *Laude mea infrænabo te,* Phalerę equorum, sunt dona cælestia & ornamenta virtutum. Sanè de isto curru cum omnibus ad ipsũ spectantibus illud dici potest quod habetur Psalmo 67. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina in Sancto.* Licet enim Venerabilis Hugo Cardinalis per talem currum intelligat Sanctam Ecclesiam cum ornamentis suis, ego nihilominus, felicissimam filiam Sanctæ Annæ non immeritò per talem currum intelligo: ipsa enim hæc est, in qua Dominus habitavit: ipsa est hæc in qua & per quam lætantur, non decem millia hominum vel Angelorum, sed omnis omnino creatura: quia ipsa est hæc, quæ nobis advexit Salvatorem mundi Jesum Christum; cui laus est & honor in secula.

Isaiæ 48. vers. 9.

Psalmo 67. vers. 18.

Hugo Card. in Cant.

AMEN.

IN

IN FESTO S. ANNÆ
glorioſæ matris B. V. M.

CONCIO II

Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris, Eccl. 24. Verſ. 23.

QUod æterna Sapientia viti ſe aſſimilet, nihil eſt veritati contrarium, cum magnam cum eadem ſimilitudinem habeat. Quemadmodum enim vitis dum floret, ſuavem ſpirat odorem: ſic & Sapientia ſe omnibus gratam, amabilem, jucundam & delectabilem præſtat. Item dum fructificat, ſeu dum producit uvam, producit talem fructum, qui cæteris eſt honorabilior, & gratior, ex uva enim exprimitur vinum ſuave, & generoſum, quod in magna æſtimatione haberi ſolet. Eodem modo & Sapientia fructus nobiliſſimos affert, nimirum honorem, gloriam, & opes, tam ſpirituales, quam corporales, hinc de fructu vitis pulchrum Rabanus adfert teſtimonium dicens. *Quid per hanc vitem, niſi ipſe exprimitur, qui in Evangelio diſcipulus ſuis ait.* Ego ſum vitis vera, & vos palmites; *cujus vitis liquor lætificat cor hominũ, quando bibendo ſanguinẽ ejus, gaudentes laudant redemtionis ſuæ ſacramentum: hæc vitis fructificat ſuavitatem odoris, quando per totum orbem fama ſpargitur Evangelicæ prædicationis: floriſque ipſius fructus ſunt honoris, & honeſtatis, quia jucunditas, & decor omnium virtutum, quotidie ejus dono floreſcit, atq; clareſcit in credentiũ turbis.* Si tamen de iſta vite myſticè loqui velimus, nihil invenio, quod ipſi magis propriè aſſimilare queam, quam Sanctã Annã matrem glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, cujus hodierna die ſancta quoque mater noſtra Eccleſia annuam recollit memoriam, jure merito in quam Sanctam & glorioſam Annam viti comparavero. illa enim talem vuam germinavit, nempe ſanctiſſimam Virginem Mariam, quæ deinde uvam pretioſiſſimam protulit nempe Chriſtũ Jeſum, ex quo in torculari crucis preſſo, expreſſum eſt vinum rubrum, quod inebriat omnes fideles: teſtem hujus dicti mei habeo Divum Damaſcenum dicentem. *Vinea uberrima, ex Anna pullulavit; atque unam ſuaviſſimam protulit, nectar mortalibus fundentem in vitam æternam.* Unde animus mihi eſt, hanc præclaram vitem Sanctam Annam præconio aliquo exornare? quidquid Spiritus Sanctus ſuggeſſerit, id perferam ad aures veſtras.

Ioan. 15. verſ. 1.

Rabanus.

S. Damaſc. Orat. 1. de nativit.

I, Auditores præclariſſimi, ad laudes Sanctæ Annę deferendas, ſumme omnes obligamur: ſi enim Deum generaliter in ſanctis ſuis laudare præcipimur, procul omni dubio parentes quoque ejus colere & honorare tenemur: qui enim nobis parentes noſtros honorare præcepit, ſuos ſecundum carnem minime excludit. Dignum eſt ergo ſanctumque Auditores, devotas illis laudes impendere, de quorum ſanguine, unigenitum Dei filium, ſumpſiſſe credimus, Inter quos Beatiſſima Dei genitrix, jure principatum obtinet, cujus tanta ſunt ſanctitatis merita, ut ſuper choros Angelorũ in cœlo ſit exaltata. Poſt eam glorioſiſſima ejus mater Anna, quemadmodum juxta carnem Dei filio eſt proxima, ita virtutum meritis cæteros Sanctos haud dubio antecellit. Non enim potuit tantæ virginis mater Deo non eſſe acceptiſſima, per cujus partum virgineum ſumpſimus æternæ ſalutis remedia. Anna eſt radix ſancta, Maria virgo arbor ſanctiſſima, cujus filius, eſt fructus ſuaviſſimus & animarum noſtrarum medicina, unde ſi filium Dei diligimus, ſi puriſſimam ejus matrem honoramus, à laude quoq; avię ſanctiſſimę & matris Annæ ceſſare non debemus, de cujus filiæ utero talis proceſſit filius,

Exadi 20. verſ. 12.

qui

qui naturam humanam per peccatum humiliatam, & abjectam, iterum exaltavit, & divino consortio dignam fecit. Sed quoniam tunc præcipuè Sanctos laudamus, cum eos imitamur, videndum restat in quibus Sanctam Annam imitari debeamus. Certè in multis. Primò in maxima fide ac spe, cum viginti annis oraverit, ut proles ei concederetur, & licet se viderit sterilem & grandævam, nihilominus pluris æstimans divinam potentiam, quam ipsius naturæ ordinem, non consideravit corpus suum emortuum, in quo Saram Abraam Patriarchæ uxorem superavit, de qua legitur Genesis 18. cap. quod cum tres Angeli in specie virorum trium veniissent ad Abraam, eique futuram prolem promisissent dicendo. *Revertens veniam ad te tempore isto, vita comite, & habebit filium Sara uxor tua*, illa hoc audito risit stans post ostium tabernaculi. Notandus est hic singulariter risus hujus mulieris, nam & ipse Angelus curiosior hic videbatur observans illius risum, dicensq; ad Abraam. *Quare risit Sara uxor tua?* Ad quid ô Angele Dei tua hæc interrogatio, num ignorasti per risum agnosci hominem, est enim illius passio naturalis, tunc verò dum læti, aut faceti aliquid audimus, seu videmus, ridere solemus, & quid lætius poterat audire Sara, quàm illud promissum prolis futuræ? quamobrem causam risus habuit. Sed Divus Augustinus, hunc risum Saræ aliter explicat dicens: *Arguitur Sara, quia risit, & non Abraam cum similiter riserit, quia illius risus admirationis fuit, hujus dubitationis, quod dejudicare potuit qui corda novit.* Patet idem ex verbis Angeli, eundem Sacræ risum arguentis taliter. *Nunquid Deo est quidquam difficile?* quam verborum Angeli exaggerationem expendens Hugo Cardinalis ait. *Adhuc fœminæ incredulitatem increpat.* Unde Sancta Anna superior extitit uxore Abraami, hæc enim licet jam videret se totam à naturæ cursu destitutam fuisse, nihilominus totam spem, & fiduciam in Domino collocabat.

Gen. 18. vers. 10.

Augusti.

Hugo Card.

II. Pulchrum exemplum nobis mortalibus, plurimi enim sunt modicæ fidei, & exiguæ spei, parum sperantes, vel de salute æterna consequenda, vel de morum correctione, vel de spirituali profectu animę suę, vel etiam de rebus ad vitam corporalem sustentādam necessariis, hinc sequitur diffidentia & desperatio, quæ multa mala in anima operatur, quoniā qui pusillanimis est, primum tristitiā impugnatur, deinde supervenit acedia & quædam cordis pigritia, ac tandem talis, operi bono exercendo totus ineptus efficitur. In Cain hoc manifestum redditur, hic enim cum videret munera sua à Deo non respici, quia hæc non recta intentione offerebat impugnabatur tristitia, torpebat animo, & socordia vexabatur: hinc Dominus ad eum dixit. *Quare tristis es? & cur concidit vultus tuus? nonne si bene egeris, recipies?* Sicut spes efficit gaudium juxta illud Divi Pauli, *Spe gaudentes*: ita è contra desperatio tristitiam generat, juxta illud Sapientis. *Si desperaveris, lapsus in die angustiæ, imminuetur fortitudo tua.* Quod si de radice hujus rei quęsieris? Respondeo tibi, nempe quemadmodum fundamentum spei nostræ, est divina bonitas, quæ nos considere facit in Domino, juxta illud; *Creditis in Deum & in me creditè*; hoc est sperate & confidite in meritis meis: ita desperationis fundamentum, est ipsa misera malitia: cum enim sciamus, conatum nostrum ad salutem esse necessarium, ejus defectum videntes desperamus, dum promissiones divinas differi, & in longum protrahi cernimus, contra quam pusillanimitatem utraque Anna nobis proponitur, una Samuelis mater, quæ infæcunda manens, spem tamen impetrandæ prolis in Domino collocabat, & altera hodierna Sancta Anna, mater Virginis Mariæ, cujus prolem per viginti annos expectavit, & feliciter tandem obtinuit.

Gen. 4. vers. 7.

Ad Rom. 12. vers. 12.

Prov. 20. vers. 10.

Ioan. 14. vers. 12.

1. Reg. 1. vers. 27.

III. Sed fortè aliquis diceret. Cur ergo Deus petita nostra procrastinat & tam diu differt? Ad id antequam respondeam, dico duplicia dona esse quæ à Deo petimus, id est, corporalia seu temporanea, & spiritualia. Si ergo petis temporalia, & ea Deus elargiri tibi differt, id vel ideo fit, ut orando ipsum assiduè, spiritualia præstes opera, & per illa merearis dona cœlestia, quæ temporalibus sunt potiora, vel etiam ideo differt quia ille novit, tibi non profutura esse quæ postulas, exempli gratia, petis sanitatem filio tuo, ille protrahit vel non dat; quia scit illam gratiam sanitatis esse in perditionem filii,

S. Bernard. de Orat.

& totius domus suæ. Hinc D. Bernardus ait, *Nemo vestrum fratres parvi pendat Orationē suam, statim ac ex ore orta est, unū ex duobus erit, aut dabit quod petimus, aut quod novit nobis esse utilius, negat.* Jam quod concernit dona spiritualia, illa quidem non ita differt, quin statim aliquid præstet, sed si etiam interdum differat: id eo fine fit, ut quod in se magnum est & excellens, illud etiam diutius petendo assequi merearis. Et quid putas esse spiritualia? margaritæ sunt & thesaurus infinitus, si ergo non citò acquiras, quid miraris? Attende illum negotiatorem quærentem bonas margaritas, attende etiam illum hominem, qui invenit thesaurum absconditum in agro: quid fecerunt? unus omnia vendidit quæ habuit, ut pretiosam margaritam emeret: alter verò totam quoque substantiam suam vendidit, & emit agrum illum. Illi sua vendiderunt, ut emerent, & tu gratis à Deo habes quæ petis, & non vis expectare? præclarum sanè ne dicam divinum hujus tibi præbet exemplum Mater Deiparæ cujus solemnitatem hodierna luce celebramus. Felix illa profectò est; quia margaritam pretiosam, & agrum in quo thesaurus verbi divini erat absconditus gratis & absque ullo pretio acquisivit, quia tamen donum illud eximium erat & excellens, antequam possideret ipsum, per viginti annos expectavit.

Matth. 13. vers. 44.

IV. Eadem Sancta Mater virginis Mariæ instruit nos exemplo suo, quatenus ea quæ à Deo impetrare cupimus fundati in fide & spe, incessanter orantes postulemus Sancta etenim Anna per integros viginti annos expectans voti sui finem, assiduè in oratione persistebat. Aliquis vestrum tantam orationis Sanctæ Annæ & continuam perseverantiam merito mirari posset, sed ego non miror, oratio enim sua non erat tantum pro privato suo cōmodo, sed pro bono totius humani generis. Non vacat mysterio parabola illa S. Lucę Evangelistæ, in qua producitur in scenam amicus, supervenienti alteri amico hospiti suo à vicino quodam petens panem, cujus domū adiit, pulsavit januam, excitavit dormientem & rogavit, ut ei tres panes accōmodaret quibus amico de via venienti cænam instruat, cumque vicinus responderet ne sibi molestus esset, instantiam pulsantis effeciſſe, ut quod voluit impetraret. Hic ergo ego singulariter noto, quidnam impulerit istum hominem, quod cum tanta instantia, cum tam frequenti januæ pulsu, & continuâ repetitione suarum precum panes illos à vicino postulaverit, & dico, ad id impulsum fuisse non tam necessitate aliqua sui, quam charitate proximi, quod declarant illa verba. *Quoniam amicus meus venit de via, & non habeo quod ponam ante illum.* Advertit idem & Divus Chrysologus dicens. *Qui ut reciperet hospitem, hospitem reficeret, totam sibi requiem denegavit.* Idem ergo dicendum est de S. Anna. Diu & assiduè oravit, quia donum illud, nempe partus Sanctissimæ Virginis, non ipsi soli sed toti humano generi erat salutaris.

Luc. 11. vers. 15.

ibidem vers. 6.

D. Chrysol. Serm. 38.

V. Et quia sciebat Sancta Anna, bonam esse orationem cum eleemosyna, in hac facienda singulariter liberalem se exhibebat, quia cum consilio & consensu Joachimi mariti sui omnem suam substantiam, in tres patres diviserat, unam partem templo, aliam peregrinis & pauperibus, tertiam necessitatibus domus suæ reservabat. Sed nihil novi quod sic adeo misericors liberalisque fuerit, id decebat illam quæ de se ait. *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris*, in qua sacri textus sententia occurrit mihi pulchrum quoddam dictum Guilielmi Parisiensis qui introducit quendam Eleemosynariū sic loquentem. *Non tam planto vites aut vineam, quam etiam ipsum vinum.* Quis hic loquendi modus? quis aspexit plantari vinum? sed revera bene dictum: qui enim largitur eleemosynam, plantat non vineam, quæ non semper est certa de botris aut uvis, sed plantat ipsum vinum: nostra vitis S. Anna tale vinum plantavit, nempe *vinum germinans virgines.* Hujus ergo exempla imitemur, ut de fructu suo in cœlesti paradiso ævo sempiterno recreari mereamur.

Tob. 12. vers. 8.

Guilielm. Paris. de Mor. cap. 1.

Zachar. 9. vers. 7.

AMEN.

IN FESTO S. ANNÆ
gloriosæ matris B. V. M.

CONCIO III.

Mulier timens Dominum ipsa laudabitur. Proverb. 31. v. 30.

DUo sunt præcipua ob quæ, matronæ honoratæ laudari solent, nempe pulchritudinem pudori sociatam, & prudentiâ bonis moribus adornatâ, cujus rei testimonia plurima inveniri possunt. In primis Proverb. 11 dicitur *Mulier gratiosa, inveniet gloriam.* Itẽ 12, cap. *Mulier diligens, corona est viro suo.* Idẽ 14. cap. *Mulier sapiens ædificat domum.* Alia loca, quorũ multa sunt, prætereo, cum etiam idem quibusdam exemplis patere possit. In primis laudatur Rebecca, à Spiritu sancto ob pudorem virgineum: quia cũ adducta ex Mesopotamia, appropinquaret ædibus Isaac, cui desponsata fuit, eumq; adhuc à longe conspexisset, ait textus. *Tollens citò pallium suum operuit se* similiter laudatur Abigail ob suam prudentiam, quia placarit David & exercitum ejus, nõ tam muneribus, quàm eloquentia sua prudentissima, ut abstineret a vindicta mortis quam Nabal viro ejus, totique suæ domui ob inhumanitatem sibi exhibitam, se illaturum proposuerat. Laudatur Thecuitis, eò quod in Parabola sermonis sui filium Absolonem cum Davide patre suo conciliaverit. Laudatur prudens illa mulier in Abela civitate, quòd ipsam prudenti remedio ab obsidione Joab, & exercitus Regis David liberaverit. Laudatur Esther non solum à pulchritudine, sed etiam urbanitate morum, ob quam placuit Asvero Regi, & invenit gratiam in oculis. Et tandem qualẽ deportavit laudem, præclara illa heroina Judith, id hujusque protestantur verba servorum Holofernis dicentium. *Non est talis mulier super terram, in aspectu, in pulchritudine & in sensu verborum.* Tales eximiæ dotes mulierum placuerunt quondam, & nunc etiam hominibus placere solent, sed ego unam adhuc scio, & quidem præcipuam, soli Deo placentem, nec solum illi placet, sed etiam à cunctis hominibus laudari meretur. Sed quænam illa? *Mulier timens Dominum, ipsa laudabitur.* Non est dubium, talem fuisse Sanctam Annam cujus hodie solemnem memoriam celebramus, nisi enim fuisset, nec mater tantæ filiæ fieri mereretur: cum autem illam agnoscat totus mundus Christianus pro matre præclara Dei paræ Virginis, hinc etiam, singularia laudum argumenta pro ipsa habeo, quæ vobis in honorem & merita ipsius producere conabor.

Prov. 11. v. 16. *Prov. 12. vers. 4.* *Prov. 14. v. 1.* *Gen. 24. vers. 66.* *1. Reg. 24. vers. 20.* *2. Reg. 13. v. 14.* *2. Reg. 20. v. 19. & 21.* *Esther 2. vers. 17.* *Iudith. 11. v. 11.*

I. Non immeritò Sancta Mater Ecclesia invocans in collecta communi patrocinium Sanctæ Annæ Matris Dei paræ Virginis sic orationem suam incipit. *Deus qui Beatæ Annæ tantam gratiam conferre dignatus es, ut genitrix eius filii tui Domini nostri Iesu Christe mater effici mereretur*: in his enim verbis tam magna gloria sanctissimæ Annæ continetur, ut eam nemo, quam vis orator maximus, verbis suis exprimere queat. Hinc Sanctus Vincentius Ferrerius, explicans illa verba Davidica. *Terra nostra dabit fructũ suum*, non alio se convertit, nisi ad Beatissimã Annam, illi fructum talem attribuens verbis talibus. *Terra* nostra Anna, *dabit fructum suum*, scilicet *Beatã Meriã Virginem.* Magnus hic profectò fructus fuit, quẽ hæc gloriosa terra germinavit fructus tantæ dulcedinis, ut Deus ipse cœli delitiis, lautisq; Paradisi mẽsis derelictis, ut se hoc sacrissimo fructu enutriret, in terras descenderit. Fructus tam medicinalis, ut omnibus mundi hominibus, ob peccata languescentibus, & mortuis salutẽ & vitã attulerit. Fructus adeo magnus, ut alium in se fructum majorem claudere non potuerit, cum igitur Sancta Anna fructum.

In Miss. Rom. *Psa. 84. Vincent. Ferrer.*

hinc producendo, officium terræ impleverit, hinc patet magnam fuisse ipsius gloriam juxta verba David, quæ in eodem Psalmo cõtinentur. *Vt inhabitet gloria in terra nostra*, id est, terra deinceps, non vilis amplius aut ignominiosa erit, quemadmodum illa fuit, cum maledixerat illi Deus, eamq; spinas & tribulos germinare; jusserat, sed honorata illustris, & gratiosa. Sed quænam terræ istius gloria? non aliundè sanè nisi ex fructu illo glorioso quẽ protulerat, nempe Dei param Virginem Mariam, quia ut ait Ildephonsus. *Impleta est terra per hanc virginem gloriâ.* Postquam n. terra hæc virginem illam quæ Deum pariturа erat, ferre & bajulare cœpit, adeo facta est gloriosa ac beata, ut nullis amplioribus ornamentis indiguerit.

Psal. 84. v. 10.

Gen. 3. v. 18.

Ildephon. lib. de Virg.

II. Scribitur in libro Apothtegmatum de præclara illa matrona Cornelia Grachorum matre, venisse quondam ad ipsam invisendi gratia Neapolitanã quandam Principissam, quam cum humanissimè tanquam suam patritiam excepisset, illa postmodum rebus suis explicatis, cistisque auro plenis reseratis, ostendit illi præclara monilia, & diversa auri gemmarumq; pretiosarum ornamenta, qualia nec Romæ nec alibi unquam videri poterant. Sapiens hæc mulier, audiens ab illa Neapolitana de illis thesauris in laudem ipsorum multa dici, illa interim illos se libenter intueri fingebat, sed discursum nullum fecit, cum differens & dissimulans, ad reditum suorum filiorum, qui cum ex palestra literaria domum venissent, tunc convertens se ad illos, dixit ad illam mulierem. *Hæc sunt ornamenta mea.* Prudenter sanè dictum, ubi pluris æstimabat bonos probosque filios, pudicas & virtuosas filias, quam, auri gemmarumque ornamenta. Cum igitur Beatissima Virgo Maria, summæ fuerit excellentiæ, auri gemmarumque ornamenta longè superans, eo ipso, quod filia fuerit Sanctæ Annæ, matrem suam summo & glorioso ornamento exornavit. Egregiè ad idẽ deservit mihi quoddam Epithetum, quod autor quidam Chrysippus Sanctissimæ virgini tribuit, dicens & vocans eam; *Præclarum natura ornamentum.* Si ita appellatur, nempè quod si ornamentum decusquè, terræ, maris, aëris, cœli, ipsorumq; Angelorum cœlestiũ, quantã sibi Divina Anna ex pretioso isto ornamento gloriam conciliasse censenda est? ampliori sanè quam si ea esset quæ totum mundum exornare posset, Refert S. Ioannes in Apocalypsi sua, vidisse se quandam mulierem amictam sole, lunam sub pedibus habentem, & in capite suo coronam stellarum duodecim. Hæc visio Sancti Ioannis Apostoli diversimodè ab interpretibus Sacrarum Scripturarum explicatur, quamvis Divus Bernardus illam de beatissima Virgine intelligat. Nunc de vestimento Divæ Virginis de sole inquam, atq; etiam de calceis ipsius, nempe de luna aliquid dicam, sed quod concernit stellas quæ concurrerunt in circulum, atque caput Beatissimæ Virginis Dei paræ per modum coronę cinxerunt, illud penso, utrum talis corona stellata capiti Sacræ Virginis ornatum & decorem aliquem attulerit, sicuti coronę aureæ, lapidibus pretiosis, gemmisque lucentibus distinctæ, Reges & Reginas exornare solent? minimè verò; quia ipsum caput Reginæ cœlorum stellas exornabat: sic enim Divus Bernardus ait *Dignum planè stellis ornari caput, quod & ipsis longè clarius micans, ornet potiùs quàm ornetur ab ipsis.* Si Beatissima Virgo Maria luminarium cœli ornamentum fuit; quantum fuisse Beatæ Annæ censenda est, dum in utero ejus habitaret?

Apocal. 12. v. 1.

D. Bern. Serm. sup. Sig. Magn.

Apothteg. lib. 6.

Chrysippus.

III. Fœcunditatem tam virorum quam mulierum multùm à Judæis æstimatam fuisse, patet ex illo loco Oseæ Prophetæ dicentis, *Ephraim quasi avis evolavit, gloria eorũ à partu, & ab utero, & à conceptu*, quasi dicere voluisset. Hæc gens mea, nullâ aliâ gloriâ præfulget, quã quod filios gignat atq; parturiat. Unde & Abulensis idẽ affirmat dicens. *Totũ bonũ eorum est in concipiendo & pariendo, & habendo in utero filios.* Imò quod majus est, non attendebant ad differentiam prolis suæ, nempe quod unus ex filiis malus alter vero bonus exiterit, sed de utroq; filiorũ genere gloriabantur æqualiter, non enim prolis qualitas, sed lumborũ fœcunditas ipsos efficiebat glorioso. Nihilominus cũ mali partus, qui à virtute suorum progenitorũ degenerant, gloriam eorũ obfuscare, boni verò suos parentes glorioso efficere soleant: quantũ igitur honorẽ partus Beatissimæ Virginis, Sanctæ Annæ matri suæ adferre debuit, quæ Angelis purior extitit, & in matrem Dei, Reginamque universi electa fuit? Diceret aliquis. Cum Hebræorũ gloria in multitudine prolis sita fuerit, qua

Oseæ 9.

Abulen. in lib. 2. Reg.

1. Reg. 2. v. 21.

rit, quâ ratione Sancta Anna, quæ non nisi unicam petit filiam, gloriosa censenda erit?

IV. Similem facit quæstionem Abulensis, expendens illa verba Annæ matris Samuelis Prophetæ, dum gratias agens Domino Deo pro filio sibi dato diceret. *Sterilis peperit plurimos.* Hæc verba tunc protulerat, dum post emissum votum suum unigenitum suum Samuelem Domino Deo in templo obtulisset, ubi dicit Abulensis. *Quando ista dixit, erat in Silo offerens filium suum Samuelem Domino, & tunc nullum alium pepererat.* Quomodo igitur tunc non nisi unicum habens filium, gloriabatur se Plurimos peperisse? Sed pulchrè idem Doctor respondet dicens. Plurimos se peperisse dixit, eò quod sanctum quendam magnumq; Dei servum pepererat, qui aliorum hominum tot millibus æqui parari potuit; nam Sanctus Chrysostomus ait *Dei servum myriadum instar esse.* Majori ratione de sanctissima Virgine Dei para, Sanctæ Annæ filia dici potest, genuit quidem unam tantum sed talem quę pro millibus computatur, unde licet aliæ matres Hebræarum in fæcunditate & pluralitate suæ prolis glorientur, nihilominus unicæ filiæ Sanctæ Annę palmam dare debent dicentes *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu super gressa es universas.*

Abulensis ibidem.

Chrysost. Hom. 27. in Gen.

V. Aliam rationem non minus pulchram suggerit idem Abulensis: licet enim, ait ille; *Femina illa putabant se feliciores, cum pariebant multos filios*: nihilominus sciendum est, Dei matrem, pretiosam quandam fuisse margaritam, ideoque aliter non potuisse fieri, quin unigenita esset matris suæ. Conchilium unicam solum margaritam producit, quæ proinde Unio Latinis nuncupatur. Verum tamen tametsi S. Anna non nisi unicam mundo filiam produxit, hæc tamen filia centenis & millenis, infinitisque aliis filiis & filiabus, longè prævaluit. Hinc Sanctus Bernardus laudans divam Annam ob partum sanctissimę Virginis Mariæ, ita ait: *Felix Silva quæ producit hujus floris virgam*, id est, quę Beatam Virginem produxit, quæ veluti virga Paradisi, suavissimum florem nempe Christū Dominum nostrum, felicissimo partu in lucem edidit. Quod si Divina Anna, filiā quandam peperisset, quæ non nisi uni soli æquivaluisset, hoc silvæ nomen valde inconcinnè & ineptè illi impositum fuisset. Silva enim ut silva sit, multas habeat virgas & arbores necessum est. In tantum igitur S. Anna silva dicitur, in quātùm unam virgam seu plantam produxit, quæ innumeris virginibus, quin cunctis hominibus & Angelis longè antecellit. Quàm benè protulit Ecclesiasticus. *Radix sapientiæ est timere Dominum* tu enim ô beata mater, quia fuisti mulier timens Deum, è radice tua talem virgam protulisti, cuius fructum dulcissimum non solum tu degustas in cœlis; sed & nos post hanc vitam nostram, per Christi merita, tuamque intercessionem expectamus in Domino.

S. Bernard. apud D. Bonav. in spec.

Eccles. 1. v. 25.

AMEN.

IN FESTO S. ANNÆ
glorioſæ matris B. V. M

CONCIO IV.

Simile eſt Regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Matth 13.

NOn ſcirem Auditores, utrum hæc hodierna tã ſolemnis commemoratio Sanctæ Annæ, quæ in Eccleſia Sancta Chriſtiana recolitur, ſit neceſſaria, & non potius ſuperflua videatur. Cum enim Sancta Anna ante adventum Chriſti vixerit, ſicuti cæteri Patriarchæ, aliique Chriſti progenitores, potius etiam illius memoria inter Sanctos veteris & nõ novi teſtamenti numeranda videretur. Sed ſciendum nobis eſt, quod licet S. Anna, ante Chriſtum in hoc mundo, ſicuti & alii Chriſti Proavi vixerit, quia tamẽ Chriſtum cognovit & vidit, quod aliis conceſſum fuiſſe minimè legitur, ideo dignum eſt, quod inter Sanctos Novi Teſtamenti reponatur, ſummisque honoribus celebretur. De ipſa n. dicitur, quod octo poſt Chriſti nativitatem menſibus vixerit, atque illud temporis ſpatium, verbum incarnatum non ſolùm viderit, verùm etiam tetigerit, amplexata & oſculata fuerit, & adoraverit. Sanè non ſine cauſa Eccleſia Chriſtiana in picturis eius, divinum inter ipſam & filiam ſuam infantem collocare conſuevit, quia ut ait modernus quidam autor Dorlandus Carthuſianus dicens de S. Anna. *Filium Dei ex filia ſua incarnatum agnoſcere, amplecti atque adorare meruit.* Itaque mater noſtra Sancta Eccleſia, idcirco ejus recolit memoriam, quia ad Novum Teſtamentum pertinet, quæ Chriſtum Dominum ejuſdem conditorem præſentem agnovit mundi Redemptorem, quia imò non ſolùm in Calendariis noſtris numeratur, ſed etiam negotiatoribus Evangelicis adnumerata eſt in hodierno Evangelio, in quo ideo invento theſauro in agro, nec non pretioſę margaritæ comparatur, quia ex ipſius partu, totus mundus Chriſtianus, invenit in agro ſuo theſauro abſconditũ, nec non in concha uteri ſui margaritam pretioſam; ſanctiſſimam in quam Virginem Mariam, benedictam ſuam filiam & patronam noſtram. Unde (prout æquum eſt) de laudibus Sanctæ Annæ, matris præclariſſimæ, aliquid in hac Concione audiemus.

Dorlandus Carthuſ.

I. Tradunt antiqui & graviſſimi Patres Eccleſiæ Sanctæ, uti eſt Hippolitus Martyr, Apoſtolorum diſcipulus, quem refert Nicephorus in Hiſtoria Eccleſiaſtica, cæteriq; plurimi Joachim, & Annam, nobiliſſimos filios David, Mariæ fuiſſe parentes. Jam verò cujus ambo, vitæ morumque fuerint, de hac re teſtantur Divus Auguſtinus, Gregorius Nyſſenus, & Hieronymus, quod ambo fuerint nobiliſſimi & ſanctiſſimi, & per viginti annos prolem caruerint, quia Anna erat ſterilis, & ideo à ſacerdote deſpecti: orationibus nihilominus, jejuniis, & Eleemoſynis intenti rem totam cum plenitudine ſpei ſuæ Domino cõmendarunt, neq; à ſuo deſiderio defraudati, ſunt quia apparens ipſis Angelus, ortum talis filiæ nunciavit, quæ toti mundo gaudium eſſet allaturæ. Sed quodnam gaudium? Conijcimus ex antiquo teſtamento, quod Deus ingens illud beneficium Abraæ & Davidi promiſerit, licet à longè, nempè futuros eſſe Meſſiæ, ſivè Chriſti Domini & Salvatoris noſtri progenitores: & id non obſcurè patet ex verbis Nathan Prophetæ ad David dicentis taliter. *Si parva ſunt iſta, adjiciam tibi multò majora*; arguebat ibi Deus per os Prophetæ Regem David de homicidio Uriæ, ſimulque de adulterio cum uxore ejuſdem perpetrato, eiquè exprobrabat, tot beneficia ſibi præſtita: dicendo autem, *Si parva ſunt iſta, adiiciam tibi multò maiora*; ea quidem inſinuavit, ſilentio tamen illa præteriit. Sed quænam illa? Certè quod Chriſtus ei promiſſus ſit ex ejus ſemine naſciturus. Sed cur id Vates non pronun-

Hippol. apud Niceph.

Auguſt. lib 13. contra Manich. Nyſſenus Hieron.

2. Reg. 12. v. 8.

pronunciavit? Ne David obrutus tanto beneficio desperaret, cui ingratus extiterat, dum peccavit: immensum enim beneficium illud erat, & quod humanas vires longè superabat: quâ ratione Abraam cum audivit sibi dici à Domino. *Sarai uxorem tuam, non vocabis Sarai; sed Saram, & benedicam ei & ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum,* tunc audito ille hoc promisso, cecidit in faciem suam pronus in terram, non solum gratias acturus; sed quasi pondus beneficii tanti ferre non sustinens. Eadem ratione putat D. Hieronymus flevisse Ezechiam fletu maximo, cum ei nunciata mors à Propheta fuit, non propter mortem, sed propter promissionem Domini ad David, quam videbat in sua morte perituram. Eo enim tempore Ezechias filios non habebat, nam post mortem ejus Manasses, cum duodecim esset annorum, regnare cœpit, ex quo perspicuum est post tertium annum concessæ vitæ, Manassen esse generatum, unde causa sui fletus ista fuerat, quod desperaverit Christum de suo semine nasciturum. Si ergo Abraã magni æstimaverit, se esse Christi parentem quamvis à longe, unde præ admiratione tanti doni in terram cecidit, Si Ezechias Rex ob id quod in se promissum illud cõplendum non videbat, flebat amarissimè, quantũ è contra erat gaudium Sanctæ Annæ, quæ in consortium generationis & parentelæ Christi Domini admissa fuit, cujus non solum avia, ut reliquę mulieres nepotum suorum, sed multo majori dignitatis sceptrum tenuit: qui enim nepos est alterius, hic alter non adeo suus dici potest, quia licet sit filius suæ filiæ, non tamen illius solum, quia alium habens parentem; at vero Christus filius Mariæ Virginis, ut homo, est sine patre, & ideo cum solius virginis filius sit, magis ad Divam Annam pertinebit, quam alii nepotes ad avias suas pertineant.

Gen. 17. vers. 15.

Isaiæ 28. vers. 3.

4. Reg. 21.

S. Hieron. ibidem.

II. Notum est vobis Auditores, quod omnis res quo est propinquior suo principio, eò magis suũ esse participat, quo quis est igni propinquior, eò est calidior, quo soli eo lucidior; eodem ergo modo, quo Christo Domino est quis propinquior, magis etiam gratias & dona illius participat. Attendite nunc Sanctam Annam quam sit propinqua Christo Domino, Sanctissima Virgo Maria, illa penes filium suum merito collocatur, unde summâ quoque gratia exornata, illa enim est ad similitudinem arcæ veteris testamenti, in quâ loco mannæ, Decalogi & virgæ Aaronis, ipse Deus inhabitavit. At de Sancta Anna quid dicemus? Illud quod sit Sanctum Sanctorum, in cujus utero Arca Novi testamenti nempe Beatissima Virgo Maria fuit reposita. Si ergo Sanctum Sanctorum, quod olim Arcæ præparatum erat, tanta fulsit gloria atque divitiis, locum hunc alterius nempè novæ Arcę, quę Christum portare debuerat, quot quantisque gratiis exornatum putabimus? Solent avię nepotes suos nimium diligere, quia communicatio illa remote perfectionem quandam importare videtur, dum vident memoriam generationis suę in ipsis conservari, quomodo igitur Sancta Anna, nepotem suum Christum Jesum non magis diligere debuit, in quo non tantum vitam suam temporalem, sed æternam quoque perennari vidit? Porrò autem, cum ipsemet dicat Proverbiorum 8. cap. *Ego diligentes me diligo;* quomodo rursus talis nepos aviam suam non diligeret? Sed convertamus nos à Christo ad Mariam matrem suam. Quod hæc Divæ Annæ matri suæ prorsus similis fuerit, id hac ratione persuadere existimo. Aristoteles ait de patribus & matribus loquens. *Qui ex ipsis oriuntur, sunt quasi alteri ipsi dum separati sunt.* Unde & B. Thomas à Villa nova, sermone de nativitate B. V. Mariæ, simile quid protulit dicens. *Parentes transfundunt in filios, non solum proprietates & passiones, sed figuram, colorem, & formam.* Quin imo S. Chrysostomus Homilia 45. in Matthæum ait, *Monstrosum quid esse, & naturæ prorsus repugnans, si partus parentum suorum, dissimiles ipsis redderentur.* De vultu Beatissimæ V. Mariæ referunt Sancti & antiqui Patres Ecclesiæ, quod tam pulcher tam formosus fuerit, ut ipsos Angelos in admirationem raperet dicentes. *Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* At cum Sanctissima virgo, filia fuerit Sanctæ Annæ; quam illa pulchritudinem habuit, ejusdem & sancta mater sua consors erit.

Exod. 25. vers. 21.

Exod. 26. vers. 34.

Prov. 8. vers. 17.

Arist. lib. 8. c. 11. ad Nomach.

S. Thomas à Villa nova.

S. Chrysost.

Cant. 6. vers. 9.

III. Dicite rationem Auditores mei cur Sancta Anna tanto tempore sterilis permanserit, totq; annis, donec Beatam pareret Virginem expectavit? Ego hanc putarem, quia cum

fœtes

fœtus edendus, excellentissimus futurus esse debuerit atq; stupendus, longissimo tempore illi opus erat, *magna enim, multo egent tempore donec perficiantur.* De Elephantibus scribunt naturales, quod multis annis opus habeant, donec partum edant, idque ob magnam molem fœtus quos eniti debent: hinc proverbium à Latinis usurpatum. *Citiùs Elephantes pariunt.* Cum igitur Sancta Anna admirabilem magnæ Dei matris partum in lucem, seu ut melius dicam ad lucem mundo inferendam edere debuerit, non est mirum, ipsam ad id multis annis opus habuisse. Et sicut magnitudo partus, matris magnitudinem clare demonstrat. *Nam partus sequitur ventrem.* Ita quoque magnitudo Deiparæ Virginis Mariæ, Sanctæ Annæ matris suæ magnitudinem efficaciter declarat, magnitudinem inquam spiritualem non corporalem, idest dignitatis suæ & summæ gloriæ.

Plinius de Animal.

IV. De Beatissimâ Virgine Maria canit Sancta Ecclesia. *Quem cœli capere non poterant tuo gremio contulisti.* Hincque & nos novimus Sanctissimam Deiparam, eum quem tellus, pontus, æthera capere nequeunt, in utero suo virgineo claudere potuisse. Eodem modo scimus Sanctam Annam in casto utero suo Beatissimam virginem recluisse, eam inquam quæ portavit talem, quem cœli non capiunt: qualis ergo inprimis, & quanta erit magnitudo Beatæ Deiparæ, eum quem cœli non capiunt, quem totum universum claudere non potest, capientis? Qualis deinde & quanta esse debuit S. Annæ magnitudo, capientis eam, quæ utero suo eum claudere poterat, quem cœli non capiunt? Quod si manus illa ad miraculum usque magna censetur, quæ id quod ingens aliquod vastumq; templum recipere nequit, facile complectitur, quantæ capacitatis esse debet, manum illam ambiens & contegens chirotheca? Rara prorsus, nova, atq; stupenda dignitatis est magnitudo, quâ S. Anna emicuit, quia post sanctissimam suam filiam, nulla major reperiri potest.

In Officio Roman.

V. Non sine ratione paulò superius Divam Annam symbolo Elephantis comparavi, quia etiam in hoc mihi sacer textus suffragatur dicens. *Collum tuum sicut turris eburnea.* Per collum hic divinus sponsus Beatam Virginem intelligit, ipsa namque verum est Ecclesiæ collum: quia sicut membra corporis, capiti non nisi per collum jungi possunt, ita nec nos cum Deo conjungi aut pacificari possumus, nisi ipsius potentissimâ intercessione mediante. Hinc Hugo Cardinalis ait. *Collum quod caput membris, sive corpori cõjungit, Beata Virgo est.* Præterea sicut collum, altior est pars corporis post caput: ita B. V. Maria post ipsum Deum qui caput est, altius est membrum Ecclesiæ Sanctæ. Præterea sicuti collum ad omnem partem caput inclinare solet: ita piæntissima Virgo Maria adeo est erga nos compatiens, & flexibilis, adeo clemens, & benigna, ut ipsum quoque Deum ad exaudiendum preces nostras, intercessione sua inclinet & inflectat. Quia vero collum hoc eburneum est. *Collum tuum sicut turris eburnea.* Ebur autem ab ipso Elephante nascitur, dicendum est Sanctam Annam in hoc symbolo Elephantis, maximam promeruisse laudem, quæ hujus eburnei colli causa extitit, nempe Beatissimæ Virginis Mariæ matris Dei, quæ capiti nostro Christo Jesu manens proxima, ipsum inflectit ad miserendum nobis. Sis igitur benedicta ô sancta mater & una cum filia tua gloriosa intercede pro nobis ad Dominum Jesum Christum,

Amen.

Cant. 7.

Hugo Card. in Can.

IN FESTO PORTIUNCULÆ,

CONCIO I.

Festinans descendit, & excepit illum gaudens.
Luc. 19. Vers. 1.

REfert Plutarchus de Alexandro Magno: quod dum Philippus Pater suus Rex Macedoniæ ludū Olympicum instituisset, illumque invitaret ad concurrendum cum aliis, respondisse; *libenter facerem, si haberem mihi parem.* At ego invenio mihi parem, cum quo Sanctus Pater Franciscus possit concurrere, & iste est Zachæus, cui si Divum Patrem comparavero, in omnibus similem inveniam. Inprimis Zachæus, erat parvæ staturæ: Sanctus Franciscus erat Fundator pusilli gregis, unde etiam Ecclesiam suam portiunculam appellavit. Zachæus ut videret Christum Dominum ascendit in arborem, sed sicomorum, id est, nullos fructus habentem: Sancto Francisco non erat necesse arborem conscendere; quia descendit ad ipsum arbor vitæ crucis Dominicæ, eique quinque fructus vulnerum Christi Jesu per Seraphinum præsentavit. Zachæum permiserat Dominus, ut descenderet, quod in domo sua manere vellet. Idem Dominus amplius Sanctum Franciscum honoravit, ipsemet enim præivit cum Sanctissima Maria matre sua, cæterisque Sanctis domum suam, quam cum præsētia sua adornasset, tum deinde S. Franciscum ut se conveniret, invitavit. Mirabilem hujus rei historiam audite. Sāctus Franciscus, primis Ordinis sui Seraphici fundamentis feliciter jactis, ipse inhabitabat habitaculum quoddam, prope ædiculam Sanctæ Mariæ dictæ Angelorum, propter frequentiam illorum, quæ à multis, & præcipuè à Sancto Patre visebatur: dum ergo in eadem quadam vice orationibus insisteret; ecce tibi velox venit nucius, illam Ecclesiam cœlesti gloriâ & majestate plenam esse: sicut ergo Zachæus *festinans descendit & excepit illum gaudens*: Sic & Sanctus Pater Franciscus properans ad dictum locum, videt in ipso Christum Jesum, cum matre sua Maria, nec non amplissimâ cœlorum curiâ Sanctus Franciscus excepit gaudens tantos hospites: Jesus dat optionem servo suo, ut peteret quidquid vellet; ille petiit, ut quicunque hanc sacram ædem confessus, & contritus visitaverit plenam remissionem peccatorum assequatur. Christus annuit; Honorius Tertius summus Pontifex ut id semel in anno, in omnibus sui Ordinis Ecclesiis fieret, confirmavit. O summa ô admirabilis prædicāda gratia servo suo collocata. Sed unde venit? Hujus rei rationes proferam una cum documentis salutaribus.

Plutarchus.

I. Cur Christus Dominus apparens in illa sacrâ ęde Sanctorum suorum Angelorum tanto honore Sanctum Franciscum exceperit, unam rationem dare possum, comparando ipsum cum Zachæo. Quando Christus Jesus ad domum Zachæi venit, nunciavit illi remissionem omnium peccatorum dicēs. *Salus huic domui facta est.* Idem Christus Sancto Francisco fecit: nam in ipsius præsentia, omnibus illis veniam peccatorum pronunciavit, qui eorundem egissent pœnitentiam. Jam si rationem petatis; cur ita beneficus extiterit in Zachæum! & tam salutari suæ divinæ grætiæ jaculo tetigerit? Causa erit in promptu, quàm primum etenim Christum recepit in domum suam, testamentum tale fecit? *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si aliquem défraudavi, reddo quadruplum.* Sanctus Franciscus quā primùm evocatus à Christo è taberna mercatoriâ, eundem receperat in domum cordis sui, legato suo superavit Zachæum. Cui enim darer quadruplum non habuit; quia neminem defraudavit: quod autem concernit pauperes, eis dedit non dimidium

Luca. 19. vers. 9.

midium, sed totum quod haheat; quin imò dum coram Episcopo Assinate accusaretur à patre suo quasi prodigus, rerumque paternarum dilapidator, tunicam quam habuit projecit eidem, totique paternæ substantiæ hilariter renuntiavit. Si ergo Zachæo data est à Christo venia & gratia, majori jure Sancto Francisco tanto amatori paupertatis, ostensa fuit cœlestis gloria Christi Domini, & totius cœlestis curiæ, nec non in eadem æde, omnium venia peccatorum promulgato.

II. Legimus de magnifico, & splendido, & quasi arte divinâ alaborato Sapientissimi Regis Salomonis templo, quod auro vestivit, cæterisq; pretiosis rebus exornavit, qualiter dnm aspexisset in eodem gloriam Dei, dicente sacro textu; *Impleverat gloria Domini, domũ Domini*; [tanta enim nebula implevit domum Domini, ut propter illam non potuerint Sacerdotes stare & ministrare] tunc Rex Salomõ summa admiratione actus, ait: *Ergone putandum est quod vere Dominus habitet super terram? Si enim cœlum, & cœli cœlorum te capere non possunt, quantò magis domus hæc quam ædificavi?* Qualis fuerit domus Domini, quam Salomon ædificaverat patet, ex capite 6. Regum libri tertii, in quo enarratur ædificatam fuisse septem annis. Nec hoc miremini; videretur enim fuisse tempus illud non adeo magnum: cum uti habetur libro eodem cap. 6. domum suam ædificaverit annis tredecim: Sed illud est admiratione dignum, quod cum eorum qui portabant onera, fuerint septuaginta millia virorum, latomorum octuaginta millia, præpositorum qui præerant operibus, tria millia & trecenti; quantus exercitus? tamen tam operosi opificesque numerosi, antequam illam domum Domini perfecerunt, septẽ annis indigebant. Hinc apparet capacẽ fuisse multorũ hominũ domum Domini & valdè pretiosã. Si ergo Rex Salomon quasi non fidens suo operi, ita se extenuat corã Deo; quomodo S. Franciscus non amplius se extenuabat & humiliabat coram Christo Domino, quod illam parvam ædiculam, omnibus Salomonis Regis destitutam ornamentis, visitare, suâque implere gloria dignatus fuerit? Quidnam placuerit Domino Deo in ædificatio Salomonis, illud erat, quod prius fecerit domum Domini quam suam. Unde ille honor sibi ab illo præstitus, tam multũm placuit, ut illam domum invisere dignatus fuerit. Idem & ego dicam de S. Francisco, cujus ædiculam sacram ideo invisere atque gloriâ Majestatis suæ replete dignatus fuit, quia templa Domini in summa [quoad vixit] habet reverentiâ, eaque palatiis Regum præferebat, quanti igitur Dominus Deus æstimavetit honorẽm domus suæ, ex sequentibus conceptibus vobis manifestum erit.

3. Reg. 6. v. 6. 7. 8. 9.

3. Reg. 6.

III. Locus ille Apocal. 21. ubi ait S. Joannes, *Vidi Sanctam Civitatem Ierusalem novam descendentem de cœlo à Deo, sicut sponsam ornatam viro suo*; intelligitur de domo Domini, seu de sacro templo, in quo Majestas ejus colitur & adoratur. Jam nunc si me interrogaretis, cur talem domum Domini, sub formâ sponsæ repræsentavit Deus Sancto Apostolo? ego taliter respondebo. Quando Joseph tentabatur ab uxore Domini sui, Putipharis, ut ad peccandum cum illa consentiret, scitisne quonam modo illi responderit? ita dixit: *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua, nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es, quomodo ergo possum hoc malum facere?* Optimè sanè respondit. Aliquis habens uxorem, & alia ex parte habens amicum, omnia illi quæ habet communicat, dat illi liberum accessum ad omnia, sed si videret quod inhonestè se haberet ad uxorem suam, numquid non celaret honorem ejus, ne illam coram aliis honestis hominibus in famem reddat? Idem ergo dicendum est de Domino Deo Christus Jesus manens inter Hebræos, multa peccata dissimulabat quæ ipsi committebant: sed quando semel intravit in templum Domini, ibique invenit vendentes oves & boves & columbas & numularios sedentes, ô Deus, quomodo excanduit, flagello facto de funiculis omnes ejecit de templo. Videntes hoc discipuli, tum primùm recordati sunt illius Sacræ Scripturæ, Psal. 68. *Zelus domus tuæ comedit me*: templum Domini sponsa est Christi Jesu. Itaq; non sine ratione Judæis offensus erat, quia zelabat honorem ejus. Pulchre describit S. Vincentius Ferrerius, dicens: *Non legitur quod Christus unquam propriis manibus peccata correxerit nisi hic; quia fecit flagellum de funiculis. Hinc apparet quantùm displiceat ipsi si quis tangit Ecclesiam sponsam suam.*

Apocal. 21. vers. 2.

Gen. 39. vers. 8.

Ioan. 2. vers. 14.

Psal. 68. vers. 10.

S. Vincent. serm. 3 Dom. Invocavit.

IV. Hinc

IV. Hinc sequitur quantùm ille Domino Deo displicet, qui veniens ad templum causâ orationis, invicem garriunt, nec aliquâ domo Dei exhibent reverentiam. Josue Dux exercitus Israelitici pergens ad versus urbem Jericho, constitit in quodam loco campestri cum exercitu, non procul ab Jericho, tunc quid fit? Sic ait sacer textus: *Cum esset Josue in agro urbis Iericho, levavit oculos & vidit virum stantem contra se, evaginatum tenentem gladium* Josue tanquam vir bellator, vel putans è suis aliquem esse, vel quempiam ex parte inimicorum, certè non refugit, sed quis nam sit, & quid velit audacter interrogat, dicens: *Noster es, an adversarius! respondit ille, nequaquam, sed sum Princeps Exercitus Domini.* Josue dicit. Quid Dominus loquitur? *Solve inquit calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, sanctus est*; in quo hic erravit Josue, quod ipsum corripuerit Angelus Domini, vel cur ipsum solvere calceamenta jusserit? Magister Scholasticæ Historiæ scribens in hunc Sacræ scripturæ locum, sic respondet: *Qualibet Ecclesia quasi est parvulus paradisus.* Nostri primi parentes nudis pedibus in paradiso incedebant, in signum innocentiæ, eadem ergo debetur sacris templis, quæ consistit in hoc ut illis debitam exhibeamus omnem reverentiam & honorem.

Josue 5. v. 13.

ibidem v. 14

Magister schol. ibid.

V. Parum est quod templa Dei paradiso terrestri comparavi, cum ipsimet cœlesti paradiso comparari possint. Ego solus id non dico, sed id ait s. Germanus Constantinopolitanus Patriarcha, nempè domum Dei, aut sacrum templum esse quoddam cœlum terrestre, quia in illo Deus, non secus ac in ipso cœlo morari videtur. Verba sunt s. Patriarchæ: *Ecclesia est terrenum cœlum, in quo supercœlestis Deus inhabitat & inambulat.* si nullum aliud esset argumentum, sufficiet pro testimonio nostra Portiuncula, sive Ecclesia s. Mariæ Angelorum; nunquid non audistis, ad illam Christum Jesum venisse, & in illa cum Beata Virgine Matre suâ, nec non magno numero Angelorum sancto-cumque cœlestium comitatu stipatum & cum Francisco servo suo dulciter fuisse conversatum? hinc ergo patet templa Dei non sine ratione cœlis comparari. Quod cum ita sit, videant illi qui in domo Dei loco orationum levitatibus, nugis cæteris; ineptis rebus se occupant. Si enim quævis Ecclesia cælum quoddam est, utique peccata in eadem commissa non aliter æstimanda venient, quam si in ipso cœlo commissa fuissent, possuntque tales Lucifero comparari qui in cœlo peccare non erubuit, imò quod ipsum excedant in malitia, patebit hoc exemplo. Domus illæ Hebræorum, quas exterminator Angelus (qui domibus Ægyptiorum stragem intulerat) ingredi non poterat, ut eis noceret; figuræ fuerunt Ecclesiarum Sanctarum, quæ à nobis frequentantur. Sicuti enim illæ sanguine tinctæ erant agni, ita quoque domus Dei tinctæ sunt sanguine, sed multò nobiliori, nempe sanguine Agni immaculati, qui est Christus Jesus, juxta illud Psal. 45. *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*: qui terminus significavit apud s. Bernardum, id est, sonat ac si diceret; *Sanguine tinxit.* si etgo domos Judæorum sanguine tinctas non ausus fuit Angelus ille exterminator nempè Dæmon ingredi, quomodo impii homines templa Dei sanguine Christi tincta, temerè ingredi & peccatis suis prophanare non verentur? Ad id enim erecta sunt, ut in illis Deum Sanctosque ejus laudemus, misericordiam ejus invocemus, eumque humillimè oremus, quatenus nobis in hoc templo peccatorum nostrorum indulgentiam s. Patri Francisco promissam largiri, nosque post hanc vitam ad æternam beatitudinem producere dignetur.

Exodi 12. v. 29.

Psal. 45. v. 5.

s. Bernard. serm. 56.

s. Germanus rerum Eccl. Theol. 1.

AMEN.

IN FESTO PORtiunculæ,

CONCIO II.

Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.
Gen. 28. v. 16.

CUm juxta sententiam Sancti Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici, nec non fidem orthodoxam Sanctæ Ecclesiæ, Deus sit ubique per essentiam, præsentiam, & potentiam, miror Sanctum Jacobum Patriarcham talia verba protulisse: *Verè Dominus est in loco isto.* Sacer textus ait, Sanctum Patriarcham hæc locutum fuisse postquam evigilavit è somno. Ego autem opinor hæc ipsum adhuc in somno pronunciasse: videbatur enim uno exiguo loci spatio (in quo viderat visionem scalæ & Angelorum ascendentium & descendentium per illam, Majestatem divinam circumscribere. At verò quem non potuit capere templum illud magnificum & spatiosum Salomonis, imò ille quem totus non capit orbis, angusto loci spatio concludetur? quomodo igitur Sanctus Jacob dicere poterat: *Verè Dominus est in loco isto*: Sed pulchrè respondet Sanctus Augustinus, dicens: *Est hic demonstratio Domini, non enim Dominus in loco est.* Quibus verbis sanctus Doctor videtur excusare Sanctum Jacobum Patriarcham, quod non dixerit Dominum in illo loco fuisse circumscriptivè, sed demonstrativè tantùm, sicut index horologii demonstrat horã diei duodecimam: si ergo licuit dicere Sancto Patriarchæ, *verè Dominus est in loco isto*; ob eam rationem, quia in loco illo apparuit Dominus magnâ catervâ Angelorũ circumcinctus, eiq; multa beneficia sedaturũ pollicitus fuit, quãtò magis hodiernâ die licebit dicere, de loco illo in quo Sanctus Pater Franciscus erexit lapidem in titulum, sive ædificavit Ecclesiam Sanctæ Mariæ Angelorum, seu portiunculæ nominatam; *Verè Dominus est in loco isto.* Si quidem Christus Dominus excellentiori modo Sancto Francisco, quam olim Jacob Patriarchæ apparuerit, eique non temporalia, sed spiritualia bona permiserit, quæ non solum illi tantum Ecclesiæ collata sunt, sed omnibus quoque aliis Ordinis hujus Seraphici communicata sunt & concessa, quorum ego donorum excellentiam hac in Concione vobis demonstrabo.

Gen. 28. v. 16.

S. August.

I. Quid priùs demirer in potentissimo Rege Asuero, nempè an munificentiam, an verò bonitatem, ignoro; nam uti legimus Esther capite 5. Cum eadem Regina intrasset ad regem qui sedebat super solium, Rex ad eam dixit. *Quid vis Esther Regina? quæ est petitio tua? etiamsi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi.* Duo hic considerationè digna invenio. Primò; Reginam Esther intrasse palatium Regis contra legem latam à Rege, quâ vetabatur, ne quispiam sive vir, sive mulier, non vocatus interius atrium Regis intrare audeat, idque sub pœnâ mortis, nisi forte Rex auream virgam suam in signum clementiæ super eum extenderet. Regis Asveri majestas, & authoritas magna fuit, qui neminem non vocatum accedere ad se permittebat. Sed omnipotentis Regis Majestas, sicuti usquè nunc magna est, sic & ab antiquo magna semper erat & inaccessibilis Pater id Exodi. cap. 50. Quando Dominus in summitate montis Sinai servo suo Moysi, & Duci Israelis verba legis tradebat. Primum, lege cavit, ne quispiam in montem ascenderet, unde per Moysen proclamari jussit: *Cavete ne ascendatis in montem, ne tangatis fines illius, omnis qui tetigerit montem, morte morietur:* dum autem ventum erat ad ipsa verba legis tanto terrore populus afficiebatur, ut præter unicum Moysen cuncti alii timore exterriti dice

Esther 5. v. 3.

Exodi 19. v. 12.

ti dicerent Moysi: *Loquere tu nobis & audiemus & non loquatur nobis Dominus.* Nec quod
Exod. 20. v. 19. à Deo fiebat, nec quæ dicebantur ab illo, etiam à longè positi Israelitæ, ea audire, vel videre volebant: postquam verò Deus assumpsit carnem, factus est ita facilis & humanus, ut cujus antea sonitus buccinæ erat terribilis, nunc factus est cunctis accessibilis
Hebr. 12. v. 22. juxtà illud Sancti Pauli ad Hebræos: *Accessistis ad Sion montem & civitatem Dei viventis, Ierusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam.* Secundum, in Assvero Rege admirandum fuit, quod tam liberalem conditionem Reginæ Esther proposuerit, dicens: *Etiamsi dimidiam patrem regni petierit, dabitur tibi*: in utroquè ergo Regina Esther poterat gloriari, & in majestate Assveri Regis sibi accessibili, & in liberalitate ejus incredibili. At dum ego recogito illud præclarissimum facinus quod in sacra illa æde à Divo Patre Francisco constructa contigerat, nempè qualiter Christus Jesu cum Sanctissima matre sua & multitudine Angelorum illam invisere, & Sancto Patri Francisco ut peteret quidquid vellet optionem dare dignatus fuerit: hic jam non solum in humanitate, quam sibi Dominus exhibuit, sed etiam in liberalitate, quâ nulli ostensurum sponsondit, multò feliciorem Reginâ Esther invenio.

II. Sancte Pater Francisce, nactus es bonam occasionem petendi à Christo, quidquid velis, quid igitur postulabis? Rex Salomon, quando templi illius sumptuosi dedicationem solennem unà cum populo suo celebravit, inter multa alia proposuit, sibi sapientiam eamque sibi dari postulavit. Forte & Sanctus Franciscus eandem à Christo petiit? Minimè verò, quia de numero eorum esse volebat, de quibus Christus ait: *Confiteor tibi Domine Pater cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Unus à tribus cubicularis Regis Darii Zorobabel, collaudatus ab
Matt. 11. v. 25. omnibus, quod veritati egregium dederit testimonium, illamque vino, fortitudine, nec non mulieribus fortiorem probaverit, audivit sibi à Rege dici: *Pete si quid vis amplius, quam quæ scripta sunt, & dabo tibi.* Ille petiit
3. Esdr. 4. v. 46. à Rege, dicens: *Quod postulo Domine, & quod peto, hoc est majestas à te, postulo ut facias votum, quod vovisti Regi cœli ex ore tuo.* Votum Regis Darii illud fuit, ut redderet omnia vasa aurea, & argentea quæ è templo Jerusalem Rex Cyrus abstulerat, & ut idem templum reædificaret. Ea ergo postulavit: Fortè & Sanctus Franciscus petiit sacræ illius domus quam Portiunculam nominavit, majorem portionem, nempè aurum, argentum, aliaq; id genus, ad illam erigendam necessaria? Minimè verò, quia pauperras quam Christus aprimè collaudavit, dominium suum fuit. Quid igitur petierit? attendite.

III. Cum Sanctus Pater Franciscus totus addictus fuisset voluntariæ paupertati, cujus amore omnem hæreditatem suam, quin & ultimam tunicam quâ vestitus erat, patri suo resignavit, atque adhibitis sibi duodecim sociis Ordinem Minorum instituisset, eumquè Authoritate Apostolica approbatum habuisset, tandem multis locis peragratis, invenit quendam locum prope Assisium, in quo extructa ædicula in honorem Dei; cui præfixit titulum Sanctæ Mariæ Angelorum, aut ob virtutum humilitatis portiunculæ; ad illud alludens quod dixerat Sanctus David; *Portio mea sit in terra viventium*: multis precibus Christum Jesum, ejusque Matrem Sanctissimam rogavit, ut illam Ecclesiam aliquo amoris sui dono insigniret, Christus Jesus qui omnibus est liberalis, petitionem Sancti Patris non repudiavit. Quin imò ille qui dixit
Psal. 144. v. 18. per Spiritum Sanctum; *Prope est Dominus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate*; Petitionem quoque Sancti Patris acceptavit, quâ instituit, ut omnibus, Ecclesiam illam introeuntibus, atque sua peccata confitentibus, omnium suorum peccatorum veniam & indulgentiam elargiri dignaretur. O petitio in audita & omnibus longius extollenda si pro se ipso facta fuisset! Sed adhuc transiret: quia ille publicanus pœnitens
Luc. 18. v. 13. dixerat; *Deus propitius esto mihi peccatori*: Sed pro omnibus petere, omniumque peccatorum agere mediatorem, quanta Francisci audacia fuerit quis illam dignis laudibus celebrabit? Sed quid Christus? Nunquid olim Elias Propheta Elizæo: *Rem difficilem postulasti*? Minimè verò, quin benignissimus annuit, eamq; petitionem sibi placere respondit.

IV. Rex cœli, terræque Christe Jesu, quid agis? Curte ipsum exenteras? omnia tua das

quæ magno labore nempè sanguine proprio ac quisivisti: si dares partem seu medietatem regni tui velut Asuerus, id adhuc transiret, sed tu totum elargiris, & quis hoc audivit? Totum das! totum enim est, quod ex te est, totum est quod ex meritis passionis tuæ nobis provenit: tandem totum est, & amplius nihil desiderandum. Dum condonas veniam peccatorum, nimis prodigus es ô bone Jesu, timeo ne similis fias illi prodigo, qui totam hæreditatem suam inaniter prodegit & perdidit. Sed quid ego protuli? Parce Domine qui dives es, parce Jesu liberalis es, peccavi, quod te prodigo filio comparaverim, te enim dignum est comparare filio, non quidem prodigo, sed liberali, illi Jacobo, filio Sancti Isaac Patriarchæ. Hic habens cum uxore sua filios duodecim, ex quibus tribus duodecim consurrexerunt, dixit uni illorum, Joseph. *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Ammorrhæi in gladio & arcu meo.* Scio Domine quid velis, dedisti fratribus tuis, nempè cunctis Ordinibus, quæ sua sunt: Soli Francisco dedisti portionem extraordinariam. O amorem!

Gen. 48. v. 22.

V. Sed quænam illa? non alia sanè nisi hæc quam etiam Sanctus David expetebat dicens. *Portio mea in terra viventium.* Adverto Sanctum Franciscum optimum fuisse patremfamilias, assumptâ enim curâ œconomicâ, omnium filiorum hujus mundi, datâque sibi à Christo optione ut peteret quidquid vellet, non petiit à Domino divitias, sanitatem, ætatem diuturnam, dignitatem aliquam, sui Ordinis exaltationem, aliaque id genus, quibus mundus tamen appertis faucibus inhiat sed ut Dominus suâ autoritate peccatoribus vere pœnitentibus concederet peccatorum indulgentiam, id unicum postulavit. Sancte Pater Francisce, multòs ante te sacros magnosque Ordines habuisti, Nempe, Sancti Basil, Benedicti, Bernardi aliorumque plurium, nullus tamen eorum, aliquid simile à Domino postulavit. Vel hinc patet Auditores, ut qui in tantùm meruit à Christo honorari, quantùm etiam dilectus fuerit ab eodem Quamobrem Auditores mei, laudemus Deum Dominumque nostrum in dilecto servo suo Sancto Patre Francisco, eumque rogemus, ut nobis conferat vires pœnitendi de peccatis nostris, eorumque remissionem, & post finem vitæ nostræ, vitam æternam.

AMEN.

IN

IN FESTO PORTIUNCULÆ,

CONCIO III.

Non est hic aliud, nisi domus Dei. Gen. 28. vers. 17.

SAnctus ille Patriarcha Jacob, postquam exivit de domo Patris sui, atque in itinere obdormivit, vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ, inter alia dicentem sibi: *Ego sum Dominus Deus patris tui: benedicentur in te cuncta tribus terræ.* Auditores mei, non absque ratione recensui vobis hanc historiam quæ mihi deserviet pro figura. Hodie enim ego non oculis sed animo intueor alterum, Jacob nempe Sanctum Franciscum novæ Legis Patriarcham, qui dum egressum Jacob è domo paterna imitatus fuisset, loco scalæ ejusdem, inter multas Ecclesias, quas semper summo in honore habuit, invenit locum quietis suæ, nempe quandam ædiculam prope Assisium, non solum Christi præsentiâ, suæ Matris, nec non Angelorum comitatu magno honoratam, sed etiam ad preces ejusdem Sancti suppliciter factas, venia & plenaria peccatorum indulgentia exornatam. Res se ita habet. Cum Sanctus Pater Franciscus, singulari ejusdem sacri loci studio teneretur, qui tum Ecclesia Sanctæ Mariæ Angelorum, tum Portiunculæ nominatur: rogaretque Dominum ut illam aliquo beneficio insigniret, en illi divinitus revelatur, in ipsa Ecclesia adesse Dominum Jesum, ejusque Sanctissimam Matrem cum multitudine Angelorum: qui nuncio accepto, dum cum lætitia humillimæ pietati juncta, templum ingressus fuisset, nec non procumbens in terram Christum exorasset, ut [cum sibi petendi quidquid vellet optio fuisset data] omnibus Ecclesiam illam introeuntibus, concedere veniam & indulgentiam omnium quæ confessi fuissent peccatorum, ejus petitioni benignissimus Dominus annuit, eamque sibi placere respondit. Sicuti ergo Jacob locum visionis suæ domum Dei nominavit, ita & ego dedicationi hodiernæ hujus templi, quæ in universis sacri hujus Ordinis Ecclesiis hodie solennissimè, & cum in eadem indulgentia peccatorum recolitur, meritò ista verba applicare possum. *Non est hic aliud, nisi domus Dei:* Cujus quidem thematis ego producam mea argumenta. Vos autem ad benignè audiendum invito.

Gen. 14. vers. 15.

I. In hac hodierna solennitate studio & pietate Sancti Patris Francisci procurata, argumenta quæ proferam plurima habeo. Primo, occurrit illud famosissimum templum Regis Salomonis, in cujus dedicatione celebri, quæ qualiaque vota & preces effuderit Salomon coram Domino, libro Regum tertio, cap. 8. per ordinem describuntur: sed certè si illa Salomonis oratio punctatim examinata, S. Patris Francisci orationi, quam fecit coram Domino, compararetur, quamvis verbis prolixior sensu tamē & intentione longe inferior apparebit. Si quidem Rex Salomon multa quidem à Deo postulavit, nempè justificationem justi, & condemnationem impii. Item si fugerit populus inimicos suos, & pœnitentiam pro peccato egerit, ut ad terram Patrum suorum reducatur. Item si clausum fuerit cœlum & non pluerit, ut detur pluvia super terram. Item si fames suborta fuerit in terra, aut pestilentia, aut corruptus aër, aut erugo, aut locusta, vel rubigo, vel alia plaga & infirmitas, ut exaudiantur ex cœlo. Sed Sancti Patris Francisci postulatio longè fuit perfectior: non enim petit à Christo corpo-

3. Reg. 8. vers. 22.

corporalia, sed spiritualia, non justificationem justi, sed impii. Non condemnationem impii sed indulgentiam peccatorum.

II. Et dum ego eam Sancti Patris Francisci orationem profundius speculor, cogor proferre verba Christi Domini, sic dicentis. *Confiteor tibi Pater; Rex cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis.* Sapiens erat Salomon, & Sanctus Franciscus opinione suâ erat parvulus, qui & ideo suam Ecclesiam quæ dicebatur Mariæ Angelorum, Portiunculam diminutivè appellavit, Quod esset futura mater & caput pusilli gregis Fratrum minorum. Sed quam longe sapientior oratio ejus fuerit, oratione Salomonis, vel ex eo patet, quia Salomon multis verbis, multa petiit, hic vero unico verbo, multa quin plura petiit, & felicissime obtinuit, Nihil aliud petiit, nisi vere pœnitentibus indulgentiam peccatorum, quam ex ore Christi Domini prolatam in sacello suo habere possent. Bersabee quadam vice cum adiisset Regem Salomonem, factura pro Adonia intercessionem; hæc ait: *petitionem unam parvulam ego deprecor à te, ne confundas faciem meam*: *Detur Abisac Sunamitis Adoniæ fratri tuo uxor.* 3. Reg. 2. vers. 16. At petitio Sancti Patris Francisci, [quæ quidem ad postulati materiam minimè illi comparanda] in verbis multò est brevior, sed in ipso sensu, oratione tum Bersabee, tum Salomonis ejusdem filii, multò fusior. Sciebat quippe Sanctus Pater radicem omnium malorum quæ Salomon coram majestate Dei enumerat, [nempe gladium inimicorum, pestem, famem, aliaque id genus incommoda] unicum esse peccatum. Quod varii Sancti Patres & Doctores Ecclesiæ multis argumentis probant.

III. Gravis illa fuit afflictio & pœna Ægypti, dum tota aqua fluminis Nili in sanguinem conversa fuisset: sed unde id accidit? Sanctus Augustinus Quæstione nona in Exodum, respondet: *Justo Dei judicio factum est, ut sanguinem biberent, in quo Infantium sanguinem fuderant.* S. Augustin. Idem doctor, ponderans illam castigationem Christi Domini, in templo Jerosolymis mercatoribus inflictam, ubi flagello ex funiculis facto, ejecit ementes & vendentes è templo, ait; sic scriptum est Proverbiorum 5. *Funiculis peccatorum suorum unusquisque constringitur*, ergo quia de peccatis suis homines vapulant, ideo Dominus flagellum de resticula fecit. Peccator igitur qui culpam aliquam in Deum committit, ad sui punitionem instrumentum offert, quod agnovit antiquus Autor quamvis gentilis Plutarchus, dum sic ait: *Improbitas ex se ipsa supplicium sibi adstruit.* Id ergo cum benè nosset Sanctus Pater Franciscus, existens in templo illo Portiunculæ, & procumbens in genua coram Christo, audiensque ab illo sibi more Asueri Regi daris optionem, ut peteret, quidquid vellet, non fuit imitatus prolixam petitionem Salomonis Regis, quam fecerat in dedicatione templi sui, sed sua brevissima totam illam complexus fuit. Proverb. 5. vers. 22.

IV. Sed jam Christum respondentem audiamus. *Magna postulata, raro effectum suum sortiuntur.* Petiit Elizæus ab Elia Propheta, dicens: *Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus.* 4. Reg. 2. vers. 10. Elias vero respondet: *Rem difficilem postulasti.* Sanctus Pater Franciscus, rem difficilem postulavit, quanquam enim tanquam Deo facillimam obtinuit, cui dictu facile est, *Remittuntur tibi peccata tua*, Matth. 9. vers. 2. sed hominibus difficillimum illud videbatur, quod ex eo patet. Cum enim Beatus Pater Franciscus profectus fuisset Perusium, ubi tunc erat summus Pontifex Christi, Honorius Tertius, ad eumque ingressus mandatum exposuisset, togans ut quod placebat Christo id ipsi tanquam ejusdem Vicario non displiceat, tam Pontifici quam etiam suis Cardinalibus, res insolita & difficilis visa fuit, tantam concedere indulgentiam. Tandem intelligens Pontifex divinam voluntatem, concessit eam Beato Francisco, ut ea die anniversaria consecrationis hujus templi plenaria fieret indulgentia peccatorum. Neque jam miror summum Ecclesiæ caput, Sancto Patri dedisse fidem, eaque supposita, primitivam summi Pastoris Christi indulgentiam confirmasse. Legi enim aliquid simile contigisse, quod enarrat Plutarchus in suis Apophtegmatibus. Alexander Magnus Anaxarcho Philosopho, Plutarch. jusserat quæstorem dare, quantumcunque ille

ille postularet, cumque quæstor audita postulatione turbatus Alexandro indicasset, Philosophum petere centum talenta. Recte inquid facit, sciens se amicum habere, qui tantum dare possit & velit. Ejusdem plane animi fuit Honorius Pontifex, sciebat Deum esse liberalem, agnoscebat se in terris ejusdem esse dispensatorem, ea propter hunc Thesaurum, quo non solum Portiunculæ ædicula, sed omnes quoque in toto Sancti Francisci Ordine Ecclesiæ ditarentur, largissimè erogavit.

V. Sanctissime Pater Franciscе, me jam ad te converto, tibique de tanto dono gratulatum venio, teque præ cæteris fortunatum ajo: multos antecessores habuisti, sed factus es omnium fortunatior. Habemus scriptum, Exodi cap. 33. Desideraſſe quondam Moysen, quatenus intueri posset faciem Dei: at Deus respondit illi. *Non poteris videre faciem meam.* Duo illi Christi discipuli petierunt primarias sedes in regno cœlorum, sed id responsi acceperunt. *Nescitis quid petatis.* At Sanctus noster Patriarcha, non solum aspexit Christi faciem nec non amplissimam illam Sanctorum Angelorum una cum Matre Christi majestatem, sed & voti sui, quod obtinerat compos factus fuit, non duobus, tantum, qui repulsam passi discipulis fortunatior, sed omnibus Christi Apostolis: illis enim juxta D. Paulum ad Ephesios 4. *Data fuit mensura donationis Christi*, huic autem absque mensura oblata fuit plenitudo gratiarum. Inenarrabilis erat Zachæi lætitia dum Christum gaudens excepit in domum suam, audivit enim sibi à Domino dici; *Salus huic domui facta est*: non minori profecto hic noster Seraphicus Pater est repletus lætitia, quia eodem plane modo, meruit videre Christum quo Zachæus: ille ascendit in arborem sicomorum, ut videret Jesum; iste in arborem crucis Christi, quam adeo amplexus fuit, ut etiã cicatricibus ejusdem in membris sui corporis meruerit honorari. Dixerant olim servi David ad Nabal Carmeliten: *In bona die venimus ad te, quodcunque invenerit manus tua da servis tuis.* Sed decepti fuerant. Nos sane minime hodie decipiemus, si audierimus non avarum Nabal, sed largissimum Dominum, eidemque dicamus verba David: *in die bona venimus ad te, quodcunque invenerit manus tua da servis tuis*: liberalissima cælestia dona sunt quæ contulit S. Patri Francisco: nos etiam si eadem humillimè petierimus, minimè denegabit, quia bonus est, & misericordia ejus manet in æternum.

A M E N.

Exod. 33. vers. 20.

Matth. 23. vers. 22.

D. *Paulus ad Eph. vers. 7.*

Luca 19. vers. 9.

1. Reg. 25. vers. 8.

IN FESTO PORTIUNCULÆ,

CONCIO IV.

Major pars venit Beniamin, Gen. 43. Vers. 34.

LEgimus Genes. 43. Quod cum Joseph Patriarcha, suos fratres convivio excepisset, magnam admirationis causam iisdem præbuisset. Quod enim concernit mensæ accubitum, in eo quidem nullum ipsi præjudicium fecit, quia unumquemque per ordinem suum sedere fecit, nempe primogenitum juxta primogenita sua, & minimum juxta ætatem suam, sed quod attinet cibos qui ipsis præponebantur, tunc si qui coram Benjamin erant appositi, aliorum fratrum portiones, quinque partibus excedebant,

unde ait textus: *Mirabantur nimis, sumptis partibus, quas ab eo acceperant.* Hanc ergo historiam dum ego mecum perpendo, illud in ipsa invenio, quod per fratres Josephi, omnes hic Regularium Ordines possint intelligi, qui in Ecclesia sancta Dei, eum tenorem servant, quod [uti ait Hugo Cardinalis locum istum explicans] illi qui sunt tempore antiquiores, junioribus præponantur. Licet tamen eundem ordinem fratres Josephi servavetint, & Benjamin, tanquam Juniori, novissimus locus datus fuerit, nihilominus in partibus ciborum coram se positis, cæteros fratres, [quamvis natu majores] antevit. Et quid obstat; si per illum Benjamin Sanctum Patrem Franciscum, & per ejusdem tribum, Ordinem Sancti Patris Seraphicum accepero? Sanè non errabo. Quamvis enim cæteri sacri Ordines, qui præcedunt Ordinem S. Patris Francisci, tot donis, gratiis atque privilegiis à Christo, vero Joseph sint insigniti, & liberaliter dotati, solus nihilominus Benjamin, in quinque portionibus dignior apparuit: quia alii Ordines gratias spirituales, & plenarias peccatorum indulgentias per Apostolicas Romanorum Pontificum manus, panem hunc mysticum distribuentes & offerrentes, à Christo acceperunt. Sanctus autem Franciscus, non ab aliquo Christi vicarro, sed immediate ab ipso Domino, plenariam omnium peccatorum indulgentiam, tam pro Portiuncula, Ecclesia sua, quam sibi pro mansiuncula delegerat, quàm etiam Honorii Tertii confirmatione accedente, pro cæteris ejusdem Ordinis Ecclesiis obtinuit. Unde cum hæc Christi gratia, tam magna sit & singularis, ut omnes alias quintuplo excedere videatur, si de ipsa tantum loqui nequivero, quantum cuperem, ignoscetis.

Gen. 43. vers. 33.

Hugo Card. hic.

I. Elia Prophetâ discedente ab Elizæo; eique optionem dante ut peteret ab illo quidquid vellet, duplicem ille spiritum petiit dicens. *Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus.* Magnum quid videbatur Eliæ, duplicem dare Spiritum suo discipulo, Magnates verò hujus mundi, quin etiam conditionis inferiores homines, dimidium dare alteri, magnum quid existimant. Asuetus enim, Rex centum & viginti Provinciarum cum Reginæ Hester ad se venienti liberalior videri vellet. *Quid vis ait [Hester] Regina quæ est petitio tua, etiamsi dimidiam partē regni petieris, dabitur tibi.* Rex Herodes idem fecit, Cum enim in die natalis sui feciſſet cœnā suis Principibus, tribunis & Primis Galilææ, eoque introisset filia ejus Herodiadis, & saltasset multumque ei placuisset, juravit illi dicens: *Quia quidquid petieris dabo tibi, licet dimidiū regni mei.* Zachęus quoque volens in gratiam tanti sui hospitis, nempè Christi Domini, edere signa lætitiæ cordis sui, ait: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine do pauperibus.* Dominus Deus noster, multò est liberalior, quidcunque enim ab illo petis, illud non dimidiat, sed totum & integrum tibi donat; & quidem divini hujus ingenii seu consuetudinis copiosam habuit experientiā S. Abraam Patriarcha, hic enim cum tot degustasset divina beneficia, jam quasi videbatur promissiones divinas non curare. Venit ad ipsum quadam vice Deus, eique ingentia bona pollicetur, & quid ille? sic ait. *Domine Deus quid dabis mihi?* Diceret quispiam hæc verba fuisse prolata à Sancto Patriarcha, dubitante de promissione Dei; minimè verò, quin imò per ea eò magis extollit infinitam Dei liberalitatem, qui si omnia sua profundit in hominē, ut nihil videatur in cœlesti thesauro contineri, quod homo jam non habeat præmanibus. Ita commentatur hæc verba Philo Hebræus dicens: *Quid mihi dabis? Non dubitantis est verbum, sed gratias agentis pro acceptorum beneficiorum magnitudine.* Quasi diceret ille sanctus Patriarcha; *Quid mihi dabis? Num est quod sperem præterea? copiosissima sunt ò Domine tua gratia, nullis circumscripta terminis.* Sed luculentius adhuc S. Patriarcha Franciscus Dei munificentiam expertus fuit: hic enim, cum accepisset optionem à Domino Jesu [qui unà cum sanctissima matre sua Maria, nec non ingenti numero Angelorum Sanctorumque ædiculam illam, dictam Portiunculam inviserat] ut peteret quidquid vellet, dum inquam eam ab ipso gratiam postulasset, ut omnibus quicunque in eadem Ecclesia, pœnitentiā egissent peccatorum suorum, plenariam eorundem indulgentiam ab eodem accipere mererētur, Postulata

Hester. 5. vers. 3.

Marci 6. vers. 23.

Luca 19. vers. 8.

Gen. 5. vers. 8.

Philo Heb.

4. Reg. 2. vers. 9.

sua

sua non rejecit, non dixit uti Elias Elizæo; *Rem difficilem postulasti.* Non eum ad suum vicarium ut id ab eo peteret destinavit, sed vivo suæ vocis oraculo, talem, indulgentiam ac preces Sancti Patris Francisci, omnibus verè pœnitentibus gratiosè impertiit.

Isaiæ 66. v. 1.

II. Non possum satis demirari Auditores, primùm illud, quod hic quem cœli capere non possunt, cujus terra scabellum pedum ejus, ad tam parvam domunculam se receperit & in ea infimos gratiarum suarum thesauros, tam liberaliter in omnes homines verè pœnitentes profuderit. Legimus in 3. libro Regum, quod cum Rex perfecisset domum Dei, & ad illam unâ cum Sacerdotibus Arcam Domini intulisset, ait sacer textus: *Nebula implevit domum Domini, & non poterant sacerdotes stare, & ministrare propter nebulam: Impleverat enim gloriâ Domini domum Domini.*

3 Reg. 8. v. 10.

Quænâ hæc in templo illo salomonis gloria Domini fuerit Venerabilis Hugo Cardinalis, tale super hunc locum facti, textus fert judicium: Quod fuerit quædam *nebula non metuenda, sed temperatè fulgens, qua obumbravit facies sacerdotum.* Non miror Auditores, in magnifico & glorioso ac splendido illo templo Regis salomonis, apparuisse in nebula gloriâ Domini quamvis & hac se indignum salomõ Rex reputabat dicens: *Ergone putandum est, quod verè Deus habitet super terram, si enim cœlum, & cœli cœlorum, te capere non possunt, quantò magis domus hac quam ædificavi?* Sed miror id, quod Christus Dominus in exiguo & non ut Regis salomonis splendide elaborato sancti Francisci oratio, non nebulam temperatè fulgentem, sed seipsum una cum Dei patâ Virgine, nec non cœtu sanctorum numeroso exhibuerit, eundemq; locum tantis gratiarum suarum donis honoraverit. Sed jam aliud mihi in mentem venit, quod omnẽ quoq; admirationem à me removet. Et quid mirum, quod Christus Dominus exiguum S. Francisci sacellum præsentiâ suâ honoraverit, qui in domum Zachæi ingredi & suæ divinæ gratiæ donis ditare non dubitavit. Amat Jesus cum humilibus commorari, in antiquo testamento, non in palatiis, sed in tabernaculis & papilionibus habitavit; & quid mirum, cum in exiguo humanæ carnis ergastulo sibi habitaculum per novem mensium spatium adamaverit?

Hugo ibid.

ibidem

Reg. 8. v. 27.

III. Jam nequè, illud miror quod in exaudiendis S. Francisci precibus, & impertiendo tanto indulgentiarum thesauro tam facilis promptusque fuerit. Multæ siquidem rei hujus occurrunt causæ: prima, quia tunc dum dabatur oportunitas sancto Patri Francisco, petendi quidquid vellet, non petiit quidquam pro se ipso, nihil petiit pro suo Ordine, quem fundavit, sed solum pro remissione peccatorum, & communi salute omnium Christi fidelium; hinc ergo exaudiri meruit, quia talis petitio nusquam Deo displicere potuit. Prædicante Jona Prophetâ excidium Ninivitarum imminens, quid fecerunt? ait sacer textus. *Crediderunt viri Ninivitæ in Domino, & prædicaverunt jejunium* Quid tandem contigit? *Misertus est (Deus) super malitiam, quam locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit.* Quærit hic causam Divus Ephrem, cur illa vice decretum immutaverit: dicebat enim per Prophetam. *Adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur:* quod fuit præstare pollicitus, cur non fecit? Diceret aliquis id fecisse Deum ideo, ne perderet tantam multitudinem, prout ad mitigandum Jonam usus fuit parabolâ hederæ, quam præparaverat Jonæ ut subter ipsam quiescenti umbram daret, sed mox urente sole & ipsa quoque arescente eandem umbram abstulit, & tandem Prophetæ irascenti ait. Putasne benè irrascaris tu super hederam? tu doles super ipsam, quam non fecisti, & ego non parcam Ninivitarum civitati magnæ? sed hæc ratio non est perfecta, etiamsi enim Deus, non solum illa centum viginta millia hominum, sed etiam omnes qui in mundo sunt deleret, prout semel factum fuit, hinc nullam jacturam pateretur. Sed potius fecit ideo quia nemo illorum civium fuerat, qui de suo commodo sollicitus esset, qui de fuga & recessu ex urbe cogitaret, sed potius, uri ait S. Ephrem. *Vnusquisque proximum ad preces hortabatur, & effecta est tota civitas velut corpus unum, nullus ibi precabatur, ut solus redimeretur, verùm ut membra, singuli pro se mutuò deprecabantur.*

Ionæ 3. v. 5.

Ionæ 3. v. 4.

D. Ephrem in Ionam

IV. Non scio an sit via facilior, ad solicitandam divinam misericordiam, quam si

cogites esse membrum Christi, ideoq; ut totum corpus salvum fiat, omnibus fidelibus salutem preceris communem. Scitis ne, causam, cur Dominus, existens in naviculâ cum discipulis, excitatus à somno, ab iisdem adductus fuerit, ad sedandum mare fluctuans? Sanè hoc non obtinuit discipulorum fides, quæ tunc in illis erat modica, verum id obtinuit charitas, quâ singuli pro omnibus precabantur dicentes. *Domine salva nos, perimus.* Si communis discipulorum deprecatio pro salute corporali, tantum apud Dominum valuit, ut statim exaudirentur, quomodo S. Francisci oratio posterior esse debuit, qui nō pro salute corporum sed animarum, idque non pro quinquaginta utì olim Abraam Patriarcha sed pro fidelibus totius orbis Christum Dominum exorabat? Benè illi quadrabat talis oratio, qui relictâ hæreditate patris sui, quin imò & ipsum relinquens, dicebat illud; *Pater noster, qui es in cœlis.* Non meus, sed noster, quia ut ait Sedulius: *Advertebat, non separatim singulis sed communiter universis, donum tanti muneris attributum.*

Gen. 18. *v.* 16.

Sedulius lib. 2. *c.* 11.

V. Sanctæ illi charitati S. Francisci, addidit quoquè vires chara Christo Jesu humilitas, quam Summus Pater mirè coluit, hæc siquidem unica virtus est, quæ plurima à Deo impetrare valet, quia plus ei placet præ cæteris, patet id ex Canticis Salomonis, c. 4. ubi dicit cœlestis sponsus. *Vulnerasti cor meum soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum, in uno oculorum tuorum.* Quid est hoc Auditores, quod Spiritus sanctus non in duobus sponsæ suæ oculis, sed in unico tantum sibi complaceat? Fortasse ideo tantùm unicum sponsæ oculum tantopere laudat, quia monocula erat, aut verò ex duobus quos habebat, unus minùs pulcher, laudeque prorsus erat indignus. Id dici nequit, si enim sponsa non nisi unum tantùm oculum habuisset, monstrosa utique fuisset: nisi verò ex duobus oculis quibus prædita erat, unus fuisset difformis, utique non totum habuisset pulchritudinis complementum: neque idem sponsus antè dixisset, adeo perfectam ejus esse pulchritudinem, ut neunico quidem defectu notari possit. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Quod si ita est, cur eam extollit in uno saltem oculorum? eleganter respondet S. Bruno in hunc sensum: talem sponsam duos habere oculos, non unicum tantùm, unum tamen è duobus plus laudari: nam licet contemplatio rerum divinarum quæ cœlum respicit, cœlesti sponso grata sit, quæ unum oculum designat; humilitas tamen, quæ terram respicit, & per hunc unicum oculum designatur, multò est amabilior. Hisce duobus oculis s. Pater Franciscus erat præditus, quia dum cō, templaretur divina, sublevabatur in aërem, sua tamen profunda humilitas, Christo Domino multò fuit gratior. Quia per hanc obtinuit indulgentiam pro omnibus pœnitentibus, quam & nos præstolamur à Christo Jesu, qui vivit in sæcula.

Cant ibid. v. 7.

S. Bruno de ornam Eccles c. 5.

AMEN.

IN

IN FESTO S. LAURENTII Martyris.

CONCIO I.

Granum frumenti cadens in terram, si mortuum fuerit multum fructum affert. Ioan. 12. v. 24.

OPtarem Auditores, si tantum eloquentiæ mihi esset, quantum eâ hodiè, ad celebrandas laudes S. Laurentii invictissimi Martyris indigerem. Tam præclaram enim habemus laudum ipsius materiam, ut ad metandam, & finiendam neque calamus, neque ipsa lingua sufficere queat. Ille quippè est, quem Christus Dominus vicarium passionis suæ habere voluit, quem executorem fecit omnium figurarum utriusque testamenti, quem Sancti Doctores, Gregorius Nazianzenus, & Chrysostomus, satis admirari & laudare non potuerunt, quem S. Ambrosius unâ cum Augustino comparant tribus pueris in fornace Babilonica tam ingenti igne instructâ ut flamma novem ulnas in altum ascenderet quē S. Maximus Episcopus collegio Apostolorū sociavit, quē S. Leo, magnus Pater Ecclesiæ tali eloquio insignivit. *Sicut clarificata est Ierosolyma Stephano, sic Roma Laurentio.* Et meritò, quamvis n. Roma multos viderit memorandos triumphos imperatorū, nusquā tamen celebtiorē habuit tryumpho S. Laurētii. Sed undenā laudes suas incipiam? Si in me converteo ad Evangeliū, quam mihi materiā subministrat? Unius grani tritici, & mortui quidē; Et quid eò vilius, quod dū in terrā cadit omnem vigorem perdit moriturque. Sed attendite, quidnam Dominus dicat. *Granum frumenti cadens in terram, si mortuum fuerit, multum fructum affert.* Penès illud ergo manebo, sperans quod sicut Christo quinque panes pro tot millibus suffecerunt, ita & hoc granū taliter Spiritus Sanctus, in cordibus vestris multiplicabit, ut omnes eo contenteminī.

Leo Papa in Festo S. Laurent.

I. Magna est differentia Auditores mei inter granum & paleam: dum enim fit seminatio, & triticum non benè purgatum jacitur in terram, ambo cadunt interram, & granum & palea, palea à vento elevatur, & antequam cadat, gyrat se hinc inde; granum verò cito cadit, sed quid tum? quandò cadit palea, perit, & in nihilum vertitur, quandò autem cadit granum, etiamsi in terra moriatur, multum deindè ex se fructum producit. Per granum tritici intelligo servos Dei, eum habentes pro Domino, qui se ipsum grano tritici compellavit? per paleam intelligo servos mundi. Isti quidem tolluntur à mundo, à fortuna, à divitiis, ab honoribus, dicente sancto David Psalmo 36. *Vidi impium super exaltatum, & elevatum sicuti cedros Libani,* sed quid post *transivi, & ecce non erat.* Granum citò cadit, sed non perit, quin postquam moritur, multum fructum facit: sic omnis justus tale granum est: quemadmodum enim illud licet in se humile sit & abjectum, quò magis abjicitur terræque infoditur, eò magis postmodum crescendo exaltatur: sic & homo simplex, licet secundum mundum abjectus esse videatur, nihilominus dum abjicitur, imò quò magis abjicitur, eò magis exaltatur, augetur, & fructum multum affert. Pulchrum hujus rei testimonium præbet illa Historia, 2. Reg 6. ubi dicitur. *Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam, quoniam calcitrabant boves, & declinaverant eam, ira tuaque indignatione Dominus, & percussit eum.* Cur tanto supplicio Deus affecit Ozam? Respondet pulchrè Ponferradiensis in hunc sensum. Meritò percussit Ozam quia in inclinatione arcæ timuit ruinam ejus. Nam uti scribitur 1. Reg. 5. Quando Philisthæi post victoriam, tulerunt arcam Domini à lapide ad-

Psal. 36. v. 35. 36.

2. Reg. 6. v. 6. 7.

1. Reg. 5. v. 2.

jutorii, posueruntquè illam juxta suum idolum Dagon, mox illud corruit: venerunt sequenti die & invenerunt, non solum Deum suum jacere in terra, sed etiam contritũ sine capite manibusque esse. Cum ergo illa arca existens captiva cadere non potuerit, quin imo idolum illud cadere coeperit, neque ibi etiam inclinata cecidisset, quin potius majori cum glorâ surrexisset. Ex quo sequitur quod elatorum & spiritu deabolico inflectorum corda cum idolo Dagon cadere & in nihilum redigi soleant, humilium autem dejectionem comitetur exaltatio, juxta illud. *Granum frumenti cadens in terram, si mortuum fuerit, multum fructum affert.*

Ponferradiensis. lib. 15. c. 15.

II. Scribitur Esther 6. capite, quod Rex Asuetus Aman Principem ad tantos honorum dignitatumq; gradus erexerit, ut quicumq; eunti ceteri obviarent, sua ei genua flecterent, solus erat Mardochæus qui tantum honorem dare noluerat, dum n. quâdam vice ipsum pertransiret, nõ solũ coram ipso genu flectere, sed & ipsum caput movere recusavit. Nec immeritò, agnovit enim paleam, quæ dũ exaltatur, mox properat ad ruinam, idem cõtigerat inflato Aman principi. Cum enim eo animo Regem accessisset ut ei innueret quatenus Mardochæus opprimeretur, & ignominiosè in patibulo suspenderetur quod illi prępararі jusserat, res aliter mutata est: jussus n. erat à Rege ut eo ipso die, Mardochæum regiâ veste insignitum, & in equo regio collocatum, tenens frænum duceret, & clamaret. *Sic honorabitur quem Rex honorare voluerit* dum ergo venisset domum, & talem casum suis enarrasset, dixerunt sapientes. *Si de semine Iudæorum est Mardochæus, ante quem cadere cœpisti, non poteris ei resistere sed cades in conspectu ejus.* Unde conjiciunt? unde cognoscere possunt in illa Aman inclinatione extremam ejus miseriam? Spiritus Domini qui in illis loquebatur, conjecturæ fundamentum fecit his verbis: *Si de semine Iudæorum est Mardochæus.* Hinc enim designavit in Mardochæo virtutem grani tritici, quod dum in terram cadit, multum fructum affert, & sic contigerat Mardochæo: Nam cum totâ natione destinatus erat ad necem; & ecce dum se extollit palea, dum Aman properat ad Regis palatium, ut granum hoc tritici nempè Mardochæum perderet, ipsemet periit, & ad nihilum redactus fuit. Dum cadunt paleæ, in nihilum rediguntur, granum autem frumenti cadens in terram, si mortuum fuerit, multum fructum affert.

Esther. 6. v. 6.

ibidem v. 13.

III. Monuerat Deus Moysen Exodi 30. dicens. *Sume tibi aromata, stacten, & onicham, galbalum boni odoris, & thus lucidissimum, cumq; in tenuissimum pulverem universa contuderis, pones ea in tabernaculo coram Domino.* Hæ species aromatum erant quidem selectissimę, sed illud non caret ratione, quod tunc ponantur coram Domino, quando rediguntur in pulverem tenuissimum. Unde apparet, tunc esse vel maximam justorũ gloriam, quando à mundo contunduntur, & conteruntur: in præstantissimis n. speciebus contritio ipsa, imò & pulvis humilitatis nec non tribulationũ est salutis. Notavit id Divus Petrus Damianus, nam libro 8 Epistola nona ita scribit. *Notandum quod de aromatum pulvere dicitur. Pones ex eo coram testimonio tabernaculi: quia tunc nimirum veraciter in conspectu superni Iudicis placent, cum hæc mens subtilùs recogitando conterit & quasi de aromatibus pulverem reddit.* Nota est illa historia Danielis 14. Tempore Cyri Regis habebant Babylonii quoddam Idolũ *Beel*, in templo suo, cotã quo ponebant omni die duodecim mensuras farinę, quadraginta oves, sex amphoras vini: hæc verò omnia Arioli ejusdem templi (noctu per secretum locũ templum introeuntes unâ cũ uxoribus puerisq; suis) sub specie Idoli *Beel* devorabat. Tunc dixit quadam vice Rex Danieli: *Curtu non adoras Beel* qui respondit, *ego non colo Idola hominum manibus facta, sed Deum qui fecit cœlum & terram.* Porrò cum Rex per ea quæ dabantur Idolo probare vellet esse Deum viventem, arridens Daniel dixit. *Ne erres Rex, iste enim Deus est intrinsecus luteus, & forinsecus æreus, neq; comedit aliquando.* Iratusq; Rex vocavit sacerdotes ejus & ait: *Nisi dixeritis mihi, quisnam est qui comedat impensas has moriemini: si autem ostenderitis quoniam Beel comedat hæc, morietur Daniel; quia blasphemavit in Beel;* annuit Daniel edicto Regis, sacerdotes verò quorum erant septuaginta, absq; uxoribus & parvulis dixerunt. *Ecce nos egrediemur foras & tu Rex pone escas & vinũ misce & claude ostiũ & signa annulo tuo & cum ingressus fueris mane, nisi invenerisomnia commesta à Beel, morte moriemur, vel Daniel qui mentius est adversus nos.* Postquã ergo egressi sunt jussit

Exod. 30. v. 34.

Damia. lib. 8 Epist. 9.

Daniel 14. v. 4.

ibidem v. 6.

v. 7. 8.

v. 10.

Rex

Rex apponi cibum & vinum. Porrò Daniel accepto cinere cribravit eum per totum templi pavimentum, & clausis ostiis, atque obsignatis una cum Rege exivit de templo, Mane facto Rex cum Daniel redeunt ad templum: videns sigilla integra, seras aperit: at Daniel Regem ingredi non permittit, quin prius illi ostenderet vestigia illorum Sacerdotum in cineribus impressa. Unde Rex cum videret se adeo deceptum tanta ira est inflammatus ut omnes mox mactari jusserit. Quid vilius cinere? Et ecce tamen cinis exaltavit Danielem. Verum igitur est, quod Christus ait: granum frumenti cadens in terram &c.

IV. Tale granum fuit S. Laurentius, quoniam multas tribulationes multas miserias & calamitates pro fide Christi Domini sustinuit. Sed quo majores pertulit, eo apparuit glorioſior, & ubi cum grano emortuo & ipsi morti vicinus videbatur, ibi erat vivacior & alacrior: cum enim extensus fuisset in craticula, & in ea subjectis ardentibus prunis torreretur, in tantum se alacrem exhibuit, ut semiustus ad Tyrannum dixerit, *Assatum satis est, versa & manduca.* Crudelissimum quidem tormenti genus quod S. Laurentius perferebat, at quo crudelius eo quoque ipsi erat glorioſius, quod ex eo patet, quia dum S. Laurentius per tale martyrium ignis, vitam suam Deo obtulit, figuras antiqui & novi testamenti complevit in se ipso. In primis Genesis 22. recenset sacer textus, qualiter Abraam Patriarcha filium suum Isaac Domino immolare voluerit. Quod quia non fuit factum, quin imo voluntas Abraami pro facto accepta fuit, ut tandem aliquid esset in re, quod figuraret oblationem Christi Jesu, instituit in libro Levitici multa sacrificia, & inter illa, holocausta quæ cremabantur, quorum odor dicebatur suaviſſimus.

Gen. 22. verſ. 12.

V. Tales victimæ & holocausta, quid aliud erant, quam figura Christi Domini, qui tanquam Agnus immaculatus oblatus erat pro peccatis nostris? Has omnes victimas exprimebat in suo martyrio S. Laurentius. Exprimebat victimam Abraam Patriarchæ, quia vitam suam pro Christo obtulit. Exprimebat holocausta, quia quemadmodū mitis agnus torrebatur in craticula. Exprimebat insuper figuram Christi Domini, quia sicut Christus positus in cruce tanquam in craticula, incendebatur igne charitatis pro salure nostra, unde ajebat sitio: ita martyr Laurentius positus in craticula tanquam in cruce Jesu, in tantum æstuabat amore divino ut ignem materialem non sentiret; Redigebantur carbones igniti in cineres quorum ingens erat cumulus, gloriam tamen Sancti Laurentii non solum obtegere non potuit, sed eam eo magis extulit ut jam carbones sui igniti ipsis carbūculis chariores habeantur, cinis verò illorum in sempiterna memoria habeatur, Et quid mirum; si cinis qui vilissimum quid esse videtur S. Martyri Laurentio tantam gloriam attulit? Habemus Genes. 18. Abraamum Patriarchum dixisse ad Dominum. *Loquar ad Dominum meum cum sim pulvis & cinis.* Num parum est loqui cum Deo? Sed quid sibi assumpsit pro audacia? Materia cineris audacem fecit. S. Gregorius hic speculatur dicens; nunquam legitur Abraam cinerem se professum esse, nisi cum meruit Dei locutionem habere: quare hoc? Respondet Hugo Cardinalis *ut sublimitatem beneficii temperaret subjectione humilitatis* Hinc patet veritas Christi dicentis: *Granum frumenti cadens in terrum si mortuum fuerit, multum fructum affert.* Quod jam clarissime patet in S. Martyre Laurentio: cui cinis & flamma quæ corpus corruperat, vitam attulit sempiternam.

Gen. 18. verſ. 21.

Hugo Card.

AMEN.

IN FESTO S. LAVRENTII Martyris,

CONCIO II

Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Joannis 12. vers. 25.

AUditores: occasione hodiernæ festivitatis S. Laurentii Martyris occurrit nobis quædam quæstio valdè pulchra & saluti animæ nostræ utilissima, Quid est quod Ecclesia mater nostra, dum nobis proponit memoriam Passionis Domini, tunc provocat nos ad fletum & planctum, dum verò proponit memoriam Martyrum, qui plurima pro eodem Christo Domino fuerunt passi, tunc è contrario provocat nos non ad fletum sed ad lætitiam? siquidem Sanctus Leo Papa de passione S. Laurentii hic scribit: *Gaudeamus dilectissimi gaudio spirituali, & de felicissimo inclyti viri fine gloriemur in Domino, qui est mirabilis in Sanctis suis.* Quod igitur erit discrimen inter passionem Christi, & Martyrum, quia in hac plangere, in altera verò lætari debeamus? Quæstio hæc proposita quondam fuit eidem Sancto Pontifici. Cujus hoc fuit responsum. Nempè hoc esse discrimen inter passionem Martyrum & Christi: quia quilibet Martyrum pro se ipso passus fuit, & sibi ipsi merebatur gloriam sempiternam. At verò Christus, passus fuit pro nobis omnibus, ut nobis remissionem peccatorum & vitam æternam mereretur, ideo cum membra illius simus, tanquam capiti nostro compati debemus. Nam sicut ait Divus Leo. *Solus Dominus noster Iesus Christus extitit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes etiam sunt resuscitati.* Quamobrem cum in passione Martyrum, non tristari, sed lætari debeamus, Divo Laurentio Martyri nomine, & loco vestri spiritualem panegyrin, in signum lætitiæ præsentabo.

S. Leo Festo S. Laur.

S. Leo de. Pass. Dom.

I. Primum motivum in laudem Sancti Laurentii habeo ex Psalmo 83. ubi sic ait, *Gratiam & gloriam dabit Dominus*: abundè hoc completum fuit in Sancto Laurentio, quia majori præ cæteris gratiâ & gloriâ à Deo honoratus fuit, sed quænam illa gratia? Certè majori, quàm quivis Sanctorum Patrum antiqui testamenti honoratus fuit à Deo: gratia Veteris Testamenti erat hæc, quod Deus Sanctos illos Patriarchas eripiebat à malis, periculis, & succurrebat in adversis. Ita Abraam amicũ suum liberavit de manibus Châldæorum: Moysen cum populo de persecutione crudelissimi Leonis Pharaonis: David à Saul. à Goliath, ab Absolone filio. Danielem de lacu Leonum; tres illos adolescentes Sidrach, Misac, Abdenego de camino ignis ardentis. Sed gratia novi Testamenti est alia, in quo divina manus, eos quos diligit non eripit à persecutionibus, sed adjuvat, & confortat, ut eas fortiter sufferre possint: nõ eos liberat à tyrannis, quin multiplicat dolores, & cruciatus, sed in alteram vitam differt laborum omnium dignissimam retributionem. Hoc manifestum est in Apostolis, Martyribus, Confessoribus, quibus suam communicat gratiam, dum pro eo patiuntur. Patet hoc in passione S. Laurentii, Nonne poterat eum eripere à craticula ne combureretur, aut carbonum suspendere vim & actionem, aut eos extinguere. Sed hæc est Novi Testamenti gratia, quæ non eripit à tormentis, sed in eis confortat sustinentem & post victoriam æternam reservat coronam. Hinc sit omnibus Christianis documentum, ut qui refugiunt pati pro Christo, qui solam quærunt tranquillitatem, illi adhuc sortem habent

Psalmo 83. vers. 12.

suam

suam cum filiis veteris testamenti: at qui pro Christo patiuntur & tentationes amant, illi sunt filii veræ Christi gratiæ. De quo Sanctus Petrus cap 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus.* Hæc autem gratia, quâ patimur pro Christo, quanto sit melior illâ qua eripimur à tribulationibus, patet ex verbis Sancti David dicentis. *In tribulatione dilatasti mihi.* Hæc est differentia inter corium & laminam auream, quod illud positum in igne constringitur, lamina verò minimè; quia dum extrahitur forcipe, eo se faciliorem & aptiorem reddit ad tundendum, & per tusiones mallei, extenditur latius: ita & inter hominem carnalem. cujus cruciatus imitatur corium, & spiritualem, qui imitatur laminam: nam mundanus, ad passiones constringitur, alter vero quo graviores tolerat cruciatus, eo magis cor ejus dilatatur, spe cœlestis gloriæ sibi præparatæ. Hanc ob causam invictus ille heros Sanctus Laurentius tam forti atque invicto animo in craticula ignem sustinuit.

S. Petrus c. 2. v. 21.

Psalm. 4. vers. 1.

II. Alia ratio, cur Sanctus Laurentius tam strenuus tam alacris fuerit in igne quo cruciabatur, Quia illius vim atque efficaciã minimè sensit. Dicetis quid hoc? An homo Laurentius erat? Quomodo ergo non sensit, dum unguibus dilaniabatur, dum flagris infinitis cædebatur; dum caro ejus concisô sale fricabatur, & tandem dum assabatur? Sed quid miramini Auditores? quod ille Mutius Scævola ob vanam mundi gloriam de quo habet Livius, cum Porsennam Regem occidere volens, per errorem scribam mactasset, atque capto ignis supplicium intentatum esset, ille ut parvi se facere ignem ostenderet, manum foco immisit, eamque torreri permisit; abalienato à sensu animo? Si ergo unus ethnicus potuit perferre ignem quia abalienavit à sensu animum, cur non magis Sanctus Laurentius, qui excellentiùs animum suum abalienavit à sensu? Scitis bene Auditores, quod dum spiritus exit à carne, tunc caro sine anima, nihil sentit, etiam si in pulverem comburatur, quia ergo tunc non erat præsens anima Laurentii suo corpori, non mirum quod ignem non senserit: sed quonã anima Laurentii abierat dum in igne assaretur? Respondeo cum Divo Bernardo, Sermone sexto in Cantica sic dicente: *Vbi tunc anima Martyris? nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Iesu Christi, vulneribus nimirum patentibus ad introeundem.* Si Sancti Laurentii anima, tunc dum cruciaretur fuisset in suis visceribus, ferrum & ignem sentiret, sed quia exivit ab illis & se recepit ad foramina petræ, nempè ad vulnera Christi, ideo nullum tulit dolorem.

Livius decade. 1. lib. 5.

S. Bernard. in Cant.

III. Dicetis fortè, quis animam Laurentii abstraxerit à corpore? quomodo evolaverit? Dico amoris alis, & cum ille sit effectus amoris, quod anima ipso amore de corpore excedit [unde Sanctos, sicut erat Dominicus & Franciscus aliique, à terra in aerem elevabat] & deinde, juxta illam sententiam. *Anima magis est ubi amat; quam ubi animat;* amantem transire facit in amatum: hinc est quod anima Sancti Laurentii inamorata sacris vulneribus Christi, & per amorem in ipsum sit transmutata, nullum dolorem ignis, cæterorumque tormentorum corpus tangere atque affligere permisit: sic etiam ait Divus Bernardus: *Non miror, si exul à corpore Laurentius dolores non sentiat corporis. Non dico, quod ibi fuerit Sanctus Laurentius sine sensibus aut sine dolore; sed quod dolorem ignis superavit alter vehementior amoris.* Sicuti enim lumen candelæ ita lucet, ut non solum ipsum sed alia quoque videri possint, oriente vero sole lux ejusdem evanescit: ita ille ignis materialis, quamvis aptitudinem habuerit ut ureret; nihilomins quia major amoris flamma divini cor Laurentii occupavit, ideo flammam ignis fortiter superavit.

S. Bernardus

IV. Bene id perspectum fuit Sancto Paulo, qui Epistolâ ad Romanos capite octavo, citatis illis verbis Psalm. 43. *Propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves occisionis*: addit deinde dicens: *Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.* Quisnam illis sanctis Martyribus tantas vires suppeditavit, ut tam crudelissima genera tormento tolerarent? Respondeo; Amor quem in Christo cernimus & veneramur, propter quem omnia supplicia contemnimus. Sed nonnè convenientius dixisset pro-

Ad Rom. 8. Psal. 43. vers. 25.

pter eum quem dilexerimus, & non propter eum qui dilexit nos? Ingeniosè dixit Sanctus Paulus, Notemus quis ille sit propter eum: Quod DEUS sit, quem tu offendisti, & ut te cum Patre suo reconciliaret, permisit se vulnerari, propter te vitam amisit, ut tu viveres. Quis nam igitur suam pro illo non offerat? Non sine causa dixit Sanctus Paulus, *Testis mihi est* DEVS *quomodo cupiam vos omnes in visceribus Iesu Christi.* Quia qui accedit ad illa, non erit necessum ut quærat materiam dilectionis suæ; præsto enim illam habet in visceribus Christi. Sed quomodo accedam, ait Sanctus Bernardus? *Patet arcanum cordis per foramina corporis, patent viscera misericordiæ* DEI *nostri. Quidni viscera per vulnera pateant.* Si per portas illas vulnerum ingredieris ad cor illud Christi amore flagrans, quanto cor tuum igne incalesceret, ut nedum patienter, sed lætanter quæque acerba perferrens propter ipsum; & si intus illius sentiens pœnas, dolores tui mitigarentur. Talis amor & pœnarum Christi consideratiio dolorem Laurentii mitigavit, & flammas materiales debilitavit.

Ad Philip. 1. vers. 6.

S. Bernardus.

V. Impius ille Decianus persuadebat sibi, se terrefactutum tam horrendo instrumento Laurentium: at quid ille? ô me felicem! ego has epulas semper optavi: existimavit illum igne omnino superandum fore, eò fortius illum cruciat, & quid ille? *Assatum est jam satis, versa, & manduca.* Ecce quam sua magna patientia superbiam tyranni confudit postquam enim Decius & Valerius viderunt eum animam emisisse, ita confusi, reliquerunt craticulam cum corpore, & cum pudore abierunt. Benè hic adducit Divus Augustinus illa verba scripturæ Genes. 25. *Major serviet minori*: quali autem modo? Sanctus Doctor respondet quippe persequendo: *Illo utique modo, & ordine, quomodo ignis, & mallei, auro; quomodo mola tritico, quomodo panibus coquendis fornax.* Putaret ignis & malleus quod malo afficiat aurum, sed purgat; molaris lapis tritico, quod illud terat: sed ex eo fit pulchra farina. Fornax quod panes excoquat, sed postmodum ad regiam ponuntur mensam. Ita & hi Tyranni dum putarunt se malè affecturos Sanctum Martyrem Laurentium, nihil gratius ipsi præstare potuerunt. Quamobrem Auditores dilectissimi, conemur imitari amorem Sancti Laurentii, & constantiam fidei, quâ tormentum ignis ad finem usque constanter perpessus est. Nam & nos, si ignem tribulationis ut aurum pertulerimus, digni inveniemur gratiâ Dei, & demum gloriâ sempiternâ.

Gen. 25. vers. 25.

S. August. Serm. 8. de Sanctis.

AMEN

IN

IN FESTOS. LAURENTII Martyris,

CONCIO III.

Qui mihi ministrat me sequatur, & ubi ego sum, illic & minister meus erit. Joan. 12. v. 26.

NOn dubito Auditores mei, quin omnes vos qui ad hanc domum Dei convenistis, ut Domino Deo serùiatis. Sanctumq; servum Laurentium eius cujus hodiè memoriam agimus, honoretis, simul etiam gaudeatis, audientes hæc verba Evang. quæ Christus ad nos ait: *Vbi ego sũ illic & minister meus erit.* Quid n. melius & felicius est, quàm habitare cum Deo? Moyses Ductor Israelis, quia in monte Synai cum Domino aliquamdiu conversabatur, legẽ ab ipso, accipiens, ita fuit incensus ejus desiderio, ut cujus vocẽ audiebat, ejusdẽ faciem videre anhelaret, dicens: *Si inveni gratiã in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam.* Christus Dominus discipulos suos præferebat Regibus, dicens? *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* Apostolus Domini S. Petrus vix aliquid (in monte Thabor ubi Christus transfiguratus erat) gloriæ suæ divinæ degustavit, & mox exclamavit dicens: *Bonum est nobis hic esse Domine* Unde Divus Paschasius ita ait: *Sola Petro claritas Christi placet, quid putare possumus, quomodò placeret illi, si talem tunc posset intueri, qualem nunc cernit exutus corpore mortali?* Cum igitur quàm bonum sit esse cum Deo, ex his à me dictis cognoscetis, non dubito quin gaudeatis, dum auditis vos invitari à Christo Domino, ut cũ ipso sitis Sed habeo aliquid dicendum vobis: Vultis ne esse cum Christo? debetis primum ei ministrare, eumque sequi? sic enim ad nos ait: *Qui mihi ministrat, me sequatur.* Fortè dicetis: At quis nobis ostendet viam quam sequamur? Demonstabit illam invictus ille heros S. Laurentius, & insuper ne erremus præcedet nos cum accensa face, eò quidem fine, ut sicut ille igne hoc elementari incensus erat, cum in craticula positus torqueretur, ita & nos, accensi igne divinæ charitatis adsequelam Christi accendamur.

Exodi 33. v. 13

Luc. 10. vers. 23.

Matth. 17. v. 4.

I. Ad sequelam Christi non meliùs animari poterimus, quàm si primum edocti fuerimus, ubinam Christus habitet, & quale sit palatium ejus, quod concernit primum quæsitum, in persona Domini Dei respondet Isaias Propheta dicens. *Cœlum sedes mea.* Idem profitemur in 6. articulo fidei nostræ Christianæ, dum dicimus: *Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.* Portò si scire vultis quale sit palatium ejus? maximum & summè gloriosum est palatium eius, quia illud nominat sanctus David, ipsam civitatem dicens: *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei* Si scire vultis quænã tes illam condecorent, dicam: est gloriosa à portis; quia hæ sunt ex margaritis: gloriosa à plateis & muris; quia plateæ & muri ejus ex auro purissimo: gloriosa ab opibus: quia *gloria & divitiæ in domo ejus.* Sed quid multa loquar? S. Vincentius Ferretius in quadam concione sua de pulchritudine cœlestis civitatis, tale dat testimonium. *Quod si daretur homini facultas, ut pulchritudinem cœli tantùm extrinsecam & materialem videre posset, etiamsi ipsum Deum nòn videret, sed neque Angelos & sanctos ejus; & eodem tempore, aliquis illi proponeret auri & argenti copiam, gemmas, & lapides pretiosos, diversorum aromatum odorem suavissimum, cibos delicatissimos, hæc omnia præ dulcedine domus Dei, nihili faceret & omnem comedendi appetitum planè amitteret.* Si huic Sancto non creditis; credetis S. Paulo Apostolo, qui eum ad tertium cœlum raptus esset, ea que ibi vidit, lingvâ suâ humanâ eloqui minimè potuit. Si ergò nobis benè placet tam pulchra cœli civitas, ad quam tendimus per fidem nostram Christianam, debemus quoq; sequi Christi vestigia, quæ nobis viam ad cœlestem Dei civitatem Jerusalem præbent.

Isaiæ 66. v. 1.

Psal. 86. v. 3.

Psal. 111. v. 3.

2. Cor. 12. v. 3.

II. Sed hæc vestigia quænam erunt? Audite quid dicat dux Apostolorum *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia eius.* Quærit Divus Ambrosius, cur Christus Dominus ostensurus discipulis suis gloriam suam, assumpsit illos in montē excelsum, nonne tam benè transfigurari poterat in planicie, sicut in monte? Benè poterat: Sed respondet idem Sanctus Pater, id factum esse, ut ostenderet: cœlestem gloriam mereri & acquiri, per labores, sudores, tribulationesque, quas in hoc mundo pro gloria Dei pati oportet Probo id quodam pulchro conceptu. Jam audistis, domum Dei nostri esse cœlestem civitatem. Sed qualis est situs ejus? S. Joannes Evangelista respondet: dicens. *Civitas in quadro posita est.* Cum figura sphærica sit perfectior quam quadrata, nam totus mundus cœlique rotundi sunt, cur ergo S. Joannes cœlestem civitatem in quadro formatam vidit? Præsul Cappadocum Areta, ingeniosè respondet dicens: *Civitas in quadro est, quia civitas quadrangularis per figuram crucis ex diametro dividitur.* Auditores mei, accipite vobis quamcunque figuram quadram, si illam dividatis per longum & latū, quidnam repræsentabit? non aliud sanè quā figuram crucis, itaq; civitas cœlorum in quadro Sancto Joanni ostensa fuit, ut denotaretur, eam in forma crucis factam esse, nam uti ait S. Lucas Evangelista: *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suā.* Nunc intelligetis illud mysterium verborum Dei dicentis ad Abraam: *Perambula terram in longitudine & latitudine sua, quia tibi daturus sum eam.* Mi Deus, si juxtà Mathematicos tres sunt dimensiones, nempè longitudo, latitudo, & altitudo; cur altitudinem omittis? sed responsum est facile, facite vobis aliquam crucem ex ligno vel alia materiâ, quam diu jacebit in mensa, nō habebit nisi longitudinem & latitudinem. Sed elevate ipsam, mox apparebit & altitudo. Quod ergo demandatum fuit Patriarchæ à Deo ut perambularet terram per crucem, per id significatur nos non posse pervenire ad altitudinem cœli nisi mediante cruce Christi.

S. Petrus 2. v. 21. *D. Ambr. in hunc locum.* *Apoc. 21. v. 15.* *Area.* *Luca 24. v. 26.* *Gen 13. v. 17.*

III. Quando Christus Dominus Apostolum suum Petrum, cæli clavigerum fecit dicens; *Tibi dabo claves regni cœlorum*, tunc ipso facto credimus, ipsum tales claves, ab illo accepisse. sicuti in hoc mundo cubiculariiImperatorum aut Regum aureas claves habere solent. Sed si interrogetis, illa clavis Petri, cujusnam figuræ fuerit? Ego respondeo, habuisse formā crucis. Ratio hujus est hæc. Quia sicuti porta cœli per quam Christus intravit, habet figuram crucis; *Oportuit enim Christum pati & sic intrare in gloriam suam*; & sicuti sera hujus cœlestis portę habet figuram crucis: sic etiam & ipsa clavis, habet figurā crucis, per quam cœlum, quod antea clausum erat, Christus reseravit, juxta illud; *Oportuit Christum pati & sic intrare gloriam suam.* Habetur Genesis 3. capite. Qualiter creator omnium Deus omnipotens, postquam ejectis parentibus nostris è paradiso, clauserat illum, quod etiam illi custodem adhibuerit nempe Cherubin, dederitque ei gladium flammeum ad custodiendam viam paradisi; adquid tantâ Dei cura & diligentia circa paradisum cœli? nonne satis erat, civitatem, portamq; ejus in modum crucis factam esse? nec non seram & clavim modum crucis habuisse? ad quid jam custos cum gladio flammeo & evibrato? Sanè ob hanc rationem quæ ponitur Matthæi 11. capite. *Regnum cœlorum vim patitnr*: non vult Deus aliter acquiri cœlum, nisi per gladium, per cruces & tribulationes multas; juxta illud Actorum 7. *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei.*

Matth. 16. v. 18. *Luc. 24. v. 26.* *Gen. 3. vers. 24.* *Matth. 11. v. 12.* *Actor. 7.*

IV. Creditisne id Auditores? Refert Sanctus Paulinus Tolosatium Episcopus sermone suo 18. Quod dum ad se invitasset Regem Galliæ, cæterosque principes & nobiles viros, illiq; institissent apud quendam religiosum virum sanctum & vitæ exemplaris, ut ipsis aliqua pauca verba spiritualia diceret, ille videns tam excellens & superbū auditoriū, nihil aliud dixit: nisi cum fervore quodam spiritus exclamavit, *Stultus Sanctus Petrus. stultus S. Paulus. stultus sanctus Bartholomæus. stultus sanctus Laurentius cæterique cælicolæ.* Hæc dum audiebant mirabantur, & unus alterum intuebatur dicens: Si hæc ex malitia profert dignum esse eū igne. Si ex dementia, vinculis. Sed ille semper eadē verba repetebat. stultus Sanctus Petus, &c. omnes adstantes hæc sine mysterio non proferentem putantes siluerunt, tunc ille, scio benè quod omnes vos habeatis certam spem intrandi in cœlum. Si ita est: ergo stultus Petrus & alii: nam si vos in rheda, per delicias & voluptates cœlum conscendete vultis? an non

S. Paulin. serm. 18.

non Stultus Sanctus Petrus, qui ut consequeretur cœlum, se in crucem agi passus est? annon stultus S. Paulus, qui ensem sustinuit? an non stultus S. Bartholomæus qui sibi pellem detrahi passus est? an non stultus Laurentius, qui in craticula distentus, dirum ignem pertulit? Illi stulti non fuerunt, sciebant enim quod per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei, ergo vos stulti estis, qui in tantis deliciis vivitis, & tamen in rheda cum trapulis, vel pigeta cœlum ascendere vultis. Est verum Auditores, Eliam Prophetam rheda in cœlum ductum fuisse, sed quia porta cœli angusta est; juxta illud Matthæi 7. cap. *Angusta est porta & arcta est via quæ ducit ad vitam.* Sic Elias coactus fuit currum relinquere, & ante judicium extremum in terram venire debet, & si cœlum intrare velit, per portam crucis, id est per martyrium quod ab Anti Christo sustinebit, illud intrare debebit.

4. *Reg.* 2. *v.* 11. *Matth.* 7. *v.* 13.

V. Jam ergo Auditores mei, si verbis meis fidem adhibebitis, neminē posse introire ad cœlum nisi per tribulationes, etsi cupitis vos associare Christo Domino, ut ubi ille est, & vos sitis, sequamini ejus vestigia, quæ nobis demonstrat S. Levita Laurentius S. Paulus Apostolus 1. ad Corinthios cap. 9. ita ait. *Qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* Athleta omnis, cui decertandū est cū adversario, prætet arma quibus eget, aliis se rebus non onerat, ut sit eo magis expeditus ad pugnam, eodem modo & viator, multa secum non accipit, ut iter suum faciliùs prosequi possit. Sanctus Jacob Patriarcha, quando peregrinabatur in Meso potamiam, non nisi panem petiit & vestimentum à Deo; meritò quidem: cætera enim quæ superflua sunt, magis retardant euntem, quàm sint ei alicui adjumento. En ergo viatores mei, qui unà mecū ad Christum tenditis, habetis præ oculis ductorem vestrum Sanctum Laurentium. Iste Sanctus cum se adscripsisset militiæ Christi Domini, ejusque se mancipasset servitio, benè sciens hic sibi magnum instare certamen cum Diabolo, qui Decium Cæsarem contra se instigaverat, mundo & carne, quia erat egregius adolescens, ut magis expeditus esset, omnes thesauros Ecclesiæ distribuit, pauperibus & egenis, præmittens illos ad locum illum; *Vbi neque ærugo neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt nec furantur.* Sic jam libet ab omnibus sarcinis qualiter agonem suum peregrit, quæ certamina sustinuerit cum nemo vestrum sit, qui id ignoret, hæc gratis repetere nolo, sed tantùm pro ductore vestro illum vobis præsento, ut si cum Christo esse velitis, S. Laurentium sequi debeatis, Forsè dicetis! nos quidem cuperemus, sed martyrii nulla est occasio. Est verum, quia nullum hic habemus tyrannum, qui nos pro fide Christi persequatur. Sed esto! antea illæ Sanctæ Virgines crudelissima quæq; tormentorum genera constanti animo perferre ac tolerare non verebantur Sicut invicta illa Heroina ac Martyrum gloria S. Catharina, rotam aculeatam, & ensem, &c. sed modo sexus fæmineus timet murem aut ensem euaginatum. Sed debiliorem sexum relinquamus, veniamus ad virilem Fortè esset aliquis hic dicens, ego pro Christo vellem mori, sed de est persecutor: id ego non credo, nam si martyrium ferre potes, quarè si quis te torvè aspiciat ferre non potes? Cur verbum unum quod per aërem volat excipere nō vales? Cum ergo minora sustinere nequeamus, quomodo majora, quæ S. Laurentius, aliique S. Martyres pertulerunt sustinebimus? Quocirca Auditores mei, togemus Salvatorem nostrum Jesum Christum, ut nos in fide sua in tantùm roboret, ut semper sanguinem ac vitam ipsam pro illo effundere simus promptissimi. Sic enim S. Laurentium imitabimur & simul cum illo adjungemur Christo Domino, qui vivit & regnat in æternùm.

1. *Corint.* 9. *v.* 25.

Gen. 28. *v.* 20.

Matth. 6. *v.* 9.

Amen.

IN FESTO S. LAURENTII Martyris.

CONCIO IV.

Qui mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus, qui est in cœlis. Ioan. 12. v. 26.

FEstivam memoriam invictissimi Martyris Sancti Laurentii hodie cuncti fideles celebramus; Sed præcipuè in hoc sacro loco primũ Deo maximo, nec nõ nomini & honori hujus Martyris & singularis hujus sacræ ædis Patroni dedicato, unde vero exordiar Auditores prorsus dubius ac suspensus hæreo producenda n. erunt hic encomia, quæ debentur virtuti, non simplicis militis sed athletæ fortissimi, qui in suo certamine majores ostendit vires, quales unquã habuisse fertur Magnus Alexander, Hector Achilles, aliiq; viri robustissimi: isti n. certandũ fuit cum mundo, carne, & Diabolo, pugnado de vita æterna, cum morte temporali, illam satis longo processu sui martyrii defatigavit; tandemq; devicit. Iste est, qui dum totus fuisset in igne divinæ charitatis, in craticula positus & assatus, ignem materialẽ non pertensit; sed in eodẽ perseverans, in ipso fuit *Quasi thus redolens in diebus æstatis.* Iste est qui se obtulit Deo in gratissimum holocaustum, dum in igne arsit. Iste est, qui divini sacrificii figuram in libro Leviticidemandatam (nempè si de craticula fuerit sacrificiũ, similia olei conspergetur, quã offerens Domino trades in manibus sacerdotis quam adolebit super altare in odorem suavitatis Domino) suo in corpore adimplevit, factus n. sicut similia ex grano frumenti, per tormenta plurima, & conspersus oleo misericordiæ Christi, obtulit se ipsũ in craticula Christo sacerdoti vero. Ille est quẽ sancti Patres & Doctores Ecclesiæ, summis præconiis celebrarunt; quem Sanctus Maximus Apostolico consortio copulavit; cui Leo Magnus tale dat encomium. *Sicut clarificata est Ierosolima stephano, sic Roma Laurentio:* & meritò Multos n. memorabiles triumphos Roma vidit. Magni Pompeii, Julii Cæsaris aliorumq; Imperatorum. Sed triumpho Laurentii neque

Eccles. 5. v. 6.

S. Leo serm. de Sanctis.

similem vidit, neque majorem. Ille est quem demirantur Sanctus Gregorius Nazianzenus, & Chrysostomus in suis concionibus. Ille & quem sanctus Ambrosius & s. Augustinus tribus illis pueris in fornacem Babilonicam missis cõparat Nec mirũ quod tantos titulos acceperit iste Sanctus: Quia suam vitam Christo obtulit eique ministravit. Undè cum tot glorioſos Oratores, iste Sanctus suos præcones habebat. Ego quoquè non ex me, sed ab aliis aliquid desumam & eidem Sancto Martyri unà vobiscum dedicabo.

I. Licet omni virtuoso honor debeatur præcipuâ tamen ratione Martyribus, & inter ipsos Laurentio tanquam illustrissimo Martyrum. Cujus rei duæ sunt rationes. Primam assignat D. Thomas Aquinas, cap. 22. nempe propter charitatem imperantem, seu perfectam, quam inter omnes actus virtuosos demonstrat martyrium. Quia tantò magis ostenditur aliquam rem quispiam amare, quantò pro illa rem magis amatam contemnit, & rem odiosam magis eligit. Manifestum est autem, quod inter omnia bona præsentis vitę, maximè homo amat ipsam vitam, & è contrario maxime odit mortem, quam ut effugiat, etiam omnia si amittat, non curat. Praxis hujus liquet in mari. Dum enim aliquis mercator navigat in navi cum pretiosâ supellectile, si procella, vel venti contrarii veniant, & videat vitam suam versari in periculo, nisi navim alleviet, cistas, aurum, argentum, gemmas, aliaque pretiosa ejiciat ex navi, alios que rogat ut idem eicò faciant, tantùmodò ut vitam conservet; atqui Sancti Martyres ob amorem Christi Domini, vitam suam nihil reputarunt, quin eandem pro eodem, mille periculis exposuerunt, & pro eodem mori non dubitarunt. Signum ergo est, illos maximam habuisse charitatem, juxta illud

D. Thom. Aq. c. 22.

Joannis

Ioan. 3. vers. 15. Joan. 3 *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

II. Sicut autem propter charitatem quæ elucet in Martyribus, summo sunt honore digni; ita pariter propter fortitudinem ipsorum admirandam. Fortes enim in hoc mundo præcipuo in honore & habiti fuerunt & habentur. Cujus habemus testimonium Genesis 6. ubi fortes illi gigantes vocati sunt famosi. Illi sunt potentes à sæculo viri famosi. Sic & in omni Republica viri fortes præcipuos honores obtinuerunt, uti Romani illi victores, triumphos, coronas, orationes, & nunc nobilibus honor defertur, propter fortitudinem Patrum & Avorum, quorũ fortitudinis gestant insignia & stemmata. Quin omnium regnorum historiæ de hac re præcipuè agunt nempè de fortitudine Regum & Principum, Nec solum humanæ historię sed & divinæ, æternæ memoriæ tradiderunt facta virorum fortium. Habemus enim 2. Reg, cap. 23. Qualiter David fortiũ illorum nomina & eorum facta in Catalogum induxerit. Nempe Jesabæam, qui elevatâ hastâ suâ 860. uno insultu occidit Eleazarum, qui manens cum exercitu David percussit Philisthæos donec deficeret manus ejus. Abisai, qui 300. inimicos occiderat manu suâ, Bananiam, qui duos leones & unum Ægyptium miræ magnitudinis gigantem interemit. Azaelem & alios 37. qui fortissimi fuerunt, suis nominibus nominavit, Si ergo fortitudo eorum honore digna est. Martyres quoque erunt honorabiles, quia præcipuum demonstrãt actum fortitudinis, dum propriam vitam pro Christo amittere nõ dubitarunt. Undè non immeritò exclamat S. Cyprianus Epistola 6. *O Beati Martyres, quibus vos laudibus prædicem robur corporis vestri, quo præconio vocis explicem, &c.*

Gen. 6. vers. 4.

2. Reg. 23. vers. 8, 9.

Cyprian.

III. Sed quoniam martyrium unum est illustrius altero, si pugna sit acrior, diversæ enim apud aliquos Græcos Coronæ tribuebantur pro diversitate certaminis ac fortitudinis. Manifestum est, inter Martyres primũ locum tenere S. Laurentium, undè illi Ecclesia Sãcta nõ solùm vigiliam dedit cum jejunio, sed etiã ut per totam Octavam ejus memoria habeatur. Hoc verò ut manifestum fiat, duo ista fuerunt in S. Laurentio quæ illum præ cæteris maximè illustrarunt. Nempè charitas, & desiderium pro Christo patiendi, & deinde maxima fortitudo in passione demõstrata. Quod concernit fervorem charitatis, desiderium patiendi, apparet ex proprio ore S. Laurentii. Dum enim videret Sanctum Senem nempè Sixtum Papam progredi ad coronam martyrii taliter exclamavit. *Quo progrederis sine filio Pater quo sacerdos Sancte sine ministro properas? Tu nunquam sine ministro Sacrificia offerre consueveras, quid ergo in me displicuit Paternitatitua?* Audite flammas ignitas charitatis, scintillas proferentes verborum. Sed non minus attendẽda sunt verba Sixti Pontificis eum cõsolantis. *Noli metuere fili; non ego te desero, sed majora tibi debentur pro fide Christi certamina; post triduum me sequeris.* Quæ verba enarrans S. Augustinus miratur & ait. *Hæccine est consolatio, quin est potius contristatio. Si dixisses, desinet tua persecutio, salvus eris, nihil tibi fiet, tunc benè fuisset consolatus. Sed quale est genus cõsolationis, dicere post triduum me sequeris in martyrio? Si quis accederet ad hominem tribulatum & diceret; noli tristari, quia cras persecutiones plures & majores sustinebis, diceret ille. planè hæc non est mea consolatio, sed conturbatio.* Ita planè nobiscum est, quia charitatem Dei non habemus: at aliter fuit cum S. Laurentio qui cum plenus esset charitate amando Deum, amavit etiam innumera tormenta, carceres &c. quin & ultimo videns ignem pro martyrio suo sibi præparatum, videns craticulã ferream in qua extendi debuit ac si aliquis lectulus mollis sibi stratus fuisset, ita ad illam properavit dicẽs. *Gratias tibi ago Domine, quia sic januas tuas ingredi merui*: non solùm agit gratias quod in cœlum recipitur, sed quia per tormenta, per ignem; quia sic per januas tuas ingredi merui.

S. August

Plutarchus de Viris illustribus.

IV. Auditores mei; habent oratores & Philosophi suos terminos speciales quibus utuntur. Noster Orator S. Laurentius utitur etiam speciali termino in sua occisione. *Gratias tibi ago, quia sic januas tuas ingredi merui.* Quomodo sic Sancte Martyr? Videamus an conveniat cum aliqua oratione Christi Domini, an etiã usus fuerit hoc termino sic? Omnino: habemus enim Lucæ 24. *Oportuit Christum pati & sic intrare in gloriam suã.* Conformavit se igitur Christo Domino S. Laurent. quia per passionẽ januas cœli ingredi meruit. Sed Auditores mei nostrũ orare valde abest ab eo termino Sic ut & Christi Domini & S. Laurentii diversum: dicit S. David Psal. 1. & benè. *Non sic impii non sic, sed tanquam pulvis.* Non enim per passiones & dolores; sed per voluptates & delicias intrare volumus in Regnum Dei.

Luc. 24. vers. 26.

Psal. 1. vers. 4.

Boni

Boni amici qui se vere diligunt solent inter se facere communicationem rerum suarum. Sicut Jonathas quia diligebat David, dedit illi tunicam suam, & præcinxit balteo suo: dum ergo ego considero ignem & craticulam in qua S. Laurentius assatus fuit, non possum aliud dicere quàm quod Deus commutationem mortis suæ fecerit cum Laurentio, in signum maximi amoris. Quod probo taliter, quia Deus in antiqua lege maximè delectabatur holocaustis: delectatus fuit illa victima Abraami dum filium volebat immolare, & illa immolatio planè fuit figura Christi Domini: delectatus fuit visa victima Noë post diluviũ, dum enim egressus fuisset post ex arca atque obtulisset Domino holocaustum, dicit Scriptura: *Odoratus est Dominus odorem suavitatis suavissimum.* In toto libro Levitici idem scribitur & tandem [ut veniam ad historiam Samsonis] habemus scriptum in libro Judicum, quod dum Deus statuisset populum suum liberare ex manibus inimicorum, misit Angelum ad parentes Samsonis, quibus pollicitus est filium qui futurus esset terror Philistinorum, Pater hoc audiens accepit de grege victimam, extruxit Aram, & incendit coram Domino: quod videns Angelus ascendit illas flammas, fecitq; sibi quasi vehiculum ex illis, & sic ascendit sursum ad cœlum, cumque ascenderet flamma altaris in cœlum, Angelus Domini pariter in flamma ascendit. Magnus Ecclesiæ Pater S. Augustinus perpendens istud Angeli factum, arbitratur Angelum illum præfiguràsse verbum divinum, quod involvens sese flammis illis, sicuti & in rubo ardenti sese Moysi demõstravit, expressit desiderium suum, quo anhelabat pro salute humana non solùm in cruce sed etiam in igne mori. Sed quia ita conveniebat, ut peccatum in arbore commissum, etiam in ligno crucis plecteretur: itaque ut ad minùs si non ipse tamen in membris suis experiretur mortem ignis, commutavit istam mortem cum Laurentio. Ille quidem ascendit crucem. Laurentius verò craticulam supra prunas ardentes positam.

1. Reg. 18. vers. 8.

Gen. 22. vers. 6.

Gen. 8. vers. 21.

S. August.

V Ecce quantum exaltavit charitas S. Laurentium, quem Christus Dominus elegit pro socio passionis suæ. Sed non minus fortitudo, quàm in illo igne ostendit admirabilem, eidem Sancto maximo honori fuit. Scio multa exempla quorundam hominum, qui tormentum ignis fortiter pertulerint. Dum Porsenna Rex Hetruriæ obsedisset Romam, tam validè, quod jam incolæ Romani fame morerentur, tunc Mutius Scævola adolescens Romanus acceptâ facultate in castra hostium irruit, ut morte Regis patriam liberare posset. Sed cum loco Regis, errore scribam ejus purpuratum occidisset, captusq; & ad regem perductus fuisset, in pœnam erroris in præsentia Regis manum eandem qua erravit, igni imposuit & combussit, sicque Romam liberavit. Cum enim audisset Rex adhuc 300. juvenes illi esse similes in audacia; qui Regi insidiarentur, dimisit Romam juvenem & ab obsidione ejusdem recessit. Ille etiam Græcus adolescens Ephebus Alexandri Magni dignus laude: quia dum Rex Diis suis incensũ faceret & cardens carbo super brachium juvenis cecidisset illudque exureret, ille absque ullo doloris sensu, immotus substitit quousque Magnus Alexander totum sacrificium absolvisset. Sed hęc nihil sunt, respectu S. Laurentii: sic enim non una manus, non unum brachiũ sed totum corpus martyris extensum fuit super cratem, dum jam fuisset exustum, nondum edidit signa doloris. Sed potius in ipsis cruciatibus Tyrannum derisit dicens. *Assatum jam satis est, versa & manduca.* Audistis qualiter Christus corona Martyris honorificaverit servum suum Laurentium, nempè medio charitatis & fortitudinis. Ecce quam bonum servire Christo. Qui mihi ministraverit, &c. Rogemus itaque istum Martyrem & Patronum loci huius sacri, nempè ut nobis apud Christum Dominum impetret hasce duas virtutes; scilicet charitatem, ut Deum amare, fortitudinem verò ut quæcunque adversa pro ipso fortiter tolerare valeamus, & per eadem duo virtutum media hic misericordia & miserationibus, postmodum verò cum Laurentio Laureâ in cœlis coronari mereamur.

Plutarchus.

AMEN.

IN

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI Apostoli,

CONCIO I.

Ecce verè Israelita, in quo dolus non est. Ioan. 1. Vers. 47.

MUltum profecto, Auditores mei habetrem laudum materiæ, quam possem convertere in amplissimum, encomium Sancti Bartholomæi Apostoli magni Patroni nostri. Ille enim est illud lucidum primum sidus Apostolicum, decus Martyrum, Indiæ lumen, Ecclesiæ ornamentum, Ille est, qui pro Christo Lycaoniam, Indiam, Armeniam peragravit, qui Reges, & populos plurimos ad Christi fidem adduxit, qui tot gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, gladio verbi Dei superavit, qui pro Christo in terris mortalibus spoliis exutus, fortiter occubuit, qui bonum certamen certavit, cursum consummavit, fidem servavit, qui à Christo in cælis stolâ decoris indutus glorioſe triumphavit, qui non in una parte sui corporis, sed in toto corpore cruciatus, majore quoque gloriâ & fulgore micat. Hæc inquam quæ à me de Sancto postolo prolata audistis, quantum hic ad dicendum materiam, quantam ad ornandum ipsum copiam ministrarent? Sed id totum pertranseo, mihi enim hæc verba assumpta pro themate abundè sufficiant, quia non à Demosthene seu quopiam Oratore hujus sæculi, sed ab ipso Christo prolata fuerunt dicente: *Ecce verè Israelita in quo dolus non est.* Quibus verbis & nos insistentes, aliqua notatu digna de Sancto Apostolo Bartholomæo audiemus. *2. Tim. 4. vers. 7.*

I. Posset aliquis mihi objicere, quomodo ex istis verbis Christi Domini ad laudes Sancti Bartholomæi devenire poteto, cum illa teste S. Joanne Evangelista, de Nathanaele & non de hodierno S. Apostolo dicta fuerint? Sed ego respondeo multos Doctores Ecclesiæ sanctæ, uti est Rupertus Abbas, item Montanus cæteriqne, illos sentire eundem fuisse Bartholomæum qui etiam Nathanael vocabatur, & hanc sententiam tali argumento probant, siquidem in codice Evangelico in quo Apostoli numerantur, Bartholomæum Philippo cohærentem reperimus. Per Philippum verò vocatum fuisse Nathanaelem ad Christum, testatur Sanctus Joannes Evangelista, qui cum proferret aliqua de Nathanaele, & reliquos Apostolos nominarer, Bartholomæi non meminit, reliqui verò Evangelistæ qui Bartholomæum nominant, de Nathanaele non meminerunt: unde prætacti autores tali argumento moti, hæc duo nomina pro una persona accipiunt. Quod si ita est, magna hic accrescit gloria Sancto Apostolo Bartholomæo, quod ad se accersito, tale dederit testimonium. *Ecce verè Israelita in quo dolus non est.* Spiritus S. apud Ecclesiastic. cap. 17. enarrans primi hominis creationem talibus verbis utitur. *Deus creavit de terra hominem, & secundum imaginem suã fecit illum;* & paulò post addit: *Posuit oculum suum super corda ipsorum.* Quid sibi vult hæc divina inspectio? Quando Deus præcipiebat Moysi ut faceret & erigeret tabernaculum fœderis cum suis attinentiis, dicebat ad ipsum: *Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Ut benè inspiceret Moyses opus suum, id erat necessarium; posset enim à primo exemplari sibi demonstrato deviare: sed quod Deus opus suum, nempè homines à se creatos aspiceret, quænam erat necessitas, quan-

Apud Iovium serm. de S. Bartholom. *Luc. 6. vers. 14.* *Ioan. 1. vers. 45.* *Eccl. 7. vers. 1. v. 7.* *Exod. 25. vers. 40.*

quando quidem Deus, exemplar erat hominis, qui errare nequit. Et deinde, quænam est ratio quod posuerit oculum suum, super corda ipsorum? Cur non super manus? De servis & ancillis sic ait Rex David Psalmo 122. *Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, & sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ*: optima similitudo Prophetæ, in qua oculos humanos, oculis servorum assimilat, quibus intuentur manus suorum dominorum, ut aliquid ab illis accipiant. Unde cum nos divinis manibus egeamus, rectè in illis oculum nostrum jacimus, at Deus nullâ re nostrâ eget, undeetiam non habet cur manus nostras aspiciat, sed potius intuetur cor nostrum, quia rectam mentis intentionem, quæ est absque omni dolo, multum amat, & æstimat. Eodem modo fecit Christus Jesus: cum enim Sanctum Bartholomæum quem vocavit, obvium sibi habuisset, non attendebat ad habitum sui corporis, sed posuit oculum suum, super cor ipsius, unde rectitudinem illius perspectam sibi habens, in laudem Sancti Apostoli hæc verba protulit. *Ecce verè Israelita in quo dolus non est.*

Psal. 122. vers. 2.

II. Legimus de Sancto Jacob Patriarcha Gen. 32. capite, quod post finitam illam luctam quam habuerat cum Angelo, nomen ejusdem fuerit permutatum, dicente eodem Angelo. *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel.* Quænam hic fuerit permutationis ratio. Patet ex verbis Angeli dicentis: *Quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis?* Ob heroicam ergo fortitudinem permutationem nominis obtinuit: sic enim & Heroes hujus seculi, à rebus præclarè gestis nomina nova sortiuntur, seu sibi usurpant: Sed ego in hoc facto Angeli, quod inquam permutaverit nomen Sancti Jacob Patriarchæ aliud mysterium invenio. Hoc nomen Jacob significat supplantatorem, non quidem ratione illius facti duplicis, nempè prioris, quando Jacob emerat pro quodam edulio, primogenita Esau fratris sui: Posterioris verò, quando eidem præripuit benedictionem, unde querulando contra ipsum Esau ajebat: *Iustè vocatum est nomen ejus Iacob: supplantavit enim me en altera vice?* Venerabilis tamen Hugo Cardinalis defendit hoc factum Sancti Jacob dicens: *Numquid emerat primogenita? Ergo sibi debebatur benedictio patris.* Nihilominus tamen quia ex vi Etymologiæ hoc nomen Jacob, idem sonabat quod supplantator; Deus autem tales odio habet, & solam sinceritatem amori, ideo voluit ut hoc nomen permutaret, & Israel vocaretur, Ut jam non pro supplantatore haberetur, sed pro Israelita in quo dolus non est. Prætactus Hugo Cardinalis favet huic discursui dicens: *Non vocabitur nomen tuum supplantater id est Iacob, sed Princeps cum Deo, id est Israel.* Nova laus, novum encomium, novus decor S. Apostoli Bartholomæi, quendam enim è principibus divinis aspicio, dum Israëlem dici audio. *Ecce verè Israelita in quo dolus non est.*

Gen. 32. vers. 28.

Hugo in Gen. 27.

Hugo in Gen. 32.

III. Jacob Patriarcha quia prævaluit contra Angelum, Israël dictus erat, quanto magis hoc nomen convenit Sancto Apostolo Bartholomæo? Vultis audire aliquid, cujusnam fuerit fortitudinis? Samsonis vires sunt nobis benè notæ. Postquam enim ligatus fuit à tribu Juda duobus novis funibus, ut traderetur Philistiim in vindictam, eò quod frumenta illorum combussisset in agris, dum sic eductus esset, & venisset ad locum maxillæ, & Philistiim vociferantes occurrissent ei, vincula quibus vinctus erat mox disrupit, inventaque mandibula asini interfecit ea mille viros: Non absimile quid in vita Sancti Apostoli Bartholomæi invenio. Hic veniens in Indiam quæ illi ad prædicandum obtigerat, devenit ad templum quoddam, in quo erat idolum nomine Astarot, quod Diabolus in habitabat, decipiens homines suo astu, ac si illis conferret sanctitatem. At Sanctus Apostolus cõdolens hominibus quibus Diabolus ille sic illudebat, eum non funibus sed catenis ligavit, ne quidquam in perditionem humanam attentâret. Veniunt sequenti die homines, idolum veneraturi, & ab illo remedia infirmitatum suarum accepturi, idolum nulli quidquam respondet, itur ab illis ad alteram civitatem in qua alterum idolum nomine Berith colebatur, dumque interrogant, quid sit causæ quod idolum Astharoth nihil ipsis responsi daret, inquit illud

Iud. 15.

Gen. 27. vers. 36.

illud. Deus vester catenis igneis constrictus est, nec respirare, nec loqui audet ex illa hora, quia Apostolus Dei Bartholomæus ingressus est. Res stupenda, ligatur Samson, ille inquam qui Leonem occidit & dilaceravit: ligatur leo, qui rugiens circuit quærens quem devoret: ligatur fortis armatus, qui custodiebat atrium suum. Sed cur sua vincula disrumpere non potuit? Quia fortior superveniens vicit eum. Quam igitur bene quadrant illa verba Sancto Apostolo, *Ecce verè Israelita?*

IV. Non solum fortitudo Sancti Apostoli Bartholomæi in vita sed etiam in morte apparuit. Alii Sancti Martyres qui pro fide & Christi nomine supplicio afficiuntur, unum supplicii genus sustinent, vel ensem ut Doctor gentium, vel crucem ut Petrus & Andreas, vel lapides, ut protomartyr Stephanus, vel ignem ut Laurentius, vel leones ut Ignatius. At hic Sanctus Apostolus ut se verum Israelitam, nempe fortem ostenderet, diversum martyrii genus sustinuit. Nam uti refert Lombardica historia. Primo fuit cæsus, deinde crucifixus & antequam moreretur de cruce depositus, ad majorem cruciatum excoriatus, & postremò capite truncatus. Fortè dicetis, & quæ fortitudo in suppliciis? maxima sanè, talibus enim certaminibus annexa est gloriosa victoria triumphi. Quid ni? Eccur Paulus portat gladium? Andreas crucem, Stephanus lapides, nisi in signum triumphi? Noster S. Bartholomæus dum portat suam pellem, portat vellus aureum sibi pro magno honore datum, cum tali elogio. *Ecce verè Israelita in quo dolus non est.*

V. Verè non invenietis dolum in Sancto Barthomæo vero Israelita, & nequidem minimum. Scitisne cur Sanctus iste suâ pelle se expoliari permisit? Quia typum innocentiæ præ se ferre voluit. Legimus de Protoparente nostro, quod cum in peccatũ incidisset, mox eũ ad folia confugisse, erubescebat enim nuditatem suam. Sanctus Bartholomæus Christi Apostolus ætate sua Adamo felicior: ille enim non solum id nihili fecerat, cum vestibus expoliaretur, quin etiam ut eo magis nudus appareret, alteram naturæ suæ vestem sibi detrahi passus fuit: qui enim sinceritatem cordis sui veram habuit, pellem sui corporis sibi auferri fecit, ut aperram, nudeamq; ostenderet. *Ecce verè Israelita in quo dolus non est.* Curemus Auditores, sancti hujus Apostoli, tam præclarum imitari exemplum, non dico in uno corpore, neque in in detracta pelle Bartholomæi, sed in nudo corde & sincero: sit apertum primum Deo & deinde proximo, quod est in corde, id fiat in ore: abjiciamus parentum nostrorum peripsomata, quin ipsam quoq; pellem id est velamen cordis eruamus, ut sincetitatis veræ, & salutaris, præmia consequi mereamur in cælis.

Gen. 3. v. 7.

AMEN.

IN FESTO S BARTHOlomæi Apostoli,

CONCIO II.

Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus. Lucæ 22. 12. v. 28.

HAbent diversos modos, quibus utuntur Oratores, dum quempiam laudare velint, & ut præteream veteres gentilium, accipio sacrũ Oratorẽ, nempè Ecclesiasticum, quia cap. 44. ad 50 usq; diversis præconiorum materiis laudavit viros gloriosos. Enoch à translatione in paradisum. Abraam à fide. Isaac à benedictione Jacob à 12. tribubus. Moysen à mansuetudine Aaron & Phinees à Sacerdotio, Josue & Caleph à fortitudine. Samuelem à fuga avaritiæ Nathan à Prophetia. Davidem Regem à gestis heroicis; sed potissimũ à pietate. Salomonem à sapientia. Eliam à zelo Dei, aliosq; complures Principes & Prophetas quos longum esset enumerare, à diversis laudum meritis, juxta illud quod dicit sacer textus *Omnes isti in generationibus gentis suæ, gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus.* Haberet etiam suos viros illustres Christi Ecclesia, qui Patres antiqui testamenti, non tantum numero, sed etiam dignitate si non superarunt, certè adæquarunt. Inter quos potissimum locum obtinent Sancti Apostoli: illi enim sunt gloriosi Principes in aula Christi Regis. Juxta illud. *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum.* Sed placet audire ipsorum præconia? Percepistis ex hodierno Evangelio quod Christus Dominus dum vidisset comperentiam suorum discipulorum, inter quos fuit facta quædam contentio; quisnam eorum videretur esse major in regno cœlorum; tale de ipsis judicium & sententiam tulit. *Reges gentium dominantur earum, vos autem non sic; sed qui major est in vobis, fiat sicut minor.* Tandem ut ostenderet ipsis, per quid sint adepturi æstimationem sui gloriosam, dixit: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus; & ego dispono vobis regnum.* Si ergò maximatum præmii, tum laudum materia sita est in tentationibus fortiter toleratis! Probabo vobis S. Bartholomæum Apostolum ex eo capite cunctis Apostolis fuisse fortiorem, & consequenter majori præ omnibus laude dignum.

Eccl. 44. v. 7.

Luc. 22. v. 29.

Luc. 22. v. 25.

I. Christus Dominus laudis materiam quæ Apostolos efficere voluit, non immeritò ex tentatione desumpsit, dicens. *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus.* Si quidem tentatio est quasi quoddam scrinium in quo diversi thesauri nempè aurum, argentum, gemmæ, & lapides pretiosi reponuntur: nempè quotquot virtutes mihi demonstraveris, eæ omnes tanquam lydio lapide, unâ tentatione probantur. Fidelis erat Abraam, sed tunc sua fides magis innotuit dum se ad immolandum Deo suum proprium filium paratum exhibuit. Moyses natura mitis erat, sed tunc verè talis apparuit, dum sibi populus rebellis contradicebat, pro quo tamen ille Dominum exorabat. Joseph fuit castissimus adolescens, sed in tentatione castior apparuit, nempè tunc, dum in manibus Dominæ suæ quæ se ad peccandum sollicitabat, pallium reliquisset. David Rex erat temperans, sed temperatior visus fuit, dum semel magnâ siti defatigatus, noluisset tamen aquam à tribus fortissimis viris ex cisternâ juxta Bethleem, cum magno vitæ periculo allatam bibere, quin eãdem Domino libaverat, sed ut plura exempla relinquam, unicus Christus nobis pro omnibus sufficiet, quem S. Paulus Apostolus ad Hebr. 4. scribit tentatum fuisse per omnia: sanè non ob aliam rationem, nisi potissimum ob eam quam assignat D. Augustinus Tomo 8 scribens ita: *Christus tentabatur, in Christo n. tu tentabaris, quia Christus de te sibi contumeliã, de se tibi honores tulit. si in illo tẽtati sumus, in illo tentationẽ superamus:* ex quib⁹ verbis

Gen. 22. v. 12.

D. August.

verbis S. Doctoris facilè jam causam colligimus verborũ Christi Domini dicentis ad Apostolos. *Vos estis qui permansistis mecũ in tentationibus*: tentationes quippè nec facilè vincuntur sinè Christo, & de iisdẽ gloriosiortriũphus reportatur cũ Christo. Patebit id nobis eleganti conceptu S. Augustini, qui extollens summis laudibus notissimã illã victoriã, quâ Adolescens David de gigante Goliath triumphavit, circa eandem multa expendit & inter illa hoc in rem nostram, quod licet David obtinuerit victoriã gigantisq; superbiam dejecerit, Dei tamen populus maximam ex ea hauserit utilitatem, & non tam cesserit in beneficium & utilitatem victoris David quàm Israelitarum, quod brevibus verbis perstringit D. Ambrosius: *Unius David fortitudo facta est universorũ victoria.* Eodẽ planè modo dicere possumus de Christi Domini Apostolis, quod cum permanserint cum eodem in tentationibus, sicut cum eodem fortiter decertante, pugnarunt & ipsi, sic cum victore Christo triũphant simul omnes Apostoli, adeo ut verba S. Ambros. sancti Ambrosii sic invertere liceat. *Unius Christi fortitudo facta est Apostolorum victoria.*

II. Sed quoniam victoria una est gloriosior alterâ, si tentatio sit acrior ac difficilior. Undè & Romani diversimodè triumphabant, juxta qualitatem victoriarũ: quidam ovando tantum & coronati Romam ingrediebantur, quidam autem omni solennitate adhibitâ, nempè triumphando. Similiter Græci diversas victoribus coronas pro diversitate certaminum tribuebant. S. Apostoli Bartholomæi hujusq; sacri templi Patroni celeberrimi, videamus tentationem, ut possimus judicare de triumpho & laudibus eidem Sancto competentibus. Hic jam S. Apostolum nostrum magno Patri Abraamo comparare possum; nam sicut Sanctus ille Patriarcha, inter pleraq; tentationes duas habuit præcipuas; ita & noster S. Apostolus. Una tentatio Abraã ea fuit dum dixisset Dominus ad eum. *Egredere de terra & de cognatione tua & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrabo tibi.* Gen. 12. v. 1. Certè dura fuit ea tentatio; unicuiq; enim naturaliter dulce solum patriæ est, omnesq; gentium pro aris, focis, & sepulchris parentum suorum pugnare solent: sed S. Bartholomæus Apostolus duriorem adhuc sustinuit tentationem, idq; tribus de causis. primò, quia ille non solum à patriâ suâ quæ erat Galilæa, ad jussionem Christi Domini recessit, eamq; ex toto deseruit; sed etiam cum ipsi India in illa terrarum orbis sortitione ad prædicandum Jesu Christi Evangelium obvenisset, egressus de terra & de cognitione sua peregrè profectus fuit ad remotissimas illas Regiones, tum adgentes ferocissimas quæ nec verã Dei cognitionem nec etiam humanam morum civilitatem habebant. Secundo: non legimus aliquid in sacra scriptura, Deum prohibuisse Abraamo ne aliquid secum acciperet pro viatico, quin talem textum inveniemus, *Abraam cum egrederetur de Aran, tulit Saram uxorem suam & Loth filium fratris sui, universamq; substantiam quam possidebant.* Gen. 12. v. 4. At Sanctus Bartholomæus ad tam longum iter, quale portavit viãticum? nullum planè: Siquidem tam ipsi quàm aliis etiam Coapostolis talia Christus dixerat: Lucæ 10. *Nolite portare sacculum, neq; peram, neq; calceamenta:* Tertio Abraami tentatio ut egrederetur de domo sua & alio pergeret, non debebat sibi fieri difficilis: quia statim sequebatur ipsum promissum Dei dicentis; *Faciam te in gentem magnam & benedicam tibi, eriq; benedictus* Gen. 12. v. 3. At SS. Apostoli è suis patriis sedibus alio profecturi, loco promissionis & consolationis istud audiverunt. *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* Luc. 10. v. 4.

III. Secunda Abraami tentatio describitur Gen. cap. 22. Tentavit Deus Abraam & dixit ad eum: *Tolle filium tuum unigenitum quem diligis Isaac, & vade in terrã visionis atq; ibi offer eum in holocaustum.* Gen. 22. v. 2. Hæc quidem tentatio durior primâ fuit, sed simili sicut prius facilitate à Deo temperatâ quia dum voluisset Abraam exequi mandatum Dei, filiumque proprium immolare, mox misit Angelum qui teneret manum Patris, ne eam super puerum suum extenderet: itaq; Abraam animo & voluntate, sed non ipsomet facto obtulit Deo holocaustum. Atqui S. Bartholomæus jam hic superasse videtur Abraamum: ille enim non aliud à se quæ sivit sacrificium; sed se ipsum obtulit Deo holocaustum, factusq; est victima Christi Domini, non tantum voluntate sed re ipsâ. Cum enim in India magno fructu spirituali edito, pluribusque gentibus ad Christi fidem conversis, multisque ibidem laboribus & calamitatibus exantlatis, venisset in Majorem Armeniam, ibique Polimium Regem & conjugem ejus ad Christianã fidem perduxisset, gentis illius Sacerdores, invidiâ

concitati Astyagem Polimii Regis fratrē usq; adeo in Apostolum incenderunt, ut is viuo Bartholomæo pellem carnis suæ crudeliter detrahi ac post caput abscindi jusserit, quo in martyrio animam Deo reddidit, Crudele & in auditum tormenti genus sustinuit hic Sanctus Apostolus, sed multas in eo prophetias & figuras adimplevit. Nempe illam Joelis prophetæ cap 1 *Ficum meam decorticavit nudans spoliavit eam.* Audiverat quippè Christum Dominum maledixisse semel ficui, eo quod pulchra ostendens folia nullum fructum habuisset. Theophylactus in caput 11. S. Marci per arborem fici intelligit hominem folia solius jactantiæ sed non fructus honorum operum demonstrantem. Hinc S. Apostolus nolens se ipsum jactare in solis foliis, quin imo latentes sub ipsis fructus ostendere, dejecit corporis sui folia, ficum suam decorticavit & eâ se nudans spoliavit, noverat n. illā vocem Christi Domini. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.*

Joelis 1. v. 7.

IV. Vel fortassè S. Apostolus volebat se accomodare illi figuræ Exodi 25. ubi pro ornamento tabernaculi fœderis offerebant filii Israel varia munera, & inter ipsa, purpuram, cum cobis tinctum, & pelles arietum rubricatas: at S. Bartholomæus non antiquo illi tabernaculo, sed novo Ecclesiæ Christi tabernaculo, melius & nobilius donum obtulit, nempè non purpuram, coccumq; bis tinctum, nō pellem arietum rubricatam, sed propriam sui corporis pellem cujus colore purpureo Ecclesia Sancta pulchre exornatur, & sub eodem tanquā sub lecto rubricato requiescit. Habemus scriptum 1. Regum 18. animam Jonathæ conglutinatam fuisse animæ David. obillam victoriam de gigante partam, quem dilexit quasi animam suam. Nam expoliavit se Jonathas tunicâ quâ erat indutus, & dedit eam David & omnia vestimenta sua. Alter Jonathas nempè S. Bartholomæus, qui etiam ex progenie Regum origenem habuisse fertur, verū David Christum plus dilexit, nempè ob victoriam de Gigante infernali partam: non enim tunicâ sed pelle propriâ se ipsum spoliavit, eamq; Christo in signum maximi amoris præsentavit. Sed nec mirū se ita spoliasse. Homo nimirum calefactus ex ardore solis deponit vestimenta sua: ardebat nimio charitatis æstu Sanctus Bartholomæus, debuisset ergo expoliare se tunicâ suâ juxta illud Cant. 5. *Expoliavi me tunicâ meâ quomodo induar illâ?*

Exod. 25. v. 4.

1. Reg. 18. v. 1.

Cant. 5. v. 3.

V. Et quia S. Bartholomæus dilexit Christū non minus ille dilexit S. Apostolum, quem dignū fecit ut ad similitudinem sui moreretur, eiusq; passionem suâ honoraret: scimus quippè Christum Jesum nudum in cruce fuisse mortuum; voluit itidem & suum discipulum mori magis nudū, nempè non solū vestibus sed propriâ quoq; pelle spoliatum. Plus dicā Sanctum Apostolum hoc modo mortis, adimpleviſse & suppleviſse ea quæ juxta D. Paulum deerant passioni Christi Jesu. Quippè juxta testimonium Levitici 1. & alibi iste fuit ritus holocaustorum antiquæ Legis, quod detracta pelle animalis victimam holocausti offerrent Deo. Hæ victimæ significabant victimā nostram nempè Christum Jesum, qui figuram quidem adimplevit, quia sui carnifices toties illi vestem detraxerunt, quæ cum concreto sanguine una & carni agglutinata fuit, sed ut magis adhuc adimplere ut S. Bartholomæū tanto honore dignatus fuit, ut ipse sua pelle detracta illud mortis mysteriū perficeret Felices igitur sumus Christiani qui talem Patronum nacti sumus. Ecce hodie sicut quondam Elias discipulo suo Elisæo eundo ad paradisū suum donavit pallium, sic etiā iste S. Apostolus, donat vobis purpureum pallium sui corporis, non ideo ut hoc pallio sicut Elisæus miracula faciatis, ipse enim pallio Eliæ dividebat aquas. Iste vero S. Apostolus non vult ut suo pallio dividamini invicem, sed potius ut illo utamini pro cooperiendis vestrorū proximorū defectibus, Bartholomæus reliquit pellem docet & vos omnia pro Deo relinquenda. Bartholomæus propriam sibi detraxit pellem, docet & vos ut semet ipsos audiēdo discatis vobismet ipsis detrahere pellē propriam, sed nō alienam, ut illi de quibus Micheas 3. c. *Audite Principes Iacob, nunquid nō vestrū est scire judicium qui violenter tollitis pelles eorū de super eis, & carnem eorū desuper ossibus eorum, qui comederunt carnem populi mei & pellem eorū desuper excoriaverunt.* Quamobrē Auditores mei, qui gaudemus tanti Patroni patrocinio, ejusdem virtutes imitemur, implorantes ipsius auxiliū ut nostrūm hujusq; almæ urbis curā agat, & pro nobis intercedat apud Jesum Christū, pro cujus amore amisit pellem corporalem, sed pro ea obtinuit meliorem, nempe pretiosissimam stolam æternæ gloriæ, Amen.

Levit. 1. v. 6.

Micheæ 3. v. 1.

IN

IN FESTO S. BARTHOlomæi Apostoli,

CONCIO III.

Iussit Rex expoliari Ionatham vestimentis & indui eum purpura. 1. Machab. 10. Vers. 62.

1. Mach. 10. vers. 62.

REx Alexander Antiochi filius cum gereret bellum cum Demetrito Rege & hoste suo, Jonathan unum fortissimum Principem ex populo Israelis sibi associare cupiens per legatos invitavit, hic noscens egregias dotes Regis, nempe esse Principem servorum pacis, conjunxit se cum eodem, eumque tam strenuè adjuvit, ut feliciter victor evaserit; itaque Rex in signum gratitudinis eum remunerare volens, jussit eum expoliari vestimentis suis, & indui purpurâ. Hæc verba quæ dicuntur de Jonatha, ego in laudem Sancti Apostoli Bartholomæi meritò possum convertere. Rex enim fortior Alexandro, & Princeps pacis Christus Jesus, volens cum hoste humani generis prœliari, collegit exercitum suorum fidelium, & inter cæteros conspicatus generositatem, & audaciam Bartholomæi, eum qui una secum militaret invitavit & vocavit. Itaque probata ejus promptissima obedientia, nec non forti cum hoste certamine, per quod victoriam reportavit, ut ipsum remuneraret, jussit eum expoliari vestimentis & indui purpurâ. Quibus exutus fuerit vestimentis, & quali indutus purpurâ, audiemus.

I. Consuetudo hæc est usu recepta, quod qui velit pretiosa & pulchra veste indui, primò vilem & sordidam debet exuere. Exempla hujus rei multa habemus. Inprimis extat scriptum Ruth 3. capite qualiter matrona quædam de filiabus Israëlis Noëmi, cupiens benè prospicere Socri suæ Ruth Moabitidi, & sciens oportunum tempus quo Booz defuncti mariti sui Elimelech cognatus, descenderat quadam nocte in aream in qua ventilabatur suum hordeum, tunc vocatæ ad se dixerat Booz iste; cujus puellus in agro juncta es, propinquus noster est, & hac nocte aream hordei ventilat. *Lavare igitur & ungere, & indue reculioribus vestimentis, & descende in aream.* Hugo Cardinalis in hunc locum ait: morem fuisse Judæis quod abstinerent ab uxoribus, dum vel triturarent, vel vindemias exercerent. Unde Noëmi hinc occasionem captans, instigavit socrum, ut ad propinquum suum descenderet in aream, in qua solum inveniret, sed induta cultioribus vestimentis. Si induere debuerat cultiora vestimenta, tunc deponenda erant illi viliora, in iis etenim viro illi nempe Booz non placeret. Simile quid habemus de laudatissima illa vidua Judith, hæc cum Bethuliam civitatem suam, obsessam videret ab exercitu Assyriorum, intravit oratorium suum oransque Dominum pro populo suo & civitate, inter alia hæc dicebat: *Fac Domine ut gladio proprio ejus superbia amputetur, capiatur laqueo oculorum suorum in me, & percutiet eum ex labiis charitatis meæ:* tunc finita oratione surrexit, & vocata Abra ancilla sua, ei imperavit, ut præpararet balneum, & adferret unguenta vestesq; pretiosas, fecit illa totum, tunc quid fecerit antequã se iis vestibus adornaret, ait textus: *Exuit se vestimẽtis viduitatis suæ.* Idem planè fecit Esther Regina, hæc enim oratura pro populò apud Asverum Regẽ, apud se constituit, ut acciperet regalia vestimẽta, & sic in illis cõpareret quo magis Regi placeret, sed quomodo id fecerit? ait textus, *Die autẽ tertio deposuit vestimenta ornatus sui & circũdata est gloria sua.* Hinc patet eũ, qui corã altero in splẽdida veste cupit apparere, debere viliorẽ deponere mysticè

Ruth. 3.

Hugo hic.

Iudith. 9. vers. 12.

Iudith. 10. vers. 2.

Esther 15. vers. 4.

II. Si

II. Siscire vultis quodnam sit vestimentum vile, & quodnam pretiosum? Consulite Sanctum Paulum Apostolum, qui in Epistola sua ad Colossenses capite 3. sic ait: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum hominem, qui renovatur in agnitionem Dei secundum imaginem ejus, qui creavit eum.* Quænam sit vestis veteris hominis, bene colligere poteritis, si vobis primum peccatum parentum nostrorum in memoriam revocaveritis, quorum nuditatem ut contegeret Dominus, dedit eis tunicas pelliceas, quæ quidam vestimenta, quia jam ob tempus diuturnum nimis lacerata tritaque erant, novus homo nempè Christus DEI filius, ut nos hac peccati veste spoliaret, nosque indueret novum hominem: attulit nobis stolam primam qua vestiremur, renovati in agnitionem ejus secundum imaginem ejus. Quod autem tali vestimento nemo indui queat nisi primum veteri spoliatus, patet id quibusdam figuris antiqui testamenti. Sanctus Jacob Patriarcha, volens extruere altare Domino, convocata omni familia domus suæ ita ait: *Abjicite Deos alienos qui in medio vestri sunt & mundamini, ac mutate vestimenta vestra:* pravos mores & vitia, vestimenta illa significabant, ideoque uti ait Hugo Cardinalis, mutanda seu lavanda erant, antequam ad divinum illud sacrificium accederent. Sic enim ait Sanctus Paulus ad Philippum: *Deponite veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris*: unde deinde addit. *Renovamini autem spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.* Aliud exemplum habemus de Sancto Joseph Patriarcha, qui dum de carcere deduci deberet ad Pharaonem, ait sacer textus, quod veste mutatâ obtulerunt eum. Sanctus Augustinus explanans istum locum ait: merito fuisse mutata vestimenta Joseph; non enim decebat ut compareret coram Rege in illa squalida & lacerata.

S. Paulus 3. ad Col. vers. 9.

Gen. 31. vers. 24.

Ad Ephes. 4. vers. 22.

Gen. 41. vers. 4.

S. August. in Genes.

III. Sanctus Bartholomæus Apostolus Christi Jesu, ante conversionem suam quale vestimentum portaverit, ex eo fas est colligere, ipsum habuisse vestem talarem: quia Beatus Theodoretus in sermone suo asserit fuisse natum de stirpe Regia: unde etiam Jonathæ Saul Regis filio, qui se expoliavit vestimentis suis, eum assimilat, quia hic Sanctus Apostolus, vocatur à Domino, eodem plane modo ipsum secutus fuit quemadmodum cæteri Apostoli: sicuti enim plerique ipsorum reliquerunt retia sua, qui piscandi opere fungebantur, aliqui sua telonia, quidam etiam omnia quæ habuerunt: sic etiam Sanctus Apostolus quam primum audivit vocantis Domini vocem, sicuti alter Jonathas expoliavit se tunica sua, hoc est divitiis quæ hominem tegunt & vestiunt, & nudus adhæsit Christo, expectans ab illo nobilius vestimentum.

B. Theodotus.

1. Reg. 18.

S. Theodoretus.

IV. Hæc spes non fefellit ipsum: Nam quàm primum adhæsit Christo Domino, obtulit ipsi tale vestimentum, quod & ipse portavit, & ad quod gestandum invitavit nos Sanctus Paulus dicens: *Induite vos sicut electi Dei sancti & dilecti viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam supportantes invicem & donantes vobismet ipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut & Dominus donavit vobis.* Omnibus hisce virtutibus vestitus erat Sanctus noster Apostolus. Quis enim ipso fuit patientior, qui poterat dicere cum Sancto Paulo Apostolo. *Castigio corpus meum & in servitutem redigo.* Nam Sanctus Gregorius testatur de ipso, quod corpus suum propter Deum ita afflixerit, ut centies in die & toties in nocte genua flexerit. Multis certè exemplum factus, qui dum ad ædes Dei veniunt, aut uno pede flectunt, aut sedent in sedilibus vel tanquam lectiçis cubant in ipsis. Taceo de virtutibus aliis ex quibus tanquam alter Joseph vestem polymitam habuit, quia ad metam mei propositi propero.

Ad Coloss. 3. vers. 12.

1. ad Cor. 9. vers. 27.

V. Sic ergo Sanctus Apostolus noster quã primum talarem suam vestem commutavit, & pro illa polymitam acquisivit, nempe purpuream patientiæ, albam innocentiæ, viridẽ confessionis, ceruleam contemplationis, aliis coloribus variatam, taliter exornatus mox in Indiam citeriorem, forte sibi ad prædicandum destinatam properavit, in quo Regione latissima, quot millia hominum ardenti sua prædicatione ad fidem Christi converterit, quis

quis enumerare queat. De Sancto Elia Propheta legimus, quod idolum Baal cui Israelitæ immolabant, confregerit; sic Sanctus Apostolus non solum idolum Astharot, nec non aliud dictum Berith, sed plura alia destruxit, & contrivit, adeo, ut Diaboli ab ipso catenati, se summis doloribus flammarum cruciari palam proclamarent: tanta gesta Sancti Apostoli cum ad ipsum Regem Polymium fuissent delata, non solum ipsum, sed etiam conjugem suam, quin & præterea duodecim civitates ad Christianam fidem perduxit. Tandem Rex cæli, terræque Christus Dominus, videns Sanctum Bartholomæum non aliter atque ille Alexander Jonatam fortissimè dimicantem cum hostibus suis. *Iussit Rex expoliari Ionatam vestimentis & indui eum purpura*; ita disposuit ut miles suus Bartholomæus suam exueret tunicam, & acciperet meliorem: quod quidem taliter contigit: cum enim Sacerdotes Idolorum viderent superstitionem suam Diabolicam imminui, fidem Christi in partibus illorum crescere, instigarunt Astyagem Regis Polymii fratrem, qui capto Sancto Apostolo, propriam pellem tanquam tunicam crudelissimè detrahi, caputque sum amputari sibi fecit. Dedit Apostolus propriam pellem pro anima sua, exuit vestem carnis suæ, quin & ipsam carnem deposuit, sed acquisivit pretiosam stolam gloriæ sempiternæ, & nunc pro nobis fidelem agit Patronum apud Christum Salvatorem nostrum. Cui honor & gloria in secula seculorum.

3. *Reg.* 18. *vers.* 40.

7. *Mach.* 10. *vers.* 62.

AMEN.

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI Apostoli,

CONCIO IV.

Exurrexit quasi ignis, & verbum illius quasi facula ardebat. Ecclesiastici 43. Vers. 43.

SIcuti Creator universi Deus, plasmato primo homine de limo terræ, eidem indidit animam rationalem, ita eandem unicuique hominum qui nascuntur in hoc mundo, tribuit & largitur. Sed quænam sit illius substantia, diversæ circa hoc antiquorum Philosophorum extant opiniones & sententiæ. Anaxagoras docuit eam esse aërem. Epicurus quoddam elementorum temperamentum esse. Pythagoras quandam esse Harmoniam. Plato quendam esse numerum. Aristoteles vocavit animam Entelechiam, sive actum quendam perfectum. Denique Democritus, animam esse ignem sive ignitū quoddam existimavit: Et certè nisi essem Catholicæ assertor veritatis, animamq; nostram, substantiam quandam spiritualem & rationalem, ad corpus vivificandum & æternam beatitudinem consequendam à Deo creatam esse scirem, ferè Democriti sententiæ assentirer, illamq; ignem aut ignitum quoddam esse dicerem: si enim prodigiosam vitam S. Bartholomæi Christi Jesu Apostoli inspexerimus, nempè fuisse quasi ignem, verbumque illius ardens quasi faculam sermonibus doctrinaque sua flammas scintillasse, mirum non erit, ipsum animam habuisse igneam, vel saltem igne accensam: quod vobis in hac concione de monstrabo.

D. Albert. M. in Comp. Theol. lib. 2. cap. 30.

I. Legimus Joannis cap. 11. quod dum Christus Jesus coram discipulis suis, mentionem fecisset se iterum iturum in Iudæam, illique eò diligentius ei dissuaderēt, ne id faceret cum ibi habeat tot inimicos, qui illi vitam

auferre conatur, illum respondisse. *Nonne duodecim horæ sunt diei.* Peristas duodecim horas intelligit Hugo Cardinalis duodecim Apostolos Domini, dicens: Duodecim horæ, sunt duodecim Apostoli, quos Christus illuminavit ex hisce horis, juxta numerum S. Marci cap. 3. nec non S Lucæ cap. 6. Prima erit Petrus, secunda Andreas, Jacobus tertia, quarta Joannes, Philippus quinta, sexta, vero Bartholomæus & sic deinceps loquendo de aliis. Ex hoc igitur horarum diei numero primum argumentum vobis affero eoque probo S. Bartholomæum Apostolum aut igneam aut sane ignitam habuisse animam. Sol in meridie summopere calefacit & quæ radiis suis contigerit ea incendit; apud plerasque nationes quæ diem naturalem, id est ab occasu solis ad occasum ejusdem in quatuor partes dividunt, in quarum una quæque sex horas constituit, quæ de inde viginti quatuor, horas conficiunt, tuncibi sexta hora est meridies. Unde Cyrillus Alexandrinus libro. 2. in Joannem, qui in 4. cap. sui textus describit, qualiter Christus Dominus, cum venisset in civitatem Samariæ ubi erat fons Jacob; summe defatigatus ex itinere, sederit supra fontem, nec etiam præterit horam diei, quænam fuerit, dicens. *Hora autem erat quasi sexta.* Tunc idemmet Cyrillus censet Christum ob hujus horæ nimium calorem se juxta fontem Iacob ad sedendū composuisse. Verba illius sunt hæc. *Quia intensior æstus diei accesserat.* Hora diei sexta est S. Bartholomæus sol iste cælestis vel maxime igne suo adurit res quas contingit, horâ sextâ id est in meridie. Christus Jesus est sol justitiæ; quid igitur mirum quod S. Bartholomæus Apostolus qui designat horam diei sextam, præ cæteris in amore Magistri sui fervention fuerit & ardentior, qui non solum ob participationem radiorum à verò sole Christo Jesu emanantium, & in animam suam descendentium, totus erat igneus, sed etiam ipsi soli similis, imò sol quidam dici possit, quia doctrinæ suæ lumine mundi tenebras illuminavit. Unde ipsi una cum cæteris Apostolis, Christus ait. *Vos estis lux mundi.* Sol fuit qui tenebris caruit, quia tam diurno quam nocturno tempore, in lucis operibus semper perseveravit Sol fuit, quia sicut sol inter stellas maxime lucet & sol9 est, unde dicitur sol, quasi sol9 ita S. Bartholomæus inter omnes hujus mūdi nobiles in Collegium Apostolicum à Christo solus electus fuit, cum cæteri, aut piscatores, aut secundum mundum hunc, simplices homines fuerint: sol erat juxta Richardum *quasi sursum omnia levans* quia mentem suam sine intermissione levabat ad Deum creatorem suum.

Ioan. 11. vers. 9. Hugo in c. 11. Ioan.

Marci c. 3. vers. 16. 17.

Ioan. cap. 4. vers. 6e Cyrillus Alex lix lib. 2. in Ioan. c. 79.

Matth. 5. vers. 14.

Richardus à S. Laurent.

II. Theodorus Abbas non solum S. Apostolum Bartholomæum solem vocat qui universum illuminat mundum, sed quod amplius est faciem Dei, & linguam ignitam dicens, *Gaudeas Bartholomæe sol orbis terræ, cuncta illuminans, os Dei, lingua ignita.* Inter cætera divina miracula, illud quoque creatori Deo attribuitur, quod cum creaverit omnes homines ad imaginem & similitudinem suam, omnium tamen facies vultusque sunt sibi, si non in toto tamen in aliquo dissimiles, si autē aliquam cujuspiam hominis faciem, alterius vultui deprehendamus similem, tunc vulgo dicimus. *Cui similis est, propriam illius habere faciem, quia ipsum ex æquo representat.* Sanctus itaque Bartholomæus quia Deum in hoc mundo referebat, ideo ejusdem faciem habuit, ut jam nequaquam homo sed Deus quidam esse videatur. Sed in quonam Deum referebat? Quia erat Apostolus illius Domini, qui ait: *Ego dixi Dii estis & filii excelsi omnes.* Quod confirmans Paulus de Palatio ita dicit: *Angeli sunt Apostoli, Medici Doctores, Pastores, Reges, & quid non sunt? Sunt Dii & filii excelsi omnes.* Hinc sequitur quandoquidem S. Bartholomæus repræsentabat faciem Dei, eandem quoque ignitam habuisse. Si enim Moyses Dux Israelis ex eo quia in monte Synai cum Deo fuit conversatus, cornutam seu ignitam faciem acquisivit; multo magis id conveniet Sancto nostro Apostolo, qui non solum ex longa conversatione, quam cum Christo in terris habuit, sed etiam ex ardentissimo cordis sui amore quo ipsum coluit, igneam faciem quæ est index cordis, dubio procul habuit. Et sicut unigenitus Dei filius ex nimio amore, qui amantem transmutat in rem amatam, cum sit Deus ab æterno, factus est homo: eodem modo S. Bartholomæus Apostolus, siquidem ardentissimus erat amator Christi, merito etiam in ipsum transformatus erat. Idem Sanctus Abbas appellavit Sanctum Apostolum linguam ignitā, nec sine mysterio, quia sicut teste D. Dionysio. *Ignis superiora semper petit;* ita nullū fere

Theodorus Abbas in Hist. Lombardica

Psalm. 81 vers. 6.

Paulus à Palatio cap. 21.

Paulus de Palatio ut supra.

S. Dionys. Areopag.

momen-

momentum erat, quo lingua ejus non fertetur in cælum, divinam glorificando Majestatem, nec non orando, centies de die totidemque vicibus de nocte, erat lingua ignea quia orationibus suis Dæmones incendebat, ut teste Historiâ Lombardicâ unus illorum querulabatur dicens: *Apostole Dei Bartholomæe incendunt me orationes tua.*

Historia Lombard.

III. Aliud argumentum quo ego probare volo quod hic gloriosus Apostolus fuerit in anima igneus seu ignitus, audite. Cum S. Bartholomæus in Indiam perveniſſet, quæ ipsi ad prædicandum Jesu Christi Evangelium sorte obtigerat, multis ibidem ad fidem Christianâ conversis, venit in majorem Armeniam, ubi cum Polymium Regem unâ cum conjuge, nec non duodecim civitates ad Christi fidem perduxisset, tantam in se Sacerdotum gentis illius concitavit invidiam, ut Astyages Regis Polymii frater ab iisdem incitatus, vivo Bartholomæo pellem crudeliter detrahi jusserit. Hinc ergo infero. S. Bartholomæum magno amoris igne æstuasse hoc enim nisi fieret propriam pellem è corpore suo deponere durum fuisset Apostolo. Refert Æsopus quandam fabulam, Aquilonem quodam cum sole certamen iniviſſe, uter illorum viatori eunti suavi vestem propriam detrahere posset. Incipit Aquilo, infrigidat aërem, inviatorem summâ insufflat violentiâ, at ille eò arctiùs vestē circa se adstrinxit & retinuit. sic nihil efficiente Aquilone, venit res ad solem, ille calefacit aërem & radiis suis ferventissimis in tantum accendit viatorē, ut pallium suum ultrò citroq; dimittere debuerit. Sic sol ademit palmam Aquiloni. Hic Apologus nihil aliud docet nisi hoc tantam esse amoris violentiam, ut nulla, cum ipsa comparari queat. S. Bartholomæus tot favores mundi habuit, nunquam tamen nulloque alio nisi igne amoris divini impelli potuit, ut propriam pellem exueret, ut meritò cum illo Autore de Voragine dicere posſit: *Tanto igne charitatis ardeo, quod vestem meam ferre non valeo.*

Æsopus in fabulis.

Iacobus de Voragine serm. 2.

IV. Sanctos Angelos multum participare de sacro igne divinæ charitatis, patet ex illo Psalmo in quo ait Sanctus David. *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem urentem.* Quod cum ita sit Sanctum Bartholomæum Apostolum jam non hominem, sed ob vehementiam divini amoris, ipsum Angelum esse dicam. Quod vobis patebit ex quadam historia Sancti Iob Patriarchæ, quem dum tot ærumnis vexasset Diabolus, nec quidquam tamen in illo posset proficere, tandem dixit ad Dominum: *Pellem propelle Iob. 2. & cuncta qua habet homo, dabit pro anima v. 4. sua.* Quasi dicere voluisset: naturale est homini propriam vitam suam tanti facere ut proillius defensione, omnia bona sua temporalia potius dare, quàm eam perdere velit. Cum ergo naturalis sit hominis proprietas pellem vitæ suæ pluris quam alia æstimare, de Sancto Apostolo hodierno, qui non curavit pelle unâ cum vita sua spoliari, quidnam censebitis? Caruit humano affectu; non homo igitur, sed aliquid majus nempè Seraphinus dicendus erit, qui amore divino adeo inflammatus, ut non solum bona temporalia sed etiam pellem carnis suæ una cum vita exuerit.

Psalm. 103. v. 4.

V. Verum quonam ulterius ardens ille divinus amor collimavit, quando discipulum pelle propriâ exuere fecit? Rarum quoddam in oculis tam hominum, quam Angelorum pulchritudinis exemplar & spectaculum exhibere voluit. Nescio quisnam ex aliis nationibus morem hunc in nostram Boemiam intulerit, quod Gynecæum præcipuè nobilioris ordinis à collo usque ad ubera se denudare soleat, nec scio ob quam causam id faciat, nisi ut delectet diabolum, qui tali fœminarum nuditate animos hominum illaqueat. S. Bartholomæus non ad ubera sed totus denudatus fuit: quarè? Num ut placeret fœminis? Optarem sic denudari fœminas saltem usque ad ubera, sic enim minus placerent viris. At Sanctus Apostolus, ita denudatus, nempè excoriatus, soli Deo placere intendebat cui nuditatis suæ Pulchritudinē ostendebat. Legimus namq; Canticorum cap. 5. sponsam pedissequis sua talia referentem. *Invenerunt me custodes qui circumeunt civitatem & tulerunt pallium meum.* Circa quem ocum S. Ambrosius quærit. Quamobrem si custodes, sponsā Domini sui, propriāq; ipsorum Reginam suis attentarint vestibus exuere? Et respondet taliter dicens. *Non odiosè pallium sublatū intelliges esse, ut aperta meritis & nuda.* Cupiebant illi videre sponsę pulchritudinem, quam sub pallio suo abscondam servabat, ideo ut ea frui possent, pallium suum tulerunt. Fulgebat ardētissimo amor in corde

Cant. 5. v. 7.

S. Ambr. lib. de Isaac. 7.

S. Apostoli Bartholomæi, omni ille elegantiâ erat exornatus, vincebat pyropos, & carbunculos, quâ ob rē iste S. Apostolus hoc carnis suæ pallio spoliatus, quid jā nunc est? jucundū in cælesti gloria spectaculum Deo, & Angelis ejus. Sancte Bartholomæe glorioſe Christi Apostole, qui amore divino inflammat⁹ super-asti omnia crudelissima tormēta mūdi, & qui doctrina tuâ, corda hominum fide & amore Christi salvatoris nostri inflammasti, impertí nobis partem ignis hujus à Domino, ut eo inflammati, tua vestigia imitemur, & per ipsa ad gratiam Dei & vitam æternam pervenire mereamur. Amen.

IN FESTO EXALTATIONIS S. Crucis

CONCIO I.

Oportet exaltari filium hominis, Ioan. 12. v. 34.

QUod factum fuisse cum Arca veteris testamenti in sacro textu legimus, id similiter cum Arca novi testamenti quæ Christo Domino hospitium præbuit, factum fuisse legimus, vel audimus. Invenio enim scriptum 2. Regum 6. cap. Regem David post illam stragem gentis suæ à Philisthæis factam, tandem à se devictis & superatis, de terra eorundem accepisse arcam Domini, eamq; cum summâ lætitiâ & magnâ solemnitate Jerosolymam reduxisse & in editissimo urbis loco collocasse: eodem modo ex quibusdam historiis Christianis percipimus, arcam novi testamenti, nempè crucem Domini, quam Cosroes Persarum Rex Jerosolyma capta, multisque ibi Christianorum cæsis millibus, in Persidem abstulerat, deinde altero bello ab Heraclio Imperatore superato, à filio Cosroæ natu majore, fuisse iterum restitutam. Quam rediens Jerosolymam Heraclius, solemni celebritate suis humeris retulit in eum montē quo eam Salvator tulerat. Sed magnam disparitatem in utroq; bajulo deprehendo: primus enim nempè Rex David, admirabilem servavit humilitatem in deportanda arca sua unde cum derideretur à Michol uxore sua, quod saltaret coram arca Domini, ille respondit dicens: *Ludam & vilior fiam plus quàm factus sum, & ero humilis in oculis eis*. At Heraclius Imperator fecit contrarium: ille etenim cum auro, gemmisq; onustus, cum summa pompa crucem Domini deferre inciperet, in porta quæ ad Calvariæ montem ducebat, insistere coactus est; quove magis progredi conabatur, eò magis retineri videbatur. Unde admonitus ab Ierosolymitano Præsule, ut in ea cruce Jesu ferendâ, imitaretur ejusdem paupertatem & humilitatem, abjecto vestitu illo amplissimo detractisq; calceis, ac plebejo amictu indutus, reliquum viæ facile confecit, & in eodem Calvariæ loco crucem statuit, unde fuerat à Persis asportata. Cujus quidem exaltationis S. Crucis solemnitatem hodie celebramus. Unde hic necessum foret de triumpho exaltationis hujus aliquid vobis dicere sed cum verbum Christi caro factum & humile, non delectetur superbis oratorū suæ crucis verbis, & ego id thema acceperim: *Oportet exaltari filium hominis*; Aliquas dabo rationes, cur Christus Dominus ignominiosam crucis mortem elegerit.

2. Reg. 6. v. 15.

ibidem v. 22.

I. Est verum, Dominum Deum honoris gloriæq; suæ ita esse magnum ardelionem, ut apud Isaiam Prophetam, protestatus fuerit dicens: *Gloriam meam alteri non dabo*. Hinc licet ob diversa scelera gentem Iudaicam puniverit, nusquam tamen cum tanto zelo sicuti Idololatriam, quā conflato sibi vitulo aureo commiserant, & merito: hæc enim iniquitas, directè pugnat contra Majestatem Dei. Undè cum Philistæi arcam Domini, quam patta victoria de exercitu Regis Saul, in potestatem

Isaiæ 42. v. 8.

Exodi 32. v. 10.

suam

suam redegerant Azotum deportassent, eamque in gentili templo suo penes idolum Dagon collocassent, sequenti mane ad templum venientes, viderunt Dagon jacere pronum in
1. Reg. 5. v. 3. terra ante arcâ Domini, & cũ levantes de terra restituissent eũ in locum suum, rursus alterâ die venientes, invenerunt Dagon jacentem super faciem suam, coram arcâ Domini caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abscissæ erant super limen, Dagon autem truncus remanserat in loco suo. Hæc bina idoli projectio non caret mysterio, cum enim primâ vice dejectum fuisset ab altari, nullum vulnus accepit, secundâ vero vice non solum dejectum, sed etiam confractum fuit. Divus
D. Prosp. parte. 2. c. 24. Prosper advertit causam hujus rei dicens, *sub arcæ potentiâ, sequenti die idolum suum elisum, prostratumq; viderunt. Sed hoc casui dantes, eum uncis fortioribus validioribusq; defigunt. Quem postera die confractũ, comminutumq; coram arca fuerunt intuiti.* Dominus Deus honorem suum in arca quæ ipsius figura fuit, tueri volens, patiq; nolens societatẽ cum Idolo, quod Azotii tanquam Deum coluerunt, primâ die quũ sibi nec dum resistere videbatur, sine læsione dejecit, at secundâ cum læsione, ut ostenderet gloriam suæ potentiæ, quæ validius resistit fortibus, quam infirmis. Simile quid inveniri solet inter homines, qui inferiorum se, gloriam non curant, sed si sint sibi similes, eam in talibus contentiosius æmulantur. Hinc illud est quod Alexander Magnus suscep tis bellis plurimis & confectis, cum tot Principibus, & Regibus, suas terras, regnaq; restitueret, nactus prælium cum Rege Dario, nullatenus cum ipso pacem inire veller, licet præstantissimæ pacis conditiones offerren
Quintus cautius. tur, dicens: *Nec cælum duos soles, nec Regnum duos Reges habere posse*; hujus pertinaciæ in Alexandro ea ratio fuit, quia Darius erat Rex potentissimus, multa habens Regna & Provincias, quod totum æmulationem causabat in altero. Similis erat ille Alcibiades, de quo
Plutarch. refert Plutarchus, quod non tantum doluerit suum exilium, & omnium bonorum suorum amissionẽ imò nec vulnera sibi inflicta, quam contumeliosum Themistoclis verbum, quod adversus illum protulerat. Themistocli eadẽ retaliatio accidit, qui dicere solebat. *Militia lia trophæa me excitant, & in somnis quietem capere non sinunt.* Sed quæ comparatio lucis ad tenebras, vermiculi cum Deo, & Domino universi, quod ille zelet honorem Majestatis suæ?

II. Quas autem vires amor non habet? certè hic certat cũ veritate quæ vincit omnia, quia hic Deum ipsum superasse videtur. De amore Divus Hieronymus sic ait: *Amor aut pares accipit, aut facit:* Dominus Deus summè amabat genus humanum; quod patet ex hac protestatione illius. *Delitiæ meæ esse cum filiis hominum.* Sed quomodo consortio suo utere-
S. Hieron. in Micheam. Prov. 8. v. 30. tur, cum sibi par non fuisset? ille enim infinitus, hic finitus: quid tandem fecit divina sapientia? Ut sibi parem redderet, quem habere non poterat, sapientissimũ ad invenit remedium nempe hominẽ efficiens Deũ, & Deum hominem, Quoniam uti ait S. Paulus: *Cum*
S. Paulus ad Philip. c. 2. v. 6. *in forma Dei esset, nõ rapinam arbitratus est, esse se æqualẽ Deo, sed semet ipsum exinanivit formã servi accipiens, in similitudinẽ hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Si hæc verba Divi Apostoli bene pensaveritis, quid dicetis? amorem Divinum qui parum accepisse nõ potuit, parem sibi fecisse hominem. Ut jam verè dici possit. Ecce Deus factus est quasi unus ex
Psalm 21. v. 7. nobis, *quia & homo factus est.* Sed quid dico factus homo? factus *opprobrium hominum & abjectio plebis*: non solum enim assumpsit hominem, ut nos amori suo pares efficeret, sed etiam ut ait Divus Paulus in eadem Epistola; *humiliavit semetipsum factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis.* Quid jam hic dicendum est Auditores? Illud quod scribi-
1. Math. 1. v. 42. tur in primo libro Machabæorum *Honores ejus in nihilum, secundum gloriam ejus, multiplicata est ignominia.* Sed jam vultis rationem scire, cur Dominus non solum homo fieri, sed etiam tam abjecto mortis, nempè crucis supplicio mori voluerit? Ut si non possimus aliter suo ardenti in nos amori respondere, viam humilitatis & pietatis sequamur, qua incedendo, ipsum invenire possimus.

III. Sanctus a. Athanasius, ponderans eadem verba Christi Domini, nempe *oportet exaltari filium hominis*, subtilem hujus assignat
S. Athan. de Pass. Domini rationem dicens, *sublimatum fuisse in cruce, ut aerem Diabolica Dæmonum infestatione purgaret.* Aud te novum amorem Christi Domini. Tanta multitudo malorum spirituum post peccatum illud superbiæ de cælo ceciderat, ut non solùm ignem inferni; aquas super terram, totam terram, sed ipsum quoq; aërẽ replerint. Quod concernit terram, ex illa

Christus magnâ exparte pepulit Diabolos, eamq; ab infestatione illorum perpurgavit, quoniam ambulando super eam per triginta & plures annos, ipsam sanctificavit; similiter aquas, dum baptizaretur à Joanne, purgaturus etiam ignem, per Spiritus Sancti missionem: solũ ergo restabat, ut adhuc malos Spiritus qui sunt in in aere perdomaret, unde ut ipsum sanctificaret, ad id in cruce exaltari, moriq; voluit. Unde D. Chrysostomus: *In excelso ligno, & non sub tecto passus est, ut etiam ipsius aeris naturam mundaretur* Et quia id præstitit, mediatoris agens officium, hinc etiam in aëre mori voluit, qui est medius inter cælum & terram. Passus quoque in aëre, ut majorem suum amorem quem habebat habetq; erga nos demonstraret, nõ pro uno tantũ homine, sed pro omnibus moriendo. Licet enim omnia elementa, pro omnibus à Deo creata sint, adeoq; cunctis sunt communia, nihilominus tamen solemus dicere, hæc terra, mea est, hæc aqua spectat ad me, hic ignis meus est, ad id dicere nemo potest, hic aër meus est omnes n. sub uno eodemq; vivimus. Ita Christi passio & mors omnibus nobis est communis, cujus fructus & utilitas non solum pertingit ad homines, sed etiam ad Angelos juxta illud Divi Pauli: *Pacificans per sanguinem crucis ejus sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt.*

Matth. 3. v. 13. Marc. 1. v. 5.

S. Chrys. de Pass.

D. Paul. ad Col. 1. v. 10.

IV. Sed ut propriùs accedam ad verba Divi Athanasii dum ait. Christum Dominum sublimatum fuisse in cruce, ut aërem diabolicâ dæmonum infestatione purgaret, in memoriam revoco quæ Lipsius de cruce ait: Nempe in Africa hunc morem viguisse, quod cum infestissimi Leones ac Tygrides homines infestarent & occiderent, hoc astu colonos patriæ usos fuisse, nempè per viam plurima ligna exaltasse, & in iisdem Leones suspendisse, quod videntes cæteri, ita perterriti fuere, ut illac qua ibant homines illi pertransire omnino pertimescerent. Refert hoc etiam Plinius & addit, Duces quosdam Romanos, tot Leones suspensos videntes, & causam ignorantes obstupuisse. Simili industriâ usus est Christus

Justus Lipsius.

Dominus; ipse est *Leo de tribu Juda.* Diabolus etiam est *Leo quærens quem devoret.* Hi ergo Leones, id est Dæmones aerem infestantes, multa gravissima hominibus damna inferebant, ut ergo ab hac infestatione coërcerẽtur voluit Christus Jesus se ipsum tanquam Leonem in ligno suspendi, cujus aspectu Diabolici leones stupefacti, tanta hominibus inferre damna prohiberentur.

Apoc. 5. v. 5. 2. Petr. 5. v. 8.

V. Et quia officium amoris est, non solum eum quem amamus liberare à malo, sed etiã omnibus bonis afficere, id ipsum Christ' Dominus præstitit in cruce exaltatus, qua de re prophetavit Vates Malachias dicens: *Orietur vobis timentibus nomen meum, sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus.* Quis unquam vidit solem pennis vestitum? Talis sol juxta sententiam plurium Patrum Ecclesiæ, Christum Dominum solem justitiæ refert. Nam sicut sol est & omnium Planetarum Princeps: ita Christus Rex Regum, & Dominus Dominantium, & sicut ille suo ascensu, terram cale facit, floribus ornat, & fructibus ditat: ita Christus Dominus ascendens crucem, & in ipsa exaltatus, amore suo frigida & longinqua corda nostra calefacit, gratiâ suâ exornat, & fructibus æternæ vitæ copiose ditat. Et sicut sol tanquam lumen inter reliqua fidem maximum illuminat orbem universum; ita Christus Jesus totam suam Ecclesiam orbemque Christianum illustrat. Sed videamus pœnas hujus solis. Hugo Cardinalis intelligit per ipsas, misericordiam ipsius & justitiam. At ego per has pennas, possum quoque intelligere brachia Christi in cruce extensa: ad quid? ut hic nos amplecteretur per gratiam, postmodum autem assumptos in sanctos humeros suos ex hisce miseriis ac calamitatibus quibus hæc vita nostra scatet ad cælestem illam Jerusalem quæ omni miseria caret & omni felice lacte est repleta asportaret,

Malach. 4. v. 2.

August. Ambr. Beda.

Hugo Card. in Prophet.

AMEN.

IN

IN FESTO EXALTATIONIS S. Crucis.

CONCIO II

Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Ioan. 12. Vers. 32.

AUditores in Domino dilecti, non possum vos hodierna die meliori sermone salutare, quam gratulando vobis securissimum salutis nostræ portum, ad quem [ne patiamur naufragium] cum timore & tremore properamus. Hodie enim speculantes oculis spiritualibus Sanctam Jesu crucem, cujus solemnem exaltationis diem celebramus, videmur ante oculos habere quandam navis anchoram, quæ nos benè sperare jubet. Vos audivisse non dubito quid Sanctus Matthæus Evangelista dicat de suis Coapostolis? Dum Jesus simul cum ipsis manens in navicula obdormisset, videntes illi mare turbari, & naviculam penè fluctibus operiri, exclamaverunt præ timore dicentes: *Domine salva nos perimus.* O Apostoli Domini! miratur vestram formidinem doctus Origenes dicens: *Vita vobiscum est, & de morte solliciti estis? Dominum Salvatorem vobiscum habetis, & periculum timetis?* Sed mox excusat timorem in persona eorundem dicens: *Quid respondent discipuli? Parvuli sumus, adhuc infirmi, nec dum vidimus crucem.* Hoc responsum est verissimum, nam & miles qui nunquam arma vidit qui nunquã in arenam descendit cum hoste, facile pervolatum muscæ pavescit: at qui hæc non solum vidit sed etiam manibus contrectavit, hic est extra omnem timorem: quin summæ audaciæ. Apostoli ergo qui crucem non viderunt, non miror quod in navicula illa fluctuantes infirmi timidique fuerint, quin ipse Petrus illorum Princeps, non solum fluctus maris, sed ancillam unam extimuit, cæteri videntes Dominum suum à Judæis comprehensum, *relicto illo fugerunt.* Tandem apparuit in cruce Jesus, tum quid? Discipuli induti virtute ex alto. *Ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Quid sibi vult? Antea Iesum fugiebant, & postea pro illo mori cupiunt? Divus Athanasius explicat causam dicens: *Fugierunt quidem à vivo, sed ita, ut pro eodem crucifixo mortem oppetant.* Nobilis sanè specula, crux est Salvatoris, ex quâ dum Jesus apparet, omnes animosos reddit, beneque sperare jubet. Si ergo Apostoli Domini ante crucem visam erant pavidi, postquam verò eam viderunt, fuerunt animosi, beneq; sperantes, quanto nos magis tales esse decet, qui crucem Domini exaltatam, mysticis oculis hodie cernimus? Sed quid ab illa nobis discendum! in hac concione audietis.

Matth. 8. vers. 25.

Origines Hom. 6. in Diver.

Actor. 5. vers. 41.

D. Athanas. Hom. de serm.

I. Non puto vos similes futuros his Judæis propter quos Christus Iesus quendam Dialogum habuit in hodierno Evangelio. Hi enim [uti notat Divus Augustinus] cum memoria tenerent Christum Dominum tunc, quando illi nunciatum erat quod gentiles ad ipsũ venissent, & eum videre vellent, dixisse: *Venit hora ut glorificetur filius hominis.* Hoc inquam ipsi animo retinentes, & deindè audientes ipsum dicere verba hæc: *Si exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipsũ*; idque de morte crucis ab eodem dictum esse intelligentes, non poterant se continere quin dicerent ad Iesum. *Nos audivimus ex lege: quia Christus manet in æternum. Et quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis?* Si Christus manet in æternũ, quomodo crucis passione morietur? Unde Christus Dominus coactus fuit eis respondere taliter. *Adhuc modicum lumen in vobis est, ergo ambulate dum lucem habetis.* Id est uti explicat S. Augustinus, modicum lumen in vobis est, quod intelligitis quia Christus manet in æternum: *Ergo ambulate dum lumen habetis.* Ambulate, accedite, totum intelligite, & moriturum Christum, & victurum

D. Aug. in Ioan.

Ioan. 12. vers. 34.

ibidem vers. 35.

S. Augustin. ibidem.

in

in æternum, & sanguinem fusurum quo perditum humanum genus redimat, & ascensurum in sublimia quo que perducat. Eodem modo & ego vos Auditores meos alloqui cogor: nam & vos expectatis à me aliquid magnificum, quod me de cruce Christi gloriosa dicturum promisi. Quidnam illud? Id ipsum quod Christus ait. *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Id est, nos qui totius creaturæ sumus participes, habentes esse cum lapidibus, vivere cum plantis sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis, trahet ad se ipsum, ad illum inquam locum, in quo regnat cum Sanctis suis in omnem æternitatem. Placet vobis hoc promissum? Credo benè: quia & Judæis placuit audire de gloria Christi, sed placebitne etiam quidpiam audire de calice passionis suæ? Hic calix filiis Zebedæi, prius ostensus fuerat, quam dextera sua in regno suo: non vultis ita trahi, id est per labores, passionem, tribulationem, & tentationes hujus mundi? Rogate ergo Sanctum Jacob Patriarcham, ut vobis mutuo concedat suam scalam quam in somnis viderat, per quam Angeli descendentes & ascendentes viam ad cælum monstrabant, ut jam ad cælum non rapiamini, sed ascendatis. Sed quid? Illa eadem scala Jacob labores & ærumnas denotat. Nam Sanctus Jacob Patriarcha post illam visionem scalam illam non attigit, sed prius debuit ire in Mesopotamiam, in qua pro sponsa sua Rachael, quatuordecim annis inservivit, deinde redeundo in Patriam, cum Angelo Dei luctam habere debuit. Postea domum veniens, amissione filii sui Joseph affligi debuit, item Benjamin in Ægypto, tandem dum hæc omnia sustinuisset, tunc postea textus ait: *adoravit Israel Dominum, conversus ad lectuli caput.* Lectulus denotat requiem, sed scala crucem; sic enim ait Divus Hieronymus. *Ego puto, crucem Salvatoris, illam fuisse scalam quam vidit Iacob.* Ad æternam ergo requiem, non potest perveniri; nisi per crucem Christi.

Matth. 20. vers. 22.

Gen. 28. vers. 12.

Gen. 47. vers. 6.

D. Hieron. Psalm. 94.

II. Vultisne scire mysterium, cur Christus crucifixus, copiosum sanguinem in terram profuderit? Notate primo, per terram intelligi hominem, qui ex terra factus in terram convertetur, & auscultate quod dicam. Teremanes quidam, vir probus neque alicujus culpæ sibi conscius, à Cricia tamen tyranno ad mortem condemnatus erat. Cum ergo illi vas plenum veneno ad epotandum offerretur, acceptum ad manus, admovit ori suo, bibitque, ed reliquum effundens in terram ait *Propino Cricia.* Id quod memorans Cicero Tusculanarum. Quæstionum libro primo sic ait: *Lusit vir egregius extremo spiritus, vereque ei qui sibi venenum præbuerat: mortem est eam auguratus, quæ brevi ipsi insecuta est.* Sic igitur & Dominus, suspensus ligno, passionis & dolorum calice epotato sanguinem suum usq; ad terram profundens hominum generi propinat, verequè mortificationem, & similem dolorum tolerantiam exquirit ab omnibus illis, quorum causa ipse mortuus est. Quicunque peccasti, à crucifixo Domino, dolorum & pœnarum calicem propinatum tibi existima, cujus propinationis lege obligaris Christo ad satisfaciendum, nisi è gratia sua excidere velis juxta illud Tertulliani: *Non potest qui pati timet, ejus esse, qui passus est,*

Cicero, in Tuscul.

Tertull. in Matth.

III. Quin imo, tunc maximi amoris signum est, cum Christus admittit aliquem ad societatem crucis suæ. Non semel sed ter Dominus interrogavit Petrum dicens Joan. 21. *Petre amas me?* Ita ut sanctus ille Apostolus, ob id contristatus fuerit. Cur Christus Jesus de unico amore tam rigidè Petrum examinavit? Multoties alias cum ipso loqui, simulque conferre solebat, nusquam tamen de una re ter ipsum interrogavit sicut in hoc passu amoris, sed ex sequentibus verbis post illud examen dictis, patebit rei hujus mysteriū, dum ait. *Cum senueris, extendes manus tuas, & alius cinget te, & duces quo tu non vis.* Post quam jam perfectè examinasset, & probasset amorem Patri, tunc cruce sua eum dignū esse censuit, & ad ejus societatem tanquam probatum admisit, uti ait Fulgentius, dicens, *Cum ille tertio interroganti, trinum amoris sui testimonium redidisset, statim Dominus Petro ponendi pro se animam largitus est facultatem, dicens. Cum senueris extendes manus tuas, & alius cinget te:* Hoc reportant præmium, quos Deus amat, quod ad calicis sui societatem tales admittat, & sicut ubi sunt boni amici sibi invicem propinant in sanitatem, idem & Christus facit; propinans vitam, & salutem

Ioan. 21. vers. 6.

Ioan. 21. vers. 18.

D. Fulg. lib. 3. c. 24.

his,

his, quos comparticipes facit crucis suæ, quasi eis offerret calicem epotandum in signum amoris sui, quo illos complectitur.

IV. Adumbrat id figura Sancti Joseph Patriarchæ, de quo habetur Genesis 44. capite. Quod dum venissent ad eum fratres sui in Ægyptum ut ab illo frumentum emerent, ille advocans dispensatorem domus suæ dixit ei: *Imple saccos eorum frumento, quantum possunt capere, & pone pretium singulorum in summitate sacci, scyphum autem meum argenteum, & pretium quod dedit tritici pone in ore sacci juntoris.* Pensate Auditores, triticum & pretium quod omnibus fratribus dari jussit, sed in sacco Benjamin calicem apponi jussit. Quid posteà secutum est? Ubi urbe exierant & processerant paulùm, mandat eidem servo suo, ut illos persequeretur, & saccis omnium exploratis, illum ad se captivum adduceret, in cujus sacco scyphum deprehenderet, inventus est in sacco Benjamin. Tum quid illi? quis enarrare valeat, quot curis angebantur qualis tristitia qualis dolor cor eorum inhabitabat propter fratrem suum & patri charissimum filium Benjamin, propter quem erant solliciti, timentes ne captivus redderetur. Sed cur Joseph dilecto suo Benjamin tantum crimen imposuit? Ideo quia ipsum magis præ cæteris diligebat. Sic & Dominus, illis præcipuè communicat calicem crucis suæ, quos magis diligit, unde ait S. Ambrosius. *Triticum multis datur scyphus uni, non enim omnes, sed Propheta dicit, calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.*

Gen. 44. vers. 1.

S. Ambr. l. de Ioseph. cap. 11.

V. Quid igitur Auditores, nonne tot argumenta nos convincerent, si à Domino amari, crucis ejus participes fieri velimus. Forte pondus illius nos mali exterret, Minimè verò: ait enim Christus. *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Non est necessum quod bajules crucem cum defatigatione brachiorum tuorum, ait enim, *Jugum meum suave & onus meum leve*; sed ut eam apprehendas, cæterum ille trahet te, ut sine laboris tui dispendio, ad ipsum pervenire queas. Quid dico trahet? elevabit te, & sustentabit portantem. Audite quid dicitur Gen. 7. de aquis diluvii. *Vehementer inundarunt & levarunt arcam in sublimè à terra.* Juxta Divum Anselmum, per aquas tribulationes intelliguntur, & per arcam Ecclesia, figuratur, unde ait: *Aquis ergo inundantibus levatur aerea in sublime, quoniam adversis irruentibus, separatur à terrenis cupiditatibus fidelis anima, & cælo fit proxima.* Non novum est ab aquis nasci alites, quia ex aquis ortum habuerunt in principio: non est ergo quoque mirandum, quod fideles ab aquis tribulationum pennati leveſque fiant, ut cæleſtia scandant, qui enim in aquis crucis nascuntur, non humi reptant, sed pleni pennis rapiuntur obviam Christo in aëra, uti explicat Anastasius Sinaita, tunc quando veniet Dominus in nubibus cæli cum potestate magna, judicaturus mundum, procedent ei obviam, amantissime salutabit, & coronabit gloria sempiterna.

Matth. 11. vers. 29.

Gen. 7. vers. 18.

S. Ansel. serm. in 14. c. Luc.

Anastas. l. 7. Exam.

AMEN.

IN FESTO EXALTATIONIS S. Crucis,

CONCIO III.

Exaltavi lignum humile. Ezechielis 17. Vers. 17.

FOrte aliquis posset hic dicere, verba hæc quæ assumpsi pro encomio exaltationis sanctæ crucis, nullius esse momẽti, neq; quidquam ad propositum servire. Cum intelligantur à Propheta Ezechiele, primo de captivitate Babylonica, & postmodum de reditu & exaltatione eorum, qui in Babylone captivi tenebantur. Sed inprimis si ad illud lignum sive arborem, mentem nostram converramus, cujus fructus vetitus, & à parentibus nostris degustatus naturam humanã antea tam excellentem in tantum humiliavit, ut eam ad pulveres sive cineres usque deduxerit, ex altera parte, si immensum amorem Jesu Christi Salvatoris nostri ante oculos cordis nostri, proponamus, qualiter ille hoc lignum humile, sua humilitate exaltaverit, quid aliud in persona ejusdem dicere poterimus, quàm illud Ezechielis Prophetæ. *Exaltavi lignum humile?* Forsitan dicetis me hæc excogitasse? minimè verò: sed si non creditis, audite, inprimis Sanctum Hieronymum hæc verba sancti Prophetæ ponderantem. Sic ait è quorundam sententiâ. *Quidam interpretantur, lignum sublime humiliatum, & humile exaltatum, referentes ad Passionem Domini Salvatoris, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, æqualem se esse Deo sed exinanivit semetipsum formam servi accipiens.* Hæc sunt verba Divi Hieronymi ex Sancto Paulo desumpta, quod verò concernit exaltationem ejusdem ligni, sic ait: *Et post resurrectionem ipsum lignum sublimatum est, quod prius virens morte siccatum est: & postea revivíscens, pristinum recepit vigorem.* Item Hugo Cardinalis similiter sentit dicens: Lignum humiliatum dicitur crux, quæ ante Domini passionem vilissima habebatur, utpotè patibulum damnatorum, quæ modo exaltata est, cõtactu membrorum Christi, & sanguinis ejus respersione: unde canitur in hymno:

Arbor decora & fulgida,
Ornata Regis purpura,
Electa digno stipite,
Tam sancta membra tangere.

Unde Auditores mei, cum dicat Aristoteles, *Contraria juxta se posita magis eluceſcunt.* Ut eo melius producere possim laudes & encomia sanctæ crucis; prius ejusdem ignominiam tum deinde gloriam demonstrabo.

S. Hieron. in Ezech.

D. Paul. ad Philip. vers. 7. 8.

S. Hieron. ut supra.

Hugo Card. in Ezechiel.

I. Crucem olim turpe & abjectum supplicii genus extitisse, tam Ethnicorum, quam Catholicorum, nec non sacrorum voluminũ monumenta apertè restantur. Cicero de cruce Gabinii, Romani civis orationem habens sic ait. *Facinus est vincire civem Romanum, scelus verberare, prope patricidium necare, quid dicam in crucem tollere? Verbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest.* Alia oratione habita pro Rabirio, magis adhuc id exaggerat dicens: *Nomen ipsum crucis, absit non modò à corpore civium Romanorum, sed etiam à cogitatione, oculis & auribus.* Plerosque illustres, in maximam scelerum suorum pœnam, crucis suplicio periisse variæ historiæ viva voce loquuntur: nam ut tradit Ovidius, cum Achæus Rex Lidiæ populum sum nimis vexaret, suamque in ipsum tyrannidem exerceret, actum in crucem suspenderunt. Arragenes Regis Persarum Præfectus, eo quod Athenienses sæpius excursibus molestaret, & eorum Rempublicam deprædaretur, à Xantipone Duce captus, infami crucis morte affectus fuit. Item Herodorus ait: Histicum Milesiorum Principem, cum incidisset in manus Harpagi

Cicero in Verrem l. 5.

Cicero Oration. pro Rabirio.

Ovidius in Ibin.

pagi Regis Darii Tribuni, crucis ignominiâ tanquam hostem damnatum fuisse. *Item* Plutarchus scribit Glaucum medicum Alexandri magni, eo quod suum dilectum Hephæstionem malè curasset, jussum fuisse mulctari crucis supplicio. Hinc Apulejus crucem vocat damnatam, Seneca infelix lignum, Tacitus servile supplicium. Quid plura? Gracchus Senator Romanus, cum Popilio civi Romano quædam indigna exprobrasset, dignum fuisset dicens ut malâ cruce periret, sufficere sibi hæc dicta putabat pro supplicio. Ac tandem crucis turpitudinem illa Lex à Romanis lata satis denotat. Hi n. cum adverterent multos cives à se ipsis interimi, qui se de inimico suo vindicare nequirent, legem tulerunt, ut quisquis se ipsum occideret, ejus cadaver cruci affigendum, cujus comminationis timore ita omnes perterriti fuere, ut nemo esset qui ferre sibi manus non turpissimum putaret,

Herodotus Plutarch.

Scaliger in Festum.

II. Quod autem non solum apud gentiles sed etiam Christianos ignominiam crucis agnoverint, patet ex quibusdam Sanctorum Patrum testimoniis: inprimis Sanctus Chrysostomus scribens in Epistolam ad Philippenses ait, Judæos cum non possent alio modo Christum Dominum interficere, blasphemos enim aliorumque criminum obnoxios lapidabant, ipsum cruci affixerunt, ut alii si non ideo quod occisus fuerit, ab illo abstinerent: *Tamen vel ideo, quod hoc pacto occisus esset.* Idem Sanctus Pater alio in loco sic ait. *Mors turpis & exprobrabilis, est enim pœnalis mors, & omnium terrima, & apud Judæos maledicta, & inter gentiles abominanda.* Idem ait Divus Augustinus Tractatu 26. in Joannem, dicens. *Parum fuit Christo hominem fieri, voluit etiam ab hominibus reprobari, parum fuit reprobari, parum etiam occidi, sed addit: mortem autem crucis, illa morte pejus nihil fuit, inter omnia genera mortium.* Verum non solum Sancti Patres, sed & ipsæ sacræ scripturæ, infamiam crucis attestabantur. Nam in libro geneseos legitur, pistorum magistrum ob frumenta quæ ex granariis Regis Aegypti auferebat, suspendio crucis ab eodem adjudicatum fuisse. Josue Princeps Israelis Regem Hai propter Jdolola-

S. Chrys. in c. 2. ad Philip.

Idem Homil. de laudib. s. Pauli.

s. August. in Ioan.

Genes. 4. v. 6.

Iosue. 8. v. 26.

triam suspendi mandavit in patibulo usque ad vesperam, Gabaonitæ filios septem Saul in pœnam violati fœderis à Patre ipsorum cruci affixerunt in Gabaa. Aman quam paraverat Mardochæo crucem, ipsemet sustinuit. Et tandem in libro Sapientiæ in quo fit mentio crucis, sic ait sacer textus. *Morte turpissima condemnemus eum.* Idem etiam Sapiens, crucem appellavit lignum humiliatum & contemptibile: tantaque fuit eius turpitudo, ut & maledictam crucem voci tarent juxta illud Deutero nomii; *Maledictus qui pendet in ligno.* Quinimo quia pendentem in cruce, indignum judicabant, ut in ipsum alii respicerent jubebatur condi, & sepeliri ne terram contaminaret: hinc illa verba ibidem scripta: *Non permanebit cadaver eius in ligno, sed in eadem die sepelietur.* In tanta ignominia tum temporis crux habebatur ab omnibus. At postquam Christus Dominus in ea suspensus fuit, omne dedecus à cruce quam longissimè discessit, cunctaque ejus ignominia, in summam gloriam est mutata ut jam impleta sit illa promissio à Propheta Ezechiele promulgata: *Exaltavi lignum humile*, illud in quam lignum de quo una ex Sibyllis prohetavit dicens: *O sosomeus lignum felix in quo Deus ipse pependit!*

2. Reg. 21. v. 9.

Esther. 5. v. 14.

Sapien. 2. v. 19.

Deuter. 21. v. 23.

Sosomeus l. 11.

III. Hinc Crucis gloriam apud Gentiles quoque fuisse præsignatam ex multis patet historiis. Nam Rufinus ait, Aegyptios coluisse quandam literam Sacerdotalem quæ crucis figuram præferebat. Cælius Rodiginus, figuræ crucis tale dedit testimonium, nempè, figuram omnium esse perfectissimam, item cœli, siderumque esse Dominam, & rerum mirabilium effectricem esse habitam: unde in pectore Serapidis pingebatur, quem pro Deo colebant. Sed linquamus gentiles, cum in Christianorum codicibus crucis Christi gloriam satis abunde q; invenire possimus. In primis invitat nos S. Paulus ad speculandam dicens. *Adeamus ad Thronum gloriæ eius, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus* Quem putatis S. Apostolus thronũ hic existimat? Nũquid magnũ ac splendidũ thronũ illũ Regis Salomonis, ex optimo & lucidissimo ebore factũ, & auro fulvo nimis investitũ? de quo habetur 3. Regũ. *Nõ est factũ opus tale in universis Regus*: aut fortè thronũ Patris sui David, de quo scribitur 2. Reg. *Elevetur thronus David?* minime vero, quin hic p thronũ regiũ intelli-

Rufinus lib. 2. c. 2.

Cal. Rhod. lib. 10 c. 8.

s. Paulus ad Heb 4. v. 16.

3. Reg. 10. v. 20.

2. Reg. 3. v. 10.

intelligit crucem Domini. Hæc est ille thronus, ante quem viginti quatuor Seniores mittebant coronas suas. Unde Sanctus Leo explicans illa verba Christi Domini ad latronem dicentis: *Hodie mecum eris in paradiso*, sic ait: *Promissio ista, non tam de ligno crucis, quam de throno editur potestatis.*

Apoc. 4. v. 10.
Luc. 23. v. 43.
D. Leo 2. de pass.

IVi Ut autem adhuc vobis clarius constet, nempè crucem Christi Domini, esse thronum ejusdem gloriosum, insignis quidam Isaiæ Prophetæ locus ad id viam nobis patefacier, qui loquens in persona Dei sic ait: *Dabo clavem Domus David, super humerum ejus*: & paulo post addit: *Et figam illum paxillum in loco fideli, & erit in solium gloriæ domus patris sui.* Ecce thronum! clavem inprimis domus David, ego cum Divo Hieronymo sanctam crucem intelligo, quæ in Apostolica Ecclesia, per domum David significata, ideo clavis officium obtinet, quia vel clavis scientiæ est, ad reseranda sacræ scripturæ mysteria dum diceret: *Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* & ulterius ait S. Lucas: *Aperuit illis sensum ut intelligerent scripturas*: quod notavit Divus Augustinus dicens: *Ipse tanquam clavem, crucis sua sacramentum exercet.* Vel certe crux clavis est, quia Regni cœlestis portas pœnitentibus patefecit dicente Sancto Chrysostomo: *Crux Christi, clavis Paradisi est, crux Christi aperuit nobis paradisum.* Nec mirandum est clavem illam ligneam fuisse quia etiam serafuit lignea, qua protoparens noster clauserat paradisum. Et cum deinde sacer textus ait: *Et figam illum paxillum in loco fideli*; de Ecclesia Catholica loquitur, ubi solum viget crucis fides, virique Christo fideles eam colunt & amplectuntur. Subdit Propheta: *Et erit in solium gloriæ.* Solium hoc Crux Christi est, uti testatur prophetia David Regis dicentis: *Dicite in nationibus quia Dominus regnavit à ligno*, quod intelligitur de Christo Domino, qui uti ait Tertullianus: *A passione ligni morte superata regnavit.*

Isaiæ 22. v. 22. 23.
Luca. 24. v. 45.
S. Augustin. Hom. 34. de Verbis Dom.
D. Chrys. Tom. 2.
Psal. 95. v. 8.
Tertullian

V. Patet id amplius ex verbis Christi Domini dicentis: *Nunc judicium est mundi, nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras.* Judicia in thronis exerceri solent, unde Salamon: *Rex qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Non ineptè crediderim Christum Dominum in solio crucis existentem, intuitu suo omnes Dæmonis insidias, in conspectu oculorum ejus dissipasse, quod S. Job prædixerat dicens: *In oculis ejus quasi hamo capiet eum.* Hamo scilicet crucis, ut explicat Divus Athanasius. Ut ergo revertar ad hoc gloriosum crucis solium, in quo Christus Dominus Principis hujus mundi judicium exercebat, per hanc gloriam in solio crucis retinentem possumus inprimis intelligere Christum Dominum, ad quem dicebat cœlestis pater Joan 21. dicens: *Ego te glorificavi super terram*; possumus etiam intelligere gloriam & divitias domus patris nostri, nempe Ecclesiæ sanctæ quæ est Domus Dei, juxta illud; *Gloria & divitiæ in domo ejus*, quia omnia dona, & ornamenta sua à cruce Christi habet, in qua uti ait D. Leo, *Datur credentibus virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.* Quamobrem Auditores, lætemur hodie de exaltatione huius ligni humilis, ipsique nos humiliemus, ut in cæli gloria exaltari mereamur.

Prov. 20.
Iob. 40.
Psalm. 111.
D. Leo ser. 8. de pass. Dom.

AMEN.

IN FESTO EXALTATIONIS S. Crucis,

CONCIO IV.

Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.

Ad Gal. 6. v. 14.

AUditores mei, cupiens ego hodiernâ die in hac solemnitate exaltationis S. Crucis animos vestros excitare ad lætitiam, non melius faciendũ puto, quam recensendo illa verba ex Canticis Salomonis: *Iam hiems trãsiit, imber abiit & recessit, flores apparuerunt in terra nostra* Id est hiems illa melancholia passionis Christi Jesu jã transiit, illa inquã hiems, quæ discipulorũ corda, dũ à Christo captivo aufugerant, occupaverat. Illa hiems quę Petrũ in atrio Principis sacerdotum se calefacientẽ compulerat, ut dominũ suum abnegaret. Illa hiems, quæ solẽ ne luceret, radiisq; suis terrã calefaceret obtenebravit, & obscuravit: Hæc jam hiems recessit, imber abiit, qui è corpore Christi Domini flagris lacerato, è sanctis manibus pedibusq; perforatis, è pectore lanceæ disrupto & aperto, non solùm perpluebat, sed quasi è canalibus summo cũ impetu largissime effluebat. *Flores apparuerunt in terra nostra*, quia illud aridum sanctissimæ crucis lignum, veluti virga illa Aaronis refronduit, fusq; floribus enatis è purpureo Christi sanguine, terram nostram nempè Ecclesiam sanctã inundavit & recreavit. Unde jam non miror sanctum Apostolum Paulum, spretis omnibus titulis quibus gloriari posset, in sua Christi cruce gloriam suâ collocaverit dicens. *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Quidnam ô sancte Paule in cruce Domini vidisti glorioſum, quid tibi in illa tanto pere placuit ut in illam tanto amoris igne arseris ut in illa solâ gloriari volueris? An quãdo raptus fuisti in paradisũ, non videras ibi lignum scientiæ boni & mali, lignũ vitæ, cæteraſq; arbores, arido crucis ligno pulchriores? Miror certè S. Paulũ, dum fuisset in illo Paradiso, oblitũ fuisse suorũ oculorũ, nullã enim in sua relatione coram Corinthiis factâ, illorum mentionem fecit, sed solum aurium, quidnam ibi audiverit. Scitis causam? Quod aliquis amat, id solum intuetur, cætera etsi pulchra ac præstantissima sint, nõ curat videre, juxta illud. *Ego dilecto meo & ad me conversio ejus.* Arbor crucis Christi, oculos S. Pauli in tantũ rapuerat, ut quasi captivi redderentur, ne præter se cætera ligna Paradisi acciperent. Aures tamen suas, fecerat sibi liberas ut audirent: ait enim: *Audivi arcana verba quæ non licet homini loqui.* Dispensa nobiscum S. Paule & enuncia aliquid? ego putarem, revelatum sibi in Paradiso fuisse mysterium crucis Dominicæ, quod ex eo colligo, quia post illum raptum recensitũ, consequenter ait: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi*, quæ quidem infirmitates crucem Christi repræsentant. Unde si sola crucis Dominicæ infirmitas & humilitas, S. Paulum gloriari faciebat, nos è glorioſa exaltatione ejusdem S. crucis, majorem habemus materiam gloriandi, uti audietis.

Cantic. 2. v. 11. 12.

Marci 14. v. 86.

Luca 23. v. 44.

Numer. 17. v. 8.

Cant. 7. v. 10.

2. Cor. 12. v. 4.

Ibidem. v. 9.

I. Quamvis hodiernâ die sancta mater Ecclesia celebret annuam diei illius memoriam qua Imperator Heraclius Sanctam Christi Domini crucem à Persis rursus victoria felici recuperatam, & in montem Calvariæ summa cum reverentia delatã loco suo restituit, undè hanc solemnitatem per ipsum factam, vocamus exaltationem S. Crucis, nihilominus quod nos in cruce Christi gloriantes nõ solũ hac die sed omni tempore lætari debeamus, id ex eo præcipuè facimus, dum illud Christi Domini beneficium recolimus dũ eam crucem suam quæ olim erat Judæis scandalũ & gentibus stultitia in tantum excellentiæ

culmen exaltare dignatus est, ut quæ olim erat apud omnes gentes infamis abominabilis nunc jam sic multum amabilis & nobis per Adam mortuis jam sit arbor vitæ æternæ, quam per illam iterum sumus consecuti. Nam inquit D. Chrisostomus. *Crucem Christi utiq; celebrari, videlicet in domibus, in foro, in solitudine, in vineis, in montibus, in collibus, in mari, in lectu, in vestibus, in armis.* Ascendit sanè crux non solùm ad illustrum pectora, sed ad Principũ vexilla, & clarissima stemmata quibus infinitas propemodũ hostium turmas, crucis signo in eis exarato, gloriosissimè profligarunt, imo ascendit ad Regia diademata, ad Imperatorum Coronas, & ad tiaras Pontificum. En quantum suam crucem honoravit ut quæ antea fuerat maledictum & infamia malefactorum, nunc sit super capita Principium, & Pontificum, & eadem adoratione (nempè Latriæ) quâ Deus ipse, honoretur. Hodiè impletum est illud Ezechielis vaticinium dicens. *scient omnia ligna Regionis; quia ego Dominus humiliavi lignũ sublime, & exaltavi lignum humile.* Quæ verba Divus Hieronymus refert ad Christum crucifixum, tanquam è Cathedra crucis dicentem, quod Dæmonis regnum dissipaverit, suum verò erexerit. Lignum quippè humile crux erat, sed mirum in modum ab eodem exaltatum. Quod ut amplius intelligamus, scire debemus. Christum in sua incarnatione totum mundum honorasse & exaltasse, idq; taliter, quia dum sibi copulavit humanitatem quæ continet quasi omnia, etiam quodammodo omnia sibi copulavit creata, quæ Deus bona compellavit: At verò quando Christus amplius passurus pro nobis ascendit crucem, quæ ante passionem suam non numerabatur inter bona sed potius inter pessima, dum inquam mala pœnæ assumpsit, illa quasi divina reddit, sicq; suam crucem fecit honorabilem, ut jam quivis dicat cum S. Paulo. *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Sicut enim humanitatem divinam fecit, quia eam sibi univit, ita suo modo crucem, ac labores divinos reddidit, quia eos assumpsit. Et sicut nubes deformis & nigra, tunc pulcherrima, & quasi aurum micans apparet, dum ad eam solis occidentis radii perveniunt: ita sol justitiæ Christus in cruce quasi jam in occidente collocatus, in eandem radios suos mittens ita illustravit, ut posteà Apostolis nihil dignius nihil charius nihil præstantius visum fuerit quam pro nomine Jesu contumeliam pati.

S. Chrysostomus de Cruce,

Exechiel. 17 v. 24.

D. Hieronymus.

II. Sed jam aliam viam ingrediamur, ad aperiendam ejusdem sanctæ crucis ineffabilẽ gloriã. Experientiâ compertum est, fontium aquas, quantò plus in inferiorem locum descendunt, tantò altius postea conscendere. Non aliter mihi videtur cruci Christi Jesu accidisse, quæ quantò inferiùs antea ex hominum opinione depressa dicidit, tantò altius jam in eorum existimatione exaltata conscẽdit. Contemplemur parumper mirabilem hunc ascensum. Sponsus crucem respiciens Palmam vocavit dicens. *Ascendam in Palmã.* Per talẽ sponsum intelligo Christum Jesum, qui sibi annulo crucis desponsavit Ecclesiam. Sed cur ascendit palmam, & non aliam arborem? De palma scribunt naturales, quod tarde fructus proferat, & qui non citò matureſcunt: unde legitur in Historia Alexandri Magni, multos ex ipsius militibus fuisse mortuos qui fructus palmarum adhuc immaturos comederant. Dum tamen ad maturitatem perveniunt sunt dulces & salubres. Crux ergo Domini meritò comparatur palmæ, quia diu fuit infructuosa, donec portavit Christũ fructum dulcissimum, de quo fidelis anima: *Sub umbra illius quem desidera veram sedi, & fructus illius dulcis gutturi meo.* Alia causa hujus ascensus est hæc, quia palma apud antiquas nationes semper erat symbolum victoriæ, idq; peculiare habet, ut quantò majus pondus ad eã deprimendam illi superponitur, tanto fortius erigitur, & sublimius exaltatur. Idem de cruce Christi Jesu narrat Nicephorus, quod quãvis Judæi, instinctu Diaboli, suâq; instigante malitia crucem Dominicam infodiendo terræ opprimere conarentur, nihilominus eo ipso magis erecta fuerit & sublimius exaltata.

Cantic. 7. v. 8.

Majolus.

Plutarchus.

Cantic. 2. v. 3.

Nicephorus l 2 c. 8.

III. Quæris quando vel ubi fuerit exaltata? Respondeo, tunc Christum Dominum illam exaltasse, quando Deum Patrẽ nobis reconciliavit juxta illud ad Romanos 5. *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii eius.* Item tunc exaltavit crucem suam quando Angelos pacificavit, eaq; nostro servitio addixit, uti ait D. Paulus. *Pacificans per sanguinem crucis, sive quæ in cœlis, sive quæ interris sunt:* hoc est homines & Angelos qui per crucem Domini tanquam per quandam scalam ad nos veniunt, ut vota nostra refe-

S. Paulus ad Rom. 5. v. 10.

Ad Col 1. v. 20.

Actor. 5. v. 41.

Jacob

referant Deo. Figura hujus repræsentabat Jacob cujus summitas cælos tangebat, ei vero scalæ innixus erat Dominus, per quam Angeli descendebant, & ascendebant. Ea scala juxta glossam ordinariam est crux Salvatoris nostri Jesu, quam ille in cælum ascensurus sibi suisq; sequacibus erexit. Tunc verò illi innixus erat, quando in cruce à Judæis affixus fuit, Angeli tunc descendunt, & ostendunt, quando ad ministerium nostrum veniunt, & vota nostra Deo offerunt. Quid dicam amplius, Christus Jesus etiam in inferno exaltavit crucem suam. Fortè non crederetis? quia si ibi esset, omnes Diabolos ex loco illo expelleret. Sed taliter eam exaltavit, quia ibidem illam extulit veniens ad infernum, ibiq; ut ait S. Paulus ad Coloss. 2. *Expolians principatus & potestates*, dum de illorum carcere sanctos Patres liberavit. Figura hujus invenitur in his verbis Sancti Jacob Patriarchæ dicentis: *In baculo meo, transivi Iordanem istum & nunc cum duabus turmis regredior.* Quia Christus Dominus transiens in cruce de hoc mundo, duas turmas in inferno detentas, nempè eorum qui fuerunt ante legem & qui sub lege secum eduxit.

Gen. 28. vers. 13.

Glossa Ordinaria.

S. Paulus ad Col. 2. vers. 15.

Gen. 32. vers. 10.

IV. Jam si audire placeat, quantum crux Christi exaltata sit in mundo; aures vobis vix sufficient, & mihi tempus ad narrandum non sufficiet. Sed taceat lingua & vel ipsi exteriores sensus loquantur. Quanta crucis Dominicæ exaltatio reperitur in oculis, dum videmus tot imagines crucifixi Jesu sculptas seu depictas poni in altaribus templorum, in cæmiteriis, in biviis itinerum, in portis civitatū, in parietibus domorum; ecce hic visus loquitur, & crucem Christi prædicat. Loquitur de eadem auditus, dum prædicationem crucis Dominicæ excipit cum gaudio. Loquitur gustus, dum crucifixum quidem Jesum in sacratissimo corporis & sanguinis sui sacramento degustat, omnem vero saporis dulcedinē in animam transmittit. Loquitur tactus dum amplectimur crucem Jesu, ab eodem vicissim tactum benedictionis quam Jacob ab Isaac patre suo obtinuerat, expectantes. Loquitur tandem olfactus dum agni illius immaculati, in ara crucis oblati, & amoris igne cōcremati odorem gratiæ suaviter spirantem delibat. Et ne aliquid prætereatur, loquitur frons de cruce Domini dum illam eidem imprimimus. loquitur cor, & corpus, quod figuratum habemus Exod. 12. ubi sanguis agni jubetur poni super liminaria in utroq; poste, ne primogenita occiderentur, quem locum explicat glossa dicens, *superliminare corporis esse frontem, duos vero postes, esse corpus & cor.* Eo igitur modo hæc figura in nobis admpletur; dum frontem cruce signamus, corpore ejusdem vestigia exprimimus, in corde verò memoriam illis recondimus, & sic primogenita nempe bona proposita conservantur, ne à Diabolo opprimantur.

Genes. 27. vers. 23.

Exodi 12. vers. 7.

Glossa.

V. Sed numquid jam est finis hujus exaltationis S. Crucis? minimè verò: Christus enim conferēs cum suis discipulis de ultimo & universali judicio ait: *Et tunc patebit signum filii hominis in cælo*, quod de ligno sanctę crucis intelligendum esse, unanimi consensu docent omnes Patres Ecclesiæ, inter quos Divus Ephrem sic ait: *Vbi viderint omnes Regium istud, ac tremendum sceptrum revelari, jam tunc agnoscent singuli, continuo ipsū quoq; Regem revelandum, qui in illo clavis affixus est.* Forte dicetis: Quonam fine id fiet? Respondet D. Chrysostomus dicens: *Crux Christi & cicatrices radiis solis tunc erūt lucidores, quod malis erit valde terribile.* Vultis causam? quia tunc Christus dicet talibus. *Ego propter vos homo factus sum, & propter vos crucifixus. Vbi est tantarum injuriarum mearum fructus? Ecce pretium sanguinis mei, quem dedi in redemptionem animarum vestrarum, ubi pro tanto pretio servitus vestra? Ego exaltavi vos, vos autem sprevistisme.* His illa crux gloriosa non erit in gloriam sed in confusionem, sicuti è contra bonis & electis, erit in solatium. Quamobrem Auditores, simus solliciti emendare vitam nostram per veram pœnitentiam, sic enim crux Christi Jesu gloriosa, erit nobis in gaudium & gloriam sempiternam.

Matth. 24. vers. 30.

S. Ephrem. lic. de verâ pœnit.

D. Chrysost. in Matth.

AMEN.

IN

IN FESTO S. MATTHÆI
Apostoli, & Evangelistæ,

CONCIO I.

Vidit Iesus hominem, Matth. 9. Vers. 9.

CUm hodierna memoria Sancti Matthæi Apostoli & Evangelistæ Christi Jesu magna sit, multumque solemnis, indigeret quoque magno quopiam Oratore, qui sua eloquentia & summa verborum copia eam exornare posset, quia exigua ad laudes illius decantandas non sufficiet. Nam si velitis scire, quantus fuerit hic Apostolus Domini? Ipsum nomen sufficiet ad probandum. Matthæus enim [juxta Græcolatinũ idioma] nihil aliud est quam manus Dei. Certè fuit manus Dei! *Etenim manus Domini erat cum eo.* Hæc enim est, quæ ipsum eripuit, de potestate Diaboli, & de peccato avaritiæ, & fecit insignem Christi Domini Apostolum, & secretorum suorum participem. *Manus Domini erat cum illo*, non illa scribens in pariete hæc tria verba, nempe Mane, Thecel, Phares: quæ significabat judicii divini executionem, finemque Regni Chaldæorum, sed potius illa manus, quæ misericordiæ Christi magnitudinem decantabat, non verò judicii & sententiæ severitatem, non cujusdam regni exterminium; quia attestante cælesti Paranympho. *Regni ejus non erit finis.* Vidistis articulos illius manus scribentis in pariete domus Regis Balthasar? Aspicite etiam articulos Matthæi Christi Cancellarii, scribentis in pariete humanitatis suæ. *Vidit Iesus hominem.* Magna certe paritas in numero verborum, quia tres sunt enunciationes utrobiq; sed sensus valde contrarius ut audistis. Sed tu ô Sancte Apostole, dum te aspicio sic scribentem. *Vidit Iesus hominem:* aliud non conjicio nisi quod te pro quodam speculo, seu pro quodam scopo, sive pro quadam imagine, aut certe pro quopam spectaculo à nobis intuendo exposueris. Tu enim ille fuisti homo, qui te aspiciendum Christo Domino præsentasti; de quo & ais: *Vidit Iesus hominem.* Cesset ergo lingua, quia oculis opus erit: sed qualibus? qui simul videbunt, & loquentur laudes Sancti Apostoli, uti in hac concione audietis.

Historia Lombardica.

Lucæ 1. vers. 66.

Daniel. 5. vers. 25.

Lucæ 1. vers. 33.

1. Paradoxum aliquod & quidem inauditum me protulisse putabitis, ubi promisi vobis, tales oculos exhibere, qui simul sint visuri Sanctum Matthæum Apostolum, laudesque ejus locuturi. Sicuti enim creavit Deus oculos ut videant sed non ut loquantur, & quemadmodum creavit linguam ut loquatur non verò ut videat; ita quoq; sicuti consonum & proportionatum erit oculis videre, ita cosdẽ loqui, prorsus alienum erit ab illis. Sed parumper sistite Auditores: inprimis si vobis sententiæ meæ rationem dare vellem metaphoricè, mecum una sentiretis, sicuti linguæ visum, ita oculis loquelam communem esse: Diogenes Philosophus obvius factus cuidam adolescenti, ait ad ipsum. *Loquere juvenis ut te videam.* Rursus ait Tullius Cicero. *Oculi, frons, & vultus persæpe mentiuntur.* Cum ergo visus sit in oculis, & non in lingua, mendacium similiter sit in ore sive in lingua, & non in oculis; cur ille Philosophus aciem oculorum suorum figebat & fundabat in linguam juvenis, ille vero Romanus Orator linguam mendacem in oculis? Admittit inquam hæc meraphorica locutio, ut quæ solem ridere fecit, potest quoque oculos loqui facere, quorum quædam signa & indicia sermocinari videntur; sicuti & lingua videre: dum enim aliquid profert virtuosi seu vitiosi, per id homo qui sit, videri & conspici dicitur. Sed nos ut ad ipsam veritatem veniamus, scire debemus, quod tunc dum. *Vidit Iesus*

Laertius in Apophtegm. Philosoph.

Tullius, Cicero.

Iesus hominem, non purè corporalibus sed divinis oculis ipsum intuitus fuerit, hi autem oculi cum sint verbi incarnati, erit ipsis una eademque res & videndo loqui, & videre loquendo. Hinc Ægyptii volentes divinam naturam symbolo aliquo exponere pingebant oculum supra sceptrum, quasi id innuentes, unum idemque Deo esse, videre & impetrare. Revertamur ergo ad verba Matthæi dicentis: *Vidit Iesus hominem*; & hosce suos oculos interrogemus quidnam circa Matthæum boni & præclari effecerint. Auditores mei, parumnè id videtur vobis, quod Christi Jesu divini oculi, id contulerint homini Apostolo [uti seipsum vocat] quod jam in se referat Deum, factus ipsius imitator. Inprimis legite vobis caput 9. Sancti Ioannis, & considerate, illum cæcum à nativitate sanatum à Christo Domino, ex altera parte ponite Matthæum, pecuniæ cupiditate obcæcatum, & ab eodem illuminatum: qualiter primum curavit? luto linivit oculos ejus, & ut Matthæum illuminaret, quid fecit? numquid lutum oculis suis applicuit? minimè verò; sed quid? *Vidit hominem Matthæum nomine.* Ille à nativitate cæco lutum, huic autem à cupiditate cæco oculos suos applicuit, illi primo porrexit lutum, ut de luto lutum meminerit ortum, huic verò oculos, ut de divinis oculis id haberet, quatenus Deum aspiceret, & in se imaginem illius summi boni æmulam referret. Ita sentit D. Chrysologus sermone 80. dicens: *Vidit illam Deus, ut ille videret Deum.* Quid aliud facerent oculi divini, in hominem conjecti, nisi & homo illis adornatus. Deum in se videndo referret.

In Hieroglyphicis.

Ioan. 9. vers. 19.

D. Chrysol. Hom. 3.

II. Sed fortè dicetis: quomodo id fieri posse, ut oculi divini in hominem conjecti, Deũ in se referre faciant? Numquid habemus tam claros oculos, qui Deum intuentes nos Deo similes faciant? Considerate diligenter, nos esse quædam specula quæ oculos Dei illa intuentes repræsentant, eorumque similitudinem referunt. Hæc est conditio speculorum quæ sunt tersa & pellucida, quod totum id repræsentent & in se referant, quidquid ipsis est ex opposito, undè si quis accedat ad speculum, illudque intueatur, idem speculum oculos se intuentis ad vivum imitatur: eadem ergo ratione & homo est instar speculi Deum refereatis, & sicut oculi qui sunt in speculo videntur rursus aspicere se intuentem, & ad nutum ipsius se conformant. Ita & homo sustinens ut speculum in se Dei faciem, atque oculos, eosdem repræsentat & in imaginem Dei transformatus. Habeo hujus conceptus fundamentum ex verbis Sancti Pauli Apostoli dicentis: *Nos verè omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem.* Quæ verba considerans Divus Chrysostomus maximè illa expendit, nempe: *Gloriam Domini speculantes*, non ad eum [inquit] modũ, quemadmodũ vigil aliquis agens excubias, habet suam speculam, ex qua circumquaque gyrat oculis an aliquid videre possit, nos non speculamur gloriam Domini à specula, sed potius à speculo, quod sumus nos, in quo dũ relucet nobis facies Domini, in eandem ipsius imaginem transformamur.

S. Paul. 2. Cor. 2. vers. 8.

S. Chrys.

III. Patet id ipsum ex testimõnio Regis David dicentis Psalmo 31. *Intellectum tibi dabo, & instruã te, in via hac qua gradieris firmabo super te oculos meos.* Quo in loco sancti Vatis duo noto, primò illa verba posteriora: *Firmabo super te oculos meos.* Quid hic mysterii latet? quod Deus intuens hominem id non obiter faciat, sed promittat se oculos suos super ipsum firmaturum? Legimus Exodi 33. Moysen postulasse à Deo, quatenus ipsi faciem suam videndam demonstraret, at ille respondit: *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Quid est quod Moysi denegavit, Sancto autem Matthæo Apostolo sicut & unicuique hominum videndum permisit? Moysi ideo denegatum putarem, quia ille expetebat videre faciem Dei è specula, & non è speculo, juxta illud Divi Pauli; *Videmus nunc per speculum.* Qui faciem Dei quærit ad videndum illam, fugit ab illo, nec relinquuntur ei nisi posteriora sola: at qui se ipsum objicit Deo tanquam speculum quoddam, non solum ipsum non refugit, sed se oculos suos super ipsum firmaturum pollicetur. Ad quid hęc oculorum firmatio? Qui firmis oculis & non gyrovagis aspicit speculum, firmum etiam est quidquid in illo intuetur, undè Deus noster firmat in nobis suos oculos, datque intellectum, nempe aperit mentis oculos, qui faciant nos contendere, ad obtinendam divinam imaginem.

Psalm. 31. vers. 7.

Exodi 33. vers. 23.

1. Cor. 13. vers. 12.

IV. Primum exemplum hujus mei discursus habemus in illa Sponsa Dei, quæ Canticorum 2. cap. sic ait: *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi. Surge propera, amica mea, columba mea, formosa mea.* Per istam Sponsam possumus intelligere filiam Adami primi patentis nostri, nempè animam cujusvis hominis. Nonne recordamur illam sponsam, aliquando fuisse fuscam; patet ex verbis dicentis, & rationem nigredinis assignantis verbis talibus. *Quia decoloravit me Sol.* Jam verò quanta sit illius pulchritudo, quantus decor faciei & oculorum ex verbis sui sponsi liquet dicentis. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum, in uno oculorum tuorum.* Unde ergo sponsa hæc reddita est, tam pulchra & formosa, quibus unguentis & pigmentis colorum usa fuit, ut ad tantam formositatem perveniret? Ipsa respondet dicens: *En ipsa stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras.* Ubi prius Dominus oculos suos vertit ad animam, illa quasi speculum totam recepit Domini venustatem. Pulchrè hac de re ait Divus Gregorius Nyssenus dicens: *Pulchra redditur, columba nominatur.* Quomodo potest fieri, ut in speculo pulcher sit aspectus, si non pulchrę alicujus formæ acceperit simulachrum? Ergo humanæ naturæ speculum, non prius evasit pulchrum, quam pulchro appropinquavit, & informatum fuit *imagine pulchritudinis.*

Cant. 2. vers. 9. 10.

Gen. 1. vers. 5.

Cant. 4. vers. 9.

Greg. Nyss. Hom. 5. in Cant.

V. Aliud exemplum habemus in Sancto Matthæo Apostolo, cujus hodie solemnem memoriam celebramus? hic quoad primam nigredinem non absimilis erat sponsæ, poteratque una cum illâ dicere: *Decoloravit me Sol.* Nempe avaritiæ, sed jam quam pulcher sit & formosus quis effari queat? Dicitur in primo capite Danielis Prophetæ. Regem Nabuchodonozor præcepisse Arphaxad præposito Eunuchorum, ut introduceret de filiis Israel, & de semine Regio pueros, in quibus nulla esset macula, decora forma, & eruditos omni sapientia, qui possent stare in Palatio Regis; Sanctus Matthæus in excellentiori aula fuit Regis Christi. Non quidem pro puero tantum sed etiam pro Secretario, undè hisce cunctis doribus exornatus esse debuit, sed undè illi tanta gratia? non aliundè nisi ex oculis Domini speculo sui cordis impressis; nam ut ait Nyssenus. *Aspiciebat ad primariam, & exemplarem pulchritudinem, propterea cum luci appropinquaret, lux efficitur.* Volumus & nos appropinquare ad lucem Christi, eique esse similes? Id quidem promittit nobis S. Joan. dicens: *Similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est.* Sed audite quid mellifluus S. Bernardus dicat. Similis erit illi cum videris eum sicuti est; esto & nunc similis ei videns eum, sicut *propter te factus est.* Imitemur ergo S. Matthæum Apostolum, hic enim similem se reddidit Christo in passione, & nunc lætatur de sua gloria sempiterna.

Daniel 1. vers. 3.

Nyssenus ut supra.

Ioan. Ep. 1. Canon. vers. 3.

D. Bernard. in Cant.

AMEN.

IN

IN FESTO S. MATTHÆI
Apostoli & Evangelistæ,

CONCIO I.

Vidit Iesus hominem sedentem in telonio. Matth. 9. v. 9.

EA est conditio oculorum, ut si aliquid ipsis occurrat læti ad videndum, totum quoquè hominem afficiant lætitiâ. Unde Jacob Patriarcha, cum veniens in Ægyptum, filium suum Joseph conspexisset, hæc verba protulit. *Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam* Gen. 46. v. 30. Simeon ille senex simile quid præ magno gaudio protulit, videns enim in ulnis suis puerulum Jesum, quem diu videre gestiebat, in hæc verba prorupit dicens: *Nunc dimittis Domine servum tuum in pace: quia viderunt oculi mei, salutare tuum.* Luc. 2. v. 29. At verò si quid adversi & infausti occurrat oculis, nihil aliud homini parit nisi vel timorem, vel indignationem, aut tristitiam. Revertentes filii Israel ex Ægipto dum levassent oculos suos, & vidissent Ægyptios, se insequentes, timuerunt valdè. Exod. 14. v. 10. Idem filij Israelis, fastidio habentes manna, quo in deserto alebantur, ex impatientia dixerunt. *Nihil respiciunt oculi nostri nisi Man.* Num. 11. v. 6. Similiter de Rege Saul legimus 1. Regum. Quod ex aspectu David sibi servientis turbaretur, ait enim textus? *Non rectis oculis, Saul aspiciebat David.* 1. Reg. 18. v. 9. Plura exempla in memoria non revocabo, scio enim naturale esse oculis, non solũ hominum, sed etiam brutorũ, vitare & fugere sibi contraria. & noxia sicut ovis visu lupi terretur. Hinc inter omnes homines, valdè miror Christum Dominum, hunc enim nulla visio terruit aut contristavit. Inter cætera quæ relinquo, sufficiat mihi Matthæus telonarius. Vultisnè audire quid de se ipso dicat? *Vidit Iesus hominem sedentem in telonio.* Quid ais publicane? ubi te vidit? fortè in templo Ierosolymitano ementè columbas & vendentem? certè te flagello castigasset, & è templo ejecisset. Sed ubi te vidit sedentem in telonio! Estne possibile, quod ex tali visu non fuerit conturbatus? Nonne ille est de quo S. David ait: *Oculi Domini super justos*? Psalm 33. v. 16. Quid ergo fecerunt super publicanum? Sed nolite mirari Auditores, quin imo benedicite illius amorem, qui non venit vocare justos sed peccatores, & merito. Quia cum sit sol justitiæ, solares habet oculos qui absquè ullà læsione & detrimento sui, intuentur bonos & malos, Cur autem hic sol justitiæ, nempe Christus Jesus Matthæum sedentem in telonio intuitus fuerit, in hac concione audietis.

1. Non otiosè dictum est in Evangelio hodierno, quod viderit Jesus hominem; sed ut ratio monstraretur, quod cognatio naturæ humanæ faciat hominibus Jesum propitium, & hæc illa fuit quæ ipsi Matthæum publicanum & peccatorem charum fecit quod pulchrè observavit S. Chrysologus dicens: *Non dixit; vidit Matthæum, quia in Matthæo hominem liberarat.* Ex quibus verbis patet, naturam hominis multi à Jesu fieri qua ipsum afficit, ut ad ipsam, tanquam ad cognatam suam inclinetur. Antiqua erat olim quæstio, cur Christus naturam nostram supra Angelos glorificasset, & dilexisset? Cui Anastasius Nicenus respondet his verbis: *Naturali quadam ratione ad id, quod sibi cognatum, & consubstantiale est propendet, illudq; impensius diligit*, unde prudentissimus ille latro in cruce pendens, cum Salvatoris gratiam sibi conciliare cuperet, nulla alia motiva quærebat, nisi solam naturæ cognationem objiciebat dicens: *Memento mei*: Quæ verba elegan-

Chrysolog.

Anastasius Quæst. 78.

Luc. 23. v. 43.

D. Cyrill. Cathe. 13. genter ponderat Divus Cyrillus dicens. *Non dico ut memineris operum meorum, hæc enim me tuo: sed omnis homo afficitur ad comitem suum* ac si diceret. Domine nihil boni fecit, nihil ergo habeo qui te inflectam ad misserendum mei sed unum scio me habere, quod tibi est non absimile, nempe naturam humanã, hujus ergò si quid habes in pectore tuo, memento mei. Antiquus autor Terrullianus, considerans illam mutationem Domitiani Imperatoris, qui in principio persequendo Christianos Neronis leoninam crudelitatem superare conabatur, postmodũ vero mansuetior fuit redditus, talẽ hujus rationem dedit. *Tentaverat & Domitianus Portio de crudelitate Neronis: sed quia & homo; facile cœptum repressit, restituit etiam quos relegaverat.* Hic Imperator eandem cũ Nerone crudelitatis portionem habuisse videbatur, cujus rabiem sequebatur, postquam autem aliquid humani in animo cogitassat, omnem exuit feritatem, qui enim homo est, propitius sit hominibus.

Tertull. Apol. c. 4.

II. Sanctus igitur Matthæus Evangelista, calamo suo Evangelio sapientissimè usus fuit, dum de suo statu in quo versabatur, & simul de bonitate Christi se vocantis texens Historiam, primũ quod oculis ejus objecerat, natura humana fuit: *Vidit Iesus hominem sedentem in telonio.* Sed cur non subticuit infamem illum quæstum qui fit ex telonio? quis unquam se ipsum diffamare non erubescit? Pictores dum aliquam pingunt figuram, umbris utuntur, sine quibus informis esset imago Sanctus ergo Matthæus, ut in tabula Evangelii sui figuram vocantis & miserantis Christi exprimeret, statum suum pristinum loco umbrę posuit, quæ ne ingrata Domino videretur, eam naturæ humanæ vocabulo adumbravit, dicens: *Vidit Iesus hominem sedentem in telonio.* Antequam adhuc Deus fieret homo, jam se in hac umbra exercebat, ut factus homo eam melius agnosceret. Postquam enim puniviſſet genus humauum diluvio, postmodum naturæ fragilis umbram intuitus dixit. *Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines, sensus enim & cogitatio humani cordis in malum proni sunt ab adolescentia sua.* Ad post quã Deus homo factus est, tunc jam redditus est hominibus magis propitior quia umbræ humanitatis nostræ conformis factus fuit, cujus fragilitatem præ oculis habet. Hinc optimè protulit Divus Chrysologus dicens,

Genes. 8. v. 21.

Vidit hominem ut peccata hominis non videret, vidit opus suum ne videret opera peccatorum. Hunc semper tenorem servant divini oculi, ut prius luteum homini opificium meminerint, quam humanos excessus contemplentur, ut de fragilitate ediscant misericordes esset. Nefarii accusatores Joannis 8 cap. statuerunt quadam vice coram Domino, mulierem in adulterio deprehensam, objicientes eidem tenorẽ legis quæ tales lapidari jubebat. Quid tunc Dominus? *Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra.* Christe Jesu quid non hoc operatis? non vides accusatores, qui adstant coram te? non audis clamores mulierem accusantium, ejusdemque adulterium prædicantium? & tu Domine quasi oculos aureosque haberes claudas inclinatus ad terrã scribis, quid amplius? non avertit à feria oculos donec accusatores è templo discederent. Hæc est historia, sed vultis ejus nosse mysterium? Mulier non rogavit aliquod à Christo patrocinium, quia noviter in crimine deprehensa, coram eodem tota confusa & pudore fracta, tanquam muta fierit: at quid Dominus? *Digito scribebat in terra.*

D. Chrysol. serm. 29.

Ioan. 8. v. 6.

III. Mysterium ergò hoc est, ea propter inclinans se deorsum, digito scribebat in terra, quia digito quo hominem è terra formavarat fœminam à peccato absolvebat, ejusdamque veniam in terra exarabat, à quo oculos suos avertere nolebat, donec accusatores abscõderent: qua de re D. Ambrosius sic ait. *Vide lector divina mysteria, & clementia Christi: cum accusatur mulier, caput Christus inclinat, elevat autem, ubi deficit accusator.* Mysteria Christi hęc sunt tam diu oculos fixos habere, in luteum hominis opificium, quamdiu peccata hominem accusantia rigorem justitiæ petunt: ut sic de lutea fragilitate affectum, peccata fragilitatis non offendant. Hinc Job loquebatur ad Deum dicens. *Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu: & & sic repente præcipitas me? Memento quaso quod sicut lutum feceris me* Quasi cum memoria lutei hominis opificii, rigor adversus homines, nullum apud Deum locum habere posset: & eo ipso, quod tam vili fundamento usus est Deus ad ædificium humanum quasi teneretur ædificio prospicere, ejusq; reparare ruinas. Concordat eum eodem Patriarcha Isaias Propheta dicens. *Nunc Domine pater noster es, nos vero lutum; & fictor noster tu, & opera manuum tuarum*

S. Ambr. lib. 9. ep. 76.

Iob. 10. v. 8.

Isaiæ. 64. v. 8.

tarum nos omnes. Ne iraſcaris Domine. Quis figulus iraſcitur, quod luteum vas, mille expoſitum ictibus confringatur? quinimo, qui neſciat fractiones pati, non fiat figulus: ubi enim Deus in conſtruendo homine figuli opus arripuit, nihil prius agnovit quam fragilitatem tolerare. Verè ita eſt, ideo enim Chriſtus Jeſus mulierem illam peccatricem, nempe Meriam Magdalenam recepit in gratiam, quia erât fas fragile & opus figuli, ideo Matthæum publicanum, quia erat opus figuli juxta illud. *Vidit Ieſus hominem ſedentem in telonio.*

Act. 24. v. 7.

IV. Noverat id D. Paulus Apoſtolus dum ait: *Qui autem judicat me Dominus eſt.* Quid loqueris Paule? Nonne tu ille es, qui cum accuſatus fuiſſet à Judæis, tot humana tribunalia ſubiviſti: jam coram Felice judice ventilata fuit cauſa tua. Poſtmodum coram Pontio Feſto jam coram Agrippa Rege, tandem tu ille es qui Cæſarem appellaſti, ut ab illo cauſa tua judicaretur: nunc verò cum omniũ creaturarum judicium effugiſti, non jam ad Cæſarem, aut ad aliquem mundi judicem ſed ad Deum appellaſti. Terribile Dei judicium non vereris. At tu ille es qui dixiſti: *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis.* At Divus Ambroſius Antiſtes & Doctor Eccleſiæ egregiè ſtat pro Sancto Paulo dicens: *Pulcherrimè eum judicem elegit, qui nullâ fraude fallitur, ut eum neq; occulta prætereant, nec infirmæ conditionis lapſus offendant, quia fragilitatt novit ignoſcere.* Audet ad Dei tribunal ſtare, quiſquis lutum originis ſuæ recolit, quia fragilitatis ſuæ conditionẽ Deo cum humilitate proponit, hic non timebit ſtrictũ vindictæ Dei gladiũ in peccatores. Unde neq; Sanctus Paulus fuit ſibi contrarius, ex una parte appellans iudicium Dei, ex alterâ vero horrendum eſſe dicens incidere in manus Dei viventis. De præſenti etenim tempore intelligit, in quo Deus noſter eſt pater miſericordiarum his, qui ſe committunt illi in judicio pœnitentiæ, in quo juſtus primõ accuſator eſt ſui, qualis erat Matthæus dicens: *Vidit Ieſus hominem ſedentem in telonio.*

Ad Heb. 10. v. 41. S. Ambr. in Pſ. 38.

Matth. 9. v. 9.

V. Patet id egregia quadam figura antiqui teſtamenti, uti habetur 2. Paralip. 9. cap. *Fecit Rex Salomon ſolium eburneum grande, & veſtivit illud auro mundiſſimo, ſex quoq; gradus quibus aſcendebatur ad ſolium, & ſcabellum aureũ & brachiola duo intrinſecus, & duos Leones ſtantes juxta brachiola, ſed & alios duodecim leunculos ſtantes ſuper ſex gradus.* Quid cauſæ eſt quod Rex tam ſapiens tot leonibus thronum ſuum vallari præceperit; numquid ut timeretur? Et id quidem practicatum fuit, ad primam enim illam ſententiam qua filium duarum meretricum, ſtricto gladio in medium ſcindi juſſerat, ait textus. *Audivit omnis Iſrael judicium, quo judicaſſet Rex, & timuerunt.* Si ergo tribunal Salomonis tantus timor invaſerat, potius Leones illi, convertẽdi erant in cervos: ſed cur potius Leones habere voluit? Aliquid de judicio Dei ibi auſpicor, cujus etiam tribunal circumdatum eſt leonibus; ſed qualibus? his de quibus ait Prophetа Iſaias. *Nonne Leo quaſi bos paleas comedet?* De Lœna ajunt Naturaliſtæ, quod quam primum pulli ſui videre incipiant, ſpargat pulveres ante oculos ipſorum: id autem facit ideo, ne gladios aut ſpicula venatorum timeant. Qui pulverem fragilitatis ſuæ quaſi cõmitem ſemper ſecum gerit & ob oculos habet non eſt cur magnopere ſeverum ac tremendũ illud ac terribile Dei judicium ac tribunal vereatur qui enim magnum illum telonarium omnibus peccatorum ſordibus involutum & quaſi ſepultum benigniſſimis miſericordiæ oculis aſpexit pro nobis quoque ſuos miſericordiæ oculos non abſcondet ſed veniam omnium peccatorum ſimulque vitam æternam dabit,

2. Paralip. 9. v. 17, 18, 19.

3. Reg. 3. v. 28.

Iſaiæ. 15. v. 5.

AMEN.

IN FESTO. S. MATTHÆI
Apostoli & Evangelistæ,

CONCIO III.

Vidit Iesus hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi, Sequere me. Matth. 9. v. 9.

Auditores præstantissimi. Puto vos benè scire, quidnam servis illis Saul Regis acciderit: cum enim missi essent, ut Davidem (cui infensus erat) etiam in lecto jacentem occiderent, illi mandato sibi dato obtemperare coacti, cum aperta camera venissent ad lectum suum, non Davidem ut putabant, sed pro eo simulacrum mutum quod Michol uxor sua in lectulo callide composuerat, invenerunt. Idem Auditoribus meis hodierna die (ni fallor) eveniet, qui enim huc convenistis, ut me de Sancto Matthæo Apostolo & Evangelista concionantem audiatis aliud longè in lectulo oris mei, in quo vivacia Spiritus Sancti verba collocari solent invenietis. Quidnam illud? mutum aliquod simulacrum. Dum enim ego cupio laudes promere Sancti Apostoli, ex eo quod fuerit Christi Domini discipulus, ejusque Cancellarius, qui primus in Judæa, propter eos, qui ex circumcisione crediderant, Evangelium Jesu Christi composuit, moxq; in Aethiopiā profectus, illud prædicavit, ex eo, quod in eodē Regno, filia Regis à mortuis suscitata, Regē Patrem, & uxorem ejus, cum tota Provincia ad ad fidem Christi converterit: ex eo, quod S. Joannis Baptistæ vivendi modum imitatus, solis tantum oletibus victitare solitus fuerit, ex eo quod prædicationem verbi divini, plurimis patratis miraculis illustraverit: ex eo, quod munus suum Apostolicum, martyrii gloria coronaverit: ecce tibi dum hæc in lectulo mentis meæ rimari incipio, quæ vobis exhibeam, mutum quodpiam simulacrum invenio compositum non à Michol fœmina sapiente, sed ab ipso autore hodiernæ lectionis Evangelicæ, in qua nihil vivi invenio, nihil Apostolici, nihil præconio digni sed quoddā simulacrum, nempe *Hominem sedentem in telonio.* Sed quid tum: Legistis aliquando, Ezechielem Prophetam ossis aridis prædicasse, eaq; ad verbum Domini revixisse, id jam impletum videmus in Principe omnium Prophetarum Christo, hic enim intuens Matthæum tanquam simulacrum quoddam absque spiritu, sine vita, quia totus erat in peccatis, quæ occidunt animam, nihilominus unico verbo oris sui duo verba exsufflantis. *sequere me*; hoc simulachrum mortuum vivere, mutumq; loqui fecit, uti & ipsi auditis dicentem. *Vidit Iesus hominem sedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi, sequere me* Bono itaque estote animo, non enim me de muto simulachro sed de vivo vitæ nostræ exemplari dicentem audietis.

1. Reg. 19. v. 15.

Ezechiel. 37. v. 10. 11. 13.

1. Legimus 4. Regum 4. cap. Elisæum Prophetam filium Sunamitis mortuum suscitare volentem incubuisse super puerum & sic suam carnem calefecisse, & vivum matri reddidisse, sed inter alia id quod posuerit oculos suos super oculos ejus, & illud alterum, quod puer septies osculaverit, & oculos suos aperuerit: & hinc infero, si tanta fuit vis oculorum Prophetæ, quod illis tanquam aliquam januam clave oculos illius pueri aperuit, quantam putamus vim inesse oculis Christi Domini, quos quam primum super Matthæum posuerat, vere mortuum, quia nesciebat nec poterat in via Dei ambulare, & ideo vidit eum sedentem in telonio, nullis usus medicamētis, nullis herbis, nullis orationum flosculis, sed hoc solum prolato, *sequere me*: ex mortuo fecit vivum, ex sedente ambulantem, ex muto loquentem, & unum ex illis de quibus Rex David prophetabat dicens. *In omnem terram exivit*

4. Reg. 4. v. 34.

Psal. 24. vers. 14. *exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* O quanta est oculorum Christi excellentia? mulier illa Sunamitis, post suscitationem sui filii, multum sine dubio Elisæo Prophetæ obligata fuit: plus Sanctus Matthæus Christi oculis obligatus fuit, & quemadmodum S. Petrus Apostolus divinæ Christi dexteræ est obligatissimus, quæ ipsum de profundo aquarū ne mergeretur extraxit, de morte ad vitam, & de infidelitate ad vitam reduxit. Item sicut S. Joannes Apostolus obligatissimus est pectori Christi, in quo tanquam in thalamo requievit, ibidemque de altissimis Sanctæ Trinitatis mysteriis edoctus, & à terra ad cælum usque elevatus fuit. Similiter, quemadmodum S. Thomas Apostolus gratissimus esse debet, sacratissimis Christi vulneribus, à quibus veluti totidem astris cælestibus, illuminatus & ab erroris sui tenebris expurgatus, atque in mysterio resurrectionis Dominicæ corroboratus fuit. Denique quemadmodum justus latro umbræ crucis & corporis Christi obligatissimus esse debet, qua mediante de peccato ad gratiam de tormento ad præmium, de terra ad cælum inusitato quodam miraculo evectus fuit: eodem modo S. Matthæus Apostolus, obligatissimum se agnoscere debet divinis Christi oculis, à quibus non solum ipsius vocatio, ab iniqua telonii sede sublevatio, sed etiam vitæ illius conversio, omnisq; honor Apostolicus, nec non omnis sua exaltatio desumpsit originem.

Matth. 14. vers. 32.

Joan. 20. vers. 27. 28.

II. Si inprimis de maximo vocationis suæ dono aliquid loqui voluero, occurrunt mihi verba sancti David Prophetæ de Christo Domino in spiritu dicentis: *Ponit in thesauris abyssos:* vos fortè dicetis me hic nihil dicere: Quis namque vidit unquam, ut abyssi in thesauris includantur, & non potius ut thesauri in abyssis, & in cavernis terræ recondantur, num benè sciamus in profundo pelagi & in profundis terrarum locis, auri & argenti cæterorumque metallorum multos thesauros latere. Hinc etiam ait D. Basilius. *Ad communem intelligentiam, magis esset accomodatio si dixisset, poni in abyssis thesauros.* Non contradico, si iste locus sacri textus juxta communē sensum inrelligi deberet, ac si mysticū Divi Augustini sequi voluerimus, ille per thesauros intelligit, viros sanctos, quorum thesauri meritorū in scrinio divinæ gratiæ asservantur, Tales Divus Paulus appellat *vasa in honorem*; vasa inquam aurea omni lapide pretioso exornata, quæ Deus reponit in cælis, tanquam in thesauris. Per abyssos intelligit peccatores, juxta illud: *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit*: & Sanctus Joannes quando de infernali Dracone narrat, eum in abyssō concludi, per talem abyssum corda impiorum & peccatorum intelligūtur, in quorum profunditate Diabolus suum collocat dominium. Talis certè ante suam vocationem erat Matthæus, erat abyssus iniquitatum, fraudum colluvies, injuriarum puteus, injustitiarum pelagus, etat Princeps publicanorum, antesignanus raptorum, & tandem in avaritiæ abyssum ad os usque demersus. At cum Christus præteriens eum vidit, vocavit & convertit, posuit in thesauris abyssos, qui enim erat profundum impietatis, & abyssus peccatorum, collocatus est inter vasa cælestia & inter thesauros pretiosissimos, dum ex teloneario & publicano factus est Apostolus & Evangelista Domini.

Psal. 32. vers. 7.

S. Basil. in Psalm.

S. August. lib. 10. de Civ. Dei cap. 7.

D. Paul. ad Rom. 9. vers. 21.

Prov. 18. vers. 3.

Apocal. 18. vers. 2.

III. Discamus hinc maximam Christi Domini misericordiam, quam ut in mundo practicare posset, relicta in cælis majestate suæ gloriæ, cum summa festinatione descendit ad terram juxta illud. *Exultavit ut gigas ad currendam viam suam.* Quod summe admiratus Divus Basilius ait: *Si rogemus Salvatorem, quare veniſti? respondebit: Non veni vocare justos sed peccatores ad pœnitentiam.* Sed quis cum verbo incarnato verbis certare præsumeret, cessent verba, ubi sufficiunt tot exempla & parabolæ. Unde nobis ille pastor tam diligens & sollicitus de una ove perdita, qui ut illam quereret, reliquit nonaginta novem in deserto interrogemus eum cum S. Basilio. *Quid portas inhumeris? Ovem inquit perditam: cujus gratia gaudent qui in cælis sunt.* Sed quid tanti tibi æstimas unam ovem inventam cum plures habeas in deserto? *Amen Amen dico vobis, quia gaudium est in cælo, super uno peccatore pœnitentiam agente.* Quisnam est ille paterfamilias, qui filium suum prodigum revertentem, tanto cum amore rursus recepit in gratiam? non alius, nisi hic qui Zachæum Publicanum, & peccatorem non vulgarem, admisit in gratiam, ut in domum ejus descendere & hospitari non dedignatus fuerit

Luc. 15. vers. 5. 6.

D. Basil. Luca 15. vers. 7.

hic

hic quià Magdalena peccatrice ſe tangi, & lachrymis ejuſdem ablui paſſus eſt, hic qui crucifixo latroni promiſit paradiſum: & tandem hic qui Matthæum ſedentem in telonio, nihil de ſua converſione cogitantem, miſericorditer aſpexit & vocavit dicens: *Sequere me*, eumq; ad obediendum movit efficaciter, & inſuper invitatus ab eodem ad menſam, cum illo recubuit, ideo certè, ut aliis bonitatis ſuæ præberet exemplum.

Luc. 7. verſ. 44.

Luc. 23. verſ. 14.

IV. Aliud eſt quod non ita diſcete, quam mirari debeamus, nempe immenſa Dei potentia, quæ in longanimitate conſiſtit, quod inquam peccatores patienter ferat, juxta illud Sapientiæ 11. c. *Miſereris omnium, quia omnia potes*. Mirabilis planè effectus divinæ potentiæ: homo miſerabilis, putat robur ſuum, & animi magnitudinem in eo conſiſtere, quando reſiſtit ſuo adverſario, quando percutit offenſorem, dum occidit hoſtem ſuum, at Deus è contra facit, tale enim univerſalis Eccleſia Chriſtiana dat ei teſtimonium. *Deus qui omnipotentium tuam parcendo maximè & miſerando manifeſtas*: notandum eſt illud adverbium, *maximè*: nulli namq; dubium eſt, quin Deus omnipotentiam ſuam in creatione Angelorū manifeſtaverit, mundum hunc univerſum de nihilo condens, gubernans cælos, peccatores diluvio caſtigans, igne quinq; civitates in cinerem redigens, Core, Dathan, & Abiron tertæ hiatu abſorbens. An non clariſſima hic ſuæ potentiæ ſigna manifeſtat? utique; ſed in quo eam demonſtrat *maximè*? In patienter ferēdo peccatores, longanimiter eos expectando, ſæpe ſæpius eos vocando, & inſuper gratiam ſuam eis reſtituendo. Talem ſuam omnipotentiam oſtendit in Matthæo telonario, quod enim ipſum vocaverit *ſequere me*; & quod id divina ſua virtute effecerit, ut vocanti obediret eumq; mox ſequeretur; id non fuit opus minoris virtutis quàm illud primum quod fecit in Cana Galileæ, dum aquam in vinum commutavit. Sed quid? ſi illud divinum opus fuit, excellentius multò opus eſt cor humanū ſaxo durius in ceram quaſi adignem tremefactā tranſmutare, & quod prius fuit carnale, reddere ſpirituale, terram in cælū convertere, Dæmonum ſpelunças in divina palatia, & titiones inferni, in cæleſtes Seraphinos. Ratio hujus eſt, quia hoc opus magis eſt Deo proprium & ad ſingularem illius potentiam ſpectans; tum in liberis cordibus efficaciter operatur, illa mutando, & convertendo infernum in cælum, & Dæmones aſpectu terribiles in Angelos pulcherrimos.

Sapient. 11. verſ. 24.

V. Quærit D. Thomas Aquinas, quodnā ſit opus Dei maximum? & reſpondet hoc eſſe excellentius, quam creare totum mundū, quin & mortuos ſuſcitare, quod probat ex illa notiſſima Divi Auguſtini ſententia. *Majus opus eſt, ut ex impio fiat juſtus, quàm creare cælū & terram*, & id eſt veriſſimum, quia, tanto majus eſt opus aliquod & difficilius, quantò majorem operarius experitur reſiſtentiam: non magnæ requiruntur vires, ut in molli luto quis operetur, cum ibi nulla ſit reſiſtentia. at magna requiritur fortitudo operari in duro ære, frigidoque ferro; reſiſtit enim operanti. Eodem modo in omnibus operibus divinis, quæ facit ut facit, nulla unquam inventa fuit aut inveniri poteſt reſiſtentia, hinc de creatione univerſi dicitur. *Delectabatur ludens in orbe terrarum*. Creatio mundi, luſus & quidem cariſſimus erat Deo. Sed aliud eſt in juſtificatione hominis, ibi enim virtuti divinæ reſiſtit liberum cor hominis, quot & quanta Deus & per Moyſen ſigna fecit, ea tamen videns Pharao converti noluit. Propheta quidem altare ſaxeum emollivit, cor tamen Regis Hieroboam emollire non Potuit. Unde ſolius Dei opus eſt, in liberis cordibus operari, de quo Rex David rectè protulit. *Deus cordis mei*, non auri, non argenti, non civitatum, Regnorumque, ſed humani cordis, ſupra quod habet dominium, uti patet in Matthæo, quem ex vaſe iræ, fecit vas glorioſum: hinc igitur laudamus Chriſtum Jeſum, quoniam in æternum manet miſericordia ejus.

I. 2. Q. 113. Art. 9.

Prov. 8. verſ. 31.

3. Reg. 13. verſ. 6.

Pſal. 72. verſ. 26.

AMEN.

IN-

IN FESTO S. MATTHÆI
Apostoli, & Evangelistæ,

CONCIO IV.

Surgens, secutus est eum. Matth. 9. Vers. 9.

AUditores mei, mirabile illud fuit, quia insolitum, nec unquam visum, dum pugnante Josue Duce præstantissimo cum hostibus populi Israelis, ad ejusdem imperium sol stetisset, nec se de loco movisset, donec vindictam de inimicis Dei accepisset; dico id fuisse quod dum mirabile & insolitum, quia natura solis est velocissimo agitari motu, & nusquā stare. At verò mihi mirabilius est, quod dum alter sol, sol inquam justitiæ Christus Jesus, transeundo ab uno loco, nempe ab illa civitate, in qua paralyticum sanaverat, ad alterū locum, in quo Matthæus nummorum assidebat mensis, quod inquam ad vocem illam transeuntis *Sequere me*: dimissis sacculorum thesauris, & ejectus a sella sua, cui immobilis inhærebat, *Surgēs secutus est eum.* Et quis hic Matthæū telonearium levitatis non argueret? quis non rideret, quod semel tantum vocatus cucurrerit ad Christum? an non prudentius fecisset, si moram aliquam protrahēdo, facinus ponderasset, vires quas suas expendisset? Quis Rex iturus committere bellum, non prius sedens cogitat, si cum decem millibus possit occurrere ei? Non deerant tales, inter quos erat Julianus Apostata cæteriq; Ethnici sequaces sui, qui hanc Matthæi mutationem tam celerem explodebant, neque etiam nunc desunt his similes, qui ne Deo vocāti obediant, longissimis cōsultationibus opus habēt, quos Divus Clemens Alexandrinus pulchrè depingit dicens: *An injuria sit facienda, non valde istis solliciti, sed quam primum injuriam facitis. Solū autem an Deus sit colendus quæritis, & an Deus, & Christus sit sequendus, hoc consultandum, & considerandum esse censetis* At qui verè sapere cupit, Jesu vocanti, subito obediendum esse mecum sentiet. Et quis est qui vocationi suæ resistere potuit? quod ille sol tempore Josue Principis steterit, putatis id suis viribus fuisse factum? minimè verò! Audite enim quid dicat S. Ambrosius: *Non in sua confidentia dixit Iesus nave. Stet sol contra Gabaon, sed quia præsumebat in Christo, quem Ducem militiæ cælestis agnovit, & supplíciter adoravit.* Quemadmodum ergo sol ad nutum Domini & Creatoris sui, qui alias rapidissimus est, stetit immobilis, ita quoq; nihil mirum est, si tardum mobile, nempe telonearius, quem avaritia pecuniæ, sedili alligavit, rapidissimo cursu exilivit, & *Surgens secutus est Christum.* Sed quid ipsum tam expeditum fecit ad sequelam Domini! in hac concione audiemus.

Iosue 10. vers. 13.

S. Ambr. Psal. 43.

Matth. 9. vers. 7.

Luc. 14. vers. 21.

Clemens Alexand. in adhort.

I. Qualisnam fuerit conversio S. Pauli ad fidem Jesu Christi, id pulchrè describit S. Lucas Evāgelista in hunc sensum, nempè cū iter faceret & appropinquaret Damasco, quod eum lux de cælo circumfulserit, tam vehemēs & subitanea, ut mox in terram corruerit, neque id sufficiebat, sed etiam voce quadam divina exterritus, *Saule, Saule, quid me persequeris?* per hanc disponebatur, ut humiliter vocanti, Domino responderet *Quis es Domine*, & rursus: *Domine quid me vis facere?* Mirabilis ea fuit S. Pauli conversio, sed S. Matthæi multo mirabilior: quod enim Paulus Deo responderit, eiq; promptam obedientiam obtulerit, Venerabilis Hugo Cardinalis, hujus suæ promptitudinis assignat rationem dicens: *Intellexit enim quod stimulus urgebat ad opus*: at S. Matthæus nihil eorum probavit, neque coruscum cæli, à quo prosterneretur, nec vocē aliquam minantem quæ ipsum terrefaceret, sed unica transeuntis Jesu audita voce: *Sequere me*

Act. Apost. 9. vers.

Hugo Card. in Act. Apost.

& surgens secutus est eum. Cur tam celer Matthæus respondit Jesu vocanti? an quia eo tempore vocatus est, quo ex se aptior erat, & paratior ad respondendum? minimè verò; imò ideo de telonio vocatus fuit, quando ipsi operi sedens incumbebat, quando magis fervebat opus, ne videretur Deus expeditioris & paratioris egere, sed illius esse gratia homines & aptari, & expediri, & viam caperé & cursum consummare. Pulchro id argumento probari potest ex verbis Ezechielis Prophetæ [sive illa ad Regē Tyri sive ad Angelum deciduū referantur] dicentis. *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum: Sardius, Topazius, & lapis, Chrysolitus, & Onyx, & Berillus, Saphyrus, &* **Ezech. 28.** *Carbunculus & Smaragdus, aurum opus decoris tui: & foramina tua in die qua conditus es, præparata sunt.* Per lapides hos pretiosos intelliguntur dona Dei, per foramina verò aptitudinem & capacitatem ad recipiendum illa debemus intelligere, ut sicuti hi lapides pretiosi, dona inquam cælestia, à Deo proveniūt, ita eriam & foramina nempè aptitudo ad illa recipienda ab eodem confertur, & id apertè paret ex tali textu. *foramina tua præparata sunt* ac si diceretur; non te ipse aptasti recipiendis hisce lapidibus pretiosis, sed qui dedit ornatum dedit & aptitudinem ad ipsum. Ita sen-

Hugo Card. Francon. Abbas. tit Hugo Cardinalis explicans hanc Prophetiam, & idem fatetur Franconius Abbas, Tomo primo de gratia dicens: *Hujus ergo foramina in die conditionis, non à se ipso sed manu conditoris sunt præparata: per qua divinitus infusa sapientia Tyrium Principem erudiret, divina sibi gratia collatum esse, quod ad similitudinem Dei refulgeret.* Non laboris tui, non expensarum tuarum est, quod divina & cælestia possis emercari, sed divinæ gratiæ id est, nos vocantis excitantis, allicientis.

II. Homo ut aliquod malum, nempè ut peccatum sibi lucretur, ô quot quantisq; impensis eget: dolendi plane qui servitia quærunt Diaboli. Ideo enim servitia quæruntur in aulis magnatum, ut qui illa acquirunt, hinc lucrum aliquod habeant: at qui se mancipant peccato & Sathanæ, id habent commodi, quod multis bonorum suorum impendiis, hanc conditionem acquirant, & tandem nullum commodum, sed maximum damnum animæ suæ referant. Propter unum leve, sordidum, abjectum scortum quales auri & argenti expensę fiunt, quot duella, quot cędes, homicidia? & tandē quid causat? *prō dolor peccatū, quot cum consummatum fuerit, generat mortem, & non raro sempiternam.* Quantò ergò melius est & conducibilius servire Deo cujus ut aptus reddaris obsequio, nullis expēsis eges, quia id à Deo gratis habes. Componite vobis Synagogæ Principes, cum illo bono Josepho ab Arimathæa; ambo hi volebant habere Christum Jesum, sed dispari ratione, Principes Judæorum ad occidendum. Joseph autem ad sepeliendum ipsum. Judæi tantum scelus patraturi quid faciunt? ad hoc ut perdant Jesum, expilant corbonam, exhibent traditori pecunias, nec prius de habendo Jesu tractant, quam de pretio pro ipso dando. Sed bonus ille Joseph ab Arimathæa quid agit? *Ac-* *Matth. 27.* *cessit ad Pilatum & petiit corpus Iesu.* Petit utique sibi illud dari gratis. Cur illi pecuniā spondent pro Jesu, hic verò Jesum gratis sibi dari efflagitat? Quia Judæi perdere Jesum cupiebant, quisquis autē perditioni studet, multis pecuniis, multis bonorum suorū sumptibus, id agit. Joseph volebat æternam sibi salutē negotiari, ideo petiit corpus Iesu sibi gratis dari, qnia talis negotiatio in gratia fundari debet. S. Laurentius Justinianus, expendens triumphalem Christi Domini agonem pulchrè id expressit dicens de corpore Jesu mortui. *Illud sibi donari poposcit sperans locupletem meritorum cumulum, se in sublimibus cælorum mansionibus posse mereri.* Quam vis ille dives fuisset, & possessionibus mundi plenus, nulla tamen pro corpore Domini Præsidi offerebat munera, nullam pecuniam, quia cælestis meriti præmiique non pacto pretio, quærebat fundamentum, sed illud ex gratia Dei sibi dari expectabet.

Laurent. Iustin.

III. Eamus parum ad templum illud Jerosolymitanum, & etiam simile quid videbimq duos inquam homines, sed multum sibi dissimiles, unum ante altare, alterum autem ante portam templi stantem, Pharisæum orantem & publicanum pœnitentem, hunc multa orantem & dicentem: *Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ possideo:* publicanum ve- *Luc. 18.* ro brevibus se expedientem: *Deus propitius* *vers. 12.* *esto mihi peccatori!* Placet ne Auditores ut componamus utrumque? Si examinaverimus orationem Pharisæi, simulq; quid per ipsam voluerit pensaverimus, id erit quod pro pecuniis cęlestia sibi dari putaverit, ad id enim decimarū meminit, ex tota possessione sua. Sed

quid

quid publicanus? hic nihil dat: nihil offert, nihil à se datum meminit, sed tantum humillimis & obnixis precibus oculis in terram defixis postulat indulgentiam & gratiam: *Propitius esto mihi peccatori.* Equidem Pharisæus ille vanitatis ventos emebat, in qua emptione, magnū erat bonorum dispendium faciendū, alter autem vitam æternam negotiabatur, & Dei gratiam procurabat, in quo negotio nihil perditur nihil insumitur, sic enim nostra omnia servantur in cœlesti depositō, ut nobis ex gratia divina conferantur. Hinc ait D. Basilius *O publicanum clementiæ mercatorem, o publicanum, qui de portu felicitatis rectè vectigal petit, docuisti vectigalium redemptionem justitia valentiorem, non desiisti vectigal poscere, dum Christum ipsum vectigalem feciſti.* In cœlestiū negotiis, non tam damus, quàm accipimus potius exactoris quā mercatoris munus fūgi videmur, mercator data pecunia accipit merces, exactor totus est in accipiendo, sic homo nihil habet, quod à Deo non acceperit.

D. Basil. Seleu. Or. 55.

1. Cor. 4. v. 7.

IV. Luculentissime id patet in *S.* Matthæo discipulo Domini, hic enim cum esset peccator maximus nempè sedens in telonio, apertis quasi faucibus nefas & nefas inhians lucris pecuniarum, undè acciperet quod Christo daret, & non potius ab eodem ipse acciperet? Forte ipsi aliquit obtulit de arca telonii? & quis impiorum id cogitaret? Cur hic S. Evangelista, describens vocationem suam meminit Christi transeuntis? *Cum transiret inde vidit hominem.* Non otiosus erat ille transitus, non enim in mente impiorum hominum cœlestia bona morantur, sed omnino transeunt, & elabuntur; & Jesus, qui nummulariorum mensas everterat, nec non Simonem, gratiam suam pecuniis mercari volentem morte improvisa de medio sustulerat, nullum sanè cum nummis habet negotium. Si quis verò diceret, Matthæum aliquid impendisse pro convivio à se præparato ad quod Christum invitaverat, potius dici debet ex se præparato non tam Deus vescitur dapibus, quam conversione peccatoris, uti ait Divus Chrysologus: *Discumbebat Jesus plus in Matthæi mente, quā signate, & epulabatur non cibis sed redditu peccatoris.* Et quod magis est, non solū id mirandum est quod Christus misericors teloneatium istum gratiâ suâ prævenerit, sed etiam quod tantam in ipsum cumulaverit, ut jam meritò de ipso dici possit. *Ubi abundavit delictum, super abundavit & gratia.*

Matth. 9. v. 10.

Chrysol. serm. 29.

Rom. 5. v. 20.

V. Numquid hæc parva & exigua fuit gratia, quod vocans illum ad se, abstulerit ex ejus manibus librum telonii, librum in quā mortis & perditionis, dederitq; illi librum Evangelii? an illud parum est, quod illum extraxerit ex infamia & infami sorte hominum in quâ versabatur, eumque evexerit in altissimam Ecclesiæ suæ dignitatem. Fuit sanè Matthæus unus ex illis duodecim lapidibus quos Josue ex Jordanis alveo eduxit, qui dicere potest cum Psalmista. *Eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis, & statuit supra petram pedes meos:* & quia septimo loco numeratur inter Apostolos Domini, ex illis quoque pretiosis lapidibus quos Sanctus Joannes Evangelista Apocalypsis 21. Capite se vidisse ait, lapis Chrysolitus, numero septimus, optimè ipsi conveniet. Chrysolitus enim, quemadmodum refert Plinius invenitur in Aethiopia aureo colore tam lucens, Isidorus vero, auro similem esse ait, marini coloris similitudinem habentem. Talis gemma Sancto Matthæo bene quadrat, cum enim sederet in telonio, quasi in maris portu versabatur, sed postmodum visus & vocatus à Christo Domino, tanta sanctitate & charitate fulsit, ut non absimilis chrysolito auro simili, inter hosce duodecim lapides Sanctorum Apostolorum, luceret sapientia, vitæ puritate, & miraculis nunc autem maximo fulgore lucet in gloria sempiterna.

Josue. 4. v. 8.

Psalm. 39. v. 3.

Apoc. 21. v. 20.

Plin. l. 37. cap. 9.

Isid. l. 16.

AMEN.

IN FESTO S. MICHAELIS Archangeli,

CONCIO I.

Angeli eorum semper vident faciem patris mei.

Matth. 18. v. 10.

QUando quidem hodierna dies dedicata sit Principi cœlestis militiæ Michaeli Archangelo, rectius & melius hic loqueretur Angelus de Angelis quam homo. Cum enim secundum doctrinam Philosophorum nostra cognitio ortum habeat à sensu, quo Angelus percipi non potest, quid de illo exactè cogitare, vel concipere poterimus? maxima ergo hic nobis gratia opus est à Deo, ut nobis suum divinum lumen conferat, quo mediante, si non perfectè, saltem aliqualiter, naturam sanctorum Angelorum perspicere, eorumque officia nobilissima cognoscere valeamus, & cum ex nostris meritis id obtinere non possimus, tamen cum de Deo, cœlestes illi ministri, nempè Sancti Angeli, bene meriti sint, propter eos talem nobis gratiam donandam confidamus, de quibus verba facturi, & meditaturi simus, utque id eò melius facere valeamus, fundati in præfato themate: *Angeli eorum semper vident faciem patris mei qui in cœlis est.* Primo de eorum substantia & nobilitate, secundo decora & perpetua, erga nos eorum custodia aliquid promam.

Arist.

I. Dum ergo speculor, mecumque recogito, quibus tandem argumentis, nobilisatem naturæ Angelicæ demonstrare queam, forte obviaret mihi aliquis, & negando absolutè dari Angelos, laborē meū redderet frustrantē sed id nō vereor quod n. Angeli dentur & sint, id nō solū hodierno Evangelio, sed tota sacra scriptura attestante, manifestè liquet. Moyses in mundi opificio, eorum non meminit, vel quia rudi populo loquebatur, qui spiritualia non percipiebant, vel ideo, ne iis ad idololatriam propensis ansam daret plures Deos colendi, veluti vult Sanctus Augustinus: *Cum lucis mentionem fecit, Angelos intelligi voluit.* Cæterum, Angelos, à Deo propter commodum nostrum, creatos esse passim testatur sacra scripsura. Agarancilla, afflicta à Domina sua Sara, fugiebat è domo ejusdem, & ecce Angelus DOMINI in deserto, juxta fontem aquæ, consolatur afflictam, animat ad regressum, suadetque ut se Dominæ suæ humiliet, Genesis 16. Ne pereat Loth cum domo sua, in subversione Sodomæ, venerunt duo Angeli, & eduxerunt eum è civitate Gen. 19. Abraam voci DOMINI obediens filium suum Isaac immolare meditatur, jamque ad occidendum elevat gladium, & ecce Angelus DOMINI de cælo, qui cohibuit ipsum, Genesis 22. Jacob, propter metum fratris sui Esau, excessit domo paternâ, & plenus tristitiâ peregre proficiscitur, tandemque defatigatus, supposito in terra lapide, somnum capit, & ecce videt Angelos, ascendentes, & descendentes per scalam, quæ sibi ostensa fuit Gen. 28. Dum autem Post aliquot annos, domum revertitur, luctatur cum Angelo, ab eodem obtinet benedictionem, Genesis 32. Egreditur Moyses cum toto Israele, ex Ægypto, & pertransit mare

Lyran. in Gen. c. 1. S. Aug.

Gen. 16. v. 7. Gen. 19. v. 17. Gen. 22. v. 10. Gen. 28. v. 12. Gen. 32. v. 9.

mare rubrum, & ecce Angelus Domini, qui castra Israel præcedebat. Exodi 14. Balaam conductus mercede Regis, pergit ut maledicat populo DEI, statim ei obviat Angelus, & ulterius progredi, non permittit. Num. 22. Israel propter peccata à Madianitis opprimitur, & ecce mittitur Angelus ad Gedeonem, annuncians per ipsum populum liberandum Jud. 9. Nativitas Samsonis prænunciata fuit Manue ab Angelo. Jud. 13. Regem Assyriorum cum toto exercitu suo percussit Angelus & dissipavit 4 Reg. 19. Tobias junior comitem itineris sui habuit Angelum Domini Toc. 5. Judith confortata ab Angelo, qui pudicitiam suam custodivit, caput Holophernis ense abstulit. c. 13. Demum efficacissimum extat testimonium in pluribus Psalmis S. David, præcipue Psalmo 103. Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis: cui autoritati innixus S. Paulus hæc scripsit ad Hebr. 1. c. *Misit Deus Angelos in ministerium iis qui hæreditatem capiunt salutis.* Hoc ergo stabilito, quod est de fide, nempè naturam Angelicam esse à Domino creatam, restat nos scire eorundem excellentiam.

Exod. 14. v. 19.
Num. 22. v. 26.
Jud. 6. v. 22
Jud. 12. v. 7
4. Reg 19. v. 3
Tob. 5. v. 25.
Judith. 13. v. 104.
Ad Hebr. 1. v. 12.

II. Magnæ nobilitatis & excellentiæ esse Angelos Domini, pluribus demonstrati potest. At ego contentus maneo, verbis hodierni Evangelii nempe; *Angeli eorum semper vident faciem patris mei qui in cœlis est.* Pro magno sibi ducunt honore homines proximum esse Principi vel Regi, ejusque faciem cominus intueri. Absolon filius Regis David, quamvis fuerit reconciliatus patri, tamen audiens, accessum sibi ad ipsum, esse denegatum, se infelicem reputavit dicens ad Joab *Obsecro ut videam faciem Regis quod si memor est iniquitatis meæ interficiat me.* Regina Saba, quantumvis auro & argento, omneque supellectili pretiosa, à Rege Salomone donata fuit, pluris id æstimavit, quod aspexerit Regis vultum, ejusque sapientiam audiverit. Si ergo homines tantum fælicitatis, & excellentiæ ponunt in intuitu vultus Principum, quantæ jam erunt excellentiæ Angeli, qui Deum ipsum vident.

2. Reg. 14. v. 32.
3 Reg. 10. v. 7.

III. Moyses Dux populi Israelitici, multis à Deo affectus erat beneficiis, quæ enumerare longum esset, at una gratia sibi denegata fuit. Cum enim rogaret DEUM quatenus sibi, tanquam familiari, & Secretario, faciem suam ostenderet, denegavit DEUS dixitque. *Faciem meam non videbis.* Christus Dominus nescio quam beatitudinem, in facie sua collocavit, dixerat enim semel discipulis. *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis:* cum tamen alio in loco contrarium dixerit, nempè. *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Non de visione ergo hic faciali, seu extrinseca intelligit, sed de oculo fidei, quo Apostoli DOMINUM intuentes, pro beatis à CHRISTO habiti, & multis Regibus præpositi fuerunt. At visio Angelorum multum felicior multoque excellentior, quia non semel, sed semper vident, non per speciem & in ænigmate, sed à facie ad faciem. Quod vero ita sit liberalis DOMINUS erga Angelos, quibus faciem suam clarè exhibet intuendam, id sanè pro nostro bono est. Angeli enim sunt administratorii spiritus, ut quidquid vident in facie cœlestis Patris, id nobis communicent. Audistis superius verba Sancti DAVID in quibus Angelos vocat spiritus, & flammam ignis, cur eos sic nominavit? Sanè non aliam ob causam, nisi ob id quod in velocitate, expediendorum, nobisque communicandorum mysteriorum DEI, venti sint agiliores, in amore vero quo nos prosequuntur, flammam ignis (qui est amoris symbolum) imitentur, testis est hujus sententiæ Panthaleon, qui sic ait: *Michael tanquam fulgor atherem obit, pioque qui affliguntur, adit, recreat, & consolatur.*

Exod. 33. v. 23.
Matth. 13. v. 16. 17.
Ioan. 20. v. 29.
Panthal. apud Lipf. Orat. 1.

IV. Et ne gratis loqui videar, ostendam id effective. Quis est qui nesciat, maximam, quam genus humanum unquam passum est, necessitatem fuisse tempore illo, quo Adam parens noster post prævaricationem, contracto reatu iræ DEI, pulsus fuit è Paradiso. A quibus homo illo tempore derelictus non fuit Solus exulabat extra Paradisum, ab Eva

uxore sua non poterat sperare solatium, vel consilium, per quam enim semel seductus erat ei fidem dare non poterat. Sed non putetis ipsum omni caruisse consilio seu solatio. Vultis ne scire causam, cur post ejectionem Adami è Paradiso, Dominus posuerit Cherubinum dicente sacro textu, *Ejecitque, Adam, & collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubin* Forte dicetis, ut custoditet illum, atque Adamo omnem ad ipsum accessum prohiberet, at illud nobis constat. Angelos salutis nostræ esse amantissimos. Christus enim ait. *Gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Si ergo Angeli DEI tanto favore peccatores prosequuntur, multò magis primo parenti nostro præsto aderant, in quo vno ruinæ resurandæ fundamentum versabatur: præsto inquam illi aderant non solum solatio sed etiam consilio, quâ arte iterum ad amissa Paradisi gaudia reverti posset, testis est hujus conceptus, Bachiarius. qui sic ait. *Primi peccatores temporariè, sub typo mœroris damnati sunt, ut malagmate pœnitentia sanarentur. donec, & eo usque de ligno vitæ id est de Christi participatione exules fierent, donec ad eum per Romphæam flammeam id est ignitam Martyrii Passionem aut per Cherubim Domini qui interpretatur multitudo scientia, remearent.*

Gen. 3. v. 24.

Luc. 15. v. 7.

Bacchiarius Ep. ad Ian.

V. Sanctus Chrysostomus veniens ad illa verba Evangelii, ubi ait Sanctus Lucas. *Factum est autem ut moreretur mendicus & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Miratur hic officiosam alacritatem Angelorum. Cum enim Angelus quivis sit tantæ virtutis tantæque celeritatis, quod humano more loquendo, totum mundum uno digito movere posset, bene etiam unus illorum Lazarum portare & ad sinum Abrahæ defetre poterat ut quid igitur tot, & tanti? An non sufficebat ad id Angelus ejus tutelaris? Respondet ergo Sanctus Doctor illum Angelum custodem potuisse id solum præstare sed invitasse etiam alios ad demonstrandum signum lætitiæ, quam ex bono & salute Lazari capiebat. Verba sunt Sancti Episcopi. *Gaudet enim unus quisque Angelorum, tantum oneribus gravantur, ut adducant homines ad regna cœlorum.* Quamobrem Auditores ad devotionem & pietatem erga Sanctos Angelos invitemur, qui cum sint tantæ excellētiæ & dignitatis, nostri tamen curam gerunt, nec non condititori nostro DEO, summas habemus gratias, quod tam nobiles spiritus nobis in mysterium miserit ut per illud gratiam Dei & vitam cœlestem consequamur.

S. Chrysost. hic.

AMEN.

IN

IN FESTO S. MICHAELIS Archangeli,

CONCIO II

Quis putas major est in Regno cælorum. Matth. 18. Vers. 1.

AUditores Chariſſimi, dum ego cæleſtem Paradiſum in quo Sancti Angeli, aliique Sancti habitant, contemplari incipio, nulli alteri loco ipſum melius comparare valeo, quam antiquæ olim Romanæ Civitati, ad quam videndam cum Cineas Pyrrhi Regis Orator quondam acceſſiſſet, confeſſus, ſe ibi nihil vidiſſe deſpicabile & exiguum ſed potius homines illius urbis adeo magnos & præclaros, ut omnes Regibus pares, ipſamque civitatem multorum quaſi Regum conſeſſum ſe vidiſſe dixerit. Amplius aliquid de civitate cæleſti poſſum depromere, de qua Plotinus Autor, tale dat teſtimonium. *Quilibet ibi magnus eſt, & parvum illic eſt magnum.* Cæleſtis illius Paradiſi, omnes cives nempe Angeli Sanctique DEI magni ſunt, nam juxta illud Eccleſiaſtici II. capite ubi dicitur: *In medio Magnatum, conſidere illum faciet.* Venerabilis Hugo Cardinalis omnes Beatorum Cives Magnates appellavit. Quia vero inter tot magnos, nonnulli majores, alii quoque maximi ſunt. Ideo ſi quis ex curioſitate hodiè me interrogaret dicens: *Quis putas major eſt in Regno cælorum.* Huic ego reſponderem maximum inter omnes, Sanctum Michaelem Archangelum, quod vobis in ea concione demonſtrabo.

Plutarch. in Pyrrho.

Plotin.

Eccl. 11. verſ. 1.

Hugo hic.

I. Sine omni injuria aliorum cæleſtium Spirituum Sanctum Michalem Archangelum maximum nominavi, quandoquidem à Sancta Romana Eccleſia. Præpoſitus Paradiſi appellatur, Quem Sanctus Daniel Propheta magnum nominat dicens; *Conſurge Michael Princeps magnus.* Vere magnus Princeps Sanctus Michael Archangelus. Cum enim ſit maximus, ideo inter tot magnos primum locum obtinet, Nam ſecundum Juriſtas, non aliud ſignificat Princeps, niſi id *quod primum locum teneat.* Jam quid ſentiat dicatque Panthaleon Diaconus de Sancto Michaele Archangelo, audite: S. *Michael inter omnes Angelos magnos, maximus eſt, tum ob admirabilem ſubſtantiæ ſuæ pulchritudinem, tum ob ſummam ei à DEO conceſſam poteſtatem, tum denique ob ardentiſſimum quo erga nos eſt accenſus affectum:* quod ſi ergo inprimis, præſtantiſſimum illud nomen Michael, interpretari velimus, inveniemus in latino ſermone illud ſignificare Ducem exercitus DEI, quod teſtatur prædictus Panthaleon dicens: *Michael ſi interpreteris, dicitur Dux exercitus DEI.* Beatiſſima illa agmina Angelorum, Sanctorumque omnium, teſte ſacra ſcriptura ſunt exercitus DEI, ſi igitur Sanctus Michael eſt Dux illorum juxta illud: *Archangele Michael conſtitui te Principem*; quis non videat, illum inter Spiritus Dei nobiliorem locum obtinere. Tres illi Angeli, quos Deus miſerat ut Abrahæ miraculoſam Iſaaci annunciarent nativi-

Daniel. verſ. 25.

Apud Chaſſan. pag. 5. Conſid. 52.

Panthal. Diac. ad Lip. Or. 1.

Gen. 18. verſ. 10.

Gen. 18. nativitatem, erat Michael, Gabriel, & Raphael: horum in medio Sanctus Michael constitutus erat, quod testatur Nicolaus Lyranus dicens: *Dicunt Hebræi, quod isti tres fuerunt, Michael, Gabriel, & Raphael, & quod Michael erat in medio, primum locum tenens.* Cum igitur Sanctus Michael fuerit omnium Angelorum Princeps, sine eorundem injuria, maximus inter eos censeri potest, qui cæteros sua in ex primenda pulchritudine longè antecellit.

Lyran. in Gen. 18.

II. Fortè dicetis; & undè Sancto Michaeli Archangelo major sit pulchritudo, cum cæteri quoque cælestes spiritus tam pulchri sint, ut claritas solis cum omnibus lunæ, planetarum, stellarumque luminaribus claritati & pulchritudini eorum nequeant comparari? Ad hoc respondeo. Omnes quidem Angelos à DEO creatos fuisse pulcherrimos, nihilominus illis, hos adhuc pulchriores esse, qui sunt proximiores DEO. Quod patet hac similitudine. Dicitur de Arabiæ Provincia, quod inter cæteras orbis partes, arbores producat elegantissimas, fructus dulcissimos, plantas & stirpes aromaticas, gemmas eximii splendoris, aves smaragdo & purpura vestitas, & maximam optimi auri copiam. Quod his abundet ea Provincia, ratio est, quia inter cæteras partes terræ, Arabia vel maxime soli appropinquat, teste Diodoro Siculo libro 2. capite 12. Unde etiam non est mirum, quod virtute solis sibi vicini, tantis donis exornetur. De Sancto Michaele idem dicendum est, nempe cæteris Angelis eò pulchriorem esse, quia in cælesti illo ministerio, Deo summo est proximior.

Diodorus Siculis lib. 2. cap. 12.

III. Aliud quoque ex hoc sequitur, quod cum Sanctus Michael cæteris Angelis DEO ut vicinior, necessum esse, ut præ omnibus quoque aliis spiritibus plus amore divino ardeat, cum DEUM ignem quendam esse omnibus constet, juxta illud Deuteronomii capite 4. *Dominus Deus tuus ignis consumens est.* Cum igitur Sanctus Michael præ cæteris Angelis sit increato Soli vicinior? consequens est quod præ cæteris quoque Angelis, ferventior sit in amore DEI. Sic enim ait Sanctus Damianus: *Sancti Angeli amant, & ardent, quantoque propiores, tanto ferventiores.* Adeo Sanctus Michael Archangelus divino amore ardet, ut legislatori Moysi in monte Chorin apparuerit totus igneus, quem in rubo ardentem sed non consumentem conspiciebat. Dum igitur S. Michalem Archangelum præ cæteris Angelis divino videmus amore incensum, quid dicere aliud possumus, nisi quod cæteris omnibus, pulchrior quoque extiterit & elegantior? Cum de tali amore dicat Gregor Nyssenus:

Deuter. 4. v. 24.

S. Damian.

Exod. 3. vers. 2.

Solus amor talis formosum reddit amantem.

Quis fuit ille Angelus qui Gedeoni apparuit? Respondet quidam Autor excellens fuisse S. Michaelem dicens: *Michael ad Gedeonem solaris instar radii venit, & ab ipso, tanquam Divinus Angelus fuit adoratus.* Non mirum tam pulchrum Gedeoni visum, fuisse, cum etiam Regi Nabuchodonozor in fornace in quatres pueros flamma comburendos poluerat, tam pulcher apparuerat, ut similis ei esse filio DEI videretur.

Iud. 6. vers. 12. Vega hic.

Daniel. 3. vers. 23.

IV. Hæc de pulchritudioe Sancti Archangeli dicta sufficiant; sed quid dicam de illius potentia ab omnipotente rerum omnium Creatore sibi data? Reges, & Princeps per bella ostendere solent, quantæ sint potentiæ. Ut magnus ille Alexander, Pompejus, Hannibal Dux ille invincibilis cæterique Duces exercituum. Sanctus Michael quale bellum habuerit, & quam virtuose cum hoste DEI dimicaverit, nemo vestrum est, qui ignoret: de quo prælio sic ait in Apocalypsi S. Joannes Apostolus. *Factum est prælium magnum in cælo, Michael & Angeli ejus pugnabant cum Dracone.* Sed quis erat eventus prælii? Draco pugnabat & Angeli ejus, & non præ valuerunt, Ex hoc loco sacri textus

Apocal. 12. vers. 7.

mani-

manifeste liquet hujus Sancti Archangeli virtus maxima, nam Blasius Vega in hunc locum scripturæ sacræ ita fatur. *Illud Angeli ejus pugnabant cum eo, innuit reliquos omnes Angelos sese ad Divum Michaelem quasi ad Principem adjunxisse eique paruisse.* Sed cui sunt ignota alia quoque hujus Sancti Archangeli facinora? Legatis obsecro illam historiam de Ierosolyma à Rege Sennacherib obsidione cincta, quisnam illam innumerabilem exercitus sui multitudinem unico noctis momento prostravit? Non alius quam Sanctus Michael Archangelus, Cujus rei ratio est præ manibus. Quoniam DEUS quæque opera magna omnesque actus admirabiles Sancto Michali Archangelo exequenda committere solebat. Quid plura? unicam hominis animam tot Angelis custodiendam committit, huic autem Archangelo omnium animarum curam tradidit, quasi ille cæteris omnibus spiritibus potentiâ suâ prævaleret.

Vega in Apoc.

4. Reg. 9. vers. 27.

V. Sed ultimo tandem videamus. quam longè majori & ardentiore quam cæteri Angeli amoris affectu Sanctus Michael Archangelus nos prosequatur. Nemo est qui ignoret bonum amicum probari in necessitate juxta illud dictum: *Amicus certus in re incerta cernitur*: at quis est qui nesciat maximam generis humani tunc fuisse necessitatem quando primus noster parens peccavit? A quibus homo tunc derelictus non fuit? Hoc unicum dixisse sufficiat, quod propria ejus mater nempè terra eum abjecerit & dereliquerit, quia ei spinas & tribulos loco panis proferebat. Et tamen licet homo tunc ab omnibus fuerit destitutus, non tamen illum non deseruit Sanctus Michael Archangelus, quin potius subito post prævaricationem illum quæsivit sollicitè, ut eum consolaretur, & confortaret, sociusque factus ejus exilii, docuit ipsum modum quærendi panem, qualiter deberet terram sulcare, seminare, metere & fructus colligere. Sed parvum est de corpore, nam ampliorem agit curam salutis animarum nostrarum. Ille est qui adstat præsens infirmis, eos corroborat, à fallacia Diaboli defendit, à periculis eruit, & tandem post mortem, homines justos, seu per pœnitentiam à peccatis mundatos, sive per se, sive per alios quos ex imperio & ordinatione DEI nobis subministrat, ad cælestia regna perducit, meritis JESU CHRISTI Salvatoris nostri, qui vivit in secula.

Cicero l. 9.

Gen. 3. vers. 18.

AMEN.

IN FESTO S. MICHAELIS Archangeli,

CONCIO III.

Væ homini per quem scandalum venit. Matth. 18. Vers. 7.

QUod in hac celebri memoria Sancti Michaelis Archangeli, Principis cælestis exercitus, proponat nobis sancta mater Ecclesia Evangelium hodiernum in quo exigua fit mentio Angelorum, sed in fine textus illud tantum additur: *Dico vobis, quia Angeli eorum*

Matth. 18. verſ. 10. rum in cælis, *ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt.* Potior autem ſit mentio parvulorum, quorum unum ſtatuens in medio Chriſtus ait; *Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Non putemus tale Evangelium caſu legi, ſed à propoſito, & magnum imo divinum in ſe continere myſterium: ſiquidem hodiernâ die commemorationem agimus, illius prælii, quod fuit inter illos ſpiritus creatos à DEO, quorum quidam adhæſerunt ſuperbo Lucifero, qui volebat thronum ſuum juxta Dei collocare eique ſimilis majeſtate eſſe: alii verò agnoſcentes ſe eſſe creaturam DEI, cum humili voluntatum ſuarum demiſſione, ſe coram majeſtate ſua proſtraverunt eique adhæſerunt. Hodie inquam talium beatorum ſpirituum celebramus memoriam, qui ſimul cum Michaele Duce ſuo, præliantes cum Dracone ſolemnem de qua nulla cõtineuiſſet memoria obtinuerunt victoriam, de qua & nos hodie, ſummè lætamur, & cum SS. Angelis exultamus. Hoc ergo prælium repræſentat nobis, hodiernus textus Sancti Evangelii, in quo deſcribit Sanctus Matthæus quoddam prælium, inter Apoſtolos factum, non quod gladiis pugnaverint, ſed verbis, quia Sanctus Matthæus ait eos interrogaſſe Chriſtum, Marcus autem eos in via diſputaſſe.

Ibidem verſ. 3.

Apoc. 12. verſ. 7.

Matth. 18. verſ. 2. *Quiſnam eorum major eſſet in regno cælorum.* Chriſtus autem oppoſuit ipſis unum è parvulis, per quos invitabat ipſos, non ad menſuram ætatis, ſed ſimplicitatis, per quam conſocii ſunt & familiares Angelorum, quorum innocentiam, quæ eſt ſpeculum Angelorum, tanti æſtimat Dominus, ut ne vel in minimo ſcandalizandos velit. Quamobrem de ſcandalis evitandis, aliquid à me audietis.

I. Non eſt hæc levis materia Auditores, ſcire quid ſit ſcandalum, & qualiter illud devitare oporteat. Nam Chriſtus Dominus, multa dixit de ſcandalo, ſed diverſimodè, nempè aliquando vitandum eſſe, aliquando non curandum; undè ſcire debemus duplex eſſe ſcandalum, unum quod à Theologis vocatur ſcandalum Activum ſive datum, alterum Paſſivum ſive acceptum. Et hoc illud eſt, quando aliquis ex te ſumit ſcandalum, verbi gratia, dum tu aliquid boni operaris, frequenter vadis ad templum Domini, in eodem diutius cæteris immoraris, Eleëmoſynas pauperibus lubens elargiris, evitas malorum conſortia, jejunijs & orationibus vacas, cæteraque pia opera exercere ſtudes, alius autem ex hoc accipit ſcandalum, id vocatur paſſivum, ſive acceptum. Qualiter autem hic ſe habere debeamus, audite. Bona opera quæ nos facimus ex quibus ſcandalizari poteſt proximus noſter, ſunt duplicia, quædam, ad quæ agenda tenemur ex obligatione, ſicuti eſt jejuniam Quadrageſimale, auditio ſacrificii Miſſæ in Dominicis & feſtis diebus, remiſſio injuriarum, & denique alia, quæ nos obligant ad id, ut talia opera faciamus: hæc dum facimus, & alius ex hoc ſcandalizatur, cogitans nos eſſe in hoc Hypocritas, [ſicut ajunt Hæretici] tunc tale ſcandalum minimè eſt curandum, tunc dicendum eſt cum Sancto Petro Apoſtolo, *oportet obedire Deo magis quam hominibus.* Notandum eſt & illud. Quod dum bonum aliquod opus facimus, in quo alius ſcandalizatur, ex tali autem opere major utilitas provenire poteſt quam damnum ex ſcandalo quod proximus tuus patitur, tunc ſcandalum tale non eſt curandum. Scandalizabantur multi Judæorum, quod Chriſtus Dominus infirmos cusaverit Sabbato. Sed quid ille? Sic dicebat. *Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum.* Quare Chriſtus Dominus tanta ſcandala non evitavit? Quia præſtantius erat lucrum, mandatorum Dei obſervantia, ſaluſque populi, quam ſcandalum Phariſæorum. Jam verò alia ſunt opera quæ ex obligatione adimplere non tenemur, ſed ad libitum noſtrum, & hæc ſi ſint ſcandalo, poſſunt impleri, vel omitti: quia jam ibi majus eſt meritum, ædificatio proximi, quam illud opus quod in ſe bonum eſt, ſed non obligaris ut illud agas. Dabo exemplum utriuſque boni, tam obligantis, quam voluntarii. Sanctus Paulus ſic ait. *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum.* Hic videtur Sanctus Paulus, non curare ſcandalum. In alio vero loco ait. *Si eſca ſcandalizavit fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.* Eccee videtur Sanctus Paulus

Actor. 5. verſ. 29.

Matth. 15. verſ. 14.

1. Ad Corinth. 1. verſ. 23.

lus sibi esse contrarius? ibi enim non curat scandalum, hic vero per comestionem carnuum non vult illud admittere. Vultis causam? Prædicatio Sancti Pauli, erat utilior, ad salutem populi, quam damnum ex scandalo proveniens, ideo illud non curabat, jam vero esus carnium, erat parvi momenti, majoris vero momenti salus populorum, qui in comestione carnium, idolis oblatarum, tanquam infirmi scandalizabantur, ideo Sanctus Paulus potius censuit, à carnibus abstinendum, quam ut daret scandali occasionem.

ad Cor. 8. v. 13.

II. Aliud est scandalum quod vocatur activum, vel datum; dum v. g. aliquid mali, & inhonesti committimus, coram proximo nostro, sive in verbo, blasphemando, jurando, sacramentis Domini illudendo, alium infamando, Sive in opere, innocentem percutiendo, vindictam exercendo, & ea peccata quæ sunt contra legem divinam committendo, tale scandalum maximè vitare debemus, quia illud Deus gravissime punire solet. Undè quærit Divus Chrysostomus, cur arguens Christus scandala, tali termino utitur dicens: *Va mundo à scandalis*, item: *Va homini per quem scandalum venit.* Ut quid illud Væ toties ingeminat! Quando DEUS filios Israel commonefaciebat per Moysen, ut memores forent beneficiorum suorum, his qui ingrati futuri erant, tales maledictiones proponebat. *Si audire nolueris vocem DOMINI DEI tui &c. maledictus eris, in civitate, maledictus in agro, maledictum horreum tuum, & maledicta reliquia tua.* An ea parva videtur maledictio! Cur ergo similes, scandalum facientibus non imponit? Cur saltem unico verbo minatur dicens: Væ! Respondet Sanctus Chrysostomus dicens: *Cum dantibus fratri scandalum, va imprecatur, non vulgare supplicium innotescit* Ac si vellet dicere Sanctus Doctor, quod quidem hoc verbum Væ sit parvulum & solum duarum litterarum, sed multa in se continet, illud enim est Væ quidquid mali excogitari possit.

S. Chrys. in Matth.

Deut. 28. v. 17.

III. Audite alium conceptum notabilem: De scandalis id habet Sanctus Lucas Evangelista, *Utilius est illi si lapis molaris imponatur, circa collum ejus, & proiiciatur in mare, quam ut scandalizet unum de pusillis istis.* Hic ergo quærit S. Pater Chrysologus. Quale nam hoc sit supplicium, quod Christus Dominus pro scandalis excogitavit, nempe appensio lapidis molaris circa collum, & demersio in aquis maris, nonne majoris terroris esset supplicium, si lentum ignem, aut subtiles gladiorũ puncturas minaretur? Cur non potius minatus fuit gladium, rotam, aut furcam, sed lapidem molarem? vel ad minus, cur non aliquem lapidem communem, & simplicem v. g. unius pondo, vel duorum, sed molarem: numquid molaris lapis, destinatur pro aliqua pœna, & non potius pro farina molenda? Respondet ergo idem Sanctus Doctor dicens: *Ut hoc illum ad mortem trahat, quod illum trahere debuisset ad vitam.* Ecce, quale supplicium, nempè ad majorem scandalizantium confusionem, ut per quod alii salvantur, per id talis pereat Nec illud prætereundum, quod habemus Exodi cap. 21. vocavit Deus Moysen & dixit ei: *si quis aperuit cisternam, & foderit eam, & non operuerit eam, ceciderit-q; Bos, aut Asinus in eam, reddet Dominus cisternæ pretium jumentorum.* Item, quid dicat de igne, audite: *si egressus ignis invenerit spinas, & comprehenderit acervos frugum sive stantes segetes in agris reddet damnum qui succenderit.* Miratur hic Sanctus Cyrillus dicens: *Quæ est hæc tua Domine sollicitudo? Quis te ad curas rerum adeo vilium detraxit?* Et respondet dicens: *Cave ne cisternã aperias in damnum jumenti, cave ne ignem excites, & incendas sata, id est cave ne quidquam committas, unde accipiat occasionem lapsus proximus tuus, vel unde accendatur ad malum, va namque illi per quem scandalum venit.* Si Dominus Bovis aut Asini damnum irreparatum non finit, quomodo damnum animæ impune relinquet? Sed fortè cogita-

Luc. 17. v. 2.

D. Chrysol. in Gen.

Exod. 21. 33.

Exod. 22. v. 6.

S. Cyrill.

bitis: Cur ita Deus zelat super scandala animarum, imo unius tantum, non Principis, & excellentis personæ, sed pusilli? en responsum. Nota nobis est illa historia, qualiter Samson propter unam Philistæam sibi desponsatam, & postmodum alteri traditam, in Philistæos ultus fuerit, quorum non solum segetes combussit, sed etiam multa centena hominum interfecit. Cur ita faciebat? sibi enim illatam injuriam, propter sponsam vindicare volebat. Ita ergo & Deus, vindicat injuriam sponsæ suæ, nempè animæ, scandalo alterius sibi raptæ, quam redemit sanguine suo pretioso, eamque sibi desponsavit, non est ergo mirum, cur ita zelet ipsiq; tam dirum supplicium per quem scandalum venit, minetur.

Iudic. 15. v. 5.

IV. Quærit Divus Chrysostomus. Cur Deus severius Evam, quam Adam puniverit, nam Adamo solum dixit, quod in sudore vultus sui panem suum manducaturus esset, sed ad Evam ita locutus fuit. *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris.* Hæc est ratio quam Sanctus Doctor assignat dicens: *Quia illa non solum peccavit, sed virum ad peccatum induxit.* Quid amplius dicam? non solum Evæ, sed etiam serpenti Deus maledixit dicens: *Maledictus es, inter omnia animantia terræ.* Idem Autor causam hujus assignat talem: si serpentem, qui peccatum non potest committere, ideo tantum punivit, quia fuit instrumentum Diaboli, nempè quod locutus per suam linguam, Evam deceperit; quanto magis puniet illos qui pueris adhuc innocentia & putitate Angelica gaudentibus, fontes aquas malitiæ & scelerum ex illis hauriendas sua prava vivendi ratione aperiunt, & exangelis ante pulcherrimis Dæmones terribiles & teterrimos efficiunt. O væ væ talibus melius esset ijs ut nunquam hanc lucem aspexissent.

Gen. 3. v. 15.

S. Chrysost.

ibidem

V. Hinc unusquisq; sibi si animæ suæ curam gerat, caveat ne quemq; ex pusillis scandalizet. *Quia Angeli eorum semper vident faciem patris mei qui in cælis est.* Nicolaus de Lyra, expendens istum locum, duo considerat. Primum, quod homo quilibet, tam parvus quam magnus, creatus sit ad imaginem Dei, ob quam summe à Deo honoratur. Secundum, quod ad suum ministerium, Angelum sibi habeat deputatum. Verba sunt Autoris, *Quantumcunque homo sit parvus in hoc mundo, tamen habet Angelum assignatum à Deo ad sui custodiam, & ideo si homines, tanquam à Deo honorantur, quia ad eius imaginem facti sunt, multò fortius à nobis sunt honorandi.* Si honorandi, multò minus scandalizandi quia per hoc tam Deo, quam Angelis, maxima fit injuria. Caveamus ergo scandala, ne graviter à Deo puniamur, sed potius curemus ædificare nostros proximos: hinc enim lætificabimus sanctos Angelos, Deo autem conditori nostro, non solum honorem præstabimus, sed ab omni scandalo abstinebimus, si ad proximum nostrum ædificationem & salutem incumbamus, per id merebimur divinam gratiam, & gloriam sempiternam.

Lyran. in Matth.

Amen.

IN

IN FESTO S. MICHAELIS Archangeli,

CONCIO IV.

Vidi, & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni.

Apoc. 5. v. 11.

CReator Angelorum hominumque Deus quem admodum in lege veteri magnam contulit gratiam S Jacob Patriarchæ, quem videre fecit magnam Angelorum multitudinem, per scalam descendentium ad terram, & rursus ascendentium in cælum; eodem modo in nova, contulit eandem S. Joanni Evangelistæ, qui cum esset relegatus, in insulam Pathmos, ibidem per revelatioüem divinam multa vidit arcana cælestia: & inter alia, vidit maximam Angelorum multitudinem, quorum numerus erat: Millia millium. Maximam dari Angelorum multitudinem, patet ex illo loco sacræ scripturæ quæ ait: *Numquid est numerus militum ejus?* Idcirco à Spiritu S. vocantur exercitus. & ob tantam eorum multitudinem, Deus dicitur *Dominus exercituum*. Sed illud est notatu dignum, quod cum tot sint miriades cælestium spirituum, qui quasi nequeunt numero comprehendi, illos nihilominus Deus; tam congruo disposuit ordine. ut in tanto beatorum illorũ Angelorum numero ne duoquidem inveniantur, qui sint æquales, in eodem gradu, sed omnes ita distribuit, ut alii sint aljs superiores vel inferiores, unde novem illorum ordines seu chori numerantur, quorũ prima Hierarchia, est Seraphinorum, Cherubinorum, & Thronorum; alia Dominationum, Virtutum, & Potestatum: tertia verò, Principatuũ, Archangelorum, & Angelorum, qui testante S. Paulo; *Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Unde in hac concione duo proponam: primo cur Deus in tanta multitudine Angelos creaverit? rationem dabo. Secundo, quodnam sit illorum ministerium, demonstrabo.

Gen. 28. v. 12.

Iob. 25. v. 3.

S. Paul. ad Heb. 1. v. 14.

I. Posset aliquis imaginari sibi, Dominum Deum creasse multitudinem nimiã Angelorum, ad ostentandã magnificentiã majestatis suæ: nam in hoc mundo, ii Domini & Principes, pro majoribus existimantur, qui majorẽ habent familiam, hinc S. Spiritus, antequam S. viro Job dedisset testimonium hisce verbis; *Eratq; vir ille magnus, inter omnes orientales,* primò mentionem fecit substantiæ domus suæ, nempe, quod habuerit plurima pecora, & familiam multam nimis. Sic & Salomon Rex, quamvis tum propter sapientiam suam, tum etiam propter divitias multas, magnificus fuerit, nihilominus ex eoquoq; multum accessit ad suam magnificentiam quod numerosum servitium habuerit: scribitur enim de illo, quod in suo servitio novem Principes habuerit, Præfectos autem duodecim, qui præfuerant omni Israeli, & præbebant annonam Regi & domui ejus, atque per singulos menses in anno, singuli necessaria ministrabant. Rex cæli & terræ Deus noster, majorem in cælis habet aulam, nempe tot myriades Sanctorum Angelorum, qui semper in intimis cæli empyrei penetralibus conversantes omni tempore coram Rege Regum adstant, quorum numerus, est quasi absq; numero: sic enim ait, S. Daniel Propheta. *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* Non quod iste ministrorum Dei numerus diffinitus sit, sed quod majorem multitudinem, humanus sermo explicare nequi-

Iob. 1. v. 3.

3. Reg. 4. v. 7.

Daniel. 7. v. 10.

S. Hieronymus hic

verit, ait S. Hieronymus. Nihilominus scire debemus, quod tanta Angelorum multitudo, non solum ad divinum ministerium, sed etiam ad utilitatem nostram creata fuerit. Cum enim a multis Dæmonum millionibus, mundus iste infestetur, cum multitudo magna malorum spirituum sit in aere, terra, & inferno, qui hominibus continuo insidiantur, eos tentant ut in laqueum inducere seu in peccatum pellicere possint, necessum etiam fuit, magnam esse multitudinem sanctorum Angelorum, qui illis resistant, nosque ab insidiis eorum præcaveant. Ad probationem hujus occurrit nobis historia illa, de quodam Dæmoniaco feroci, ut compedes & catenas velut fila rumperet, qui in domibus contineri nō poterat, sed speluncas, & cadaverum speluncas incolebat. Illac transeunte Domino, accedit ille miser opem implorans, interrogat Dæmonem Christus. *Quod tibi nomen* : & dicit ei: *Legio mihi nomen est, quia multi sumus.* Ecce integra Dæmonum legio, in hujus viri ruinam conspiraverat, id est, sex mille, sexcenti, sexaginta sex. Quærit hic D. Hilarius, obquam rationem ab eo Christus petierit. *Quod tibi nomen?* Cum illi omnia nota sint: & respondet idem S. Pater, quod quidem Christus, perspectum eorum numerum habuerit, ideo tamen quæsivit, ut circumstantes intelligerent, quanto hi mali spiritus ardeant desiderio, nocendi hominibus, si Deus illis concederet potestatem. Nec ergo ob id animo concidamus, in utilitatem, & solatium nostrum, creavit ingentem sanctorum Angelorum multitudinem, ut sint defensores nostri.

Marc. 5. v. 9.

D. Hilar.

II. Quod jam attinet ipsorum ministerium, sanè illud & magnum, & multiplex est, inserviunt enim nobis non solum in rebus spiritualibus, sed etiam corporalibus. Refert S. Pagina Eliam Propheram, timore correptum mortis, quam ipsi Iezabel Regina, ob Pseudo-Prophetas Balaam, a se occisos minabatur, fugam accepisse: cum ergo mœrore & labore confectus in itinere subsisteret, seq; sub umbra juniperi (mortem cupiens) prosterneret, & postmodum obdormiret, adest confestim famelaboranti Angelus Domini, dormientē suscitat, mœstum solatur, & panē subcinericium submiistrat dicens: *surge & comede, grandis enim tibi restat via*, excitatus itaque surgit, & ecce ad caput suum subcinericius panis. Hic habetis Angeli corporale ministerium, quod Prophetæ exhibuit. Nec putetis, quod in tali ministerio quo ad corpus suum, nempe ad famem pellendam pertinebat non etiam exhibuerit spirituale servitium, in uno illo actu panis subcinericii, utrumq; etiam servitium simul fuit. Componite enim 3. libri Regum duo capitula nempe 17. & 19. In priori capitulo ubi videbitis quod corvi pascebant Eliam. *Deferebant ei panem, & carnes mane, similiter, panes & carnes vesperi* Quærit hic antiquus Pater S. Ecclesiæ Tertullianus. Cur corvus bis in die apponit mensam, eamq; pane & carnibus fartam, Angelus autem, semel offert cibum, eumque austerum, nempe panis sub cinericii. Angelus parcior, quam corvus? Ait ergo præfatus Autor: *An difficile Angelo fuerat aliquem aliunde de convivio Regis ministrum, cum instructissimo ferculo raptum, ad Eliam transferre!* minimè verò, id enim patet exemplo S. Danielis Prophetæ, qui existens in lacu leonum, eodem modo pastus erat. Quid igitur causæ? Respondet idem Autor dicens. *Constitui oportebat exemplum dolens in tempore persecutionis, & cujuscunque circumstantiæ Xenophagiis esse vivendum* Ad corvum solus cibus pertinebat, quem Prophetæ famelico procuraret, ad Angelum autem, etiam ejusdem custodia, ideo solum panem cum aqua ministrando, docebat jejunium, quod fugienti periculum mortis, & ascendenti cacumen contemplationis, erat apprimè necessarium Hinc cognoscimus Angelos, dum in corporalibus nobis inserviunt, simul etiā exercere spirituale ministeriu.

3. Reg. 17. v. 6.

Daniel. 6.

Tertullianus.

III. Nihil magis curant SS. Angeli, quàm salutem nostram, quod patet ex illis verbis S. Job Patriarchæ in 2. cap. annotatis *Factum est autem, cum quadam die venissent filii Dei & starent coram Domino.* Omnium Theologorū communis est sententia, per filios Dei, hoc in loco Angelos intelligi, nam interpretes sacrarum scripturarum, istum locum ita legunt. *Factum est autem quasi dies hæc, & venerunt Angeli Dei, assistere coram Domino* Quærit hic S. Chrysostomus dicens: *Quid tandem est? Cur Angeli, Deo quotidie assistentes indicantur?* Et immediate post, ipsemet sibi respōdet dicens:

Job. 2.

S. Chrys. in Caten.

Ut

Vt intelligamus rebus nostratibus consuli. Nunquam sanè humanæ saluti magis prospici potest, quam tunc, si adhibeantur Angeli ad consilium divinum: ut verò nominatim aliquid de ipsis dicam, hodie memoriam agimus, primi Consiliarii, nempe S. Michaelis Archangeli, cujus sicut in antiqua lege id erat officii, ut synagogæ Judæorum [quæ figurabat Ecclesiam Christi] præesset, ita nunc eidem præest. Et sicut olim in lege naturæ, ita nunc in lege gratiæ Sanctæ Ecclesiæ præfecturam gerit. Hinc vocatur Princeps magnus, quia Christi Domini, qui est summus Ecclesiæ Imperator, divinas ordinationes obit.

IV. Gabriel Archangelus, non poterat hominum redemptionem, in qua salus nostra sita est, peragere, hoc enim solius verbi incarnati opus erat. Quid ergo? accepit officium velocissimi cursoris, utq; saluti humanæ in aliquo cooperari posset, ocyus venit de cælo, atq; Beatissimæ Mariæ Virgini, divinum mandatum nuncia vit. Quid amplius? ille idem fuit, qui [perfecta à Domino Jesu redemptione nostra] primus excurrit ad demoliendos inferni carceres, & illa Psalmistæ verba dixit. *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Non mea hæc est opinio sed Divi Epiphanii sic dicentis: Postquam illustris ille cætus una cum Domino, ad carceres, inferniq; tecta devenit, Dux exercitus Gabriel, quasi jam læta nuncia, hominibus deferre assuetus, cæteros antevertens, vocem contra adversarias potestates edidit dicens: *Attollite portas.* Properabat Gabriel, ne illum quispiam anteiret: ideo enim insitum est Sanctis Angelis, ut invigilent hominum saluti. Hinc Richardus in illa verba Canticorum; *Num quem diligit anima mea vidistis*: pulchre ait: *Quærit Angelos testes suæ dilectionis, pariter & desideratæ præsentiæ sponsi, certè enim scit, quod Angeli Dei visione fruantur, & miratur, & quasi indebitum arbitratur, ut Deum videant, & expertem visionis illius relinquant.* Expende illa verba *indebitum arbitratur*, quæsi minimè officio debito, satisfaciant Angeli, dum sibi vacant, & hominum commodis non student.

Psal. 33. vers. 6, D. Epiph. Orat. de Christo

Cant. 3. v. 3. Richard. in Cant. cap. 2. pap. 4.

V. Comitem ei adjungamus S. Raphaëlem Angelum: obsequium illud suum quod Tobiæ fecit, cuinam ignotum manet? taceo multa, illud saltem expendo, quod amaro felle piscis, oculos patris sui sanaverit, in quo medicamento, non solùm invenio ministerium hujus Sancti Angeli corporale, sed etiam spirituale: dum enim amaro illo felle, medicinam oculis admovebat, docebat arcanum, per quod animabus nostris confertur salus. Sed quodnam illud? Pulchre docet Petrus Damianus dicens: *Cæcus felle piscis oblinitur, & protinus cæcitas fugatur: quia dum amaritudo Diabolicæ versutiæ nostris oculis ostensa proponitur, tenebrarum mox caligo propellitur, & lux interior reformatur.* O præstantissima Angelorum obsequia quæ nobis & libenter faciũt, & in iis nunquam defatigantur. Illi sunt qui satiant esurientes, potant sitientes, liberant captivos, sepeliunt mortuos, errantes corrigunt, à periculis liberant, ad bonum hortantur, nostras denique in cælum deportant animas. Quod enim semel dicitur Lucæ 16. c. quod Lazarum mendicum in sinum Abraæ portaverint, hoc verificatur de omnibus justis animabus, quas cum ingenti lætitia, & cum summo jubilo ad sedes beatorum transferre student. Quamobrem Auditores tanta Sanctorum obsequia, nobis summe commendata habeamus, eaq; gratanter acceptemus, opem eorum implorem us, monitis suis obtemperare studeamus, & tandem oremus Dominum, ut cum ipsis post finem vitæ nostræ sua præsentia perfrui mereamur.

Tob. 12. vers. 7.

Pet. Dam. Epist. 12.

Luc. 16. vers. 24.

AMEN

IN

IN FESTO S. MICHAELIS Archangeli,

CONCIO V.

Collaudemus venerantes omnes cæli milites,
Sed præcipue primatem cælestis exercitus
Michaelem in virtute conterentem Zabulum.
Ex Hymno Ecclesiastico.

FOrte mirabimini Auditores, me tale thema hodiernæ concioni meæ præfixisse, quod nec est de Scripturis, antiqui, seu novi testamenti, sed solum ex communi hymno, quem hodie S. Mater Ecclesia, in honorem, & annuam memoriam S. Michaelis Archangeli decantare solet. Sed subsistite parum, & dicite. Numquid S. Romanam Ecclesiam, pro matre vestra agnoscitis? ergo accipite rationem. Quælibet mater infantem suum satiare volens, porrigit sibi lac ex uberibus suis, eoq; infantem nutrit, sed undenam copiam ejus acquirit? sane ex alimento, quod in talem liquoris materiam convertitur, dulcē inquam, & infantis sui convenientem: ita sentiendum est de matre nostra S. Ecclesia. Hæc enim cum regatur Spiritu S. per quem omnes scripturæ, antiqui novique testamenti, ad spirituale nutrimentum nostrum prodierunt, ex illarum digesto alimento, tam dulcem nobis potum porrigit, ut illo exhilarati, in laudem Sanctorum Angelorum prorumpamus dicētes. *Collaudemus venerantes omnes cæli milites.* Quod ut eo decentius, à nobis fieri possit, pro materia eatundem, producam vobis aliqua sacrarum scripturarum argumenta,

I. Rex ille Asuerus, quanto honore affecerit Mardochæum Judæum, eo quod fidelis fuerit in Regem, eique nuncia verit necem sibi à duabus suis aulicis machinari, id legimus 6. cap. Esther, ubi scribitur, quod pro hac fidelitate, fuerit indutus vestibus regalibus, & impositus super equum Regis, Aman autem, tanquam primus inter Principes, corona Regia in caput ejus imposita, equmque ejus præcedens clamaverit. *Sic honorabitur, quem Rex honorare voluerit.* Sed majori Deus afficit honore homines, quibus mittit Angelos, ut sibi famulentur. Testimonium hujus habemus Actorum cap. 12. Herodes Rex capto Petro Apostolo, & in vincula posito, conjecit ipsum in carcerem. Cum ergo Petrus innocens vinctus catenis, jaceret in carcere, ait sacer textus. *Ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo.* Quid amplius? Excitavit eum dicens, *Surge velociter.* Moxque ceciderunt catenæ de ipso, nempe de manibus quibus constrictus erat. Quærit hic novus autor Ponferradienses cur Angelus mittitur Petro liberando? Nonne Petrus habuit potestatem qua posset & vincula rumpere, & aperire carcerem? Si illi Samsoni data fuit tanta virtus, ut funes sicut fila rumperet, & portam clausam cum seris suis ex urbe effertet: cur non Petro Principi Apostolorum Domini, qui alios à morte, & à carcere sepulchrorum liberabat? Equidem poterat. Respondetur ergo. Quod id honor & dignitas Principis Apostolorum requirebat ut ei Angelus inserviret. Ita sentit Divus Chrysostomus dicens. *Quare non illos per se ipsos liberat?* Quare? *Hac re honorat illos Deus per Angelos eripiens.* Simile quid habemus de Sancto Tobia, Hic cum esset vitæ probatissimæ, in eleemosynis erogandis, in sepeliendis mortuis, ex alia vero parte cum esset captivus, vitamq; ageret laboriosam, Dominus Deus percussit eum cæcitate, & tandem ab ea-

Esther 6. 19.

Actor. 12.

Beza lib. 14. cap. 1.

Iudicum.

S. Chrys. Hom. 26. in Act. Ap.

bi eadem per Angelum Raphaelem liberavit.

S. Augustin. Serm. 228.

Cur Deus innocentem Tobiam, tanto afflixit supplicio? Respondet S. Augustinus dicēs. *Tobias cæcitatis incurrit exitium, ut Angelum susciperet medicum.* Homines igitur Deus magna afficit gloria, dum ad eos mittit suos Angelos qui ipsis inserviant, eorumque curam habent.

II. Habemus Genes. 21. c. Abraam Patriarcham, duos habuisse filios, unum ex libera, nempe Sara uxore sua, Isaacum, & alterum ex ancilla Agar, Ismaēlē: vidit semel mater, colludentem filium ancillæ, cum filio suo, molesteid tulit, itaque tam diu expostulavit apud Abraam maritum suum, ut cogeretur abigere ancillam cum puero, de domo sua. Quæ cum abiisset, errabat in solitudine Bersabeē, cumq; consumpta esset aqua quam secum attulerat, nec aliquid haberet, quo puerum refocillaret, ob sitim morientem posuit eum, subter unam arborem, nolēs quasi præ maximo dolore, videre tam lamētabilem mortem suā. Sed quid post? Mox adfuit Angelus Domini, cui tutela pueri commissa erat, & ait. *Noli flere, exaudivit Deus vocem pueri.* Quærit hic Theodoretus. Unde tanta celeritas huic Angelo, in qua apparuit, huic ancillæ flenti ut consolaretur eam? & respondet: Quod necessum erat, ut quā primum necessitas id ostendebat, statim Angelus Domini præsto adesset: ideo enim isti nobiles Spiritus affecti sunt ad hominē, ut per ipsos servetur, & honoretur natura humana.

Genes. 21. vers. 17.

Theodor. Q. 2.

III. Hi qui juxta sensum literalem, volunt intelligere scripturas sacras [uti sunt Hæretici) non scio quid mihi ad hoc respondi darent. Legite caput Genes. 31. ibi invenietis qualiter S. Iacob Patriarcha, quia toties vexatus fuerat injustè à Laban, cui fideliter inservivit annis quatuordecim pro uxoribus, pro mercede vere annis sex, quā habebat ex prole ovium. Cum inquam vellet ab eodem recedere, vocatis ad se duabus uxoribus, Lia & Rachael, dixit ad eas: *Dixit Angelus Domini ad me in somnis Iacob, & ego respondi: adsum, qui ait, Leva oculos tuos* & Paulo post. *Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti lapidem, & votum vovisti mihi, nunc ergo surge, & egredere de terrā hac.* Inprimis pensate hæc verba. *Ego sum Deus Bethel.* Quid sibi volunt intelligetis, si unum folium inverteritis, ibi invenietis c. 28. Qualiter dum Jacob exiens de terra sua & egrediēs de domo sua, iret recta via, in Mesopotamiam

Genes. 31. vers. 12, 13.

& fessus ab itinere, cum post solis occubitum vellet quiescere, supposuit capiti suo lapidem & sic quiescebat. Cumque obdormisset, vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælos, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ dicentem sibi. *Ego sum Dominus Deus Abraam Patris tui, & Deus Isaac, terram in qua dormis, tibi dabo &c.* Jam conferte istud caput vigesimum secundum, cum trigesimo primo. In hoc capite distinctè ponit Angelos, distinctè Deum, sed in illo capite quid ait? *Dixit Angelus Domini ad me in somnis, Ego sum Deus Bethel.* Miratur hic summoperè D. Basilius, cur S. Jacob Patriarcha, quem Deum noverat, & eum locum, in quo ei apparuerat, Bethel vocaverat, cur inquam Angelum nominat, cum aliud sit Angelus, aliud Deus? Respondet S. Doctor hunc in modum. Moris est quod magni Domini consueverint vocari Mecenates, uti invenimus in Horatio scribēte. *Mæcenas atavis edite regibus.* Sic ergo procedit & Jacob Patriarcha. Cum sciret Deum optimum esse cutatorem suum, à quo multa bona accepisset, & adhuc ei promisisset plura, ideo nominavit Angelū, quasi ei in hoc titulo Angelico, nomen imponens benefactoris, vocatq; Angelū, quia proprium est Angelis, quatenus humano generi benefaciant, eisq; inserviant. Sed unde hoc Angelis quod nobis benefaciant? attendite.

S. Basilius lib. 2. adversus Eunesium.

Horatius.

IV. Mira fuit humanitas illius Angeli, de quo S. Luc. 2. c. scribit qui quantūvis sciret, pastores esse homines rudes, & ferinos, quia plus cum feris, quā cum hominibus habitant, tamen in Christi nativitate ad illos venit, seq; illis sociavit: ait enim Textus. *Pastores erant in regione illa vigilantes, & custodiētes noctis vigilias super gregem suum: & ecce Angelus Domini stetit juxta illos.* Multa sunt hic admiratione digna. Primo, quod Angeli ante hac non solebant conversari cum hominibus, vel si visitabant homines, veniebant non tanquam humani hospites, sed tanquam severi judices, & executores Divinæ justitiæ. Deinde & hoc admiratione dignum est quod iste Angelus, quam primum venit ad pastores lucem eis attulit splendidissimā: *Et claritas Dei circumfulsit eos.* Quid enim de illis scribit David Psalm. 103. *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem urentem:* non ad illumiuā-

Luca 2. vers. 8.

Ibidem vers. 9.

Psal. 103. vers. 3.

dum, sed adurendum, sed hic est facilis responsio. Tunc enim Christus Dominus in carne humana, jam in mundum venerat, natusque fuit in Bethleem, itaque propter majestatem verbi incarnati, sive filii Dei id fecerunt. Ut quia Deus præpotens & summæ Majestatis, dignatus est cum hominibus conversari, ideo & ipsi eandem societatem, non solum detrectare voluerunt, sed potius eam amplexi sunt perlibenter. Et quod id verum sit ostendam conceptu sequenti: venerunt quadam vice tres Angeli ad Abraam, hos ergo ille cum vidisset, pronus in terra adoravit, nec tamen fuit prohibitus ne hoc faceret. E contra S. Joannes Evangelista, cum fuisset relegatus in insulam Pathmos, venissetq; Angelus qui ipsum consolaretur, videns S. Apostolus tantum hospitem, nempè Angelum Domini cecidit ut adoraret, ante pedes Angeli; sed Angelus prohibuit, & admonuit dicens. *Vide ne feceris, conservus enim tuus sum.* Quæ nunc ratio discriminis? ibi se adorari permisit, & hic prohibuit? Respondet Ildephonsus dicens. *Hac natura in qua Abraam, Angelum adoravit, & tamen adorare prohibita non est, quoniam in Abraam nondum erat assumpta à Christo. In Ioanne autem adorare prohibet, quia hanc super se in sede majestatis adorant.*

Genes. 18. *vers.* 2.

Apoc. 22. *vers.* 9. *Ildephon. lib. de Virginitate cap.* 11.

V. Cum ergo SS. Angeli, nobis serviant, & bona multa præstent, dignum est hodie ut ingratitudinis signum eos collaudemus. *Collaudemus venerantes omnes cæli milites, sed præcipue primatem cælestis exercitus Michaelem*: cui hodie S. Mater Ecclesia, hūc solemnem diem destinavit, & merito. Ille enim est Dux & Princeps exercitus Angelici. Vultis scire, unde tantam dignitatem officii sui acquisiverit? ait S. Joannes. *Factum est prælium magnum in cælo, Michael & Angeli præliabantur.* Hoc prælium taliter potest intelligi: fuit in cælo commissum, quando Lucifer, excellentiam suæ naturæ considerans, volebat se elevare super se, & esse plus quam Deus creator suus. Sed Michaël cum suis sociis, quoniam illi non adhæsit, pugnavit cum illo, non aliquo gladio vel clypeo, sed voluntate adversante, & ideo victor extitit. Tempus deficeret si enarrare vellem omnia beneficia, quæ ille Archangelus & Princeps cælestis militiæ, generi contulit humano. Ille est qui comitatus fuit Abraamum, quando egressus fuit de terra sua. Ille est qui cohibuit ipsum ne interficeret Isaac. Ille est qui animare volens Jacob, adversus fratrem Esau, ne timeret ipsum, luctatus fuit cum illo tota nocte. Ille est qui prohibuit Balaam, ne iret ad maledicendum Israëli, & mutavit illius mentem ne id faceret. Ille est qui Israëlem per solitudinem, & ad fines terræ promissionis adduxit, Ille denique est, qui semper ad magna peragenda mittitur: ille est qui homines à periculis liberat, qui ab hostibus defendit, qui adest magnis Principibus, Regibus, & Imperatoribus. Ille est qui civitates protegit. Et tandem ille est, qui in hora mortis adest, & hominem tutatur à diabolo, inimico salutis nostræ. Quamobrem Auditores, cum non possimus Archangeli hujus cæterorumque Sanctorum Angelorum beneficiis respondere, ad minus piis laudibus honoremus, rogantes ut sit dux noster & Patronus, ut nos in terra ab omni malo tueatur, in hora mortis nobis assistat, à diabolo defendat, nosque deducat ad illas sedes beatorum, in quibus Angeli semper vident faciem Dei Patris nostri, cui laus & gloria sempiterna.

Apoc. 12. *vers.* 7.

Genes. 12. *vers.* 6.

Genes. 22. *vers.* 12.

Genes. 32. *vers.* 24.

Num. 22. *vers.* 12.

Exodi 14. *vers.* 19.

AMEN.

IN

IN FESTO SS. APOSTOlorum Simonis & Iudæ,

CONCIO I.

Plantati in Domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt.
Psalmo 91. v. 14.

PUlcherrimus amœnus atq; iucundus ille locus erat, nempe terrestis paradisus, in quo Deus primum hominem & parentem nostrum posuerat, nam de illo tale habetur testimonium in libro Geneſis. *Plantaverat Dominus Deus Paradisum voluptatis* Gen. 2. v. 7. *à principio: in quo posuit hominem quem formaverat* Quæ nam fuerit illa pulchritudo; ad voluptatem hominis composita, patet ex ulteriori textu ejusdem Scripturæ. Ubi dicitur produxisse Dominum Deum in loco illo plurima ligna fructifera, non solum visum sed etiam gustum recreantia juxta hæc verba: *Produxit q; Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave*: Atqui dum ego perpendo hæc verba Davidica: *Iustus ut palma florebit, sic ut cedrus Libani multiplicabitur; Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt*, imaginor mihi hic in atrio hujus dom^o, amœnioré videre paradisú, quam olim à Creatore mundi Deo, formatus fuerit: Paradisus enim potius, quam terrena habitatio domus illa censeri debet in qua unigenitus Dei filius post suum in hunc mundum adventum, dignatus est habitare in terrest. Paradiso in quo formaverat Deus lignũ vitę juxta illud: *Lignum etiam vitæ in medio paradisi*, Quod cujus nã virtutis fuerit Venerabilis Hugo testatur dicens: *Lignum vitæ dictum quia divinitus accipit, ut qui ex eo manducaret, corpus ejus stabili sanitate firmaretur.* Idem ait Strabo dicens: *Lignum vitæ hanc naturaliter virtutẽ habebat, ut qui ex ejus fructu comederet, perpetua soliditate & beata immortalitate vestiretur* In medio nostri paradisi præstantiorem ego arborem video, quæ novem mensibus in castissimo utero suo Deum portans, salutiferũ illum mundo fructum produxit, quo cœlestes Spiritus insatiabiliter pascuntur. Circa quod lignum, plures quoq; arbores videre licet, nempe Sanctos illos Apostolos qui diversam arborum species repræsentant & plurimos variasq; frondes ac ramos emittunt. Quarũ è numero duæ mihi hodie occurrunt arbores; nempe palma & altera cedrus, juxta hæc verba Palmistæ: *Iustus ut palma florebit sicut cedrus Libani multiplicabitur.* Per has duas arbores hodiernos Sanctos Apostolos intelligo Per Palmam Simonem Per Cedrum autem Judam Apostolum. Quæ duæ arbores cur ipsis optime conveniant, audietis.

Psalmo 19. v. 13. 14.

Hugo Card hic.

I. Palma inter cæteras dotes naturæ, hanc unam habet, quod virorem suum non amittat, juxta dictum Petri Berchori: *Palma nunquam perdit virorem suum* Faciliorem virorẽ conservavit Sanctus Simon Apostolus quia suam virginitatem quæ idem est quasi *viror genitus* ut dicit Richardus perdere non potuit: quin imo palma ipsa præstantiorem dico, hæc etenim arbor extrinsecum saltem virorem habet, at S. Simon Apostolus duplici virore vestitus fuit, nempè extrinseco, & intrinseco quia non solũ virginitatis virore pollebat, in corpore, ob quem conservandum illud jejuniis orationibus, cæterisq; piis exercitiis perdomabat, sed etiam in mente, quam semper virentem habebat ab omni inquam peccati labe custoditam. Juxta communem hominũ opinionem, palma non solum eam laudem habet, quod semper sit viridis, sed etiam quod statura sua aliorum oculos oblectet, nã elegantissima est, & omnium arborum pulcherrima. Et id adeo verum est ut Deus in sacra scriptura de palma loquens, illam non pulchram tantum, sed pulcherrimam

Berchor.

Richard. l. 4. de laud. B. M. V.

arborem appellet, quasi tantus sit ejus decor & venustas, ut pulcherrima vocari mereatur. Sic quando Levitici 23. Hebræis dicebat: *sumetis vobis primo die fructū arboris pulcherrimæ*, de palma loqui constituit. Et numquid ut ipsamet Angelorum Regina (cujus species & formæ elegantia tanto cum excessu quamvis superat pulchritudinem humanam & Angelicam) describatur tanquam verè pulchra, palmæ comparatur? *sicut palma exaltata sum in cades*? dicitur Ecclesiastici 24. cap. simon igitur verè palma quædā fuit. Quis enim nescit, quod cum à Deo Apostolico fuerit honore insignitus, excellentissimè ab eodē decoratus & ornatus fuerit: adeo admiranda est Apostolicæ dignitatis pulchritudo, ut Isaias capite 52. Apostolos ut pote qui Christum per universū mundum portarunt, sub pedum Christi symbolo considerans, deorum pulchritudine obstupefactus, dicere nō dubitarit. *Quam pulchri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis salutē.* Imò Apostoli, quia speciosissimi sunt, ideo luci in scriptura comparantur. *Vos estis lux mundi*, dicebat illis Christus Matthæi 5. capite: pulcherrima res totius mundi, unde quævis alia pulchritudo dependet, lux est.

Levit. 23. v. 17.

Eccl. 24. v. 18.

Isaias 52. v. 7.

Mutth. 5. v. 14.

II. Non solum palma hæc, nempe Sanctus Simon Apostolus ex munere Apostolico tantam pulchritudinem acquisivit, sed eam traxit ex vera & originali palma, quæ est Christus. Vultis aliquid audire de Christi pulchritudine? Christus in universalis judicii die tanto videbitur decore & formæ venustate conspicuus, ut similem sibi decorem imaginari nemo possit. Quia nec sol, nec luna, & si quid sole & lunâ creari à Deo pulchrius & splendidis potuit, divini corporis Pulchritudini comparari ulla ratione poterit. Etenim tametsi in cunctis corporis sui partibus, summus decor ac pulchritudo sit futura quâ omnium beatorum oculos in se rapiet in illis tamen in quibus passionis suæ vulnera sustinuit, pulchritudo erit omnium maxima beatis salutifera, damnatis vero ad perniciem æternæ damnationis. Hujus ratio hæc est, ut vult Hugo de S. Victore in annot. in Ioan. quia in illis partibus majorē Deo quā in aliis obedientiam exhibuit: *In die judicii* (inquit hic doctor de vulneratis Christi membris loquens) *gloriosa apparebunt & glorioſiores forsitan, quam cætera partes corporis, eo quod Dominus in illis majorem exhibitionem obedientiæ ostenderit?* Unde colligitur, quod obedientia animam valdè venustet, & pulchram faciat. Imo plus quam quodvis aliud spirituale ornamentum, quod Sanctos decorat. Quia ergo Sanctus Simon Apostolus obedientissimus fuit, nam subitò vocatus à Christo, patrem & matrem & demum quidquid habuit, totum id dereliquit, sanguinem pariter & vitam pro Christo profudit: hinc colligitur ipsum ad similitudinem palmæ pulchertimum fuisse. Et quidem per hanc obedientiam, in interiori animæ suæ vultu adeo speciosus fuit, ut quidā visus fuerit Angelus esse. Legatis velim caput 4. S. Matthæi, ubi scribitur, quod cum Christus in maris littore ambulans ad se Petrum & Andream fratrem ejus advocasset, hi sancti ejus discipuli, tanta eum cum velocitate fuerint insecuti, ut navim, retia, & quicquid in terra habebant, in unico momento relinquentes, Christi Domini fuerint scholam ingressi: *At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum*: ait Christus loco citato. Paulus de Palatio hæc verba ponderat & dicit. Quid sibi hoc vult, quod cum Apostoli postquam à Christo fuêre vocati, aliquantulum sibi tempus vendicare potuerint, tum ut de rebus suis disponerent, tū ut ab amicis & parentib⁹ suis abeundi licentiam exposcerent, hoc tamen tempus nullatenus usurparint, sed eodemmet momento quo à Christo fuêre vocati, ipsum mox quoq; fuerint secuti? Cur ad obediendū verbis Christi adeo fuere veloces & solliciti? Respondet autem quod quandò servis Dei incumbit obediendi Deo necessitas, tunc non secus atq; Angeli currunt, volant, nō tardant, non morantur, nec ad ea quæ divina Majestas imposuit exequēda, aliquam temporis jacturam faciunt, uti ait Paulus de Palatio supra citatus, dicens *Mirabile est quod continuo reliquerint, nullo alio expectato.* Ita planè. Servi Dei sunt sicut Angeli qui citissimi sunt. Et quia obedientes Angeli non solum veloces sed etiam valde pulchri sunt, ea propter & S. Simon tanquam obediens pulcher formosus ac spectabilis esse debuit.

Paul. de Palatio.

III. Sed transeamus à palma, ad cedrum, id est à Simone, ad Thadeum, ab uno Apostolo ad alterum. De Juda sive Thadæo dicitur: *sicut Cedrus Libani multiplicabitur.* Naturales Philosophi, uti est Plinius cæterique, cedrum

Plinius.

cedrum aliam arborem esse dicunt? Jam vos remitto ad epistolam S. hujus Apostoli, Quid legitis in principio. Quem sibi præfigit titulum? *Judas Jesu Christi servus* O quanta disparitas cum cedro, cum servus designet humilitatem; illa vero arbor repræsentet celsitudinem. Est quidem verum quod iste titulus Sancti Apostoli prima quidem facie humilis esse videatur. Siquidem ob dignitatis Apostolicæ excellentiam, ad quam eum Deus evexit, Regem aut Principem jure merito nominare se potuisset. Apostoli namq; Reges sunt, & Principes terræ juxta illud. *Constitues eos Principes super omnem terram*: Nihilominus tamen, si attendamus Dominum, cujus ss. Apostoli servitium impleverunt, nempe Christum Monarcham cœli & terræ, hi jam titulo suo nempe *Servus Jesu Christi*, omnium Regum Monarchamve hujus mundi, sublimes titulos longe superabunt. Unde ait S. Ambrosius: *Nulla major dignitas quam servire Christo.* Cum ergo S. Judas servus Christi fuerit. Sicuti Cedrus Rex arborum nominatur, sic & ille ejusdem tituli præstantiam ante cæteras promerebitur.

Psalm. 44. v. 16.

IV. Amplius quid dicam. Ex quo S. Judas frater erat Christi Domini, sequè proindè sublimi illo fratris Christi titulo honorare poterat: prouti S. Jacobus frater ejus honorifico hocce titulo sese nominarat: Cur obsecro se non fratrem, sed servum Jesu Christi appellare voluit: *servus Jesu Christi?* Certè non alia de causa id facere permisit, quam ut profundissimam suam humilitatem nobis imitandam ostenderet, nempe quod major fructus atque utilitas ex humilitate quam superbia oriretur. Cum enim S. Apostolus jure merito se exaltare & fratrem Domini nominare se posset, servus dici voluit, tantundem se humiliando, quantum illum Christus per strictam parentelam suam evexerat. Et quis hic adeo cæcus est, qui non videat Apostolum hunc, etiam hoc jure se cedrum veram ostendisse? Cedrus enim, uti communiter dicitur, maximum est & sublime lignum cui simile vix in rerum natura inveniri potest. S. Judas quoq; tantoperè se humiliando magnum & sublimem esse probavit, siquidem humilitas propria sit magnorū atq; sublimium virtus. Unde scriptura ait Ecclesiastici 3. *Quantò magnus es, humilia te omnibus.* Quia ergo humilitas sublimis, altaq; sit virtus, quæ hominem mirū in modum ornat ac decorat hinc S. Judas sublimi cedro erat non absimilis.

Ecclesiast. 3. v. 20.

V. Sed jam combinemus hos duos Sanctos Apostolos. De utroque habemus in actis Apostolorum 5. capite. *Ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Cum duo hi Apostoli Domini, diversas terras ad prædicandum Evangelium accepissent, unus Mesopotamiam, alter Ægyptum, postea in Persidem convenientes, cum innumerabiles filios Jesu Christo peperissent, fidemq; in vastissimis illis Regionibus & efferatis gentibus disseminassent: doctrinâ & miraculis ac denique glorioso martyrio simul sanctissimum Jesu Christi nomen illustrarunt. Refert Historia Lombardica hos Sanctos Apostolos optionem accepisse ab Angelo, ut sibi è duobus eligerent, aut mori pro Domino, aut inimicorum suorum videre mortem; eos respondisse. *Adoranda est Dei misericordia, ut & istos convertat, & nos ad palmam martyrii perducat.* Ita plane factum est; postquam enim plurimos infideles ad Christi fidem deduxerunt, hic quidem in terra martyrium subiverunt: sed Simon accepit palmam in cœlis; Judas autem sicut cedrus exaltatus est in cœlesti Libano.

Actor. 5. v. 41.

Historia Lombard.

Amen.

IN FESTO SS. APOSTOLORUM Simonis & Judæ,

CONCIO II.

Iustus ut palma florebit. sicut cedrus Libani multiplicabitur.
Psalmo 91. v. 13.

QUidam Philosophorum hominem arbori comparavit, quin imo arborem inversam ipsum nominavit. Sed melius Christus Dominus apud Matthæum Evangelistam 7. capite dicens: *Non potest arbor bona malos fructus facere.* Jam si arborum bonarum & fructuosarum aliquam videre vultis, exhibeo vobis duas elegantissimas nempe palmam, & cedrum, eam inquam palmam de qua habemus Canticorum 7. *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius*: Eam palmam in cujus fructibus quædam miraculorum DEI prærogativa aptæ cæteris videtur. Exhibeo & cedrum eam, inquam arborem de cujus ligois cedrinis elegantissima illa domus Dei vestita fuit. Per has duas arbores duos intelligo Apostolos, quorum hodie annuam memoriam solenniter celebramus. Per palmam elegantissimam, intelligo Sanctum Simonem Apostolum. Per cedrum altissimam, Sanctum Judam Apostolum. Primus enim dulcissimo fructu sacri Evangelii humanum genus servavit, alter verò sacra prædicatione verbi Dei, nec non tot miraculis, quasi quibusdam cedrinis tabulis non memorandam ac splendidam illam domum Salomonis Regis, Sed Ecclesiam Christi Domini vestivit & insignivit. Id qualiter ab uno & altero factum fuerit in hac concione declarabo.

Matth. 7. v. 18.

Cant. 7. v. 8.

I. Non est dubium palmam Sancti Simonis Apostoli maximum fructum Ecclesiæ sanctæ protulisse, quia communis est omnium opinio in arboribus palmarum sexum utrumque reperiri, ita ut una sit mascula altera verò fœmella, sicut in hominibus aliisque animalibus accidit. Iam hic merito quærendum venit, ad quemnam sexum palmæ hæc de quæ loquimur referenda videatur? Certe quantum ego capere possum, fœmineam dicere nullum inconveniens sequeretur. Masculam etiam dicere & utramque simul, id propositum meum bene adjuvat, cum prolium productio & generatio ex conjunctione utriusque sexus humani provenire soleat. Et quid, S. Simone Apostolo virilius esse potuit? qui virili animo contempsit mundū Christumq; pauperem secutus est & ut compendio dicam, pro amore illius, propriam quoq; vitam contempserat. Ille certe est, qui illud S. Pauli Apostoli 4. cap. ad Galatas meritò dicere poterat. *Filioli mei quos iterum parturio, donec efformetur in vobis Christus.* Meritò inquam id dicere poterat non solum ob id, quod innumeros Christi filios peperisset, iisdemq; lac suavissimum cœlestis doctrinæ tanquā parvulis ministrasset, sed etiā quod in educandis per prædicationē sacri Evangelii plurimū laborasset. Possem etiam sine injuria personę eidem palmę nempe S. Simoni Apostolo sexum muliebrem imputare, non solū ob summam ejus pulchritudinē quæ magis proprie mulieribus competit quā viris, verum insuper ob insolitum quo tam erga Christum Deum, & Magistrum suum, quam etiam erga illos, quos Christo peperat per Evangelium, ardebat amore. Adeo Sanctus Simon cœlesti hoc igne incensus fuit, ut nō amor, sed zelus, id est quidem amoris excessus visus fuerit. Unde nomen quoq; *Zelotis* obtinuit. Nec miror tantum amorem cum quidam Philosophorum dixerit, similitudinem esse causam amoris. Et ubi major similitudo morum esse potest, quam inter pro-

Ad Gal. 4. v. 19.

propinquos & cognatos? Certè inter alios Sanctos qui præ cæteris à terra maxime elevati, Deoque propinquiores existunt, adnumerandus quoque venit S. Simon Apostolus. Hic enim magis se in altum sustulit, Deoque vicinior extitit, tum ratione sanguinis, cum sit filius Mariæ Cleophæ Beatissimæ Virginis cognatæ: tum ratione dignitatis Apostolicæ ob quam semper familiariter agebat, loquebatur & conversabatur cum Deo: tum denique ratione ardentis zeli, á quo honorificum sibi nomen obtinuit. Inter omnes virtutes Christianas nulla est quæ nos adeo exaltet, Deoque vicinos faciat, uti est animarum zelus. Patet hoc in Elia Propheta, tam pro Deo ejusque honore, tam etiam pro salute Israelis zelante, ob quod maximis miraculis, summisque à Deo gratiis honoratus fuit. Nec immerito, sic enim ait Richardus de S. Victore cap. 21. in Cantica. *Hi sunt sublimes ante Deum in quorum pectore ardens Dei zelus regnat.* Nihil enim sic placet Deo, sicut zelus & lucrum animarum, ob quem S. Simon Apostolus Palmæ comparatur. Nam de ipsa Guilielmus Pepinus tale producit testimonium. *Palma est arbor quæ sursum erigitur, tam' ipsa quam rami ejus.* Imo inter alias arbores quæ à terra elevantur, palma quoque præcipuum locum habet, ob quod applicatur in Sancta Ecclesia summæ celsitudini Deiparæ Virginis verbis illis Ecclesiastici. *Sicut palma exaltata sum in cades.*

Richard. c. 21. in Cant.

Eccl. 24. vers. 18.

II. Altitudo palmæ, maximam adfert gloriam Sancto Simoni Apostolo, nec etiam sine causa offerri solet victoribus, si enim aliquis cum hoste suo dimicans aliquam victoriam reportavit; nullus majorem Sancto Simone Apostolo. Dixit quispiam Poëtarum.

Fortior est qui se, quàm fortia mœnia vincit.

Verissime dictum. Alexandro M. Rege Macedonum nihil videbatur esse fortius, qui tot urbes cepit, tot regna subjugavit, per tot terras, mariaq; victorias insignes celebravit, qui tot diversas nationes, Regesq; potentissimos perdomuit: Sed quid eo infirmius, qui se ipsum superare non valuit? Et passione iræ in tantum ferebatur, ut amicissimos quoq; quorum è numero fuerat inclytus ille Clitus strictо gladio inter epulas interemerit. Tales igitur victores, qui seipsos vincere nescivit, superat S. Simon Apostolus. Hic etenim virtute obedientiæ sibi pro armis assumpta, câ non solum plurimos dæmones, sed etiam semetipsum devicit propriæ contradicens voluntati. Undè Sapiens optimè ad propositum loquitur. *Vir obediens loquetur victorias.* Quam sententiam explicans Venerabilis Hugo Cardinalis, suis quoq; verbis ei subscribit dicens: *Loquetur victorias quibus se ipsum per virtutẽ obedientiæ vicit.* Optimè quippè sequitur hũc loqui & prædicare victorias, qui se ipsum per obedientiam vicit: quando enim obediens Deo sibi ipsi resistit, & ita resistendo se ipsum superat, adeò per hunc actũ gloriosam reportat victoriam, ut omnes illas superet quas aliquando Alexander, Pompejus, Cæsar, aliique Reges terræ unquam reportarunt. Ejusmodi victoriam S. Simon reportavit, postquam à Christo vocatus, tanta cum velocitate obediendo ipsum est insecutus. Undè cum in eo facto victor apparuerit, hoc symbolum palmæ merito illi à nobis adscribitur.

Prov. 21. vers. 10.

Hugo Card. hic

III. Quod concernit alteram arborẽ nempe cedrum, commemoravi superius gloriosũ Regem Salomonem non solum ad domum Dei, sed etiam suam vestiendam tabulis Cedrinis usum fuisse, uti habetur 3. Reg. cap. 6. & 7. Hæc nobilis arbor exprimit S. Judam Apostolum; hic enim ille est qui sanctis virtutibus, & odore bonæ famæ, sanctam Christi Ecclsiam investivit. De cedro scribitur quod inter cæteras arbores odoriferas iusimum locum non habeat, ideoque à Virgilio libro 3. Georgicorum adorata dicitur.

3. Reg. 6. & 7. v. 15.

Virg. Georg. 3. Lib. 7. Æneidos.

Discite & odoratam tabulis accendere cedrum.

Unde & Regina Circe, uti idem Poëta lib. 7. Æneidos refert, ut nocturno tempore lumen simulque odorem bonum, in aula sua haberet, Cedros accendere solebat.

Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum.

Verum quid nam inde evincere contẽdo: Nihil profecto aliud, quàm quod Apostoli propter fragrantissimum Christi odorem, quem per totum mundum spargebãt, verè censendi sunt Cedri. Cedrum se esse arbitrabatur S. Paulus quando 2. ad Corinthios, capite 2. dicebat. *Christi bonus odor sumus Deo.* Adeo magna & mira sanctitas ipsorum fuit, tantæ fuerunt ipsorum virtutes, tot tamq; præclara ipsorũ miracula, ut immortalem sibi in terris famam:

2. ad Cor. 2. vers. 15.

famam comparârint: Præcipuè verò inter cæteros S. Judas. De illo enim & Sancto Simone Breviarium Gallicanum dicit: *Dilecti Deo & hominibus Sancti Apostoli, ordinaverunt tempora sua bono odore usque ad consummationem vitæ.* Odoriferus itaque Sanctus Judas fuit & denique cedrus vera fuit. *Sicut cedrus Libani.*

Brev. Gall.

IV. Hinc cum Sanctus Judas Apostolus cedrino virtutum suarum odore excelluerit, huic altissimæ arbori fuisse similem meritorum inquam suorum celsitudine fatendum est. Interrogavit quondam Christus Apostolos de sua persona dicens: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Auditisque eorum sententiis subintulit. *Vos autem quem me esse dicitis?* Superflua videbatur hæc Christi quæstio, si enim prima vice interrogavit Sanctos Apostolos, quid nam de ipso homines sentiant, ad quid alia vice inquirit. *Vos autem quem me esse dicitis?* Sed Richardus de Sancto Victore, non judicat eam binam quæstionem fuisse superfluam, quin imo necessariam, per id enim exprimebat suos Apostolos cæteris hominibus non esse similes, sed homines excellentioris naturæ. Verba sunt Autoris: *Vos autem quem me esse dicitis?* Cum enim supra dicit homines, ac deinde subjungit: Vos autem: *inter homines & discipulos suos distantiam fecit & eos supra* homines *faciebat.* His igitur verbis cum Christus suos Apostolos cæteris hominibus tanquam sublimiores separaverit; quid dicendum erit de Sancto Juda Apostolo? Omnino fuit sublimis virtutum meritis; quia erat: *Sicut cedrus Libani.*

Matth. 16. vers. 13.

Richard. in Cant.

V. Verum dicat aliquis: quid igitur illum fuisse dicemus si supra homines excelluit? Dicam confidenter, cum Paschasio; alterum fuisse Christum qui supra homines esse censetur, & superat omnes. Ratio ob quam Sanctus Judas Apostolus, libro 6. in Matthæum à Paschasio; *frater dicitur Salvatoris*, non ea tantum est, quia verus erat Christi cognatus & consobrinus; verum etiam, quia alter quidam videbatur esse Christus. Hoc enim vocabulum *Frater*, uti vult Aulus Gellius, idem significat quasi *Fere alter*. Deinde Autor Historiæ Lombardicæ, hoc nomen suum Thadæum ait sortitum fuisse ab hisce vocabulis. Tam Deus: quasi hic Apostolus eodem modo sicuti Deus cuncta creata superet, & ipse quoque virtutibus suis cæterisque prærogativis amoris Christi Domini cunctis hominibus antecellat. Vere cedrus alta Sanctus Judas Apostolus, vera palma Sanctus Simon, ad quorum intercessionem confugiamus, ut à palma fructus divinæ gratiæ, à cedro autem celsitudinem æternæ vitæ percipere mereamur.

Aul. Gel. lib. 13. cap. 10.

AMEN.

IN FESTO SS. APOstolorum Simonis, & Judæ,

CONCIO III.

Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur.
Psal. 91. Vers. 13.

LEgimus Gen. 18. cap. Sanctum illum Abraamum Patriarchã cum vidisset è suo tabernaculo Angelos Domini in specie trium virorum euntes, in occursum illorum cucurrisse & dixisse ad eos: *Domine si inveni gratiam in oculis tuis: ne transeas servum tuum: sed afferram pauxillum aquæ & laventur pedes vestri & requiescite sub arbore.* Ut nunc omittam horum verborum sensum allegoricum, & mysteria quę in ipsis continentur, illud saltem observo ad litteram cur ille Patriarcha tã hospitalis cupiens illis suis hostibus omnem meliorem humanitatem exhibere, illos invitaverit ad requiem sub arbore capiendam dicens: *Et requiescite sub arbore.* Nunc non quęro mysticas rationes, sed ea mihi sufficiet, Putabat Sanctus Abraam, illos tres viros fuisse peregrinos itineris longitudine, æstuque caloris fessos, idcirco ad requiem sub arbore capiendam invitavit, ut se sub illius umbra recrearent. Est quippe moris hominibus in calore solis peregrè euntibus aliquando quiescere sub umbra arborum, uti legimus de Jona Propheta 4. capite, hic cum fugeret è magna illa civitate Ninive iratus & afflictus quod Dominus juxta verbum suum eam non subverterit, ait sacer textus: *Præparavit Dominus Deus hederam, & ascendit super caput Jonæ, ut esset umbra super caput ejus; laboraverat enim.* Dum vos intueor Auditores mei, non alios video, quam viatores, quotquot enim in mundo sumus, peregrini sumus. Sanctus Abraã Patriarcha tribus illis vitis unam tantum arborem exhibuit. Quia tres personas umbra illius capere benè poterat. At vos hic estis in magno numero, non una itaque arbor sed plures vobis designandæ erunt, quarum sub umbra quiescere valeatis. Non unam ergo sed duas vobis exhibeo, nempe palmam & cedrum, sub quibus tunc dulcem quietem capietis ubi Sancti Simonis & Judæ Apostolorum quos per hasce arbores intelligo laudes à me decantatas audiveritis.

Gen. 18. vers. 3. 4.

Jonæ 4. vers. 6.

I. Quemadmodum duæ arbores vobis à me proponuntur, ita quoque duplex salutare commodum sperare potestis: unum quietis optatissimæ, & alterum fructus suavissimi. Si fructum requiritis, eum vobis palma dabit, si umbram, sub cedrina arbore sufficientem invenietis. Quod verò unum sine altero nec esse, neque etiam dari possit, id patet ex ore sponsæ cælestis Canticorum 2. dicentis: *Sub umbra illius quem desideraverã sedi, & fructus illius dulcis gutturi meo:* quæ verba cõsiderans doctus Ecclesiæ Pater Origenes, hujus loci sacræ scripturæ talem dat censuram dicens: *Vides quia non semper in umbra stetit, sed inde ad meliora transiit* dicens: *Et fructus meus dulcis gutturi meo.* Multi sunt qui umbris delectantur, quia nihil est dulcius & optatius fesso homini, quam sub umbra quiescere, in sola tamẽ nequit consistere, nisi fructum aliquem quo mens pascatur sibi annexum habeat. Proinde si fructuosam umbram concupiscitis, sub palma & cedro inquirenda erit. Per palmam intelligo Sanctum Simonem Apostolum. O quantis fructibus arbor hæc abundat, quibus anima hominis non satiari solum, sed quasi à quodam convivio repleri & saginari possit. Sed quod nam id convivium? Magnum sanè est hominum peccatorum conversio. Legi-

Cant. 2. vers. 3. Origenes.

mus Luc. 5. capite, Matthæum cum à telonio revocatus esset, Christo grande convivium cui etiam multi Publicani aderant, præparasse. *Fecit ei convivium magnum, Levi in domo sua, & erat turba publicanorum.* Non sine ratione Sanctus Lucas illum mensæ accubitum convivii titulo appellavit: non quod ibi fuerit abundantia ciborum, vini, & bellariorum, sed ob id, quia habebat ibi tot convivas nempe publicanos, quos convertendos sciens esca spirituali satiare disponebat: ubi ait Paulus de Palatio in caput 9. Matthæi dicens: *Ea ratione grande convivium fuit, quia fuere publicani conviva.* Nullum cibum lautiorem Christo appones quam Publicanos si convertantur. Similiter Sanctus Simon Apostolus fecit, hic non immeritò fructibus palmæ comparandus, sic enim cum se prædicandi Evangelii causa in remotissimas orbis partes contulisset, de fructibus hujus palmæ feracis, in Mauritania, Africa, Britannia, Ægypto & Persida plurima instruxit convivia, quando animas plurimas prædicatione verbi Dei nec non suis miraculis ab Idololatria ad cultum veri Dei, nec non fidem Christianam revocavit. Vera palma fuit fructuum suavium productrix, quorum dulcedinem non solum illi gentiles delibarunt; sed etiam nunc tota degustat Ecclesia fidelium.

Matth. 9. vers. 10.

Paul de Palatio.

II. Habet & id palma, quod non solum sit fructuosa sed etiam quodam modo attingat solis similitudinem, unde ait Pierius: *Palma solis hieroglyphicum est, quod figuram solarium radiorum imitari quodammodo videatur.* Hic mihi occurrit conceptus quidam Sancti Cyrilli Alexandrini. Christus Dominus Apostolos suos æterno Patri recommendans ait Joannis capite 17. *Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo.* Quæ nam hæc Christi erat petitio? nam si Patrem rogasset, ut de hoc mundo unà secum tollerentur, aliquod hinc damnum incurrerent? Certè quantum primâ fronte quidem apparet non solum his precibus nullum illis malum intulisset, quin potius tantum illis conciliasset bonum, quantū imaginatione vix assequi possemus. Quis enim dubitat, quin Deus Apostolos suos ex hac vita tollendo eos consequenter ab omnibus mundi malis ereptos in paradisi portu, ubi omne bonum est, collocasset. Cur igitur Christus Patrem suum non rogat ut discipulos suos ex hac vita eripiat, sed potius ut eosdem in hac vita conservet? Notandum ergo est Christum rogasse pro vita Apostolorum in terris conservanda, non ob propriam illorum utilitatem, sed pro mundi utilitate in quo erant Apostoli, namque in hoc mundo veluti lucidissimi soles quidam erant, juxta illud Matthæi c. 5. *Vos estis lux mundi.* Si ergo hæc lumina in cælum translata & huic mundo erepta fuissent, quomodo mundus sine sole in caligine subsistere posset? Verba sunt Sancti Cyrilli dicentis: *Sine luminaribus & sole remanere homines noluit, ideo inquit non rogare se ut tollantur de mundo sed ut conserventur à malo virtute omnipotentis Dei tentationū impetum superantes.* Accommodatissime de fructifera palma soliqne simillima Sancti Simonis Apostoli, quia illis barbaris nationibus nempe Ægypto cæterisque Regnis non solum fructum spiritualis vitæ exhibuit, sed etiam idololatriæ tenebris involutos, & in continua infidelitatis nocte versantes, sacro Evangelii lumine illustravit.

Pierius ib. 50.

Joan. 17. vers. 15.

Matth. 5. vers. 14.

S. Cyrill.

III. Sed à sole parum ad umbram declinemus. Hæc umbra designat Sanctum Judam Apostolum: umbra quidem fuit, fructibus tamen non caruit, fuit enim Cedrus spiritualis, quæ nobis per sacram Sancti Apostoli prædicationem, plurimos fructus peperit, quibus sub umbra meditationum recubantes suaviter frui possimus, juxta illud: *Sub umbra illius quem desideraveram sedi & fructus illius dulcis gutturi meo.* Sed quosnam fructus à S. Apostolo expectatis? numquid dactylos quos palma producit? adhuc suaviorem fructum vobis afferam. Et hic est amor maximus Sancti Judæ Apostoli quo in Christum ferebatur. Dicebat quondam Sponsa Cant. 2. *Fulcite me floribus stipate me malis, quia amore langueo.* Quid est hoc ô sponsa, quod ab amore ad flores pomaque transeas? numquid amor in pomis & floribus, & non potius in osculis & amplexibus? Aut sanè, ideo floribus & malis fulciri petis, ut per hoc amori tuo medearis? Et quis unquam vidit vel audivit à floribus & pomis amorem sopiri, & non potius excitari? Non certe insipiens erat sponsæ petitio: *Fulcite me floribus stipate me malis, quia amore langueo.* Flores cæterique fructus hortorum amori

Cant. 2. vers. 6.

amoti debebantur, quia non sustinet amor esse, nisi fructibus stipatus & floribus, instar florentissimæ arboris: amor divinus nostris insitus animis nescit otiari: non quiescit uno partu fructuum, sed cum semel fructificat, jam se accingit ad alios & alios fructus præstandos: huc spectat Ecclesiast. 39. *Obaudite me divini fructus & quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate.* Ad fructus loquitur, ut ita floreant quatenus etiam simul fructificent, rosa enim floris & fructus speciem habet.

Eccles. 39. v. 17.

IV. Tales fructus in corde sancti Judæ Apostoli quasi in horto quodam invenimus, & ne aliquo utar circuitu, amor suus ardentissimus est fructus spiritus: causa enim unica ob quam tanta cum facilitate & promptitudine vitam & sangvinem pro Dei servitio effuderit, magnus Dei amor fuit, iuxta illud Joannis 15. *Majorem dilectionem nemo habet, ut animam suam det pro amicis suis.* Et quid mirum sanctum hunc Apostolum propter ardentem amorem Christi, ejusdemque fidei testimonium, vitam suam profudisse? Ignis quid non potest? quantæ est efficaciæ, qui nullibi abscondi potest: hoc igne abundabat s. Judas Apostolus quia erat vera Cedrus. De Cedro dicit Isidorus quod sit naturæ calidæ, ut cum aliæ arbores aqueo sint humore plenæ, hic igne plenus esse videatur, Unde prædictus Autor Cedrum vocat arborem ardentem Non absimiliserat huic Cedro sanctus Iudas Apostolus: cum enim omni humore mundano careret, non poterat minus facere nisi ardere amoris æstu, quia Cedrus erat.

Ioan. 15. v. 13.

Isidorus.

V De hoc eodem Apostolo Historia Lombardica refert, quod postquam Christus post Ascensionem suam S. Iudam ad Abagarum Regem juxta promissionem illi factam misisset. Rex sanctum Apostolum aspiciens & faciem ejus considerans magnum quendam divinumque splendorem è vultu ejus derivari viderit. *Vidit Abagarus in vultu Thadæi quendam mirum ac divinum splendorem.* Quid non obsecro, splendor hic in sancti Apostoli vultu significabat? Erat Epigraphe, seu superscriptio ejus, quod habebat in corde, divini amoris ardorem significans, qui intus in eius anima ardebat. Adeo enim magnus erat ignis ille quo sanctus Iudas ardebat, adeo vehementer & acutè ignis iste Dæmones accendebat, ut non sic inferni ignē quo continuo torrebantur senserint, quemadmodum ignem sancti Thadæi ubicunq; enim hic sanctus Apostolus nec non alius sanctus simon obsessis occurrebant, hisce vocibus querulabantur clamantes. *Quid nobis & vobis Apostoli Dei, ecce in ingressu vestro flammis exurimur.* Quasi inferni ardor tolerabilior ipsis fuerit respectu ignis quo urebantur à s Iuda Apostolo. Nec mirum; fuit enim vera Cedrus & *Arbor humoris ardentissimi.* Quam ob rem Auditores mei, si cordi vobis sunt cœlestes fructus & umbra quietis æternæ, consedete in umbra hujus palmæ cedriq; id est imitemini virtutes & exempla horum Apostolorum Christi, ut hic recreati fructu suæ gratiæ, æterno in cœlis satiari mereamur.

A M E N.

IN FESTO SS. APOSTOlorum Simonis & Iudæ,

CONCIO IV.

Iustus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multipl. cabitur.
Psalmo 91. v. 13.

VIsio illa Regis Nabuchodozor, multum erat mirabilis, quæ à Sancto Daniele Propheta cap. 4. in hunc modum describitur Viderat ille Rex arborem in medio terræ, cujus altitudo erat nimia: magna arbor & fortis & tantæ proceritatis, ut summitas ejus cœlum contingeret. Aspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ. Folia ejus erant pulcherrima. Tanto fructu abundabat, ut omnibus animalibus præberet escam. Subter eam arborem, habitabant animalia & bestiæ: & in ramis ejus conversabantur volucres cœli, & tandem ex ea arbore vescebatur omnis caro. Videbatur sibi Rex hac visione oblectari, sed ecce tibi vigil, qui de cœlo descendit & clamavit fortiter dicens: *Succidite arborem & præscindite ramos ejus, excutite folia ejus, & dispergite fructus ejus.* Et quid randem? ne ex toto arbor illa perderetur & deperiret ait idem Angelus. *Veruntamen germen radicum ejus in terra sinite.* Hoc somnium Regis quid nam sibi velit, si quis nosse desiderat, consulat interpretationem Danielis Prophetæ. Ego per hanc arborem foliis plenam & fructibus divitem, Ecclesiam Christi intelligo nempe fideles Christi homines, quorum quilibet arborem fructiferã & bonos fructus ferentem repræsentare debet. Hæc arbor tunc succiditur dum justi à Diabolo ejusque sequacibus securi persecutionum quatiuntur, & excinduntur. Nihilominus tamen uti ait Richardus Victor; *Iubet germen radicum ejus in terra sinere, unde possit iterum reparari, & ad pristinam plenitudinem reformari.* Patet id in excellentissimis hisce duabus arboribus. Palma & Cedro, nempe Sanctis Apostolis Simone, & Juda; hæ enim duæ arbores licet securi martyrii succisæ fuerint, per hoc tamen deperire non potuerunt. Uti patebit vobis in hac concione.

Daniel. 4. v. 11.

Richard. l. 2. part. 1. cap. 24.

I. Non est cur probem vobis Sanctos Apostolos (quamvis uti duæ arbores per mortem martyrii succisi fuerint) de periisse tamen nõ potuisse, quin per mortem plura germina Ecclesiæ Sanctæ protulisse: ea enim est natura Martyrium Christi sanguinis, quod sit tam fecundũ, ut inter enses alaque tormenta quin imo ex ipsis pulveribus mortis novos Ecclesiæ filios id est Christi fideles pariat. Non creditis? Nihil moror: nam & ipsi Tyranno Babylonio id videbatur incredibile. Præceperat ille tres adolescentes Hebræos; ò, quod statuam auream adorare nollent, mitti in caminam ignis ardentis. Sed quid fit? dum Rex introspicit in fornacem, totus obstupefactus ait ad servos suos: *nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos?* Cumq; illi respondissent esse sic: tum Rex. *Ecce ego video quatuor viros solutos & ambulantes in medio ignis.* Non immerito Rex mirabatur, quia cum tantum tres fuerint jactati, quatuor viderit in medio flammarum ambulantes. Ita fœcundus est fidelium sanguis, quorum numerus inter ipsos etiam cruciatus semper crescit & augetur. Unde Divus Chrysostomus explicans illam Historiam de quatuor personis ab illo Rege in camino visis, sic ait: Ecce inquit video viros quatuor: *Exclude si potes adhuc denisme eum qui crescit ad numerum, non poteris jam tuos finire damnatos, qui soli esse non possunt.* Nulla securis potest dari, quæ tales succidat arbores, quò minùs de novo surculos emittere & pullulare possint. Id est nulla rabies

Daniel. 3. v. 91. 92.

D. Chrys.

rabies Tyrannorum potuerit finire Christianos, quia inter cruciatus nascuntur, & inter tormenta crescunt, adeo ut nulla sangvinis gutta in terram decidat, quæ numerosos greges non parturiat. Quando Christus Dominus mittebat Apostolos ut inter gentes Evangelium prædicarent, sic ad illos ait: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Videretur alicui ea Christi ordinatio esse indiscreta: quis enim pastorum eò destinat oves suas, ubi non ignorat frequentiam esse luporum à quibus oves suæ dilacerari possent? Christus Pastor verus mittit Apostolos suos sicut oves inter lupos: quid igitur sequetur aliud quam laniena ovium, seu persecutio Tyrannorum ad quos Apostoli destinantur. Sed bonus pastor nempè Christus Dominus longe alias habet oves ab illis naturalibus, quas communes pastores pascere iisque invigilare solent: mirabiles sunt oves Christi, id est Apostoli Domini, quia in ore luporum tales oves noverunt parère Christianos. Quis abnuat, fortissimos hos Christi Athletas significari per osseam illam pulchritudinem, quæ in sponsæ dentibus appatet? Hæc invenitur in Canticis Salomonis capite 4. *Sicut greges tonsarum quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis.* Cur Spiritus Sanctus pulchritudinem sponsæ in dentibus relucentem ovium gregi comparat? Acutè respondet antiquus Ecclesiæ Pater Tertullianus dicens: *Mirifico eventu, Deique consilio oves lupis vidimus occurrere, horum incursionibus non posse teri, dissipari, consumi, sed potius coli ac multiplicari.* De spiritualibus hic intelligit ovibus nempe Sanctis Apostolis qui dum occurrunt Tyrannis suis, dum ab iis laniantur, in gladiis ipsorum pariunt & augentur.

Matth 10. *v.* 16.

Cant. 4. *v.* 2.

II. Tales erant Simon & Judas Apostoli, licet enim à principo divisionis suæ in diversis, & à se ipsis disjunctis locis prædicarent, nempè Simon in Ægypto, Iudas autem in Mesopotamia & Ponto: nihilominus ambo deinde in Persidem convenientes, occurrunt illis Barbaris, tanquam oves lupis: nam in principio duos Magnos nempe Zaroen & Arpharad, quos Sanctus Matthæus de Æthiopia fugavetat, invenerunt. Qui cum pluribus suis maleficiis gentiles illius nationis ab Apostolorum doctrina, quam ibidem disseminabant avertere, & insuper duobus hisce Sanctis Apostolis multa mala intentare conarentur: nihilominus oves prævaluerunt lupis. Hi enim Sancti Apostoli serpentes venenatos quos illi Mani suis incantationibus excitaverant, rursus Sancti Apostoli in eosdem converterunt, à quibus ita mordebantur, ut nisi Apostoli virus infusum iterum retrahere serpentes juberent, ambo morerentur. Quod vero in Sanctis Apostolis magis mirandum sit, illud est. quod fuerint tantæ fortitudinis imbelli naturæ ovium inconsuetæ ut jam non solum fæcunditati illarum, sed etiam Leonum fortitudini comparari possint. Non expectantes enim aliquem ipsos ad audaciam excitantem: quemadmodum filii Israel qui à fortissio Duce belli Matathia talibus verbis animabantur. *Filii æmulatores estote legis & date animas vestras pro testamento Patrum, & accipietis gloriam magnam.* Sponte & propria voluntate, morti quam viderant occurrerunt, eamque gloriosè pro Christi nomine subiverunt.

III. Quam pulchrè sequitur fœcundam esse ovium mansuetudinem, de qua Sanctus Cyprianus de laude Martyrii scribens sic ait: *Etenim charissimi fratres virtus est tanta Martyrii, ut per illam credere etiam ille cogatur, qui te voluit occidere.* Tales erant Martyres Sanctus Simon & Iudas Apostoli, licet enim Martyrium subiverint, nihilominus è cineribus mortis suæ, non unam sed plures phœnices Christo peperetunt, siquidem ad fidem illius magnum numerum gentis illius barbaræ converterunt. Hinc ergo patet, hos duos Apostolos simul oves & leones fuisse fœcundissimos: oves per mansuetudinē, leones vero per magnanimitatem. Oves fuerunt quia admirabili cum mansuetudine innumeros labores sustinuerunt: Leones verò, quia eosdem generosè pertulerunt usq; ad sanguinem & vitam ipsam, quam summa cum fortitudine animiq; audacia pro Christi fide amiserunt. Oves erant, quia fœcunditate sua Ecclesiam Christi dilatarunt. Leones vero, quia ruitu leonino nempè animosa prædicatione Evangelii totum infernum mundumque gentilem terruerunt

1. Mach. 2. v. 50.

iunctjuxta illud *In omnem terram exivit sonus eorum & in fines orbis terræ verba eorum.*

IV. Audistis Sanctos hosce Apostolos fuisse fœcundos in partu filiorum Sanctæ Ecclesiæ, & fœcundos in prædicatione sacri Evangelii: Sed undè illis Rhetorica? Unde tanta facundia? Mihi credite, nunquam ex Rhetorum ore tanta effunduntur verborum flumina, quanta ex vinculis & vulneribus Spiritus divinus facit parturiri. Peroptime id noverat Sanctus Paulus Apostolus dum scribit: *Quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Evangelii, ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo.* Ad Philip. 1. v. 12. Scimus peroptimè sanctum Paulum Apostolum peroptimum fuisse præconem sacri Evangelii, eloquentiorem Cicerone & Platone suaviorem. Sed undè acquisivit tantam facundiam? ipsemet respondeat. *Quæ circa me sunt magis ad profectum venerunt Evangelii.* Quænam hæc erant circa Sanctum Apostolum? Non aliud sanè nisi flagella, vincula, & gladii hæc erant instrumenta Eloquentiæ quæ Sanctum Paulum disertum fecerunt Oratorem.

V. Potest idem confirmari exemplo sancti Job Patriarchæ. Quandò hunc percussũ flagello Diaboli, nempè ulcere pessimo â planta tâ pedis ad verticẽ capitis tres vicini sui invisserunt, multis argumentis verbisq; consolari eũ conabantur: At Sanctus Iob in fimeto suo Iob. 2. v. 7. tanquam in cathedra residens, omnes illos vi & Eloquentia verborum suorum superavit. Si scire cupis causam facundiæ? Eam ipsemet textus indicat dicens: *Post hæc aperuit Iob os suum.* Post quæ? Post spoliatum bonis omnibus: post orbatum filiis: Post percussum à Dæmone: Post inquam, aperuit os suum & ita ornate atque facunde peroravit. Testatur id Olympiodorus dicens *Post hæc ergo Iob os aperit, id est post illas calamitates: toto autem corpore excruciatus haud improbabilem format orationem. In eo enim ipso, quod os aperuit, decorem orationis præ se tulit.* Olymp. in Cath. Grap. Idem patet ex 2. capite Actuum Apostolorum. *Apparuerunt eis dispertitæ linguæ tanquam ignis.* Act. 2. v. 3. Cur tanquam ignis? Quia lingua eorum in prædicando Evangelio discurrebat tanquam ignis, quo inflammabant corda gentium & Iudæorum, quo incensi in templo & concilio Principum Christum prædicabant: Sed unde audacia & facundia? Respondet sacer textus. *Quia digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Act. 5. v. 41. O gloriosa Sanctorum Apostolorum Simonis & Iudæ sanguinis effusio, quæ ovina facunditate, leonina audacia & linguæ facundia Ecclesiam Christi dilatavit & exornavit. Sit

Deus benedictus in sæcula sæculorum.

AMEN.

IN FESTO OMNIUM Sanctorum,

CONCIO I.

Gaudete & exultate: Ecce enim merces vestra copiosa est in cælis.
Matth. 5. Vers. 12.

Num. 13. vers. 28. HAbemus adnotatũ Num. 13. quod Moyses ductor populi Israelitici miserit olim exploratores, qui lustrarent terram Chanaan, qui dum reversi fuissent, talia coram omni populo retulerũt. *Venimus in terram ad quam misisti nos, quæ revera fluit lacte & melle, sed cultores fortissimos habet & urbes grandes atque muratas.* Audientes eam relationem ab exploratoribus filii Israelis, inceperunt murmurare dicentes. Nequaquam ad hunc populum valemus ascẽdere quia fortior nobis est. Longe melius Auditores mei, hodie clamare poterimus quam exploratores Moysi, dicentes: Exploravimus terram quæ fluit lacte & melle. quia portio viventium est juxta Psalmistæ scriptum Psalm. 118. ubi Angeli omnes indefesse Deum laudant, ubi tot monstra de genere giganteo, nempe Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, & Virgines more gigantum tam Sathanam quam mundum & carnem glorioſe vicerunt. Testante Apostolo ad Hebræos cap. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna*: iis ut ingenue fatear comparati quasi locustæ videbitur. Nunquid igitur terram & patriam ipsorum tam felicem despiciemus? minimè vero quin ad possidendam eo magis animabimur, quia sicuti Chananæi hostes erant populi Israelitici quem ab ingressu terræ promissionis impedire conabantur, ita è contrario Sancti nostri gigantes, non solum favent nobis Patriam suam manantem lacte & melle, sed etiam orant Deum & interpellant pro nobis ut ad illam admittamur. Credetis dictis, si me dicentem attente & benevole audieritis.

Ad Hebr. 11. vers. 13.

I. Cur hodie omnium Sanctorum solemnitatem recolamus, duæ sunt principales rationes. Prima, quam assignat Maximus Tarentinus ut quod humana fragilitas in solemnitatib9 eorũ minus plene peregisset, in hac Sancta observatione solveretur. Secunda, ut cum pluriũ vota precesq; plus valeant quam unius, hodie ad omnes cum nostris necessitatibus supplices recurramus. Quod autem Sancti qui in cælis sunt pro nobis orent, certa & indubitata fides est. Quibus dicere possumus quod Josue dixit Rubenitis & Gaditis & dimidiæ tribui Manasse. *Dominus Deus vester dedit nobis requiem & omnem terram, vos transite mare ante fratres vestros, & pugnate pro eis, donec det Dominus requiem fratribus vestris, sicut & vobis dedit, possideantq; terram, quam Dominus Deus daturus est eis.* Hoc autem Sancti sine dubio præstant, nos orationibus suis adjuvantes. Unde Hieronymus contra Vigilantium Hæreticum scribit. *Si Sancti adhuc in corpore constituti possunt orare pro aliis, quando pro se adhuc debent esse solliciti, quanto magis post victorias coronas & triumphos.* Unus Moyses sua oratione, restitit iræ Dei, eumq; quasi coegit ut toti populo parceret. Exod. 32. Samuel totum Israelem orando à Philisthęis protexit. 1. Reg. 7. Loth urbem Segor ab incendio. Job amicis suis veniam à Deo impetravit. cap. 42. Daniel orans obtinuit Judæorum liberationem à Babylone c. 9. Ezechias protexit Jerusalem contra Assyrios 4. Reg. 19 Stephanus orans pro persecutoribus Paulum lucratus est ut dicit Augustinus. *Paulo naviganti unaque cum sociis naufragium patienti, ad instantiam suam quam fecerat coram Deo, donata fuerunt c. 76. animæ ne perirent in aquis.* Actorum 27. si ergo horum orationes dum viverent tantæ virtutis erant apud Deum, quanto magis post mortem? Cum enim ad amicitiam pertineat amicum exaudire, sine dubio Sancti qui in cælis sunt exaudiuntur à Deo juxta illud Ps. 144. *Voluntatem timentium se faciet & deprecationem eorum exaudiet.*

Max. Tarentinus.

Iosue 1. vers. 13.

Exodi 32. vers. 14. 1. Reg. 7. vers. 10. Iob. 42. vers. 10. Dan. 9. vers. 16. 4. Reg. 19. vers. 10. Actor. 27. Psal. 144. vers. 19.

II. Quan-

II. Quanta vero sit amicitia inter Deum & Sanctos suos qui jam in cælo habitant, facile intelligeres ex hac similitudine. Nempe si considerabitis quod charitas viæ sive illa quę est in mundo, charitati Patriæ comparata sic se invicem habeant, sicuti est charitas quæ est inter pueros, & charitas quæ est inter viros: unde S. Paulus ad Ephesios 4. Omnia quæ hic in via sunt vocat puerilia & imperfecta, illa vero quæ sunt in Patria vocat virilia & perfecta. *Donec* [inquit] *Occuramus omnes in virũ perfectum ut jam non simus parvuli*: sicut enim amor pueri parvus est & inconstans, sic amor viæ durare diu non potest, & in multis rebus deficit, Si ergo Deus tanti æstimavit Sanctorum amicitiam, dum adhuc in via amassent ipsum amore puerili, quanti jam nunc ęstimat quæ magis perfectior est in æterna patria?

Ad Ephes. 4. vers. 3.

III. Ex hoc sequitur maxime nobis interesse, si Sanctos amicos nostros habeamus. Unde Job. cap. 5. *Voca, si est qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum cõvertere*: per sanctos enim non solũ innumera beneficia tam temporalia quam spiritualia obtinemus, sed etiam primam gratiam, qualem Paulus per orationem S. Stephani acquisivit dum ex ęvissimo persecutore factus fuit Vas electionis. S. Augustinus plurimi faciebat orationes sanctorũ, sic enim suarum meditationem cap. 23. orabat dicens: *Obsecro vos per Patris charitatẽ qui, securi estis de vobis, solliciti estote de nobis.* Propheta Elizæus quãdo Eliam in cælũ ascendentem vidit, in has voces prorupit. *Pater mi. Pater mi, currus Israel & auriga ejus*: ubi altera littera habet. Currus & eques Israel: in quo significavit S. Propheta, orationem sancti viri ad defensionẽ Israel, magis potentẽ esse, magisq; valere, quã equitem aut ducem fortissimis armis munitũ

Iob. 5. vers. 1.

S. August.

IV. Prisci & antiqui illi Ethnici, Philosophis & Sapientibus suis magnam fidem adhibebant, omnibus quæ dicerent & docerent credentes: Existimabant enim, quod cum Deus sit summa Sapientia, non posse de arcanis suis quemquam melius loqui, quam Philosophos qui sint versati in contemplatione rerum divinarum. Quam ob causam, uti Theodorus libro Sexto scribit, Galatæ nunquam Deo sacrificabant, quin prius aliquis Philosophus adesset, nec ab ipso Deo postulabant, nisi per Philosophorum intercessionem, putantes & pro certo habentes, illos quia cum Deo magis familiariter utebantur & majorem cum eo communicationem haberent, posse cum illo melius negotiari. Si ergo gentiles hoc faciebant, multo majori nos ratione Sãctorum qui Deo proximi sunt, preces invocare debemus, siquidem vere sunt amici Dei. Nec vero huic veritati quidpiam obstat, quod Christus solus dicatur hominum advocatus & mediator, *Vnus mediator Dei & hominum est Iesus Christus.* 1. ad Timoth. 2. Ipse enim se solo talis est. sancti vero per Christum tales sunt, nempe ut in virtute meritorum passionis suæ totum id obtineant quidquid petierint. Pulchrum hujus sententiæ produco argumentum ex Apocalypsi cap. 8. ubi legitur sanctum Joannem vidisse Angelum: ait sacer textus. *Et stetit juxta altare aureum & data sunt ei incensa multa, ut adoleret de Orationibus Sanctorum super altare aureum, quod est ante thronum Dei.* Hic Angelus secundum interpretationem S. Thomæ est Christus Redemptor noster, altare vero aureum est, sacratissima crux quæ dicitur altare aureum, quoniam, etiam si ex ligno fuerit confecta, plus tamen habuit auri amoris quam ligni, plus enim hunc divinũ Angelum suus amor quam crucis materia crucifixit, & sic in manibus hujus cælestis Redemptoris fuerunt positæ omnes, quæ in mundo factæ & faciendæ erant orationes, quas ipse ibi suo æterno Patri obtulit, & ita ibi omnes receperunt efficaciam, quam habituræ erant Et quanto justiores sunt ipsi orantes, tanto orationes eorum magis de sacratissimo illo sanguine participant. Cum ergo nullum sit dubium de Sanctitate Beatorum qui in cælis sunt, quia nihil coinquinatum intrabit in regnum cęlorum, ex hoc sequitur non obstante officio Christi Jesu tanquam advocati & mediatoris nostri sanctorũ orationes quas offerũt in altari suorũ meritorũ summi esse valoris.

1. Timoth. vers. 5.

Apoc. 8. vers. 3.

Theodorus.

V. Sanctus Job Patriarcha idem per fidem intellexit: ita enim dixit c. 9. *Cum invocantem me exaudiverit, nõ credo quod audiverit vocem meam.* Hoc est, quando à Deo aliquod beneficium postulo & illud mihi concedit, credo tunc illum non propter orationem meam duntaxat votis meis annuere, sed quia hæc mea oratio cum virtute meritorũ Christi Jesu filii ejus consociata est. Unde infertur cum quanta fiducia ad Deum per Orationes possumus accedere. Siquidem tinctæ sanguine Christi, eique à Sanctis sibi charis & amicis suis præsentatæ maximi sint momenti, quam

Iob. 9. v. 16

Quam ob rem securi manentes de charitate Sanctorum, quâ Deus ipsos amat & exaudire paratus est, securi quoque de amore eorundem quo nos prosequuntur, hodie omnium solemnitatum memoriam recolentes eorundem orationes imploremur. Ut pro nostra omniumque salute intercedant apud Dominum Jesum Christum, cui cohabitant in secula seculorum, Amen.

IN FESTO OMNIVM Sanctorum,

CONCIO II

Gaudete & exultate: ecce enim merces vestra copiosa est in cælis.
Matth. 5. Vers. 12.

Plutarchus

REfert Plutarchus in Viris Illustrius, nec non S. Hieronymus scribens ad Heliodorum de morte Nepotiani. Quod Xerxes Rex Persarum pugnaturus contra Græcorum Imperium magnum exercitum per maria & per terras in regiones eorum eduxisset lustrandi eundem actus desiderio, subiit in excelsum quondam montem ex quo numerosissimam illam classem in mari, & castra per campos diffusa videre posset. Cumque totum exercitum conspexisset, illachrymasse fertur, & dum Artabanus affinis & consultor suus causam fletus poposceret, respondit, *quia ex tanto numero hominum post centum annos nemo superstes futurus sit.* At ego Auditores mei contrarium invenio, ex hoc enim monte quem Rex noster Christus ascenderat, majorem exercitum aspicimus, at nullas lachrymas quin magnam lætitiam deprehendimus in verbis Christi dicentis. Gaudete & exultate. Facta ergo comparatione exercitus Persarum cum Sanctorum cœlestium exercitu in quo conveniant & in quo differant declarabo.

I. Ille exercitus Xerxis Persarum Monarchæ quem ad Abydum ex uno monte conspiciens defleverat, ingens fuisse dicitur, & collectus ex diversis nationibus, in quo feruntur fuisse decem centena millia tantum ipsorum militum, exceptis aurigis, servis & pueris, ita ut aquam potantibus fluvii aliqui defecerint. De cælesti exercitu S. Joannes in Apocalypsi capite 7. ait. *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus & populus & nationibus.* Exercitus ergo cælestis superat terrestrem in numero; sed quis dux hujus exercitus? plane Christus Dominus de quo Micheas Propheta cap. 5. *Ex te Bethleem exiet Dux qui regat populum meum Israel.* Item Isaias cap. 55. *Ecce testem populi dedi eum, Ducem ac Præceptorem gentibus,* Filii Israël eo fine sibi constituerunt Regem uti habemus primo Regum cap. 8. ut egrederetur ante eos & pugnaret bella eorum. Verè Dux & Rex optimus Christus Jesus qui primus in bellum egreditur, omnia enim illa quæ nos facere præcipit, prius ille facit.

Apocal. 7. vers. 9.

Mich. 5. vers. 2.

Isaiæ 55. vers. 4.

1. Reg. 8. vers. 20.

II. In omni exercitu diversi & omnis generis milites esse solēt, nempè aliqui equites, & alii pedites, in cœlesti exercitu, eundem modū invenio & sanè per equitatum, statū illorum intelligo, qui carnales cōcupiscentias tanquā equū & mulum per gratiam divinam spiritui substravere juxta illud quod ait Isaias capite 31. *Equi eorum caro.* Si in cuneo virginum collocati, nobilissimi dicuntur equites, qui enim à carne, potentissimo inimico nunquam fuerunt victi, vires præclarissimas ostenderunt. Horum militum Dux Maria de qua scriptum est. *Adducentur Regi Virgines post eam.* Quin illa Dux est, quæ prima virginitatis studium voto firmavit in mundo. Nec mirum, quod illa ducem agat in bello, hoc enim bellum omnium est, nec ab eo mulieres immunes. Ideo illius typum gessit fortis illa heroina Judith, & Debora quarum una ducem agebat

Isaiæ 31. vers. 3.

Psal. 44. vers. 15.

Judit. 4.

agebat Bethuliæ, quam defendit, altera Israelis, quam ab inimicis liberavit. Dux ista nempe Sanctissima Virgo Maria, terribilis est Dæmoni, ut castrorum acies ordinata. Ejus vexillum album est, & in eo signa, lilia sunt. Fælices qui sub tali vexillo & Duce decertarunt.

Cant. 6. vers. 9.

III. Pedestres milites illos censeo qui viventes in carne, non secundum carnem ambularunt & suum iter Martium non declinaverunt, neque ad dexteram neq; ad sinistram sed corde & spiritu & equitatui Angelico, nec non virgineo adhærentes, sua varietate mamum robur, atque decorem castris cælestibus attulerunt. Et primo quidem in ordine fuerunt Sancti Patriarchæ, viri magni in fide, & in operibus misericordiæ, qui etiam Angelos sicut Abraam & Jacob cæterique videre & suspicere meruerunt ad sua quartiria. Secundò Prophetæ, quibus Deus tanquam intimis & bellicis Consiliariis, sua mysteria revelabat, statim sequitur Apostolorum chorus qui sunt *Principes super omnem terram.* Succedit his Martyrum legio, in qua strenui numerantur milites, leonibus fortiores, ut qui non igni, non gladio, non variis tormentorum generibus, sed potius illis tormenta cesserunt. Hos consequitur præclara turma Confessorum per diversos Ordines distinctorum è quibus alii Pontifices, alii Doctores Ecclesiæ, alii religiosi & Deo consecrati, quidam continentes, quidam conjugati: qui Deo placuere, quia contra hostes suos Ecclesiæ, armis fidei, patientiæ, charitatis, aliarumque virtutum dum viverent, decertare & vitam sanguinemque pro illus incolumitate effundere non dubitarunt.

Psal. 44. vers. 17.

IV. Ecce universum exercitum Sanctorum conflatum ex omni gente, nihil profecto desideratur, nisi ut jam viam agant versus Jerusalem. Exercitus multus est, omnes una via incedere nequeunt. Quidam viam amplam mandatorum tenent uxorari scilicet. quidam verò semitas consiliorum, ut religiosi. Ecce jam prope civitatem sunt, oportet eam expugnare, muros ejus perforare tormentis, ut possint ingredi civitatem, tormenta ergo adhibeantur, atque murus dejiciatur, bellicæ machinæ applicentur. Hæ vero quid aliud sunt quam orationes. Quod enim hæ penetrent muros, audi. *Oratio humiliantis se; penetrat nubes*, nostra suspiria, lachrymæ, & æternorum desideria, arma sunt, quibus pro cælesti civitate depugnamus, forte nonnullis mollibus iste labor magnus videtur? Ergo faciliorem modum, accipe humilitatē amplectere qua muros suffodias, hac sola januam facias, quâ tibi illuc intrare liceat. Hisce armis cælestes illi milites ad Sanctam illam civitatem pervenerunt, nos autem pugnam hanc nondum absolvimus, adhuc nobis bellum est, quid igitur faciemus? stratagemata nobis præostensa æmulemur; si verò neque ea sufficere videantur addam & aliud quod est in usu bellatorum. Commune est in exercitu habere scalas, ut si urbem aliquam expugnare velint, eas ad murum admovere possint. *Regnum cælorum vim patitur.* Qui illud vult obtinere, scalas admovere debet per quas ad muros civitatis illius Jerusalem ascendat, sed ubi scalæ? Cum non nisi de una textus sacer antiqui testamenti mentionem faciat, nimirum Sancti Jacob Patriarchæ, quam proficiscens & ad occubitum solis requiescens in somnis vidit? Meliorem ego vobis, nempe non figuralem sed veram ostendam scalam, octo distinctam gradibus, nempe spiritualem scalam in hodierno Evangelio à Christo demonstratam, in qua octo beatitudines tanquam gradus, ad ascendendum præparati exhibentur.

Eccl. 15. vers. 20.

Matth. 11. vers. 12.

Gen. 28. vers. 12.

V. Vultis ascendere primum? tunc fiet, si fueritis pauperes spiritu: talium est enim regnum cælorum. Forte dicetis! quidnam ad hanc ineundam pugnam paupertas prodest; multum omnino: qui enim pugnare voluerit omne impedimentorum abjicit. Sic Divus Paulus: *Omnis qui in agone contendit ab omnibus se abstinet.* Sic Petrus reliquit retia. Cum enim ad cælum agenda via est, terram relinquere necessum est. Alter gradus hujus scalæ est mansuetudo. *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram.* Decet militem mansuetudo, quoniam innumera sunt in bello incommoda, quæ sine patientia & mansuetudine nequeunt tolerari: jam enim à fratribus, jam à te ipso, jam à DEO multa tibi venient incommoda, quæ nisi mansuetè toleres,

2. ad Corinth. 1. vers. 11.

Matth. 4. vers. 4.

leres, aptus non es ad hoc bellum æquo animo subeundum: sic Moyses qui erat Dux exercitus Israelis erat mansuetus multum & patiens: nam de eo habemus Numer. 12. *Erat mitissimus super omnes homines qui erant in terra.* Ejusdem virtutis exemplar dedit Christus dicens. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Tertium ascendens gradum, si consolationes hujus mundi contempseris, & luctum talem quæras ut à Deo consoleris. Non minus elegans ejusdem scalæ gradus est esurire & sitire justitiam, talis enim non per Angelum, aut corvum, sicuti quondam Elias, sed ab ipso DEO saturabitur. Excellens & ille est, esse misericordem, cum talis ab eodem DEO & misericordiarum Patre, misericordiam se consecuturum sperare debeat. Et si quis in gradu munditiei cordis sui pedem fixerit, hic videbit Deum. Qui pacificus fuerit, hic in tali gradu inventus ad afiliationem Dei assumetur, & in summa, qui persecutionem patitur, propter justitiam, hic ultimum ascendit gradum, per quem intrare possit ad regnum cœlorum. O igitur exoptanda mansuetudo, exoptanda paupertas spiritus, exoptandi gemitus & lachrymæ, exoptanda esuries sitisque justitiæ, exoptanda misericordia, exoptanda cordis mundities, exoptandum pacis desiderium, exoptandæ persecutiones mundanæ; qui inquam gradus tam pulchram tam decoratam scalam efficiunt, per quam pervenire possimus ad gratiam Christi Jesu & ascendere ad altissimos muros civitatis Sanctæ Jerusalem, in qua regnat Deus Rex cœlorũ cum Sanctis suis in æternum,

Num. 12. *v.* 3.

Matth. 11. *v.* 29.

1. *Reg.* 17. *&* 19. *v.* 6.

AMEN.

IN FESTO OMNIUM Sanctorum,

CONCIO III.

Beati qui habitant in domo tua Domine. Psalm. 83 v. 5.

Didymus.

CUm Alexander Magnus, ut refert Didymus, post plurimas victorias partas iter faceret in urbem Thessaliam, & antequam ad ipsam perveniisset, ad fontẽ quendam pulcherrimum otii causa consedisset, prospiciens ad latus fontis, vidit statuam æneam, in qua erat vivũ exemplar inclyti & insignis Poëtæ Orphei, atque plurimas ejusdem laudes quas ab Aristotele Magistro suo de se ipso audiverat, in memoriã suam revocans, eandem statuam majori cum diligentia intuebatur, cum subitò rem prodigiosam videt, nempe ipsam statuam, per totum sudore coopertam. Miratur summopere Alexander, atque tanti prodigii causam scire cupiens, convocat Magos & Astrologos, qui sibi hujus rei mysterium dicerent. Tandem omnes responderunt. *Princeps felicissime Alexander, bono esto animo: nam hi sudores id prognosticantur, quod multi Oratores eloquentissimi, atque scriptores doctissimi, in enarrandis tuis victoris, triumphis, factisque præclarissimis multum sudare debebant.* Quo hac historia collimem Auditores, benè conjicere potestis: hodie solemnitas celebratur, non unius Sancti sed omnium: si ergo unus Alexander tanti sudoris statuæ illi causa fuit, quanti mihi non unus, sed tot illi cœlestes Alexandri, victores & triumphatores, causam dabunt? Quam obrem ego laudum suarum narrandarum me imparem sentiens, ut talem sudorem effugiam, prætermissis Sanctorum factis illustribus, saltem ex ipsa domo quam inhabitant, encomium ipsorum instituam.

I. Non est dubium, quin David Rex habuerit insignem domum & pulchrum palatium, quod ex eo patet. Legimus enim 2. Regum capite 7. quia dum cogitaret ædificare domum Domini, dixerit ad Nathan Prophetam: *Vides ne quod ego habitem in domo cedrina?* è quibus verbis apparet Regem David elegantissimam domum habuisse: nihilominus non contentus hac sua domo, appetiit alteram dicens: *Beati qui habitant in domo tua Domine:* Sane non aliter fecit, quàm Regina illa Saba, quæ cum videret magnificam gloriam Salomonis, & domum quam ædificavit, & domos servorum ejus, in hæc verba prorupit: *Beati servi tui qui stant coram te & audiunt sapientiam tuam:* ad eum plane modum dixit David: *Beati qui habitant in domo tua Domine.* Non miror tantam Majestatem & pulchritudinem hujus domus, sed neque tantam ejusdem amplitudinem, ob cujus situm spatiosissimum Sanctus Joannes in Apocalypsi civitatem & quidem pretiosissimam, nempe exauro, lapidibus pretiosis & margaritis factam appellavit quia istius domus Architectus est ipse Deus à quo est ædificata. Sic enim testatur Spiritus Sanctus. Sapientiæ 9. cap. *Sapientia ædificavit sibi domum, & excidit columnas septem.* Nullus sane ædificare potuit domum melius cœlestem, quem sapientia æterna, nempe ipse Deus uti testatur Ecclesiasticus 24. *Ego sapientia in altissimis habito.* Nam si Moyses ædificaturus tabernaculum Domino, accepit ad id duos artifices optimos & electos à Domino nempe Bezeleem & Oliabum. Si Salomon ædificaturus templum Domino, quæsivit optimos artifices, tam in populo Israëlis quam in Regno Tyri & Sidonis; multò magis domus cœlestis indigebat sapientissimo artifice, nempè ipso Deo.

2. Reg. 7. v. 2.

Psal. 83. v. 5.

Sapient. 9. v. 6.

Ecclesiastici 24. v. 7.

II. Jam vultis scire qualiter ædificaverit domum istam? Dicit Spiritus sanctus, quod pulcherrimè ædificaverit domum istam, nam in illa domo excidit columnas septem, non pro fulciendo tantum illius ædificio, sed etiam pro ipsomet ejusdem ornatu. Prima columna est Christus Jesus una cum Beatissima Matre sua Maria. Dico columnam Christum Dominum, quia sicuti columna portat & sustinet totum pondus ædificii, ita & Christus juxta testimonium Divi Pauli. *Omnia portat verbo virtutis suæ.* Eandem Columnam appello Beatissimam Virginem Mariam Matrem suam, illa enim est, quæ sustentat gratia & misericordia sua peccatorem ne cadat. Unde dicitur Mater gratiæ, Mater misericordiæ: & sicuti in civitate Gaza, duæ columnæ erant, quibus innitebatur tota domus Philisthinorum, sic in civitate cœlesti, duæ principales columnæ sunt, nempè Christus Dominus cum sanctissima matre sua quibus tota illa Sanctorum domus innititur. Cujus figura extat 2. Paralip. cap. 3. Ubi scribitur de domo Dei à Rege Salomone ædificatâ. Quod antè fores templi duas columnas fecerit. Per quas columnas ego intelligo Christum Dominum cum matre sua sanctissima. Quia per ipsius merita & per interessionem matris suæ ad fores cœlestis illius templi facilem accessum habemus. Aliæ sex columnæ sunt omnes cives & domestici Dei, nempe Spiritus cœlestes atque Ordines Angelorum, quos sequuntur Patriarchæ & Prophetæ. Illos Apostoli & Evangelistæ, postea Martyres, post ipsos confessores ac tandem Virgines aliæque sanctæ ex devoto sexu fœmineo.

Ad Heb. 1. v. 3.

III. Jam vultis scire qualiter istæ columnæ excisæ fuerint, ut in hac domo Dei commodè collocari possent? Habetis documentum hujus quæstionis in hodierno Evangelio, Imprimis columna prima nempè Christus cum sanctissima Matre sua, excisa erat multis ictibus, & primo quidem ictu paupertatis, quia Christus conquerebatur taliter: *Vulpes foveas habent; filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* De paupertate autem Beatissimæ Virginis Mariæ nobis constat ex Evangelio S. Lucæ, ubi se ancillam Domini fatebatur. De hac ergo columna possumus intelligere primam beatitudinem. *Beati pauperes spiritu.* Et merito: Sicuti enim columna duxit Israëlitas in terram promissionis; ita & voluntaria paupertas per Christum ducit in regnum cœlorum quo omnis paupertatis & miseriæ finis erit.

Matth. 8. v. 20.

IV. Secundæ columnæ hujus cœlestis domus, quadrat secunda beatitudo, nempe *Beati mites.* Tales enim erant omnes Angeli Sancti, qui non adhæserunt in lite cum Apostatis, qui prælium excitaverunt adversus Deum

Deum, sed permanserunt mites absque lite, ideo adepti sunt mercedem suam quæ illis præscribitur. Tertiæ columnæ sanctorum Patriarcharum & Prophetarum deservit seu convenit tertia beatitudo: *Beati qui lugent.* Illi enim sunt, qui tot annorũ serie lugebant, tot suspiriis tot lachrimis præstolantes advẽtum Salvatoris, ejusq; desiderũ tam infiguris variis quã in Prophetiis exprimentes, & ideo eorum merces est consolatio. Quartę columnæ sanctorum Apostolorum & Evangelistarum convenit quarta beatitudo, nempe *qui esuriunt & sitiunt justitiam*, illi enim ob salutem credentium arq; propagationem fidei Christianæ, dispersi per universũ orbem terrarum Evangelium Jesu Christi alacriter prædicaverunt, attestante Prophetia s. David: *In omnem terram exivit sonus eorum & in fines orbis terræ verba eorum.* Quorum merces saturitas. Quintæ columnæ sanctorum Martyrum convenit quinta beatitudo. *Beati mundi corde.* Illi enim juxta testimonium Apocalyps. *Laverunt stolas suas & candidas eas fecerunt in sanguine Agni.* Hi pro mercede visionem Dei acceperunt testante s. stephano; qui dum pro Christo lapidaretur, vidit cœlos apertos, & Jesum stantem à dextris viventis Dei. Sextæ columnæ sanctorum Confessorum convenit sexta beatitudo. *Beati misericordes.* Isti enim opera misericordiæ facientes, acceperunt mercedem suam, nempẽ misericordiam, per quam assecuti sunt æternam gloriam. septimæ columnæ sanctarum Virginum, nec non devoto fœminarum cœtui, convenit ultima beatitudo; nempe: *Beati pacifici.* Illæ enim sunt quæ se dedicarunt Deo, pacem habentes cum carne & mundo quarum merces est regnum cœlorũ. Ex qua beatitudine observandũ est quod fœminæ debeant esse pacificæ, non rixosæ & iracundæ, sed non solis fœminis, quin omnibus hominibus id convenire debet, nam in cœlum inimici pacis, & concordiæ non intrabunt, ubi est maxima quies qua illi qui sibi ex hisce nominatis gradibus præclaram ac pulcherrimam scalam præpararunt, omni ævo cum Christo Agno imaculato fruuntur.

V. Hic igitur redeo ad propositum meum & dico: *sapientia ædificavit sibi domum & excidit columnas septem.* Ea inquam domus cum ita pretiosa, ita decora sit, jam nemo erit qui non cum Propheta clamabit: *Beati qui habitant in domo tua Domine.* Hæc enim domus illa est quæ dum semel Jacob Patriarchæ ostensa fuisset, ubi vidit cœlum apertum & per scalam descendentes Angelos & ascendens exclamavit: *Non est hic aliud nisi domus Dei & porta cœli.* Nobis autem peregrinis licet hinc sumere magnam consolationem. Quia teste s. Paulo ad Corinth. 2. cap. *scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam*; sed æternam in cœlis ad quam per intercessionem sanctissimæ Virginis Mariæ, nec non sanctorum omnium nos perducere dignetur Jesus Christus, qui regnat æternùm. 2. Cor. 5. v. 1.

AMEN.

IN FESTO OMNIUM Sanctorum,

CONCIO IV.

In octo gradibus ascensus ejus.
Ezech. c. 40. v. 34.

LIcet in augustissimo illo Salomonis Regis Palatio, præter alia thronus ille aureus & eburneus summæ admirationis fuerit, dicente sacro textu. *Non est factum tale opus in universis regnis* mihi tamen solus numerus graduum, per quos ad augustissimum illud sedile ascensus erat summam admirationem parit, nempe quod ille thronus sex gradus habuerit, cum alibi plures inveniam: legimus enim Ezechielis cap. 40. in structura illius templi quod sibi in visione ostensum erat, atrium interius septem gradus habuisse, exterius verò octo. *In octo gradibus ascensus eius.* Quam magna hic graduum differentia! Thronus enim Salomonis sex gradibus constabat, atrium templi interius, septem; exterius verò octo: Hujus differentiæ, vultis nosse mysterium? Magnum certè & singulare reperietis. Jam scitis ex sacro textu per sex dies laborem denotari, per septem cessationem ab illo, sive requiem: *Septimo enim die requievit Dominus ab omni opere suo quod patrarat*; Per octo verò dies designari octo illos virtutum gradus, per quos ad requiem cœlestem pervenitur, ut testatur Sanctus Ambrosius dicens. *Sicut spei nostræ octava perfectio est, ita octava summa virtutum est.* In throno ergo Salomonis sex gradus, quia mundanis hominibus, non datur sine labore, ascensus ad honorem. In atrio templi interiori, septem gradus, quia in atrio cœlestis Jerusalem vera requies invenitur. Et tandem in atrio exteriori, octo gradus: quia ad alteram illam cœlestis atrii requiem per illos octo oportet ascendere. *In octo gradibus ascensus ejus.* Sed quinam illi? Ea in re hodiernum Evangelium, nos optimè informabit.

3. Reg. 10. v. 20.

Ezech. 40. v. 34.

Gen. 2. v. 2.

S. Amb. lib. 5. in 6. cap. Luca.

I. Antequam ad sacrum Evangelium accedamus, quod nobis ad æternam beatitudinem, ascensum demonstrat per octo gradus, notandum est, tam in interiori templi illius atrio, quam etiam exteriori, ideo poni gradus, quia ea templi structura nō erat in loco humili seu in plano, sed in alto monte, unde propter ascensum, gradibus indigebat, sicuti testatur Lyranus dicens: *Erant ædificia ista in pendulo montis, & ideo de loco inferiori, ad superiorem describitur ascensus per gradus.* Ita Prophetæ visio, quidnam aliud fuit, nisi figura cœlestis illius beatitudinis? quæ cum in alto sita sit, nempe in ipso monte sancto, juxta illud *Fundamenta eius in montibus sanctis*: hinc est quod sine gradibus ascensus ad illam non pateat. Sed jam hosce gradus indagemus; non melius quæri & inveniri possunt quam in alto. Hinc est quod CHRISTUS Dominus, volens discipulis suis viam ostendere, quæ ducit ad cœlum (uti ait Sanctus Matthæus) *Ascendit in montem*: in quo octo gradus ad cœlestem beatitudinem demonstravit, primum paupertatis voluntariæ, dicens. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum*

Lyr. in 40. Ezech.

Psal. 86. v. 1.

Matth. 5. v. 1.

Pſorum eſt regnum calorum. Secundum Manſuetudinis; dicens: *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Tertium Luctus; dicens: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Quartum Juſtitiæ; dicens. *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Quintum Miſericordiæ; dicens: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentnr.* Sextum Caſtitatis; dicens. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Septimum Pacis; dicens: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Octavum Patientiæ; dicens: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum calorum.* Hi ſunt octo gradus exterioris veſtibuli, qui ducunt ad interius cæleſtis regni, & æterni gaudii. *In octo gradibus aſcenſus ejus.* Noverat hoſce gradus Regius Propheta David, ſic enim quondam diſcurrebat dicens. *Quis aſcendet in montem Domini aut quis ſtabit in loco ſancto. ejus?* & deinde ſibimet reſpondet dicens. Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo. Alio in loco, ſimile quid habet, ubi ait: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?* & reſpondet per totum Pſalmum in hæc verba. *Qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam,* in quo loco, octo beatitudines ponit, quæ ſi non explicitè, implicitè tamen enumerari poſſunt.

Pſal. 23. verſ. 3.

Pſal. 14. verſ. 3.

II. Unde neque Sacra Eccleſia ſine ratione fecit, quæ in hac omnium Sanctorum ſolemnitate, tale nobis proponit Evangelium, in quo octo hæ beatitudines tanquam gradus quidam ad cæleſtem patriam recenſentur; nullus enim Sanctorum eſt, qui hos gradus non calcaverit, antequam ad cælum perveniret. Placet ut id aliquo exemplo probem? Pro primo & principali, ſtatuo Chriſtum Jeſum. Sicuti enim Athenienſes volentes ſuos filios, exempla majorum ſuorum imitari. Ut eos eò amplius ad virtutes & facinora illorum ſectanda invitarent, producebant eorum imagines, oculiſque objiciebant intuentinm; ſic & ego inter plurima Patriarcharum, Prophetarum, Martyrum, cæterorumque Sanctorum Dei ſimulachra, elegantius exemplar ipſo Chriſto Jeſu invenire non potuero; cum ipſe ſit juxta ſententiam Sancti pauli *primogenitus in multis fratribus.* Hic in primo gradu beatitudinis, quam fortiter pedem ſuum fixerit: quis enarrare queat? de quo Sanctus Paulus: *Propter vos egenus factus eſt, cum eſſet dives, ut illius inopia vos divites eſſetis.* Sed quid opus eſt alterius teſtimonio, cum illemet de ſe ipſo dicat: *Filius hominis non habet ubi caput reclinet.* An ſecundum manſuetudinis gradum calcaverit, id probare ſuperfluum eſt quod ad imitandum nobis proponitur. *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde,* Lugentis Chriſti lachrymas, quis tandem numerare poſſit? Cum S. Paulus dicat, ipſum preces pro ſalute noſtra, ad Deum Patrem cum clamore valido, & lachrymis obtuliſſe. In quarto gradu nempe Juſtitiæ non eſt cur immoret, cum autor inſignis Cromatius Sermone 1. pro virtute juſtitiæ, ipſummet Jeſum in concreto ſumat, qui ſolus eſuriem, ſitimque noſtram extinguere ſeu adimplere queat, dat teſtimonium juſtitiæ zeloq; ſuo, illud flagellum, quo ejecit vendentes & ementes in templo dat miſericordiæ mulier illa adultera, quam in templo accuſatam, tam à culpa quam etiam á pœna liberavit: dat teſtimonium caſtitati, publica illa proteſtatio coram Phariſæis facta. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Dat ſimiliter pacificæ vitæ ſuæ teſtimonium altera ejuſdem proteſtatio, dum diceret Joan. 16. *Hæc locutus ſum vobis ut in me pacem habeatis.* Et tandem ultimo gradui illa S. Lucę verba dant teſtimonium. *Oportebat Chriſtum pati, & ſic intrare in gloriam ſuam.*

Ad Rom. 8. verſ. 29.

Ad Cor. 2. 8. verſ. 9.

Luc. 9. verſ. 58.

Matth. 11. verſ. 29.

Ad. Hebr. 5. verſ. 7.

Cromatius S. 1.

Marci 11. verſ. 15.

Luca 19. verſ. 45.

Ioan. 8. verſ. 46.

Ioan. 16. verſ. 6.

Luca 24. verſ. 46.

III. Tempus me deficeret, ſi Sanctorum imagines ſeu exempla vobis proponere vellem, quos S. Paulus ad Hebr. 12. appellat nubem teſtium. Abraam *Dives erat, in poſſeſſione auri & argenti.* Sed qui ad unam vocem Dei, cognationem, terramq; ſuam deſeruit; nonne ſpiritu pauper erat? Rex David qui cum Leonibus decertabat, qui Goliath detruncavit, cur Sauli inimico ſuo pepercerat, cum occidere potuiſſet? in verbis dicentis apparet & ratio, ubi ait: *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus.* Sanctus Moyſes cum fuiſſet Dux Iſraelis, cur ab illo tot injurias tolerabat? reſpondet ſacer textus. *Erat Moyſes vir mitiſſimus.* Fortè luctus ille Jacob Patriarchæ erit culpabilis, de quo ſacer

Ad Hebr. 12 verſ. 1.

Gen. 13. verſ. 2.

Pſal. 131. verſ. 1.

Num. c. 12. verſ. 3.

Plutarchus.

Gen. c. 37. verſ. 34. textus ait. *Indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore.* Sed reſpondet Hugo Cardinalis, illum luctum fuiſſe laudabilem, quem agebat in figura Eccleſiæ mortem Chriſti deplorantis. Juſtitia David non minus erat laudabilis, nam ſacra Hiſtoria 2. Reg. cap. 8. hunc in modum ipſum prædicat. *Faciebat David judicium, & juſtitiam omni populo ſuo.* Et tandem ut reliquos gradus abſolvamus, quintus nempè miſericordiæ Sanctum Job Patriarcham miro ſplendore ornat ac decorat ſi enim non ſolum in matura ætate exercebat opera miſericordiā, undè vocarat ſe ipſum patrem pauperum, ſed etiam qualis primitus fuerit verba ejuſdem teſtantur, dum ait. *Ab infantia mea venit mecum miſeratio.* Tres ultimos gradus cuinam magis quam S. Joſeph Patriarchæ præſentabo? Eluxit in illo tanquam in ſpeculo caſtitas, cum à Domina ſua tentaretur; fuit pacificus, nullam enim vindictam accepit de fratribus: quin imò, ut etiam ultimum gradum conſummaret, injurias ab illis ſibi illatas patienter tulit.

2. Reg. c. 8. verſ. 15.

Iob. 31. verſ. 18.

Gen. c. 39. verſ. 8. 9.

I. Dicetis fortè: me quidem hic diverſos gtadus beatitudinis per diverſa exempla; ſed non in uno alicujus Sancti oſtendiſſe, qui hos omnes beatitudinis gradus peregiſſet: alium quippè pauperem, alium miſerem, alium caſtum, alium miſericordem demonſtravi, ſed horum neminem qui hos omnes virtutum gradus pertranſiſſet. Sed ea ſimilitudo facile reſponſum ſuppeditabit. Habet aliquis excelſos gradus, & ſuperius vult aſcendere; ſi in gradu primo ponit pedem, neceſſario debet ponere in ſecundo & conſequenter; alias à primo ad ultimum, propter diſtantiam, immediate pervenire non poterit. Idem ergo eſt & de hiſce gradibus ſacrarū inquam virtutum, ut qui aſcenderit primum paupertatis, pergat ulterius ad gradem manſuetudinis, lugeat peccata ſua, eſuriat & ſitiat juſtitiam. Zelus ejuſdem nimium temperet miſericordia, amet cordis munditiam, ſectetur pacem & fraternam charitatem, & tandem per patientiam conetur aſſequi coronam vitæ. Sicque eat de virtute in virtutem.

Pſalm. 83. verſ 12.

V. De noſtris ergo anteceſſoribus, utrum omnes virtutum gradus attigerint, vel utrum aliquem tranſcenderint, ne ſimus ſolliciti, quia *in nocte gradibus aſcenſus ejus.* Quin potius memores illius currus Ezechielis Prophetæ, cujus *unaquæq; rota erat in medio rotæ.* & juxta explicationem S. Ambroſii notantes hoc in rotis, quod quædam ſint primæ, quædam vero noviſſimæ, omnes tamen vertantur æqualiter: hinc inquam ſumamus nobis documentum, ut quemadmodum ſancti illi Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Virgines cæterique ſervi Dei anteceſſores noſtri, tanquam rotæ quædam antecedentes, curſum ſuum compleverunt, ad eundem modum & nos tanquam rotæ noviſſimæ, ſequamur in his octo virtutum gradibus eorundem veſtigia, ut adjuvante divinâ gratiâ, eorumque patrocinio, ad ſocietatem eorundem pervenire valeamus.

Ezech. 10. verſ 34. D. Ambroſ. lib. 3.

AMEN.

IN FESTO OMNIUM Sanctorum,

CONCIO V.

Gloria hæc est omnibus Sanctis ejus. Psal. 149. Vers. 9.

LEgimus scriptum 3. Regum cap. 10. nec non 2. Paralip. 6. Reginam Saba postquã venerat in aulam Regis Salomonis, viderat-que domum illius, nec non cibos mensæ suæ atque cubicula, vestesque splendidas servorum suorum multum obstupuisse. Universa gloria Salomonis, si comparetur omnipotentis Dei, summi cæli terræque Regis Majestati, sola umbra fuit; illius enim domus amplissima, excedit materiam auri purissimi, gemmarum pretiosarum lapidumque: constructa enim est non ex dolatis, sed vivis lapidibus, cibi mensæ illius superant mundi cupedias, quia nullo usquam fastidio vescentem illis afficiunt. Universi ministri sui palatia inhabitant auro gemmisq; radiantia, quia teste Sancto Gregorio Papa. *Exultant omnes in propriis mansionibus*, & tandem immortalitatis veste insigniti, despiciunt hujus mundi purpuras & vestimenta quæque pretiosa, nempè pretiosis lapidibus, lapidibus, auro, gemmisque radiantia, illorum enim vestimentum, cibusq; ipse Deus est, quo gloriosè perfruuntur. Unde si olim Regina Saba Regem Salomonem servosq; ejus mirabatur, nos multo magis mirari decet hac die hodiernâ, in qua summi Dei, suorumque Sanctorum omnium annuam memoriam celebramus: eorumque gloriam recolimus sempiternam dicentes. *Gloria hæc est omnibus Sanctis ejus.* Ea sanctorum gloria in quo nam consistat, hac in concione demonstrabo.

S. Gregor. Hom. 18. in Exech.

I. Ut magnitudinem ejus gloriæ qua Sanctorum cives in cælesti regno perfruuntur, aliquo modo assequamur, illud pro fundamento notare debemus, quod omnis dilectio cujuscunque rei fundetur in unione & aprehensione ejusdem, quantò verò illa res est pretiosior & pulchrior, tantò cum illa major unio causatur, & dilectio excellentior. At quidnam Dei visione pretiosius atque jucundius esse potest? Quando Moyses magnus ille Legislator & Dux Hebræorum petiit à Deo videre gloriam ejus dicens. *Ostende mihi gloriam tuam:* responsum ei fuit. *Ostendam tibi omne bonum.* Quid est hoc ô Deus! Moyses petit sibi ostendi tuam gloriam & tamen ostendis illi omne bonum? Unde est hæc tanta tua liberalitas, quod dum ille unicum donum petit, tu exhibes universa? Sed nihil est hic difficultatis, aut contrarietatis, siquidem divina gloria illa est, quæ comprehendit in se omne bonum, à quo omnis dependet felicitas. Ob id S. Petrus Apostolus, dum in monte illo transfigurationis Domini, unicum duntaxat radium gloriæ Christi viderat, confestim dixit. *Domine bonum est nos hic esse*, unde patet gloriam Dei tale bonum ac tam excellens donum esse, quod nusquam generat nauseam, sed semper acuit appetitum, quo cum satietate, simulque aviditate Sancti per fruuntur, cujus magnitudo nullis verbis enarrari potest. Bene exclamabat Sanctus ille Doctor Ecclesiæ S. Augustinus. *Quam magna & innumerabilia erunt ô Deus illa bona, quæ præparasti diligentibus te in illa cælesti Patria ubi te videmus à facie ad faciem.* Non minori cum eloquentia loquitur Sanctus Bernardus dicens. *Merces Sanctorum tam magna est quod non potest mensurari. tam copiosa quod non potest finiri. tam pretiosa quod non potest æstimari.* Tam magna est gloria in cælis qua gaudent beati ut Doctor Angelicus Doctor Thomas, asserat Deum non posse eam facere majorem. Quia obje-

Exodi 33. vers. 18.

Matth. 17. vers. 4.

S. Augustin. Colloq. c. 22.

objectum nostræ felicitatis & beatitudinis, est ipsemmet Deus infinitus, quo nihil melius, nihil delectabilius fingi aut excogitari potest. Quamobrem cum Sancti Dei tali visione divina perfruantur, quis non videat quantam hinc gloriam habeant & consequantur, quanto bono repleantur.

II. Sed jam rationes aliquas perpendamus, ex quibus ad extrinsecam saltem gloriæ Sanctorum notitiam pervenire valeamus. Quantum illa sit immensa bonitas divina, quam in glorificatione Sanctorum ostendere solet. Potuit Deus infinitos condere mundos, & sic se infinitis homini communicare modis, atqui non fecit, quin imò unicum tantumodo cælum condidit, in quo nos omnes ita adunaret ut tamen nullus beatorum aliqua loci angustia premeretur, sed maximam haberet capacitatem ejusdem, id enim locus ille nostri præmii habet, quod cum cælum sit, terrena omnia in immensum excedit adeo, ut terra punctum dicatur sphieræ. Hic ergo exclamare licet: O beatissima Patria! O civitas gloriosa! *Vere gloriosa dicta sunt de te civitas Dei.* In mundo quippe tot societates & congregationes instituuntur, sed nulla unquam fuit sine aliquo dissidio. Pauci erant hujus mundi in exordio, nempe Cain & Abel duo fratres, & tamen invicem dissidebant: in congregatione populi Israelitici, inventi erant Chore, Dathan, & Abiron qui dissidium in populo excitabant: in exercitu Regis David, erat quidam filius Bochri nomine Siba qui in populo tumultum fecerat dicens: *Non est nobis pars in David, neq; hæreditas in filio Isai, revertere in tabernacula tua vir Israel.* Eodem modo Jeroboam, tempore Regis Roboam filii Salomonis, maximum excitaverat dissidium in regno suo, qui à domo Juda, & tribu Benjamin decem tribus Israel separaverat. Sed in cælo in illo magni Regis Salomonis nulla rebellio, dissidium nullum, sed unum cor & una anima, ubi omnes sibi invicem sine ulla invidia bona cælestia communicant, & licet juxta ipsorum merita diversa etiam sit gloria in diversis, gaudent nihilominus unâ mensurâ charitatis,

Gen. 41. vers. 9.

Genes. 4. vers. 8.

Num. 16. vers. 2.

2. Reg. 20. vers. 1.

3. Reg. 12. vers. 21.

III. Non minus est pulchra ratio Sancti Augustini, probantis gloriæ Sanctorum magnitudinem. Quia Judex qui Sanctis suis æternam coronam contulit, & qui Electis suis præmium daturus est, ipse est qui sanguinem suum prætiosum sponte & vitam dedit, ut illud nobis acquireret. Quod maxima dona dare possit, manifestum est, quia est omnipotens, quod vero illa dare velit, neque hic est dubium, qui enim vitam pro ipso dedit in pretium, quid non dabit ipsi in præmium? Cum adeo fuerit munificus & liberalis in nostri liberatione, ut sit copiosa ejus redemptio, quantus obsecro, quam immensus & liberalis erit, in præmio nobis dando, quod diligentibus se præparavit? Dixerat quondam Pharao ad Joseph. *Pater tuus & fratres tui venerunt ad te, terra Ægypti in conspectu tuo est, in optimo loco fac eos habitare.* Quam ob rem Joseph tam Patri quàm fratribus suis, optimum locum assignavit, atque in possessionem dedit? Quod Joseph figuram Christi gesserit, id Salvatoris nomen ostendit. Quanto intervallo Jesus superet Josephum in suorum dilectione, manifestum est: in potestate etiam, quantum superet, patet ex eo loco Evangelii. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Ille itaque est cui dicit Parer cælestis. Hi fratres tui sunt, consonum est ut eos magnifacias: Dominus gloriæ es, da eis sedes prout libuerit. Sed quas sedes dabit? Sanè non infimas & humiles, sed excelsas & pretiosas, quoniam illas non auro vel argento, sed sanguine pretioso comparavit. O cælestis gloriæ magnitudinem. quis non omnì modo despectis hujus mundi quis quiliis laboraret, ut illam consequeretur?

lib. 1. de Doct. Christ.

Genes 47. vers. 5. 6.

Matth. 28. vers. 18.

IV. Infelix ille epulo Lucæ 16. cap. dum in inferno sepultus flammis infernalibus torreretur, oculos sustollens in cælum præcabatur enixe Patrem Abraam, ut is dignaretur ope pauperis Lazari sibi transmittere, unicâ dunraxat guttulam aquæ, ex amplissimo illo cælestis dulcedinis pelago, siquidem miser ille cenlebat guttam illam fore sibi sufficientem ad extinguendam flammam, quâ circumdabatur, & dulcorandam pænæ amaritudinem quam patiebatur: unde dicebat. *Pater Abraã mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Quo ex loco ostendit D. Augustinus, quam magna & inenarrabilis sit æternę beatitudinis gloria, una siquidem gutula sufficeret ad extinguendas ardentissimas ac horrendas illas inferni flammas. Au-

Luc. 16. vers. 24.

S. August.

S. Auguſt. Serm. 8.

ſcultate verba Sancti Patris ſic dicentis. *Tanta eſt dulcedo futuræ gloriæ, quod ſi una gutta in infernum defluereret, totam amaritudinem damnatorum indulcoraret.* Quod ſi igitur una gutta cœleſtis gloriæ tantæ eſt virtutis, quid dicendum erit de illo inexhauſto fonte vitæ? de quo Propheta Regius ait:

Pſal. 5. v. 6.

Apud te eſt fons vitæ, torrente voluptatis potabis eos.

D. Auguſt. in Manual. cap. 15.

V. Non ſinè cauſa Divus Auguſtinus tanti faciebat cœleſtem gloriam, ut aliquo tempore atrociſſimas inferni pœnas pati optaverit modo ut vel ſemel guſtare poſſet cœleſtem illam gloriam. Hanc recogitans Propheta David, & vitam & cunctas mundi ſprevit delicias, unde pſallebat,

Pſal. 41. v. 5.

Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam, quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis, uſq; ad domum Dei. Hanc cœleſtem gloriã dũ contemplaretur ſanctus Paulus, dicebat.

ad Philip. cap. 6.

Cupio diſſolvi & eſſe cum CHRISTO. En quantum potuit in Sancto Apoſtolo ſola cœleſtis gloriæ cõſideratio, & nunc quidem plurimi reperiuntur, qui exoptant, ſibique favent cœleſtis vitæ gloriam, ſed de facto oſtendunt contrarium. Si ab amico tibi obvio peteres, mi Domine quo tendis? & reſponderet tibi, Romam proficiſcor. & nihilominus ille relicto tali itinere Venetias pergeret, abſque dubio diceres, exiguus illi eſt animus pergendi Romam. Idem prorſus plurimis contingit Chriſtianis, qui dicunt ſe petere paradiſum, ſed viam ingrediuntur inferni: id enim clarè demonſtrant mala eorum opera. Etenim cum viæ cœli ſint jejunia, mortificationes atque pietates, quicunque hanc non capit viam, nunquam cœleſtem attinget gloriam. Hinc Divus Gregorius. *Quærenda eſt gloria DEI, per vias ejus,* nam quomodo aliquin eò perveniretur, ſi via, quæ eò ducit, non teneatur? Quamobrem Auditores, deſpeciamus viam hanc fluxam tranſitoriam, apprehendamus fide ſpe charitate viatico hujus itineris rectam, illam juſtitiæ, & pietatis viam. Et ut ait magnus Pater Origenes *Contemnamus iſtam viam vanam, & feſtinemus ad Sanctam vitam & beatam.* Quâ perfruuntur omnes Sancti Dei in æternum. Amen.

Lib. 16. Moral.

Origenes.

IN COMMEMORATIone fidelium Animarum

CONCIO I.

Requiem æternam dona eis Domine & lux perpetua luceat eis.

TOties ut puto legiſtis vel audiſtis decantatam illam de Sancto Job Patriarcha hiſtoriam, in qua dicitur, quod cum tot repentinis caſibus percuſſus eſſet, inſuper & illic evenit omnium calamitoſior. Cum enim quadam die filii natæque ſuæ ſimul convivium agerent: *repente ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit eos.* Patientiſſimus Job tale nuncium habens, quidnam fecit? Corruens in terram ait: *Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ & nudus revertar illuc, Dominus dedit Dominus abſtulit ſit nomen Domini benedictum.* Simile quid nobiſcum agitur hodierna die Auditores. Ecce enim dum heſterna die celebraremus ſolemne ſimul omnium Sanctorum convivium, illo vix quin necdum peracto, venit nobis tot fidelium fratrum ſororumque noſtrarum morte oppreſſorum nuncius, quorum hodie piam recolimus memoriam, imitantes in hoc

Iob. 1. v. 21.

Job exemplum, quod sicut ille nullam in se ob tot & tam ingens infortunium impatientiam demonstravit, ita & nos eidem mortis casui scientes nos esse obnoxios (sumus enim domus manu Dei facta & ex quatuor angulis nempe ex quatuor elementis composita) illud saltem, ab Ecclesia Sancta edocti dicimus. Requiem æternam dona eis Domine & lux perpetua luceat eis. Unde huic pio & devoto Christianoque voto adhærentes, in hac commemoratione fidelium animarum aliquid Auditoribus meis pro memoria eorum & consolatione proferam.

I. Quando David audivit saulem Dynastam Israëlis cum toto robore exercitus sui in montibus Gelboe occubuisse. omnes secum ad luctum talem invitavit Oratione dicens: *Considera Israel pro his mortui sunt super excelsa tua vulnerati. Inclyti Israel super montes tuos interfecti sunt. Quomodo ceciderunt fortes: quomodo occiderunt robusti & perierunt arma bellica?* Non dissimilem Orationem & ego die hodierna incipere possem dicens. Considerate Auditores Christiani, quorum nam hodie memoriam recolimus, animarum inquam fidelium, non illarum tantùm, quæ corpora infimæ sortis hominum incolebant, sed etiam opibus, honore & dignitatis majestate præcellentium. *Quomodo ceciderunt fortes.* Quomodo inquam ceciderunt tot Nobiles, Comites, Principes, Reges, Imperatores, nec non Pontifices. Considerate pro his, qui, & quanti mortui & à vermibus exesi sunt. Tot potentes, divites, honorati, famosi, docti. Sed quid nam de illis dicam? illud quod habetur Job capite 9. *Pertransierunt quasi naves.* Pulchra sanè mortalium hominum comparatio cum itinere, per quod feruntur naves. Quid enim? magnam inter naves videre potes dissimilitudinem. Quædam navis erit pene vacua, quædam mediocribus mercibus onerata, quædam autem plena auro, argento, gemmis, lapidibus pretiosis, aliaque inæstimabili supellectile onerata. Sed quid tum? quandoquidem universæ naves tam vacuæ quam oneratæ, unam eandemque viam per mare transire debeant, ideoq; licet inter se ipsas disconveniant, cursus tamen unicus ille est, qui sibi pares facit. Advertit id fortissimus Princeps Judæorum Simon Machabæus, qui cum accepisset ossa Jonathæ fratris sui à Tryphone occisi, eumque in sepulchro Patris sui fratrumque suorum sepeliisset, inter plurima ornamenta quibus Mausoleum illud exornaverat erat quoque unum artificium affabrè factum, nempe naves sculptæ, taliterque dispositæ, qui viderentur ab hominibus mare navigantibus. Navium illa applicatio pulchrum denotabat mysterium, nempè id, quod sicuti naves, diversæ sunt numero, aliæ enim minores, aliæ verò majores, hæ vacuæ, illæ suppellectile pretiosâ repletæ; Omnes tamen mare pariter pertranseunt: ita agitur & in hoc mundo in quo quidam sunt divites, alii pauperes, quidam nobiles, alii ignobiles, quidam potentes, nempè Principes, Reges, Pontifices, alii plebei, atque simplices, magna sane inter has naves disparitas, in hoc tamen conveniunt, quod idem mare amaræ mortis transire debeant. Undè rectè quidam Poëta ait: *Mors æquo pede pulsat pauperum divitumque tabernas.*

2. Reg. 1. v. 26.

Iob. 9. v. 26.

1. Machab. 13. v. 29.

II. Considerans id nostra Sancta Mater Ecclesia eam ob causam hodie memoriam instituit celebrandam non ipsorum tantùm Pontificum, Imperatorum, Regum, Principum, qui morientes suas thiaras, coronas atque mitras aliis post se concesserunt, sed omnium fidelium in communi, ut quos una terra genuit, quos unum mare ad metam mortis compulit, eorundem una eademque fieret memoria. Qualis autem debeat esse hæc memoria, illud notandum nobis venit, quod hodie pro fidelium defunctorum animabus orare, iisque piis suffragiis adesse debeamus, non dico pro animabus beatorum, pro quibus non est orandum teste Sancto Augustino dicente. *Injuriam fecit Martyri qui orat pro Martyre.* Beatis enim omne adest bonum. Nec pro damnatis. Quia ex inferno nulla est redemptio. At pro solis his, qui sunt in purgatorio orandum est, cujus sententiæ Catholicæ extant plurima Ecclesiæ Sanctæ testimonia; inter alia autem Concilii Carthaginensis Canone 95. sic habetur. *Qui oblationes defunctorum aut negant Ecclesiæ, aut cum difficultate reddunt, tanquam egentium necatores excommunicantur.*

S. Augustin.

Concil. Carth.

III. Sed

III. Sed qui nam hi sunt? dico esse pessimos hæreticos qui in mortuos ita crudeles sunt ut impii, non solùm defunctis opem recusent, sed etiam fidem opitulationis pernegent. Similes Parthis qui teste Julio, mortuos homines canibus objiciebant. Similes Pœonibus, qui teste Laertio, minutim concisa cadaveta in prætersluentem aquam spargebant. Similes Colchis qui defunctorum corpora, arboribus suspendebant in escam avium, teste Æliano. Similes Arabibus, qui non solùm simplices, sed etiam Principes infimo tumulabant. Similes Masagetis qui defunctos suos in Epulis (uti testatur Alexander ab Alexandro) devorabant. Sed quid dico Similes? quin immaniores pejoresque ipsis, illi enim solum in corpora, quæ sensu carent sæviebant. Hi vero in animas, quæ dum omni privantur auxilio majorum genera tormentorum persentire coguntur. Ipsis sanè, hæreticis quadrat illud quod scribitur Sapientiæ quarto. *Erunt post hæc decidentes sine honore & in contumeliam inter mortuos in perpetuum & memoria illorum peribit.* Meritò hæc ipsis siunt, qui enim aliis denegant honorem funeralem & ipsi quoque eodem privabuntur.

Libro 41.

Lib. 9. in Vita Pyr.

Lib. 4. vari. 4.

Arab. lib. 10.

Lib. 3. c. 2.

Sapientiæ 4. v. 19.

IV. Quod impii hæretici nullam habeant curam animarum fidelium, id pro ratione habent, quasi hæc suffragia Christianorum quæ nos facimus, illis post mortem in altero statu non sint necessaria, sed toto cœlo errant. Si enim ita esset: ad quem finem Machabæus ille magnus Judæorum Princeps tantam summã pecuniæ misisset Jerosolymis sacrificium, ut pro defunctis orarent, qui in bello contra gentiles gesto occubuerant? Dices libros illos non esse Canonicos? at Sanctus Augustinus ait: id spirare mendacium. Audi quoque, quid dicat Sanctus Tobias Patriarcha. *Panem tuum & vinum super sepulcuram justi constitue.* Sed ad quem finem panis & vinum super sepulchrum? Sanctus Chrysostomus non aliter intelligit nisi sic: ut iis pascantur pauperes, ac pro defunctis orent. Cujus ea sunt verba. *Cur post mortem tuorum pauperes vocas? Cur presbiteros, ut pro eis velint orare obsecras?* ut adjuventur. Sed quid clarius testimonio Sancti Pauli Apostoli dicentis 1. ad Chorinthios cap. 15. *Quid facient qui baptisantur pro mortuis, si mortui non resurgant.* Per baptismum debemus subintelligere juxta mentem Doctorum Ecclesiæ Catholicæ omne opus pium, nempe illorum qui pro mortuis orant, jejunant & offernnt sacrificia: quid hoc testimonio manifestius?

Lib. de Cura pro mortuis.

Chrisost. c. 23. in Matth.

ad Corinth. cap. 15. v. 29.

V. Deteriores ergo hæretici ipsis Ethnicis, qui licet superstitiosè, mortuos tamen suos coluerut. Hic Cicero scribit primum ad pietatem gradum esse eorum qui ante nos vixerunt meminisse, ut nefarius sit & naturæ adversarius, qui non corpori solùm, sed & animæ justa negaverit. Andiant quoque judicium Aristotelis qui dicit: *Æquius inquam esse mortuis quam viventibus opitulari.* Denique Lycurgus Legis lator Spartanorum, ille sanxit mortuos cum olivæ ramis ad sepulchrum deferri, eumq; honorem ipsis habere voluit Facco Albanus, qui ea quæ chariora & pulchriora erant sepeliebant cũ mortuis. Prætereo Æthiopes, qui ex auro & argento defunctis statuas collocabant. Nobis Christianis ea non sunt necessaria, sed illud solùm nobis curandum est ut hodierna die & alias, fidelium animabus succurrere satagam sacris orationibus, vigiliis, eleemosynis cæterisque piis operibus, quatenus adjuti hisce suffragiis, ad vitam æternam pervenire valeant. Quod eis concedat Christus Jesus, nosq; idem præcamur dicentes: Requiem æternam dona eis Domine & lux perpetua luceat eis.

Tull. Cicero in Offic.

Aristotel. in Problem.

Plutarcha in vita Lycur.

Alex. ab Alexandro lib. 3. c. 2.

AMEN.

IN COMMEMORATIone fidelium Animarum,

CONCIO II.

Miseremini mei saltem vos amici mei. Iob. 19. v. 21.

SAnctus Job Patriarchâ, privatus omni substantia, orbatus filiis & filiabus, insuper à planta pedis usque ad verticem capitis pessimo percussus ulcere nullum habens pulvinar, aut vestimentum, in quo membra sua relevaret sedit in sterquilinio, videnſque vicinos suos ad se venisse invisendi gratia, putans se ab illis consolationem aliquam accepturum, hisce illos verbis compellavit. *Iob. 19. v. 21.* *Miseremini mei miseremini mei saltem vos amici mei.* Sed spesuâ deceptus fuit, qui enim eum consolari debuerunt, magis afflixerunt. Inhumani amici, nunquid Job magnam rem à vobis postulavit? minimè verò: non petit munera, sed verba solatii. Sed quid majus dicam? Pauper ille Lazarus similiter plenus ulceribus, vescente hilarius epulone, solas petebat micas, & nemo illi dabat. O durissime & quovis saxo durior epulo! si forte integrum petiisset panem, cum ipsi tanquam egeno denegare non debueras, sed quanto crudelior extitisti, qui micas denegasti. Hi duo ulcerati & afflicti, omnium fidelium defunctorum personam gerunt, qui hac hodiernâ die, hisce vos compellant vocibus. *Miserere mei saltem vos amici mei* Sed quidnam à vobis postulant? Postulant consolationem, petunt micam panis. Ne ergo duriores amicis Job aut ipso epulone inveniamur, in hac concione ad auxilium ipsis ferendum quod postulant, inducere vos conabor.

I. Quoniam in exordio concionis meæ mentionem feci unius pauperis & afflicti Lazari dum adhuc viveret, etiam alterius facio post mortem, Habemus scriptum Joannis 11. *Ioan. 11. v. 19.* Quod dum sorores illius, nempe Martha & Maria Magdalena mortem unici fratris lamentabiliter deplorarent, CHRISTUS JESUS qui ab iisdem invitatus in Bethaniam venerat misericordiâ motus, ivit ad locum sepulchri, ut ipsum resuscitaret. Postquam ergo venerat ad speluncam in qua corpus illius erat depositum, eidemque lapis erat super positus, tunc dixit ad adstantes. *Tollite lapidem*, quem postquàm tulerunt, JESUS voce magna clamans, eumque suo nomine vocans resuscitavit, Quid hic mysterii Auditores? quid sibi vult hoc, quod Dominus Lazarum suscitaturus ad vitam mandet adstantibus ut tollant lapidem à monumento? an qui poterat resuscitare mortuum, lapidem elevare non valebat? Omnino poterat Christi virtus & Lazarum à sepulchro, & sepulchri lapidem simul tollere: sed non fecit? maluit id operis aliis mandare, ut per hoc innueret quod defunctorum levamen possunt & debent vivi homines procurare. Testis hujus veritatis est Sanctus Damascenus, qui Oratione pro defunctis sic habet. Hic rursus benignitas Dei latam sententiam vicit, semperque usque ad extremum, referendæ mercedis tempus sperabit. Nam tunc nundinæ solventur, nec ferendi auxilii tempus erit, sed unus quisque sarcinâ suam gestandam habebit: Nunc verò & opis ferendæ tempus est, & tempus negotiandi. Nam hoc misericors ille vult gratumque habet, ut nos omnes, tum in vita tum post confectum vitæ curriculum, mutuò alii ab aliis juvemur. Hæc Damascenus ait; pulchrè docens peccatorum pondus, sub quo etiam vita functi premuntur, levari à vivis posse. *S. Damas. Orat. de defunct.*

posse. Et sanè parvis laboribus nostris, ingentia defunctorum onera levare possumus quibus vel maximis sumptibus deberemus præstare opem.

II. Nota est illa historia 2. Regum annotata, de septem filiis Saul, actis in cruces à Gabaonitis, eò quod ab eodem Rege contra jusjurandum percussi fuerint, & ob id tribus annis jugiter premebat fames terram Israëlis, ut ergo propitiaretur Deus terræ, affixi fuerunt filii Regis in cruce. Quid post? ait sacer textus. *Tollens autem Respha filia Aja cilicium, substravit sibi supra petram, ab initio messis, donec stillaret aqua super eos.* Quid sibi volebat iste labor fœminæ, quod tam diu manserit apud illa cadavera suspensorum, donec stillaret aqua super illos? Cur illa fœmina tam diu defunctis adstitit, donec illorum corpora aquis perpluerent? Eruditus autor Bachiarius egregium hic adinvenit mysterium. Nostis benè quod inter plerosque effectus aquæ, sit etiam ille unus, quod refrigerare soleat: refrigerium autem est contra ardorem ignis qui adurit, unde Respha illa quæ tam diu stabat sub cruce defunctorum donec stillarent aquæ, denotat in figura suffragia nostra Christiana, quæ dum facimus pro animabus fidelium, nempe offerendo pro ipsis Deo nostro, sacras orationes, jejunia, eleemosynas & præcipuè Missarum Sacrificia quæ repræsentant Passionem Christi Jesu pro nobis in cruce mortui, tunc ipsis impetramus rorem cælestis misericordiæ, quo vel refrigerantur, vel ex toto ab illis flammarum cruciatibus liberantur. Verba sunt authoris. *Melior fuit concubina Saulis, quæ corpora defunctorum, quæ David pro Gabaonitarum ultione percusserat, eo usque accincta sacco, hoc est cilicio, custodivit, donec eis roraret aqua de cælo, id est donec provenia eorum misericordiæ cælestis stilla defluere.* Debitum sanè officium filiis Regis interfectis, fœmina hæc persolvit, quo nos docuit, idem præstare omnibus in Christo defunctis, quos credimus torqueri purganti igne. Nonne quotquot in purgatorio sunt, filii Dei sunt? Quis ergo tam durus est qui sciens tales filios vehementer affligi, nolit assistere illis in cilicio, in eleemosynis, precibus, donec cælestis roris accipiant refrigerium?

2. Reg. 21. vers. 10.

Bacchiar.

III. Quanta pœna sit purgatorii, id sanè nullis verbis explicari potest. Primò gravissima atque intollerabilis pœna illa est, propter carentiam divinæ visionis, privatur enim anima infinito bono per illud tempus. Si quispiam Rex eo tempore, quo Regni sui gubernationem suscipere deberet, eodem per plurimos annos privaretur, quanta censeretur pœna? Majori sanè pœna anima hominis justi afficitur, dum egressa è corpore, fortissimo impetu in Deum ferebatur, fortiori quàm sagitta ad metam suam, aut lapis deorsum dejectus ad centrum suum. Deus enim ipse centrum illius est: & ecce dum ad illud velocissimè fertur, objicitur ei in media via purgatorium, in quo per plurimos annos, donec justo judici satisfiat, detineri debet, ach quanto dolore afficitur quam horrende tormenta illam non petunt. Summè affligebatur Absolon, quia Davidis faciem non videbat ut diceret. *Obsecro ut videam faciem Regis, quod si memor est iniquitatis meæ, interficiat me.* Quid non dicat anima, cui visio divina interdicitur? qui eam adjuvet nullus adest auxiliator, qui causam illius suscipiat nullus adest Patronus, restat ergo ut dolorosè illud ingeminet. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos Amici mei.* Secundò pœna purgatorii gravissima est propter ignem animam cruciantem, quia quo ad atrocitatem, idem est cum igne inferni. Unde D. Augustinus ait: *Idem ignis purificat aurum, & paleas comburit.* Quanto autem dolore ignis ille pro criminum qualitate, & pœnæ illis debitæ afficiat, accipite Venerabilis Bedæ testimonium dicentis. *Pœna purgatorii gravior est, quàm quidquid unquam passi sunt latrones, vel S. Martyres, vel quidquid gravius homo excogitare possit.*

2. Reg. 14. vers. 32.

S. August.

Beda in Ps. 77.

IV. Cum ergo nos audimus, quantam animæ fidelium pœnam sustineant, & quis nostrum erit ita ferreus, ita durus, ita crudelis qui illarum misereri nolit? Cum in extrema sciamus ipsas esse necessitate, cur ipsas juvare recusamus? clamant hodie animæ illæ fideles dicentes. *Miseremini mei*, nempè ut eas juvemus nostris suffragiis, sacris precibus, piis eleemosynis, nec non sanctissimis sacrificiis, clamant etiam contra eos, qui testamenta eorum implere non curant, sed bona sibi ab illis derelicta diripiunt, quibus accidit illud Prophetæ Amos. *Bibentes vinum in Phialis & optimo vino delibuti & nihil patiebantur super contritione Ioseph.*

Amos 6. vers. 6.

Nota

Nota est vobis historia de Sancto Patriarcha Joseph, quot ærumnas, quot calamitates pertulerit, primò tunc dum à fratribus suis in foveam missus erat in qua dum maneret afflictus, fratres compassi ei non fuerunt. Secundo tunc dum datus ad eundem carcerem, in quo pincernæ Regis somnium explicavit, nempe quod post tres dies liber ab eodem carcere pristinæ dignitati restitui debuerit, eumque rogavit dicens. *Memento mei dum bene fuerit tibi, ut facias mecum misericordiam, ac suggeras Pharaoni ut educat me de isto carcere.* Cujus quidem petitionis Pincetna oblitus fuit. Non secus ergo aliqui faciunt qui substantiam devorant defunctorum, & non compatiuntur super eorum contritione. O magna impietas & crudelitas! dum animam patris, matris, fratris aut sororis tuæ in purgatorio torqueri sustines, nec aliquod ei fers subsidium ac relaxamentum.

Gen. 40. vers. 14.

V. Perlegite libri Job cap. 19. ubi pater quidam cum atrocibus affligitur tormentis purgatorii, conqueritur de filiis suis & dicit. *Carnibus meis saturamini?* ac si diceret uti explicat Gulielmus Parisiensis. *Me durissime in purgatorio flagellari permittitis, qui carnibus meis, id est, bonis vobis derelictis saturamini.* O filii, filii! unde vobis tanta crudelitas & impietas? O cognati & amici, unde ista provenit ingratitudo vestra? Carnibus meis saturamini. Vestes illæ superbæ, auro gemmisque refulgentes, an non sunt carnes meæ? magnifica illa palatia quæ inhabitatis an non sunt carnes meæ? dum amplissimis agris & possessionibus fruimini, nonne carnibus meis saturamini? Et cum tot habeatis de bonis à me derelictis sic nullam compassionem mei habebitis? ita ne ullum quidem obolum ex tot relictis vobis pecuniis pro refrigerio animæ meæ exponetis? Ach Christiani commoveamini ad compassionem & misericordiam, nostram videntes miseriam. *Miseremini mei, &c.* Nolite igitur negligentes esse in ope ferenda animabus fidelium, moveant vos ad commiserationem acerbi illi dolores quos perferunt, emolliant vos lachrymæ parentum vestrorum, planctus dilectorum filiorum, lamenta & gemitus vestrorum amicorum, succurrite afflictorum necessitati, exiguum admodum est pretium quo illis subvenire valeatis, unicum jejunium, paucæ lachrymæ, extinguere possunt illum ingentem atque intolerabilum ardorem ignis. Quam ob rem devoti Christiani, quilibet nostrum hodie cum Sancto Bernardo illud proferat. *Snrgam in adjutorium illis interpellabo gemitibus, implorabo suspiriis, orationibus intercedam, satisfaciam sacrificio singulari, si forte videat Dominus & judicet, ut laborem convertat in requiem.* Quod illis, nobisque concedat Jesus Salvator noster qui est vita & resurrectio nostra sempiterna.

Iob. 19. vers. 22.

Guliel. Parisiens. in Psal. 7.

AMEN.

IN

IN COMMEMORATIONE fidelium defunctorum,

CONCIO III.

Miseremini mei. Quia manus Domini tetigit me?
Job. 19. Vers. 20.

QUicunque aderant grandi & splendido illi convivio, quod Balthasar Rex Babylonis optimatibus suis fecerat, è numero illorum nemo fuerat, qui sibi de aliqua mutatione adeoque magna animi consternatione in eodem convivio eventura imaginari posset, cum enim jam ad vesperum protractum esset, facti fuerunt omnes læti, Rexque ipse jam temulentus præcepit sibi afferri vasa aurea & argentea, de templo Jerusalem à patre suo translata, ut ex iis biberent. Sed quid sit, ait textus historiæ. *In eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum, in superficie parietis aulæ regiæ.* Cum igitur Rex aspiceret articulos manus scribentis, in tantum fuerat conturbatus, ut totum illud lætum convivium in tristitiam solveretur. Auditores gratiosi, hesternum nostrum convivium, quanto celebrius fuerit illo Babylonico ex eo patet, quod ibi mille tantùm Optimates pro convivis invitati fuerint, in nostro autem multò plures, quia *mille millia assistebant ei.* Sed quid ibi advertimus? Magnam certè convivii tam sollemnis mutationem vidimus, ad secundas enim vesperas, tabulas hujus convivii nempe sacra altaria, nigris mappis sive antependiis cooperiri vidimus, festivas verò cantilenas, in lugubres verti audimus, *Requiem æternam dona eis Domine.* Et quid habet luctus cum musica, mors cum convivio? Heri erant doloris initia, hodie funestius quid audistis. *Miseremini mei, quia manus Domini tetigit me.* Quis sic inclamat? Num Rex Babylonis perterrefactus illis tribus digitis manus scribentis? Non, non pii Auditores, illa enim historia jam evanuit, sed hodie in figura repræsentat nobis: non tres digitos, sed totam manum, Dei cujus solo tactu in tantum gravantur animæ fidelium in purgatorio ut unaquæque illarum hodie inclamare cogatur. *Miseremini mei, quia manus Domini tetigit me.* Unde in hac concione dicam. Quam gravis, quam intolerans quâ hæ miseræ animæ affliguntur sit pœna purgatorii, & qualiter ibidem detentis nostris bonis operibus succurrere debeamus.

Daniel. 5. vers. 5.

I. Devoti Christiani & Auditores mei charissimi. Si ego acerbitates, & gravitates pœnarum recensere vellem; primo numero ponerem passionem Domini: hæc enim tanta fuit, ut eam Sanctus Propheta Jeremias, nulli dolori comparare potuerit, dicens in persona Christi. *Attendite & videte si est dolor sicut dolor meus.* Secundo loco pono dolores inferni quibus damnati cruciantur, & cruciabuntur in æternum. Hi quàm acerbi sint, audiamus Divum Chrysostomum sic dicentem. *Inferni supplicium quàm sit horrendum, omnino nunquam potuit explicari* Faciens Christus Dominus in Evangelio Sancti Lucæ mentionem epulonis sepulti in inferno, dixit. *Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis vidit Abraam à longè.* Expendit hic D. Chrysost. Quod non dixit in tormento, sed in tormentis, & eam causam ponit: quod infernus nihil aliud sit, nisi meræ pœnæ. Quæcunque mundus ab Adam usq. ad hæc secula tormenta habuit, ignes Babylonicos, lacus leonum, leones rabidos, serpentes venenatos plumbi liquati fornaces, flagra, gladios, uncos ferreos, rotas acutas, aliaque atrocia instrumenta, quibus hominum corpora cruciata unquam fuerunt,

Threm. 1.

D. Chrys. Lib. de Reg. Lasp. Tom. 5.

Luc. 16. vers. 23. S. Chrysost. in Lucam.

Daniel. 7. vers. 10.

tunt, illa omnia [& si plura excogitari possunt] tormentis inferni comparata nihil aliud sunt quam quædam picturæ. Quare? quia dum infliguntur, ad minus patienti hos dolores, aliquod solamen intervenire solet. Si caput teritur, non læduntur manus, si manus cæditur, non cæditur caput, si ignis exurit, non stringit frigus, si offendit frigus, non urit ignis, denique hæc omnia tormenta suum habent finem at illa inferni, cum simul agant in totum corpus, animamque totam, in totum intellectum, in totam memoriam, in omnes sensus damnati: Ubi nec caput, nec oculi, nec aures, nec lingua, nec manus, nec pedes, nec viscera erunt sine tormentis suis, ea [inquam] nunquam habebunt finem suum. Dicam uno verbo S. Gregorii, ea omnia tormenta quæ enarravi ex parte minima, umbram esse tormentorum inferni. Si enim homo non potest magis cruciari, quam si se videat esse sub pedibus inimici sui, quomodo damnati homines, qui se subditos vident esse diabolorum, quorum major inimicitia excogitari nequit? sed & id parum est. Cum ipsum Deum totamque cælestem curiam sibi videant inimicam. Ibi nihil aliud audietur, nisi tristissima ac lamentabilis vox væ, & semper væ, in æternum vę, fletus, & stridor dentium.

S. Gregor. Hom. 17. in Evang. S. Ioan.

Matth. 24.

II. Aliquatenus percepistis, quanti sint dolores in inferno? adhuc sunt majores in purgatorio. Quid miramini? non creditis seu dubitatis, probo id evidenter. Habemus scriptum Matth. c. 8. Quod cum Christus, animarum nostrarum Salvator, Regionem Gerasenorum ingressus esset, duos obvios habuerit Dæmones, à quibus duo alii homines, graviter torquebantur, hi ergo spiritus in obsessis corporibus existentes, quàm primum senserunt Christi præsentiam, exclamarunt dicentes. *Quid nobis & tibi Iesu filii Dei. Venisti ante tempus torquere nos.* Quid putatis auditores, quos hic cruciatus timebant Diaboli ob quam causam lamentati fuerunt, quod torquerentur à Christo? an antea non sentiebant cruciatus inferni quem ferebant secum? si hos sentiebant, quibus nihil horribilius excogitari potest? cur ergo clamabant ad Christum. *Venisti ante tempus torquere nos?* Respondet Philippus Abbas eamq; dat rationem, lamentationis illius Diabolicæ, quia tunc durissima Christi manu vapulabant. Verba sunt autoris. *Dolore irremediabili manum Christi durissimam patiebantur.* Cum igitur illi Diaboli, absque dubio inferni tormenta sentirent, & tamen lamentabantur de Christo, per hoc innuebant, acriorem esse pœnam, à manu Dei inflictam omnibus horribilibus, inferni tormentis.

Matth. 8. 29.

Philipp. Abb. de Silen. Cler. cap. 105.

Purgatorij ignis

III. Ut autem hujus propositionis meæ fundamentum percipiatis, ubi dixi, majores esse cruciatus purgatorii quam inferni, hoc documentum accipite. Ignis purgatorii, & inferni idem est, unus urit sicut alter, unus torquet sicut alter & in hoc suo differunt, qui ignis purgatorii est temporaneus & transitorius, inferni verò æternus. O dicetis, quomodo ignis purgatorii eum suis tormentis, acrior est igne inferni ejusque tormentis? Ideo, quia Deus damnatos in inferno punit per alia instrumenta scilicet per Dæmonem, sed animas in purgatorio existentes torquet per semetipsum, non mittit Angelos, neque Dæmones, qui eas crucient, sed propria manu sua eas corripit & affligit. Quod testatur Abulensis dicens: *Ignis ille purgatorius, nullo Angelo bono, vel malo accedente ardet, sed divina justitia nutriente, & affligente per illum unumquemque.* Hinc autem sequitur magis tunc affligi à manu Dei, quam si affligantur manu Angeli seu Diaboli, quia quanto manus gravior est, tantò etiam gravius tormentum infligitur, manu autem divina nihil gravius esse potest, juxta illud quod ait Sanctus Paulus Apostolus: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Quotiescunque ergo Deus propriis manibus aliquem percutit, aut castigat, plagæ ejus adeo sunt terribiles, ut similes neque Dæmon aliquis, infligere possit.

Tostatus Parag. 4. cap. 45.

Apud Tost. in cap. 12. Exodi.

Ad Hebr. 10. vers. 31.

IV. Observate illud apud Joannem Evangelistam adnotatum. Quod dum venisset Christus Jerosolymis ad templum, videretque ibi, impios illos Sacerdotes vendentes & ementes columbas, tunc ait textus, *Cum feciſſet quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo*, quantam ibi putatis fuisse hominum multitudinem, & tamen omnes ejecit, non certè flagellum exhorruerunt,

Ioan. 2. vers. 15.

runt, quod aufugerint, sed ipsam manum Divinæ potentiæ suæ, quædum plagam infligit, gravior esse nequit. Hinc pudica illa Susanna dum circumventa esset in horto balneans, à duobus senibus qui concupierunt illam, aut saltem mortem minabantur; prudentissimè respondit: *Si hoc egero mors mihi est; si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus hominum, quàm peccare in conspectu Domini.* Dan. 13. v. 22, 23. Quid ais ô honorata mulier, si expleres voluntatem eorum, illi promittunt vitam, & tu dicis si hoc egero, est mihi mors? & deinde levius tibi arbitratis incidere in manus illorum, qui tibi minantur mortem, quam peccare in conspectu Domini? Optimo sanè consilio usa fuit, pluris enim faciebat manum Dei, quæ gravius castigat peccata, quam quævis manus creata. Unde cum pœnæ purgatorii animabus, non ab alia manu infligantur, quam à manu divina, hinc est quod gravissimis doloribus crucientur, quàm excogitari possint. Hinc est Auditores, quod tales animæ dolores suos explicent atque hodiè ad vos clament. *Miseremini mei, miseremini mei quia manus Domini tetigit me.*

V. Auditis hæc Auditores? & lapidibus ceritis duriores? legimus Gen. c. 43. Qualiter cum Jacob Patriarcha intellexisset, filium suum Simeonem detineri in Aegypto ligatum & clausum in carcere, planeq; percepisset aliter ipsum dimitti non posse, nisi filium suum Benjamin mitteret cum cæteris in Aegyptum tunc dimittens illos dixit: *Fratrem vestrum tollite, & ite ad virum, Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem, & remittat vobiscum fratrem vestrum quē tenet in vinculis* Quid sibi vult hæc figura? nisi id innuit, ut & vos imitemini hodie pietatem Iacob Patriarchæ: purgatorium est carcer animarum fidelium Ibi sunt fratres vestri, ibi parentes, ibi amici vestri qui clamant hodie *Miseremini &c.* Petunt vestrā misericordiam, ut illas de gravissima Dei manu liberetis: non ut æterno judici, filios vestros vel filias pro illis offeratis, sed ut pro illis Deum oretis, opera misericordiæ faciatis, pauperibus eleëmosynas tribuatis, & quod præcipuum est, sanctissima missarum sacrificia pro peccatis illarum offeratis, quatenus à tot atrocibus pœnis liberatæ, vobis agant gratias, vobisq; deinde patrocinentur ante thronum judicis, ut hic det vobis suam gratiam, & post mortem vitam sempiternam, Amen. Gen. 43. v. 14, 15.

IN COMMEMORATIonc fidelium defunctorum,

CONCIO IV.

Mementote vinctorum tanquam simul vincti, & laborantium tanquam & ipsi in corpore morantes. Ad Hebræos 13. v. 3.

PUlchra illa erat Græcorum consuetudo, qui dum aliquod conviviū celebrarent, in eodē antecessorum suorum imagines inferebant, oculis convivarū repræsentabant eorūq; acta illustria (quæ fecerant dum viverent) laudibus suis extollebant. Similis quoq; videtur fuisse consuetudo apud Aegyptios, qui tēpore conviviis adhibitis certis cæremoniis, cranium humani capitis auro obductum ad mensam deferebant, & inter epulas, ex eodem sibi propinantes dicebant. *In hoc intuens manduca, bibe, & oblectare.* Eandem plane consuetudinem sed spiritualem observari video à S. Matre Ecclesia, quæ in hic solemni omnium Sanct. convivio, quod per totam octavam celebratur proponit hodie nobis imagines defunctorum, nec non capita & ossa eorum à nobis intuenda objicit. Cuius rei cum causam investigo, aliam non video nisi eam, ut eos in nostra memoria habeamus. Atqui ego dum de causa hujus memoriæ à nobis habendæ cogitarem: inveni valdè commodam & urgentem in Epist. S. Pauli ad Hebr. 13. c. his verbis expressam, quæ jta de vivis sicut & de mortuis bene intelligi potest, nempè *mementote vinctorum: tanquam simul vincti & laborantium tanquam & ipsi in corpore morantes.* Ad Hebr. 13. v. 3.

I. Auditores mei chariſſimi, pro hac concione mea quam ſum facturus in commemoratione hodiernâ fidelium defunctorum, iſtud thema ſuperius vobis recitatum, videtur mihi valdè oportunum, in quo cum admoneamur ut velimus reminiſci, vinctorum tanquam ſimul vincti, & laborantium tanquam & ipſi in corpore morantes. Nec video magis miſerabiliter vinctos, magiſque in cruciatibus pœnarum ſuarum laborantes, quam animas fidelium in purgatorio conſtitutas, nec etiam video, cur earum recordari atque miſereri renuamus, cum & nos exiſtentes, eidem morti quam illi ſubierunt obnoxii, ſimus ſimul vincti, eorumque laboribus compati teneamur. Joſeph filius Jacob Patriarchæ quandò datus fuit in ciſternam, abſque dubio lamentabiliter & cum fletu magno implorabat auxilium, ut ex eodem extraheretur. Ita plane hodie animæ fidelium defunctorum implorant noſtrum auxilium, ut ipſas ſuffragiis noſtris nempe orationibus & eleëmoſynis conemur extrahere à profundiſſima & horrenda ciſterna purgatorii.

II. Cujus pœna quanta ſit, nullis verbis pro dignitate explicari valet. Ideo verò duriſſima eſt, quia non voluntate, ſed neceſſitate eam ſubit anima fidelis. Prima graviſſima ea pœna eſt, propter carentiam divinæ viſionis, privatur enim anima infinito bono per illud tempus. Similis pœna illi eſt qua Princeps aliquis mulctaretur & ad carcerem poneretur per triginta annos quibus regnare debebat. Ita cum anima juſti ſperans in morte ſua regnum æternum, eo privatur per plures annos, graviſſimè punitur. Habemus 2. Regum 14. cap. quam impatiens fuerit Abſolon filius David, cum enim per aliquot tempus ob necem illatam Amon fratri ſuo, non liceret ſibi videre faciem patris ſui, tanto abhinc dolore angebatur ut ipſum Joab Principi David non dubitaverit exprimere hiſce verbis: *Obſecro ut videam faciem Regis quod ſi memor eſt iniquitatis meæ, interficiat me.* Quid non dicat anima juſti cui interdicta eſt beata illa viſio divina? Item purgatorii pœna graviſſima eſt propter ignē animam cruciantem, quiidem eſt eum igne inferni. Unde Auguſtinus ait *Idem ignis purificat aurum, & paleas comburit.*

2. *Reg.* 14. *v.* 32.

S. *Auguſt.*

III. Figura utriuſque pœnæ (veluti opinatur Rupertus) extitit Cherubin ille, cui præcepit Deus ut ſtaret ante portam terreſtris paradiſi, uti legitur cap. 3. in libro Geneſis, quid ignitum manu tenebat gladium, quo omnibus inhibebat ingreſſum, ſignificabatque nobis per gladium pœnam damni, & per ignem pœnam ſenſus. Verba ſunt Authoris. *Flammeus gladius atque verſatilis ante paradiſum eſt collocatus, ut quicunque deinceps admittendi ſunt illuc, tranſeant per examinatorium ignem.* Quamvis utraque pœna hæc ſit acerbiſſima, pœna tamen damni ſive carentiæ divinæ viſionis gravior eſt, quia privat animā ſummo bono. Bene id explicuit Sanctus Job Patriarcha, dum in figura illarum afflictarum animarum dixit 13 cap. *Cur faciem tuam abſcondis & arbitraris me inimicum tuum?* Sanctus iſte bene appellatur ſpeculum patientiæ, multa enim paſſus fuit, amiſit totam ſubſtantiam, amiſit filios & filias, & inſuper affictus fuit ulcere peſſimo, à planta pedis uſque ad verticem capitis, & tamen hæc omnia inſuper etiam propriæ uxoris afflictionem & deriſionem quaſi nihil ducens, id ſolum lamentabatur, quod Deus ſuam faciem ab eo abſconderit. *Cur faciem tuam abſcondis, & arbitraris me inimicum tuum?* Benè ergo utramque pœnam ponderat Sanctus Gregorius libro 9. Moralium, ubi ſic diſcurrit. Quod ſi Deus totam ſuam omnipotentiam impenderet torturæ & afflictioni animæ, nunquam ei tantum infligeret dolorem, quam tunc, dum illam privat viſione ſua beatifica. Ratio eſt, quia dum ipſam puniret dolore quovis inenarrabili, & in actu pœnarum oſtenderet faciem ſuam, ſtatim totus ille dolor converteretur in lætitiam, maximam, ubi enim Deus eſt, ibi beatitudo & omnis lætitia.

Gen. 3. *v.* 24.

Rupertus.

Iob. 13. *v.* 24.

S. *Greg. lib.* 9. *Moral.*

IV. Sed neque pœna ſenſus, nempè dolor ille ignis purgatorii eſt contemnendus, quamvis minor ſit pœna damni nempè amiſſione viſionis Dei. Nam de dolore purgatorii Sanctus Cyrillus Alexandrinus dicit aliquid obſervatione digniſſimum. *Mallet, inquit, quilibet viventium uſque ad finem mundi omnibus ſimul excruciari pœnis, quas omnes homines ab Adam hucuſq; tulerunt, quàm uno diè in purgatorio morari.* Audite ſententiā Sancti Auguſtini Sermone 14. de San-

S. *Cyrillus.*

S. *Auguſt.*

Term. 41. de Sanctu. de Sanctis. *Purgatorius ignis durior est quam quidquid potest in hoc seculo panarum videri, aut cogitari, aut sentiri.* Audite Sanctum Gregorium. *Illum transitorium ignem omni tribulatione præsenti æstimo intolerabiorem.* Audite Venerabil. Bedam in Psal. 17. *Pœna purgatorii gravior est quàm quidquid unquam passi sunt latrones, vel Sancti Martyres, vel quidquid gravius homo posset excogitare.* Cum ergo animæ fidelium tot & tanta patiantur in purgatorio, meritò nos compellant. *Mementote vinctorum tanquam simul vincti, & laborantium, tanquam & ipsi in corpore commorantes.*

S. Gregor.

Beda in Psal. 17.

V. Enim verò, si tam est opus pium ac laudabilis debita pro vincto solvere, qui in carcere est unius anni tempore, quanto excellentius erit opus pro animarum expiatione debitum largiri? *Mementote vinctorum.* Nō vinculis ferreis aut carceribus tantùm afflictorum, sed ardentibus flammis cruciatorum, quales sunt animæ fideliū quæ in purgatorio, atroces pœnas dant pro peccatis suis, de quibus in hac vita debitam satisfactionem non fecerunt. Jam verò quibus mediis illis subvenire debeamus. Docent Sancti Doctores, esse varios modos eisdem subveniendi, nempe orationes, jejunia, peregrinationes, disciplinas, pia proposita, aliaque sacra exercitia: sed inter cætera, non potest reperiri melius suffragium & thesaurus redimendi tales animas, quam oblatio Sanctissimi Sacrificii. Testem habeo in ter omnes Sanctum Damascenum qui sic ait: *Mysteriorum conscii discipuli salvatoris & Sancti Apostoli sanxerunt in vivificis & tremendis sacrificiis, memoriam fieri eorum qui fideliter dormierunt.* Eja ergo devoti Christiani mementote vinctorum, tanquam simul vincti. Si enim vos illis succurretis: & ipsi quoque de hoc carcere tam horendo liberati & in gloria cælesti constituti, orabunt pro vobis, ut hoc vestrum pium suffragium, quod pro illis impenditis, vobis cedat in meritum præsentis vitæ, & futurum in præmium æternum.

S. Damasc.

AMEN.

IN COMMEMORATIone fidelium Animarum,

CONCIO V.

Dies mei sicut umbra declinaverunt & ego sicut fœnum arui,
Psalmo 101. v. 12.

INconstans & mortalis hominum vita variis rebus creatis assimilari soler, & meritò quidem. Cum enim homo post sui creationem in statu innocentiæ, omnibus creaturis dominaretur, deinde post commissuum peccatum factus est omnium opprobrium & derisio quam (suis proprietatibus) innocentiæ & corruptioni suæ inferre videntur. Relinquam sapientes Ethnicos, qui per varia symbola adversæ fortunæ tela quibus homo singulis horis imo momentis & obiectus vivis quasi coloribus adumbrarunt simulque altis radicibus hujus vitæ inconstantiam, & velocitatem impresserunt: mihi enim symbola quibus Sanctus Patriarcha Job deplorat hominem, sufficient. Imprimis comparat ipsum telæ à textore succisæ c. 7. *Dies mei velocius transierunt quam à textore tela succiditur* Item vento. *Memento mei Deus quia ventus est vita mea.* Item nubibus. *Quia consumitur sicut nubes.* Item cursori. *Dies mei velociores cursore.* c. 9. Navibus poma portantibus. *Dies*

Iob. 7. v. 6.

ibid. v 7.

mei pertransierunt quasi naves poma portantes. Luto & pulveri. *Memento quaeso quod sicut lutum feceris me & in pulverem reduces me.* Item folio. *Contra folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam.* Item putredini & vestimento. *Quasi putredo consumendus sum & quasi vestimentum quod comeditur à tinea.* Item favillæ & cineri. *Assimilatus sum favillæ & cineri.* cap. 30. Sed ut alia omittam, non minùs mortalitatis humanæ pulchrum inveni symbolum Psalmo 101. *Dies mei sicut umbra declinaverunt, & ego sicut fœnum arui.* Quæ verba quam eleganter quadrent hodierno meo proposito, tristis & lugubris apparatus, qui vobis exhibetur, mihi pro argumento, vobis autem pro documento fiet.

Iob. 13. v. 28.

Iob. 30. v. 19.

I. Dies mei sicut umbra declinaverunt, & ego sicut fœnum arui, Auditores mei. Sacer textus, non in uno sed pluribus locis mortalem vitam hominum umbræ comparat & assimilat. Nam Paralip. 1. cap. 29. dicebat Salamon. *Dies nostri quasi umbra.* Job. 14. *Homo tanquam flos egreditur & fugit velut umbra.* Et tandem ut mittam cætera testimonia. Rex David ita ait: *Dies mei sicut umbra declinaverunt.* Rex Sancte, subsiste hic parumper. Adhuc vivens. Sed quasi morituro brevi, dies vitæ tuæ componis cum umbra? Ergo tu umbram, mortis figuram censes? ita verò. Quid si ego contrarium invenero. Nepoti tuo Ezechiæ Regi umbra non mortis sed vitæ longioris signum fuit. Legimus enim 4 Reg. 20. cap. Ezechiam Regem, pro signo salutis & vitæ habuisse umbram, ad quem ægrotantem & jam fere agonizantem cum venisset Propheta Isaias, eique salutem & vitam a DEO promissam nunciasset. Rex volens de hoc verbo certus fieri per aliquod signum petiit ut umbra solis reverteretur retrò decem gradibus. Ecce hic umbra signum fuit vitæ & non mortis. Sed ad id respondet Divus Augustinus libro 2. de Mirabilibus cap. 18 illam umbram denotasse vitam Regni, non in quantum umbra fuit, quæ nihil est, sed sola figura rei materialis objectæ luci, sed in quantum fuit Gnomon sive index motus solis, juxta quem horas diei in solari horologio numeramus. Verba sunt Sancti Augustini. *Convenienter tale signum Regi, in mortis expectatione posito evenit, quod DEVS per solem fieri taliter disposuit.* Non enim melius vita Regi concessa designari potuit, quam per lineas solis qui est Rex planetarum, cæterum umbra semper designat aut peccatum quod hominem privat gratiâ, aut istam vitam caducam & mortalem quæ citò fugit & evanescit.

4. Reg. 20. v. 9.

S. August.

II. Quod autem mirabilis sit humanæ vitæ conditio appositè id per umbram exprimitur, excellens autor Cornelius à Lapide id pulchre demonstrat per proprietates umbræ. Quia sicut umbra non est res ipsa sed rei imago, imò umbra rei, sic revera & vita humana imago tantum seu umbra est, & juxta illud Psalmi 72. *Imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* Item sicut umbra fugiente homine, vel currente quopiam animali, fugit & ipsa currit velociter, sic & vita nostra, *fugit velut umbra & nunquam in eodem statu permanet.* Notavit id ipsum Sanctus David Psalmo 38. *In imagine pertransit homo.* Item, sicut umbra est fallax & mendax, mentitur enim se esse ipsam substantiam, nempè hominem aut leonem, cum tamen aliud sit: ita quoque est vita nostra. In multis sibi homo ablanditur, multa sibi promittit, hic sibi complacet in palatio, alter in divitiis, scientia aut potentia. Sic dicebat Rex ille Babylonicus. *Nonne hæc est civitas magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ & in gloria decoris mei?* Sed quid fit? Cum adhuc sermo esset in ore Regis vox de cœlo venit. *Tibi dicitur, Nabuchodonozor Rex, regnum tuum transibit à te & ab hominibus ejicient te.* Dives ille Evangelicus volebat destruere horrea, & facere ampliora, sed quid audivit? *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te, hæc autem quæ parasti cujus erunt?* Item ea est umbræ proprietas, quod mane & vesperi corpore suo seu rei substantia quam repræsentat, major videatur. Ita quoque homines dum à principio vitæ suæ florere incipiunt, dumq; in progressu vitæ suæ sperant se maximos fructus produ-

Psal. 72. v. 20.

Psal. 38. v. 7.

Daniel. 4. v. 28.

Luc. 12. v. 20.

cturos

turos, idem illis contigit, quod illi arbori excelsæ & multis fructibus oneratæ, quæ tandem succisa securi, aruit & ad nihilum redacta fuit. Tandem ultimo notamus id in umbra quæ repræsentat excelsas arbores sive turres, quod velocissimè currente sole, ipsa quasi stare videtur, nihilominus ad occasum solis & ipsa perit, ita fit cum vita hominum; nos videmur nobis semper stare, non consideramus fluxum clepsydræ, quin dierum nostrorum qui per mare fluunt, non consideramus cursum fluminum cum tamen 2. Reg. 14. dicatur nobis. *Omnes morimur & quasi aqua dilabimur.* Et quid tandem? ultimo fateri debemus cum Rege David dicente: *Dies mei sicut umbra declinaverunt, & ego sicut fœnum arui.*

1. Reg. 14. vers. 14.

III. Et quia exempla magis docent quam verba, convertite oculos vestros in feretra, quibus corpora morruorum ad tumulandum deferri solent, sive etiam pergite ad ossiarium, in quo ossa defunctorum reponi solent, quid illa dicent? *Dies mei sicut umbra declinaverunt.* Si liceret mihi cum Ezechiele loqui, dicerem hæc verba illius; *Ossa arida audite.* Et cur dies vestros umbræ, quæ tam velociter currit comparatis? Nonne quorundam estis reliquiæ qui vixerunt centum annis & amplius? hiccine cursus vitæ est umbra velocior? Sed audite quid respondeant primi parentes nostri, Adam ossa sic perorant; *Tempus quo vixit Adam, anni nongenti triginta & mortuus est.* Ossa Seth sic ajunt: *Facti sunt omnes dies Seth nongentorum duodecim annorum, & mortuus est.* Ossa Cainan sic ajunt: *Facti sunt omnes dies Cainan nongenti & decem anni & mortuus est.* Ossa Mathusalem sic ajunt: *Facti sunt omnes dies Mathusalem nongenti sexaginta novem anni, & mortuus est.* Sed quid necessum est omnia recensere cum illud Poëta sufficiat dici. *Serius aut citius metam properamus ad unam.* Rerum illarum, quæ fixæ & immobiles sunt, sole alias currente velociter, tarda videtur umbra esse, cum ultimo autem, recessu solis, occidit & ipsa peritque velociter. Talis est umbra uniuscujusque hominis, quem si umbræ Sancti Job Patriarchæ comparavero, minime aberrabo. Sic ille ait: *Sicut umbra dies mei sunt.* Quod si hic Patriarcha dies suos umbræ assimilet, facilis est ratio, Antea enim quantus fuerit, testantur verba dicentis *Quando procedebam ad portam civitatis in platea parabant cathedram mihi, videbant me juvenes, & abscondebantur, & senes assurgentes stabant.* Sed nec egemus proprio Sancti viri testimonio, nam in principio suæ historiæ de eodem dicitur: Fuisse ipsum multæ possessionis & magnum virum inter orientales. Sed totum id quid erat? Umbra velociter transiens. Ecce enim filiis filiabusque suis quadam die simul vescentibus nunciatur Patriarchæ Job, boves & asinos ablatos á Sabæis, vixque nuncius sermonem finit, jam alter accurrens air: *Ignem* DEI *cecidisse è cælo, cunctaque oves cum pueris consumpsisse.* Sed & hoc adhuc loquente tertius narrat. Omnes à Chaldæis raptos & abactos esse. Et isto adhuc suum casum narrante. Quartus cum lachrymis, ruinam domus, mortemque prolis suæ denunciat. Hinc ergo jure merito Job protulit: *Sicut umbra dies mei sunt.* Sicut enim umbra in occasu solis nihil velocius, sic etiam pristinus status Sancti Patriarchæ tanquam umbra velocissimè desiit.

Iob. 6. 7. vers. 6.

Iob 29. vers. 7. 8.

IV. Adhuc ad priores umbras revertamur. Umbra fuit Rex ille Chaldæorum, qui non per cubitos sed per longa stadia metiebatur facta sua glorioſa. Nam cum quadam vice in aula illa Babylonis de ambularet, ait textus sacer Respondit que Rex & ait. *Nonne hæc est Babylon civitas magna, quam ego ædificavi in domum regni in robore fortitudinis meæ & in gloria decoris mei?* Ventilant nonnulli sacri codicis interpretatores verba hæc. Respondit que Rex & ait. Si nemo fuit qui eum interrogasset, cuinam respondit? Certe ad interrogata solemus respondere, & quis tam audax esset qui tantum Regem de aliquo interrogaret? dicunt itaque, Regem Nabuchodonozor vanas cogitationes suas pro interrogatione habuisse, de ambulando quippe per solarium palatii, sui, videnſque urbis illius magnificentiam, portarum elegantiam, murorum altitudinem turrium,

turrium fortitudinem, domorum arciumque pulchritudinem, hinc inquam elatus in superbiam & à vanis cogitationibus suis requisitus respondit. *Nonne hæc est Babylon civitas magna?* O Rex expediebat tibi tacere, & à talibus superbis verbis abstinere. Ait quidam in Colloquiis Physicis, quasdam orbis partes dari, in quibus umbræ sunt longissimæ, sed dies brevissimi. Huic umbræ tu non es absimilis, de te enim dicitur: *Cum sermo adhuc esset de ore Regis vox de cælo ruit. Tibi dicitur Nabuchodonozor Rex, regnum tuum transibit à te & ab hominibus ejicient te.*

Simon Majolus.

V. Similem umbram delineavit Sanctus Lucas Evangelista cap. 12. quam præferebat ille dives supra nominatus, cujus agri dum uberes fructus attulissent, cogitabat intra se dicens. *Quid faciam, quod non habeo, quo congregem fructus meos, & dixit hoc faciam. Destruam horrea mea & majora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ. Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, ride, epulare.* Sad quid sequitur? Dixit ei DEUS: *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te: quæ autem parasti cujus erunt?* Duos terminos hic singulariter adverto, primum quod stulti vocabulum dives hic acceperit. Secundum quod non dicatur in futuro sed in præsenti. *Hac nocte animam tuam repetent à te.* Quid enim stultius illo esse potuit, qui videns longam umbram, non advertit brevissimum diem vitæ suæ? Umbra longior est in occasu quam in meridie, sed eo quoque citius evanescit, sic sane & homo; & certè, sicut Rex & Propheta David, adhuc vivens protulerat: *Dies mei sicut umbra declinaverunt, & ego sicut fœnum arui.* Quia omnis potentis vita brevis, ait Ecclesiasticus & juxta Isaiam Prophetam. Habitatores hujus mundi, sunt sicut fœnum & herba, quæ exaruit antequam matureſceret. Hinc nos præ oculis habentes humanæ vitæ inconstantiam, memores simus mortalis conditionis nostræ, nec non eorum qui jam nos in Domino præcesserunt, ut nostris orationibus, piisque suffragiis requiem sempiternam consequantur.

Luca. 12. verſ. 17. 18.

Psal. 10. verſ. 12.

Isaiæ 37. verſ. 27.

AMEN.

IN

IN FESTO S. MARTINI Pontificis,

CONCIO I.

Nemo lucernam accendit & in abscondito ponit. Lucæ 11. Vers. 33.

Non semel sed multoties hęc verba Evangelii hodierni Christus Dominus promulgavit. In primis enim apud S. Matthæum Evangelistam sic ait. *Non accendunt lucernam & ponunt eam sub modio sed supra candelabrum.* Item apud S. Lucam Evangelistam 8. capite postquam disseruit parabolam seminis verbi Dei, jacti in malam & bonam terram, mox subintulit dicens, *Nemo lucernam accendens operit eam vase, aut subtus lectum ponit, sed super candelabrum, ut intrantes videant lumen.* Et tandem in hodierno Evangelio, postquam Dæmonium mutum ejecisset, eadem verba protulit, *Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit.* Et licet hoc Christo Domino insolitum visum fuerit, quilibet enim insaniret, qui lucernam accenderet, & sub modio absconderet, tamen multi his similes reperiuntur, nempèhi, qui lucernam rationis suæ ponunt sub modio, agnoscunt verum, & tamen vel ex odio & invidia vel etiam ex malitia illud tenebris obnubilant. Tales erant pessimi illi Seniores Judæorum, de quibus S. Daniel Propheta ait. *Declinaverunt oculos ut non viderent cælum.* Talis erat Herodes qui Joannem Baptistam ardentem & lucentem, nolens reprehensionem veridicam pati, posuit in carcerem. Non minus ille lucernam in abscondito ponit, qui fidem Christi semel cognitam, & susceptam, non ponit in candelabro, nec per bona opera, sacrasvè virtutes manifestam reddit, sed abscondit, & coram inimicis ejus latere ipsam facit, in quo quam graviter quilibet peccet, & quantum damnum incurrat, patet ex verbis Christi Domini dicentis. *Qui confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei; qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei.* Et tandem ut præteream cæteros, hi etiam lucernam ponunt in abscondito, qui Sanctos non honorant, eorumque memoriam annuam cum Ecclesia Christi Domini non celebrant, quod ut amplius non fiat, occasione hodierni Festi Sancti Martini Pontificis, producam aliquas rationes. Cur illius festum hodie solemniter celebremus, aliorumque Sanctorum recolere teneamur.

Matth. 5. vers. 15.

Luc. 8. vers. 16.

Dan. 13. vers. 9.

Matth. 14. vers. 3.

Marci 8. vers. 29.

I. Sanctos Dei esse lucernas, nemo dubitare debet, non solum enim Christus Dominus huic veritati ore suo proprio testimonium exhibuit de Joanne dicens. *Ille erat lucerna ardens & lucens,* sed cum ipsemet Dominus esset lux mundi à nullo participata, uti ipsemet de se ait. *Ego sum lux mundi.* Nihilominus non dedignabatur se etiam lucernam nominare, quod patet ex Apocalypsi S. Joannis Evangelistæ, qui dum describeret illam auream civitatem Jerusalem, lapidibus pretiosis, nec non margaritis exornatam, inter cætera ita ait: *Civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminabit eam & lucerna ejus est agnus.* Ubi inter cæteros Sanctos Patres, & Doctores Sanctæ Ecclesiæ Christianæ, per istum agnum, qui est lucerna hujus civitatis V. Beda intelligit Christum Dominum, dicens. *Civitas non eget sole neque luna, ut luceant in ea: quia non lumine, aut elementis mundi, regitur Ecclesia, sed Christo æterno sole deducitur per mũdi tenebras.* Revera lucerna erat Christus Dominus, non sub modio sed super crucis candelabrum posita, lucerna certa, & invariabilis, quæ obscurari

Ioan. 6. vers. 38.

Ioan. 8. vers. 12.

Apoc. 21. vers. 23.

V. Beda hic.

rari non potest. Licet enim Judæi dum viveret, pro lumine ipsum agnoscere noluerint, quin omnia illius opera, quæ luce solis erant clariora, sub modio infidelitatis & malitiæ suæ occultare conati fuerint; nihilominus dum ipsius lucernam in crucis candelabro positam, nempè opera ipsius divina, quæ in terræ motu apparuerunt, in obscuratione solis cæterisque mirabilibus, aspexissent, omnes inquam magno timore correpti dixe-
Matth. 27. vers. 55. Luc. 23. vers. 49. runt, *Verè filius Dei erat iste*, & insuper juxta historiam Sancti Lucæ Evangelistæ, *Percutientes pectora sua revertebantur.*

II. Non solùm ille, sed & sancti ejus, lucernæ nobis sunt; quorum præcessit figura in
2. Reg. 21. vers. 17. Sancto David Rege Israël, de quo habemus in libro 2. Regum. Quod cum descendisset ad pugnam cum servis suis, adversus Philistæos, ibique è numero ipsorum insurrexisset unus giganteæ molis, cujus ferrum hastæ trecentas uncias appendebat, & accinctus erat ense novo, nitereturque percutere David, qui jam propter ætatem viribus deficere videbatur, præsidio quidem ei fuit Abisai, qui percussum Philisthæum interfecit, nihilominus cæteri servi sui jurarunt dicentes: *Iam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israel.* Sicut ergo David erat lucerna Israelis, ita Sancti Dei, sunt ardentes lucernæ Ecclesiæ Christi Domini, quorum primi sunt Sancti Apostoli quos Christus Jesus appellat mundi luminaria, & Sanctus Pau-
Ad Phil. 2. vers. 15. lus scribens ad Philippenses idem testatur dicens. *Inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo.* Inter hos beatus Martinus merito lucidissima lucerna Ecclesiæ dicitur; siquidem luce sua illam plurimum illustravit. Primo luxit fide Catholica, nam Sancti Hilarii Pictaviensis Episcopi primum discipulus factus, & postmodum ab illo, in fide Christiana exultus, tam mordicus eandem retinuit, ut hæreticorum & præsertim Arrianorum, acerrimus insectator esset; adjunxit huic sanctæ fidei maximam & profundam nimis humilitatem, quam in primis ostendit tunc dum ordinandus in Diaconum, indignum se hoc officio reputans, summè resisteret, potiusque exorcistæ munus etsi vile & humillimum acceptaret. Luxit singulari vitæ austeritate; cum enim factus esset professione monachus, & invitus è monasterio evocatus, in Episcopum Turonensem electus esset, in ea dignitate à prioris vitæ austeritate nihil remisit, eundem vivendi modum retinens, nec non jejuniis, orationibus, atque vigiliis vacans. Luxit castitate, non solùm quod virginitatem servaverit, sed quod ex toto conversationem mulierum cane & angue pejus fugerit. Cum enim Impetratrix Maximi Imperatoris uxor, multis & diuturnis precibus eum fatigasset, ut pateretur sibi aliquod prandium ab illa parari, & ad mensam ministrari, licet Imperatore præsente & volente id fieri sciret, vix nihilominus acquievit. Et tandem tunc se veram lucernam esse demonstravit, quando sanctæ vitæ suæ testimonium ab ipso Deo accepit: cum enim Missam celebraret, globus igneus super caput celebrantis apparuerit, & alio tempore brachia ejusdem Eucharistiam in altum elevantis, cælesti splendore induta apparuere.

III. Hinc sequitur id, quod quilibet bonus Christianus admirari debeat, nempe cum Sanctus Martinus cæterique servi Dei, lucernæ sint accensæ, nihilominus tamen non solùm hæretici sed etiam inanes Catholici & nudo nomine tantum christiano gaudentes, lumen talium lucernarum intueri nolint, quin imò ponant eas sub modio. Legimus Ecclesiastici 11. cap. *Dulce lumen, & delectabile est oculis videre solem.* Quæ verba quam- *Eccles. 18. vers. 16.*
vis intelligantur, ad litteram de vita præsenti quam agimus in terris, vel etiam futura quæ erit in cælis, ubi Sancti vident Deum, lumen indeficiens; nihilominus etiam de ipso sole naturali possunt intelligi, quis enim lumen solis usquam odio habuit? Tobias, dum salutaretur ab Angelo taliter, *Gaudium tibi* *Hugo Card.*
sit, subito respondit, *Quale mihi gaudium* *Tob. 5.*
qui in tenebris sedeo & lumen cæli non video? *vers. 12.*
Et quidquid tandem sit de explicatione morali, casus hujus Patriarchæ, querelam manifestat, nempè quod suam cæcitatem incusaverit, ob quam lumen cæli videre non poterat, & idem apparet ex responso Angeli dicentis. *Brevi est ut cureris.* Hinc patet Solis lumen esse delectabile. Unde scribitur de Diogene pluris ipsum fecisse lumen solis, quèm ipsum Alexandrum Magnum: hic enim cum venisset ad fenestrellam sui

tuguri

cugurii, & interrgaret Philosophum, qualem ab ipso gratiam peteret; respondit, *Vt recedas à fenestra per quam lumen solis recipio.* Si igitur lumen naturale, adeo delectabile est oculis nostris, cur non spirituale quod in Sanctis intuemur? De Sacerdote Heli habemus adnotatum in libro primo Regum, quod non potuerit videre, priusquam extingueretur lucerna Domini, quia caligaverant oculi ejus. Mirum quid? cum lucem lucerna præbebat, videre non poterat, cum lucerna extinguebatur videbat. His ergo sunt similes, qui lucernam sancti Martini cæterorumque Sanctorum præ oculis habentes, illâ videre non possunt, quia exempla illorum sequi nolunt.

1. Reg. 3. v. 18.

IV. Unde Mater nostra Ecclesia, ut nos errantes in tenebris ad viam veræ fidei lucis reducat, quamvis multas habeat rationes ob quas Sanctorum memorias recolit, nempè ut Deum in illis colamus, ut etiam illos honoremus & invocemus. Ob hanc etiam causam festa illorum, nobis quotànnis inculcat, ut scientes illos nobis à Deo pro lucernis esse datos, has non sub modio ponamus, sed super candelabrum, juxta illa verba S. Marci Evangelistę. *Nunquid venit lucerna ut sub modio ponatur, aut sub lecto, & non supra candelabrum?* Sed quid hoc? Ut exempla eorum nobis ponamus ob oculos nostros illaq; imitemur. Primo videndo illorum gloriam ut animemur ad pugnam; quia *Non coronabitur: nisi qui legitimè certaverit*, secundo ut videamus illorum stratagemata modosque quibus pugnaverunt, ac sciamus nobis similiter pugnandum esse. Et tandem ut adminus erubescamus, videndo vitam illorum, nostræ tam dissimilem.

Marci 4. v. 21.

V. Hæc tria non melius practicabimus quàm si vitam Sancti Martini, ejusque exemplum nobis ob oculos ponamus. In primis quod concernit gloriam Sancti Martini Episcopi. Possum illud dicere Regis David encomium dicentis. *Gloria & honore coronasti eum.* Fuit in Prophetia Primo, quia Maximo Imperatori Victoriam, & deinde cædem prædixerat, item quia Brictio discipulo suo successionem in Episcopatu, & futuras eius calamitates prænunciaverat, & tandem qui obitum suum discipulis suis longe antè prædixerat. Fuit tantem in ipso obitu: quia Sanctus Severinus Colonienſis Archiepiscopus animam ipsius mortui, ad cœlos ab Angelis cantantibus portari viderat. Sed quibus mediis tantam gloriam obtinuit? qui vult scire sua stratagemata, legat aut inquirat, qualis sua vita fuerit, qualis pugna cum Diabolo, & mundi hujus superbiâ. placet gloria, placet pugna? inmitemur illam, ut gloriam assequamur non hujus mundi, quam ille tædio & contemptui habebat sed hanc quam ille suam post mortem acquisivit. Et tandem ne erubescamus & confusi reddamur, lucernam præ oculis habeamus, & sic perveniemus ad lumen æternæ gloriæ ad Christum qui est ipse sol lucidissimus omnium Planetarum, Amen.

Sulpitius Epist. ad Bass.

IN FESTO S. MARTINI
Pontificis,

CONCIO II.

Sicut dies mercenarii dies eius. Iob. 7. v. 1.

HOdie celebramus annuam solemnitatem S. Martini Episcopi Turonensis, cujus vitam si examinare velimus, per omnia laude maxima, admiratione summe dignam inveniemus, nam cum adhuc esset in ætate puerili nempe decennis, non expectavit, ut eum parentes ad templum Domini manu ducerent, sicuti quondam Anna filium suum Samuelem, quæ uti ait sacer textus, 1. Reg. 1. v. 24. *adduxit eum ad domum Domini in silo.* Quia S. Martinus potius se è manibus suorum parentum, quibus eum à proposito sacro abstrahere conabantur (quia gentiles erant) eripuit, & Romam festinus veniens, catechumenus fieri postulavit. Et cum miles esset, tanta humilitas cor ejus occupaverat, ut proprium servum discalceare non erubesceret, tanta misericordia & charitas erga pauperes, ut cum uno paupere mendicante propriam chlamydem dissectam gladio divideret, & sic nudum cooperiret. Porro cum jam Sancti Hilarii discipulus factus atque monasticam vitam professus esset, memor illius dicti S. Col. 4. v. 2. Pauli Apostoli dicentis *Orationi instate vigilantes in ea, in gratiarum actione:* ita se in his, adhibitis etiam aliis virtutibus, nempe jejuniis cæterisq; piis operibus exercebat, ut ob talem profectum vitæ suæ, magnam à Deo gratiam obtinuerit, duos enim mortuos suscitavit: quod signum erat, quantùm diligeretur à Deo, qui ipsum tantâ gratiâ honoravit. Tandem dum contra voluntatem suam ad Episcopatum Turonensem evocatus esset, nihilominus in tanta dignitate positus, animatum curam taliter gessit, ut sui quoque minimè oblivisceretur, nihil enim remisit de statu suo pristino: eadem humilitas, vitæ puritas, fervens oratio, vigiliæ, jejunia, paupertas, patientia, cæteræque virtutes ei cordi fuerunt: unde Dominus adhuc ampliorem ei contulit gratiam, nam tertium mortuum suscitavit, & dum Sacrosanctum Missæ officium celebraret, globus igneus apparuit supra caput ejus. Jam forte dicetis: Si S. Martinum hic prædico ut Episcopum, cur igitur appellavi mercenarium dicens: *sicut mercenarii dies ejus?* Respondeo cum Venerabili Hugone Cardinali. Quia *sicut mercenarius sollicitè curat: ne vacans ab opere dies vadat, & præmium minuatur:* ita S. Martinus Episcopus attentè pensabat, ne dies aliquis vacuus à labore transiret. Quod vobis in hac concione probare conabor. *Ven. Hugo Card. in Iob.*

I. Sicuti in anno menses ordinarii sunt duodecim, ita quoque in qualibet septimana sunt dies septem, nempe dies Dominicus, dies Lunæ, dies Martis, dies Mercurii, dies Jovis, dies Veneris, & dies Sabbati. Mercenarii diebus Dominicis, & festivis non laborant, at S. Martino, nulla dies sine linea, nulla sine opere, tamen absque præjudicio divinæ legis jubentis, *memento ut diem Sabbati sanctifices fuit*, qui n. spirituales labores peragunt, potius censendi sunt feriari, quàm operari. Unde quod concernit primam diem, quæ est Dominica, & dies solis nuncupatur, hac die incepit auspicari opus suum, à fide Christi, de qua ait s. Paulus Apostolus. *Fides quæ per charitatem operatur.* Nec sine mysterio talis dies huic labori destinatur, quia sicut Sol cæteros planetas suo lumine illustrat ita fides virtutes facit Deo acceptas juxta D. Augustinum dicentem, *Fides est mater omnium virtutũ, & fundamentum omnium bonorum?* ab hac inquam S. Martinus opus suum aggressus est. Cum enim annorum esset decem, *Exodi 20. v. 8.* *2. Cor. 5. v. 7.* *S. August.*

cem, invitis parentibus ad Ecclesiam confugit, & catechumenum se fieri postulavit, & quia tot impedimentis militiæ distentus erat, quò minùs Deo vacare posset, tandem cum annorum esset decem & octo, se baptisari fecit, ibique non solum Diabolo resignavit, sed etiam pompis hujus seculi ex toto resignare voluit: sed dum id firmiter sibi proponeret, veniunt de novo mandata Juliani, quibus ad militiam vocabatur, Martinus nolens militare, stipendium recipere noluit dicens. *Ego sum miles Christi, pugnare mihi non licet*, at cum Julianus indignaretur, putans id metu belli imminentis ipsum protulisse, ille è contra promisit Imperatori dicens, *Si hoc ignaviæ, non fidei adscribitur, crastina die ante aciem inermis stabo, & in nomine Christi signo crucis, non clypeo protectus aut galea, hostium cuneos penetrabo*: sed Deus quamvis hoc, in sancto illo inermi heroe efficere potuisset, nihilominus suæ sponsioni alia via satisfacere voluit Sequenti enim die hostes legationem miserunt, pacis conditiones postulantes, unde non est dubium, talem victoriam sine sanguine, meritis & fide S. Martini fuisse datam. Non immerito *Epes. 4. v. 12.* Divus Paulus virtutem fidei scuto comparavit, hæc enim est quæ nos protegit, & ab omni assultu hostium liberat.

II. Secunda die scilicet Lunæ, significat virtutem humilitatis, nam secundum Astrologos, luna est omnibus Planetis, & stellis inferior, & sic etiam juxta Divum Bernardum; *S. Bern.* *Verus humilis vilis vult reputari.* In exercitio hujus virtutis, S. Martinus plurimùm desudavit, nam cum pro patre suo militans, unicum servum haberet, ille exemplo Domini qui lavit pedes discipulorum, & amore humilitatis, calceos eidem servo detrahebat, eosq; abluebat, & extergebat. Legitur de eodem quod cùm quadam vice obvium habens hominem leprosum, cunctis horribilem, eumque ex humilitate & compassione osculatus esset, ipsum subitò persanasse, nec immeritò: *S. Hieron.* ait enim D. Hieronymus. *Nihil est quod nos Deo & hominibus, ita gratos efficiat, quàm quod merito vitæ simus magni, & humilitate infimi.* Licet autem Sanctus Martinus multùm fuerit humilis, tam foris pugnator erat, ut nihil ei resistere potuerit; vicit enim carnem mundum & Diabolum: Et quia gentiles dicunt Martem esse Deum belli, hinc dies tertia quæ Martis dicitur, designat S. Martini fortitudinem, cujus etiam & ipsum nomen à Marte originem suam trahit, quasi esset Martis mens. Erat sanè totus ad bella natus, quia antequam devicit mundum, contra ipsius superbiam pugnavit per humilitatem, & contra carnis illecebras, per aspetitatem vitæ, ut patet hoc exemplo. Cum enim in quandam civitatem suæ Diœcesis venisset, & clerici sibi lectum benè stratum præparassent, ille exhorrescens illius mollitiem, mox surrexit, omnique stramento projecto, super nudam humum se prostravit, memor enim erat verborum Sancti Pauli dicentis. *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt.* *Ad Gal. 5. v. 24.* Et tandem pugnavit contra Diabolum: cum enim quadam die sibi unus obviatet interrogans quonam pergeret, & illi respondenti, quocunque Dominus eum vocaret, ille rursus diceret; quocunque iveris Diabolus tibi adversabitur, pulcherrimè eidem respondit illis verbis Psalmistæ: *Dominus mihi adjutor, non timebo*, quo dicto Diabolus evanuit. *Psalm. 115. v. 7.*

III. Post tot horrenda bella confecta, post tot innumeros hostes superatos, nihil jam deceret magis S. Martinum quam pace frui ad quam ipsum invitabat quartæ diei schema, nempe Mercurius, qui à gentilibus Deus pacis dicitur, ideo ipsum habebant pro unico qui pacificaret inter se discordantes. Est quidem verum, Sanctum Martinum fuisse pacis amantissimum, ad quam etiam suos discipulos verbis Sancti Pauli Apostoli sæpius hortabatur dicens. *Pax Christi exultet in cordibus vestris in quam vocati estis in uno corpore.* *Col. 3. v. 15.* Nihilominus sciens se esse mercenarium, ne si ab opere cessaret, merces sua minueretur, nec illam diem absque labore transigere voluit, quin per occasionem pacis eò majorem sibi comparavit exercens se in patientia & injuriarum remissione eo fine, ut duplicem beatitudinem nempe pacificorum, & persecutionum tolerantiam obtineret Discedebat quadam vice S Martinus super asellum, cum ergo equis contra venientibus & perterritis, mi-

tres in terram corruissent indignati S. Martino illum graviter percusserunt: ille quasi mutus & nullum dolorem sentiens terga cædentibus præbebat. Tum quid fit? Protinus equi ita immobiles in loco suo permanserunt, utlicet flagellarentur, velut saxa moveri non possent, quousque ad sanctum Martinum redeuntes culpam suam confiterentur, & sic veniam eundi impetrarent.

IV. Non abertabo si septem Christi beatitudines, scalam S. Jacob Patriarchæ dixero, septem gradibus constantem, per quos ex uno ad alterum sive in descensu sive etiam in ascensu pervenitur. audistis Sanctum Martinum duos gradus hujus scalæ ascendisse, nempe primum patientiæ, & alterum pacis; jam de altiori audite, qui est misericordia, quam quidem virtutem quinta dies designat quæ est Jovis, quia hæc stella Jupiter, idem est, quasi juvans pater, quia hic planeta promovet fructus ex terra nascentes. Sanctus Martinus quam misericors fuerit, patet tot exemplis nempe pauperis, quem in porta Ambianensi sua veste gladio per medium divisâ contexit; item alterius, quem cum ad præceptum suum Archidiaconus vestire differret, ingressus Sacristiam seque propria tunica expolians, illam pauperi dedit: noverat quippe vocem Christi Domini dicentis, *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*, neque sine fructu suo, in hac virtute misericordiæ sese exercebat, ait enim S Maximus Episcopus. *Misericordia, & ornamentū fidei, justos probat, sanctos Dei cultores ostendit, cujus exercitū reddit Dominū latum, exhibet placabilē Christum.*

Gen. 28. v. 24.

Matth. 25. v. 45.

D. Maxim. 11 serm.

V. Munditia cordis, quanta in Sancto Martino fuerit, hic breviter me expediam, habeo enim Severum & Gallum suos discipulos, qui referunt, Sanctum hunc, cum in cella sua resideret, visitatum fuisse, à Sanctissima Virgine Maria, cum duabus comitibus Agnete & Thecla, interdum ab Apostolis Petro & Paulo, qui tanquam comparem invisebant, nec sine ratione, fuit enim unus ex illis virginib⁹ uti habemus in Apocalypsi. *Virgines enim sunt, & sequuntur agnum quocunque ierit.* Hinc sextæ diei planeta nempe Venus, bene ipsi competit, hic enim post solem & lunam, cæteris planetis est splendidior. Sed ut ad septimam diē quæ est Saturni perveniam, hic planeta cum in motu suo, sit tardior, nam cælum (quod Sol in anno peragit) vix in triginta annis percurrit ut dicunt Astronomi: hic inquam significat summam s. Martini perseverantiam, quam in laboribus suis quotidianis uti audistis servavit usq; ad finē vitæ suæ: Mercenarii solent à labore suo interdum quiescere; at ille non: quia cum revelatum sibi finem vitæ suæ, cæteris discipulis suis indicasset? & illi flentes dicerent. *Cur nos Pater deseris? Cur nos desolatos relinquis?* ille motus ipsorum precibus, ait ad Dominum. *Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* Ecce quàm bene de ipso protuli. *Sicut mercenarii dies ejus.* Sed nunc jam potitur præmio sempiterno.

Apoc. 14. v. 4.

Severus Sulpitius.

AMEN.

IN

IN FESTO S. MARTI= ni Pontificis,

CONCIO III.

Certamen forte dedit illi ut vinceret. Sapient. 10. Vers. 12.

MIrum quid videtur Auditores præstantissimi, quod S. Martinus Episcopus Turonensis dumcumq; depingitur, semper nobis repræsentetur in imaginibus, sub figura unius militis, in equo sedentis, & suum pallium per medium gladio dividentis, eamque partem cuidam pauperi seminudo offerentis. Est quidem verum, quod etiam S. Gregorius Martyr, tanquam miles depingatur, sed talis figura illi bene quadrat, fuit enim verus miles, non solum hujus mundi, sed etiam Christi Domini Generalis sui, cujus juxta consilium Divi Pauli bonam militiam militavit, & pro eodem certavit usque ad mortem. At S. Martinus, quamvis antea militiæ operam dederit idque invitus, postmodum tamen inprimis monasticam vitam professus, & tandē in Episcopum Turonensem evectus fuit. Cur igitur non ut Episcopus, sed ut & miles efformatur? Numquid Sancti in tali schemate sunt præsentandi, quo digniori in Ecclesia Christi præfulserunt? & quis neget Episcopalem statum digniorem esse militari, & militem stipendiarium Episcopo locum debere dare? Forte ideo Sanctus Martinus Episcopus ut miles spectandus exponitur, quia multi in cælo sancti sunt Episcopi, qui nobis pro patronis imitandis & invocandis proponuntur, sed rari milites qui uni pauperi donent vestimentum & non potius auferant. Quidquid sit hac de re, ego recogitans illa verba Sancti Apostoli Pauli quæ scripserat ad Timotheum non militem sed Episcopum. *Labora sicut bonus miles*, redii ad me, & inveni, militiam esse commuuem omnibus, præsertim spiritualem, juxta illud *militia est vita hominis super terram.* Quia verò Sanctus Martinus, non solum ut miles sed etiam ut Episcopus viriliter depugnavit juxta illud: *Certamen forte dedit illi ut vinceret*, ideo non ut Episcopus sed ut miles depingitur, quale vero certamen illud fuerit, & qualis victoria, in hac concione audiemus.

1. *Tim.* 1. *vers.* 19.

2. *Tim.* 2. *vers.* 3.

Iob. 7. *vers.* 1.

I. Est quidem verum Auditores, quod major videretur apparentia, si Sanctus Martinus ponetetur in imagine tanquam Episcopus cum suis ornamentis Pontificalibus, sicuti etiam Aaron summus Sacerdos in antiquo testamento describitur: illæ enim vestes Pontificales quantam ipsi gloriam attulerint patet id ex illis saltem verbis Ecclesiastici dicentis *Circumcinxit eum stola gloriæ, & induit eum stola gloriæ, & coronavit eum in vasis virtutis:* per vasa virtutis Cornelius à Lapide intelligit, eximia vestium instrumenta, quibus ejus auctoritas Pontificalis declaratur, & ob quam omnes eum honorabant & venerabantur. Tigurina id aliter explicat dicens. *Instruxit eum apparatu pretioso*: vestes enim Pontificis erant intextæ auro, & gemmis, ideoque pretiosæ & opulentæ, ac plenæ majestatis, & magnificentiæ. Pontifex enim, hoc suo magnifico ornatu, repræsentabat magnificentiā. & majestatem Dei, cujus erat Vicarius in terra. Hinc uti refert Josephus in libro Antiquitatum 12. cum Jaddus Pontifex iisdem indutus ornamentis, occurreret Alexandro Magno Judæis infenso, eum sacro horrore ita perculit, ut sibi supplicem, & Judæis benevolam

Exod. 28.

Eccles. 45. *vers.* 19.

Tigurina.

Cornelius à Lapide

Iosephus lib. 12. *cap.* 8.

lum effecerit. Non minus, sed magis pretiosæ vestes Pontificum confici & inveniri solent in novo testamento, quibus nihil deest de auro, gemmis, & lapidibus pretiosis: undè sequitur quod magis honorificum esset pro Sancto Martino Episcopo, si in habitu Pontificali, auro, gemmis lapidibusque pretiosis exornato, quam in militari depictus oculis intuentium pateret, nihilominus si aliquid præconii Sancto Martino favere volumus, eum magis in habitu militari quam Pontificio laudare poterimus. Auditis aliquando illa verba sacri textus. *Beatus vir qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia thesauris. Quis est hic & laudabimus eum.* Hæc verba si prolata essent de uno Episcopo, quid esset novi? Cum Apostolus dicat. *Oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum*: at si dicerentur de milite, quid sequitur? *Rara avis in terris.*

Eccles. 31. *vers.* 8.

Ad Titum. 1. *vers.* 8.

II. Talis fuit Sanctus Martinus, & ne quid desit gloriæ sui Pontificii, talis depingi debet; non cum gladio, ut Sanctus Paulus ante conversionem, persequente fideles Christianos, sed cum gladio chlamydem propriam dividente, quam uni pauperi seminudo præsentavit, & hic certe verba thematis mei repetere licet. *Certamen forte dedit illi ut vinceret.* Nostisnè mores militum? Hisce temporibus, dum in pugnam descendere debent, præparant se tanquam ad nuptias, vestes pretiosas induunt, torque aureo collum suum cingunt, baltheum incrustant margaritis, crines capitis sui discriminant, pileum exornant plumis, seque ita adaptant ne quid cultui suo indecens appareat: sed opponamus uni pauperem nudum, & vestiri petentem, & quis è mille personis inveniretur, qui factum Sancti Martini imitari vellet? quantum hisce unusquisque certamen haberet in corde suo? egone propter pauperem vestiendum scindam pallium quo operior & me ipsum deturpabo? Simile certamen objiciebatur S. Martino militi: erat inter tot cuneos commilitionum suorum, vidensque nudum pauperem, sueque chlamydi ensem applicans, ut abscissa illius parte nudum operiret, bene noverat quanta per hoc ab aliis passurus esset ludibria & cachinnos, sed tamen hanc, & alias difficultates, vicit charitas, quæ *Certamen forte dedit illi ut vinceret.*

Actor. 9. *vers.* 5.

III. Est quidem verum Auditores, Sanctum Martinum alia quoque habuisse certamina, vereque cum Divo Paulo Apostolo dicere potuisse. *Bonum certamen Certavi.* Quemadmodum enim Sanctus Paulus plurimas tentationes pro Christo sustinuit, uti secunda Epistola scribit ad Corinthios dicens. *Nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus. Foris pugnæ, intus timores*: eodem modo & Sanctus Martinus, multa adversa pertulit, quæ etiam se passurum prædixit. Inprimis dum ad invisendum parentes suos se contulisset ad iter, inter alpes incidit in latrones, à quibus vinctis post tergum manibus, durius tractabatur, ope tamen divina evasit mortis periculum, eosque ad fidem Christi convertit, Veniens ad parentem, dum contra errores Arrianorum prædicaret, ob id publice cæsus, & de civitate ejectus fuit. Hinc Mediolanum rediens, monasterium sibi construxit, sed inde ab Arrianis ejectus [quorum tunc hæresis per totum orbem pullulabat] ad insulam Gallinariam, cum uno solo Presbytero abit, ubi cum hellebori herbam venenatam degustasset, hæc virtute orationis, nihil ei nocuit, in quo beneficium Elisæi Prophetæ in se expertus fuit. Factus autem Episcopus Turonensis, quæ & quanta certamina sustinuerit, quis illa enarrare sufficiat. Saul dum ad regnum promoveretur, licet esset staturæ nobilissimæ, habuit tamen quosdam contrarios adversus se dicentes. *Num salvare nos poterit iste? & despexerũt eum:* eodem modo & S. Martinus, habuit quendam adversarium ex Episcopis nomine Defensorem, qui ne ordinaretur in Episcopum, eo quod sibi despectus videretur, plurimum resistebat, sed ex alia parte non defuit sibi divina gratia, quæ Sanctum Martinum; tot miraculorum, eorumq; mirabilium effecit patratorem: nam tres mortuos suscitavit, & tot tantasq; infirmitates persanavit, tot energumenos percuravit, ut ad id recẽsendũ tempus non sufficeret. Taceo horrenda & infinita certamina quæ cum malignis spiritibus habuit, de quibus tamen tam gloriosam victoriam reportavit, ut non solum signum sacræ

2. Tim. 4. vers. 7.

2. Cor. 8. vers. 2.

1. Reg. 10. vers. 12.

crucis,

Crucis, sed etiam ad auditum sancti Nominis ejus maximo terrore sint reformidati.

IV. Sed revertor ad propositum. Sicut viri illustres hujus mundi, ita quoque Sancti Dei, solent ex præcipuis virtutum suarum facinoribus, gloriosa sibi insignia desumere. Illustrium facinorum Sancti Martini Pontificis, quæ in suo Pontificatu patravit, nec decimam partem vobis recensui. Cur igitur aliqua ex his pro stemmate sibi non delegit, sed solum unicam illam partem chlamydis, quam equo insidens, abscissam gladio pauperi obtulit? an non excellentiora alia, nempe trium mortuorum suscitatio, & tot languentium percuratio? Paulisper attendite: Rex David licet ex abjecto ovium opilione in Regnum ascenderit, habuit nihilominus multa insignia, quæ in ære cudere, vel in parietibus, & vexillis pingere posset, nempe illos leones & ursos quos occidit, & si id parum videretur, habuit gigantem Philisthæum quem ictu unius lapidis prostravit in terram, & tamen non aliunde insignia sua habere voluit nisi à spelunca quadam, in qua Regem Saul adversarium suum occidere poterat, sed id facere noluit. Quod patet ex titulo quem tribus Psalmis præfixerat in hunc modum. *In finem ne disperdas David in tituli inscriptionem, cum fugeret à facie Saul in spelunca.* S. Gregorius Nyssenus explicans istum titulum ait. Pro summo trophæo, & insignibus id unicum Regem David sibi assumpsisse, quod Sauli in spelunca pepercerit. Cujus facti ut sibi memoria remaneret, abscissam partem chlamydis Saulis, velut perenne scutum familiæ suæ Davidicæ reservavit, cum hac inscriptione. *David cum fugeret à facie Saul, in spelunca.*

1. *Reg.* 17. *vers.* 36.

Psal. 56. 17. 58. *vers.* 1.

D. *Greg. Nyss.* 1. *Reg.* 24. *vers.* 7.

V. Simile nobis hodie occurrit scutum S. Martini Pontificis, non infula, non pedum, aliaque insignia Pontificalia, non tres mortui, quos ad vitam suscitavit, non illa tentationum diversarum certamina; sed quid? pars chlamydis abscissa gladio & nudo pauperi præsentata. Quid hoc Sancte Pontifex? videris mihi unus ex illis mittentibus manum ad aratrum, & aspicientibus retro. Numquid majus est dare partem chlamydis uni pauperi, an mortuum suscitare? Putarem & sic censeo Auditores. Nam & Christus coram Angelis suis hoc factum prædicabat dicens: Martinus adhuc Catechumenus me hac veste contexit, & etiam D. Chrysostomus ait. *Hæc major est gratia quàm mortuos suscitare.* Eja ergo Auditores, S. Martinum imitemur: ut cum ipso cælesti & æterno præmio donari ac coronari mereamur.

Luc. 9. *vers.* 62. D. *Chrys. Hom.* 37.

AMEN.

IN FESTO S. MARTINI
Pontificis,

CONCIO IV.

Super volucres cæli erudit nos, Job. 35. Vers. 10.

VAlde mihi oportunè veniunt hæc verba sacri textus superius recitata: cum enim hodie celebremus Festum S. Martini Pontificis, in quo non solum Boëmii sed cæteræ quoque Christianorum nationes, Anserem hac die in mensis suis habere eoque vesci consueverunt; hic autem sit etiam avis de genere volatilium, non melius ego vos tali saturabo Anſere, quàm stando in hisce verbis mei thematis. *Super volucres cæli erudit nos.* Quamvis autem hæc verba intelligãtur de bonitate Dei, tanquam Creatoris, eo quod hominem omnibus creaturis præposuerit, prout ait Lyranus, *Dando nobis intellectum, quo carent cæteræ ani-*

ra animalia, quod etiam S. David quodam Psalmo summè admiratur dicens. *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra*, nihilominus idem Dominus, remittit nos quandoque ad animalia ratione carentia, ut aliqua ab ipsis discamus, nempe à Leone vigilantiam, quia juxta Plutarchum, symbolum illius est: ab Aquila rectam intentionem cordis, hæc enim solem intuetur, & ad obturus ejusdem pullos suos probat: á Cane fidelitatem, hic enim licet percutiatur à Domino suo, vocatus ab illo rursus revertitur, & immemor injuriæ plagatum illi est obediens. Et tandem Spiritus Sanctus remittit nos ad formicam dicens. *Vade ad formicam ò piger, & considera vias ejus & disce sapientiam.* Sed quid discendum ab illa? Respondet Venerabilis Hugo Cardinalis, quod in ejus natura, ferè contra omnia vitia cautela inveniatur. Quia cum sit parvum animal, docet humilitatem; item sollicitum, sic docet vitare ocium; item providum, sic docet juxta consilium Divi Pauli, *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Item una alteram adjuvat, sic docet charitatem juxta illud. *Alterius onera portate.* Item granum allatum ad nidum suum, detruncat ne germinet, sic docet, vitare elationem de bono opere. Item terram egerit de cavernis, sic docet contemptū terrenorum. Plura dicerem, sed illa prætermitto, quia non ad formicam sed ad Anserem bene saginatum & assatum vos invitavi: sed donec ipsum dividam & unicuique portionem suam offeram, parumper expectate.

Plutarch. de Animal

Prov. 6. vers. 6.

Hugo Card. ibidem.

Gal. 6. vers. 10.

I. Nescirem undè hæc consuetudo venerit, quod in die S. Martini, quilibet homo sit sollicitus, ut particulam auferis in mensa sua habere possit. Cur in hac die, & non in alia? Num forte ideo, quia S. Martinus miles fuit, anser verò & gallina est cibus militaris, quia facilius anserem vel duos, similiter & gallinas ad suum ephippium alligare potest, quàm bovem vel vitulum, sed id minimè quadrat militiæ Sancti Martini, ipse enim fuit miles egregius, & non prædo. Alia ergo ratio petenda est, & forte illa erit quam assignat Ecclesiastes capite tertio dicens. *Omnia tempus habent.* Sicuti enim quædam Aves, feræque silvestres tempus suum habent quo capiuntur mensisque apponuntur. Uti attagines, lepores, perdices, alaudæ, turdi & id genus alia animantia, ita etiam hoc tempus Sancti Martini, prò anseribus comedendis in usu est, quia tunc hæc avis, quæ multis personis sufficere potest, nec est admodum mollis & fluxæ carnis, nec etiam duræ sed maturæ beneque temperatæ, & si benè impinguetur ad vescēdum delicatæ. Antequam tamen hic anser ad divisionem veniat, adhuc de integro aliquid audiamus. Referunt id multi Historici de ista ave; quod garrulitate strepituque indita sit à natura; & hinc etiam per eandem Romana Respublica magno quondam beneficio affecta fuit. Dum enim Galli vi & impressione Romanam urbem irrupissent, eaque capta, etiam arcem urbis munitissimam, quæ Capitolium dicebatur, eique Manlius Consul præerat, fraude aliqua circumvenire & occupare voluissent, jamque à Brenno Duce urbe incensa, mœnia arcis noctu ascendissent, anserum strepitu & clangore excitato, ab eodem Manlio dejecti fuere. Sunt etiam quædam alia quæ istam avem commendabilem reddunt, in primis quod sit ales domesticus, & sociabilis, scribit enim Albertus Magnus libro de animalibus 23. compertum fuisse anserem qui ad sexaginta annos in una domo victitasset. Ad id multa sunt commoda quæ ab anseribus proveniunt: plumæ enim illorum culcitis in quibus homines somnum capere solent, deserviunt, & etiam liquamen ipsorum adipis, non solum ad cibos condiendos, sed etiam ad ipsam sanitatem conducit.

Titus Liv.

Ælianus lib. 12. c. 30.

Albertus Magn. lib. 23. lit. A.

II. Adhuc unum requiritur quod dicere debeam. Est quidem verum uti quidam dixerat, famem esse condimentum cibi, quia etiam Salomon ait in Proverbiis, *Anima esuriens, etiam amarum pro dulci sumit.* Et Tobias instruens multis suum filium, inter cætera protulit. *Panem tuum cum esurientibus, & agentibus comede.* Certè enim hi qui laborant & esuriunt, non quærunt cupedias, sed satis habent, si vel sole pane famem sedare, & stomachum confortare possint. Hinc Eliæ ab itinere fatigato, & esurienti, sufficiebat panis subcinericius: nihilominus moris est hominibus, quod ad excitandum etiam alterius appetitum ad vescēdum, cibos quosdam magis præ cęteris laudare soleant, quia & in ipsis dātur gradus præstantiæ, estque unus sapidior altero. Quamobrem præsciens Samuel Propheta adventum Saulis in civitatem suam in qua residebat, posito Saule in capite mensæ cui

Proverb. 7. vers. 22. Tob. 4. vers. 17.

3. Reg. 19. vers. 6.

1. Reg. 9. vers. 24.

cui accumbebant triginta invitati, armum posuit ante illum dicens. *Ecce quod remansit, pone ante te & comede, quia de industria servatum est tibi.* Quæ verba Prophetæ non sunt simpliciter provocantis ad cibum, qualia erant illius Angeli ad Eliã dicentis in deserto. *surge & comede, grandis enim tibi restat via.* sed potius extollentis & commendantis quodammodo illam portionem, quæ tanquam cæteris nobilior, non casu sed studio, sauli futuro Regi à Propheta reservata fuit. Pro teste habeo Hugonem Cardinalem, qui explicans istum locum historię sic ait. *Samuel prævidens in spiritu, quod Saul venturus erat, reservaverat ei locum in capite mensæ, & partem hostiæ, scil dextrum armum, quasi partẽ regalem.* Ego qui vos ad anserem invitavi, etiam deberem appetitum in vobis excitare, & ad sumendũ ipsum avidos reddere, uti erant quondam filii Israelis, dum in Aegypto Agnum Paschalem comedebant. sed habeo aliquid in contrarium, non desunt enim pleriq; qui anseres vituperant, uti Plinius; qui plurimos illorũ defectus adnotavit, nempe quod sint garruli, pigri, & stolidi: dum enim anser aliquam radicem apprehensam, suo morsu conatur evellere nec potest, citius sibi collum abrumpit: denotant planè aliquos qui ad impossibilia stulto appetitu feruntur. sed quidquid sit, anser dum est præparatus, mensæq; appositus, propter hos defectus suos, nulli est in odio, nulli ipsum aversatur, sed quilibet sibi frustrum sumit neq; ergo à nobis contemnetur, præcipuè cum non dente sed mente rodendus erit.

3. Reg. 19. v. 7.

Hugo Card.

Plin. l. 10. c. 59.

III. In primis anser denotat quemlibet Christianum eumque docet, ut sit addictus sacræ Romanæ Ecclesiæ: audistis enim, qualiter ipsi Romanam curiam suo clamore defenderint contra Gallos, deinde referente quoque Plinio, qualiter è Gallia, ab extremis Arcianorum populis, Romam usque pedibus venerint. Unde si primò strepitum illorum perpenderimus, hic docebimur strepere contra hæreticos & sacram Romanam Ecclesiã defendere, qua de re sanctus Hieronymus, magnus Pater & Doctor Ecclesiæ, explicans ea verba Isaiæ Prophetæ dicentis. *Super muros tuos Ierusalem constitui te, custodes totâ die & totâ nocte in perpetuũ non tacebunt: qui reminiscimi Domini, ne taceatis, & ne detis silentium, donec stabiliat, & donec ponat Ierusalem, laudem in terra.* Hæc verba Prophetica intelligit de Ecclesia Christi, quæ fundata est in Christo, & ædificata per Sanctos Apostolos, præsertim verò à Sancto Petro Principe eorundem fundata & erecta Romæ, hæc inquam Sancta Ecclesia, quæ accipitur sub typo Jerusalem, quomodo sit custodienda, ne adversarius ad gregem Domini devorandum, ipsam ingredi possit, ibidem Sanctus Doctor recenset dicens. *Qui custodes, nec diebus debent, nec noctibus tacere, nec in lætis nec in tristibus, semper Domini clementiam deprecari ut grex illius, & muri Ierusalem, custodiantur, & vallentur ejus auxilia.* Jam verò quod concernit eorundem anserum adventùm Romam, notum est toti mundo Christiano; quàm sit celebris hæc Sancta Romana Ecclesia, quam Principes, Regesque nec non Imperatores cæteriq; fideles à remotissimis orbis partibus solent invisere, quam etiam S. Martinus adhuc puer invitis parentibus visitaverat, & in eadem Sancto Hilario Magistro suo obvius factus erat: nec mirum; ait enim Sanctus Irenæus dicens. *Ad hunc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles* Quod si non posset fieri passibus corporis, tunc passibus animi omnino, id est faciendum.

Isaiæ 62. v. 6.

S. Hieron. lib. 17 in Isaiam.

S. Irenæus lib 3. l. 3.

IV. Anser jam est divisus, ad distributionem ergo illius accedamus. Cum in Ecclesia Christi Domini duplex status numeretur, & Spiritualis præcedat: Primo Prælatis & Superioribus, ex decocto ansere, qui vulgari lingvâ junior appellatur, offero caput cum omnibus ejusdem partibus: non id facio, ut totum Ecclesiæ ordinem confundere videar, ubi simul appono caput, ascellas, pedes, & intestina, ac si quilibet sacerdotum, uti docent Hæretici, potestati & jurisdictioni summi Pontificis, cæterorumque Antistitum & Prælatorum Ecclesiæ Christi se æquiparare queat: sed quia s. Paulus 1. ad Corinth. 12. c. sic ait. *Vnum estis corpus Christi, & membra de membro* Et mox subdit. *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primò Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores*, & sic de aliis. Cum tamen gratiarum divisiones sint, licet ab uno procedant spiritu, sic juxta ipsum,

1. Cor. 12. v. 27.

partes hujus anseris ita præpositas, distinguo in hunc modũ Caput esto Prælatis, sed quia durum, non ab omnibus sufferri potest, addo illi delicatam particulam, nempe jecur molle & latum, ut interdum in lenitate spiritus subditos suos doceant & corripiant. Quod concernit assum anserem, jam absquè hoc in usum venit Boemis, quod dorsum anseris, Episcopis approprient & Presbyteris, qualitercunque id sentiant, ego dico hanc partem, non esse vilem & contemnendam, nec dedecere dignitatem Sacerdotalem, juxta illud: *Posteriora dorsi ejus in pallore auri:* quæ verba explicans. Hugo Cardinalis intelligit per ipsa perseverantiam pœnitentiæ, quam nulli melius docent, quàm Sacerdotes Domini, dicendo ad Christi fideles illa verba Christi Jesu. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Prædicatoribus verbi Dei præsento collum anseris juxta illud. *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam,* & quia ad id egent robore, ad id ipsis deserviet pectus anseris una cum thorace ejusdem. Religiosis personis, offero ascellas, ad volatum, quas tamen caput præire debet, ut per discretionem, spiritus dirigatur ad cœlestia.

Psal. 62. v. 2. *Hugo Card.* *Matt. 10. v. 22.* *Isaia 58. v. 1.*

V. In statu seculari, omnibus uxoratis, caput anseris debet dari simul cum collo- quia *vir est caput mulieris:* ex assato anseris addo ipsis partem pectoris dextram, ut cum illud sit amoris symbolum conjugalis, in eo permaneant ad similitudinem casti Joannis Evangelistæ, qui *recubuit in cœna super pectus Jesu.* Uxoribus suorum maritorum decocto anserе, offero collum, sed sine capite; quia ait sacer textus. *Mulier si primatum habeat, contraria est viro suo,* ne tamen multùm ab illo elongetur, dono illis costas dorso anseris inhærentes, quia mulier de costa viri sumpta est, & quia à costis non longè quoque distat umbilicus, & hunc faveo loco crateris tornatilis, seu cyphi, qualem Moyses fecerat in aureo candelabro, una cum liliis & sphærulis, ut doceant prolem suam timore Domini, in liliis castitatem, in sphærulis operum strenuitatem. Ad quædam officia venio, judicibus quadrabunt pedes anseris, ne sint celeres in decretis contra reum faciendis, sed ut Deum imitentur, qui dicitur habere pedes columnis similes, quia est tardus ad vindictam. Cantoribus & Musicis, collum cum pectusculo deserviet, Scribis & Procuratoribus pennæ pro calamis, & quamvis dicere soleant; *Lingua mea calamus scribæ,* hæc tamen quia sæpè labitur, melius est ut sibi notent quæ proferre debent. Plumas do somnolentis & pigris: at vigilantibus promitto coronam sempiternam.

Eph. 5. v. 23 *Ioan. 21. v. 20.* *Eccl. 25. v. 30.* *Cant. 7. v. 2.* *Apoc. 10. v. 1.* *Psal. 44. v. 2.*

AMEN.

IN FESTO S. CATHARINÆ, Virginis & Martyris,

CONCIO I.

Non est talis mulier super terram, in aspectu & in pulchritudine & in sensu verborum. Iudith. 11. v. 19.

TAm elegantibus naturæ donis Creator universi Deus honestam sanctamque Judith honorare dignatus fuit, ut cum stetisset ante faciem Holophernis, ille quidem captus fuerit in oculis suis, servi vero sui qui eum circumdabant, invicem sibi locuti fuerint dicentes. *Non est talis mulier super terrã in aspectu, & in pulchritudine, & sensu verborum.* Sed ego nullã injuriã viduæ fecero si virginalẽ pulchritudinẽ ejus statui prætulero, quæ adeo emicuit in Sancta Virgine Catharina, ut non solum in aspectu, & in pulchritudine, &

in

in sensu verborum, cæteras excelluerit, sed in aliis quoque gratiæ donis, quibus à Christo sponso suo copiosè honorata fuit. Quod vobis in hac concione, non solum per negationem, uti faciunt Theologi, sed etiam per affirmationem demonstrabo.

Homerus Iliad. 4.

I. Quod ait Homerus Poëta Iliade 4. dicens: *Non simul omnia dii dederunt hominibus*, illud minimè à veritate alienum est. Si enim Dominus Deus uni homini omnia dona sua largiretur, & alteri nihil, uni prodigus alteri esset parcus. Hinc ille Æsopus, interroganti suo Domino quidnam sciret, non malè respondit dicens. *Se nihil scire.* Cum enim collegæ sui, eodem modo interrogati, se ideo nihil scire, quia illi totum habentes, nihil sibi reliquissent. Sed excipienda hic mihi est Diva Virgo Catharina, illi etenim non per partes, sed omnia simul dona sua, visus est Dominus elargiri, quod antequam probare incipiam, propono quandam Cassiodori sententiam, qui libro undecimo Variarum Lectionum, Reginæ cujusdam Romanorum texens Historiam, duabus de causis eam collaudavit. Primò quod subditis suis Regem genuerit. Secundò, quod amplissimum illud regnum, usque ad adultam ætatem filii sui generosè defenderit. Verba sunt authoris. *Felix Domina, quod habet eximium uterque sexus implevit, nam & glorioſum Regem nobis edidit, & latissimum imperium, animi fortitudine vendicavit.* Gloriosa erant hic pro lata, sed major illius Dominæ laus fuisset, si illam sexum suum superasse, & viriles dotes induisse probasset. Quod si ego talem fuisse Divinam Catharinam demonstravero, quibus dignam encomiis æstimabitis? Primò, non ego id assero, sed sic Cicero ait Libro primo Rhetoricorum, *Mulierum genus avarum.* Idem probat author quidam Neotericus hac historia. Cum non omnis Reginæ Saba ænigmata, in quibus tentaverat prudentiam & sapientiam Salomonis, posita sint in libris Regum, sed quædam dicuntur à quibusdam authoribus; inter cætera refert author Panarii Pastoralis, qualiter Regina Saba tentare volens Salomonem quonam modo inter duas, personas, sibi æquales per omnia, sexum dignosceret, statuit ante ipsum duos infantes, quorum unus puer, & alter puella fuit, ambos masculis vestibus indutos, adeoque sibi simules, ut impossibile videretur discrimen aliquod inter ipsos statuere, juxta illud Ovidii.

Talis erat vultu facies, quam dicere verè. *Ovid.*
Virgineam in puero in virgine posses.

In vita Æsopi.

Cassiod. lib. 11. Var Lect.

Cicero lib. 1. Rhet.

Autor Panarii Pastoralis serm. 22.

A Rege proindè petit, ut pro sua sapientia, inter illos, quis puer, aut quæ puella esset, discerneret. Salomon facturus experientiam, canistrum fructibus plenum adduci jussit, pomaque in terram projiciens, mandavit ut illa ambo colligerent, sibique de ipsis quantum vellent, acciperent. Ambobus igitur ad poma currentibus, cum puero duo, vel tria suffecissent, puella non acquievit, donec omnia collegisset, iisque sinum suum implevisset. Ex qua avaritiâ, Salomon puellam dignovit à puero. Avaritia ergo signum est fœminei sexus. De S. Catharina scribitur fuisse Regis Costi filiam divitiisque multis abundasse, sed utrum aliquo illarum desiderio teneretur iisque inhiaret, ex his verbis patet quæ in Gallicano Breviario recensentur. *Cum esset virgo adhuc in annis puellaribus, mundi renunciavit opibus.* Cum ergò S. Catharina Virgo, omnis avaritiæ expers fuerit, hinc non mulierem, sed Heroem quædam generosum censendum esse judico. *Non est talis mulier super terram, &c.* *Gallican. Breviar.*

II. Cura fœminarum non est major, quàm ea sola, quam de pulchritudine sua habere solent, summumque illis gaudium esse solet, quando sibi videntur pulchræ, unde non miror, me nusquam audivisse à viro, aliquam mentionem speculi, in sacra confessione; nempe quod illud ob ornatum capitis sui, faciei suæ intuitus fuerit, sed sæpè numero à fœminis hæc enim libenter specula intueri assolent, in quibus faciei suæ pulchritudinem ac speciem videre possint. Dicetis non esse verum: facile id vobis probabo. Quando Moyses fabricabat pertinentia ad altare holocausti, fuit etiam inter cætera, labium æneum cum basi suæ qualenam fuerit, id describitur Exodi. 38. c. hisce verbis. *Fecit & labium æneum cum basi* Exod. 38. v. 8.

ſua de ſpeculis mulierum, quæ excubabant in oſtio tabernaculi. Quænam illa ſpecula fuerint, quibus illud lavatorium adornatum erat: aliqui dicunt fuiſſe vera ſpecula devota ad uſum illius tabernaculi, ſicut quando nos aliqua ex voto ſeu pietate templis conferimus, ego tamen nollem huic opinioni locum dare, niſi fortè illæ mulieres tam ſenes eſſent, quod non amplius uti poſſent Collyrio ſicuti illa Jezabel, quæ ut placeret Jehu Principi *depinxit oculos ſuos ſtibio.* Sed quæ planè ſunt extenuatæ & rugatæ, nec jam defectum ſuum juvare poſſunt, his jam non inſerviunt, ſed potius obſunt ſpecula, ſicuti uni vetulæ, quæ elevato fruſto ſpeculi, videnſq; in eo deformitatem vultus ſui, projecit dicens, *ſi quid boni eſſes, in ſimeto non jaceres*: poſſet ergo fieri quod tales fœminæ decrepitæ, ſua ſpecula pro incruſtatione illius vaſis obtulerint. Sed Lypomannus, Cajetanus cæteriq; cenſent ibi nulla fuiſſe ſpecula, ſed fuiſſe metallum adeo terſum, & clarum, ut per hyperbolen dictum fuerit, de ſpeculis mulierum in quo metallo poſſent mulieres faciem ſuam intueri. Ecce ergo verum eſt, quod mulieres ſpeculis oblectentur, in quibus pulchritudinem ſuam videre poſſint S. Virgo Catharina quàm venuſta quanta pulchritudine decorata fuerit, teſtatur id ille ingens ſtupor crudeliſſimi tyranni Maximi, qui primo intuitu videns illius pulchritudinem, mente obſtupuit: ſed quid caſta Virgo? Miranti Regi dixit *Hæc quam tu admiraris pulchritudinem, terra eſt & cinis.* An ergo immeritò de hac Sancta protulit? *Non eſt talis mulier ſuper terram, &c.*

4. Reg. 9. v. 3.

Lyp. in Cajet.

Metaphr.

III. Habent id etiam à matre ſua Eva mulierēs, quod ſint avidæ honoris, ſicuti illa Deorum honorēs appetebat. Appetitus honoris Mariam Salome adimprudentem illam petitionem traxerat, quod duobus filiis ſuis primas cathedras à Chriſto petierit. Sic enim ait Hugo Cardinalis. *Aviditate fœminea hoc fecit.* Quis neſcit, quibus dolis Regina Semiramides maritum ſuum interfecit, tantum ut illa dominatu totius regni potiretur? Agrippina Neronis mater, prænonita à Vatib⁹ & Aruſpicibus, quod ſi filius ſuus Nero, Regnum obtineret, ab eodem illa interfici deberet: quid illa reſpondit? *Interimat, modò regnet.* Sed quid de noſtra victrice S. Catharina Virgine dicemus? illa ne honorum erat avida, ut ſuſpicari fœminam poſſet: minimè verò, quin adeo ab omni ambitione remota fuit, ut cum Tyrannus ei promitteret, ſi Chriſtum negaret, primum locum poſt Reginam, ſuam imaginem in medio civitatis collocandam, & Deam appellandam, illa cum indignatione reſpondit. *Deſine talia dicere qua ſcelus eſt cogitare: ego me ſponſam Chriſto tradidi, ille gloria mea, ille amor meus.* O acutiſſimum ſenſum verborum in ore virgineo! Liceat ergo mihi rurſus dicere. *Non eſt talis mulier ſuper terram, &c.*

Matt. 20. v. 21.

Hugo Card.

Cælius lib. 3. c. 5.

Hiſt. Lomb.

IV. Certè non eſt talis mulier ſuper terram, quæ ſpreto mundi hujus favore & divitijs, pompis & honoribus, Chriſtum Jeſum pro ſponſo ſuo ſibi eligere voluit, & quidem taliter quod nunquam ab illius amore ſe elongaverit. Legimus Deuteronomii 24. & Matth. 19. in antiqua lege licuiſſe Judæis dimittere uxores ſuas. Quærit hic Abulenſis. Cur etiam uxoribus eadem licentia data non fuerit, ut dimittere quoque poſſent maritos ſuos, & reſpondet idem autor. Fœminas eſſe inſtabiles, & iracundas, quæ ſi eam haberent facultatem, omni hora maritis ſuis darent libellum repudii. At S. Catharina, cum neq; blanditiis, neq; minis, neq; horrēdis tormentis à Chriſto ſuo ſponſo abſtrahi potuerit, quis jam de ipſa hæc verba dicere nolit. *Non eſt talis mulier ſuper terram, &c?*

Deut. 24. Matth 19. v. 9.

Abulen. in Matth.

V. Et quia in vita Chriſtum ſponſum ſuum dilexit plurimum, meritò quoq; ab ipſo tam in vita, quàm poſt mortem honorata fuit: in vita quidem, quia 50. Philoſophos (diſputando cum illis) ſuperavit & illos ex errorum tenebris ſuis divinis documentis ac ſingulari doctrina adveram fidei lucē traduxit, poſt mortem autem, quia corpus ſpeciali ſepultura in monte Synai ab Angelis honoratum, anima verò ad cœleſtis vitæ gaudia translata fuit. Appropinquante Moyſe ad rubum ardentem in deſerto Synai, audivit vocem DEI dicentis *Ne appropies huc, ille enim locus in quo ſtas terra ſancta eſt.* Si tunc interrogaſſet Moyſes, cur Deus eam terram ſanctam dixerit, quid reſponſi haberet? Illud puto, quod adfert Gulielmus

Exod. 3. v. 5.

Gulielm. Pipin. lielmus Pipinus dicens. *Dicitur terra sancta eo, quod prævidisset Deus, ibi reponendum corpus Virginis suæ Catharinæ.* Appelles pictor insignis videns quandam imaginem Prothogenis, sic ait. *Mirandum opus, desunt tamen Dii qui hoc in cælum reponant.* Quanto ergo felicior fuit Sancta Catharina, cujus non solum corpus Sanctissimum ab Angelis ad montem Synai, sed etiam anima cum jubilo ad cœlestem montem nempe ad Thronum sponsi sui, cui se totam dedicaverat in hac vita deportata fuit. Liceat ergo iisdem verbis finire Panegyricum. *Non est talis mulier super terram.* Cujus nos Patrocinio commendemus, ut nobis à sponso suo Christo, impetret gratiam, ut quoque cum illa in monte sancto sepeliari mereamur.

AMEN.

Apophteg. lib. 6.

IN FESTO S. CATHARINÆ Virginis, & Martyris,

CONCIO II.

Adamavit eam Rex super omnes mulieres. Esther 2. Vers. 17.

VErissimum illud est quod scripsit Princeps Philosophorum Aristoteles in libro Ethicorum. Quod quo aliquis magis est obediens Superiori suo, eo majorem ab eodem meretur gratiam & amorem, id enim in Regina Esther manifeste patet. Rex Asuetus postquam repudiavit Vasthi propter inobedientiam suam, præcepit quæri per universas provincias regni sui virgines speciosas easque adduci ad civitatem Susan, inter quas etiam Esther adducta fuit, quæ licet non inquireret muliebrem cultum sicut cæteræ virgines, sed quidquid ad ornatum suum sibi datum erat, eo contentaretur, nihilominus cum ducta ad cubiculum Regis, stetisset ante ipsum, ait textus Historiæ. *Adamavit eam Rex plusquam omnes mulieres* Nec sine ratione, videbat enim formosam, non solum facie, sed etiam animo, quæ cunctis erat dotata virtutibus. Non absimilem virginem nempe S. Catharinam proponit nobis S. Ecclesia, quæ cum non solum pulchritudine corporis sed etiam animi morumque esset conspicua, *Adamavit eam Rex super omnes mulieres:* non Rex Asuerus, sed cæli terræque Christus, sed qualiter eam adamavit? In hac concione audismus.

Lib. Ethic. 9.

Esther 2. vers. 16.

I. Qualiter Asuerus Esteram adamaverit præsto est testimonium sacræ scripturæ dicentis. *Habuit gratiam & misericordiam coram eo, super omnes mulieres, & posuit diadema regni in capite ejus, fecitque eam regnare loco Vasthi.* Esther 2. vers. 18. Clarissima hic erant amoris signa, quibus Rex Asuerus Esteram honoravit, videamus etiam amoris signa, quibus Catharinam Sponsam suam, Christus Rex universi decoravit. In capite quidem suo, regium Diadema video, quia etiam è regio sanguine prodiit, nempè Regis Costi nata fuit: sed quando imaginem suam melius inspicio, video quædam alia, amori Regis contraria: quid enim ensis quem in manu tenet, cum amore? Quid rota illa horrida, aculeis & novaculis plena, cum amore? Hæccine igitur erunt amoris arma & insignia? An quia ex illis sexaginta fortibus una fuit, quæ habens ensem in manu excubabat ad lectum Salomonis? Ita Sane: qui in lectulo Salomonis gratiam & amorem quærunt, qui ab eo præmiari & coronari volunt, debent excubare ad lectulum, habentes gladios in manibus, *nemo coronabitur nisi qui legitime certaverit*, juxta Doctorum Apostolum Paulum in 2. Epistola ad Tim. Talis ergo fuit S. Virgo Catharina, illorum sexagin-

Esther 3. vers. 3. 2. Tit. 2. vers. 5.

sexaginta sex cubitorum tenentium gladios circa lectulum Salomonis una fuit, ideo depictam videtis cum ense, virgo quidem fuit, sed non inter fragilem sexum fæmineum collocanda, quia virili fortitudine præstans fuit. Et ut ab origine nativitatis suæ incipiam: refert Baronius Tomo 3. Annalium, nomen hujus sanctæ virginis, dum adhuc gentilis esset, fuisse Catharina, vel Hecatharina, quæ postea, sacro baptismate suscepto, Dorothea teste Ruffino appellata fuit, quod nomen designat domum Dei, seu adorans Deum: quod quidem nomen licet non sine mysterio sibi datum erat, nihilominus illa primitivum retinuit, nempe Hecatharina, quod nomen derivatur ab Hecate, quæ Dea dicebatur symbolum fuisse fortitudinis, quia hic terminus Hecas apud Græcos Centum significat; ac si S. Catharina ea futura esset quæ tanquam alter Briareus centum manus habens, gigantes hujus mundi sua fortitudine superaret: quænam illa fuerit, audite.

Baronius Tom. 3.

II. De Achille, qui inter fortissimus viros unus erat, tradunt Historici, quod cum Pater ejus intellexisset, si ad bellum quod cum Trojanis & Græcis habebatur, se committeret, in eodem occidendus foret tale commentum adinvenit, duxit illum in Licomedis Regis palatium, ibique fæminea veste indutum, inter Regis ejusdem filias collocavit. Quia vero Græci ex Oraculo Apollinis didicerant Trojam ab illis debellari non posse, nisi Achilles præsens adesset, dimiserunt Ulyssem, ut studiose eum inquireret. Hic cum percepisset eum muliebri veste amictum inter Licomedis Regis domicellas vivere & commorari, ut eum agnoscere posset, tali consilio usus erat, acceptis secum multis jocalibus, de auro, argento, gemmis, lapidibus pretiosis, cæterisque rebus quibus gynæceum oblectatur, item adjuncta quoque iis pharetra, arcu, & sagittis, exponens se pro mercatore pertexit ad regiam, seque res varias, visu caras venales habere ait, admittitur, suasque merces exponit, & interea inclinationem eas intuentium considerat, futurum certo prævidens, quod cæteris gemmas respicientibus, Ulysses oculos suos ad pharetram flexurus esset, prout re ipsa accidit, atque per hoc signum agnitus, ad bellum contra Trojanos instructum deductus fuit. Simile quid cum Sancta Catharina factum videmus, cum enim eo tempore ipsa viveret in deliciis, quo à gentilibus contra fidem Christianorum bellum agebatur, Sancta Virgo Catharina videns fideles homines ob professionem fidei Christianæ variis modis excruciari, Maximinum adiit, eique impiam immanitatem objiciens, Christi fidem ad salutem esse necessariam sapientissimis ne dicam divinis rationibus demonstravit. Quid Rex? Deductæ ad suum palatium proponit divitias, aurum gemmasq; pretiosas, & honores varios, modo negaret Christum: at illa omnibus hisce spretis, rotam & ensem perlibenter suscepit, quo mediante sanguinem suum pro eodem profudit; & hæc causa demonstrat gladium manum tenentem.

Homer. in Iliad.

III. Antiqui illi gentiles, solebant pingere Herculem, clavam manu sua tenentem, quæ fortitudinem suam denotabat hic enim dum cum Antheo cæterisq; gigantibus conflictum habuisset, eâ clavâ utebatur, qua illos percusserat & domaverat, sed tamen Hercules qui pro forti habebatur non semper talis erat, quia semel ad mollitiem fæmineam declinaverat: cum enim Omphalæ Lydorum Reginæ amoribus teneretur, eidem se accomodare volens in gynæceo cum suis domicellis, fusum & colum manu sua tractabat, & cum juxta Divum Thomam 3. Parte. Quæstione 37. Articulo 2. *Nomina debent proprietatibus rerum respondere.* Aquin. S. Thom. Jam Herculi in hoc passu nomen muliebre, Sanctæ verò Catharinæ, nomen virile dandum censeo; hæc enim manifesta ejus heroica gesta denotant. Sed quænam illa? Rex Maximinus avocare cupiens à Christo Virginem, cum promissa sua magnifica sibi facta non succederent, Philosophos numero 40. qui virginem convincerent, & à fide Christi revocarent, accersivit, quis non putaret virginem fore convincendam? Cum enim dicatur proverbio, *Ne Hercules quidem contra duos.* Si non Hercules duobus, quomodo 40. Sapientibus unica Virgunecula Catharina resistere potuit. Sed contrarium apparuit: nam Sancta Catharina taliter Philosophos confutavit, ut illis fæmina quædam Hercule fortior, & Aristo-

ARISTOTELE sapientior appareret.

IV. Inter alias visiones mysticas quæ Sancto Joanni Apostolo erant exhibitæ, erat hæc quoque non postrema, quam recenset Apocal. c. 7. dicens; se vidisse Angelum iride coronatum, soleque clariorem, qui dextrum pedem supra mare, sinistrum verò supra terram collocavit. Per Angelum, ego Christum intelligo qui à S. Malachia Propheta dicitur; *Angelus testamenti.* Per duos pedes Christi fideles, inter quos aliqui sunt fortiores, aliqui verò infirmiores. Et quia juxta D. Apostolum. *Fidelis Deus est, qui non patitur vos tentari supra id quod potestis*: tunc Christus Dominus per Angelum nominatus dexterum pedem in mari collocat, quando sanctos qui sunt fortiores, majoribus exponit periculis, quæ per mare denotantur; sinistrum verò tunc in terra collocat, dum infirmiores, exponit minoribus, quæ per terram designantur. Testis hujus sensus est Durandus, dicens. *Ad hoc pertinet, quod Ioannes vidit Angelum fortem, qui posuit pedem suum dexterum supra mare, nam fortia membra majoribus periculis opponuntur.* Quàm pulcher conceptus pro S. Catharina: hæc enim cum maximis oppositа fuerit periculis, tot modis à Rege Tyranno cruciata, quis non videat in corpore fæmineo, animum fuisse virilem, tametsi sexu mulier fuerit, illam tamen nemo fœminam æstimet, cui Deus fortium locum assignavit.

Apocal. 7. vers. 2.

Malach. 3. vers. 1.

1. Cor. 10. vers. 13.

Guilielm. Duran. lib. 1. Rat.

V. Quæritur quisnam sit locus fortium? non alius, quam Regnum æternum. Sacra etenim Mater Ecclesia exhortans unumquemque fidelem ad similem fortitudinem, non alium eis assignat locum quam ipsum cælorum Regnum, dicens. *Estote fortes in bello, & pugnate cum antiquo serpente, & accipietis Regnum aternum.* Et si fortitudo suscipitur & laudatur in omnibus, multò magis in sexu fœmineo, dicente Ecclesiastico. *Mulierem fortem quis inveniet?* Cum ergo hæc fortitudo in Sancta Catharina Virgine & Martyre singulariter enituit, quæ pugnavit contra carnem, mundum & Diabolum, & non solum hos tres hostes devicit, sed etiam de insidiis Philosophorum, de tormentis suis gravissimis & de ipso Tyranno Maxentio trophæum tulit: merito *Adamavit eam Rex super omnes mulieres.* Cujus & nos patrocinium invocemus, ut à Christo amari & cum ipsa coronari in cælesti Patria mereamur.

Prov. 31. vers. 10.

AMEN.

IN FESTO S. CATHARInæ Virginis, & Martyris,

CONCIO III.

Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu supergressa es universas.
Proverb. 31. Vers. 29.

Hæc verba S. Scripturæ, quæ mihi assumpsi pro laudibus S. Catharinæ Virginis, valdè videntur esse mihi peregrina & ad id exequendam insufficientia, nusquam enim audivi filias hujus mundi [ordinario modo loquendo] multas congregasse divitias, nec etiam ut iis abundent esse conveniens. Hinc Abraam Patriarcha uti habetur Gen. 11. cap. cum ad instantiam Saræ uxoris suæ expedire deberet Aegyptiam, cum qua habebat filium Ismaëlem, quid fecit? numquid auro & argento quod multum in domo sua habuit, ipsam oneravit? num uti sui thori sociam liberali quodam viatico honoravit? minimè verò nam ait textus. *Surrexit Abraam mane & tollens panem & utrem aqua, imposuit scapula ejus, tradiditque puerum, & dimisit eam.* è contra legimus libri ejusdem cap. 27. qualiter Isaac filiis

Gen. 21. vers. 14.

Gen. 27. verſ. 28. filiis ſuis Jacob & Eſau benedixerit, nempe uni de rore cæli & pinguedine terræ: alteri verò in pinguedine terræ & rore cæliq; benedictio nihil aliud denotabat niſi abundantiam rerum temporalium & divitias, quibus uterq; abundabat & ſimilem benedictionē quæ his duobus data fuit, nulli unquam filiarum impertitam inveni, illas enim non decet nimia cura rei familiaris, non decet negotiatio, per maria navigatio, agricultura, cæteraque media, quibus divitiæ, opeſque comparantur, ſed dote ſua contentæ eſſe debent. Unde ego hic alias divitias intelligens, nempe myſticas: qualiter in illis S. Virgo Catharina omnes filias ſupera verit, in hac Concione enarrabo.

I. Manendo in meo propoſito, id eſt penes divitias morales, quas multæ filiæ congregaſſe dicuntur, certe ego plures invenio, quæ majoris paupertatis quam divitiarum cauſam dederunt. Sit pro uno exemplo prima hujus mundi filia & mater noſtra Eva, volebat illa multas congregare divitias, quia audiens ſibi dictum à ſerpente. *Eritis ſicut Dii,* Gen. 3. verſ. 5. cupienſque immenſas illas divitias ſapientiæ & ſcientiæ Dei poſſidere, ſuggeſtioni & conſilio ſuo locum dedit, ſed ita dives facta fuit, ut nudum corpus ſuum foliis ficuum veſtire debuerit, & per ipſam hucuſq; in mundo, paupertas & miſeria dominetur. Quod ſi omnes omnium Regnorum, civitatum, & diverſorum locorum mundi hujus, ruinas & calamitates penitus conſideraveritis, illas à mulieribus ſuam traxiſſe originem comperietis. Notum ſiquidem eſt, ingens illud Trojanorum imperium per Helenam diſſipatum eſſe. Samios per Aſpaſiam deſolatos eſſe. Laviniam Regni Latinorum fuiſſe ruinam. Thaidem, pulchertimam illam civitatem Perſepolim per incendium Alexandri Magni perdidiſſe. Octaviam bellum civile Romæ excitaſſe, hucuſque tam præclaræ urbis excidium fuiſſe, & ne etiam prætereamus Sacram Scripturam, Dalilam privaſſe oculis Samſonem fortiſſimum, Herodis Regis filiā vita privaſſe Sanctum virum & Prophetam, Joannem Baptiſtam. Et ſic conſequenter per omnes mundi, hominumque caſus diſcurrendo, plurima damna à fœminis cauſata reperietis. Quod cum ita ſit, quomodo iſtud verum erit quod de ipſis ſcribitur. *Multæ filiæ congregaverunt divitias?* Sed ſciēdum eſt non de omnibus idem judicium haberi debere, non enim ait facer textus. Omnes filiæ, ſed multæ filiæ. Multæ filiæ quæ diſſipaverunt divitias, multę etiam quæ congregaverunt divitias. Numquid dives erat moribus & virtutibus Rebecca? de qua facer textus. *Puella decora animis virgoque pulcherrima.* Gen. 24. Nonne eodem modo Rachel dives erat? de verſ. 51. qua Geneſis 29. *Rachel decora facie & venuſto aſpectu.* Gen. 29. Nonne honeſta illa Abigail dives verſ. 17. erat prudentia S. David hac de redicentem audite. *Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui miſit te hodie in occurſum meum, & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuiſti me hodie ne irem ad ſanguinem, & ulciſcerer me, manu mea.* Taceo Jahel Heroiſſam, divitem fortitudine, quæ occiſo Siſara manu ſua Regem Chananæorum, totamque gentem ſuam humiliavit. Taceo honeſtam Judith divitem fortitudine, quę Holopherni Aſſyriorum Principi caput abſcidit, totumque exercitum diſſipavit: taceo plures alias antiquę ætatis filias, ſed illarum brevem mentionem facio, quas commemorat S. Hieronymus in prœmio ad Sophoniam Prophetam, Baronius in Anno Dom. 395. nempè, Aſpaſia, Sappho, Proba Adolphi Uxor Eudoxia, Theodoſii, Elipis Boëtii, cæteręque Matrone doctrina & ſapientia præcellentes, de quibus merito dici poteſt. *Multæ filiæ congregaverunt divitias.*

II. Sed eſto, quod multę filiæ congregaverunt divitias. Nempe prudentiæ, fortitudinis, Sapienttę, Conſilii, Caſtitatis, Pietatis, Temperantiæ, cæterarumq; virtutum, nihilominus, unam ego filiam invenio, quæ *ſupergreſſa eſt univerſas.* Sed quam vos putaretis? juxta Ciceronis teſtimonium, Cornelia Grachorum mater tot tantiſque adornata erat virtutibus, ut filii hujus familiæ exemplo ſuo in eruditione, boniſque moribus inſigniter profecerint, & propter tam bonam educationem in ſumma officia Romæ evecti fuerint: ſed hæc cum fuerit extra Chriſtianam fidem, nullum apud nos votum habet. Poſſum Cicero in Bruto. etiā producere aliquot filias Chriſtianas Imprimis Amalaſionta Alarici Mater, non ſolum morū gravitate pollebat, ſed etiam in linguis variis & doctrinis ita inſtructa erat, ut omniū nationum linguas ad unguem calleret, & cum unoquoque docto de diverſis materiis diſceptaret: id refert Platina in primum C. Platina in Ioan. 1. Joann. Silvia, Ruffini Conſulis uxor, præter

alias

alias virtutes egregias quibus erat prædita, varios libros legendo, noctem vertebat in diem, inter quos tricies centena millia versuum legendo transibat, & unumquemque autorem septies revolvebat: id testatur Palladius c. 33. Rosuitta Germana, illustris virgo. Ottonis primi imperatoris vitam suaq; gesta, metro eleganti, & erudito conscripsit. Fortè ergo ex his nominatis erit aliqua, quæ sine pulchritudine, sine integritate vitæ sine scientia, cæterisque virtutum opius, multas illas filias superavit: nulla harum Auditores mei, sed, sola est, sancta & decora virgo Catharina, de qua dici potest. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.*

Palladius c. 33.

Majolus Coll. 4.

III. Primum ipsius monile fuit, quo filias supergressa est universas, annulus quo eam sibi Christus Jesus subarravit, eoq; mediante ab omni amore hujus seculi separavit. Legimus quidem in quibusdam aliarũ Sanctarum historiis quod eas quoque cœlestis sponsus Christus Jesus annulo sibi subarrhaverit, sed unicus S. Catharinæ omnes alios superexcellit, & si multa millia annulorum pretio inæstimabili gloriantium mihi exhibueritis, annulo S. Catharinæ sponsæ Christi, nullus eorũ comparandus erit. De Polycrate Samiorum Duce legimus in tantum fuisse fœlicem quod nesciret quid esset tristitia, neq; aliquam causam nosset, ob quam, vel paruo saltem mœrore, animiq; alteratione affici posset: intellexit id optimus amicus suus, eamq; amici sui conditionem male ferens metuensq; ne aliquod subitaneum malum illi accideret, quod ferre (tanquam ignarus mali) non posset, rogavit ut cujusdam rei sibi charę, studio jacturã faceret: ille annulum quẽ pretiosissimum habuit projecit in aquam, sed dum in eadem piscem captum exenterassent, & in eodem annulum invenissent, eundem Principi antequam tristari cœpit reddiderunt, malo quidem omine quia qui nusquam didicit tristitiam, eam in patibulũ actus, subito experiri coactus, fuit. Numquid annulo Polycratis, annulum S. Catharinæ comparare fas est? minime vero, dum enim ille fictam in annulo suo quæ sivisset tristitiam, invenit veram in patibulo: justa peccati pœna; annuli enim dantur sponsis, in signum communis sortis ut sive bene vel male sit, in signo annulli qui rotundus est, totum toleretur. Et sic se habuisse sponsam Christi Catharinam ex verbis sequèntibus cognoscetis.

IV. Nata S. Catharina in quadam insula Cypri, cui Costus Rex pater suus dominabatur, & cum eodẽ translata Alexandriam, ibidem omnibus literarum disciplinis operam dedit, habens ætatis suæ annos 14. dum universas Alexandriæ Virgines excelleret pulchritudine & sapientiâ, rege jam mortuo, ab omnibus pro conjuge petebatur sed cum illa nulli conjungi vellet, nisi esset præditus nobilitate, scientia, divitiis, & pulchritudine, Deo sic disponente, accepit Baptismi sacramentum, atq; in extasim rapta, Beatissimam Virginem Mariam, Matrem Jesu videre, ad eoq; desponsari, & in arrham fidei pulcherrimum annulum accipere meruit. Sed quo fine? non solum conjugibus dantur annuli, sed etiam Doctoribus, itaq; cum sanctâ Catharinâ acceperit annulum à Domino tanquam sponsâ sua, & etiam tanquam magistra veritatis Christianæ, hinc merito de illâ dici potest. *Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu supergressa es universas.*

V. Annulus in signum fidei dari solet, & quæ filiarum S. Catharina sponso suo Christo fidelior esse potuit? Nullum admisit amatorem præter solum Jesum sponsum suum, cum illo vivere, & pro illo non solum mori, sed per atrocissima tormenta mortis ad illum pervenire voluit. Similiter annulus Doctoribus dari solet, O præclarissimam sponsam simul & magistram, quæ oratores simulque Philosophos 50. superavit. Liceat igitur mihi eadem verba repetere. *Multæ filiæ congregaverunt divitias*: tu supergressa es universas. Laudetur divina potentia, quæ etiam in vase fragili tot mirabilia operatur nos autem qui hodie s. Catharinam omnium filiarum mundi, Principem esse agnovimus, ejusdem patrocinium invocemus, ut à Domino Jesu sponso suo hic in terra exaudiri & post illam cum ipsa vivere mereamur. Amen.

IN FESTO S. CATHARINÆ, Virginis & Martyris,

CONCIO IV.

Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem,
Prov. 9. v. 1.

MUltum timeo Auditores, ne me temeritatis arguatis hæc verba proferentem, (*sapientia ædificavit sibi domum excidit columnas septem*) eaque in encomium sanctæ Virginis Catharinæ convertere cupientem. si enim juxta Hugonem Cardinalem, cæteroſque sacrarum ſcripturarū Interpretes, per eā domum à sapientia ædificatā, nec non per columnas septē, intelligitur verbi Divini incarnatio, & Christi Jesu humanitas; quomodo ego talē domum à filio Dei unigenito, ad divam Catharinam Virginem & Martyrem transferre præsumo? sed admirari cessabitis, ubi propositi mei rationem acceperitis. Inter multas variasq; domos sumptuosè & artificios è ædificatas, legi etiam fuisse quasdam, quæ de uno loco ad alterum transferri potuerunt. Non solum enim remotæ nationes (uti sunt Numidæ) tales domos nempè portatiles inhabitant, sed etiam in Europa similes his inveniri possunt Inprimis scribit Jovius Historiarum suarum libro 20. Quod cum vice quadam duo Reges, nempe Franciscus Galliæ, Henricus Angliæ, colloquii causa convenissent, Galliæ Rex sub papilione suo ex pretiosissima materia facto, Regem Angliæ invitavit ad colloquiū, at altera die Rex Britannus, domum ligneam amplissimæ Regiæ instar, cum porticibus, cœnaculis elaboratam, pictam simul atque inauratam, & ab architectis ita affabre factam exhibuit ut complicari, deque uno loco ad alterum transferri posset. Item narrat Trithemius, similem domum sultanum Babylonicum dono misisse Friderico Romanorum Imperatori, Anno 1232. taliarte confectam, ut in ea cursus solis & lunæ, nec non justa, & certa horarum spatia viderentur. Cum ergo humanum ingeniū tales domos portatiles excogitare potuerit, etiam & ego cogitabo, ut domū hanc æternæ sapientiæ, ad Divinam Catharinam transferre possim: vos vero attendite.

Hugo in Prov. 9.

Iovius lib. 20.

Trithem.

I. Domum ab æterna sapientia ædificatam, non gratis vocavi portatilem quæ non est uni loco affixa, sed de uno ad alium transferri potest, ea enim domus diversimodè à Patribus S. Ecclesiæ, intelligitur. Venerabilis Hugo Cardinalis (uti jam feci mentionē) per istam domum intelligit incarnationem Christi Domini, qui cum juxta testimonium Divi Pauli; sit virtus Dei, & Dei sapientia, ædificavit sibi domum, nempe adaptavit sibi corpus & animam, ad habitandum nobiscum: excidit autem columnas septem, figuratas per septē sigilla; quibus signatus fuit libet vitæ, quæ solvit Leo de tribu Juda Primum sigillum est Christi Nativitas, secundum, Circumcisio, tertium est Baptismus, quartum, sua passio, quintum, Sepultura, sextum, Resurrectio. Septimum, in cœlum ascensio. Quid putatis Auditores nonne domus hæc est egregia? nemo vestrum est qui contradicat: quamprimū enim de ædificatione hujus domus, audivim' à s. Joanne Evangelista dici. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*, mox sequitur *Et vidimus gloriam ejus.* Unde non solum egregia, & magnifica, sed nobis quoque salutaris. Nicolaus de Lyra per istam domum intelligit sanctam Ecclesiam, quam ædificavit Christus verbo & exemplo in humanitate assumpta Per columnas, intelligit, septem sacramenta, à Christo instituta, quibus fulcitur, tota ejusdem s. Ecclesia. Iterum supra nominatus Hugo per eandem domum sapientiæ, intelligit, beatissimam Virginem Mariam, cujus septem virtutes, designant totidem

1. Cor. 1. v. 30.

Apoc. 5. v. 2.

Ioan. 1. v. 14.

Nicol. Lyran. in c. 6.

totidem columnas: quæ quidem virtutes, in salutatione Angelica continentur, nempe pudicitia in his verbis, *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem.* Secunda est Pax nempe *Desponsatam viro cui nomen erat Ioseph.* Tertia, propositionis discretio. *Cogitabat qualis esset ista salutatio.* Quarta modestia morum. *Quomodo fiet istud.* Quinta, humilitas: *Ecce ancilla Domini.* Sexta, conformatio voluntatis suæ cum divina. *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Septima divinæ gratiæ gratitudo. *Abiit in montana cum festinatione.*

Hugo ubi supra.

II. Intellextistis circa hanc domum æternæ sapientiæ, tot sententias & judicia: quis ergò vestrum negare poterit, eam esse portatilem? Jam enim vidistis stantem in arca verbi incarnati, jam in arca Sanctæ Ecclesiæ, jam in arca Sanctæ Virginis Mariæ Matris Dei, septem virtutibus illustratæ, attendite ergò, quò egojam istam domum transportabo: nempe eam collocabo, in area S. Virginis Catharinæ. Quod anima hominis præcipuè justi & fidelis, sit domus Dei, nemo est qui dubitare possit. Sicut enim teste Venerabili Hugone, *Corpus hominis est domus in qua habitat anima* juxta; illud S. Pauli, ad Corinth. cap. 5. *si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, ædificationem ex Deo habemus.* ita quoque anima hominis est domus Dei in qua habitat per gratiam, juxta illud sancti Apostoli. *Templum Dei estis & Spiritus Sanctus habitat in vobis:* tunc autem sapientia ædificavit domum istam, & excidit columnas septem, quando animam univit corpori, ex quibus partibus, tanquam quibusdam parietibus, ædificabatur homo quasi domus quædam, quæ septem columnis nempe intellectu, voluntate, memoria, nec non quatuor elementis sustentatur. Talem ego domum voco S. Catharinam Virginem, ad illam hæc verba spectare dico *Sapientia ædificavit sibi domum excidit columnas septem.* Inter domos ea solet esse uniformitas, quod omnes componantur ex parietibus & tecto; ea tamen inter ipsas datur differentia; quod pulchritudine & sumptibus una superet aliam: idem ergo est judicium de S. Catharina: æquè fuit domus Dei sicut & cæteri, quia æqualiter ad imaginem Dei condita, qualiter ante cæteras domos excelluerit, audite.

Hugo in 2. Cor 5.

Cor. 6 v. 16.

III. Communis domus est omnis homo, quilibet enim nostrum constat ex quatuor elementis, & tribus animæ potentiis, quæ septem columnas constituunt: eas ergo & S. Cathatina in sua domo habuit, quæ ipsam sustentabant, sed ego alias quoq; in venio, quæ ipsius domum non solum sustentarunt, sed etiam mirificè exornarunt. Non laudo domũ hanc ab extrinseco, nempe quod Regis filia, sive quod pulcherrima fuerit, sed quod per baptismum, accepta Spiritus Sancti gratiâ, tam formosa in anima sua exstiterit, ut non solum unigenitus Dei filius, eam sibi desponsare dignatus fuerit, sed etiam Sp. S. septem donis suis, suam domum in tantum condecorare voluerit, ut sua eloquentia & sapientia quinquaginta Philosophis, qui cum ipsa disputabant de fide Christiana, ad stuporem, Regi vero Maxentio, ad confussionem fuerit. Rex quippe impatiens capituli sibi à virgine dati, cur Christianos ad colenda idola cogeret, nec non ejusdem argumẽtis pro cultu videri Dei sibi objectis illaqueatus, convocatis undiq; Philosophis, & Sapientibus hujus mundi, volebat in Virgine, divinæ sapientiæ flammam extinguere. *Sed quid fit?*

IV. Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. Quia cogitabat Tyrannus ille, quod per humanam sapientiam, quæ apud Deum stultitia est, Sanctam Virginem superaret: itaque divina Sapientia cuneum cuneo retundere volens, omnes eas columnas quibus humana sapientia inniti videbatur Sanctæ Catharinæ domui, largissimè contulit. Per has columnas intelligo septem artes liberales, nempe, Grammaticam, Dialecticam, Rhetoricam, Arithmeticam, Musicam, Geometriam, Astronomiam, quibus Sanctissima Virgo Catharina manens Alexandriæ, ita perfectè exculta fuit, ut non solum Sophisticas Philosophorum fallacias suis responsis eluserit, sed etiam eosdem ad confessionem fidei Christianæ, suis rationibus sibi à Deo datis perduxerit; juxta illud Pauli Apostoli: *Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes* Cum enim in omnibus hisce scientiis, sive artibus Deus illucescat, per has confudit Philosophos, cum Rege Maximino, quibus confusum fore putaverunt.

1. Cor. 1. v. 27.

V. Subsitit domus Virginis S. Catharinę, à fallaci mundi Sapientia subverti non potuit, quia non solum hisce columnis nitebatur, sed etiam habuit alias fortiores, de quibus S. David Psalmo 74. *Ego confirmavi columnas ejus.* Quęnam verò illæ fuerint, illas puto, quas enumerat S. Propheta Isaias, nempe Spiritus Sapientię, intellectus, Consilii, fortitudinis, Scientię, Pietatis, timoris Domini. Hisce columnis, ęterna Sapientia firmavit domum suam. Columna Sapientię, quia hanc à juventute sua exquisivit; intellectus; quia Deus qui intellectum dat parvulis, eandem in sua juventute eodem munere honestavit. Consilii; Quia repudiato mundo ejusque blanditiis, hanc elegit viam, quæ ducit ad patiam Forritudinis; quia heroicum & æterna memoria celebrandum certamen, pro fide Christi Jesu sustinuit. Scientię; quia juxta D. Paulum, *non judicavit se scire aliquid, nisi Jesum Christum, & hunc crucificum.* Pietatis; quia ob fidem Christi ipsa sciens se morituram, plurimos ad ejusdem fidem convertit: & tandem Timoris Domini; quia propter amorem cęlestis gaudii, omnem terrorem pœnasque tyrannihorribiles flocci fecit. Quid mirum? Sapientia ædificavit sibi domum in terris, quam transtulit ad domum sempiternam in cœlis. Ad quam illa semper magno desiderio anhelavit & tandem sui pii ac sancti desiderii compos evasit & jam cum sponso suo Christo regnat in æternum, huic sit honor & gloria in secula seculorum.

Psalm. 74. vers. 4.

Isaiæ 11. vers. 2. Sap. 8. vers. 2.

1. Cor. 2. vers. 2.

AMEN.

FINIS.

INDEX LOCORUM E SACRA Scriptura utriusq; Testamenti, ad hunc Tomum spectantium.

Vbi Litera F. designat Festum. C. Concionem. E. Exordium. P. Punctum.

Genesis.

Cap. 1. v. 2. *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* in Festo S. Andr. C. 1. P. 1.

v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* in Festo SS. Philippi & Jacobi. C. 3. P. 1.

Cap. 2. v. 17. *Ex omni ligno Paradisi comede.* in Festo S. Cathar. Sen. c. 3. p. 3.

Cap. 3. v. 10. *Domine audivi vocem tuam & timui.* in Festo S. Joan. Bapt. c. 4. p. 2.

v. 17. *Quia comedisti de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo.* in Festo S. Andr. c. 1. p. 2.

v. 24. *Collocavit ante paradisum voluptatis Cherubin & flammeum gladium atque versatilem ad custodiendã viam ligni vitæ.* in Festo S. Stephani Protomart, c. 2. in exordio.

Cap. 8. v. 20. *Ædificavit altare Domino & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis obtulit holocaustum super altare.* in Festo S. Andr. c. 4. p. 3.

Cap. 12. v. 1. *Egredere de terra tua & de cognatione tua & de domo Patris tui, & veni in terram, quam monstravero tibi.* in Festo S. Barth. c 2. p. 2.

Cap 15. v. 1. *Noli timere Abraham, ego Protector tuus, & merces tua nimis magna.* in Festo S. Blasii c. 3. p. 2.

v. 1. *Merces tua magna nimis.* in Festo S. Mariæ Magd. c. 1. p. 1.

Cap. 18. v. 4. *Afferam pauxillum aquæ ut laventur pedes vestri.* in Festo S. Nicolai c. 4. p. 4.

v. 27. *Loquar ad Dominum meum cum sim pulvis & cinis.* in Festo S. Laur. Mart. c. 1. p. 5.

Cap. 19. v. 22. *Festina & salvare tibi, quia non potero facere quidquam donec ingrediaris illuc.* in Festo S. Blasii c. 2. p. 2.

Cap. 22. v. 22. *Tolle filium tuum quem diligis Isaac. & vade in terram visionis, atq; ibi offeres eum in holocaustum.* in Festo S. Cathar. Sen. c. 3. p. 1.

Item. in Festo S. Barth. c. 3. p. 3.

Cap. 24. v. 67. *Accepit eam uxorem, & in tantum dilexit eam, ut dolorem qui ex morte matris ejus acciderat, temperaret.* in Festo S. Andr. c. 4. in Exord.

Cap. 27 v. 27. *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus.* in Festo S. Andr. c. 4. p. 1.

Cap. 29. v. 20. *Servivit pro Rachel septem annis & videbantur ei pauci dies præ amoris magnitudine.* in Festo S. Blasii c. 1. p. 1.

Cap. 32. v. 26. *Dimitte me quia jam aurora ascendit.* in Festo S. Matthiæ Apost. c. 3. in Exord.

Cap. 37. v. 34. *Scissis vestibus indutus est cilicio lugens Filium suum; multo tempore noluit consolationem accipere.* in Festo SS. Innoc. c. 2. p. 1.

Item in Festo omnium Sanctorum, c. 4. p. 3.

v. 2. *Ioseph cum sedecim annorum esset pascebat gregem.* in Festo S. Joan. Evang. c. 2. p. 2.

Cap. 41. v. 41. *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* in F. S. Steph. c. 3. p. 1.

Cap. 48. v. 22. *Do tibi partem unam extra fratres tuos.* in Festo S. Joanis Evangelistæ c. 2. p. 4.

Cap. 49. v. 20. *Pinguis est panis Christi & prabebit delitias Regibus.* in Festo S. Cath. Sen. c. 1. p. 4.

Exodus.

Cap. 2. v. 5. *Filia Pharaonis cum descendisset ad flumen, ut in ipso lavaretur, vidit fiscellam in papione in qua occulsus &c.* in Festo Sancti Andreæ concione 1. p. 6.

Cap. 3. v. 5. *Ne appropiet huc.* in Festo S. Th. Ap. c. 3. p. 1.

Cap. 4. v. 12. *Perge & ego ero in ore tuo docebo q; quid loquaris.* in Festo Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, concione 2. p. 2.

Cap. 14. v. 13. *Ægyptios quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis, usque in æternum* in Festo S. Thom. Apostoli concione 2. p. 4.

v. 21. *Cum extendisset manum suam Moyses super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi.* in Festo S. Andr. c. 1. p. 3.

v. 27. *Fugentibus Ægyptiis occurrerunt aqua & involvit eos Dominus in mediis fluctibus.* in Festo Sanctæ Annæ gloriosæ Matris Beatæ Virginis Mariæ concione 1. p. 3.

Cap. 15. v. 1. *Cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus est.* in Festo S. Blasii Mart. c. 1. p. 5.

v. 21. *Iste Deus meus glorificabo eum.* in F. S. Cath. Sen. c. 2. p. 4.

Cap. 16. v. 12. *Vespere comedetis carnes & mane saturabimini panibus, scitis q; quod ego sim Dominus Deus vester.* in Festo Sanctorum Apostolorum Philippi & Iacobi c. 2. p. 1.

Cap. 17. v. 5. *Antecede populum & sume tecum de senioribus Israel & virgam qua percussit fluvium, tolle in manu tua & vade &c.* in Festo S. Andr. concione 1. p. 3.

Cap. 19. v. 21. *Qui tetigerit montem morte morietur.* in Festo S. Thom. Apost. c. 3. in exordio.

Cap. 22. v. 6. *Si egressus ignis invenerit spicas, & comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris, reddet damnum qui succenderit.* in Festo Sancti Michaelis Archangeli concione 3. puncto 3.

Cap. 25. v. 40. *Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* in Festo Sancti Stephani concione 3. in exordio.

Item. in Festo SS. Innocentum concione 1. p. 1.

Cap. 32. v. 20. *Deprecatus est faciem Domini.* in Festo S. Steph. c. 4. p. 4.

Cap. 33. v. 19. *Ego ostendam tibi omne bonum.* in Festo SS. Apostolor. Philippi & Iacobi c. 3. p. 3.

Numeri.

Numeri.

Cap. 20. v. 7. 8. *Apparuit gloria Domini ſuper eos, locutusque eſt Dominus ad Moyſen dicens. Tolle virgam & congrega populum, tu & Aaron frater tuus & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas.* in Feſto S. Thom. Ap. concione 1. p. 1.

Cap. 24. v. 15. *Dixit Balaam filius Beor: dixit homo cujus obturatus eſt oculus, qui viſionem omnipotentis intuitus eſt.* in Feſto S. Nicol. c. 1. p. 1.

Deuteronomii.

Cap. 10. v. 14. *En Domini Dei tui cœlum eſt, & cœlum cœli & terra & omnia quæ in ea ſunt.* in Feſto Sanctorum Apoſtolorum Philip. & Iacob. c. 2. p. 2.

Cap. 32. v. 43. *Exultate gentes cum populo ejus & adorent eum omnes filii Dei, quoniam ſanguinem filiorum ſuorum ulciſcetur.* in Feſto Sanctorum Innocentum c. 2. p. 1.

Cap. 34. v. 4. *Hæc eſt terra pro qua juravi Abraam Iſaac & Iacob dicens, ſemini tuo dabo eam: vidiſti eam oculis & non tranſibis ad illam.* in Feſto Sancti Thomæ Apoſtoli c. 1. p. 1.

Joſue.

Cap. 1. v. 11. *Ite & ponite pedes ſuper colla Regum iſtorum.* in Feſto S. Thomæ Apoſtoli c. 2. p. 1.

Judicum.

Cap. 4. v. 14. *Surge, hæc eſt enim dies, in qua tradidit Dominus Syſaram in manus tuas.* in Feſto SS. Apoſtolorum Philippi & Iacobi c. 1. p. 1.

Cap. 8. v. 20. *Non eduxit gladium, timebat enim quia adhuc puer erat:* in Feſto S. Th. Ap. c. 2. p. 1.

1. Regum.

Cap. 2. v. 1. *Exultavit cor meum in Deo ſalutari meo, Dominus mortificat & vivificat.* in Feſto Sancti Matthiæ concione 1. in exordio.

Cap. 10. v. 23. *Altior fuit univerſo populo, ab humero & ſurſum.* in Feſto S. Nicolai c. 3. in exordio.

Cap. 17. v. 34. *Paſcebat ſervus tuus Patris ſui gregem, & veniebat leo vel urſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos & percutiebam, eruebamque de ore eorum.* in Feſto S. Thom Ap. c. 3. p. 2.

Cap. 18. v. 1. *Anima Ionathæ conglutinata eſt animæ David, & dilexit eum Ionathas quam animam ſuam.* in Feſto S. Andr. c. 2. p. 5.

v. 1. *Anima Ionathæ conglutinata eſt animæ David.* in Feſto S. Mariæ Magdal. c. 1. p. 5.

2. Regum.

Cap. 12. v. 8. *Si parva ſunt adjiciam tibi multò majora.* in Feſto Sanctæ Annæ gloriosæ Matris Beatæ Mariæ Virginis c. 4. p. 1.

Cap. 14. v. 14. *Omnes morimur & quaſi aqua dilabimur in terram quæ non revertentur.* in Feſto Sancti Stephani concione 1. p. 2.

Cap. 17. v. 1. *Eliga mihi duodecim millia virorum & consurgens persequar David hac nocte.* in Festo SS. Innoc c. 3. p. 1.

Cap. 18. v. 3. *Tu unus solus pro decem millibus computaris.* in F. S. Joan. Evang. c. 4. p. 1.

3. Regum.

Cap. 1. v. 3. *Quæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus filiis Israel.* in Festo S. Cath. Sen. c. 2. p. 5.

Cap. 6. v. 32. *Fecit in oraculo duos Cherubin de lignis olivarum.* in Festo S. Nicol. c. 4. p. 3.

Cap. 8 v. 10. *Nebula implevit domum Domini, & nõ poterãt Sacerdotes stare & ministrare propter nebulã, impleverat enim gloria.*

v. 35. *Osculor oro te patrem meum & matrem meam & sequar te.* in Festo S. Andr. c. 2. p. 4.

Cap. 19. v. 8. *Ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus usq; ad montem Dei Oreb.* in Festo S. Cath. Sen. c. 3. in exdrdio.

Cap. 20. v. 42. *Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus.* in Festo S. Nicolai c. 2. p. 3.

Cap. 22. v. 49. *Rex Iosaphat fecerat classes in mari &c.* in Festo S. Andr. c. 1. in exord.

4. Regum.

Cap. 3. v. 27. *Arripiens Filium primogenitum qui regnaturus erat pro eo obtulit holocaustum super murum, & facta est indignatio magna in Israel, statimq; recesserunt ab eo & reversi sunt in terram suam.* in Festo S. Thom. Ap. c. p. 2.

Cap. 6. v. 15. *Viditq; exercitum in circuitu civitatis & equos & currus.* in Festo S. Blasii c. 2. p. 2.

Cap. 7 v. 9. *Si tacuerimus & noluerimus nunciare usq; mane sceleris arguemur.* in F. S. Nicolai c. 2. p. 4.

Cap. 18. v. 5. *Post eum non fuit similis ei de cunctis Regibus Iuda sed neque in his qui ante eum fuerunt.* in Festo S. Nicolai c. 3. in exordio.

Esdræ.

Cap. 1. v. 17. *Omnia venerant scripta manu Domini ad me ut intelligerẽ universa opera exemplaris.* in Festo SS. Innoc. c. 1. p. 1.

Cap. 2. v. 16. *Tum abiit Salomon in Asiongaber & in Hallath ad oram maris &c.* in F. S. Andr. c. 1. in exord.

Tobiæ.

Cap. 12. v. 19. *Ego cibo invisibili & potu qui ab hominibus videri non potest &c.* in F. S. Thomæ Aquin. c. 1. p. 2.

Judith.

Cap. 11. v. 19. *Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum.* in Festo S. Cath. Sen. c. 2. in exordio.

Job.

Cap. 3. v. 22. *Ædificavit sibi solitudines.* in F. S. Nicolai c. 1. p. 4.

Cap. 6. v. 15. *Fratres mei transierunt à me.* in F. SS. Ap. Phil. & Jac. c. 3. p. 2.

Cap. 7. v. 17. *Quid est homo quia magnificas eum aut quid apponis erga eum cor tuum.* in Festo S. Cath. Sen. c. 4. p. 5.

Cap. 10. v. 4. *Nunquid oculi carnei sibi sunt aut sicut vidit homo & tu videbis.* in Festo S. Andr. c. 2. p. 3.

Cap. 11. v. 14. *Si non manserit in tabernaculo tuo injustitia, tunc levare poteris faciẽ tuam absq; macula.* in Festo SS. Innoc. c. 3. p. 3.

Cap. 14. v. 3. *Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculas tuos.* in Festo S. Andr. c. 2. p. 1.

Cap. 19. v. 21. *Manus Domini tetigit me.* in F. S. Steph. c. 2. p. 5.

Cap. 22. v. 29. *Qui humiliatus fuerit erit in gloria.* in Festo S. Jacobi Apost. c. 3. p. 3.

Cap. 28. v. 22. *Perditio & mors dixerũt: auribus*

nostris audivimus famam ejus. in Festo S. Nicolai c. 1. p. 1.

Cap. 34. v. 24. *Conteret multos & innumerabiles & stare faciet alios pro eis.* in Festo S. Mathiæ, c. 1. in exordio.

Psalmi.

Psal. 1. v. 3. *Erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum.* in Festo S. Steph. c. 1. p. 3.

Psal. 2. v. 10. *Et nunc Reges intelligite.* in F. Ap. Philip. & Jacobi c. 2. p. 3.

Psal. 15. v. 6. *Hæreditas mea præclara est mihi.* in Festo SS. Ap. Petri & Pauli c. 3. p. 4.

Psal. 17. v. 21. *Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.* in Festo S. Steph. c. 3. p. 2.

Psal. 18. v. 1. *Cœli enarrant gloriam Dei.* in F. S. Matthiæ Ap. c. 3. p. 2.

v. 7. *Exultavit ut gigas ad currendum viam suam.* in Festo S. Joan. Bapt. c 1. p. 1.

Psalm. 33. v. 16. *Quia oculi super justos.* in F. Andr. c. 2. in exordio.

Psal. 36. v. 25. *Non vidi justum derelictum nec semen eius quærens panem.* in Festo S. Andr. c. 2. in exordio

Psal. 39. v. 18. *Ego autem mendicus sum & pauper.* in Festo S. Nicolai c. 4 p. 1.

Psal. 45. v. 5. *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* in Festo S. Nicol. c. 1. p. 5.

Psal. 52. v. 5. *Non scient omnes qui operantur iniquitatem qui devorant plebem meam ut cibum panis.* in F. SS. Innoc. c. 3. p. 1.

Psal. 53. v. 8. *Voluntariè sacrificabo tibi & confitebor nomini tuo Domine; quoniam bonũ est.* in F. S. Andr. c. 4. p. 4.

Psal. 68. v. 3. *Infixus sum in limo profundi & non est substantia.* in Festo S. Steph. c. 1. p. 1.

Psal. 74. v. 4. *Ego confirmavi columnas ejus.* in Festo SS. Apost. Petri & Pauli. c. 1. p. 4.

Psal. 77. v. 54. *Ejecit à facie eorum gentes & sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.* in Festo S. Matthiæ Ap. c. 4. p. 1.

Psal. 81. v. 6. *Ego dixi Dii estis.* in Festo S. Blasii Mart. c. 1 in exordio.

v. 6. *Ego dixi Dii estis & filii Excelsi omnes.* in Festo S. Barth. Ap. c. 4. p. 2.

Psal. 84. v. 8. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam & salutare tuum da nobis.* in Festo Ap. Philip. & Jacobi. c. 4. p. 4.

v. 14. *Iustitia ante eum ambulabit.* in Festo S. Joan. Bapt. c. 3. p. 4.

Psal. 90. v. 1. *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.* in Festo S. Blasii c. 1. p. 4.

Psal. 100. v. 6. *Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat.* in Festo SS. Innoc. c. 3. p. 2.

Psal. 118. v. 94. *Tuus sum ego, quoniam justificationes tuas exquisivi.* in Festo S. Blasii M. c. 1. p. 4.

Psal. 131. v. 18 *Super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.* in F. SS. Innoc. c. 4. p. 1.

Psal. 134. v. 6. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* in F. S Thom. Ap. c. 1. p. 1.

Psal. 138. v. 31. *Omnis consummationis vidi finem.* in Festo S. Steph. c. 2. p. 2.

Proverbia.

Cap. 5. v. 23. *Funiculis peccatorum suorum unusquisq; constringitur.* in Festo S. Portiunculæ c. 3. p. 3.

Cap. 6. v. 1. *Si spoponderis pro amico tuo defixisti apud extraneum manum tuam.* in Festo S. Ioan. Bapt. c. 4. p. 5.

v. 6. *Vade ad formicam ô piger & considera vias ejus & disce sapientiam.* in Festo S. Martini Pontificis c. 1. in exord.

Cap. 8. v. 17. *Ego diligentes me diligo.* in Festo S. Ioan. Evang. c. 2. p. 2.

Cap. 9. v. 1. *Sapientia ædificavit sibi domum excidit columnas septem, immolavit victimas miscuit vinum, & posuit mensam.* in Festo Inventionis S. Crucis c. 2. p. 1.

Cap. 11. v. 26. *Qui abscondit frumentum, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium.* in F. S. Nic. c. 2. p. 1.

v. 16. *Mulier gratiosa, inveniet gratiam.* in F. S. Andr. c. 3. in exordio.

Cap. 14. v. 21. *Qui miseretur pauperis, beatus erit.* in Festo S. Nicolai c. 2. in exordio.

v. 16. *Benedictum lignum, per quod fit justitia.* in Festo Invent. S. Crucis c. 4. p. 1.

Cap. 18. v. 3. *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* in Festo S. Matthæi Ap. c. 3. p. 2.

Cap. 21. v. 28. *Vir obediens, loquetur victorias.* in F. SS. Apost. Simon. & Judæ c. 2. p. 2.

Cap. 25. v. 3. *Cor Regis inscrutabile.* in Festo S. Joan. Evang. c. 3 p. 2.

v. 12. *Inauris aurea & margarita fulgens, qui arguit sapientem.* in Festo Invent. S. Crucis c. 3. p. 1.

v. 12. *In auris aurea & margarita fulgens, qui arguit sapientem.* in Festo S. Margarit. V. & M. c. 4. p. 2.

Cap. 29. v. 23. *Humilem spiritum suscipiet gloria.* in F. S. Jacobi Ap. c. 3 p. 3.

Cap. 31. v. 29. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* in Festo S. Cath. Sen. c. 1. in exordio.

Ecclesiastes.

Cap. 1. v. 14. *Verti me ad alia & vidi calumnias quæ sub sole geruntur innocentiũ &c.* in Festo Innoc. c. 3. p. 1.

Cap. 11. v. 7. *Dulce lumen & delectabile est oculis videre solem.* in Festo Apost. Philippi & Jacob. c. 3. p. 4.

v. 7. *Dulce lumen, & delectabile est oculis videre solem.* in Festo S. Martini Episcopi. c. 1. p. 3.

Cantica.

Cap. 1. v. 3. *Curremus post te in odorem unguentorum tuorũ.* in F. S. Andr. c. 4. p. 2.

v. 12. *Fasciculus Mirrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* in Festo S. Blasii M. c. 1. p. 2.

v. 10. *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* in Festo S. Cath. Sen. c. 4. in exordio.

Cap. 2. v. 5. *Fulcite me floribus stipate me malis, quia amore langueo.* in Festo Innoc. c. 4 p. 4.

v. 6. *Sub umbra illius quem desideraveram sedi, & fructus illius dulcis gutturi meo.* in F. Exaltat. S. Crucis c. 4. p. 2.

Cap. 3. v. 4. *Inveni quem diligit anima mea.* in F. Joan. Evang. c. 3. p. 5.

v. 7. *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel omnes tenentes gladios.* in F. SS. Innoc. c. 2. p. 4.

Cap. 4. v. 13. *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* in F. S. Joan. Evang. c. 4. p. 4.

v. 16. *Surge aquila & veni auster & perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* in Festo SS. Innoc c. 4. p. 1.

v. 2. *Sicut grex tonsarum quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis.* in Festo SS. Ap. Sim. & Judæ. c. 4. p. 1.

Cap. 5. v. 1. *Veniat dilectus meus in hortum suũ, comedat fructum pomorum suorum.* in F. M. Magd. c. 2 p. 1.

v. 7. *Invenerunt me custodes qui circumeunt civitatem & tulerunt pallium meum.* in F. S. Barth. Ap. c. 4. p. 5.

Cap. 7. v. 7. *Statura tua assimilata est palmæ.* in Festo S. Cath. Sen. c. 1. p. 4.

v. 4. *Collum tuum sicut turris eburnea.* in F. S. Andr. c. 4. p. 5.

Cap. 8. v. 6. *Fortis est ut mors dilectio.* in Festo S. Mar. Magd. c. 5. in exordio.

Sapientia.

Cap. 1. v. 1. *Sentite de Domino in bonitate, & simplicitate cordis, quærite illum.* in F. S. Blasii c. 3. p. 3.

Cap. 2. v. 12. *Circumveniamus justum.* in F. SS. Innoc. c. 3. p. 1.

Cap. 3. v. 1. *Iustorum animæ in manu Dei sunt.* in Festo S. Steph. c. 1. p. 1.

Cap. 7. v. 14. *Infinitus est thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei.* in Festo S. Nicol. c. 2. p. 5.

Cap. 8. v. 19. *Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animã bonam.* in F. S. Nic. c. 2 p. 2.

Cap. 16. v. 20. *Angelorũ escâ nutrivisti populũ tuum.* in F. S. Thomæ Aquinatis c. 1. p. 1.

Ecclesiasticus.

Cap. 1. v. 25. *Radix sapientiæ est timere Deum.* in Festo S. Annæ c. 3. p. 5.

Cap. 2. v. 14. *Va dupliei corde.* in F. SS. Ap. Philip. & Jac. c. 1. p. 1.

Cap. 11. v. 1. *In medio magnatum consedere illum faciet.* in Festo S. Mich. Archang. c. 2. in exordio.

Cap. 13. v. 19. *Omne animal diligit simile sibi & omnis homo proximum sibi.* in Festo SS. Innoc. c. 3. p. 2.

Cap. 29. v. 20. *Gratiam fide jussoris, ne obliviscaris, dedit enim pro te animam suam.* in F. S. Nicol. c. 4. p. 1.

Cap. 40. v. 29. *Agnovit illum Dominus in benedictionibus suis, & dedit illi hæreditatem & dimisit illi partē in tribubus duodecim.* in Festo S. Jacobi Apostoli concione 1. p. 5.

Cap. 45. v. 6. *Non turbetur cor vestrum.* in F. SS. Apostol. Philippi & Jacobi c. 1. p. 1.

v. 9. *Circumcinxit eum stolâ gloriæ, & induit eum stolam gloriæ.* in Festo S. Mart. Pont. c. 3. p. 1.

Cap. 46. v. . *Nomen eorum permanet in æternum.* in Festo SS. Apost. Petri & Pauli. c. 2. in exordio.

Isaiæ.

Cap. 5. v. 1. *Vinea facta est dilecto meo, in cornu filio olei.* in Festo SS. Philip. & Jacob. c. 3. p. 2.

Cap. 6. v. 21. *Ne timeas à facie eorum quia tecum ego sum.* in Festo SS. Petri & Pauli c. 2. p. 2.

Cap. 9. v. 6. *Factus est principatus super humerum ejus.* in Festo S. Marg. Virg. & Mart. c. 4. p. 5.

Cap. 40. v. 22. *Qui extendit velut nihilum cœlos.* in Festo S. Matthiæ Ap. c. 3 p. 3.

v. 6. *Omnis caro fœnū.* in F. S. Andr. c. 2. p. 3.

Cap. 53. v. 7. *Tanquam ovis ad occisionem ductus est.* in Festo SS. Philippi & Jacobi. c. 1. p. 2.

v. 8. *Generationē ejus quis enarrabit &c.* in F. Jacob. Ap. c. 2. p. 4.

Cap. 55. v. 1. *Venite emite absq; argento & absq; ulla commutatione vinum & lac.* in Festo S. Nicol. c. 1. p. 2.

Cap. 57. v. 7. *Mane semen tuum florebit.* in F. SS. Innoc. c. 4. p. 4.

Cap. 62. v. 1. *Egrediatur ut splendor justus ejus, & Salvator eius ut lampas accendatur.* in Festo SS. Apost. Philip. & Jacob. c. 3. p. 1.

Cap. 63. v. 3. *Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum.* in Festo Sanctorum Apostolorum Philippi & Iacobi c. 3. p. 2.

Jeremias.

Cap. 2. v. 7. *Magna est ut mare contritio tua.* in Festo S. Margaretæ Virg. & Mart. c. 4. p. 2.

Cap. 23. v. 10. *Factus est cursus eorum magnus & fortitudo eorum dissimilis.* in Festo SS. Apost. Philip. & Iac. c. 4. p. 4.

Ezechiel.

Cap. 17. v. 24. *Scient omnia ligna Regionis, quia ego Dominus humiliavi lignum sublime, & exaltavi lignum humile.* in Festo Exaltationis Sanctæ Crucis concione 4. p. 1.

Daniel.

Cap. 3. v. 92. *Ecce video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis.* in Festo SS. Apost. Sim. & Iudæ c. 4. p. 1.

Cap. 7. v. 11. *Millia millium ministrant ei, & decies centena millia assistebant ei.* in Festo S. Mich. Arch. c. 1. p. 1.

Oseas.

Cap. 2. v. 20. *Sponsabo te in fide.* in Festo S. Steph. c. 2. p. 1.

Cap. 7. v. 11. *Factus est Ephraim quasi columba, seducta non habens cor.* in Festo S. Nicol. c. 1. in exordio.

Cap. 9. v. 11. *Ephraim quasi avis evolavit, gloria eorum*

rum à partu, & ab utero & à conceptu. in Festo S. Annæ gloriosæ matris B. V. M. c. 3. p. 5.

Joel.

Cap. 1. v. 7. *Ficum meam decorticavit, nudans spoliavit eam.* in Festo S. Bart. Apost. c. 2. p. 3.

Jonas.

Cap. 1. v. 8. *Cecidit supra Ionam.* in Festo S. Matth. Ap. c. 1. p. 2.

Cap. 2. v. 7. *Ascendit de corruptione vita mea Domine Deus meus.* in Festo S. Th. Ap. c. 4. p. 5.

Sophonias.

Cap. 2. v. 14. *Vox cantantis in fenestra, corvus in super liminari.* in Festo S. Andr. Apost. c. 3. p. 5.

Zacharias.

Cap. 11. v. 17. *O pastor & idolum derelinquens gregem, gladius supra brachium ejus & super oculum dexterum ejus.* in Festo S. Nicol. c. 2. p. 3.

Malachias.

Cap. 3. v. 6. *Ego Deus & non mutor.* in Festo S. Th. Ap. c. 4. p. 1.

Cap. 4. v. 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ.* in Festo Exalt. S. Crucis. c. 1. p. 5.

Matthæus.

Cap. 2. v. 2. *Vbi est qui natus est Rex Iudæorũ &c.* in Festo S Andr. c. 3. p. 2.

Cap. 3. v. 4. *Esca ejus locustæ & mel silvestre.* in Festo S. Nic. c. 2. p. 4.

Cap. 4. v. 3. *Dic ut lapides isti panes fiant.* in F. S. Nic. c. 3. p. 4.

v. 11. *Tunc reliquit eum Diabolus &c.* in F. S. Joan. Bapt. c. 1. p. 3.

Cap. 5. v. 1. *Videns Iesus turbas ascendit ad montem.* in Festo S. Andr. c. 2. p. 2.

Cap. 6. v. 3. *Nesciat sinistra quid faciat dextra tua.* in Festo S. Nicol. c. 4. p. 5.

v. 22. *Vidit illos laborantes in remigando.* in F. S. Andr. c. 2. p. 3.

Cap. 7. v. 14. *Angusta est porta & arcta est via quæ ducit ad vitam.* in Festo S. Laur. M. c. 3. p. 4.

Cap. 10. v. 16. *Ecce ego mitto vos sicut oves inter lupos.* in Festo S. Th. Ap. c. 1. in exordio.

Cap. 11. v. 11. *Non surrexit inter natos mulierum major Ioan. Bapt.* in Festo S. Nic. c. 3. in exordio.

v. 28. *Venit Ioannes neq; manducans neq; bibens* ibidem.

v. 7. *Quid existis in desertum videre.* in Festo S. Ioann. Bapt. c. 2. p. 1.

Cap. 13. v. 16. *Vestri oculi beati qui vident, & aures vestræ quia audiunt.* in Festo S. Nicol. c. 1. p. 2.

Cap. 15. v. 38. *Erant autem qui manducaverãt, quatuor millia hominum extra parvulos & mulieres.* in Festo S. Ioan. Evang. c. 4. in exordio.

v. 11. *Quæ procedunt de ore, de corde exeũt &c.* in Festo SS. Innoc. c. 3. p. 4.

Cap. 16. v. 24. *Si quis velut venire post me &c.* in Invent. S. Cruc. c. 1. p. 4.

v. 5. *Cum venissent discipuli transfretum, obliti sunt panes accipere.* in Festo S. Cath. Sen. c. 3. p. 5.

v. 19. *Tibi dabo claves Regni cœlorum.* in F. SS. Ap. Petri & Pauli. c. 2. p. 1.

Cap. 17. v. 5. *Hic est filius meus dilectus &c.* in Festo S. Thom. Aq. c. 4. p. 1.

Cap. 18. v. 19. *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcunque petieritis, fiet vobis à Patre meo qui in cœlis est.* in F. S. Matthiæ Ap. c. 2. in exordio.

Cap. 19. v. 28 *Cum sederit filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim.* in Festo S. Matth. Ap. c. 2. p. 2.

Cap. 20. v. 22. *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum.* in Festo Invent. S. Crucis. c. 2. p. 1.

Cap.9. v. 9. *Vidit hominem ſedentem in telonio.* in Feſto S Andreæ c.2 p.3.

Cap. 21. v. 38 *Hic eſt hæres venite occidamus eum &c* in Feſto S.Nicol.c.1 p.2.

v. 2. *Benedictus qui venit in nomine Domini.* in Feſto Invent.S.Cruc.c.4. in exordio.

Cap. 24. v. 45. *Quis putas eſt fidelis ſervus.* in Feſto S.Nic.c.1.p.3.

Cap.25.v.18. *Abiens fodit in terram & abſcondit pecuniam Domini ſui* in Feſto S. Nicol.c.2.in exordio.

*v.*43. *Nudus fui & cooperuiſtis me.* in Feſto S.Nic.c.4.p.1.

v. 8. *Date nobis de oleo veſtro quia lampades noſtræ extinguuntur* in Feſto SS.Ap.Philip.& Jac.c.3 p.1.

*v.*40. *Quod uni ex minimis meis feciſtis,mihi feciſtis,* in Feſto S.Mart.Pont.c.2 p.4.

Cap.26 v. 21. *Unus veſtrum me traditurus eſt.* in Feſto S.Joan Evang.c 3.p.1.

Marcus.

Cap. 6 v. 8. *Vidit illos laborantes in remigando.* in Feſto S.Andr.c.2.p.3.

Lucas.

Cap. 1 v. 66. *Etenim manus Domini erat cum illo.* in Feſto S.Joan.Bapt.c.1.p 1.

v. 44. *Ex quo facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultavit infans in utero meo.* in Feſto.S.Joan.Bapt.c 3.p.4.

v. 76. *Et tu puer Altiſſimi vocaberis. Præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.* In Feſto S.Joan Bapt.c.4 p.1.

*v.*34. *Quomodo fiet iſtud,quoniam virum non cognoſco.* in Feſto S Margaritæ V. & M. c 1.p.5.

v. 6. *Erant autem ambo juſti ante Deum,incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela.* in Feſto S.Nicol.c 3.p.1.

*v.*76. *Tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis, &c.* in Feſto S.Nicol.c.3 p 3.

*v.*9. *Sorte exiit ut incenſum poneret.* in Feſto S.Matth.Ap.c.1 p 4.

Cap.2 v.7. *Non erat ei locus in diverſorio.* in F. S.Innocent.c.1.p.4.

Cap. 6. v. 13. *Cum dies factus eſſet vocavit diſcipulos ſuos & elegit duodecim ex ipſis quos & Apoſtolos nominavit.* in Feſto S.Matt. c 2 p.1.

Cap. 7. v. 36 *Ingreſſus domum Phariſæi diſcubuit* in Feſto S.Andr.c.3.p 1.

Cap.11.v.41. *Quod ſupereſt, date eleemoſynam.* in Feſto S.Nic.c.4 p.1.

Cap.12 v.16. *Cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo* in Feſto S.Nic.c.1 p.3.

Cap.16. v. 22 *Factum eſt autem ut moreretur mendicus,& portaretur ab Angelis in ſinu Abrahæ.* in Feſto S.Nic.c.4.p.4.

*v.*24. *Pater Abraham, mitte Lazarum ut intingat extremum digiti in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* in Feſto omnium Sanctorum.c.5.p.4.

*v.*23. *Elevans autem oculos ſuos cum eſſet in tormentis vidit Abraham à longe.* in Com.omnium fidelium def.c.3.p.1.

Cap. 22.v. 29. *Ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo.* in Feſto S.Jac.Ap.c.4 in exordio.

Cap.23.v.43. *Hodie mecum eris in paradiſo.* in Feſto S.Andr.c.3.p.5.

v 34. *Pater dimitte illis non enim ſciunt quid faciunt* in Feſto S.Steph.c.3. in exordio.

v 43. *Hodie mecum eris in Paradiſo* in Feſto S.Matthiæ Ap.c.4.p.5.

Joannes.

Cap.1.v.12. *Dedit eis poteſtatem his qui credunt in nomine ejus.* in Feſto S. Steph. c.2.p.1.

*v.*5. *Fuit Homo miſſus à Deo cui nomen erat Ioannes,&c.* in F.S. Joan. Evang c.4 p.2.

*v.*5. *Fuit homo miſſus &c* in Feſto S. Joan. Bapt. c.3.p.3.

v 3 *Sine ipſo factum eſt nihil.* in Feſto S. Andreæ c.2.p.3.

Cap.3 v.3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non intrabit in Regnum Dei* in Feſto S.Andr.c.1 p 4.

Cap. 8. v.12. *Ego ſum lux mundi.* in Feſto S. Matth.Ap c.1.p.3.

Cap.9.v.2. *Rabbi, quis peccavit; hic aut parentes ejus ut cæcus naſceretur?* in Feſto S. Andr.c.2.p.1.

Cap. 10. v. 10. *Ego veni ut vitam habeant & abundantius habeant.* in Festo SS. Innocent. c. 1. in exordio.

Cap. 11. v. 9. *Nonne duodecim horæ sunt diei,* in Festo S. Barthol Ap. c. 4. p. 1.

Cap. 12. v. 21. *Domine volumus Iesum videre.* in Festo SS. Apost. Philip. & Jacob. c. 2. punct. 4.

v. 32. *Ego si exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum.* in Festo S. Cath. Sen. c. 1. p. 5.

v. 24. *Nisi granum frumenti in terram cadet mortuum fuerit, ipsum solum manet.* in Festo Sanctæ Marg. Virg. & Mart. c. 4. puncto 3.

Cap. 14. v. 31. *Vt cognoscat mundus quia diligo Patrem, &c.* in Festo S. Blasii. c. 4. p. 4.

v. 7. *Ego sum via.* in Festo Sancti Blasii. c. 2. p. 5.

Cap. 15. v. 14. *Vos amici mei estis si feceritis &c.* in Festo S. Thom. Aqu. c. 4. p. 2.

Cap. 19. v. 17. *Bajulans sibi crucem & exivit in eum qui dicitur Calvaria locum.* in Festo SS. Apost. Philip. & Jac. c. 3. p. 2.

Cap. 20. v. 4. *Currebant autem duo simul & ille alius discipulus præcucurrit citius Petro & venit primus ad monumentum.* in Festo S. Joan. Evang. c. 1. p. 4.

v. 11. *Maria stabat ad monumentum foris plorans.* in Festo S. Mar. Magd. c. 4 p. 4.

Cap. 21. v. 21. *Domine hic autem quid.* in Festo S. Joan. Evang. c. 2. p. 1.

v. 7. *Dominus est.* in Festo S. Joan Evang. c. 3. p. 4.

v. 15. *Simon Ioannis diligis me.* in Festo S. Joan Evang. c 4. p. 3.

Actus Apostolorum.

Cap. 2. v. 4. *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto.* in Festo S. Joan. Bapt. c. 2. p. 5.

Cap. 3. v. 4. *Respice in nos.* in Festo S. Andreæ c. 2. p. 2.

Cap. 5. v. 29. *Oportet obedire Deo magis quam hominibus.* In Festo S. Mich. Archang. c. 3. punct. 1.

Cap. 6. v. 5. *Elegerunt Stephanum virum plenum fide & Spiritu Sancto.* in Festo S. Steph. c. 4. p. 4.

Cap. 9. v. 6. *Domine quid me vis facere.* in Festo S. Blasii, c. 3. p. 1.

Cap. 14. v. 21. *Per multas tribulationes oportet nos ire ad Regna cœlorum.* in Festo Invent. S. Crucis. c. 3. p. 2.

Ad Romanos.

Cap. 5. v. 20. *Vbi abundavit delictum, ibi superabundavit & gratia.* in Festo Sancti Th. Ap. c 2 p. 3.

v. 20. *Vbi abundavit &c.* in Festo S. Mar. Magd. c. 3. p. 1.

v. 20. *Vbi abundavit &c.* in Festo. S. Matth. Ap. & Evang c. 4. p. 4.

Cap. 7. v. 18. *Non est in carne mea bonum.* in Festo S. Andreæ. c. 2. p. 3.

Cap 9. v. 18. *Cui vult miseretur, & quem vult indurat.* in Festo Sancti Matthiæ Apost. c. 4. punct. 1.

Ad Corinthios.

1. Cor. cap. 9. v. 25. *Qui in agone contendit ab omnibus se abstinet.* in Festo S. Laurent. M. c. 3. p. 5.

v. 27. *Castigo corpus meum & in servitutem redigo* in Festo S. Barth. c. 3. p. 4.

v. 16. *Si evangelizavero non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit, væ enim mihi si non evangelizavero.* in Festo S. Nic. c. 1. p. 1.

Cap. 10. v. 13. *Fidelis Deus est, &c.* in Festo S. Cath. V & M. c. 2. p 4.

Cap. 13 v 3. *Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, charitatem autem non habeam nihil mihi prodest.* in Festo S. Nic. c. 4. p. 5.

v. 7. *Charitas omnia suffert,* in Festo S. Blasii M. c 1. p. 1.

Cap. 15. v. 9. *Non sum dignus vocari Apostolus quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.* in Festo SS. Apost. Petri & Pauli. conc. 4. punct. 1.

2. Cor. cap. 2 v 23. *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem.* in Festo S. Matth. Ap. & Evang. c. 1. p. 2.

v. 15. *Christi odor bonus sumus.* in Festo SS. Innocent. c. 4. p. 2.

Cap. 5. v. 7. *Fides quæ per charitatem operatur.* in Festo S. Martini Episc. c. 2. p. 1.

Cap. 6. v. 18. *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* in Festo Sancti Nicol. c. 12. p. 5.

Ad Ephesios.

Cap. 4. v 22. *Deponite veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris.* in Festo Sancti Bartholomæi Apostoli. c. 3. p. 2.

Cap. 5. v. 2. *Christus dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.* in Festo Invent S. Crucis. c. 2 p. 1.

Ad Galatas.

Cap. 2. v. 20. *Qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me.* in Festo S. Thom. Apost. c. 4 p. 2.

Cap. 6. v. 12. *Qui Christi sunt carnem suam crucifixerunt.* in Festo Sancti Mart. Pontific c. 2 p. 2.

Ad Philippenses.

Cap. 1 v. 23. *Cupio dissolvi & esse cum Christo.* in Festo S Blasii c. 3. p. 5.

v. 29. *Vobis donatum est in Christo non solum ut in eum credatis, & ut etiam pro illo moriamini.* in Festo Sancti Jacobi Apostoli. c. 3. p. 2.

Ad Colossenses

Cap 2. v. 3. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ absconditi.* in Festo S Margaritæ Virg. & Mart. c. 1. p. 1.

Ad Timotheum.

1. ad Timot. cap 6. v. 14. *Præcipio tibi ut serves mandatum Dei sine macula.* in Festo SS. Innoc. c. 3. p. 4.

2. Cap 2. v 5. *Nemo coronabitur nisi qui legitime certaverit.* in Festo Sancti Jacobi Apost. c 3. in exordio.

Ad Hebræos.

Cap. 10. v. 31. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* in Festo S. Matth Apost & Evang c. 2. p. 4

Cap. 11. v. 33. *Sancti per fidem vicerunt Regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissionem.* in Festo SS. Ap. Philip. & Jacobi. c. 1. p. 5.

v. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo.* in Festo S. Steph c. 2. p. 1.

Cap. 13. v. 1. *Hospitalitatem nolite oblivisci; per hanc enim quidam placuerunt Deo Angelis in hospitio receptis.* in Festo S. Nicolai. c. 4. p. 4.

Epistola Jacobi.

I. Cap. 1 v. 15. *Peccatum cum consumatum fuerit generat mortem.* in Festo S. Joannis Apost. & Evang. c. 4 p. 2.

Cap. 2. v 17. *Fides sine operibus mortua est.* in Festo S Steph. c 2. p. 1.

Epistolæ Petri.

I. Cap. 1. v. 18. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine agni immaculati.* in Festo Inventionis Sanctæ Crucis. concione prima in exordio.

2. Cap. 1. v. 14. *Velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod Dominus noster Iesus Christus significavit mihi.* in Festo Sanctæ Jacobi Apostoli conc. 2 punct. 1.

Cap. 2. v. 21. *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti.* in Festo Sancti Nicolai. c. 1. in exordio.

Apocalypsis.

Cap. 4. v. 3. *Iris erat in circuitu sedis similis visionis Smaragdina.* in Festo S. Thom. Aquin. c. 2. p. 2.

Cap. 6. v. 10. *Vsq; quo Domine Sanctus & verus non judicas & non vindicas sanguinem nostrum.* in Festo S. Steph c. 3. p. 4.

v. 11. *Data sunt illis singula stola alba, & dictum est illis, ut requiescerent* ibidem.

v. 2. *Vidi & ecce equus albus, & qui sedebat supra illum habebat arcum & data est ei corona, & exivit vincens ut vinceret.* in Festo Sanctorum Apostolorum Philippi & Jacobi, c. 4. in exordio.

Cap. 14. v. 5. *Sine macula enim sunt ante thronum Dei.* in Festo Sanctorum Innoc. c. 3. in exordio.

Cap. 21. v. 12. *Et duodecim, porta duodecim margaritæ sunt per singulas.* in Festo S. Marg. Virg. & Mart. c. 4. in exordio.

v. 2 *Vidi sanctam civitatem Hierusalem novam descendentem de cœlo à Deo sicut sponsam ornatam.* in Festo S. Portiunculæ. c. 1. p. 3.

v. 23. *Civitas non eget sole neq; luna, ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna ejus est agnus.* in Festo S. Martini Pontificis, c. 1. p. 1.

FINIS.

INDEX MATERIARUM NOTABILIUM

Quæ in hoc Tomo continentur.

Litera F. denotat Festum. C. Concionem. P. Punctum.

A.

Accessus ad Christum haud difficilis. in Festo S. Thom. Apost. concione tertia p. 1. & sequentibus.

Amoris mutui inter homines causæ variæ. in Festo Sanctæ Andreæ Apostoli c. 4. in Exordio.

Amoris divini victoria. in Festo Sancti Blasii Mart. c. 1. p. 1. 2. & 3.

Amor Dei commodi sui gratia inutilis. in F. S. Blasii Mart. c. 1. p. 5.

Amor summus S. Mariæ Magdalenæ expenditur. in Festo S. Mariæ Magdalenæ. c. 4. p. 1. & seq.

Amor mutuus sine reciprocatione esse nequit. in Festo Sancti Bartholomæi c. 2. punct. 5.

Amicitia inter Deum & Sanctos quanta sit. in Festo omnium Sanctorum, concione 1. p. 1. & 3.

Angeli in specie juvenili cur pingantur. in Festo Sancti Thomæ Aquinatis concione prima p. 1.

Anima alis fertur amoris. in Festo S. Laurentii Mart. c. 2. p. 5.

Angeli Dei de igne charitatis multum participant. in Festo Sancti Bartholomæi. c. 4. p. 4.

Angelicæ naturæ quanta sit nobilitas. in Festo Sancti Michaëlis Archangeli. c. 1. p. 1. 2. & 3.

Angelorum amor in homines. in Festo S. Michael. Archangeli. c. 1. p. 4. & 5.

Angelorum multitudo quanta in Festo S. Michaëlis Archang. c. 4. p. 1. & 2.

Angelorum ministerium quale. in Festo S. Michaelis Archang. c. 4. p. 3. 4. 5.

Angelorum humanitas erga homines, in Festo S. Michaelis Archang. c. 5. p. 4.

Animalium quorundam symbola recensentur. in Festo S. Martini Pontificis. c. 4. in Exordio.

Anser Divi Martini mystice dividitur. in Festo S. Martini. c. 4 p. 1. & seq.

Apostoli muneris excellentia. in Festo S. Matthæi Apost. c. 1. p. 1.

Apostolici equis velocibus similes. in Festo SS. Philippi & Jacobi, c. 4 p. 1.

Aquis non maledixit Deus sed terræ. Cur? in Festo S. Andreæ Apost. c. 1. p. 2.

Aquarum servitio sæpius utebatur Deus. in Festo S. Andreæ Apostoli, c. 1. p. 3.

Aquæ quidnam denotent. in Festo S. Andreæ Apoli. c. 1. p. 4.

Arguit illorum peccata Deus quos diligit. in in Festo S. Thomæ Apostoli. c. 1. p. 1. & sequent.

Artificium magnum est facere hominem ad imaginem Dei. in Festo SS. Apostol. Philippi & Jacobi. c. 3. p. 1.

Arcus triumphalis S. Crucis. in Festo Invent. S. Crucis, c. 4. p. 5.

INDEX

Atalantæ Virginis pedum velocitas. in Festo S. Nicolai Pontific. c. 4. in Exord.

Avaritia quantum sit vitium, in Festo S. Nicolai Pont. c. 2. p. 1.

B.

Beneficiis divinis male uti, timendum magis est quam ipsis carere, in Festo S. Nicolai Pont. c. 1. in Exordio.

Beata est pauperis intelligentia. in Festo S. Nicol. Pont. c. 4. p. 1.

Beneficium Christi maximum, sua mors, in Festo S. Thomæ Apost. c. 4 p. 3.

Bina jurisdictio nempe S. Petri & Joannis Evangelistæ expenditur. in Festo S. Joannis Evangelistæ c. 2. p. 4. & 5.

C.

Calix pretiosus est figura S. Crucis. in Festo Inventionis S. Crucis. c. 3. p. 5.

Calix Domini dilectis propinatur, in Festo S. Jacobi Apost. c. 3. p. 1.

Calix Christi singularis est arrha beneficii. in Festo S. Jacobi Apost c. 3 p. 3.

Cedrus symbolum est Sanctorum Dei. in Festo SS. Simonis & Judæ. c. 1 p. 3. & 4.

Cœli sunt typus Apostolorum. in Festo S. Matthiæ Apost. c 3. p. 2.

Cicatrices suas Christus cur reservare voluerit, in Festo S. Thomæ Apost. c. 4. p. 1.

Cicatricum S. Catharinæ Senensis mysteria. in Festo S. Catharinæ Senensis c. 4. p 2.

Civitatis Jerusalem pretiosa structura quidnam designet. in F. S. Margaritæ. c 2 p. 1.

Confessio S. Thomæ Apostoli quam excellens. in Festo S. Thom. Apost. c. 4. p. 5.

Columnæ Salomonis quid denotent. in Festo S. Catharinæ V. & M. c. 4 p. 4. & 5.

Consilium in creatione hominis cur adhibitum. in Festo S. Catharinæ Senensis. c. 1. p. 2. & 3.

Cordis oblatio typus est amantium. in Festo S. Catharinæ Senens. c. 3 p. 4 & 5.

Columnarum proprietates Christi fidelibus imitandæ. in Festo SS. Petri & Pauli c. 4. p. 5.

Conversio ad Christum ex puro amore facta. in F. S. Mariæ Magdal. c. 5. p. 1. & seq.

Colores diversi vestimentorum quid denotent. in Festo S. Barthol. c. 3. p. 5.

Crux Christi Domini origo est nostræ lætitiæ, in Festo Invent. S. Crucis. c. 1. p. 1.

Crux Christi est pretiosa Margarita. in Festo Invent. S. Crucis. c. 3. p. 1 & 2

Crucis Dominicæ mensura est quadruplex. in Festo Invent. S. Crucis. c. 3. p. 4.

Crux Domini est clavis cœli. in Festo S. Laurentii Mart. c. 3. p. 3. & seq.

Crucis ignominia est honor Christi. in Festo Exaltationis S. Crucis c. 1. p. 1 & seq.

Currus Deiparæ triumphalis S. Anna extitit. in Festo S. Annæ. c. 1. p. 1. & seq.

D.

Defectus justorum propalantur non ad illorum vituperium. Sed ad cautelam nostram. in Festo S. Thomæ Apostol. c. 2. punct. 1. & seq.

Deus omnibus est liberalis. in Festo S. Matth. Apost. c. 4 p. 3.

Deus est ubique. in Festo S. Portiunculæ. c. 2. in exord.

Dissimulare nescit Deus peccata eorum quos diligit in Festo S. Thomæ Apost. c. 1. p. 1 & seq.

Differentia ætatis Christi ab antiqua. in Festo S. Stephani. c. 2. in Exord.

Differentia quæ sit inter sanctum & sanctitatem. in Festo S Joan Bapt. c. 3. p. 5.

Disparitas inter ministros mundiales & Christi. in F. S. Ap. Petri & Pauli c. 1. p. 3.

Domus cœlestis columnæ. in Festo omnium Sanctorum c. 3. p. 3. & 4.

Domus cœlestis encomia. in Festo omnium Sanctorum. c. 3. p. 1. & seq

Dona Dei sunt duplicia in F. S. Annæ. c. 2 p. 3.

Dona Dei varia sunt. in Festo S. Catharinæ V. & M. c. 1. p. 1.

Domus cœli est portatilis, in F. S. Catharinæ V. & M. c. 4. p. 1.

Domus communis est omnis homo. in Festo S. Catharinæ V. & M. c. 4 p. 3.

Duo Cherubin de lignis olivarum facti quidnam denotent. in F. S. Nic. Pont. c. 4. p. 3.

Duodecim filii Jacob duodecim Apostolos præmonstrabant. in Festo S. Joannis Evang. c. 2. p. 5.

Duo

Duo sunt sancto homini necessaria. in Festo S. Joannis Evang c.4.p.2.
Duodenarii Apostolorum numeri ratio. in Festo S.Matthiæ Apost.c.2.p.1.&2.
Duæ tubæ argenteæ SS. Apostoli Petrus & Paulus. in Festo SS. Petri & Pauli c. 3. in Exord.
Duæ columnæ porticus Salomonis denotant SS. Apostolos Petrum & Paulum in Festo SS. Apost. Petri & Pauli. c. 4. in exordio item.p.1.& 2.

E.

Ecclesiæ Christi desponsatio recensetur. in F. S.Catharinæ Senens.c.2.p 1.& 2.
Ecclesia Christi nihil metuit. in Festo SS. Petri & Pauli.c.1 p.2.
Electionis rectæ requisita. in Festo S. Matthæi Apost. c.2 p.3.
Eleëmosyna est quidam aries quo cœlum pulsatur.in F.SS Philip & Jac.c.4 p.3.
Elephanti duo sunt corda. Unum audax, alterum timidum. in Festo SS. Philippi & Jacobi.c.4.p.4.
Epulonis infelicitas. in Festo omnium Sanctorum.c.5.p.4.
Excellentia S Joannis Evangelistæ, ex amore. in F.S Joannis Evang.c.4.p.1.& seq.
Exaltationis S.Crucis argumenta. in Festo Exaltat.S.Crucis.c.4.p.1.& seq.
Expeditos illos esse oportet ad sequelam Christi.in Festo S.Matth Evang.c.4.p.1.

F.

Fastigia hominum quam cito ruant. in Festo S.Thomæ Apost.c.2.p.2.
Facilis Christus & accessabilis.in Festo S. Thomæ Apost.c.3.p.1.& seq.
Fœnum est symbolum brevitatis humanæ vitæ. in commemoratione fidelium animarum.c.5.p.1.& 2.
Fæminarum cura est de pulchritudine. in Festo S.Catharinæ V.&M.c 1.p 2.
Fæminæ honoris sunt avidæ in Festo S. Catharinæ V.& M.c.1.p.1.
Fæminæ quædam fortitudine adæquant viros. in Festo S. Catharinæ V. & M.c.2. p. 1. 2. & 3.
Fæminæ ditatæ virtutibus recensentur. in F. S.Cathar.V.& M.c.3.p.1.
Fidelium defunctorum commemorationis utilitas. in commem. fidelium animarum.c.1.p.2.& seq.
Fidelium animabus auxilium ferre decet. in comm.fidelium animarū.c.2.p.1.& seq.
Fluvius est typus hujus mundi in Festo S. Stephani.c.1.p.2.
Florum hortensium qualitates. in Festo SS. Innocentum.c.4.p.2.
Fortitudo sola in humilitate. in Festo S. Matthæi Apost.c.3.in exordio.
Fortitudo martyrum non solum in vita,sed etiam in morte claret. in Festo S. Bartholomæi c 1.p.4.
Fortium locus est regnum Dei.in Festo Sanctæ Cathar V.& M.c.2.p.5.
Funiculus Dei duplex unus ad vivificandum alter ad occidendum. in Festo S. Matthiæ Apost c.4.p.1.& 2.

G.

Genealogiæ dilectione inimicorum extenduntur.in Festo S.Stephani.c.2. p.3.
Gemmarum natura. in Festo S. Margaritæ V. & M.c.3.p.4.& 5.
Gigantes orbis sunt Sancti Dei. in Festo S.Stephani.c.4.p.1 & seq.
Gloria humilitatis quanta. in Festo S Matthiæ Apost. c.3 p.1.& seq.
Gloria crucis superat ejusdem ignominiam. in Festo Exaltationis S. Cruc. c. 3. p. 2 & seq.item.c.4.p.1.& seq.
Gloria Sanctorum in quonam consistat. in F. omnium Sanctorum.c.5.p.5.& seq.
Grani & paleæ differentia in Festo S. Laurentii Mart. c.1.p.1.
Gradus ad cœlestem patriam.in Festo omnium Sanctorum.c.2.p.5.
Gradus cœlestes qui nam sint & quot. in Festo omnium Sanctorum.c.2.p.1.

H.

Hospitalitatis commendatio in Festo S.Nicolai Pont.c 4.p.4.
Homo dum est in manu Dei quantum possit in Festo S.Stephani c.1.p.1.
Hortus est symbolum Ecclesiæ Domini. in F. SS.Innocentum.c.4.p.4.

Horæ diei explicantur. in Festo S. Bartholommæi.c.4.p.1.
Humilitatis casus valde fructuosus.in Festo Exaltationis S.Crucis.c.1.in exordio.
Humanæ naturæ cognitio Jesum facit propitium. Festo in S. Matthæi Evangelistæ, c.2.p.1.
Hysopus est typus humilitatis. in Festo S. Mariæ Magdalenæ.c,1,p.1.

I.

Iacob Patriarcha cum Sancto Jacobo Apostolo comparatur, in Festo S. Jacob. Ap. c1.p.1.& seq
Ignis est symbolum charitatis. in Festo S,Bartholomæi c.4.p.2.& seq.
Ignominiosæ Crucis à Christo susceptæ rationes. in Festo Exaltationis S, Cruc. c.1.p.1.& seq.
Infidelitas Divi Thomæ Apostoli quanti boni origo. in Festo S. Thomæ Apostoli c.3.p.5.
Innocentum cædes cur à Deo permissa. in Festo SS. Innocentum. concione prima p.1.& seq.
Innocentum mortem Patres non: sed matres defleverunt. Cur? in Festo SS. Innocentum c.2 p.2.
Innocentes sunt primitiæ martyrum. in Festo SS.Innnocentum.c.2.p.5.
Insigne solis in pectore Divi Thomæ Aquinatis quid nam denotet. in Festo S. Thomæ Aquinatis.c.4.p.5.
Inventus sacer ignis Judæorum typus erat S. Crucis. in Festo inventionis S, Crucis. c.2.p.3.
Indulgentia peccatorum quibus mediis habeatur. in Festo S. Mariæ Magdalenæ. c, 3.p.1 & seq.
Iridis colores quatuor quid denotent. in Festo S, Thomæ Aquinatis. concione prima p.2.& 3.
Iustum bellum armis paribus conficitur. in Festo Inventionis S,Crucis.c,1.p.2-

L.

Lapsus Sanctorum iisdem est ad gloriam. in Festo S,Thomæ Apost, c,2.p.3.& 4.
Lachrymæ S. Mariæ Magdalenæ expenduntur. in Festo Sanctæ Mariæ Magdalenæ. c.2.p.4.
Lignum Crucis Christi juste Diabolum debellavit. in Festo Inventionis S. Crucis c, 1,punct.1.
Lignum Crucis de servitute nos liberavit. in Festo Inventionis S. Crucis. concione 1.p.3.4.& 5.
Ligni & aquæ familiaritas vicina demonstratur. in Festo Inventionis S. Crucis, c. 4. punct.1.
Ligni S.Crucis ingens potentia in Festo Inventionis S.Crucis.c 4 p.2.& 3.
Longanimitas Domini admiranda. in Festo S. Matthæi Evang.c.3.p.4.& 5.

M.

Maculæ peccatorum eluendæ. in Festo SS. Innocentum c.2 p.3 & seq.
Martyria cur permittat Deus in Sanctos suos in Festo S.Blasii Mart.c.2.p.3.&4.
Manus Domini quid agat in Sanctis. in Festo S.Joannis Baptistæ c.4.p.5.
Margaritarum pretium expenditur. in Festo S. Margaritæ.c.2,p.2 item c.3.p.1.
Margaritæ qualiter generentur. in Festo Margaritæ.c,3.p.1,item c 4.p.1.
Martyres Christi per tormenta sua non minuuntur sed augentur.in Festo S. Laurentii Mart.c.2.p.2.& 3.
Magnitudo cœlestis gloriæ in Festo omnium Sanctorum.c.5.p.2 & seq.
Media intrandi in cœlum quænam sint.in Festo S.Stephan c.2.p.1.& seq.
Mensa Christi præfertur Asueri convivio. in F. S.Jacobi Apost.c.4.in Exord.
Militia Sanctorum qualis esse debeat. in Festo .S.Mart.Pont.c.3.p.2.& 3.
Misericordia Domini é cœlo descendentis. in Festo S,Matthæi Evang.c.3.p.3.
Mulieres cur tegant caput, in Festo S. Thom. Aquin.c.1.p.3.
Mulierum laudes. in Festo S. Annæ c. 3. in Exordio.
Myrrha est symbolum pœnitentiæ. in Festo S. Mar.Magdalenæ,c.2.p.1.

MATERIARUM NOTABILIUM.

N.

Natalis Christi solemnitas cur morti S. Stephani combinetur. in Festo S. Stephan. c.1.p.4.& 5.

Negotiatores veri quinam censeantur. in Festo S. Margaritæ. c.2.in exordio.

Negotiatoris Evangelici prudentia. in Festo S. Margaritæ V.& M.c.4.in exordio.

Nobilissimum genus vindictæ est parcere. in Festo S.Stephani.c.3.p.3.

O.

Obedientia vocationi respondere debet. in Festo S.Andreæ Apost.c.3.p.4.& 5.

Occupatio Dei circa aquas. in Festo S Andreæ Apost.c.1.p.1.

Oculorum Christi Domini quanta sit efficacia.in F.S.And.Ap.c 2.p.1.& seq.

Oculi hominum sunt fenestræ animæ. in F. S. And.Apost.c.2.p.2.3.&4.

Oculus diligentis melius videt hunc quem diligit.in F.S.Ioan.Evang.c.3.p 4.& 5.

Oculorum Christi quanta sit efficacia. in Festo S.Matthæi Evang.c.1.p.1.& seq.

Octo beatitudines sunt gradus ad cœlum. in Festo omnium Sanctorum.c.4 p.2.

Odoris fragrantia symbolum est virtutum. in Festo S Andreæ Apostoli.c.4.p.2.

Odore virtutum oblectatur Deus. in Festo S. Andreæ Apost.c.4.p.3.

Olfactus cur homini datus. in Festo S. Andr. Apost.c.1.p.1.

Oleum symbolum est charitatis. in Festo SS. Apost.Philippi & Jacobi c.3.p.3.

Oleum & Lychnus est symbolum fidei adjunctæ charitati. in Festo SS. Philippi & Jacobi.c.3.p.5.

Omne charum rarum. in Festo S. Catharinæ Senensis.c.2.in exordio.

P.

Palpari Christus cur se permiserit. in Festo S. Thomæ Apost.c.3.p.3.& 4.

Palma figura est victoriæ Sanctæ Crucis. in Festo Inventionis Sancti Crucis. c. 2. p.5.

Palatia pretiosa. in Festo Sanctæ Margaritæ. cap.2.pag.4.

Palmæ assimilantur Sancti Dei. in Festo S.Simonis & Judæ,c.1.p.1.& 2.

Palmæ & Cedro SS. Apostoli comparantur. in Festo B.Simonis & Judæ. c.2.p.1. & seq item.c.4.& 5.

Permittit Deus vexare sanctos suos. in Festo S.Blasii M.c.4 p.1.& seq.

Pœnitentia Magdalenæ fuit epulum Domini. in Festo S.M Magdalenæ,c.2.p.2.

Peccata hominum cur funiculis comparentur. in Festo Portiunculæ.c.3.p.3.

Pisces & aves productæ sunt ex una materia. in Festo S.Catharinæ Senensis.c.1.p 5.

Postulata magna difficile effectum suum sortiuntur.in Festo Portiunc.c.3.p.4.5.

Primitiæ agni sunt Sancti Innocentes. in Festo SS. Inncentum.c. 4.p.4.

Protectionis divinæ exempla. in Festo S. Blasii M.c.2.p.1.& 2.

Procrastinatio donorum Dei unde proveniat. in Festo S.Annæ,c.2.p.3 & 4.

Puritas triplex Innocentum. in Festo SS. Innocentum.c.4 p.1.

Pueritia Joannis in deserto cur Christo placuerit. in Festo Sancti Joannis Baptistæ. c.2.p.2 3.

Pulchritudo Angelorum quanta. in Festo S. Michaëlis Archangeli.c.2.p.2.

Purgatorii pœna quam gravis sit. in comm.fidelium defunctorum. c. 3. p. 1. & seq. item.c.4.p.3.4 & 5.

Q.

Quam bonum sit remittere offensam. in Festo S.Stephani.c.3.p.1.& seq.

Quatuor Evangelistarum propria sunt symbola.in F.S.Joannis Evang.c.1.p.1.

Quatuor animalia sunt quatuor Evangelistæ. in Festo S. Joannis Evangelistæ. cap. 3. pag.3.

Quatuor res in sole admiramur. in Festo S. Thomæ Aquinatis.3.p & seq.

Quadruplex est mensura S.Crucis. in Festo Inventionis S.Crucis.c.3.p.4.

Quanta Dominicæ Crucis ignominia tanta & gloria. in Festo Exaltations S. Crucis. c.3.p.1.& seq.

Quinque talenta explicantur. in Festo S. Nicolai Pont. c. 2. p. 1. & seq.
Quidnam à Cruce Domini expectandum. in Festo Exaltationis S. Crucis. 2. p. 1.
Quo quid principio suo est propinquius eo magis suum esse participat. in Festo S. Annæ. c. 4. p. 2.
Quo tentatio acrior eo est gloria major. in Festo S. Bartholomæi. c. 2. p. 2 & 3.

R.

Raptus Sancti Pauli Apostoli expenditur. in Festo S. Joannis Evangelistæ. caput 1. p. 1. & 2.
Recubitus supra pectus Jesu quam suavis. in Festo Sancti Joannis Evang. c 3. p. 1.
Regnum cœlorum grano sinapis cur comparetur in Festo Sanctæ Catharinæ Senensis c 1 p. 1.
Rex David in sinu juvenculæ Ecclesiæ calefactus. in Festo S. Cath Senens. c. 2. p. 5.

S.

Sanctorum novæ legis & antiquæ collatio. in Festo Sancti Joannis Evangelistæ. c. 2. p. 1. & 2.
Sapientia est donum Dei. in Festo S. Thom. Aquinatis. c. 4. p. 1.
Saxorum scissio in morte Redemptoris quidnam denotet. in Festo S. Jacobi Apost. c. 2. p. 3.
Sanguinis Christi copiose effusi, ratio. in Festo Exaltationis S. Crucis. c 2. p. 2.
Scandala summe vitanda esse. in Festo S. Michaelis Archangeli. cap. 3. punct. 1. & seq.
Scala Jacob Patriarchæ est figura beatitudinum Christi. in Festo S. Martini Episc. c. 2. p 4.
Serviendum Deo ex amore. in Festo S. Blasii M. c. 3 p. 1.
Sortis Apostolicæ dignitas. in Festo S. Matthiæ Apost. c. 1. p. 2.
Sortes superstitiosæ sunt vitandæ. in Festo S. Matthiæ Apost. c. 1. p. 5.
Sponsorum consuetudo offerendi sponsis suis monilia, unde provenerit. in Festo S. Catharinæ Senensis. c. 4. in exord.
Stigmata Sancti Pauli Apostoli quindnam denotent. in Festo S. Catharinæ Senensis. c. 4 p. 1.

T.

Talentis Dei qualiter sit utendum. in Festo S. Nicolai Pont. c. 1 p. 1 & seq.
Talenta Dei non sunt infodienda terræ. in Festo S. Nicolai Pont. cap. 2. p. 1.
Tentoria Ecclesiæ Domini sunt animæ fidelium. in Festo S. Jacobi Apostoli. cap. 2. p. 1. & seq.
Templa Dei paradiso terrestri comparantur. in Festo Portiunculæ. c. 1 p. 4 & 5.
Tentatio est præmii laudisque materia. in Festo Sancti Bartholomæi. cap. 2. pag. 1. & seq.
Thesaurus spiritualis est duplex. in Festo Sanctæ Margaritæ. c. 1. p. 1. & seq.
Triplex ascensus ad cœlum. in Festo S. Stephani. c. 2. p. 1. & seq.
Triplex est puritas Innocentum. in Festo SS. Innocentum c 4 p. 1.
Tribulationes cur permittantur in justos. in Festo S. Blasii M. c. 2. p. 3. & 4.
Tria sunt quibus Deus Moysen honoravit. in Festo SS. Apostolorum Philippi & Jacobi. c. 1. p. 3.
Triplicis idiomatis nominis Jesu in cruce ratio. in Festo Inventionis S. Crucis. cap. 4. pag. 4.
Tribulationum magnitudo majorem parit gloriam. in Festo S. Laurentii M. cap. 4. pag. 4.
Triumphi martyrum recensentur. in Festo S. Laurentii. c. 4 p. 2.

V.

Vestigia Domini qualiter calcanda. in Festo S. Laurentii Mart.
Vestem sordidam exuit qui pulchram vult induere. in Festo S. Bartholomæi. cap. 3. pag. 1.
Vestimentum vile peccatum denotat. in Festo S. Bartholomæi. c. 3 p. 2.
Vinea est typus Ecclesiæ Christi. in Festo SS. Innocentum. c, 4. p. 4.

MATERIARUM NOTABILIUM.

Virtutes sacræ cur fœmineo nomine exprimantur. in Festo S. Catharinæ Senensis. c.1.in exordio.

Viatorem in terris pasci cœlesti cibo, & singulare.in F. S. Catharinæ Senensis, cap. 3. in exordio.

Vitis vera est symbolum Christi Domini, in Festo S Annæ,c.2.in Exord.

Via ad sollicitandam Christi gratiam est cogitare se membrum ejus esse.in Festo Portiunculæ.c.4.p 4.

Vmbra denotat vitæ humanæ brevitatem. in commemoratione fidelium animarum, c.5.p.1.& 2.

Vmbra est vita humana. in commemoratione fidelium animarum, concione quinta p.4.& 5.

Vocationis divinæ virtus, in Festo S. Andreæ Apost.c.3.p.1.2.& 3.

Vocatio divina quantæ sit excellentiæ. in Festo S.Matthæi Evang.c.2.p.2.

X.

Xerxis exercitus differentia ab exercitu Cœlitum. in Festo omnium Sanctorum, c. 2. p.1.2 & 3.

FINIS.

FINIS.

PARADISUS CONCIONATORUM TETRALOGIÆ MYSTICÆ,

Sive

Quatuor Sermonum Prædicabilium, interdum verò plurium,

TOMUS TERTIUS.

In quo

Reginæ Sanctorum Patronorum, nempè Sanctiſſimæ Deiparæ, Virginis Mariæ Solemnes memoriæ;

Deinde

Sanctorum Patronorum inclyti Regni Boemiæ & Marchionatus Moraviæ, quorum Feſta ibidem celebrantur, ſive memoriæ recoluntur:

Et tandem

Quorundam Sanctorum quos Archidiœceſis Pragenſis pro Patronis Boëmiæ veneratur.

Quatuor Panegyrici ſeu plures recenſentur.

Quos decantavit linguâ & calamo

Fr. RAPHAEL DELAMINETZ,
Prædicator Generalis, Prior Conventus Pilſnenſis,
Ordinis Prædicatorum, in Provincia
Boëmiæ.

Eoque ſequuntur Ordine quem ſequens Tabella indicat.

(o)

ASCHAFFENBURGI,
Sumptibus JOANNIS ARNOLDI CHOLINI.

M DC LXVII.

TABELLA

Solemnitatum Sanctissimæ Virginis Mariæ.

Conceptio
Nativitas
Præsentatio
Annunciatio
Visitatio
Purificatio
Assumptio.
S. Mariæ ad Nives.
Commemoratio Sacratissimi Rosarii.

Item SS, Patronorum Regni Boëmiæ & Marchio, natus Moraviæ.

S. Adalbertus Pontifex & Martyr.
S. Vitus Martyr.
S. Sigismundus Martyr.
S. Venceslaus Martyr.
S. Procopius Abbas & Confessor.
S. Cyrillus & Methudius Confessores.
S. Ludmilla Vidua & Martyr.
Divus Ivanus Primus Eremita Boëmiæ.
V. Ioannes Nepomutenus Martyr.

Cæteriqúe
Qui in Sermone Panegyrico recensentur.

Et tandem

Sanctorum quorundam Patronorum Archidiœcesis Pragensis.

Sancti Fabianus & Sebastianus Martyres.
S. Ioseph Sponsus Beatæ Virginis Mariæ.
S. Georgius Martyr.
S. Leopoldus Confessor & Princeps Austriæ.
S. Barbara Virgo & Martyr.

Florete

Florete flores quasi lilium & date Odorem.

Proverbiorum 8. Cap.

HOrei delicias videns amœni,
In quo tot violæ, & rosæ rubentes,
Nec non lilia, cum virente cedro
Olfactum recreant, eumque mulcent
Florum suaveolente sæpe flatu.
Sensu non alio tenetur ille,
Nec plures appetit atque concupiscit,
Quam pertingere possit ut repente
Ad portam: sibi quam petit recludi,
Reclusaque, deambulat per hortum.
Sic tu qui legis hunc librum, lubensque
Percurris varias notationes,
Quas monstrat tibi summa concionum,
Omnem comperies amœnitatem,
Quam nusquam paradysus ipse ferret.
Namque hic si varios videre flores
Et gustare piam suavitatem
Mens est: prima Deiparens Maria,
Vincit lilia castitate purâ,
Quæ triplex fuit, est, eritque semper.
Sancti, Martyrioque laureati,
Ipsi purpureum cruore florem
Monstrant, & rosea caput corona
Cincti, perpetuo sequuntur agnum
Ac pæana canunt, ovantque læti.
Cedros & violas, cense Patronos,
Qui sacram fidei notam secuti,
Hanc virtutibus & decore vitæ,
Nec non pectore fervido excolentes,
Facti sunt domus incolæ perennis.

Ludebat

JUVENTUS CATHOLICA
Gymnasii Pilsnensis.

In Festo Conceptionis B. V. Mariæ.

Sermones Sex.

Thema Sermonis primi.
Liber generationis Iesu Christi. Matth. 1. v. 1. p. 1.
Thema Sermonis 2.
De qua natus est Iesus qui vocatur Christus. Matth. 1. v. 16. p. 3.
Thema Sermonis 3.
De qua natus est Iesus qui vocatur Christus. Matth. 1. v. 16. p. 6.
Thema Sermonis 4.
Benedicta tu in mulieribus. Matth. 1. v. 28. p. 8.
Thema Sermonis 5.
Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Cant. 4. v. 7. p. 11.
Thema Sermonis 6.
Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato. Psal. 44. v. 10. p. 13.

In Festo Nativitatis B. V. M.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Liber generationis Iesu Christi. Matth. 1. v. 1. p. 16.
Thema Sermonis 2.
Liber generationis Iesu Christi. Matth. 1. v. 1. p. 18.
Thema Sermonis 3.
De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Matth. 1. v. 16. p. 21.
Thema Sermonis 4.
Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens. Cantic. 6. v. 9. p. 23.

In Festo Præsentationis B. V. M.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Quam pulchri sunt gressus tui. Cant. 7. v. 1. p. 25.
Thema Sermonis 2.
Obliviscere populum tuum, & domum patris tui. Psal 44. v. 10. p. 28.
Thema Sermonis 3.
Qui est homo qui ædificavit domum novam & non dedicavit eam. Deut. 20. v. 5. p. 31.
Thema Sermonis 4.
Beati qui audiunt verbum Dei. Luc. 11 v. 28. p. 33.

In Festo Annunciationis B. V. M.

Sermones 5.

Thema Sermonis 1.
Hortus conclusus soror mea sponsa. Cant. 4. v. 12. p. 36.
Thema Sermonis 2.
Missus est Angelus Gabriel à Deo. Luc. 1. v. . 6. p. 38.
Thema Sermonis 3.
Missus est Angelus Gabriel à Deo ad virginem. Luc. 1 v. 26. p. 45.
Thema Sermonis 4.
Ecce ancilla Domini Luc. 1. v. 28. p. 47.
Thema Sermonis 5.
Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Luc. 1. v. 28. p. 50.

In Festo Visitationis B. V. M.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione. Luc. 1. v. 39. p. 53.
Thema Sermonis 2.
Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione. Luc. 1. v. 39. p. 55.
Thema Sermonis 3.
Intravit in domum Zachariæ. Luc. 1. v. 40. p. 58.
Thema Sermonis 4.
Ut audivit salutationem Mariæ Elizabeth, exaltavit infans in utero ejus. Lucæ 1. v. 41. p. 61.

In

THEMATUM.

In Festo Purificationis B.V.M.

Sermones 5.

Thema Sermonis 1.
Postquam impleti sunt dies Purgationis ejus. Luc. 2. v. 22. p. 64.

Thema Sermonis 2.
Postquam impleti sunt dies Purgationis ejus secundum legem Moysis tulerunt illum in Ierusalem ut sisterent Domino. Lucæ 2. v. 22. p. 66.

Thema Sermonis 3.
Tulerunt Iesum in Ierusalem ut sisterent eum Domino. Lucæ 2. v. 22. p. 69.

Thema Sermonis 4.
Tulerunt Iesum in Ierusalem. Lucæ 2. ibid. p. 71.

Thema Sermonis 5.
Tulerunt Iesum in Ierusalem ut sisterent eum Domino. ibid. p. 73

In Festo Assumptionis B.V.M.

Sermones 5.

Thema Sermonis 1.
Maria optimam partem elegit. Lucæ 10. v. 43. p. 76.

Thema Sermonis 2.
Vox exultationis & Salutis in tabernaculis justorum, dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem. Psal. 117. v. 15. 16. p. 78.

Thema Sermonis 3.
Positus est thronus matri Regis qua sedit ad dexteram ejus. 3. Reg. 2. v. 19. p. 80.

Thema Sermonis 4.
Tu gloria Ierusalem, tu latitia Israel, tu honorificentia populi nostri. Judith. 15. v. 10. p. 83.

Thema Sermonis 5.
Vt refulsit Sol in clypeos aureos & areos, resplenduerunt montes ab eis. 1. Machab. 6. v. 39. p. 85.

In Festo S. Mariæ ad Nives.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Præcepit nivi ut descenderet super terram. Job. 37. v. 6. p. 88.

Thema Sermonis 2.
Imperio suo accelerauit nivem. Ecclesiast. 43. v. 14. p. 90.

Thema Sermonis 3.
Vestimentum ejus quasi nix candida. Daniel. 7. v. 22. p. 93.

Thema Sermonis 4.
Beatus venter qui te portavit. Lucæ 11. v. 27 p. 96

In Festo Sacratissimi Rosarii.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Liber generationis Iesu Christi. Matth. 1. v. 1. p. 98.

Thema Sermonis 2.
Ascendens Iesus in naviculam transfretavit. Matth. 9. v. 1. p. 101.

Thema Sermonis 3.
Obaudite me divini fructus, & quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate. Eccles 39. v. 16. p. 103.

Thema Sermonis 4.
Ego quasi plantatio rosæ in Iericho. Eccl. 24. v. 18. p. 105.

THEMATA Sanctorum Patronorum Regni Boëmiæ.

In Festo S. Adalberti Pontificis & Mart.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
In propria venit & sui eum non receperunt. Joan. 1. v. 10. p. 111.

Thema Sermonis 2.
Ego sum vitis vera. Ioan. 15. v. 1. p. 113.
Thema Sermonis 3.
Veniam ad visiones & revelationes Domini. 2. Cor. 12. v. 1. p. 116.
Thema Sermonis 4.
Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis. Joan. 10. v. 11. p. 118.

In Festo Sancti Viti Martyris.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Non veni pacem mittere, sed gladium. Matt. 10. v. 34. p. 121.
Thema Sermonis 2.
Inimici hominis domestici ejus. Matt. 10. v. 36. p. 124.
Thema Sermonis 3.
Qui amat patrem & matrem plus quam me non est me dignus, Matt. 10. v. 37. p. 126.
Thema Sermonis 4.
Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Matth. 10. v. 38. p. 129.

In Festo S. Wenceslai Martyris.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Certe videtis quem elegit Dominus, quod non sit similis illi in omni populo. 1. Reg. 10. v. 24. p. 132.
Thema Sermonis 2.
Bonum certamen certavi. 2. Tim. 4. v. 7. p. 134.
Thema Sermonis 3.
Fuit cum Principibus populi, & fecit justitias Domini. Deut. 33. v. 21. p. 136.
Thema Sermonis 4.
Exaltavi electũ de plebe mea. Psal. 88. v. 20. p. 139.

In Festo S. Sigismundi Martyris.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Rex graditur ante vos. 1. Reg. 12. v. 2. p. 141.

Thema Sermonis 2.
Vidit altitudinem suam in multitudine palmitum. Ezech. 19. v. 11. p. 144.
Thema Sermonis 3.
Certamen forte dedit illi ut vinceret. Sap. 10. v. 10. p. 146.
Thema Sermonis 4.
Sicut divisiones aquarum: ita cor Regis est in manu Domini, Prov. 21. v. 1. p. 149.

In Festo S. Procopii Abbatis.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Narrabimus mirabilia tua. Psal. 74. v. 3. p. 151.
Thema Sermonis 2.
Similem illum fecit in gloria Sanctorum. Ecclesiast. 45 v. 2. p 154.
Thema Sermonis 3.
Dedit illi gloriam in gente sua. Eccl. 44. v. 22. p. 156.
Thema Sermonis 4.
Sic pugno, non quasi aërem verberans. 1. Cor. 9. v. 26. p. 159.

In Festo SS. Cyrilli & Methudii.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Lucæ 12. v. 35. p. 162.
Thema Sermonis 2.
Laudemus viros gloriosos. Eccl. 44. v. 1 p. 164.
Thema Sermonis 3.
Gloria filiorum Patres eorũ. Prov. 17. v. 6. p. 167.
Thema Sermonis 4.
Isti sunt viri misericordiæ. Eccl. 44. v. 10. p. 170.

In Festo S. Ludmillæ Mart. Patronæ Boëmiæ.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Bona est negotiatio ejus. Prov. 31. v. 8. p. 173.

Thema Sermonis 2.
Exuit se vestibus viduitatis. Judith 10. v. 2. p. 175.
Thema Sermonis 3.
Collum tuum sicut monilia. Cant 1. v. 9. p. 178.
Thema Sermonis 4.
Laudent eam in portis opera ejus. Proverb. 31. v. 31. p. 180.

In Commemoratione D. Ivani, Primi Eremitæ Boemiæ, concurrente cum celebri die S. Joannis Baptistæ.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Elongavi fugiens, & mansi in solitudine. Psal. 54. v. 8. p. 183.
Thema Sermonis 2.
Quid existis videre in desertum? Matth. 11. v. 8. p. 185.
Thema Sermonis 3.
Invenit gratiam in deserto. Jerem. 31. v. 2. p. 188.
Thema Sermonis 4.
Vox Domini præparantis cervos. Psal 28. v. 9. p. 191.

In Venerabilem memoriam Joannis Eleemosynarii & Martyris, cæterorumque Regni Boemiæ Patronorum; quorum nomina in sermone Panegyrico recensentur.

Thema ejusdem.
Corpora ipsorum in pace sepulta sunt & vivent nomina eorum in generatione & generationem. Eccl. 44. v. 14. p. 194.

THEMATA Quorundam Sanctorum Patronorum Archidiæcesis Pragensis.

In Festo SS. Fabiani & Sebastiani Mart.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Descendens Jesus de monte, stetit in loco campestri. Lucæ 6. v. 17. p. 201.
Thema Sermonis 2.
Beati eritis cum vos oderint homines. Lucæ 6. v. 22. p. 103.
Thema Sermonis 3.
Exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum. Psal. 63. v. 5. p. 206.
Thema Sermonis 4.
Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones. Ad Hebræos 11. v. 33. p. 209.

In Festo S. Josephi, Sponsi B. V. Mariæ.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph. Matt. 1. v. 18. p. 211.
Thema Sermonis 2.
Joseph fili David noli timere. Matth. 1. v. 20. p. 218.
Thema Sermonis 3.
Jacob genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus qui vocatur Christus. Matth. 1. v. 16. p. 216.
Thema Sermonis 4.
Joseph vir justus. Matth. 1. v. 19. p. 219.

In Festo Sancti Georgii Martyris.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Palmes non potest facere fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic & vos nisi in me manseritis. Joan. 15. v. 4. p. 221.

Thema Sermonis 2.
Omnem qui fert fructum purgabit eum, ut fructũ plus afferat. Joan. 15. v. 2. p. 224.
Thema Sermonis 3.
Hic vir bellator ab adolescentia sua. 1. Reg. 17. v. 33. p. 226.
Thema Sermonis 4.
Bonus miles Iesu Christi, ad Tim. 2. v. 3. p. 229.

In Festo S. Leopoldi, Confessoris, & Principis Austriæ.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Princeps Dei es apud nos. Gen. 23. v. 64.
Leopoldus Princeps Austria. p. 231.
Thema Sermonis 2.
Verbum mihi ad te, O Princeps. 4. Reg. 9. v. 5.
Leopoldus Pius. p. 233.
Thema Sermonis 3.
Post aurum non abiit, Ecclesiast. 31. v. 8.
Leopoldus fidelis Servus & prudens. p. 235.
Thema Sermonis 4.
Iam non est servus, sed filius. Gal. 4. v. 7.
Leopoldus Sancti Petri filius. p. 238.

In Festo S. Barbaræ Virg. & Mart.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Lampades ejus lampades ignis. Cant. 8. v. 6. p. 240.
Thema Sermonis 2.
Puella decora nimis, virgoq; pulcherrima & incognita viro Gen. 24. v 16. p. 243.
Thema Sermonis 3.
Sicut lilium inter spinas. Cant. 2. v. 1. p. 246.
Thema Sermonis 4.
Laudent eam in portis opera ejus. Proverb. 31. v. 31. p. 249.

FINIS.

IN FESTO CONCEPTIONIS
Beatissimæ Virginis MARIÆ.
CONCIO I.

Liber Generationis Jesu Christi. Matth. 1. ℣. 1.

REx David eximius, cum ædificare vellet, in nobilissima civitate Jerusalem templum Domino, hæc verba protulit 1. Paralip. 29. *Opus grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed DEO.* Eadem verba de animato atque admirabili templo, nempè Beatissimâ Virgine Mariâ, hodierna die proferre possumus. Opus enim grande illa fuit, *Vas admirabile, opus excelsi:* ibi enim non homini, sed Deo habitatio parabatur. Omnia igitur in ea grandia, omnia magna, omnia admirabilia esse oportebat, nempè conceptionem, nativitatem, vitam, gloriamque sempiternam: hujus hodie conceptionis memoriam agimus quæ fuit civitas DEI, de qua Rex David prophetabat dicens: *Gloriosa dicta de te, sunt civitas DEI.* Sanctus vero Damascenus idem vaticinium sic elucidat. Et quam aliam Dei civitatem intelligemus, quam eam quæ Deum suscepit, de qua glorioſa ab ipso Domino dicta sunt. Muri hujus civitatis aurei sunt, fundamenta verò ipsorum omni lapide pretioso ornata dicuntur. Apocal. 21 per quæ quid aliud intelligas, quam pretiosum totius gratiæ fundamentum, quod in sanctissima ejus conceptione apparuit: de qua ego verba mea facturus, vos attentos esse postulo.

1. Paral. 29. v. 1.

Eccles. 43. v. 3.

Ps. 86. v. 3.

Damasc.

Apoc. 21. v. 19.

I. Tunc primum lætari cœpit universus mundus, postquam DEUS creavit solem & lunam, quamvis enim ante ipsum terram fecerit, nihilominus erat inanis & vacua, nempè absque ullo ornatu qui videri posset; quia tenebræ adhuc erant super faciem abyssi. Sed postea cum omnia reduxit in ordinem, insuper tam luminare majus, quam minus posuit in firmamento cœli, tunc totius universi pulcherrima dispositio ejusdemque naturalis perfectio apparuit, ut terra germinaret, aqua flueret, omnia subjicerentur homini, cuncta benedictionem à Creatore suo acciperent, nempè ut crescerent omnia fructusque suos producerent. Non minorem accepit lætitiam parvus iste mundus nempè homo, postquam in tenebris & in umbra mortis tamdiu manens, tandem à sole justitiæ Christo, nec non à luna scilicet Beatissima Virg Maria, gratiæ lumen recepit: tunc enim mundus cœpit revivisscere, tunc in aëre, aqua, igne terraq;, summa eluxit lætitia; dum homini subjiceretur mundus, Dæmon caderet, & gratia crescceret. Quod si ita sit, sicut est; ô læta & festiva dies, dies exultationis & lætitiæ, in qua executionis exordium factum est, quod mundo huic informi & per peccatum lapso ab æterno promissum erat. Hodie Sapientia Patris æterna, dignissimum tabernaculum suum quod sibi delegit singulare, id ipsum ædificare cœpit, dum non sine miraculo sacrum illud Virginis corpus, de quo purissima caro Christi operatione Spir. Sancti formanda erat, in Beatæ Matris Annæ visceribus est conceptum: verè dies felix & toties desiderata.

Gen. 1. v. 2.

II. Quapropter Sancta Mater Ecclesia, attendens ad felicem sanctamque hujus sacræ conceptionis suæ solemnitatem, valdè oppositè eandem enucleat, hac primâ lectione sacri Evangelii dicentis: *Liber Generationis Iesu Christi:*

quod quidem fecit ad similitudinem S. Moysis Patriarchæ. Ille etenim edidit Librum Geneſis dictum, in quo poſtquam totius mundi nempè cœli, terræque, avium, piſcium, plantarum, animalium, cœli luminarium, hominis denique mentionem fecit, tandem in fine ait: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Quærit hic S. Gregorius in libro Moralium: Cur Deus creata ſua quæ antea ſimplici tantum vocabulo approbabat, dicens de quolibet; *Vidit Deus quod eſſet bonum*; tandem poſtquam operi finem impoſuit, omnia illa valde bona nominavit? Reſpondet idem Sanctus Doctor, propter unionem & harmoniam diverſarum ſpecierum, valde bona appellaſſe. Simile quid videmus in nova Geneſi, à S. Matthæo Evangeliſta compilata, in qua cum feciſſet initium ab Abraam, Iſaac, Jacob, cæterisque Patriarchis, ab Adam Primo parente deſcendentibus, in eo videtur Moyſen imitari, quaſi novi Orbis, novæ Creaturæ, novæ Legis, novæ Eccleſiæ contexens hiſtoriam. Sed quid tum? quamdiu in rebus creatis, nempè inter quatuor mundi elementa, contrarietas inveniebatur, non merebantur approbari à Deo; ſed tum primum cum ſocietatem, pacemque inierunt. Similis novi hujus orbis nempè hominis fuit conditio, qui totus inteſtino bello laborabat, tum Deum ſibi offenſum habens, tum etiam ſentiens luctam carnis adverſus Spiritum. Sed poſtquam S. Evangeliſta devenit ad illa verba ſuæ Geneſis; *Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus qui vocatur Chriſtus*; ſubſtitit ſuamque Geneſin terminavit. Videns ſe deveniſſe ad Beatiſſimam Virginem Mariam, per quam benedictionem omnes accepimus. Ortus ergo fuit ab Abraam cæterisque Adæ filiis, & devenit ad Sanctiſſimam Virginem Mariam Matrem DEI, ut ſic conſtaret eam ex Adam deſcendiſſe, per cujus filium, filii hominum eſſent redimendi, & cum DEO reconciliandi: ideo vero ab Abraam, Iſaac & Jacob, fecit exordium: quia iis facta fuit repromiſſio, quod in ſemine eorum benedicentur omnes tribus terræ.

Gen. 1. *v.* 31. — *S. Gregorius Moral.* — *Matth.* 1. *v.* 16. — *Gal.* 3. *v.* 9.

III. Hinc ſequitur magna prærogativa Beatiſſimæ Virginis Mariæ, quæ conceptione ortuque ſuo, antiquam illam Adami Evæque Geneſin nobilitavit. Unde merito ipſa in Veteri Teſtamento pluribus figuris deſignata fuit. Hoc teſtatur Sanctus Hieronymus, Sermone de Aſſumptione dicens. *Quidquid humanis poteſt dici verbis, minus eſt ad ipſius laudem, quia divinis & Angelicis eſt excellentius prædicata, & laudata præconiis. A Prophetis quidem pronunciata, à Patriarchis præfigurata, ab Evangeliſtis exhibita & monſtrata, ab Angelo venerabiliter ſalutata.* Ipſa eſt quæ per Arcam Noë figurata fuit, de qua habetur hiſtoria Geneſis cap. 7. Indignatus erat Deus toti generi humano propter ipſius ſcelera, quam ob rem totam terram ſubmerſit aquâ, quæ in tantam excreverat altitudinem, ut altiſſimos operuerit montes: ait textus. *Quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes quos operuerat.* Sola nihilominus Arca Noë evaſit illæſa & incolumis. Et quid nam aliud per aquas intelligere poſſumus, quam peccatum illud Parentum primorum, quod diffuſum erat in totum genus humanum: teſtatur hac de re Sanctus David dicens: *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aqua uſque ad animam meam.* Quid porrò per Arcam niſi Beatiſſimam Virginem Mariam, quæ ab iſto mundi diluvio immunis erat: quia dicente ſacro textu; *Arca ferebatur ſuper aquas.*

Gen. 7. *v.* 20. — *Pſ.* 68. *v.* 2. — *Gen.* 7. *v.* 19.

IV. Tempus deficeret ſi omnes figuras quæ Beatam Virginem Mariam prænunciarunt, enarrare vellem. Nam illa figuratur per altare à Jacob fabricatum, in quo Deus reconciliatus fuit peccatori. Per Sanctuarium & tabernaculum Domini, in quo quatuor menſibus DEUS requievit. Per Arcam teſtamenti, in qua cœlicum Manna, id eſt Deitas Salvatoris fuit recondita; per Menſam Propoſitionis, in qua præſtatur panis vitæ. Per propitiatorium; quia per ipſum Deus ad parcendum nobis inclinatur. Audite quid dicat S. Ignatius: *Impoſſibile eſt aliquem ſalvari peccatorem, niſi per tuum ô Virgo auxilium & favorem.* Ipſam prædixit Balaam dicens: *Orietur ſtella ex Iacob.* Item Iſaias dicens: *Egredietur virga de radice Ieſſe.* Exigebat ſanè dignitas ſingularis, Beatiſſimæ Virginis Mariæ, ut ortus ejus denunciaretur, ne inadvertenter tanta celſitudo mundo oriretur. Adventus enim Magnorum ſolet à multis præconibus nunciari: ſic nativitas Joannis Baptiſtæ ſterilibus illis parentibus multis indiciis prænunciata fuit. Si ergo ortus juſtorum, quantò magis conceptio & nativitas Sanctiſſimæ Virginis quæ futura erat Mater DEI, denunciari debuit? Quid ampliùs? illa ipſa eſt quæ per veſtem Aaronis deſignata fuit, quia Chriſtum induit immaculato ſuæ carnis veſtimento. Illa

Gen. 35. *v.* 3. — *Exod.* 27. *v.* 9. — *S. Ignat. Mart.* — *Num.* 24. *v.* 17. — *Iſai.* 11. *v.* 1. — *Exod.* 28. *v.* 3.

S. Hieron.

ſua

fuit Tuba Gedeonis, in instructione Apostolorum. Terra germinans Salvatorem; Liber divinæ Sapientiæ, Virga percussiva hostis infernalis: illa est Columba Noë, quæ toti mundo attulit olivæ ramum, nempè gratiæ & misericordiæ Dei, Columba hæc, de qua habemus Canticorum 5. *Una est Columba mea formosa mea, immaculata mea.* Illa est cui S. Augustinus tale dat elogium: *In corde, in ventre, in auxilio benedicta super mulieres.* Quamobrem cum vita Beatissimæ V. Mariæ, hisce omnibus, cæterisque pluribus figuris optimè conveniat, non est dubium, quin fuerit nunciatum, Beatissimam Mariam mundo orituram.

Cant. 5. v. 2. August.

V. Habemus scriptum Canticorum 1. *Ecce tu pulchra es amica mea; Ecce tu pulchra es.* Istum locum intelligi de Beatissima V. Maria nullum est dubium; hic enim à multis sanctis Patribus ipsi attribuitur, Itaque unus ex ipsis, Pater Galarius ponit hanc quæstionem: Cur Christus Matris suæ pulchritudinem bina vice deprædicat? *Tu pulchra es amica mea, tu pulchra es.* Nonne id semel dixisse sufficiebat? & respondet idem author dicens: *Duplicat sermonem, ut ostendat ipsam pluchram, id est puram & in conceptione & in vita futuram.* Nec immeritò: nam si propter pulchritudinem Asuerus Rex adamavit Esteram, idem decebat Beatissimam Virginem Mariam, quam Deus elegit ab æterno in Reginam cœli, Imperatricem Angelorum, totius mundi Dominam, & quod majus est, in Matrem filii sui unigeniti. Gaudemus ergo dilectissimi & lætemur: si enim Sancta Trinitas, & Angeli cum tota Ecclesia triumphante gaudet, propter ea quæ in cœlis facta sunt per Mariam; cur non & homines in terra, propter ea quæ facta sunt per eandem? Si justus es, gaude: quia ex ea, cujus hodie memoriam celebramus ortus est Sol justitiæ, qui est dator gratiæ. Si captivus es aliquo peccato, gaude: quia ejus agis memoriam, quæ liberata ab omni peccato, tibi quoque remissionem tuorum obtinebit. Si bonis gratiæ privatus es, gaude: quia hodie ejus memoriam colis, de qua Sapientiæ 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Audi quid dicat S. Bernardus. *Tolle corpus solare, quid erit in mundo nisi tenebræ? tolle Mariam & non habebit lucis gloriam* Te ô Beatissima Virgo deprecamur; ut qui conceptionem tuam Sanctissimam colimus, ejusdem fructus quoque salutares consequi valeamur, nunc & in hora mortis nostræ.

Cantic. 1. v. 15.

Galar.

Esther. 2. v. 17.

Sap. 7. v. 11. S. Bern.

AMEN.

IN FESTO CONCEPTIONIS B. V. MARIÆ.

CONCIO II.

De qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.
Matth. 1. v. 16.

COnsuetudo est receptissima in Ecclesiis, celebrandi diem fundationis sive dedicationis earundem, uti fecit Rex Salomon in dedicatione templi Dei à se fundati & perfecti. At nos Christiani, cum majori gaudio celebramus hodie fundationem templi vivi, cujus Deus maximus tunc prima fundamenta jecit, quando formans corpus Sacratissimæ Matris suæ, ejusdem animæ omnium donorum suorum infudit gratiam abundantissimam: de cujus sanctitate cum vix ipsimet Angeli cœlestes (qui sunt in gratia divina confirmati) loqui possunt, multò minus nos homines terreni, & peccatis involuti dignè & sufficienter loqui poterimus: ope tamen ejusdem Sacræ Virginis imploratâ, quidquid de primis corporis sui initiis vobis proposuero, id cedet in laudem Sanctissimæ Matris Dei, nobis autem ad profectum salutarem.

I. Sanctus Basilius Doctor, ponderans illa verba Genes. 2. cap. *plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis?* inquirit: Cur Deus

Gen. 2. v. 8.

non creaverit paradiſum ejusque arbores & plantas eodem die, quo cæteras ſilvas, arbores, & reliqua quibus terra abundat? hæc enim tertia die fuerunt creata: quidnam ſuic erit myſterii, paradiſum adeo amænum ſingulari die ad manſionem & voluptatem Adami efformari? Et reſpondet hanc eſſe cauſam, *quia cum homo eſſet ſingulare opus Dei, non erat conveniens ut eadem habitatio foret hominis & brutorum animantium; ſed ſicut differentem habebat naturam, etiam aliam haberet manſionem & recreationis ſuæ donum.* S. Baſilius. Non aliter loqui debemus de animato illo paradiſo Maria Virgine, ejuſque efformatione: quod fecit Author naturæ Deus in creatione Adami, fecit & Author gratiæ in efformatione Sanctiſſimæ V. Mariæ. Verum quidem eſt, quod conſiderata humana natura Beatiſſimæ V. Mariæ, videatur naturalis ratio id poſtulare, ut ejus generatio foret pariformis cum generatione cæterorum Adami filiorum, ſed ſi ad omnipotentiam dexteræ & efficaciam gratiæ divinæ recurrerimus, neceſſariò fateri debebimus, quod ſicuti verbum incarnatum in Adamo præfiguratum, diverſimodè fuit conceptum & in utero puriſſimo Virginis (aliter quam cæteri hominum in utero matris ſuæ) efformatum, ideo datâ operâ Pater illi ſingulare habitaculum, particularem paradiſum, nempe puriſſimum Virginis uterum, omniumque ſupernaturaliū virtutum varietate exornatum præparavit, in quo per ſpatium novem menſium commoraturus eſſet; quod etiam pro conceptione Matris tanti filii ſimilem paradiſum præparaverit ab æterno; juxta illud Sacræ Scripturæ: *Ab æterno & ex antiquis ordinata ſum.* Prov. 8. v. 23.

II. Digna ſunt conſideratione illa verba in Pſalmo Davidis 88. *Et ponam thronum ejus ſicut dies cœli*; quæ verba quamvis juxta litteram intelligantur de perpetuitate, ſupermanente duratione Regni Davidici, poſſunt tamen benè intelligi etiam de throno verbi incarnati; nempe de Beatiſſima Matre Dei, quæ hodie fuit concepta, & electa in thronum Dei. Quærit igitur hic S. Auguſtinus quænam ſit differentia inter dies cœli & terræ? & reſpondet taliter: *Quia dies cœli ſunt ſemper præſentes, dies vero mundi ſeu terræ præterunt.* S. Auguſt. Hugo Card. Hugo verò Cardinalis ita dicit: *Dies cœli ſemper ſunt longi & clari mundi verò tædioſi & breves.* Ac ſi diceret; diebus mundi ſuccedunt noctes, & tempori matutino Veſper, & luci mundanæ ſuccedunt tenebræ. In hoc ſenſu loquebatur triſtis ille Propheta Jeremias cap. 27. *Diem hominis non deſideravi, tu ſcis.* Noſti Domine, me tales dies nunquam poſtulaſſe, quia nulla ex illis caret nocte ſua: & licet proſperitates mundanæ felici origine naſcantur, ſemper tamen vergunt ad veſperas, & finiunt in nocte tribulationem: Voluit ergo Propheta his verbis dicere; *Thronus ejus ſicut dies cœli*, quod totum in Virgine Beatiſſima ſemper erat futurum, ſux matutina & indeficiens, ſemper dies, & nunquam tenebræ. Thronus ejus ſicut dies cœli, ut ſcilicet digna foret quæ thronus Dei fieret. Jerem. 27. v. 12.

III. Indagant Sacri Doctores; Cur Deus die ſeptimo & non in aliis requieverit, & diverſas hujus rei allegant rationes. Sed inter cæteros S. Petrus Damianus pulchrè diſcurrit, & valde benè ad noſtrum propoſitum, dicens: quod illos dies antecedentes quibus aliquid creavit, ſtatim etiam diſtinxit: *Factum eſt veſpere & mane dies unus*, idemque repetit de ſecundo, & ſic de aliis conſequenter, uſque ad ſeptimum; de quo ſacra Scriptura verba faciens mutat ſtylum, & dicit: *Complevitque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat, & requievit die ſeptimo ab univerſo opere quod patrarat.* In quibus verbis nulla fit mentio de veſpere vel de mane; quaſi quod illa dies, nec principium nec finem habuerit, ſed quod ſemper luminoſa, ſemper clara, abſq; ullis tenebris fuerit: in illa requieſcit divina Majeſtas; eſt enim dies cœli, & non dies mundi ſymbolum, & figura propria Beatiſſimæ Virginis Mariæ, quæ eſt thronus ſupernus, in quo Regia Majeſtas & magnitudo divina erat quietura: in illa ergo nulla debebat eſſe viciſſitudo matutinæ, & veſpertinæ lucis, id eſt nulla viciſſitudo divinæ gratiæ; ſed lux ſemper clara: talis enim eam decuit, cujus thronus ſicut dies cœli. Illa verba Eccleſiaſtici, cap. 24. *Quaſi palma exaltata ſum in Cades, & quaſi plantatio roſæ in Iericho*; de S. Virgine intelligi ſentiunt multi Doctores, inter quos unus Guilelmus Pariſienſis interrogat: Quamobrem Sanctiſſima Virgo ſe comparat palmæ & roſæ, quæve ſimilitudo, (ait hic Doctor) inter Virginem Beatiſſimam & has duas plantas? Exci pite excellentiſſimum ejuſdem reſponſum. *Palma ſolet deferri in ſignum victoriæ aut lætitiæ; roſa autem pulchra & munda, quamvis procedat* Petr. Dam. Gen. 2. v. 2. Eccl. 24. v. 18. Guilelmus Pariſ.

ex ſpinoſa arbore. Pari modo, inquit Pariſienſis, Beatiſſima Virgo habuit victoriam contra ſerpentem antiquum, ne morderet ipſam, & inde lætata eſt: proceſſit ex Judæis ſpinoſis per culpam, ipſa ſine culpa. Illa ſola potuit canere victoriam & triumphum contra hoſtem humanæ naturæ, quia nihil perdidit, neque ullam jacturam paſſa eſt primæ gratiæ, ipſaque ſola fuit roſa, quæ procedens ex parentibus peccatoribus, delicta eorum non eſt imitata. Atque ita ſicut roſetum ſpinis plenum, germinat roſam illarum expertem; ita Genealogia illius plena ſpinis, protulit illam de qua S. Mater Eccleſia: Sicut ſpina roſam, genuit Judæa Mariã. Meritò ergo palmæ & roſæ aſſimilatur: *Quaſi palma exaltata ſum, &c.*

IV. Non minùs nobile ſymbolum excellentiæ Beatiſſimæ Virginis Mariæ, habetur Apocal. 12. cap. *Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus.* Nobiliſſimum certè veſtimentum; amictum eſſe Sole. Pulchra calceamenta filiæ Principis, habere Lunam ſub pedibus. Vultis ſcire quænam ſit iſta ſingularitas in Beatiſſima Virgine, illi inquam ſoli data, & nulli alteri præter ipſam conceſſa. Scimus quippe ex libro Geneſis 3. cap. Quod poſtquam peccaverunt parentes noſtri, Deus illis dederit veſtimenta & calceamenta ex pellibus animalium: *Fecit quoque Dominus Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos.* At Beatiſſima Virgo Maria, cum ſemper munda fuerit, illis non indiguit Eſt enim amicta ſole, & Luna ſub pedibus ejus. Acutè id obſervavit S. Auguſtinus Doctor Eccleſiæ) ſicuti & legimus in libris Geneſeos, & Jud.) multoties Angelos apparuiſſe mulieribus: verbi gratia; uxori Samſonis, Saræ, uxori Abrahæ, & aliis quibuſdam. Sed nuſquam legimus aliquam ex illis fuiſſe ab Angelis ſalutatam. Sed quando Gabriel Paranymphus miſſus fuit ad Virginem Dominam noſtram, ad minùs trina vice illam ſalutavit: ita autumant quidam Doctores cum Caſſiano ſuper illa verba. *Ave gratia plena! Dominus tecum*, Rationem verò differentiæ aſſignat D. Auguſtinus dicens. Omnes mulieres fuiſſe in matre Eva, quodammodo excommunicatas: unde ſecundum praxin juris, nefas fuit illas ſalutare. At verò Mariæ, quam Angelus exemptam à ſententia excommunicationis invenit, non loquitur ſicut cæteris, abſque pia ſalutatione; Sed flexo poplite totus proſtratus dixit illi: *Ave gratia plena! Dominus tecum.* Beneficium ſingulare illi ſoli conceſſum, ex qua humanitas Chriſti efformanda erat; ideo enim creans eam, non diſtulit illi plenitudinem totius gratiæ infundere. Unum ex præcipuis encomiis, quibus ſponſam ſuam extollit ſponſus, eſt illud, quod ſcribitur Canticorum 4. *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus.* Scimus ex libro Geneſeos, cap. 2. Quod Deus primi illius horti ſui, nempe paradiſi, primum hominem hortulanum & cuſtodem fecerit. ut cuſtodiret & operaretur illum. Et quia Adam malè cuſtodivit portam horti ſui, intravit ſerpens, & induxit ruinam, non ſolùm ſupra ipſum, ſed etiam ſupra totum genus humanum: at iſte ſerpens qui ſeduxit parentes noſtros, ad Beatiſſimam Virginem Mariam nunquam aliquem aditum habuit. Vultis habere rationem? Quia hortus concluſus ſoror mea ſponſa. Non eſt hæc mea, ſed D. Joannis Damaſceni ſententia, qui dicit de dormitione Beatiſſimæ Virginis. *Ad hunc paradiſum nempe Beatiſſimam Virginem Mariam ſerpens aditum non habuit.*

V. Refert Plinius libro 11. Naturalium, eam eſſe à natura apibus inditam conſuetudinem; quod dum Regi ſuo thronum ſive ſedem in alveario extruunt, ſoleant ſelectiſſimos flores quærere, & ex illorum optima materia domunculam ſuo Regi facere. Si igitur hæc naturalis indoles & ingenium apum in alveario ipſorum oſtenditur; quid erit mirum, ſi Deus totius naturæ Author, qui parvis animalculis naturalem indidit inſtinctum, eligat ſelectiſſimum florem ex toto illo viridario, lineæ & proſapiæ Chriſti Servatoris? Liber Generationis Jeſu Chriſti, ut fabricet ex illo favum, & ceram candidiſſimam, in qua Rex & Dominus nempè Salvator totius mundi, tanquam in throno ſuo ſit commoraturus; de qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus. Elegit absque dubio florem pulcherrimum, & formoſiorem, quàm mundus unquam habuit, aut habebit. Formoſæ fuerunt inter gentiles, Diana, Argia, Helena, Penthesilea, Cleopatra, Lucretia: & inter Hebræos, Sara, Rachel, Dina, Thamar, Noemi, Eſther, Judith, Abigail, Berſabee, Abiſac, & Suſanna. Sed omnes comparatæ cum virgine Sanctiſſima, nullam habuerunt gratiam; quia ſingulæ ſuos habuerunt defectus: at in Virgine noſtra ne quidem umbra alicujus imperfe-

Cant. 4. v. 12.

D. Damaſc.

Plinius.

Apoc. 12. v. 1.

Gen 3. v. 21.

Luc. 1. v 28

D. Auguſt.

perfectionis fuit reperta; semper fuit pura, & semper fuit Sancta, semper flos suavissimus electus ex omnibus, flos inquam adeo purus, ut altissimus DEI filius ex illa dignaretur nasci: de quâ natus est Jesus, qui vocatur Christus. Hanc igitur solemnitatem hodiernam cum lætitia celebrantes, confugiamus ad B. Virginem, ut ejus patrocinio & piâ intercessione mundari à peccatis nostris per pœnitentiam, & per gratiam Salvatoris nostri JESU, futuram ejusdem gloriam consequi mereamur.

Amen.

IN FESTO CONCEPTIONIS B. V. MARIÆ.

CONCIO III.

De qua natus est Jesus, qui vocatur Christus. Matth. 1. ℣. 16.

POstquam benignissimo DEO cum hominibus conversari placuisset, mandavit Moysi, ut illi construeret tabernaculum, quo inter homines habitaret, illud autem voluit donariis & sumptibus populi sui honorari, nempè offerri aurum, argentum, lapides & gemmas pretiosas, æs, hyacinthum, & purpuram, aliaque ad illud necessaria. Ne verò quisquam se excusaret paupertate, & ob eandem se nihil offerre posse allegaret, præcepit de pilis caprarum operimenta tabernaculi fieri, ut qui pauper esset, nec aurum, gemmas, aut argentum haberet, quæ dono daret, pilos caprarum offerre posset. Non est dubium Auditores, illud tabernaculum typum fuisse Beatissimæ V. Mariæ, de qua illud Eccl. 24. merito dici potest: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Hujus tabernaculi non Moysaicâ manu facti, sed vivi, structuram mirabilem hodie memoriâ colimus; dum felicem & sanctam conceptionem immaculatæ Virginis Mariæ Matris Dei devotè celebramus. Sed quænam dona in festivitate hujus tabernaculi offeremus? Scio quidem beatos illos spiritus ei oblaturos aurum, argentum, gemmas & lapides pretiosos: ego autem tanquam unus expusillis offeram ei pilos caprarum, nempè laudes exiguas; quas, cum pia sit, & benigna, clementer excepturam non dubito. Vos favete.

Eccles. 24. v. 12.

I. Sicuti de DEO nostro magna sunt prædicanda; quia juxta testimonium Sacri Regis: *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis:* ad eundem modum, si de Beata V. Maria quædam dicenda sunt, semper magna prædicanda sunt: quæ enim ad illam pertinent, magna sunt juxta illud Lucæ: *Fecit mihi magna qui potens est.* Et meritò. Hæc enim illa est, cujus figuram expressit fortissima & honestissima illa Judith, de qua dicitur cap. 16. *Magna facta est Bethulia, & præclarior erat universa terra Israël.* Hæc illa est, de qua dicitur Apoc. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo.* Hæc, ille rubus est, de quo Moyses Exod. 3. *Vadam & videbo visionem hanc magnam.* Hæc illa domus est, de qua Salom. 2. Paralip. 2. *Domus quam ædificare cupio magna est: magnus est enim Deus noster super omnes Deos.* Hæc demum, illud altare est de quo habemus Jos. 22. *Ruben, Gad, & Manasse ædificaverunt juxta Iordanem altare infinitæ magnitudinis.* Verè Sancta Virg. Maria altare est in quo odorifera aromata, nempè orationes odoris suavissimi, taliter adolere valemus, quatenus devotionis odor cœlos penetret, & totum oraculum adimpleat. Unde cum omnia quæ ad Mariam pertinent, huic infinitæ dignitati proportionari debeant, oportet de illa omnia illa quæ magna sunt prædicare. Sed quidnam magnum de Beatissima V. dicere poterimus? nam si nos ad hodiernum Evangelium, in quo sua progenies describitur, converterimus, parum materiæ quæ excellentiam suam magnificet, inveniemus. Est quidem verum, progeniem suam ex nobilissima totius Orbis stirpe descendere. Sed quinam est hic Sanct. Matthæi paragraphus: *De qua natus est Iesus;* cum nondum natus esset? Sed attendite ad verba D. Damasceni, & percipietis magnam Beatæ V. excellentiam: Sic ille ait, Orat. 1. de Nativitate Virginis. *Natura voluit in conceptu Virginis gratia cedere, ut Virginis conceptio gratia Dei, non viri-*

Ps. 47. v. 1.

Luc. 1. v. 49

Iudith. 16. v. 25.

Apoc. 12. v. 1

Exod. 3. v 3.

2. Paral. 2. v. 5.

Ios. 22. v. 10.

S. Damasc.

viribus naturæ tribueretur. Ex quibus verbis intelligimus, quod quidquid spectat ad honorem matris Dei, non attendat ad finem seu executionem illius, sed ipsum anticipat: unde anticipativè talis in ipsa statim conceptione titulus debetur.

II. Patebit intellectus hujus discursus, ex hac figura, quæ scribitur Gen. 38. Thamar cum concepissèt, intellexit se geminos in utero portare: cumque instante jam partu unus ex iis duobus prior egredi cœpisset ex utero, atque jam protulisset manum; videns id obstetrix ligavit indigito ejusdem coccinum dicens: *Iste egredietur prior.* Postquam hic se ligatum sentit, velut si intellectu polleret, cessit illi gloriosæ præcedentiæ, manum retraxit, seque in obscurum illud maternorum viscerum recepit cubiculum, qui appellatus fuit Zara: hic ergo retrahente manu egressus est alter. S. Chrysostomus Homil. 3. in Matthæum, magnum hic notat Sacramentum dicens: *Neque enim consueti motus hoc fuit, ordinisq; naturæ, nempè retrocedere cum jam egredi cœpisset.* Cum autem ita factum fuisse sacer textus dicat, merito hæc figura referenda erit ad conceptionem Sanctissimæ Virg. Mariæ, quæ absque hoc descendit ex linea istorum duorum puerorum, uti constat ex hodierno Evangelio Per obstetricem debemus intelligere divinam sapientiam, juxta testimonium Hugonis Cardin. qui in hunc locum scribens ait: *Obstetrix, id est divina Sapientia, ligavit coccinum in manu.* Per duos illos filios, nempè per Zaram, intelligitur natura; per alteram nempè Phares, intelligitur gratia posterior: itaque nempè Phares primo egreditur; in conceptione Beatissimæ Virginis naturam coccino, id est peccato, ligatam, Deo obstetricis officium agente, gratia prævit; natura autem retrocessit. Modo ergo patet sententia D. Damasceni dicentis: *Natura voluit in conceptu Virginis gratiæ cedere, ut Virginis conceptio gratiæ DEI non viribus naturæ tribueretur.*

Gen. 8. v. 7.

S. Chrysost.

Hugo Card.

III. Parvula quidem in conceptione Maria; nihilominus in ea corporis exiguitate, sicut lapillus ille avulsus sine manibus, in montem maximum excreverat, sic & illa in prima conceptione sua maximam adepta fuit excellentiæ magnitudinem, quàm ipsimet Angeli fuerunt admirati dicentes: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & universi pulveris pigmentarii.*

Daniel 2.

Cant. 3. v. 6.

Canticor. cap. 3. Causam sciamus ô beatissimi Spiritus, cur fumum & virgam supremam vestram appelletis Reginam; illa neque sedem suam habeat supra thronos vestros? Hæc communis solet esse responsio; nempè quod in ista admiratione Angelorum metaphora quædam contineatur, quæ præclarissimam Beatissimæ V. Mariæ denotat prærogativam. Fumus odoriferus in sacra pagina reconciliationem indicat: obtulit Noë cessante diluvio Sacrificium; mox sequitur: *Odoratusq; est Dominus odorem suavitatis.* Sic Deo placuit gratusque fuit hic fumus avium & animalium occisorum, ut jam placatus juraverit se post hac aquarum diluvio terram non demersurum, Genesis 7. Seditiosi Israëlitæ commoventur & concitantur contra superiores suos, mox punit illos & igne consumit divina Justitia: Sed dum summus sacerdos medius inter vivos & mortuos, thus suo thuribulo imposuit, totum illud ignis incendium extinxit, voraxque elementum repressit odorem fumi. Verba sunt Sacræ Scripturæ, Numer. 16. *Obtulit Thymiama, & stans inter mortuos & viventes, pro populo deprecatus est, & plaga cessavit.* Dum dicitur ergo Beatissima Virgo Maria virgula fumi; hinc summa ejus innotescit potentia, quod sic Deum placet, dum pro nobis filium suum dilectum precibus suis interpellat. Sed ad nostrum propositum congruenter legit Pagninus, ex Hebræo: *Sicut columna fumi.* Neque est hic quid aliquid novi: videmus enim fumum dum exurgit, in modum columnæ ascendere. Virgula est & simul columna Beatissima Virgo Maria; dum quamprimùm concipitur, ubi neque infantula adhuc appellari potest, & jam Regina mundi & Mater Christi appellatur: *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.*

Num. 16. v. 47.

IV. Tertii Regum cap. 5. legimus; quod in templo Salomonis, tanta fuerit opulentia, ut ipsi lapides fundamentales ad regulam essent elaborati. *Præcepitq; Rex, ut tollerent lapides pretiosos in fundamentum templi, & quadrarent eos.* Quis ignoret hic magnum quoddam latere mysterium? Cum aliquis domum ædificat, in fundamentis illius non ponit lapides politos & manu artificis pulchrè elaboratos, sed rudes & impolitos; elaboratos verò ac cultos lapides servat in superiorem ædificii partem, quo ab omnibus cerni spectariq; possint: ut quid ergo Salomon lapides excultos in fundamentis ponat,

3. Regum. 5. v. 17.

ponit, cum illi ab humanis oculis essent abscondendi. Sanè non alia hic latet ratio, nisi quod illa domus Dei, quam ille ædificabat Domino, significaverit Beatissimam Virginem Mariam, de qua Pater ipsius prophetavit dicens: *Domum tuam decet Sanctitudo.* Voluit ergo Salomon cum magno sumptu., elegantes lapides in fundamentis poni, quia divina Majestas in fundamento templi sui, nempe Sanctissimæ Virginis, immensas gratiarum suarum divitias & expensas collocavit. Neque hoc miremini; quia Sapientia ædificavit sibi hanc domum; ea propter in fundamentis optimos & pretiosos collocavit lapides, nempè tot & tanta dona cœlestia, ut nullus Sanctorum in fine vitæ suæ, ob tot virtutum labores exantlatos, exornatus fuerit, sicut Beatissima Virgo in primæva conceptione sua exornata fuit.

V. Non occultè id innuunt verba Prophetæ
Psl 150. v.1. David dicentis in Psalmo 150. *Laudate Dominum in Sanctis ejus, laudate eum in firmamento virtutis ejus.* Meritò quidem in Sanctis suis laudandus est Deus, quia quod Sancti sint, hunc præclarum titulum ab ipso habent: Sed quodnam est firmamentum illud quod inter Sanctos adeo præcipuum est, & è regione eorundem collocatur? Sine dubio firmamentum illud Maria est, quæ è regione Sanctorum omnium posita, illa sola omnes superat & excedit. Sed quid est in Maria Virgine ut firmamenti nomen ei tribuamus? Maxima profectò ac præcipua similitudo: firmamentum enim à Philosophis dicitur octava sphæra, quæ innumeris est ornata stellis & maximis iis, quæ scintillare videntur: hoc verò cœlum præcipuâ ratione Mariam significat, quæ animarum cœlum à Damasceno dicitur; quia cum reliqui cœli unâ ornentur stellâ, firmamentum vero ornetur innumeris & maximis; sic & Beat. Virgo omnes Sanctos, inter alia hac in re superavit, quod illi quidem ornari existunt omni virtute; nec enim una virtus sine socia inveniri potest, sed quilibet eorum una virtute præcipua enituit; juxta illud quod canit Ecclesia: *Non est inventus similis illi qui conservaret legem excelsi.* Sic Apostoli excelluerunt charitate, Prophetæ spe, Martyres fortitudine, Virgines puritate, Confessores longanimitate: at verò, si oculos in Mariam convertas, firmamentum videbis, innumeris decoratum stellis, quia omni virtute & gratiâ ornatam conspicies. Aliud mirum in hoc firmamento Mariæ, nempè quod stellæ inferiorum cœlorum quæ planetæ dicuntur, quia propè nos sunt non scintillant, quæ verò in firmamento sunt, quia remotissimæ sunt, scintillant: est autem (ut ita dicam) ea scintillatio, oculi titubatio, non valentis planè & perfectè aspicere rem adeò remotam: ità planè quod attinet virtutes Sanctorum, hæ planetarum more à nobis conspici possunt: at Mariæ dona & gratiæ lucidissimæ ac scintillantes stellæ sunt firmamenti tam remotæ, ut eas nullus hominum oculis mentis perfectè intueri, multo minùs imitari possit. Quod cum ita sit, sufficiat nobis hodiè lætari de tanta Sacratissimæ Virginis excellentia, eamq; devotis extollere præconiis: De qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.

IN FESTO CONCEPTIONIS B.V. MARIÆ.

CONCIO IV.

Benedicta tu in Mulieribus. Luc. 1. ℣. 28.

NOn miremini fideles Auditores, quod Ecclesia Sancta non contenta aliis festivitatibus B.V. Mariæ hodie celebret conceptionem ejusdem, facit more nostro, qui dum salutare cupimus aliquem Monarcham, non expectamus donec veniat ad suum palatium, sed eximus ei procul obviam, sicut Melchisedech obviavit Abraæ à cœde quinq; Regum revertenti offerens ei loco salutationis panem & vinum uti habetur Genes. c. 14. Idem sanè fecit S. Ecclesia, quæ *Genes. 14. v. 18.* non expectans adventum B. Virginis Mariæ in hunc mundum, in sua conceptione exit ei obviam cum festiva & humili salutatione, idemq; nos facere docet. At quomodo eam salutabimus?

mus? Daret quidem materiam hodiernum ſacrum Evangelium in quo præclariſſima & antiquiſſima S. Virginis Genealogia recenſetur, Magnis enim perſonis nihil gratius nihil acceptius eſt, quàm cum præclaris & antiquis familiæ ſuæ titulis ſalutantur. Idem planè B. V. Maria præſtari poſſet, cujus familiæ & ſtirpis tanta eſt gloria, ut etiam Joſeph non contentus inſigni ſui præanteceſſoris Jacob progenie, illam mutavetit à V. Maria, cujus ſe fatetur virum, juxta illa verba Evangelii: *Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ.* Sed cum ego non Genealogiæ B. V. Matiæ hiſtoriam, ſed laudum ſuarum indignum præconem agere velim, illam ſaltem vobiſcũ ſalutabo & mutuatis ab Archangelo verbis alloquar. *Benedicta tu in mulieribus.*

Matth. 1. v. 16.

I. Poſſet mihi aliquis objicere, quod iſta mea oratio, qua ego ſalutare & prædicare intendo B. V. Mariam, nempè *Benedicta tu in mulieribus.* Sit nimis trita & communis, cui ſimilem legimus in libro Judith 13. c. Cum enim Oſias vidiſſet Judith redeuntem à cæde Holophernis, ita illam ſalutavit: *Benedicta tu filia à Domino Deo excelſo præ omnibus mulieribus ſuper terram.* Sciendum tamen eſt in hoc verbo, quo ſalutamus B. V. Mariam aliquid plus latere quàm in benedictione Oſeæ, ille enim aut purè laudavit Judith, aut ſi confitebatur in ea aliqua dona Dei, nempè, quod ei Deus dederit pulchritudinem ſingularem, ita, ut incomparabilis in oculis aliorum appareret; item magnam fortitudinem, quod fuerit auſa exire è civitate Bethuliæ, ſeque committere in caſtra hoſtilis exercitus. Item, quod ei dederit ſummam gratiam coram facie Holophernis. Item, quod ei caput abſtulerit, & ſic totum exercitum Aſſyriorum diſſipaverit. Ultimo tandem quod ſuam civitatem ab obſidione & cives à periculo mortis liberaverit, hæc tamen dona, comparando donis B. V. Mariæ, valde ſunt exigua, & plura majora reperimus in Maria Sanctiſſima; adeo, ut hic non putemus nos ſolùm cum Archangelo ipſam laudare, ſed etiam confiteri in illa beneficia & dona Dei, quæ ſuperant alia omnia dona data omnibus Angelis & hominibus.

Iudith. 13. v. 23.

II. Quod autem iſte ſit ſenſus, multa teſtimonia producere poſſum. Imprimis habemus 1. Reg. 25. c. de Abigail talem hiſtoriam. Excanduit David quadam vice contra Nabal ob inhumanitatem ſuam, nempe quod dum tonderet gregem in Carmelo, ibique celebraret convivium, quaſi convivium Regis repudiaſſet ſuam petitionem, nolletque ei quidquam largiri de menſa ſua. Cumq; id reſciret Abigail uxor ſua, incunctanter ei obviam properavit, tulitq; ſecũ ducentos panes & duos urros vini, & quinque arietes coctos, & quinque ſata polentæ, & centum ligaturas uvæ paſſæ, & ducentas maſſas caricarum, venienſque cum his ad David, inter alia dixit. *Suſcipe benedictionem hanc quam attulit ancilla tua tibi Domino meo.* Item habemus Gen. 27. Qualiter Iſaac benedixerit filio ſuo Jacob, quam benedictionem nihil aliud fuiſſe quàm ipſamet dona quæ ipſi offerebat, patet ex verbis S. Patriarchæ dicentis: *Det tibi Deus de rore cœli & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini & olei.* Unde intelligitur quod Iſaac filio ſuo Jacob benedixerit non loquendo tantùm, ſed transferendo hæreditatem majoris fratris in minorem. Ita habemus Gen. c. 33. Dum Jacob vidiſſet à longè fratrem ſuũ Eſau cum quadringentis viris ſibi obviantem, pergens ad ipſum volenſque ſibi placatũ reddere, præmiſit capras ducentas, arietes viginti, camelos cum pullis ſuis triginta, vaccas quadraginta, tauros viginti, aſinas viginti, & pullos earum decem, quæ munera ſua ſubſequens & ad Eſau appropinquans dixit illi. *Eſto mihi propitius & ſuſcipe benedictionem quam attuli tibi, & quam donavit mihi dominus tribuens omnia.* Sic ergo intelligenda eſt mea ſalutatio. Benedicta tu, id eſt donis à Deo tibi collatis dotata.

1. Reg. 25. v. 27.

Gen. 27. v. 28.

Gen. 33. v. 11.

III. Sed quænam illa erunt? abſque dubio tot & tanta, quæ non ſolùm humanâ ſed neque Angelicâ linguâ enarrari poſſunt. Et inprimis magnum illud donum fuit quod illam Rex cœli & terræ Deus, in Reginam totius Creaturæ elegerit. Sed illud ampliùs quod eam ſolam Patronam & Advocatam noſtram fecerit. Id pulchrè deducam vobis ex hiſtoria Eſter 2. & 4. cap. Præcepit ſemel Rex Aſverus, ut ipſi quærerentur ſpecioſiſſimæ Virgines per univerſas Provincias, & ad ducerentur ad civitatem Suſan. Dum ergo plurimæ fuiſſent adductæ, inter omnes alias, placuit Regi Eſter Virgo. Quæ non quæſivit muliebrem cultum, erat enim formoſa valde & incredibili pulchritudine omnium oculis gratioſa & amabilis videbatur: ducta eſt itaque ad cubiculum Regis, & adamavit eam Rex pluſquam omnes mulieres, & poſuit diadema Regni in capite ejus. Magna Eſter dignitas quia Regina facta, ſed tunc adhuc major

Eſther. 2. v. 17.

major enituit dum se Patronam obtulit pro salute communi gentis suæ. Cum enim instinctu Aman Principis, edictum exisset à Rege, ut omnes Judæi delerentur in regno suo, Mardochæus ejusdem nutritius, nunciavit ei ut ad regem intraret, & rogaret pro Judæis, inter cæteros sermones & id dicens. *Quis novit utrum idcirco ad regnum veneris ut in tali tempore paraveris.* Hæc historia nunquid pulchrè quadrat Beatissimæ Virgini Mariæ? Hæc enim cum inter omnes mulieres sola electa fuerit ut esset Regina, non regni unius sed cœli & terræ, jam meritò illis verbis compellari potest. Quis novit utrum idcircò ad Regnum veneris ut in tali tempore paraveris.

IV. Sed placet audire causam donorum tam excellentium? Non quæsivit muliebrem cultū, erat enim formosissima & incredibili pulchritudine spectabilis, omnium oculis gratiosa. Vultis videre suam pulchritudinem? Unum dicam, & totum dicam. Quòd nempè fuerit electa in Matrem Dei, putatis hoc donum parvum & exiguum esse? David ut Saul Regis posset fieri gener quid non fecit? Suam propriam salutem posuit in periculum, pugnavitque cum Philisthæis & ducenta eorum præputia Regi exhibuit. Magnum fuit Bersabee fuisse Reginam David, sed amplius fuisse Matrem Salomonis, quid dicat S. Anselmus auscultate. *Nihil tibi Domina est æquale nihil comparabile. Omne enim quod est, aut supra te est, aut infra te est. Quod supra te, est solus DEVS quod infra te est, est omne quod Deus non est.* Non derogo hic quidquam divinæ potentiæ, quasi sua manus sit abbreviata, sed quod nulla fœminarum tali gratiâ dotata, quæ posset esse Mater Dei. Agnovit hoc felix illa mulier de turba, & ideo non timens Pharisæos, audacter exclamavit. *Beatus venter qui te portavit*, in quibus verbis videre est magnam hujus fœminæ prudentiam. Cum enim haberet plurimas virtutes in Beatissima Virgine Maria, nempe insignem humilitatem, maximam fidem, summam charitatem, prædicandas, &c. Hæc omnia præteriens, laudat illam à solo ventre: Imitatur sane Canticum illud Sancti Spiritus 4. cap. qui cum sponsam suam laudare vellet, laudavit à pulchritudine capillorum, oculorum, oris, manuum, cæterum ista verba addidit. *Absque eo quod intrinsecus latet.* Pulchritudinem enim Beatissimæ Virginis Mariæ, quæ intrinsecus nempe in anima sua latet, quis dignè eloqui poterit. Citius solem apertis oculis videbis, quam perspicies lumen divinæ gratiæ in anima Beatissimæ Virginis Mariæ, de qua natus est Jesus qui est sol justitiæ: de qua hæc dicit Sanctus Hieronymus. *Quidquid in Maria est totum puritas, totum veritas, totum gratia* Meritò igitur hæc mulier Evangelica imitata Canticum S. Spiritus, omissâ laude suorum donorum cœlestium, illam saltem laudat à corpore. Beatus venter qui te portavit. Sed addam & illud quod prudenter eruperit in laudem Beatissimæ Virginis, jam enim fide agnoscebat illam fuisse nebulam æterni solis, nempè filii Dei, in quem credebat audacter. Et ideo sicuti filii Israël lætabantur de illa columna nubis quæ illos præcedebat, ita & nos cum eadem muliere laudare debemus B. V. Mariam ejusque donorum grati esse, quod lumen illud æterni verbi incomprehensibile in uterum suū susceperit, ut in illo (Spiritu Sancto obumbrante) tanquā nebulâ humanâ carne obvelaretur, & jam non in fulmine sed pacificè per suas divinas inspirationes nobis loqueretur: illa inquam nubecula quæ septies ab Elia in monte exorata, pluviam largissimam gratiæ cœlestis attulit universo mundo.

S. Anselm.

Luc. 11. v. 27.

Cant. 4. v. 3

S. Hieron.

Gen. 13. v. 21.

V. Ecce dona Beatissimæ Matris Dei, aliter quidem ipsi data, quàm dentur plerisque à Monarchis hujus mundi: illi enim varia dona dare possunt, sed non possunt efficere, ut qui aliquod donum accepit, dignus illo efficiatur. Atqui Deus Rex Maximus, B. V. Mariam tali dono effecit dignissimam. Erat enim formosa valde & incredibili pulchritudine omnium oculis gratiosa. Asverus Rex ut efficeret Estheram dignā amoris sui dono, & exceptione legis suæ Regiæ, qua cautum erat ne aliquis sub pœna capitis cubiculum Regis nisi vocatus intrare præsumeret, demisit in brachium Reginæ Virgam suam aureā. Idem fecit & Rex altissimus Deus, qui ut Sanctissimam Virginem, tantis donis dignam feceret, tetigit ipsam aureâ Virga divinæ suæ gratiæ, illa inquam Virga quæ ab æterno vigilans Prophetæ Jeremiæ quondam ostensa fuit. Tale igitur exordium B. V. Mariæ cum festivâ gratulatione celebremus, ipsamque exoremus, ut nos à peccatis nostris per pœnitentiam mundatos, sua piissima intercessione reconciliari dignetur Christo Jesu filio suo, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in secula. Amen.

IN

IN FESTO CONCEPTIONIS B. V. MARIÆ.

CONCIO V.

Tota pulchra es amica mea & macula non est in te.
Canticor. 4. v. 7.

LEgimus de Zeuxe pictore nobilissimo, quod dum cuperet Helenæ formam omni meliori qua posset arte depingere, venustissimas virgines delegit, in quibus quidquid in labris, genis, fronte, toto ore, oculisque pulchrum videbat, quidquid omni ex parte natura perfectũ perlustrabat, id totum in unius Helenæ formam conferebat. At longè ego excellentiorem pictorem, præ oculis habeo, nempe ipsum Spiritum Sanctum, qui volens nobis eximiam pulchritudinem sponsæ Christi Jesu, nempe Matris suæ Sanctissimæ Virginis Mariæ non muto colorum, sed vivo depictam penicillo demonstrare, postquàm absque ullo prototypo virginum venustarum, membrorum ejus pulchritudinem sigillatim delineasset, nempe in oculis, capillis, genis, dentibus, collo & uberibus, tandem artificio suo maximo finem imposuit dicens: *Tota pulchra es amica mea & macula non est in te.* Multi hominum videntes Zeuxis picturam, artificium mirabantur. At ego multo majorem hodiè admirandi ansam ad manus habeo in Sanctissima Conceptione Mariæ Matris Dei. Vultis rationem? Quia teste D. Bonaventura hoc ejusdem artificium non fuit opus hominum, sed opus digitorum Dei. Cujus elegantiam in hac hodierna concione vobis demonstrabo.

I. Rex & Propheta S. David, cum oculos suos sursum elevasset in cœlum, coactus fuit
Psal. 8. v. 1. exclamare taliter dicens: *Domine, Domine noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra, quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos.* Si quis hic causam tantæ admirationis à sancto Propheta exquireret, ille re-
Ibid. v. 4. spondet dicens: *Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum lunam & stellas quæ tu fundasti.* Ex quibus verbis S. David colligi potest, quantam potentiæ nec non gloriæ suæ magnificentiam in creatione & exornatione cœlorum Deus ostenderit, ut non immeritò dicat Ecclesiasticus cap. 43. *Altitudinis firmamentum pulchritudo ejus species cœli in visione gloriæ:* quæ verba explicans Cornelius à Lapide ita ait: *Quod licet ipso firmamento, alii cœli sint longè altiores, nempe Chrystallinum & Empyreum quod est sedes Beatorum, nihilominus de pulchritudine hujus loquitur, quia firmamentum tale Dei opus est, in quo supremi artificis, nempè Creatoris Dei summa elucet pulchritudo.* Quænam autem illa sit explicat id Palatius dicens. *Ecclesiast. c. 43.* *Cornelius à Lapide hic.* *Palatius.* In eo consistere firmamenti pulchritudinem, quia quot astris & stellis resplendet, quasi tot gemmis, piropis & adamantibus radiat, quot stellæ tot lampades, tot igneæ faces, in cœlo collucent, totumque mundum illustrant. Accedit eidem firmamento splendor & pulchritudo ex assistentia solis & lunæ, quæ luminaria tantæ sunt excellentiæ, ut eis Creator universi Deus, principatum in firmamento dederit, soli inquam ut præesset diei, lunæ verò ut præesset nocti. Quod cum ita sit, & ego hodie de Candore Conceptionis Beatissimæ Virginis Mariæ ad vos verba facturus sim, ex hisce tam pulchris luminaribus Solis aut Lunæ, aut certè stellarum, quæ appellantur cœli gratia & vas castrorum in excelsis, cuinam ipsam comparare debeam ferte vota: Consilium forte vestrum erit, ut immaculatam Virginem lunæ assimilem vel sane soli, sive stellis, hæc enim illa est, quæ juxta textum sacræ scripturæ, *est pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata*, at pace vestra dixerim, vota vestra non arrident. Beatissimam Virginem Mariam lunæ non comparabo, hæc enim Eclipsin patitur, illa nullam; non soli, nam in hoc subtiles Astronomi maculas quasdam invenerunt, Mater Christi Jesu nullam habet: non stellis, quia quædam errantes nominantur Beatissima autem Maria teste Divo Ambrosio lib. *Cant. 6. v. 9.*

2. de Virginibus nunquam de recto virtutum calle deviavit. Cui ergo ipsam comparavero, in cœlis nihil simile ipsi invenio, tantum abest ut in terra?

II. Descendam deorsum, & pretiosa quæque in terris perscrutabor, utrum Sanctissima Virgine dignum aliquid invenire queam. Quæ sive in mari & fluminibus, sive in penetralibus terræ natura abscondit, non sunt vilia aut contemnenda: inter alia, aurum, summo ab hominibus in pretio habetur, de cujus excellentia ipsamet scriptura sacra in plerisque locis mentionem facit. Nam sapientissimus Rex Salomon cupiens magnificam & decoram domum ædificare Domino, non satis habuit quod eam tabulis ex lignis pretiosis operuerit, sed pro majori ornamento vestivit eam auro mundissimo, uti habetur 3. Reg. cap. 6. *Nihil erat in templo quod non auro tegeretur*, nec solùm ipsi parietes templi erant auro vestiti, sed etiam omnia ejusdem vasa, nempe Altare, mensa panum propositionis, candelabra, forcipes, hydriæ, fuscinulæ, mortariola, & thuribula, facta erant ex auro purissimo. Simile quid legimus de Regio Salomonis palatio in quo extruxerat thronum ita admirandum, ut scriptura dicat. *Non est factum tale opus in universis regnis*: Erat ille thronus ex ebore quem vestivit auro fulvo nimis. Quin & illud addit textus: quod omnia vasa ex quibus potabat; & universa supellex domus saltus Libani fuerint ex auro purissimo. Ipsemet Deus præceperat Moysi ut faceret arcam de lignis Sethim, eamque deaureret auro mundissimo intus & foris, & tandem omnia alia quæcunque ad illam pertinebant, erant ex auro purissimo. Cum igitur aurum tantæ sit excellentiæ, quid noceret si Beatissimam Virginem Mariam, quæ est templum, domus, thronus, & arca omnipotentis Dei; huic auri metallo comparavero? Non decet Auditores. Quoniam teste Ecclesiastico, in igne probatur aurum: in illius autem sacrâ conceptione nulla scoria invenitur.

3. *Reg.* 6. v. 22.

3. *Reg.* 10. v. 20.

III. Conferam me ad lapides pretiosos, naturam illorum indagabo, si fortè in aliquo virgineam Sanctæ Virginis Mariæ paritatem invenire potuero. Juxta eorum sententiam qui naturas rerum scrutantur, quin imò & ipsi visu experimur, adamas trahit ferrum, huic non incongruè Beatam Virginem assimilare possem, ipsa enim est, quæ verbum æternum ferro fortius traxit in terras, ipsa hæc est quæ ferrea hominum corda attrahit ad se, eaque amplectitur juxta illud. *Transite ad me omnes qui concupiscitis me.* Sardius fluxum sanguinis cohibet, illa peccatorum Carbunculus tenebras illuminat, hæc corda hominum: Hyacinthus itinerantes facit securos, illa fugientes mundum custodit: Berillus amorem conjugum reconciliat, illa inter carnem & spiritum quæ sibi invicem adversantur pacem conciliat: Saphirus ardorem inferiorem refrigerat, illa carnalis concupiscentiæ: Sed quid immoror in hisce lapidibus enumerandis, præclarissimas Virginis Mariæ dotes omnes hi, aliisque plures effingunt, sed qui mihi sanctissimam ejusdem conceptionem exprimat, Margaritâ aptiorem non invenio.

IV. Famosus ille naturæ Scrutator Plinius, examinans arcana diversarum gemmarum, hoc ait de Margarita, quod licet nascatur in mari, majorem tamen habet societatem cum cœlo, quàm cum ipso mari, verba sunt authoris: *Margaritis cœli societas major, quàm maris.* Cujus dicti sui eam assignat rationem; Quia licet Margarita in mari nascatur, & in conchis marinis delitescat, nihilominus cœlesti rore concipitur, & solis radiis concrescit, nec quidquam à mari amaritudinis, aut salsedinis attrahit. Idem sentit D. Hieronymus dicens. *Concha solo cœlesti rore perfusa Margaritam gignit.* Hinc Methodius author Margaritam pretiosissimam nuncupavit, quia nihil à mari salso vel amaro, sed à cœlo & formoso sole possidet. Hanc ergo Margaritam Sanctissimam Virginem nunc vocavero, ipsa enim hæc est, quæ in conceptione sua candorem margaritæ superans, nulla maris salsedine, nulla peccati amaritudine infecta fuit, quia ros cœlestis gratiæ ita conceptioni suæ illapsus fuit, ut nullus unquam Adæ peccato aditus ad concham hujus Margaritæ patuerit.

D. Hieronymus.

V. Et quoniam pulchritudo Margaritarum in candore potissimum consistit, talem in Beatissima Virgine Maria exemplo Estheris, & ego vobis propono. Post severam Asveri Regis sententiam in totam Judaicam stirpem, quæ una die debebat trucidari, ut Esther Regina conspectum illius subiit, videns ille timore consternatam & collapsam exilivit de solio, & sustentans eam ulnis suis, consolabatur dicens. *Ego sum frater tuus, noli metuere, non morieris; non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est* Si pro omnibus, quomodo Esther hoc Edicto comprehensa

Esther 15. v. 12.

Chensa non est? ideò sanè quia erat supra cæteros, utpote potentissima regni Domina, ejusdem consors coronæ. Jurisperitis quippè regula est. *Augusta gaudet privilegio Principis.* Quod ergo audistis de Esthera, hoc idem sentiendum est de Beatissima Virgine Maria; ut cum Rex cœli & terræ Deus totum ingenus humanum ob peccatum Adæ mortis sententiam tulit, soli Beatissimæ Virgini Mariæ tanquam Reginæ mūdi gratiam reservavit dicens: *Non pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Quidni? Placuit Asvero Regina Esther, cum ante se stantem videret, quia ut ait sacer textus. *Erat formosa valde & incredibili pulchritudine omnium oculis gratiosa.* Cur non placeret Deo Beatissima Virgo Maria? de qua dicitur. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Quam ob rem Auditores devoti, recurramus hodie ad hanc Sanctissimam Virginem, ut quam immaculatam virginem fatemur & nominamus, ejusdem patrocinium experiamur, nunc & in hora mortis nostræ, Amen. *Esther.2.v.1.* *Cant.4.v.6*

IN FESTO CONCEPTIONIS B. V. MARIÆ.

CONCIO VI.

Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato.
Psalm. 44. ℣. 10.

Plato PLato divinus ille Philosophus considerans differentiam quæ est inter homines nempè quod non omnes sibi sint æquales, sed quidam plebeji, ut opifices & rustici, alii autem nobiles generosi, doctrinâ & moribus præstantes, & tandem alii Principes, Regesque glorioſi. Confinxit talem Apologum, quem refert Clemens Alexandrinus lib. 5. Quod cum Deus homines ex terra fingeret, quos sciebat futuros opifices & agricolas illorum limo ferrum chalybemque admiscuit, quos generosos & excellentes, argentum, quos Reges & Principes; aurum. Diceret aliquis, ideo Deum limo opificum & rusticorum admiscuisse ferrum & chalibem, quia videntur esse durioris naturæ morumque, sicuti est ferrum & chalibs, nobilibus autem argentum, quia sunt tractabiliores magisque humani, & tandem Regibus Principibusque aurum, hos enim decet clementia & authoritas, sicuti aurum est molle & ponderosum. Sed ego longè alio respicio, & si fas est ex fabula elicere veritatem, hodiernam solemnitatem conceptionis Sanctissimæ Matris Dei eidem applicare conabor, aureſque benevolas expostulo.

Clemens Alexandrin.

I. Optimè nostis Auditores, universum genus humanum, non distinguendo quempiam à rustico, nobili, vel principe, ex unica & æquali materia creatum esse, sic attestante sacro eloquio Geneſis cap. 2. *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ*, quod tamen prænominatus ille Philosophus, eidem limo metalla quædam, ferri, argenti & auri admiscuerit, id mihi benè quadrat, ad demonstrandam solemnitatem conceptionis Reginæ cœli terræque Virginis inquam Sanctissimæ Mariæ. Hic enim ego per ferrum intelligo totum genus humanū sub imagine rustici seu opificis, quia sicut ferrum contrahit rubiginem & ex eodem diversa instrumenta, ad diversa opera (ut vomeres ad arandum) confici solent, sic & primo homini post primam peccati rubiginem dictum fuit. *In sudore vultus tui vescēris pane tuo*; ejusdemque conditionis omnes sumus, qui peccatum Adæ contraximus, jam verò ab eodem per sanguinem Jesu Christi qui ferreis clavis cruci affixus erat liberati sumus. Per argentum quosdam intelligo, qui in utero matrum suarum inter quos fuit S. Propheta Jeremias à peccato liberati, & gratia Dei sanctificati, quasi purum argentum in hunc mundum prodierunt. Tandem per aurum intelligo B. V. Mariam idque ob multas rationes Quia sicut sol est inter planetas lucidissimus, & aurum inter metalla præstantissimum: sic B. V. Maria inter omnes Sanctos, uti testatur D. Anselmus dicens. Sanctissima Virgo, nihil tibi æquale est nihil *Gen.2.v.7.* *Gen.3.v.19* *S. Anselm.*

comparabile, quod enim est, aut est supra te, aut infra te: quod est supra te, solus est Deus, quod est infra te, id totum est, quod non est Deus. Auro nullum est metallum purius, B. V. Maria omni enim est creaturâ purior, quia superat munditiem Angelorum. Aurum est ponderosum, unde inter omnia metalla profundius generatur & B. V. Mariæ humilitate, nihil unquam fuit profundius, nullum metallum ita est obediens artifici sicut aurum, sed amplior erat B. V. Mariæ obedientia dum ait ad Angelum: *Ecce ancilla Domini.* Nullum metallum auro patientius quia probatur igne: Sed major B. Virgo pollebat patientiâ, dum enim sub cruce dilecti filii sui staret, illud verè dicere poterat quod scribitur Psal. 16. *Igne me examinasti*, aurum præcellit alia metalla fulgore & B. V. Mariæ dictum fuit ab Angelo. *Ave gratia plena.* Unde ad ipsam spectat illa Prophetia Regis David. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaureato.*

Luc. 1. v. 37.

Psalm. 16. v. 3.

Luc. 1. v. 28

II. Referunt antiqui Poëtæ Regem quendam Colchorum aureum vellus habuisse & quia prædicta pellis pulchritudinis erat admirabilis & pretii inæstimabilis, ob quod eam summâ custodiâ in templo Martis conservabat, hinc finxerunt Poëtæ ob custodiam dicti velleris fortissima & inexpugnabilia mœnia extruxisse, quæ templum illud in quo prædictum vellus recondebatur, cingebant. Templi foribus excubitorem posuisse non solùm Draconem quendam, verum etiam horrendos tauros, ignem ex oculis naribusq; evomentes. Per hoc vellus aureum, si B. V. Mariam intelligere voluerimus, minimè quoque mirabimur præpotentem Deum, summam ei custodiam adhibuisse; quæ enim pulchra & cara sunt, illa bene custodiri solent. Si igitur Colchorum Rex, ne monile illud pretiosum & opulentum quale vellus illud erat, perderetur seu prophanaretur, in templo bene clauso & custodito collocavit; eodem modo Deus, postquam Sanctissimam Matrem suam, veluti novum quoddam pulchritudinis miraculum formaverat, eam diligentissimè custodire dignatus erat, ne aliquâ peccati maculâ contaminari & aliquo astu Diaboli prophanari posse. Postquam Rex Salomon thronum, qui regiæ suæ majestati quadrare posset, erigere destinavit, ait sacer textus. *Vestivit illum auro mundissimo.* Quærit igitur hic Richardus libro 10. Cur illud aurum quo Salomon Solium suum investivit, vocatum fuerit mundissimum, cur non mundum, vel mundius, cum inter aurum soleat dari unum mundius altero? Respondet itaque illum thronum Deiparæ Virginis fuisse symbolum, sicuti ergo Salomon thronum suum in quo sederet vestivit auro mundissimo, sic etiam Rex universi Deus Matrem suam Sanctissimam vestivit auro mundissimo, auro inquam tali quod nullâ emundatione indigeret.

Paralip. cap. 9.

Richardus.

II. Duo singularia de paradiso dicuntur, primum hoc, quod illum Dominus Deus circumcirca igne tanquam muro quodam cinxerit: undè ubi legimus Dominum Deum postquam Adam parentem nostrum propter peccatum perpetratum ejecit è paradiso, ad custodiendum ipsum, posuisse Cherubinum cum romphæâ flammea per eam. Isidorus lib. 14. ignem intelligit dicens. *Septus est undique romphæa flammea, id est, muro igneo cinctus.* Alterum hoc est, quo etiam Deus paradisum hunc terrestrem honoravit; licet enim aquæ diluvii universam terram occupaverint, omnesque montes operuerint, ad paradisum tamen, ob admirabilem situs sui sublimitatem nunquam pervenerant. Per Paradisum nihil melius intelligere possumus, quàm Beatissimam V. Mariam, sicuti enim paradisus vocatur in sacra scriptura locus voluptatis, sic Beatissimæ Virginis animus fuit vere deliciarum paradisus, ubi nullius rei defectus dari potuit. Paradisus terrestris est locus quidam altissimus. Similiter B. Virginis animus locus quidam erat altissimus, & ab omni mundi hujus labe remotissimus. Paradisus locus est serenissimus, quia propter altitudinem situs sui ipsam ætheream regionem attingit. Similiter B. Virginis animus, locus quidam fuit serenissimus, quia nihil quod ipsam perturbare posset, ad illam ascendere poterat, non exhalatio peccati, non ventus inanis gloriæ, non grando timoris, non nix frigusque negligentiæ, non pluvia curarum, non tonitruum tentationis, sed ipsa summa serenitas & tranquillitas. Hic ergo paradisus dupliciter à DEO honoratus fuit. Primò quia erat cinctus muro igneo, ne inquam serpens antiquus ad Sanctissimam Matrem Dei, sicuti ad Evam matrem hominum accessum habere posset: cinctus erat muro igneo, ut peccato parentum nostrorum viam impediret. Sed nec illud donum posterius, quod in tam excelso situ paradisum locaverit, ad quem aquæ diluvii minimè pervenire possent, testante Venerabili Beda verbis talibus.

Isidorus.

Ven. Beda.

Para-

Paradisus sic est altus, ut usque ad globum Lunæ videretur attingere, ita quod nec aquæ diluvii illuc potuerunt attingere. Sed vultis hujus rei scire mysterium. Pensate illum locum S.David. *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.* Per istas aquas Sancti Patres communiter peccatum intelligunt. Jam ergo si loquamur de aquis diluvii, ideo ad animam Beatissimæ V.Mariæ intrare nequiverunt, cum cæterorum Sanctorum animas obruerint; quia fuit paradisus in alto gratiarum situs.

Psalm.68. v.1.

Sabellicus.

IV. Scribit Sabellicus de situ urbis Venetiarum, in illa urbe esse aliquam turrim in mari constitutam, & in altum fabricatam atque in ultima cuspide ejusdem turris esse stellam deauratam, quæ splendore suo de nocte navigantibus monstrat iter, ut naves suas bene dirigere queant. Haud dubiè si quis Reginam cœli veste suâ aureâ circumamictam intueri posset, vestem inquam illam de qua S.David. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato*; illam utique stellam se videre putaret, quam Veneti in turri sua posuerunt: quia B.V.Mariam nomine stellæ salutare consuevimus dicentes: *Ave maris stella*; & cum stella Venetorum, viam navigantibus monstret, nos etiam à Sanctissima V. Maria idem expostulamus dicentes: *Iter para tutum ut videntes Iesum semper collætemur.* Magnam profecto aurum cum stellis similitudinem habet, non solùm quoad splendorem, sed etiam quoad perpetuitatem, adeo ut sicut stellæ eo quod excepto sole aliundè nullam impressionem recipiant, ideo sunt incorruptibiles, ita quoque aurum, nec ab igne, nec à rubigine, sicut alia metalla quidquam pati vel destrui potest. Ob hanc causam author quidam Chassaneus aurum, stellam cœli vocat, cujus sui dicti eam assignat rationem. Quoniam in igne positum non corrumpitur, nec rubigo ulla, nec ærugo ejus bonitatem consumit. Atque ideo puto Sanctam Dei Ecclesiam dum B.V.Mariam, stellam cœli appellat, eandem aureâ veste indutam vidisse, in qua ob splendens aurum, stellam præferebat: sed Auditores mei, quam inde expectamus consequentiam? hæc est, quod sicuti aurum nulli corruptioni subjectum, stellæ autem, nullas excepto sole impressiones admittant, ita quoque B. V. Maria immunis semper fuit ab omni labe & peccato.

Psalm.44. v.10.

Part. 3. Consid 31.

V. Quotiescunque in colloquiis nostris rem aliquam pulchram demonstrare volumus, illam auream appellamus: dum enim dicere volumus est puer pulcher, mulier elegans & his similia, dicimus, est puer aureus, mulier aurea, idque videmus apud Poëtas tum Græcos, tum Latinos, qui dum rem aliquam pulchram describunt, illam auream appellare solent, unde vocant solem aureum, lunam auream, poma aurea, quæ omnia ut ait Siculus ob decorem à Poëtis dicta sunt. Dum igitur Deipara Virgo, aureâ veste amicta esse à Propheta Regio Davide dicitur. Per hoc nihil aliud, quàm quod venustissima sit, demonstratur. Sed quanta putamus præditam pulchritudine? quantam in quadam aurea civitate, cujus portæ essent ex margaritis, pavimentum ex lapide pretioso, invenire possem: de qua S. David mentionem fecit dicens: *Gloriosa dicta sunt de te Civitas Dei.* Refert Joseph Hebræus de Imperatore Caligula, quod si rescire potuisset, aliquid pulchri & rari in quacunque civitate reperiri, templa & palatia illarum spoliabat, totumque illud quod in scriptura, pictura, aut sculptura venustum foret Romam inferebat dicens. *Res pulchras in pulchriori loco conservari debere qualis esset Roma.* Vere Roma quædam est Beatissima Virgo Maria, quidquid enim in universo pulchrum est, aut unquam fuit, in ipsa simul congregatum & unitum reperitur. Solis lunæ stellarumque splendor in ipsa radiat, aurum, gemmæ, lapidesque pretiosi & quidquid earum tellus habet, in ipsa rutilat, non est ulla in rebus creatis pulchritudo, quæ in sua anima non resplendeat. Dum semel Regina Esther stetisset ante Regem Asuerum, ita gratiosa apparuit in oculis suis, ut ei dederit optionem petendi quidquid vellet. Beatissima Virgo Maria semper assistit Deo in vestitu deaurato, tota sibi gratiosa, quia tota pulchra & suavis. Ejus igitur patrocinio nos commendare studeamus, ut nobis impetret divinam gratiam & vitam sempiternam.

Siculus lib. 4. c. 4.

lib. 19. Antiquit.

AMEN.

IN

IN FESTO NATIVITATIS B. V. MARIÆ.

CONCIO I.

Liber Generationis Jesu Christi. Matth. 1. ℣. 1.

MAgnam laudem promeruerunt, qui libros, & in iisdem rerum memorabilium conscriptionem invenerunt. Cum enim homo, labilis sit memoriæ, ideo liber, altera vocatur memoria. Si Rex Asverus libros seu Annales priorum temporum non haberet, certè nec ipse amplius recordaretur insidiarum, à duobus Cameratiis suis sibi factarum, seque jugulare volentium, neque similiter fidelitas Mardochæi (qui easdem insidias Regi detexerat) præmium suum accepisset. Hinc antiqui illi Israelitæ, ut illustria Ducum suorum, Regumque facta posteritati traderent, habebant confectum librum bellorum Domini: similiter, ut justorum præclara facta & virtutes, filiis suis imitandas commendarent, habebant librum justorum. Et tandem (ut alios ipsorum libros præteream) ne præcepta divina memoria ipsorum exciderent, habebant librum Legis. Simillem laudem promeruit S. Matthæus Evangelista, ut enim nobis, tanti Christi Jesu beneficii memoriam relinqueret, nempe uti ait S. Chrysostomus. Quod nasci dignatus sit. *S. Chrysost. super Matt.* *Non ex necessitate ut esset, sed ex voluntate misericordiæ, ut salvaret*; idcirco ordine generationis suæ ab Abraam usque ad Joseph virum Mariæ, satis accurate percensito, eundem librum generationis Jesu Christi nominavit. At ego à littera materiali transiens ad sensum mysticum, ostendam vobis in hac solemni Beatissimæ Mariæ Virginis nativitate, eandem talem librum extitisse.

I. Non solùm nostro hoc moderno tempore, sed & ab antiquitate etiam, in summo honore libri seu scripturæ habebantur. Ait enim Servius in vita Virgilii Maronis, quod pro solo sexto libro Æneidos, multis talentis donatus fuerit, Isocrates uti refert Plinius, pro una oratione scripta, viginti talentis donatus erat. Tandem libri illi à Sybillis compositi in quanta æstimatione olim fuerũt, testatur id Lactantius dicens: *Lactantius.* *Quod dum una Sybilla nomine Cumana, novem conscriptos libros Regi Tarquinio præsentasset, proque illis trecentos aureos postulasset, & Rex pretii magnitudinem videns, mulierem derisisset, illorum in conspectu illius tres combussit, & nihilominus pro sex reliquis idem pretium postulavit.* Tarquinius multò magis mulierem insanire putavit, quæ denuo tribus aliis exustis, cum in eodem pretio perseveraret, motus est Rex atque tres residuos trecentis emit aureis, & quod cæteros amiserit, summè doluit. Apud nos Christianos, in majori veneratione habentur libri sacrarum scripturarum veteris & novi testamenti, quorum pretium si scire velimus, facile id nobis innotescet, si de materia circa quam iidem libri versantur nobis constiterit. In ipsis non fabulæ Æsopicæ, non figmenta & metamorphoses Ovidii recensentur, sed ipsa æterna sapientia, de qua uterque liber tractat. At cum ea sapientia, nullo pretio sit comparanda. Sic enim habemus Proverb. c. 8. *Melior est sapientia, cunctis opibus pretiosissimis, & omne desiderabile, ei non potest comparari*: consequens est, hos utriusque testamenti libros, veteris inquam qui tractat de æterna, novi autem qui tractat de incarnata sapientia, in summa à nobis veneratione habendos esse: non sine causa S. Chrysostomus, libros ejusmodi comparat Apothecæ dicens: *Liber quasi apotheca gratiarum: & assignat idem Sanctus comparationis hujus talem rationem. Sicut in apotheca divitis alicujus, omnis homo quod desiderat invenit, sic & in isto libro, omnis anima, quod necessarium habet invenit.* Pulchra S. Doctoris comparatio. Si enim quispiam veniat ad apothecam omnibus refertam necessariis, nempe aromatibus suavem odorem spirantibus, non solum id percipit commodi quod diversitate illius odoris oblectetur. Sed etiam illud alterum, quod in eadem apotheca omne illud quod desiderat invenire possit. *Prov. 8. v. 11.* *S. Chrysost.*

II. Ta-

II. Talis liber est V.B.Maria, sed quid ego librum hunc Apothecis assimilem? non est necessum, ut aliquas quæram, vel in Camera Salomonis, aut certè inter unguenta pretiosa Ezechiæ, quia ipsamet B. V. Maria fragrantissimæ Apothecæ vices gerit; Ipsa illa est quæ quam primùm nata est in mundum: *Ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrha, & thuris, & universi pulveris pigmentarii.* Habemus scriptum Exod. 30. Deum demandasse Moysi, ut sibi faceret thymiama, compositum opere unguentarii mixtum diligenter & putum, & sic contusum in pulverem tenuissimum, ut poneret ex eo coram tabernaculo testimonii: nescirem certè rationem, cur Deus qui nullum materialem odorem sentit, tali thymiamate oblectatus fuerit, nisi quod B.V. Mariæ figura extiterit, quæ in sua nativitate, in hunc mundum prodiit sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii: tot enim gratiis à Deo cumulata fuit, ut statim à principio ortus sui gratia plena dici potuerit. Testem hujus dicti mei habeo S. Bernardum sic dicentem: *Totius boni plenitudinem posuit in Maria, ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare.* Si ergò Sanctus Chrysosthomus librum Apothecæ comparavit, ego Beatissimam Virginem Mariam à fortiori librum dixero, quæ ipsissima Apotheca fuit gratiarum. Qui delectatur lectione librorum, in quibus diversæ materiæ haberi solent, posset meritò assimilari cuidam, qui veniens ad hortum, odorum suavium varietate oblectabatur. Sed quidnam est Virgo Sacratissima? Audite vocem sponsi quid de illa dicat: *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus fons signatus.* Hortus planè deliciarum (ait Sanctus Bernardus) quem non modò afflaverit veniens, sed & perflaverit superveniens Auster ille divinus, ut undique fluant & effluant aromata ejus, gratiarum.

Cant. 3. v. 6. Exod. 30. v. 1. S. Bernardus in Evangelio. Cant. 4. v. 12.

III. Sed jam quæritis: Qualis nam liber fuerit, Beatissima Virgo Maria, & quidnam in eodem fuerit exaratum? Respondeo Sanctissimam matrem CHRISTI, de quo libro prædicebat olim Rex David, Psalmo 39. dicens in persona Christi: *Dixi ecce venio, in capite libri scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam.* Liber antequam formetur, debet primo præparari charta seu membrana alba & munda, deindè ordinari in integro folio, seu in quarto, octavo, vel decimo. B.V. Maria omnem membranæ candorem superavit, quia S. Thomas D. Angelicus de ipsius candore ita fatur. *Tantam puritatem habuit B. Virgo, ut ab actuali & originali peccato fuerit immunis.* Et meritò tale ei obtulit testimonium, cum illi non absimile conferant plerique S. Patres & Doctores Ecclesiæ, inter quos S. Bernardus sic ait: *Nihil est virtutis quod in te non resplendeat & quidquid singuli habuere Sancti, tu sola possedisti.* Membrana seu charta, dum jam est præ manibus, sic disponi & ordinari solet, ut ex multis foliis, unus liber consurgat. B.V. Maria, quandoquidem à sapientia divina, id accepit privilegium, ut fieret mater unigeniti filii Dei, meritò illud Prov. c. 8. de ipsa dicere potest; *Ab æterno ordinata sum & ex antiquis antequam terra fieret*, ab æterno à summo universi Creatore ordinata & electa fuit ut esset mater Dei, undè nihil distortum atque disordinatum in illa esse poterat, quo minus in excellentissimam hujus libelli formam componi posset. Dum jam multitudo foliorum in unum ordinem componitur, ab opifice suo compingi solet tabellis benè lavigatis & corio aliquo investitis & tandem compacturæ illi clausulæ adhibentur? ut talis liber claudi & aperiri queat. B.V. Maria non communibus tabulis: verum uti legimus in Canticis c. 8. *Cedrinis tabulis compacta fuit*, & meritò, quia uti arbor cedrina nullam admittit putredinem, estque odorifera, sic & B.V. Maria, ab omni peccati putredine immunis erat, & fragrantissimo virtutum odore plena fuit. Tandem quod concernit clausuram hujus libri, de ea S. Augustinus scribens in illud Isaiæ Prophetæ. *Porta erat clausa & non aperta quia Deus transivit per eam*, vera fuit Porta clausa id est signaculum pudoris, & immaculatæ carnis integritas non enim est violata partu, sed magis est sanctificata conceptu.

S. Thomas 1. Sent. Dist. 44. S. Bernard. Serm. 4. in Salve. Prov. 8. v. 23. Cant. 8. v. 9. S. August. Serm. de Nat. Christ.

IV. Quæritis ulterius, quidnam in illo libro scriptum fuerit? Respondeo, in eo libro contineri verbum incarnatum in hunc modum styli: *Verbum caro factum est.* Et quale id verbum? audite S. Joannem Chrysostomum Hom. 3. in Joan. *Cum verbum hoc in loco audis, noli quæso iis acquiescere, qui dicunt, id verbum esse quod ore profertur.* Sed quale erit? Respondet venerabilis Beda dicens: Dum dicitur & verbum caro factum est, nihil aliud debet intelligi, quàm si diceretur, & Deus homo factus est. Carnem videlicet induendo & animam. In tali libro mem-

Ioan. 1. v. 14. S. Chrys. Psal. 39. v. 7.

brana laudari solet quæ non est bibula, & non facit diffluere textum scripturæ, sed facit legibilem. B Mater Dei, ejusmodi libri typum egit, fuit primo textus sui libri cunctis legibilis: sic enim
S. Isidorus. ait S. Isidorus: *Vt unigenitus filius Dei ab omnibus videretur, verbum caro factum est, assumendo carnem, non mutando in carnem.* Secundo non erat penetrabilis, quo minus videri posset, ait enim S. Augustinus: *Cum verbum caro factum est, non verbum in carnem pereundo cessit, sed caro verbo, ne ipsa periret accessit.* Hinc ergo vobis patet B. V. Mariam librum fuisse generationis Jesu Christi; formatum in conceptione sua, ordinatum in sua nativitate, simulque compactum, & clausuris munitum, & tandem aureis literis *verbi incarnati* exaratum.

V. Hinc sequitur B. V. Mariam esse librum nulli unquam comparabilem. Cæteri enim libri extenduntur per suos Tractatus & capita, sed iste solus liber talis est, qui cæteros omnes in se comprehendit. Continet in se librum antiquæ legis Quare? quia lex per Moysen data est, gratia autem per Jesum Christum. Continet in se librum bellorum. Quare? quia ipsa unica ex tot millibus Heroinarum electa fuit, quæ contereret caput serpentis, qui suo calcaneo, nempe humanæ naturæ insidiabatur. Denique continet in se librum justorum. Quare? quia illa est liber vitæ. Iret hic aliquis mihi obviam & contrarium diceret, sed scio quid velit. Est quidem verum quod Christus Jesus verè sit liber vitæ, quia ille ipse est, per quem salvari speramus. Sed neque B. V. Maria communione jureque hujus libri privari potest. Licet enim juxta sententiam D. Thomæ Aquinatis, liber vitæ, dicatur ipsa Dei notitia, per quam ordinati in vitam æternam, scribi dicuntur in libro vitæ, nihilominus Hugo Cardinalis scribens in 3. cap. Apocalypsis, duas paginas, ait habere librum vitæ, unam prædestinationis, & alteram præsentis justitiæ. Quod concernit eam primam paginam, ex ea nullus deletur, qui in ea scriptus est, si tamen eum peccare labique contingat, deletur in secunda pagina, hoc est non secundum prædestinationem, sed secundum præsentem justitiam qua careat, & sic si postea per pœnitentiam gratiam recuperet, rursus secundum talem justitiam scribi dicitur in libro vitæ, & cum Beatissima Virgo Maria vocetur refugium peccatorum, & spes pœnitentium, quæ assiduè apud filium suum interpellat, eam ob causam dicitur
S. Thomas 1. Parte Quæst. 24. Art. 1. & 3.
liber vitæ, juxta illud Ecclesiastici 24. *Transite ad me omnes qui concupiscitis me & à generationibus meis adimplemini*, & tandem ulterius ait: *Hæc omnia liber vitæ, & testamentum altissimi.* Gaudeamus ergo Auditores, in tam fructuosa nativitate Matris Dei quæ est liber vitæ, ejusque patrocinium imploremus, ut ex hoc libro vitæ æternæ nunquam deleamur. AMEN.
Eccles. 24 v. 26.

IN FESTO NATIVITATIS B. V. MARIÆ.

CONCIO II.

Liber Generationis Jesu Christi. Matth. 1. ℣. 1.

AUditores præstantissimi, si istum mundum (quidnam sit) consideremus, dicemus esse quandam maximam Bibliothecam, quæ tot libris referta est, quot res à Deo creatas complectitur. Quid enim cœli sunt, quàm libri quidam, juxta illud: *Cœli enarrant gloriam Dei.* Libri sunt sol, luna, & omnes stellæ: libri sunt terra, arbores, flores, fructus, & omnia animantia. Libri sunt mare, & omnes pisces, qui in aquis degunt. In hisce libris, descripta est divina potentia, bonitas, & sapientia, in qua totum illud, quod absconditum est ab oculis nostris, descriptum manet: quia juxta D. Paulum: *Invisibilia ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Sed quid dicam Auditores? Hodie complacuit mihi, in hac mundi Bibliotheca, collocare quendam novum librum qui omnes alios præstantiâ suâ longe superat. Sed quisnam ille? non alius quam ipsamet Virgo Beatissima Dei Genitrix Maria, quæ est liber generationis Jesu Christi. Huic omnes libri cedere debent, quia de illa hæc habe-
ad Rom. 1. v. 20.

S. Epiphan. bet Epiphanius. *Tu liber es incomprehensus, qua verbum & filium Patris, mundo legendum exhibuisti:* de hoc libro Jesu Christi aliquid hodie (nobis salutare) audiemus.

I. Priscis illis seculis, ex corticibus arborum libri solebant fieri, tandem lapsu temporis eò deventum est, ut ex papyro, seu membrana fiant. Si nos ad materiam, unde noster liber formatus fuit, attendere velimus, talem inveniemus, qua nulla elegantior inveniri queat. Primo, B.V. Maria fuit cortex arboris vitæ, nempe Christi Jesu, quia sua incarnatione illum vestivit purissima carne sua: Hinc sunt illa verba Domini quæ (deferens crucem ad montem Calvariæ) protulerat. *Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet?* Quæ verba considerans S. Gregorius asserit B.V. Mariam, vestem fuisse Christi Jesu, utpote quæ propria carne sua verbum altissimum vestire meruit: quæ vestis adeo decora fuit, ut S. David Propheta, ipsam (in abstracto) decorem vocaverit dicens: *Dominus regnavit, decorem indutus est.* Quod verò concernit papyrum seu membranam, librum hunc ex candidissima charta fuisse factum, nemo est qui dubitare queat. Sicut enim papyrus solet confici pulchra & tenuis, in qua litteræ exaratæ, benè videri legique possint: ita Beatissima Virgo Maria tanto candore excelluit, ut nihil sub cœlo & (excepto DEO) in cœlo sit, quod candori suo comparari possit. Quod concernit membranam seu pergamenum & id Beatissimæ Virgini Mariæ bene quadrat: si enim sacrum ejus uterum benè consideraveritis, illum sanè chartam quandam pergamenam fuisse comperietis. Testis hujus similitudinis est Sanctus Thomas à Villa Nova dicens: *Uterus Virginis est charta pergamena.* Ut enim digna fieret in qua divinum illud verbum describeretur, adeo fuit mortificata per jejunia, humilitatem, cæterasque virtutes sacras, ut de carne nihil præter pellem habere videretur. Unde quod ait Sanctus David Psalm. 39. *In capite libri scriptum est, de me*, id alii legunt taliter. *In membranis scriptum est de me*, quasi dicerent, descriptus sum in pelle mortua, & à carne sua divisa, hoc enim membrana significat. Adeo Beatissima Virgo mortificata erat, ut corpus ejus, de carne aliorum hominum coagmentatum, minimè esse videretur. Hoc enim fine factum est, ut priusquam divina scriptura, in sacro ejus impremeretur utero, Spiritu Sancto adimpleretur, prout ei dixerat Sanctus Gabriel Archangelus. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Tunc enim Spiritus Sanctus adeo purgavit corpus ejus, ut sic ad statum Angelicum elevata, non jam carnem, sed solam pellem habuisse videretur. Audite quid hac de re dicat. Richardus à Sancto Laurentio. *Spiritus Sanctus superveniet in eam & sic eam vestivit desuper, quod totum, quod in ea erat carnale, absorptum est à Spiritu Sancto.* Audistis de materia hujus libri? jam cujus formæ fuerit, videamus.

Luc. 23 v. 3. S. Greg. in Cat. D. Thoma Aquin. Psal. 92. v. 1. D. Thomas de Villa Nova Con. 1. Nat B.V. Maria. Psal. 39. v. 9. Luc. 1. v. 35. Lib. 5. de Laud. B.V. Maria.

II. Dicunt aliqui Historiographi in urbe Constantinopolitana fuisse quandam Bibliothecam in qua, inter libros cæteros, erat unus, cujus membranæ confectæ fuerunt ex intestinis Draconis, in quibus conscriptæ erant Homeri Historiæ dictæ Iliades. E contra dicunt fuisse quendam librum qui ejusdem autoris opera in se continebat, sed ita succincte descripta, ut unius nucis formam habuisse videretur. Liber generationis Jesu Christi quem ego Beatissimam Virginem fuisse dico, erat similiter exiguæ liber formæ, licet tamen modicus fuerit, nihilominus ob magnitudinem scripturæ divinæ in se exaratæ, fuit valde mirabilis, ut non immerito dicatur in Litaniis: *Mater admirabilis.* Verè enim admirandum fuit, quod cum Beatissima Virgo Maria ob humilitatem suam, una ex parte fuisset modica, ex parte tamen altera complecti potuerit verbum divinum, quod cœlum terraque capere non possunt; Jam si libri hujus ornamenta perlustremus, magis adhuc mirabimur. Solent libri, qui sunt alicujus momenti pulchrè exornari auro, vel argento & artificiosè depingi, quin etiam gemmis, & lapidibus pretiosis exornari. Tales erant libri Ecclesiasticus dicti, tempore Sancti Hieronymi, de quibus sic ait. *Habemus divinos libros auratos, & purpuratos, & gemmarum varietate distinctos.* Cum ergo liber generationis Jesu Christi, non Homeri Historias, non scripturam Moysis à DEO dictatam, sed ipsum divinum verbum in se continuerit, qua pulchritudine putatis fuisse exornatum? audite quid dicat quidam Angelus ad Sanctam Brigittam in revelatione ejusdem. *Vere proculdubio credendum, quod sicut ipsius anima coram Deo, & angelis erat pulcherrima, ita ejus corpus in cunctorum oculis erat gratissimum.* In Revelat. S. Brigitta cap. 13.

III. Nulla me hic urget neceſſitas ut ſacrum hunc librum deauratum variisque coloribus depictum fuiſſe demonſtrem, cum ornatus illius meminerit Sanctus David, Pſalm. 44. dicens. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato.* Nunc igitur qualiter fuerit gemmis ornatiſſimè decoratus videamus. Dixerat olim Sanctus Propheta Ezechiel de Lucifero. *Omnis lapis pretioſus operimentum tuum.* Si maledicto ſpiritui hæc verba quondam conveniebant, cur non Beatiſſimæ Virgini Mariæ omnibus Sanctis Spiritibus digniori? Meritò Richardus à Sancto Laurentio, hæc monilia genitrici Dei attribuit, dicens: *Multò debent melius, attribui Virgini, quam Lucifero.* Quamobrem? Cum enim lapides pretioſi expreſſa ſint virtutum ſymbola, eo ipſo, quo Beatiſſima Virgo, in virtutibus Angelos Sanctos excelluit, glorioſius quoque quam cœleſtes Spiritus pretioſiſſimis gemmis fuerit exornata, (In ipſa namque admirabiliter Achates ſplendebat virginitatis. Jaſpis contemplationis. Hyacinthus devotionis. Margarita caſtitatis. Adamas fortitudinis. Cherubinus amoris divini, Sapphirus humilitatis. Smaragdus Sanctæ ſpei, aliæque plures & admirandæ virtutes,) Liber itaque fuit ad inſtar Sanctorum librorum, omni ex parte gemmis ornatiſſimus.

Pſal. 44. v. 10.

Ezech. 25. v. 15.

IV. Notandum inſuper librum hunc ſeptem ſigillis fuiſſe clauſum, ſive ut ait S. Joannes in ſua Apocalypſi: *ſignatum ſigillis ſeptem.* Cur præciſe ſeptem, & non pluribus, vel paucioribus. Reſpondeo, ideo ſeptem ſigillis iſtum librum claudi, quia ſeptem ſunt ſcientiæ, nempe Grammatica, Logica, Rhethorica, Arithmetica, Geometria, Aſtrologia, & Muſica, quæ inquam ſcientiæ licet ſint præcellentes nihilominus ſigilla hujus libri quæ ſeptem ſunt, nullo modo aperire, id eſt verbum æternum quod ſub hiſce ſigillis in libro generationis Jeſu Chriſti occluſum manet, nullo modo intelligere valent. Grammatica, partes examinat, ex quibus oratio conſtituitur. Sed ad ſigillum divini verbi non poteſt pervenire juxta teſtimonium Gerſonis ſic dicentis. *Non video, inquit Grammatica, qua ratione aut nominum impoſitione, æternus habere incipiat durationis initium, immenſus menſuram:* Logica videns ſimul Deum & hominem, in ſuis dogmatibus ſimile quid non invenit. Rhetorica perſuadere ſibi nequit mulierem peperiſſe, & virginem extitiſſe. Arithmetica in unione verbi cum humanitate, neque unitatem numeri, neque dualitatem cognoſcere poteſt. Geometria, quæ conſiderat rerum quantitates, & menſurat res creatas, obſtupeſcit modum, quo corpus CHRISTI ſine diviſione aliqua egreſſum fuit ex utero virginali. Aſtrologia, quæ curſus Syderium conſiderat, & per influxum eorundem, nativitatibus infantum ſententias ſuas præſcribit, hic in nativitate Chriſti Domini, de omni prorſus conſtellatione tacet. Muſica quæ concentibus delectatur, Angelicæ melodiæ, (quam paſtores vigilantes audiverant) prorſus expers manet. Penſate igitur quantæ excellentiæ hic liber eſt, ad cujus characterum arcana, humanus intellectus per prædictas ſeptem ſcientias, pervenire non poteſt.

Gerſon.

V. Porro ſicut in ſcriptis, aut prælo editis libris, multi committuntur errores quibus pro evitatione eorundem addi ſolet. *Errata ſic corrige.* Ita nos quamdiu vivimus, ſperamus quidem divina gratia inſcribi in librum vitæ, interea tamē hic in terra degentes, multos errores, lapſusque committimus, in libro tamen generationis JESU CHRISTI nec minimum quidem errorem deprehendimus. Nullo liber hic immaculatus eget correctione. Cur enim Mariam vocamus, Sanctiſſimam matrem Dei, cum hoc nomen Maria, ſtellam ſignificet? Reſpondet Archiepiſcopus Gennenſis Jacobus de Voragine, dicens: *Dicitur ſtella quia nullus in ipſa error fuit.* Hæc eſt quippe differentia inter planetas & ſtellas, quod planetæ errantes poſſint errare, ſed ſtellæ quæ à ſtando derivantur non errant, quia à ſolo DEI motu dependent. Et quidem quomodo in hoc libro generationis JESU CHRISTI, error aliquis inveniri poſſet, qui pro errorum deſtructione impreſſus, atque in lucem editus fuit? Nequeo hic intermittere, quantum Beatiſſimæ Virgini debeamus, vel ſaltim ideo, quod Deus per illam noſter factus fuerit, quod ante nō erat, ipſa mediante tantum nobis lucrū acceſſit, ut ſicuti dum advocatam noſtrā, ſpemq; noſtrā vocamus, illam quoq; abſolutè noſtrā eſſe dicimus, ita quoque dum ipſam librum nominamus, noſtrum eſſe dicimus, illa enim pro nobis intercedit, ut nomina noſtra ponantur in libro vitæ. Gaudeamus ergo in hodierna impreſſione libri hujus virginei, nempe in felici nativitate DEI genitricis Mariæ, ex eodemque libro diſcamus, virtutes Sanctiſſimas, ut per eas placentes dilecto ſuo filio, per ejusdem merita mereamur inſcribi in libro vitæ ſempiternæ. AMEN.

Sermone 3. de Nat. V. Mariæ.

IN

IN FESTO NATIVITATIS B. V. MARIÆ.

CONCIO III.

De qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.
Matth. 1. ℣. 16.

HOdiernus B. V. Mariæ natalis dies, quantum nobis attulit gaudium Auditores ex eo quivis nostrum conjecturare potest, quoniam mater nostra Ecclesia, in natali Sanctorum, nos gaudere jubet: testimonium hujus vel uno exemplo probare sufficiet: ut enim alios Sanctos præteream, de natali S. Laurentii Martyris, hæc S Leo scribit: *Gaudeamus dilectissimi gaudio spirituali, & de felicissimo inclyti viri natali gloriemur in Domino, qui est mirabilis in Sanctis suis, in quibus nobis præsidium constituit & exemplum* Si ergo dies natalis Sanctorum, ex eo quia nobis dati sunt, in præsidium & exemplum, provocat nos ad lætitiam, quantò magis hodiernus natalis dies glorioſissimæ Matris Dei, in qua & mirabilior Deus extitit, quam in omnibus Sanctis suis, in qua potentius habemus præsidium, in qua omnium virtutum exemplar eluceſcit, & tandem; *de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.* Quibus verbis Sacri Evangelii ego insistens, de hac felicissima nativitate Sanctissimæ Virginis talia quæram argumenta, quæ unumquemque nostrum non solum ad lætitiam laudesque ei decantandas, sed ad devotionem provocare queant.

S Leo Serm. 1 de S. Laurentio.

I. In hoc natali die S. Virginis Mariæ fundamentum lætitiæ nostræ melius habere non possumus, quàm ex istis verbis sacri Evangelii: *De qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.* Ratio est hæc: sicut enim Christus Jesus passione morteque sua nobis lætitiam attulit, sic B. V. Maria, ejusdem fuit cooperatrix, quia nobis genuit redemptorem. Hæc sanè est illa mulier per Martham præfigurata, quæ Christum Jesum Dei filium, nostræ salutis causa, hujus mundi castellum intrantem, non tantum uteri sui virginalis domo, novem mensium excepit hospitio, sed & omnium hominum nomine quorum salutem procurare venerat, ei sollicitè ministravit, cum lactavit, atque ad perfectam ætatem educavit.

Luc. 10.

Ob hanc maternam dignitatem conveniunt illi verba Canticorum 6. *Viderunt eum filiæ Sion, & beatissimam prædicaverunt, & Reginæ laudaverunt eam.* Filiæ Sion, nempe Sanctorum agmina dixerunt beatissimam, & Reginæ, nempe chori Angelorum laudaverunt eam. Hæc enim est fortis illa Judith, quæ Principem inferorum gladio divinæ virtutis per filium suum prostravit. Hæc est fortis illa mulier, *cujus pretium procul & ab ultimis finibus*, ad nos suo consensu delatum, & in nostro sinu conclusum est; & ex quo unigeniti filii Dei genitrix effecta est, consequenter etiam omnium nostrum mater facta est, & in matrem nostram à Christo Jesu in cruce commendata fuit. Si igitur mater nostra est, meritò eam amare, & omni devotione prosequi decet. Si enim beneficia hominem attrahere solent, ad amandum benefactorem, à quo post Deum plura, quam ab ipsa matre Dei, beneficia sperare possumus? ipsa sanè est, quæ ex ore Spiritus S. nos alloquitur dicens: *Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & favum.* Quasi diceret *O vos omnes mei filii qui me specialiter concupiscitis, per amorem meum quam pro vobis facio, ad me accedite, & à generationibus meis*, nempe à filio meo quem genui, omnium bonorum fonte *implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis.* Misericordia mea, quam vobis impertior, dulcedine sua mel superat, & *hæreditas mea* gratiarum, quam tam justis, quam peccatoribus communico, omni melle est suavior. Et quid amplius à Beatissima Virgine Maria desiderare velimus?

Cant. 6. v. 8.

Judith. 13.

Ecclesiastici c. 24.

II. Legimus Judith capite 7. cives illos Bethuliæ maxima aliquando aquarum penuria sitique laborasse, postquam Holophernes circuiens muros civitatis, aquæ ductum qui influebat in urbem, obstrui fecit. Per aquæ ductum

Judith. 7. v. 11.

Sanctissimam Virginem Mariam intelligo, ipsa enim est, de qua Spiritus Sanctus. Ecclesiastici capite 24. prædixerat. *Sicuti aqua ductus exivi de paradiso.* Quem locum interpretans Hugo Cardinalis pulcherrimum Beatissimæ Virgini Mariæ dat elogium, dicens, *comparatur B. V. Maria aquæ ductui, quia longa, id est longanimis fide & patientia, quia integra per omnimodam Castitatem, quia occulta per sollicitudinem, quia fusilis per pietatem, quia vehit aquas nostras ad Deum, & aquas Dei ad nos.* Omnes hæ similitudines, à proprietatibus aquæ ductus derivantur. Sicuti enim aquæ per longos & multos canales solent duci ad civitatem, deindè debent esse integri & sine ulla fractura vel foramine, item occultantur sub terra ne appareant, & tandem debent esse fusiles, sive ita dispositi, ut aquam ad terminum suum deportare valeant: ita hæc omnis proprietas, in Beatissima Virgine Maria invenitur, de qua idem autor prosequitur sermonem suum, dicens: *Per istum aquæ ductum influunt aquæ gratiarum in civitatem Ecclesiæ, quem Diabolus incidere conatur, cum auxilium Beatæ Virginis Mariæ nobis auferre conatur.* Præcipua quippè cura Diabolo est, ut homines ab amore, & devotione Virginis abstrahat, & in omnia peccata præcipites agat, scit enim B. V. Mariam esse maximum refugium peccatorum.

Eccl. 24. v. 41. *Hugo in Eccles.* *Hugo in Ecclesiast.*

III. Non caret mysterio illa S. Joannis Evangelistæ visio, quam in Apocalypsi enarrat taliter: *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole*; non alter amictus, quàm ipsius solis qui Beatissimæ Virgini Mariæ debebatur. Sed ob quam putatis rationem? multas quidem assignare possem. Sicut enim Sol ut ait Sanctus Basilius, nihil aliud est nisi vas lucis, ita Beatissima Virgo Maria est *vas admirabile opus excelsi.* Sicut nihil lucidius sole videre potest visus noster exterior, ita nihil lucidius atque glorioſius Mariâ, cogitare potest intellectus noster. Nam cum Beatissima Virgo in præsenti adhuc mortalitate posita, uti ait Beatus Anselmus *Tanta puritate resplenduit, quâ major sub Deo cogitari non potest:* consequens est, ut in illa immortalitate, tanto lumine refulgeat, quo majus post Deum excogitari non possit. Sicut Sol lucens virtute sua reverberat visum nostrum, ita Beatissimæ Virginis claritas, ipsorum Angelorum reverberat affectum, stupentium & dicentium. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora, consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol.*

Apoc. 21. v. 1. *S. Basilius.* *Eccl. 43. v. 1* *B. Anselm.* *Cant. 6. v. 9*

Denique sicut corpus solare magnitudinem terræ octies superat, ita gloria Beatissimæ Virginis Mariæ in octo beatitudinum præmiis omnium Sanctorum magnitudinem superat & antecellit. Atqui ego unam adhuc proprietatem in Sole video, Beatissimæ quoque Virgini apprimè competentem. Sicuti enim teste Domino, Creator hujus universi. *Solem suum facit oriri super bonos & malos:* Sic etiam Beatissima Virgo Maria confert suam gratiam tam bonis, quàm malis. Habeo testem hujus conceptus S. Bernardum sic dicentem: *Quemadmodum Sol super malos & bonos indifferenter oritur, sic ipsa super Missus Sole amicta, præterita non discutit merita, sed omnibus sese exorabilem omnibus clementissimam præbet.*

Matth. 5. v. 45. *S. Bernard. est.*

IV. Dicam amplius; nempe quod nostras necessitates plus quàm materno affectu complectatur. Cogita Ecclesiam universam, cum omnibus membris suis fidelibus, per totum orbem dispersis, unum corpus esse: Cujus summum & primarium caput est Christus Jesus, Collum vero Beatissima Virgo Maria: sicut ergo in corpore humano, influxus omnis capitis, per collum descendit, & dispergitur in reliqua membra, sic omnis gratiæ influxus per collum corporis Christi mystici, nempe per Virginem Mariam in nos clientes suos derivatur. Quod radix est in arbore, hoc in cœtu fidelium est glorioſa Virgo Maria Radix è terra attrahit succum, quem dividit in ramos & frondes, unde virescunt, flores proferunt, fructus producunt: Sic etiam Beatissima Virgo benedicta, virtute suæ humilitatis, succum cœlestis gratiæ in fideles suos liberalissimè dispergit, ut crescant virtutibus, cœlestibus floreant desideriis & condignis pœnitentiæ fructibus abundent, & sic ramus qui succum à radice nequit attrahere, exarescit & moritur, sic etiam Christianus in cujus pectore devotio erga Beatam Virginem arescit, omnem germinantem pietatis vigorem amittit; Quam verè te ô virgo glorioſa salutat Ecclesia. *Tu Regis alti Janua, & porta lucis fulgida.* Janua es, per quam in hunc mundum venit filius Dei; Janua nobis es, per quam nos deindè ingrediamur ad filium tuum, ad vitam illam verè beatam. *Es porta lucis fulgida*, per quam ingredimur, ad lucem, illam in accessibilem nempè ad Deum ipsum verum solem omnis claritatis.

In Hymn. Ecclesiæ.

V. Refert S. Matthæus Evangelista infelicem quen-

quendam casum quinque Virginum fatuarum, qualiter cum (ituræ obviam Sponso suo cum lampadibus) abirent ut emerent sibi oleum, redeuntes cum eodem, clausam Januam invenerint. Quid igitur fecerunt? pulsarunt januam, dicentes. *Domine Domine aperi nobis.* Sed in vanum: id enim responsi acceperunt. *Amen, Amen, dico vobis, nescio vos* In hoc amplius non laudo istas Virgines, quia pulsando illam januam, non compellaverint Beatissimam Virginem Mariam. Si enim dixissent, *Domina Domina aperi nobis*; haud dubie apertam habuissent, non derogo hic quidquam divinæ misericordiæ, quamvis Christus quâ Judex est, obligatur ex officio exercere Justitiam, sed quod Sanctissima Virgo semper parata sit ad miserendum. Unde S. Anselmus ait: *Velocior est nonnunquam salus memorato nomine ejus* (scil. Mariæ) *quam vocato nomine Jesu.* Quamobrem Auditores devoti, sicuti rationabile est ut lætemur omnes in hoc Natali Divæ Virginis felicissimo: ita quoque justum est, ut eam omni devotione colamus, quatenus per ipsam, gratiam Christi Jesu, & vitam æternam consequamur. AMEN.

Matth. 25. v. 12.

S. Anselm. l. de Excell. Virg. c. 6.

IN FESTO NATIVITATIS B. V. MARIÆ.

CONCIO IV.

Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens.
Cant. 6. v. 9.

LEgimus de illustri gente Romanorum, eam plurima Romæ, templa extruxisse, atque illa diversis Deabus, Diisque consecrasse; uti Jovi, Appollini, Minervæ; Item Deæ virtutis, Deæ pacis, Deæ honoris, & sic de cæteris. At nos Christiani feliciùs jam habemus seculum, quàm illud fuerit Romanorum. Nam apud nos templa & altaria, non Diis, Deabusque inanibus, sed aut ad honorem Sanctissimæ Trinitatis, aut Christi Jesu, ejusque Sacratissimæ Matris, nec non Sanctorum Dei eriguntur. In quorum numero habemus præ oculis hoc Sanctum templum Dei, in quo summa cum solennitate recolimus annuam memoriam Beatissimæ Virginis Mariæ Matris Dei, quæ Deam Minervam omnesque alias, sapientia, virtute, pace, honore, aliisque cœlestium gratiarum donis & virturibus longè antecellit. Cujus ego felicem nativitatem, quam hodiernâ die omnes solemniter celebramus, unà vobiscum recolere cupiens, in auxilium materiæ meæ, assumpsi ex sexto capite Cantic. ista verba. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora*, &c. eaque auxilio Sancti Spiritus in laudem ejusdem convertere conabor.

Plutarchus.

I. Nativitates aliquas hominum illustrium solemnes, & lætitia plenas legimus & audivimus. Sed nativitate Beatæ Virginis Mariæ nulla fuit solemnior & glorioſior. Quam primùm enim hæc in mundum prodiit, tota creatura hisce verbis Sancti Spiritus insonuit, eamque demirando dixit. *Quæ est ista quæ progreditur sicut aurora consurgens* Non potuit sanè ortus Beatissimæ Virginis Mariæ alicui alteri meliùs comparari, quam auroræ. Antiquus autor Isidorus, auroram deducit ab auro, hoc est splendore, quia tota est *fulgida* intus & extra. Unde Eccl. 50. vocatur, *vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso.* Vas inquam solidum, quia non vacuum, sed intra plenum Sanctitate, extra autem effingens omni virtutum genere pretiosorum lapidum varietatem. Idem autor inducit aliam rationem, dicens Beatam Virginem Mariam ideo dici auroram quasi ab auro prodeuntem, quia in se habuit aurum Virgineæ puritatis, juxta illud Apocal. 21. Ipsa civitas aurum mundum: item habuit aurum ignitum ferventissimæ Charitatis, de quo Apocal. 3. suadeo tibi emere aurum ignitum: demum habuit aurum optimum, nempe omnium gratiarum cœlestium, juxta illud Ecclesiastici 24. *In me omnis gratia viæ & veritatis.*

Isidorus.

Eccl. 50. v. 10.

Apoc. 21. v. 11.

In Eccles. 24. v. 25.

II. Non minus prudenter idem autor istum terminum aurora deducit ab aurea hora, & vere quidem: quamvis enim multæ ætates Beatissimam Virginem Mariam præcesserint, nulla tamen invexit secum horam auream, sed postquam nata est in mundum Beatissima Virgo

go Maria, attulit nobis talem ætatem, quæ ob tempus gratiæ, aurea hora merito dici potest. Idem autor deducit auroram ab aura, & hæc Beatissimæ Virgini Mariæ optime quadrat, hæc enim sola Spiritu Sancto plena fuit. Legimus de
3. *Reg.*19. *v.*3.9. Elia Propheta 3. Regum cap. 19 Quod cum timens Jezabel Reginam (quæ sibi mortem minabatur) fugisset ad montem Dei Oreb, ibidemque se abdidisset in spelunca, ei se ostenderit Dominus, sed diversimode, primo enim apparuit ei, in spiritu grandi, & montes subvertente, postmodum in commotione. Sed Propheta, neque in prima, neque in secunda visione agnovit Dominum, sed postquam venisset sibilus auræ tenuis, ibi Elias operuit vultum suum pallio, atque in eadem aura Dominum Deum adoravit; gratiosa aura excitavit Prophetam, ad adorandum Deum, sed aura Beatissimæ Virginis Mariæ multò erat gratiosior, postquam enim ad ipsam venit Angelus Dei, eique in sibilo lenis auræ, id est cum omni modestia arcana Dei nunciasset, protinus adoravit Deum dicens. *Ecce ancilla Domini.*

III. Dicitur quoque Beatissima Virgo Maria aurora, seu hora roris, quia in conceptu suo descendit in illam filius Dei quasi ros purissimus, de quo olim Prophetisaverat Oseas Propheta
*Ose.*14. *v.*6. cap.14 *Ero quasi ros & Israel (scilicet Beata Virgo Maria) germinabit quasi lilium.* Dicun: Naturales, de gemmis, quod ex rore in conchis nascantur. Ipsa est concha illa quam Gedeon id est Christus Dominus implevit rore expresso de
Iudic. 6. *v.*38. vellere, uti habetur Judic.6 quia de ea plenitudine, quam contulit matri suæ accepimus omnes. Dicitur quoque Beatissima Virgo Maria aurora ab aure, quia concepit per aurem, id est per fidem dictorum. Nam fidem esse ex auditu testatur S. Paulus ad Romanos 10. Tandem
*Rom.*10. *v.*17. dici potest aurora, quasi avium hora, quia dum surgit aurora tunc incipiunt aves suavissime modulari, per quas aves ego intelligo Angelos & Sanctos homines, qui in nativitate Beatissimæ Virginis Mariæ fuerant modulati, juxta illam
*Iob.*38. *v.*6. prophetiam Sancti Job cap.38 *Cum me laudarent astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei.*

IV. Hæc igitur aurora pulchrè convenit Beatissimæ Virgini Mariæ, quia excellentiam ejus, non solum in hac hodierna nativitate, sed in ipsa quoque ejus conceptione nobis repræsentat: illa verba quæ S. David Psal.73. annotavit,
Psal. 73. *v.*16. digna sunt magna consideratione, nempe, *tu fabricatus es auroram & solem.* Scimus quippe Deum rerum omnium Creatorem cœlum & terram, item alia quæque quæ in primo capite Geneseos numerantur, unico verbo creasse. Dixit Deus sint, & factum est ita: sic dicit etiam S. David Psal.32. *Dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt.* Sed quando venit ad auroram, & solem, longe aliter ait. Dicit enim loco superius citato. *Tu fabricatus es auroram & solem.* Scimus benè quod in verbo fabricandi, notetur studium & labor. Sed cur in aliis operibus creationis divinæ, non ponitur, sed in sola creatione auroræ & solis? per auroram intelligimus Beatam Virginem Mariam, per solem autem Christum Jesum ejus filium: ait ergo Sanctus David de aurora & sole, quod ea fabricaverit Deus, non quod aliquis labor cadat in opificem divinum, qui potens est, & cui obediunt omnia: in his tamen verbis, illud opus auroræ & solis, nempe Beatæ Virginis Mariæ, atque sui filii in mundo nati, mirabiliter commendatur. Idem enim est, ac si diceret Psalmista, ista duo opera talia sunt, ut videatur Creator omnium, suam totam virtutem, totum studium, totamque diligentiam in ipsis profuisse. Sed non solum hic Beatæ Virginis excellentiam Angeli admirantur, dicentes; *Quæ est ista quæ* &c. sed etiam summam ejus pulchritudinem. Si rusticus aliquis, aut idiota vel puer, pulchritudinem alicujus operis admiratur, brevis & exigua est laus, sed si gemmarius aliquis, aut doctissimus artifex opus aliquod non solum laudat. sed etiam admiratur cum stupore, ibi ingens laus est. Ita si nos animales, qui non videmus nisi crassa & quasi palpabilia opera Dei, laudamus Mariam vel miramur, non est magnum, sed cum illi cives superni, Cherubin, & Seraphin; qui ipsam primam pulchritudinem vident à facie ad faciem, in aspectu ejus obstupescunt, hæc est verè Virginis laus amplissima. Ista pulchritudo magna fuit in Virginis ortu quæ notatur in aurora, major in progressu, quæ notatur in Luna, maxima in filii Dei conceptu, quæ notatur in Sole. Deo enim ipso, nihil pulchrius, nihil speciosius excogitari potest

V. De officio & effectibus auroræ, plurima diversi autores adnotarunt, nempè auroram finire noctem, & diem incipere, per quod pulchrè denotatur finis legis antiquæ, & inchoatio legis novæ seu gratiæ: talis aurora est Beatissima Virgo, illa enim est, quæ in sua nativitate, longam

Evæ

Evæ noctem finit, in qua diversæ olim erant vigiliæ Prophetarum, & incepit optatum diem proferre, tunc quando concepit solem justitiæ Christum Jesum. Unde verba S. Pauli Rom. 13. nempe, *Nox præcessit, dies autem appropinquavit:* meritò de hac spirituali aurora intelligi possunt, quæ & noctem finivit in Eva à qua initium peccati factum est, & diem in ortu suo appropinquare fecit. Item aurora consurgens singulis rebus reddit colores, quia de nocte omnia quasi unius coloris sunt. Unde ait S. Augustinus. *Quod mox quodam modo aufert oculos mundo, aurora restituit.* Sic nascente Beatissima Virgine Maria, quæ ante tenebris involuta à paucis videri poterant, omnia receperunt lumen suum ut videri possint. Illa enim est, quæ stans sub cruce formam pœnitentiæ revelavit. Salutans Elisabeth, formam laborantibus, & salutem operantibus ministravit: colloquens cum Gabriele Archangelo formam contemplationis docuit, Orans cum Apostolis, formam pietatis demonstravit. Deus maximus in quantum Autor naturæ, non est adstrictus circumstantiis horarum & temporis, ad rem aliquam producendam. Et tamen legimus, Exodi 16. cap. filios Israel certam habuisse horam colligendi manna, nempe aurora illucescente, quod nihil aliud est, nisi figura quædam auroræ nostræ nempe Beatissimæ Matris Dei: quia ipsa intercedente in deserto hujus mundi, impetratur refectio cœlestis gratiæ. Quod pulchrè adumbratur in illa Historia. Genesis 32. ubi describitur, Jacobum Patriarcham luctam habuisse cum Angelo. Sed nec Angelum segniùs egisse, id enim effecit, quod ad tactum ipsius, fæmur Jacobi emarcuit. Nihilominùs tamen postquam Angelus advertit jam diescere ait Jacob. *Dimitte me quia ascendit aurora.* Per Angelum, hic Christum Dominum possumus intelligere, per Jacob hominem, precibus cum Christo luctam habentem, qui licet eas non statim exaudiat, nihilominus aurora ascendente, ait: *dimitte me.* Quia hominem per intercessionem Beatissimæ Virginis multo citius exaudire solet. Lætemur ergo in hac Nativitate Beatissimæ Virginis Mariæ, ex qua tot & tanta bona in nos processerunt, eique devotè serviamus, ut ipsa tanquam aurora mediante Christus Jesus dimittat nobis peccata nostra, & gratiam suam largiatur. AMEN.

Rom. 13. v. 12.

Exod. 16. v. 21.

Gen. 32. v. 25.

IN FESTO PRÆSENTATIONIS B. V. MARIÆ.

CONCIO I.

Quam pulchri sunt gressus tui. Canticor. 7. v. 1.

HOdie Auditores præstantissimi celebramus diei illius solemnem memoriam, qua Joachim & Anna parentes Sanctissimæ & immaculatæ Virginis Mariæ charissimum sibi pignus obtulerunt in sancto templo Jerusalem, vel potius quando templum Deo præsentarunt, quandoquidem, usque ad hodiernum ingressum Virginis Mariæ, nulla domus in terris inventa fuerit, quæ digna aptaque esse posset divinæ majestatis celsitudini, juxta illud Philonis dictum. *Nullum templum invenit dignius, quàm mentem hominis, mens enim circumfert illius boni effigiem.* Si anima Sanctissimæ Virginis omnes excedit creaturas ad imaginem Dei factas sua puritate, igitur omnia templa in quibus Deus habitat longè superabit. Et quemadmodum Anna Samuelis mater, filiolum suum precibus votisque impetratum obtulit Domino in servitium, eodem modo, altera Anna cum beato Joachim conjuge suo, hodiè fructum orationum suarum Domino Deo præsentarunt, ut revertantur flumina ad mare unde exierunt: studio quippe cœlum distulit tale beneficium, tardiusque hos Sanctos conjuges tali donavit filia, ut cum eam tandem acciperent, non suam, sed Dei munere donatam agnoscerent, neve mundus aut parentes illam sibi adscriberent, sed Deo. Fuit hæc Deo gratissima oblatio, & inter sacrificia quæcunque in antiqua illa lege offerri poterant præstantissimum; non solum ideo, quia intrabat ad templum Virgo talis, quam unigenitus Dei filius in matrem sibi elegerat ab æterno, sed etiam, quia hodiernâ die pro nobis suis clientulis primitias obtulit sui patrocinii,

Philo Tom. 2. de Nob. in initio.

1. Reg. 1. v. 11.

quod vobis unà cum quibusdam mysterits in hac Concione patebit.

I Si rectè numeremus dies creationis hujus mundi, inveniemus hominem die sexto fuisse creatum, fuit enim postremum opus, quo tempus laboris sui Deus terminavit. Si autem sequentem diem considerare cœperimus, inveniemus Deum requievisse die septimo. Sic enim habet sacer textus. *Et requievit die septimo, ab omni opere, quod patrarat.* Interrogant ergo Sancti Patres Ecclesiæ, cur Deus post creationem hominis, feriarum seu quietis diem instituerit? an forsitan ipse, vel homo, vel terra, feriis aliquibus à labore indiguisset? minimè vero? Deus non, quia membris caret quæ lassantur, homo non; quia facultates animæ non debilitabantur in ipso, in primo inquam illo tempore creationis suæ, dum adhuc nullum molestiæ seu laboris exercitium fecerat, quo vires ejus attenuarentur. Terra quoque non: quia adhuc erat inculta, nec aratrum passa, quò primævam fertilitatem & virtutem amitteret. Quam igitur causam hujus quietis inveniemus? S. Augustinus explicans istum locum sic respondet. *Deum requievisse, est natura rationali in se requiem præstitisse, ut illius scilicet desiderio feramur, quo requiescamus.* Requiescere igitur Deum, nihil aliud est, quam hominem invitare ad quietem, quam tunc in Deo inveniret, dum offeret ipsi in gratiarum actionem, omnia beneficia, sibi à Creatore collata. Hæc cum ita sint, necessario concedere debemus, Beatissimam Virginem speciali obligationis vinculo fuisse adstrictam, se præsentandi in templo, & dedicandi Deo. Si enim primus homo per hoc invitabatur ad quietem, qua Deus die septimo fruebatur, dum offerebat ipsi gratiarum actiones, pro beneficiis in creatione sua acceptis, à fortiori inquam Beatissimam Virginem Mariam id fecisse decuit, quæ omni creaturâ, majora & excellentiara accepit à Deo beneficia. Ut ergo Sacrificium suum omni ex parte perfectum esset, obtulit sese, tantâ animi promptitudine, & tam læto cordis desiderio, ut nunquam aliud quippiam in votis ipsi fuisse videatur. Sanctus Joannes Damascenus considerans sacratissimam Virginem Deo præsentatam in templo, eique speciali voto & servitio consecratam; in hæc verba prorumpit. *In domo Domini plantata, omnis virtutis habitaculum facta est.* Utitur hic Sanctus Pater eleganti similitudine, comparans Beatissimam Virginem plantæ, quæ ex uno loco solet transferri ad alium, & si in altera terra collocata fuerit, fertilior efficitur. Nulla plantularum rationabilium fertilior esse potuit, nostra plantâ nempè Beatissimâ Virgine: de ipsa enim Spiritus Sanctus ait, *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Sed non est mirum, quia *in domo Domini plantata, omnis virtutis habitaculum facta est.*

Gen. 2. v. 2.

S. August. in Gen.

S. Ioan. Damascen.

Prov. 31. v. 29.

II. Pulchra hæc comparatio; sed non minùs elegantem inculcat Spiritus Sanctus dicens, *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.* Jam indagemus, quis qualisve fuerit fructus ille, quem produxit. *Fructificavi suavitatem odoris.* Si legeritis librum de naturis rerum, comperietis ibidem, serpentes fugere odorem vinearum. Idem testatur S. Bernardus explicans illa Canticorum verba; *Vineæ florentes, dederunt odorem suum:* qui sic ait. *Hic odor serpentes fugat, floreſcentibus enim vineis omne venenatum excedit loco, nec ullatenus ferre potest odorem novorum fructuum nempè primorum florum.* Beatissima Virgo Maria est vitis nobilissima, quæ tunc fructificavit suavitatem odoris, quando in præsentatione sua primos omnium donorum, & gratiarum Dei emisit flores, odoris suavissimi, sed serpenti Diabolo multùm odiosos eique terrimum odorem imprimentes: ipsa enim hæc est, quæ florum suorum suavitate non solùm ipsum fugavit è vinea sua, sed etiam tunc contrivit caput ejus, dum semet ipsam florentem Deo obtulit & consecravit.

Eccl. 24. v. 23.

Cant. 2. v. 13.

S. Bernard.

III. Non solùm ob solam obligationem donorum suorum sublimium Beatissima Virgo Maria se præsentavit & consecravit Domino, sed etiam in exemplum & instructionem parentum, qui ad imitationem illius, prolem suam statim à primis annis, offerre debent Deo: tales enim Primitiæ, non solum Deo gratæ sunt uti erant primitiæ Abel, sed etiam parentem viam sternunt, ad obtinendam benedictionem Dei, & possessionem hæreditatis æternæ. Patriarcha Isaac, jam morti proximus, benedixit filiis suis Jacob & Esau. Jacob similiter in ultimo vitæ suæ termino, duodecim benedictiones, totidem filiis suis impertivit. At nusquam legimus Abraamum Patriarcham, suum filium Isaac, aliqua benedictione donasse. Quid ita? nonne Isaac illas promeruit? nequaquam profectò? quin omnibus benedictionibus dignus fuit. Cur igitur senex Sanctus Abraam, non fuit

Genes. 27. v. 27.

Gen. 49. v. 28.

recordatus, cum sua benedictione cohonestare? Rupertus Abbas ita loquitur. Quod non fuerit opus Isaacum ab Abraamo benedici, quia cum in Holocaustum Deo oblatus erat, tunc benedictionem hæreditate possedit. Hinc discant parentes, maximam filiorum hæreditatem esse, dum in primævo juventutis suæ flore, præputantur, & consecrantur Deo.

Rupertus Abbas.

IV. Est quæstio satis curiosa, cur Anna mater Samuelis, non celebraverit nativitatem filii sui, cum tamen postmodum ablactationem ejus, summa festivitate coluerit, dicit enim scriptura. *Concepit Anna & peperit filium, & vocavit nomen ejus Samuel.* His verbis concludit ejus nativitatem: at postquam eum ablactavit addit sacer textus, quod eum obtulerint Domino cum sacrificiis & oblationibus. *Immolaverint vitulum, & obtulerunt puerum Heli sacerdoti.* Et mox exorditur secundum capitulum ejusdem libri, à cantico, quo Sancta illa matrona, oblationem filii sui celebravit dicens. *Exultavit cor meum in Domino, & exaltatum est cor meum in Deo meo.* Cur illa mulier in nativitate filii sui siluit, in oblatione verò illius, in hymnis & canticis festivas DEO laudes reddidit? Ita sanè, quia pro nihilo habuit filium, nisi eum videret cultui divino dedicatum. Non celebravit Anna, vitam temporalem filii, à Deo sibi liberaliter donati, sed spiritualem eidem consecravit. Et meritò quidem, quia quantò excellentior est vita spiritualis corporali, tanto majori obligatione tenentur parentes eam filiis procurare. Similiter filii, magis tenentur parentibus suis, pro educatione spirituali quam corporali. Est notatu dignum, quod scribitur in libro Judicum, quàm generosus ille Dux bellicosus Jephte, dum filiam suam obtulit in Sacrificium, quia cum esset puella facie formosa, ingenio præcellens, nobilitate clara, alius quisque qui non foret Jephte exanimis hæreret, & veluti ligatus manibus esset, talem filiam perdere. Verùm doctus Lyranus, explicans hunc locum sacri textus, asserit Jephthe Principem, nō evaginasse gladium in filiam, sicuti Abraam in Isaac, neque filiam suam jugulasse. In quo igitur fundantur omnes illæ laudes, quibus Doctores fortitudinem sui animi celebrarunt? Respondet Lyranus quod Jephte Princeps, filiam suam tali statui, & conditioni dedicaverit, in qua solitariam vitam ageret, in eaque ad mortem usque permaneret. Existimaverunt igitur sacri illius loci interpretes, idem fuisse, quod Jephte filiam suam perpetuæ clausuræ addixerit, eamque taliter mancipaverit ad votum illud explendum, ac si gladio suo eandem jugulasset. Sed quantò potiori jure laudandi sunt parentes Sanctissimæ nostræ Virginis, qui filiam suam, adeo excellentem DEO præsentarunt & consecrarunt, non jam ætate adultam, quemadmodum Jephte fuerat, at vix ablactatam à se abdicarunt, Deoque dedicarunt. O siquis tam felix & beatus foret, ut in tam tenera ætate se in Dei cultu & servitio consecraret: qui enim hoc faciunt ii, in primævis suis annis, divinæ gratiæ, & benedictionis suæ sanctæ, primam arrham consequuntur.

1. Reg. 1. v. 20.

Ibid. v. 25.

1. Reg. 2. v. 1.

Judic. 11. v. 34.

Lyranus.

V. Vultis tandem scire, quidnam Beatissima Virgo Maria, in templo illo egerit? Sententia Sanctorum Ecclesiæ Patrum unanimis est & certissima, eodem in loco singulari Spiritus Sancti providentia fuisse educatam. Si enim singulari curâ Samson, Samuel, & Joannes Baptista educati sunt, quia ad munera grandia à Deo electi erant? Virgo Maria majori cura (si loqui liceat) educanda erat, quæ à Deo digniori muneri præparabatur, ut in omnibus esset absolutissima, ut fundamenta hujus divinæ domus, toti congruerent ædificio: unde sicut in veteri domo Salomonis (uti habetur 3. Regum 7. capite) quæ Beatissimæ Virginis Mariæ typus fuit, in fundamentis jacti sunt lapides pretiosi, qui ad normam quandam atque mensuram, tam intrinsecus quam etiam extrinsecus servati erant, item ii lapides fuerunt magni decem, sive octo cubitorum; ita & Beatissima Virgo quandoquidem erigenda erat in domum Dei, non est mirum, quod in fundamentis nempe in initiis vitæ suæ in templo præsentata & consecrata fuerit, nec etiam mirum quod in annis illis juvenilibus summæ virtutes in ipsa effulserint, juxta illud quod canit Ecclesia. Cum essem parvula placui Altissimo: hæc enim domus fuisse debuit, de qua habetur in Psalmis; *Domum tuam Domine decet sanctitudo.* Quamobrem in hac solemnitate præsentationis Beatissimæ Virginis Mariæ, præsentemus & nos coram Divina majestate, contrita corda, precesque nostras, ut per intercessionem ejusdem Sanctissimæ Virginis, proficientes in bonis operibus meritis & gratia Christi Jesu exornatis, futurum etiam præsentari mereamur in gloria cœlesti.

3. Reg. 7. v. 19.

Psal. 92. v. 5

AMEN.

IN FESTO PRÆSENTATIONIS B. V. MARIÆ.

CONCIO II.

Obliviscere populum tuum, & domum Patris tui.
Psalm. 44. ℣. 10.

MAgnificum erat illud sacrificium quot olim Rex Antiochus Sedetes, in templo Jerosolymitano obtulerat: ut enim Genebrardus in sua Chronologia commemorat, bovis illius quem Jerosolymam miserat, cornua auro ductili erant obtecta, & omnibus pretiosorum lapidum generibus cincta, ipsum vero bovem purpureo panno, auro & margaritis distincto coopertum, nec non aureis vasis aromatibus plenis onustum fuisse ait. Præclarum sane donum quo (ut nonnulli asserunt) templum illud præclarius nusquam viderat. Ad in comparatione hujus, quod hodiernâ die Joachim & Anna, in eodem templo obtulerunt, longe erit inferius: non enim tantum purpura, auro, gemmis, lapidibusque pretiosis exornatum, sed cunctis Seraphim puriorem ac præstantiorem, nempè Sanctissimam Virginem Mariam, aurea charitate, purpurea patientia, sapphirina virginitate, smaragdina humilitate, aromatica oratione, ac fulgentissimis donorum cœlestium pyropis, mirifice exornatam in templo Dei obtulerunt. Et sane quidnam prius demiter, num ipsum donum, an vero offerentes illud, haud invenio, donum stupeo, quia ipsi cœlestes spiritus, mirantur illud dicentes. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii?* id inquam donum stupeo, quia pretium illius æstimari non potest: at collatores illius, mirari quoque satis nequeo, cum enim hoc unico monili charius nihil haberent, nihilominus non solum illud hilari & liberali mente Domino obtulerunt, sed etiam quasi se ipsos tanto thesauro privantes, illa verba Prophetica David Regis ad filiam suam perdilectam, Virginem inquam Sanctissimam dicerent. *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam:* O præstantissimi parentes, omni memoria digni: quidnam tale dicturi estis vestræ filiolæ, quod eam ad audiendum invitetis? *Obliviscere populum tuum & domum Patris tui.* O quam dura admonitio! Quando Deus præceperat Abraamo Patriarchæ, ut desereret domum suam, talem ei admonitionem fecerat. *Egredere de domo tua, & de omni cognatione tua, & veni in terram, quam monstravero tibi.* Adhuc certè erat tolerabilis, ibi enim multa ipsi & magnifica dona promiserat, nec tamen ei aliquam mentionem fecerat, ut omnino è memoria deleret cognationem suam sive domum Patris sui: at hic Beatissima Virgo Maria monetur à parentibus, ut obliviscereturpopuli sui, domusque Patris sui, soli vero Deo cui erat dedicata, adhæreret. Unde collaudato tali dono, exemplum quoddam singulare parentibus hac in concione præsentabo.

Genebr. lib. 2. Chron.

Cant. 3. v. 6.

Psalm. 44. v. 10.

Gen. 12. v. 1.

I. Dum ego perpendo Auditores mei, qualiter Beatissima Virgo Maria in annis suis infantilibus, Deo Creatori suo in obsequium à parentibus obsata fuerit, venit mihi in mentem Regina Saba, qualiter ad Salomon Regem cum donis magni pretii venerit & ab eodem vicissim magnificentissime donata fuerit. Item illa Ester specioſa, quæ dum apparuit in conspectu Regis Asueri, mox adamavit eam, sibique assumpsit in sponsam. Item illa Judith pulcherrima, quæ ad templum Jerosolymitanum ascenderat, ut in illo de victoria Holophernis, debitas gratias Deo redderet: quod sane Beatissimæ Virginis Mariæ figura fuit; hæc enim, cum in conceptione sua serpentis caput, id est Diaboli malitiam contrivisset, propter partam hanc victoriam, non secus atque Judith properavit ad templum Dei, ut in illo non solum gratias persolveret Domino, sed ut eidem se ipsam in obsequium manciparet. Quod si ut ait Divus Gregorius, *Omne quod datur ex dantis mente pensatur*: non potuit Sanctissimæ Virginis oblatio Deo non esse gratissima, quæ ex ardentissima charitate procedebat. Multi quidem res diversas, nempe animalia, pecunias, agros, domus, pretiosas vestes, argentum,

3. Reg. 10. v. 2.

Ester. 9. v. 25.

Judith. 16.

D. Gregor. lib. 22. Moral. 12.

tum, & aurum, margaritas, & inæſtimabiles lapides, hisque ſimilia dona Deo obtulerunt, ſed pauci inveniri poſſunt, qui ſe ipſos ita quemadmodum Beatiſſima Virgo Maria, eidem obtuliſſent. Philomela ſuaviſſimum tibi ex arbore viridi offeret cantum, ſi tamen eam, manu extenſa in tuam poteſtatem redigere velis, minime ſe comprehendi patietur, ſed avolabit: ecce cantum obtulit, ſed ſe ipſam minime offerre voluit Beatiſſima Virgo, nihil excepit, ſed ſe totam tradidit. Unde ſi eam, etiam conferamus cum illis, qui perfectam, & Apoſtolicam vitæ rationem ſectantes ſe totos Deo obtulerunt, illud inter ipſos, & Virginem Mariam diſtare inveniemus, quod illi ſacrificium, Sancta vero Maria holocauſtum obtulerit: ratio hujus hæc eſt, alii enim cum aliquando peccaverint, quia teſte Sancto Jacobo Apoſtolo, *nemo ſine crimine vivit*; aliquid ſibi retinuerunt, illud ſcilicet bonum commutabile cui adhæſerunt; at Beata Virgo, quæ nullo terreno affectu, alicui creatæ rei adhæſit, nihil ſui, ſibi reſervavit, ſed totam ſe in Holocauſtum Deo obtulit. Quod ſi teſte Divo Paulo, *hilarem datorem diligit Deus*: non potuit non pergrata eidem extitiſſe Virginis oblatio, ſiquidem erat hilaris teſte Sancto Germano Epiſcopo, qui ait. *Puella autem valde lætans, & exultans ibat in templum Dei, tanquam in thalamum.* Deinde ſi antiquum proverbium habet, *Qui cito dat bis dat*; ejus donum non potuit eſſe ingratum Creatori ſuo, quæ ab infantia ſua ſe donavit. Legimus quidem Abraamum Patriarcham, filium ſuum Iſaac Domino Deo obtuliſſe; at tunc, cum jam centum & viginti annos compleviſſet: at Beata Virgo triennis tantum ſe ipſam Deo conſecravit.

Iacobi 3. v. 19.

S. Paulus 2. Cor. 9. v. 7.

Gen. 22. v. 19.

II. Eam celeritatem non obſcure ſignificavit viſio illa Sancti Joannis Apoſtoli, qui pedibus Beatæ Virginis, Lunam ſubeſſe vidit. Inter omnes enim Planetas, Luna breviori tempore curſum ſuum peragit, ad eundem unde moveri cœpit terminum redeundo. Saturnus poſt annos triginta, abſolvit curſum ſuum, Jupiter poſt duodecim, Mars poſt duos, Sol poſt trecentos ſexaginta quinque dies, & aliquot horas, Venus, & Mercurius, idem fere tempus inſumunt; at Luna viginti ſeptem diebus, & paucis horis, totam cœli ſphæram velociſſimo curſu percurrit: ad eundem modum ex hominibus multi Saturno ſimiles inveniuntur, qui quo celſiorem dignitatis locum obtinent, eo ad pietatis curſum ſegniores ſunt: alii videntur magis religioſi, qui brevius, inſtar Jovis ſuum curſum abſolvunt, alii perfectiorem vitæ ſtatum profitentes, inſtar Solis, Veneris, & Martis viam mandatorum Dei, citius, & velocius currunt: at Virgo Sanctiſſima, velut Luna, totam illam Sanctitatis ſphæram, quæ futuræ matri Dei neceſſaria erat, velociſſimo omnium motu cucurrit, cujus non leve argumentum, & evidens indicium hinc æſtimaverim, quod ut plerique Patres Eccleſiæ Sanctæ tradiderunt, templi illius Jeroſolymitani gradus quindecim quos aſcendere oportuit, abſque alicujus auxilio, ſupra infantilis ſui corporis facultatem, cum magna omnium adſtantium admiratione aſcenderit. Eſt enim ipſa probatum experientia, ut quæ in infantia accidunt, eorum futura ſint præſagia, quæ poſtmodum evenire debent. Zoroaſtes ridens natus eſſe legitur, qui poſtmodum tota vita ſua lætus erat. Ori Pindari infantis dum ſomnum duceret, examen apum inſederat, qui poſtmodum melliſluus orator erat. Julius Cæſar frequenter hæc verba in ore ſuo habebat. *Si jus violandum eſt, regnandi cauſa violandum eſt*: qui poſtmodum tyrannidem, bellaque civilia Romanæ Reipublicæ ſtatum peſſundavit.

Apoc. 12. v. 1.

S. Bonav. in Medit. S. Greg. Nyſſen.

III. Sed quid prophanis egemus teſtimoniis, ubi multa ſacra ſint ad manus? nam lucta illa, qua in materno utero, fratres illi Jacob & Eſau, acriter pugnabant, aperte ſignificabat varias rixas, ac contentiones inter ipſos, & inter populos ex eis naſcituros futuras, ut & ſacer textus adnotavit dicens. *Duæ gentes ſunt in utero tuo.* In Hiſtoria quoque Scholaſtica legimus, quod cum Rex Pharao in regio diademate, quo certis diebus caput ſuum cingebat, Ammonis Idolum ex auro confectum adiſſet, Moyſes dum à filia ejus, quæ illum ad nutriendum exceperat, quandoque more infantum jocans exhiberetur, diadema de capite ejus tollebat, & pedibus conculcabat, quod ſingulare ac memorandum factum fuit, id enim prænotabat, quod dum grandior Moyſes factus fuiſſet, Pharaonem, & omnem ejus exercitum, non ſolum profligaverit, ſed etiam inundantibus maris rubri aquis ſubmerſerit. Cum igitur hodierna die, quo tempore Beata Virgo à parentibus præſentata, gradus quindecim, non ſine magno prodigio, triennis aſcenderit, ſane id non obſcurum ſignum ſunt celeris curſus, quem in via perfectionis, in dies factura erat, quia uti dicebat David.

Gen. 25. v. 23.

Pſalm. 83. v. 6.

Ascensiones disposuit in corde suo. Adstipulatur eidem sententiæ Divus Hieronymus dicendo, *Iam quippè Dominus in Virginis infantia, magnum quid operabatur, & quanta futura esset, hujus miraculi indicio præmonstrabat.* Velox enim illa ascensio, futurum ejus progressum spiritualem, apertè satis præmonstrabat, ad quem etiam significandum, præterquam quod sponsus comparavit Virginem Auroræ, cujus lux semper procedit & crescit usque ad perfectum diem, item cum turre eburnea, deinde cum turre fortissima ex qua mille clypei pendent, consulto eam sic comparat, quia initium ætatis suæ, in quo Deo Creatori suo oblata fuit, perfectionem eam attigit, qualem nulla creatura.

Cant. 6. v. 9.

Cant. 4. v. 4.

IV. Ex hac oblatione Beatissimæ Virginis sumant exemplum, capiantque documentum cuncti parentes, habentes prolem suam, eam potius mundo, quam Deo dicant, & si aliquando, aliquid sunt oblaturi, nempè unum è filiis, tunc eum designant, qui sit turpior, vel ingenio hebetior, si vero filiam, tunc facie turpiorem offerunt, imitatores facti illius Cham, qui deteriora, & quæ pro ipso non valebant, Deo offerebat, aut illorum de quibus ait Matthæus Evangelista, quod obtulerunt Christo omnes male habentes. Revocate quæso ô parentes in memoriam, quod præcipiens olim Deus animalia sibi immolari, Asinum exceperit, dicens Exodi cap. 34. *Primogenitum asina mutabis Ove:* cum omnia primogenita sibi immolari voluerit, cur Asinum rejecit, & pro alio animali permutari jussit? Quia Primogenitus Asinus, qui inter omnia animalia stolidissimus est, significat stolidum & insipientem filium, quem Deus tanquam statui spirituali ineptum, minimè sibi offerri desiderat. Eodem modo parentes, qui facie, & corpore, turpiorem filiam Deo consecrant, meminisse deberent, quod Deus olim, etiam animalia quæ sibi offerebantur, volebat esse pulchra, & absque ulla macula: unde in Levitico ait. *Si de bobus voluerit offerre marem, sive fœminam, immaculatum offeret Domino.* Hæc quidem omnia ut ait Apostolus in figuris contingebant, nihilominus per ea significari volebat, pretiosiora & pulchriora, non vero turpiora sibi offerenda esse, ut primus ille munerum oblator Abel nos docuit, qui meliora quæque de grege suo offerebat Domino, unde etiam sacer textus ait. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus, ad Chain vero & ad munera ejus non respexit.*

Gen. 4. v. 3.

Matth. 14. v. 36.

Exod. 34. v. 20.

Levit. 3. v. 1.

Gen. 4. v. 4. 5.

V. Joachim & Annæ Sanctæ Virginis Mariæ parentibus, nihil erat jucundius, nihil optabilius sua filia, & tamen ipsam adhuc juvenculam Deo obtulerunt: hæc igitur oblatio, clamat adversus parentes, qui filiis, aut filiabus suis, religiosam vitam, aut cœlibatus statum prohibent: hi sanè noverint se esse persimiles, tum Pharaoni, & reliquis Ægyptiis, prohibentibus Israëlitis exitum, à captivitate Ægyptiaca, & ingressum in terram promissionis: tum etiam impio Herodi, qui sicut Christum recens natum in magno furore persecutus fuit, ita ipsi eundem Christum Jesum in animis filiorum, per propositum vitæ religiosæ recens conceptum, Herodiana crudelitate enecare contendunt. Meminerint quid dicat S. Pater Hieronymus. *Filii magis sunt Christi cui renascuntur:* item de filiabus ita prosequitur. *Pater impleat nomen suum, & lætetur filiam genuisse Christo, non sæculo.* Ad extremum meminerint hujuscemodi parentes, statum spiritualem suis filiis prohibentes, in extremo Dei judicio, rationem reddituros, non solum peccatorum, quæ propter permanentiam in sæculo commiserunt, sed & bonorum operum, quæ in tali statu effecturi forent, quod Regis Achab Historia repræsentat. Nam cum Jehu, judex à Deo creatus esset, contra impietatem Regis Achab, eo quod injuste occidisset Naboth, ait sacer textus. *Regem Achab, morte plectendum esse pro sanguine Naboth, & pro sanguine filiorum ejus,* & tamen certum est, nullum ex filiis ejus occidisse, ait nihilominus, filiorum ejus sanguinem effudisse, quia morte illa præmatura Naboth, filiorum prolem impedivit. Ita qui filios suos Religiosam vitam agere prohibent, bonorum operum fœtus necant in ipsis: undè severam in extremo die judicii rationem dabunt Deo viventi in sæcula sæculorum.

Exod. 5. v. 2.

S. Hieronymus ad Furiam.

4. Reg. 9. v. 7. 8.

AMEN.

IN

IN FESTO PRÆSENTATIONIS B. V. MARIÆ.

CONCIO III.

Quis est homo, qui ædificavit domum novam, & non dedicavit eam. Deut. 20. ℣. 5.

QUod hic in sacro textu superius citato, & à me pro themate hodiernæ concionis assumpto, in hodierna præsentatione Beatissimæ Virginis Mariæ Genitricis Dei, nullus quasi à consuetudine excipiatur in libro Deuteronomii scripta, novam domum suam dedicandi, hic nihil novi reperio: habeo enim hujus rei informationem à Sancto Augustino, qui explicans decimum caput Sancti Joannis Evangelistæ, in quo ille enarrat adventum Christi Domini ad Encænia, quæ celebrabantur Jerosolymis, & qualiter ibidem deambularet in porticu Salomonis. Sic ait: *Encænia, festivitas erat dedicationis templi. Græce enim Canon, dicitur novum. Quandocunque novum aliquid fuerit dedicatum, encænia vocantur.* Neque hæc Sancti Doctoris Augustini autoritas suo fundamento caret. Habemus enim scriptum in libro Genesis de Sancto Jacob Patriarcha, quod cum pergens in Mesopotamiam, fatigatus ab itinere & jam post occasum solis quiescere somnumque capere voluisset, nullum cervical habens præ manibus quod sibi supponeret, accepit lapidem, eumque capiti suo supposuit, sed cum dormiens mirabile somnium seu potius visionē habuisset, nempe unius scalæ, cujus summitas cœlos tangebat, vidisset Angelos per illā descendentes, & ascendentes, tunc evigilans è somno maneque surgens, in hæc verba prorupit: *Non est hic aliud nisi Domus Dei.* Et quia vidit domum novam, & nusquam visam, quid fecit? erexit lapidem in titulum, fundensque oleum desuper, votum vovit Domino. Similem Historiam habemus in secundo libro Paralipomenon de templo illo Salomonis Regis, quod in multis sacræ scripturæ locis domum Dei nominavit & quia ille primus erat in Israel qui eam domum noviter id est ex fundamentis nunquam antea factis, item ex lapidibus studio sectis lignisque scissis & dolatis erexit & consummavit, necessumque fuit juxta legem ut eam Domino dedicaret, hinc ait textus: *Dedicavit domum Dei Rex & universus populus.* Si in antiqua lege, domus illæ dedicabantur Deo tanquam novæ, quæ in sua novitate non diu erant duraturæ, quia uti ait S. Leo nihil aliud erant nisi figuræ tantum & imagines veritatis, quanto magis decebat Joachim & Annam, novam domum, nempe suam filiam dedicare Deo. Sed an fuerit illa domus? in hac còncione audiemus.

S. August. Tract. 48. in Joan.

Gen. 28. v. 16.

2. Paralip. 7. v. 5.

S. Leo Ser. 7. de pass.

I. Legimus in Historia Majoli cæterorumque Autorum, Reges illius partis mundi quæ America dicitur, tantam pompam in domibus aulisque suis extruendis & exornandis ostendisse, ut aliqui domos habuerint exebore, aliqui ex argento, aliqui aureis laminis tectas, aliqui lapidibus pretiosis & margaritis exornatas: sed hæ domus, nihil sunt respectu aulæ Reginæ universi, sanctissimæ inquam Virginis Mariæ: hæc enim non solum eburnea, non solum argentea, non solum aureis laminis tecta, non solum lapidibus pretiosis, gemmisque lucentibus exornata; sed tota est aurea, tota gemmea, tota ex lapidibus constans pretiosis, & quod amplius est, illorum Regum palatia quantumvis fuerint pretiosa, noctu tamen ita distinctè videri non poterant, ideo ut eorum ornatus pretiosus videri posset solaribus radiis indigebant, at domus Beatissimæ Virginis nullo sole opus habet, est enim illa *Civitas quæ sole non eget.* Hoc quoad materiam domus breviter dictum sufficiat, quia plures ego virtutes donaque cœlestia in spirituali Beatissimæ Virginis domo video, quam fuerint lapides gemmæque pretiosæ in pretioso illo Chinarum Regis palatio, videamus jam domus hujus Marianæ structuram. Laudabilis fuit structura illa templi Salomonis multis ex causis, primo, quod eo tempore quo domum Deo ædificabat, fuerit pax in toto Regno suo. Sapientissimus ille artifex de quo Proverbiorum 9. *Sapientia ædificavit*

Majolus de mirab. artificiat.

Apoc. 21. v. 23.

Prov. 9.

sibi v. 1.

ſibi domum excidit columnas ſeptem, miſcuit vinum & poſuit menſam; eodem pacis tempore domum hanc Marianam ædificavit, nam in
3. Reg. 5. v. 4. ſtructura illius, *nullus erat Sathan neque occurſus malus*. Sacroſanctum inquam virginis templum cum ædificari cœpit ab æterna ſapientia, tunc Dæmonis occurſus nullus adfuit, qui hoc opus impediret: quemadmodum enim Angelus Raphael ligaverat Dæmonem ne Tobiæ cujus erat comes itineris nocere poſſet, eodem modo Deus, fortioribus adhuc potentiæ ſuæ funibus loriſque ligaverat Diabolum, oſque illius occluſerat, ne flumen illud peccati primi quod in terram teſte S. Joanne Apoſtolo evomuerat, illi nocere poſſet, hæc itaque ſtructura divinæ ſapientiæ tum à circumſtantia temporis pacifici, tum etiam ab ipſa elegantia operis, artiſque mirè eſt laudabilis, quia in hac domo *excidit columnas ſeptem*, donorum inquam Spiritus Sancti, *miſcuit vinum & poſuit menſam*, quia in uterum ſum virginalem ſupervenies, poſuit in eodem menſam, dum per incarnationem verbi divini ejuſque nativitatem temporalem, in qua Deus & homo apparuit, panem quoque cœleſtem corporis Chriſti nobis propoſuit & vinum ſanguinis ejus *germinans virgines*.
Zachar. 9. v. 17.

II. Aliud memorabile fuit in ſtructura templi Salomonis, quod lapides illi qui ponebantur in fundamentis fuerint quadrati, magni & benè politi. Qui ædificant domus elegantes id ſolum curant, ut lapides qui ſunt extra fundamentum ſint pulchrè politi, at verò, hi qui ponuntur in fundamento, utrum ſint ſimplices & rudes, an verò dolati & politi, id non multi æſtimant. Fundamentum ſpiritualis noſtræ domus, nempe virginis ſanctiſſimæ longe fuit aliud, ibi enim non impoliti lapides jaciebantur, ſed magni, & eleganter politi ordine collocabantur, è quorum compoſitione, tam profunda atque ſolida fundamenta apparuerunt, ut
Pſal. 86. v. 1. de illis Rex David dicere non dubitaverit. *Fundamenta ejus in montibus ſanctis*. Scio quod multi interpretum ſacri textus per hæc fundamenta Sanctos intelligant, quorum ſanctitatis verticem per divina chariſmata ſibi collatæ, ſola virginis Deiparæ fundamenta ſuperarunt, atqui ego ad mentem Jacobi Epiſcopi Jannenſis, per hos montes Sanctam Trinitatem intelligo, nempe potentiam Patris, cui prima Beatiſſimæ Virginis fundamenta innixa fuerunt. Sapientiam Filii, qui virtute ſanguinis ſui quem ex ea carnem aſſumpturus præviderat ſe effuſurum, nec non intuitu meritorum ejus lapidi politiſſimo, quin ex pretioſiſſimis uni fecit ſimilem; & tandem bonitatem Spiritus Sancti, quę ipſam non ſolum à labe primorum parentum immunem fecit, ſed etiam innumerabilibus virtutum donis exornavit, juxta illud. *In me gratia omnis vitæ & veritatis*, quibus gratiis cum abundanter & copioſe cumulata fuerit, nullatenus aliquod lætale peccatum incurrere potuit, prout nec veniale uſquam commiſit.
Eccl. 24. v. 25.

III. Peccata ſanè actualia ad hæc tria capita revocantur, aut enim ſunt ex infirmitate, vel ignorantia, aut ex malitia. Peccatum Petri negantis Chriſtum, ex timoris infirmitate proceſſit, quia tunc non erat firmiter fundatus, ſuper potentiam Dei Patris. Peccatum Pauli Eccleſiam Dei perſequentis, & S. Stephanum Protomartyrem in manibus omnium, quorum cuſtodiebat veſtes, lapidantis, ex ignorantia ortum habuit; ut ipſe teſtatur dicens: *ignorans feci*: nondum enim fundatus erat in ſapientia filii. Peccatum Judæ, qui Chriſtum vendiderat, & ſanguinem juſti tradiderat, fuit ex pura malitia, ut clare indicant verba Davidis Prophetica: *Dilexit maledictionem, & veniet ei*: fundatus quippe minimè erat ſuper bonitatem Spiritus Sancti. At beatiſſima virgo Maria, nulla unquam hujus triplicis peccati macula inquinata fuit, nam qua parte fundabatur in Patre, per potentiam ejuſdem roborabatur, ne ex infirmitate conditionis humanæ, in peccatum etiam leviſſimum laberetur: quatenus verò ſuper Filii infinitam ſapientiam nitebatur, ab hac ne per ignorantiam à recto deflecteret, regebatur: denique quatenus fundabatur ſuper bonitatem Sancti Spiritus, à peccato, quod per malitiam committitur, longe ſemper aberat. Cum igitur talia hujus pretioſæ domus atque pulcherrimæ fundamenta fuerint, fundamenta ejus in montibus ſanctis, quid putatis quales fuerint parietes, cæteraque partes hujus præſtantiſſimæ domus?
Matth. 26. v. 71. Act. 9. 1. Tim. 1. v. 14. Pſalm. 108. v. 18.

IV. Deinde Inter alia domus illius Salomonis Regis memoranda, illud etiam inſigne fuit quod ſacra narrat Hiſtoria 3. Reg. 6. nempè in illa ædificatione, nec malleum, nec ferram, neque aliquod aliud inſtrumentum fuiſſe auditum, quod qua ratione intelligi debeat, non eſt
3. Reg. 6. v. 7.

una

una omnium sententia. Quidam enim arbitrantur, ibi nullum strepitum vel murmur auditum fuisse; at cum ibi tanta operantium fuerit multitudo, aliis placet, quod nullus prorsus sonus audiretur, quia lapides, ita artificum opera jam elaborati ac perfectè dolati in templum deferebantur ut absque ullo strepitu invicem copulari possent. S. Theodoretus ait: Divinam voluisse providentiam ut invenirentur hujusmodi sua sponte lapides, ut ad eos compingendos nullo ferro opus fuerit, sed absque ulla arte ædificandi apte conjungerentur. Sed quidquid sit de his sententiis, certè in magna hujus Mariani templi fabrica erigenda, audeo dicere ibi nec malleum, nec serram fuisse auditam: non malleum peccati ad caput illius conterendum, quæ ipsum Diaboli caput contrivit: non serram ferream alicujus culpæ, quæ illam à Deo vel ad tempus exiguum separaret, sed quid dico separaret? Quin etiam nec levissima venialis peccati scissura, fervorem ejus quoquo modo imminueret: quod singulare Privilegium nulli etiam Apostolorum collatum fuit; quod in mystico sensu Rex iste David summè admiratur dicens: *Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.* Quidnam tale S. David? Ubi hæc prodigia? in terra? arboribus? animalibus? metallis? gemmis? in mari tot piscibus pleno? in aëre quod est volatilium domicilium? in flammifero ignis orbe? aut denique in cœlo? Non inquit Propheta, sed in sola domo, in solo templo Mariano. *Auferens bella usque ad finem terræ?* quod hanc domum tam pretiosam, & tam capacem absque omni bello, absque omni strepitu mallei seu serræ id est peccati ullius, erexerit.

Theodor. Q. 21.

V. Unum est in quo hoc templum Marianum, domum Dei à Salomone factam superavit. Postquam Rex domum illam Domino dedicavit, tunc ibi prodebat defectum illius dicens: *Si cœlum, & cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc quam ædificavi:* 3. Reg. 8. v. 27. At Beatæ Virginis vivum templum, cœlis ipsis capacius existens, magnitudinem Dei undique circumdederit juxta illam Prophetiam Jeremiæ. *Fœmina circumdabit virum,* sic enim Jerem. 31. Ecclesia Catholica occinit. *Quem cœli capere* v. 22. *non poterant tuo gremio contulisti.* Quanto igitur hæc domus Sanctissimæ virginis, præclaro & ne dicam divinâ arte elaborato templo Salomonis est excellentior, quæ Christo Jesu Deo inquam & homine capacissimum præbuit hospitium, & quia hæc domus nulli alteri est comparanda, & nunquam veterascit, sed est semper nova. *Quis est homo qui ædificavit domum novam, & non dedicavit eam?* Concludo verbis Divi Bernardi dicentis: *Studeamus & nos Deo templum ædificare in nobis*, illudque exemplo Deiparæ Virginis dedicemus Domino, ut habitet in nobis per gratiam & in futurum per gloriam Sempiternam

S. Bern.

AMEN.

IN FESTO PRÆSENTATIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ.

CONCIO IV.

Beati qui audiunt verbum Dei. Lucæ 11. vers. 28.

TAM magna est altitudo Beatissimæ Virginis Mariæ Auditores mei, ex eo solo, quod sit electa in matrem Dei, ut eo ipso, nihil majus excogitari possit. Hinc illa verba sacri textus nempe: *Gloria Libani data est ei,* licet à quibusdam intelligantur de beneficiis à Deo genti Hebræorum præstitis. S. autem Basilius, & Gregorius intelligant illa de eminentia Ecclesiæ Sanctæ, quam Deus summis affecit honoribus, similemque fecit monti Libani. Nihilominus Rupertus Abbas, nec non Dionysius Carthusianus, illa intelligunt de eminentia & magnificentia purissimæ & immaculatæ Virginis Mariæ sub nomine montis Libani. Nam quemadmodum ille cæteros montes sublimitate sua superat ita Sanctissima Virgo titulo uteri sui virginalis in quo concepit & peperit Deum & hominem simul, omnes creaturas, quod

Isaiæ 35. v. 2. D. Basil. & Greg.

Rupertus Abbas Dionys. Carth.

S. Damas. Orat. de Nat.

quod fatetur D. Damaſcenus dicens: *Virgo mons eſt ille, qui collem omnem ac montem, id eſt Angelorum & hominum ſublimitatem exſuperat. Mons in quo, beneplacitum eſt Deo, habitare in eo.* Sanctus Thomas Doctor Angelicus, hujus celſitudinis aſſignat eam rationem dicens: *Beata Virgo, ex hoc, quod eſt mater Dei, habet quandam dignitatem infinitam, ex bono infinito, quod eſt Deus, & ex hac parte, non poteſt aliquid fieri melius ea.* Sanctus Anſelmus idem ait: *Hoc ſolum de Sancta Maria Virgine prædicare, quod Dei mater eſt, excedit omnem celſitudinem, quæ poſt Deum dici vel prædicari poſſit.* Hinc illa mulier Evangelica, audiens ſtupendam Chriſti Domini concionem quam turbis Judæorum prædicavit, exclamavit dicens: *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti.* Quibus verbis hæc devota mulier aperte demonſtrabat, excellentiam virginei uteri, ejuſque donorum, eo quod Chriſtum Jeſum portaverit, at ille occurrens ſuo Panegyrico, cum ſola obedientia menſurandum cenſuit, nempe ex eo ſuam matrem beatam cenſendam, quod cum ſumma diligentia, verbum Dei audiverit, eique obedire ſtuduerit, unde ait: *Quin imo, beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Quod autem Beata virgo Maria è numero talium prima fuerit patet ex verbis S. Bernardi dicentis: *Triennis in templo præſentata eſt Beata Virgo, & in contubernium virginum poſita, nondum plenè verba formabat, & jam greſſu maturo incedebat.* Ut *non infantula putaretur ſed grandæva.* An non videmus quanta cum obedientia juvencula Virgo verbum Dei exceperat, quæ triennis vocatione ſua acquieſcens, in templo præſentata Deo ſe conſecravit? Unde ex ea Sanctiſſimæ Virginis præſentatione aliquot documenta capiemus.

S. Thom. 1. P. Q. 26.

S. Anſelm.

Luc. 11. v. 27.

S. Bern. ſuper 12. Apocal.

I. Sacra ſcriptura commemorat in libro Judicum Jephte Principem filiam ſuam virginem in holocauſtum Deo obtuliſſe, quod in hunc modum contigit. Cum ipſe proficiſceretur in bellum, contra filios Ammon, votum vovit Domino, quod ſi victor evaſiſſet, primum qui egrederetur de domo ſua, illique occurreret, illum ipſum in gratiarum actionem Domino oblaturum, accidit autem quod revertenti domum cum triumpho, ſua propria filia ſibi occurreret, quamvis igitur id moleſte ferret, quod ut voto ſuo ſatisfaceret, unica filia privari deberet, nihilominus dato ei duorum menſium ſpatio, per quod cum ſuis contribulibus virginitatem ſuam deploraret, eodem expleto, quod voverat ſuis Domino, id adimplevit, filiamque ſuam ei obtulit in holocauſtum. Haud diſpari modo Joachim vir beatæ Annæ, cum exiſtentes in matrimonio, poſt multum tempus elapſum, nullam prolem accepiſſent, ſimiliter votum vovit Domino, quod ſi per generationem, difficultatem in fœcunditatis poſſet ſuperare, primam prolem quæ occurrerit ei de domo ſua, id eſt quæ de utero Annæ uxoris ſuæ prodiret, Domino ſe oblaturum, ut in templo eidem deſerviret: accidit, ut devicta naturalis infœcunditatis difficultate, primum quod illi occurrit, fuit Beatiſſima Virgo Maria, unica patri ſuo ſicuti filia Jephte, illam igitur uti promiſerat voveratque ablactatam, & adductam ad templum Domini, eidem præſentavit & obtulit. Magnâ tamen diſparitate à Jephte Principe: nam licet quidam dicant filiam ſuam taliter immolaſſe Deoque juxta votum ſuum obtuliſſe, quod ipſam à conſortio hominum ſeparaverit, & ſic in ſervitio divino ſolitariam ſine viro permanere fecerit, alii tamen dicunt ipſum filiam ſuam occidiſſe, & taliter Deo immolaſſe: qua in parte arguitur à S. Hieronymo imprudentiæ, dum ait: *in vovendo fuit imprudens, & in implendo impius.* At Joachim, & Annam parentes Sanctiſſimæ Virginis multum in ſua oblatione præſtitiſſe prudentiæ & religionis, nam & votum quod emiſerant fuit ſapiens, & impletio ejuſdem multum religioſa. Præterea cedit id in commendationem S. Virginis, quod filia illa Jephte deploravit virginitatem ſuam, quia in antiqua lege maledictæ erant ſteriles: at vero Beatiſſima Virgo, non ſolum ſuam virginitatem non planxit, ſed ſummo jubilo ſemper illæſam ſervavit, nec tamen ſterilitatis maledictionem ſuſtinuit, quæ matris gaudia obtinuit, & virginitatis gloriam non amiſit.

Iud. 12.

S. Hier. ibid.

II. Præter iſtam Jephte Hiſtoriam, invenio quoque aliam quæ in principio libri primi Regum recitatur, de Anna, matre Samuelis Prophetæ, quæ cum altera Anna, matre inquam Sanctiſſimæ Virginis Mariæ in præſentatione & oblatione magnam habet convenientiam & paritatem. Primo in hoc uti meminit D. Gregorius Nyſſenus, & Nicephorus, quod ambæ illarum fuerint nuptæ, & ambæ ſteriles, ambæ ob ſterilitatem afflictæ, ambæ in templo

2. Reg. 1. v. 11.

templo Dei frequentes. Quod ambæ prolem suam Deo offerre promiserint, ambæ prolis fœcunditatem ab eodem impetraverint, ambæque desiderii sui complimentum obtinentes, partum suum feliciter ediderint, eumque in templo religiosè obtulerint, atque Domino consecraverint. Quod si D. Chrysost. de oblatione primæ illius Annæ, matris Samuelis, filium suum in templo offerentis dixit: *Suorum viscerum facta est immolatrix*, multo magis id dicendum est, de hac altera Anna, quæ hodie obtulit Domino Deo, unicam filiam suam dilectissimam, matremque Dei futuram, & certe ausim dicere meritum S. Annæ, non fuisse inferius merito S. Abraami Patriarchæ: imo si oblationem ejus, ex obedientia rei oblatæ pensare velimus, id facile deprehendemus, tanto oblationem S. Annæ excellentiorem fuisse oblatione Abraami, quanta virg. sanctissimæ excellentia omnes laudum titulos, quicunque Isaaco attribui possunt, superavit. Abraam Patriarcha cujus fuerit animi, & ipse animus cujus fuerit promptitudinis, id novimus ex consequenti actu nempe ex lignis & gladio, quæ erant instrumenta sacrificii, gladius ad jugulandum filium, ignis autem & ligna ad offerēdum ipsum in holocaustum: sed & parentes S. V. Mariæ hujus sane erant animi ejusdemq; resolutionis, ut illa verba sacri textus vere ipsis conveniant, quæ ipsam offerendo dicebant ad Dominum. *Cuncta quæ in cœlo sunt, & in terra, tua sunt, tuum Domine Regnum, & tu es super omnes principes, tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.*

S. Greg. Nyssen.

S. Chrys. Homil. Tom. 1.

Gen. 22. v. 8.

1. Paral. 29. v. 11.

III. Pulchrum planè ac divinum parentibus documētum adfert, hæc S. V. oblatio, quatenus & ipsi proles suas piè ac religiosè instituendi, sollicitam curam habeant: Sunt enim non pauci parentes, quos S. David describit dicens: *Quorū filii, sunt novellæ plantationes in juventute sua, filiæ eorum compositæ, circumornatæ, ut similitudo templi.* Quasi vellet dicere, quin Prophetæ spiritu prædicere. Quod nunc parentes si habeant filios, eos non instituant in pietate, timore Domini, & cultu Dei, sed potius ad omnem petulantiam viam aperiant: si vero habeant filias, tanquam aliare quoddam idolo dedicatum exornare studeant. Heu cum præcipuam curam, in eorum animis recte instituendis adhibere deberēt, totam in exornandis eorum corporibus, miserè ac vane impendunt, unde de talibus merito ait S. Chrysost. *Desiderant valere illos in hoc sæculo, & non curant, quid passuri sint in alio.* Gentiles illi multos confundent parentes Christianos non enim ignorantes bonum ex institutione proveniens id unicum satagebant, ut filios suos probe educarent. Nam de Philippo Macedonum Rege narrat Plutarchus, quod cū Regina sua genuisset ei filium magnum illum Alexandrum, non tam gavisum fuisse ob natale suum, quam quod eo tempore nasci ipsum contigisset, quo illi Aristotelem Philosophiæ Principem, in Magistrum ac Pædagogum adhibere potuerit. Laude dignus hac in parte Philippus Alexandri parens, quod enim idem Plutarchus habet in suis moralibus, ubi filios assimilat plantis novellæ arboris, se in sinistram partem inflectentis, cujus obliquitati si in principio non obsistes, illam postmodum corrigere non poteris ubi adolescet, hoc idem ait Salomon de filiis, nempè ad rectam & non sinistram partem inclinandos esse à pueritia. Nam: *Quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu.*

S. Chrys. in Matth. Hom. 35.

Plutarch. de Philip. Macedone.

Plutarch. in Moral. Horatius.

IV. Unde Lycurgus ille Lacedæmoniorum Legislator, dum eosdem informare cuperet, quantum ab ipsa pueritia bona filiorum institutio conduceret, ut deinceps in senectute bonorum operum exercitiis incumberent, tale stratagema excogitavit. Duos canes catulos tali industria educavit, nempè unum in culina, inter tripodes, cacabos, & sartagines: alterum vero in venationibus, exhibens ei leporem, cæteraque silvestria animalia, dumque advocatis Lacedæmoniis, in medio theatro, propositis una ex parte ollis. Cacabis, cæterisq; culinæ instrumentis una cum carne decocta, deinde constituto ibidem lepore hac & illac circumcursante, canes illos in medium produxit, quorum unus in silvis educatus relinquens ollas carnium cœpit leporem insequi, alter vero culinarius, relicta venatione leporis, ad paratum prandium properavit, ollamq; carne plenam festinans invasit. Tum ille. Ecce ergo ô Lacedæmonii, ad amussim videtis expressam figuram bonæ, vel malæ educationis vestrorum filiorum, qualis enim illa fuerit in pueritia, tales proculdubio pariet fructus in juventute & senectute.

Plutarch. ut supra.

V. Sed quid opus est exemplis gentilium, dum sacra nobis abundanter supperant? Inprimis præcepit Deus in Levitico offerri sibi agnos anniculos. Item in libro Numerorum jussit, ut vitula ei in oblationem daretur, quæ

Levit. 1. v. 3. 4. Num.

nusquam jugum aliquod portaret. Quid sibi id vult? nisi quod parentes doceantur, ut filios suos divinis obsequiis, à pueritia sua mancipare satagant, antequam peccati, aut Satanæ jugo subesse assuescant? Audistisne quid dicat S. Joannes Apostolus in sua Apocalypsi, nempe se vidisse, quod immanis quidam Draco, partum mulieris apertis faucibus expectaverit, ut continuo illum devoraret? Ubi non aliud indicat, nisi præcavet, quam sollicita, ac diligenti cura opus sit parentibus, ne filii eorum, antiqui serpentis veneno in pueritia inficiantur, imo debent sequi, celeberrima duorum illorum patrum, nempe Job & Tobiæ exempla, quorum primus offerebat pro filiis suis sacrificium dicens: *Ne forte peccaverint filii mei.* Alter vero in hac pietate filium suum instituebat dicens: *Omnibus diebus vitæ tuæ, in mente habeto Deum, & cave ne aliquando peccato consentias & prætermittas præcepta Dei nostri.* Quod cum ita sit, prudentissimum vobis parentibus erit consilium seu documentum, ut filios vestros tempestivè offeratis non Diabolo, in equis, in lusibus, in poculis, in choræis, sed Deo in precibus sacris, in timore Domini, cæterisque spiritualibus exercitiis ac virtutibus, similiter filias non in ornatu superbo, non in verbis, jociscque scurrilibus, sed in omni verecundia, Deique servitio. Habetis hodie luculentum exemplum in Joachim & Anna parentibus piis probisque Sanctissimæ virginis Mariæ, quam ab infantia quasi cultui divino consecrarunt, sed ita feliciter, ut quæ præcepta suorum parentum summa cum hilaritate acceptavit, facta sit mater Dei, Regina cœli, & Patrona nostra.

AMEN.

Apoc.12. v.4.

Iob.1.v.5.

Tob.4.v.6.

IN FESTO ANNUNCIATIONIS B. V. MARIÆ, CONCIO I.

Hortus conclusus soror mea Sponsa. Cant.4.v.12.

NON sine ratione hoc veris tempore, cum jam terra solis calore recreata, nec non cœlesti rore conspersa se ipsam aperit; & ex se elegantes emittit flosculos, sancta Ecclesia mater nostra celebrat solemnem memoriam annunciationis Beatissimæ Virginis Mariæ, sicuti etenim vere nihil est jucundius, ita quoque hodiernâ solemnitate nihil est amænius, nil jucundius nil amabilius. Hodie enim humanum genus expulsum quondam è paradiso terrestri, invenit cœlestem, nempe Deiparam Virginem Mariam, quæ exceptâ salutatione Angelicâ *Ave gratia plena! Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus.* Quàm primum ad verba Angeli, suum consensum dedit dicens; *Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum:* mox verbum incarnatum, in sacro ventris sui claustro concepit, & veluti cœlum quoddam, seu paradisus facta fuit, de quo paradiso Canticorum 4. Spiritus Sanctus ait. *Hortus conclusus soror mea sponsa.* Non melius Deipara dici potuit quam Hortus conclusus, quia quemadmodum ait Paschasius; *Hortus conclusus ideo appellatur, quia universa delicia Paradisi ex eâ emanarunt, ubi fons scaturit nostræ redemptionis.* Unde in hac Concione probabo, Beatissimam Virginem Mariam verè esse Paradisum cœlestem.

Luc. 1.v. 28.

Cant.4. v.12.

Paschasius in Matth.

I. Non multis mihi opus erit argumentis, quibus demonstrem Beatissimam Virginem Mariam, paradisum esse cœlestem, nam ipsamet veritas quæ est Christus Dominus, hac de re producit testimonium dicens *Ego quasi aqua ductus exivi de paradiso.* Quæ verba Ecclesiastici c.24. adnotata, fundata esse in 1. c. libri Gen. ex eo patet, quia ibi sacer textus recenset dicens. *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum.* Interpretes Sacræ Scripturæ, per istum fluvium, sicuti & per aquæ ductum Christum Jesum intelligunt, nam ipse ille est, qui Joannis 4. capite, dicebat ad mulierem Samaritanam. *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua, quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Videmus in aquarum ductibus, quod ex quibusdam canalibus fluat aqua remissè & parcè, ex quibusdam autem ita copiosè, ut non fluere, sed saltare videatur, idque est aut ob copiam

Eccl. 24. v. 42.

Gen. 2. v. 10.

Ioan. 4. v. 13. 14.

piam & inopiam fontis à quo derivatur, vel ob aliquam obstructionem canalis. Fons noster Christus Dominus plenus est aquis gratiarum, unde ab illo omnes gratiæ in nos derivantur, teste Apostolo Paulo ad Romanos 1. capite. *Gratia Dei per Iesum Christum.* Verùm undenam cœlestis hic aquæ ductus mundo dimanare incepit? ipsemet respondet dicens. *Exivi de Paradiso.* Dupliciter id intelligunt Doctores & Patres Ecclesiæ. Venerabilis Hugo Cardinalis in 24. caput Ecclesiastici scribens, duplicem naturam in Christo Dei filio considerat, nempe divinam, & humanam: quod divinam concernit, sic eum à sinu sui patris cœlestis, tanquàm è Paradiso exivisse ait. Sed deinde quod concernit in ipso naturam humanam, hic Richardus à S. Laurentio, per paradisum Beatam Virginem matrem suam intelligit, quia dum verbum caro factum est, ipsam sua præsentia, paradisum fecit: omnis quippe locus in quo Christus habitat, Paradisus censeri debet. Quærit Innocentius Papa in quodam sermone. Cur Christus, bono illi latroni, tantùm postulanti, ut memor sui esset in Regno suo, ille addiderit. *Hodie mecum eris in paradiso?* Et respondet, quod sufficisset quidem si ei Christus dixisset. Hodie ubi ego ero, & tu mecum eris, adjecit tamen in Paradiso, ut ineffabilem præsentiæ suæ effectum explicaret, nempe quod qui cum Christo sunt, ipso eo facto sint in Paradiso. Cum ergo habitaverit in utero matris suæ novem mensibus; quis illam, cœlestem fuisse paradisum dubitabit.

S. Paul. ad R. 1. v. 5.

Hugo in Ecclesiast.

Innocent. serm. 2 de S Laur.

Gen. 2. v. 8.

II. Ad id facer textus ait, Paradisum terrestrem, tam amœnum tam jucundum, à Deo creatum esse, ut Paradisus voluptatis diceretur. Unde & nos dum aliquem elegantem hortum intramus, dicimus illum similem quodammodo esse Paradiso. Sunt autem septem, quæ ad amœnitatem horti concurrũt, nempè loci viriditas, florum venustas, fragrantia aromatum, irriguum fontium, umbrositas arborum, ubertas fructuum, & tandem suavissimus recreans animos cantus avium. Ex his quod in horto & paradiso voluptatis Beatissima inquam Virgine Maria desiderari posset, nihil fuit. Maxima erat ibi loci viriditas, quia virebat fide quæ est signum vitæ, *nam justus ex fide vivit.* Et quanta fidei contradictoria in legatione Angelica castissimæ Virgini videbantur? meritò sanè objiciebat Angelo. *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* audiens tamen ab eodem de obumbratione Sancti Spiritus, nova quædam & inaudita mysteria dici sibi, fidem dictis adhibuit, & cum maxima humilitate quasi altera Abigail, protulit. *Ecce ancilla Domini.* Fuit in ipsa pulcherrima florum venustas, nempe honestas morum, aromatum fragrantia, nempe vehementia desideriorum cœlestium, irriguum fontium, id est influentia charismatum. Umbrositas arborum: quia Spiritus Sanctus obumbravit eam. Ubertas fructuum, nempe abundantia bonorum operum, & tandem pro cantu avium, congratulatio & gaudium Angelorum. Fuit in summa Paradisus voluptatis.

Erneſtus c. 34.

Hebr. 10. v. 38.

Luc. 1. v. 34.

Ibid. v. 38.

III. Non frustra Virgo Beatissima Mariæ nomen accepit: quemadmodum enim, omnia quæ à paradiso veniunt flumina, in mari congregantur, ita quoque Deus cœlestis taliter Deiparam Virginem omnium gratiarum suarum participem reddidit, ut non solum gratiosa, sed ipsa quoque gratia nominari possit. Hinc Angelus ad se missus ait. *Ave gratia plena.* Adeo enim copiosam habuit gratiæ plenitudinem, ut non solum Paradisi deliciis abundare videatur, verum insuper eum secum habeat, qui totius paradisi, nempe terrestris, & cœlestis, autor est & origo. Quod cum ita se habeat, quisnã eam Paradisum vocare gravabitur? Cum illud quod habetur Ecclesiastici cap. 40 *Gratia sicut Paradisus.* id Sanctus Pater Bonaventura, de Sanctissima Virgine intelligat dicens, *Hac gratia videlicet gloriosissima Virgo Maria, fuit quasi Paradisus* Injuriam facis Sancte Doctor Deiparæ, qui dicis fuisse quasi Paradisum. Cur enim non potius protulisti, esse verum Paradisum? Audi quid dicat S. Bernardinus confrater tuus? *Virgo nutrivit Christum de suo lacte, cujus minima stilla, prævalet omnibus fructibus Paradisi terrestris & totius mundi* Ex quibus verbis tale formo argumentum: omnis dulcedo quæ in Paradiso terrestri haberi potuit, ex ipso Paradiso oriebatur. Cum igitur virgo castissima dulcissimo lacte suo, qui ex Paradiso, æterni verbi incarnati proficiscebatur, Christum Jesum lactaverit, quis non videat, ipsam esse cœlestem Paradisum?

Eccl 40. v. 17

D. Bonav. in Eccles.

IV. Illa verba Sanctissimæ Virginis, digna sunt magna consideratione, ubi ait. *Fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus.* Hic enim miratur Hugo de S. Victore. Quod

Luc. 1. v. 51.

mentionem quidem rei magnæ à DEO sibi præstitæ fecerit, sed quidnam illud fuerit, non enunciet, dat autem tale responsum. *Tali ac tanta divinitatis præsentia plena, quid viderit aut quid senserit, quis dicere potest? Audacter pronuncio, quod nec ipsa explicare potuit, quod capere potuit.* Hic jam non miror, dixisse S. Paulum de se ipso. *Scio hominem, quoniam raptus est in Paradisum, & audivit arcana verba quæ non licet homini loqui.* Si enim ipse Paradisi gaudia quæ obiter viderat enarrare non poterat, quomodo id Sanctissimæ Virgini facile esse poterat, quæ per incarnationem unigeniti filii, in Paradisum cœlestem fuerat commutata? S. Thomas Aquinas, uti refert S. Antonius in vita sua, interrogaverat quempiam ad cœlestem vitam translatum de gloria Paradisi, qui respondit. *Ego Deum video, nec de hoc amplius requiratur.* Si una fidelis anima, non poterat eloqui gloriam Paradisi, gloriam Paradisi in Deipara Virgine quis eloqui poterit?

Hugo Tom 1 super Magnific.

2. Cor. 12. v. 3.

S. Anton. 3. P. tit 13.

V. Non immerito vocatur Hortus conclusus: nemo enim est qui illum lingua sua aperire queat. Tanta siquidem est gloria hujus cœlestis Paradisi, ut si cadere posset in Spiritus illos cœlestes, nempe Sanctos Angelos invidia, sicuti nobis teste Urbano Octavo Pontifice in Bulla Missalis, invidere deberent, quod nos corpus Christi hic in terris contrectantes, quasi anticipatione quadam in terris cœlum habeamus, ita etiam Sanctissimæ Deiparæ, invidere deberent, quod eum tangendo, osculando, nutriendo, facta sit cœlestis quidam Paradisus: sed quia nulla in eos cadere potest invidia; quod ipsi demirantur, & prædicant, ob id nos in hac valle mundi lætemur, expectantes beatam spem, nempe nos ope hujus cœlestis Paradisi ad cœleste gaudium perventuros. AMEN.

Vrban. VIII. in Bulla Missalis.

IN FESTO ANNUNCIATIONIS B. V. MARIÆ, CONCIO II.

Missus est Angelus Gabriel à Deo. Lucæ 1. v. 26.

HÆC est dies boni nuncii Auditores, ut loquar cum leprosis, qui cum venissent ad castra Syriæ, nemineque ex hostibus in illis viso, plurimum auri, argenti, vestium pretiosarum, ciborumque inveniissent, dixerunt ad invicem. *Hæc dies boni nuncii est, si tacuerimus, & noluerimus nunciare usque mane, sceleris arguemur.* Insignis autor Bæza Ponferradiensis, inter ista verba prolata à leprosis, illud singulariter notat, quod reos sceleris se dicerent, si cum isto nuncio expectarent usque mane: & scite respondet dicens, Nuncia læta minimè esse differenda sed ad consolationem aliorum sine mora depromenda: sic fecit Rebecca filia Bathuelis, quæ dum audisset sermones, quos servus Abraæ protulerat, & vidisset dona, quæ ab eodem acceperat, ait sacer textus. *Cucurrit puella, & nunciavit in domo matris suæ omnia quæ audierat.* Hodierna dies Auditores, est nuncii longè melioris. Hodie namque hominis natura, lætitiæ ducit exordium & (uti loquar cum Sancto Patre Andrea Archipræsule Jerosolymitano) divinæ conditionis sumit initium. Hodie renovationem suscipit, miserrima vitæ nostræ lapsa conditio. Hodie rerum omnium potentia, adinvenit Salutare consilium, per quod damnum, quod incurrit homo, repararet. Hodie lætantur homines, gaudent Angeli, & tripudiat universus orbis. Hodie enim lætitiæ adfertur nuncius: non ex aliqua mundi Regione, non ex aliquo Regno, vel Provincia, sed ab ipso cœlorum palatio, non ab aliquo Rege, vel Principe, sed ab ipso Deo, cœli terræque Domino, *missus est Angelus Gabriel à Deo.* Unde cum nuncia læta non sint protrahenda, & ego hæc hodierna, quæ à Deo per Angelum Beatæ Virgini Mariæ fuerunt nunciata, nullâ morâ interpositâ, auribus vestris nota faciam.

4. Reg. 7. v. 9.

Beza com. moral. Tom 3.

Gen. 24 v. 9.

V. Andr. Archiep. Ieros.

I. Cum Joannes Baptista, in utero adhuc matris suæ gestaretur, qui adventus Domini præcursor, præcoque esse debuerat, Gabriel Archangelus de cœlo, ad terram descendit, & ad Virginem veniens, ei maximum legationis suæ mysterium patefecit. Quodnam mysterium

rium patefecit. Quodnam mysterium? Summam Dei submissionem, & absconditum à seculo Divinæ providentiæ consilium, nempe, ut per incarnationem filii Dei unigeniti, imago naturæ nostræ per peccatum deturbata, in melius renovari & restaurari posset. O lætum nuncium, & admirabilem Dei bonitatem, qui cum minimè ad id obligatus fuisset, ut per incarnationem homo fieret, nihilominùs id sponte sua
Gen 1.v.2. fecit, quod bonitati suæ fuit conveniens, & naturæ nostræ expediens. Nam legimus Genesis
Hugo Card. in Genes. 1. cap Deum creasse cœlum & terram, sed *terra erat inanis & vacua*, id est uti explicat Hugo Cardinalis, inutilis & sine ullo ornatu, undè nullam quoque à Deo accepit laudem, sed postquam illam lumine illustravit, eique formam suam indidit, approbavit illam dicens, *Vidit Deus quod esset bonum.* Tandem sexto die, fecit hominem, quem rerum omnium à se creatarum, quasi compendium quoddam esse voluit, ut hinc homo vocetur microcosmus, sive parvus mundus, sed à quo inhabitaretur, nullus erat. Quare? quia post primum lapsum, terra erat inanis & vacua, id est ut idem Hugo ait, privata omni ornatu gratiæ. Ut ergo posset idonea reddi ad habitandum, unigenitus Dei filius, per incarnationem suam, mundum quem condiderat, in homine assumpsit, ac fecit veluti circulum quendam, per quem creatura universa rediit ad creatorem Deum, unde prodierat.
Ephes.1.v. Testatur id manifestè Sanctus Paulus dicens,
9.10. *Vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum ejus quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, qua in cœlis, & qua in terra sunt in ipso.*

II. Quando legatio aliqua, de rebus magni momenti expeditur, non mittuntur simplices, vel communes nuncii, sed tales Legati destinantur, qui prudentia, dignitate, & summa autoritate excellentes, tam magno officio dignè defungi queant. Sic ubi ait sacer textus, Jacob
Gen.32.v. Patriarcham misisse nuncios ad Esau fratrem
3. suum, dum rediret de terra peregrinationis suæ, non est putandum, misisse ipsum aliquos homines despicabiles, sed tales, qui honoratiores haberi potuerunt, & prudentiores, quorum dexteritate in loquendo, placabilem sibi reddi volebat. Nec illi nuncii, quos David Rex miserat ad Regem Ammon, infimæ sortis esse debuerunt, cum enim confusi fuissent à Rege Ammon, David id tulit ægerrimè, non solum ideo, quod jus gentium violaverit, sed etiam, quod eos gravi injuria & ignominia, vestibus suis eos spoliando & denudando affecerit. Sed nos ad Legatum nostrum redeamus. *Missus est, Angelus Gabriel, à Deo.* Sanctus iste legatus, summæ fuit dignitatis. In primis S. Bernardus, Archangelum hunc ex majori spirituum illorum ordine, ad Beatissimam Virginem Mariam, missum esse fatetur, quod ex nomine colligit, quia Gabriel, dicitur fortitudo Dei, deinde quia immediatè dicitur missus à Deo, non autem ab aliquo se excellentiori Angelo, ut interdum fieri sic, Scriptura Sacra commemorat. Postremo, Ecclesia sancta, unà cum Patribus, & Scripturarum Sacrarum Doctoribus, S. Gabrieli Legato, nomen Archangeli attribuit.
2.Reg.10.v. 15.
S. Bernard.
S. Dion. de Hierarch.

III. Conveniebat sanè, tanto incarnationis divinæ mysterio, tale nomen, quod Dei significat fortitudinem, idque ob multas rationes. Nam fortissimus est Deus nuncium mittens, qui nunciavit ille est fortitudo, cui nunciavit nempe Sanctissimæ Virgini, illa est fortissima. Cujus virtutem maximam ex-
Prov.31. v.10. pendens Rex Salomon ita ait. *Mulierem fortem quis inveniet?* Fortissima quippè fuit, quæ sine viri opera concepit filium, qui Dominus suus erat, gestavit sine labore gestantem se, peperit sine dolore suum Genitorem, lactavit sacro ubere, se ipsam & omnes creaturas pascentem, custodivit ab Herode, se & omnia custodientem. Postremò opus ipsum, quod annunciaturus venit, fortissimum est, quia erat funiculus ille triplex, qui difficile rumpitur, nempè verbi, animæ & carnis venit enim annunciare conjunctionem duorum, quæ humano sensui repugnare videbantur, ut est illa, Dei & hominis, Virginis & matris, viatoris & comprehensoris: prorsus hic est admiranda conjunctio, fidei, & rationis. Sed jam ipsam Legati propositionem audiamus. Quid ait? Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum. *Hic erit magnus. Stupenda plane propositio Archangeli.* Ille Vago à Principis Holophernis cubicularius, cum persuadere vellet honestissimæ matronæ Judith, in castris
Iudith.12. Assyriorum commoranti, ut cum Principe
v.12.

unâ

unâ habitaret, his verbis eam allocutus fuit. *Non vereatur bona puella, introire ad dominum meum, ut honoretur ante faciem ejus.* Eunuchus ille principis nihil protulit insoliti, cum enim Holophernes celeberrimus, adeoque primus fuisset in aula Regis sui, cum tot tantasque divitias habuerit, non erat ipsi difficile honorare Judith; nec ipsi indecorum, à tanto Principe honorari. Sed cum ego audio, dicentem Archangelum, quod unigenitus Dei filius, splendor æterni Patris & figura substantiæ ejus, à Maria matre sua honorem & gloriam sit accepturus, hoc miror & non capio. Ergone filius Dei ab utero virginali exaltabitur? quia ait Angelus. *Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen ejus Iesum Hic erit magnus.* Sed

Gilibert. serm. 21. in Cant.

respondet in favorem Beatissimæ Virginis Gilibertus dicens. *Famina circumdabit virum, quomodo circumdat corona caput, caput enim Ecclesiæ Christus, gloriosus planè in illo splendore gloriæ, & paternæ figura substantiæ:* quibus verbis præfatus autor, pulchrè deducit gloriam Christi Domini, ex utero virginali, matris suæ provenientem, quia cum corona, sit gloria capitis, à qua exornatur, etiam sanctissimus Beatissimæ Virginis uterus, qui Deum circumdedit, eundem quoque gloria & honore coronavit.

IV. Athenienses lege caverunt, ne filii à matribus cognomen acciperent, quæ lex quasi

Prov. 4. v. 3.

in toto orbe invaluit: sed Spiritus Sanctus ita ait. *Stultus homo despicit matrem suam*: Gratiores suis matribus erant Lycii, qui in tantum matres honorant, ut omissis patribus, nomen solum maternum efferant, & in illo glorientur. Et quid miror unam gentem: cum unigenitus Dei filius, ac si paterni principatus sui oblitus fuerit, sola matris gentilitate glorietur. O miram unigeniti Dei filii humilitatem: qui abjecto cœlesti palatio, in solo uteri virginalis tuguriolo gloriatur, Sed audite quid dicat S. Doctor Augustinus. *Vnde humilis? quia homo natus ex homine. Vnde excelsus? quia ex Virgine.* Et quid est, quod nato Domino Angeli cecine-

Luc. 2. v. 14

runt, *Gloria in excelsis Deo*; non ob aliam sanè rationem, nisi quod ab utero virgineo, omnia excelsa, & glorioſa suo Domino fuerint gratulati. Unde B. Gregorius Nyssenus, magnum quid & excelsum meditatus in eo, quod immensa Dei Majestas de cœlo ad terras properaverit, hoc unum invenit, nempé almam Sanctissimæ Mariæ virginitatem, cujus amore te-

Greg. Nyss.

nebatur, nam sic ait. *Non navigio, aut curru aliquo, sed incorrupta virginitate in vitam humanam trajicit.* Videtur ille Doctor conjecisse oculos, ad navigia auro plena, quibus nupturi Reges, ad navigant, aut ad currus triumphales, quibus Imperatores utebantur. At Salvator noster Christus Dominus, ut tam celeriter in mundum veniret, non navigio opus habuit, utque triumpharet, suamque sublimem gloriam demonstraret, curru aureo opus non habuit, sola fuit incorrupta S. Mariæ virginitas, quæ ipsum traxit in mundum.

V. Qui gloriam & pompam hujus mundi diligunt, habent suas sedes, nempè urbes & arces, in quibus honorem suum fundare solent: Archangelus Gabriel, in legatione sua, unigenito Dei filio, summam ex utero virginali offert gloriam dicens. *Hic erit magnus* Videamus, an illi aliquam seu magno Dynastæ glorioſam sedem præsentet? *Dabit illi Dominus sedem David patris ejus.* O quanta dignitas Salvatoris Jesu: numquid non major erat, quando sedebat in cœlesti throno, à dextris patris sui? Pulchrè ad id D. Bernardus. Quid magnum pro-

S. Bernard.

mittitur ei, qui sedet super Cherubin, quem Propheta vidit sedentem, super thronum excelsum & elevatum, sedere in *throno David?* Sanè Jacobæa domus & Regnum Davidicum, quæ gentilitia erant matris suæ, gratiora erant Christo DOMINO, quàm fuerint paterna stemmata pretiosa & divina, quia Virginis Matris amore summo, & æstimatione tenebatur. Rectè id exprimitur in Canticis Canticorum 3. capite. *Egredimini & videte filiæ Syon, Regem Salomonem in diademate quo coronavit illum mater sua.*

Cant. 3. v. 11.

Quodnam est illud Diadema? numquid illud ex auro purissimo factum, gemmisque & lapidibus pretiosis exornatum? Respondet Guilelmus dicens. *Diadema quo coronavit eum mater sua, esse Regiam nobilitatem assumptæ humanitatis, qua eum coronavit, eò, quod illum de sanguine suo Regio, secundum carnem concepit.*

Guilel.

Undè Gabriel Paranymphus. *Ecce concipies & paries filium & dabit illi Dominus sedem David, & regnabit in domo Iacob.* Ecce Auditores, quanti fecit Christus JESUS ornamentum, quod hæreditavit ex Regia suæ matris domo & familia. Undé non miror feliciter successisse legationem Archangelo, quæ sicut locum habuit in corde Sanctissimæ Virginis,

ginis, dum ait; *Ecce ancilla DOMINI fiat mihi secundum verbum tuum*; similem locum habeat in corde nostro, ut videntes & considerantes, quanto amore salutis nostræ CHRISTUS DOMINUS flagraverit, & quantam curam humani generis habuerit, ei gratias humiles referamus, suamque Sanctissimam Matrem & Virginem exoremus, ut quæ fuit & est Mater CHRISTI, fiat nostra singularis patrona, nunc & in hora mortis nostræ.

AMEN.

IN FESTO ANNUNCIATIONIS B. V. MARIÆ, CONCIO III.

Missus est Angelus Gabriel ad Virginem. Lucæ 1. v. 26.

LEgimus Exodi 25. capite. DOMINUM DEUM mandasse Moysi ut in suo Sanctuario poneret duos Cherubin aureos, unum in uno, & alium in altero latere, qui expassis alis mutuò se respicerent, versis vultibus in propitiatorium. Verba sunt Sacri textus. *Vtrumque latus propitiatorii tegant expandentes alas, & operientes oraculum, respiciantque se mutuò versis vultibus.* Ad quemnam finem illa mutua facierum conversio, & respectio? quanam de causa divinorum mysteriorum Secretarii ita suspecti manent & attoniti? Respondet Sanctus Gennadius, illos duos Cherubin, non sine causa attonitos, & admirabundos extitisse. Sacra enim illa arca quæ asservabatur in tabernaculo DOMINI, Sanctissimam Virginem Mariam præfigurabat, in qua, & manna Angelorum, & duæ tabulæ, non legis, sed duarum naturarum, divinæ scilicet & humanæ, DEUS & homo, verbum incarnatum, continebantur. Unde duo illi Cherubin, tantum mysterium prænoscentes, & summam ejusdem Arcæ dignitatem, comprehendere non valentes, alis suis se operiebant. Verba sunt autoris. *Duo Cherubin, suspensi, solium divini numinis præsignabant.* Si Angelis, creaturis inquam tam præclaris scientia, hoc mysterium incarnationis divinæ, in tantum difficile videbatur, quantò magis nobis hominibus, ingenio, & scientia multò inferioribns? Quamobrem omissa profunditate hujus mysterii, hoc solum inquiram. Cur DEUS, hoc summum bonum incarnationis suæ, tam diu distulerit, & quanam virtute Beatissima Virgo Maria illam promeruerit.

Exod 25. v. 20.

S. Gennadius.

I. Quis hominum DEI optimi maximi naturam ex aliqua saltem parte concipit, & soli-

tam erga genus humanum consuetudinem plenius considerat; eundem perquam benignũ, nec ad dona largienda tardum, sed potiùs in iisdem exhibendis promptissimum esse fateri cogitur. Sed cum inter omnia dona, quæ unquam mortalibus contingere possent, nullum sit incarnatione divina dignius, nullum excellentius, inque salutem humani generis magis conducibile: hinc meritò quispiam mirari ac secum scrutari posset. Cut divina illa bonitas, quæ tot tantisque beneficiis ad omnia bona mortalibus liberius eroganda, se satis pronam exhibuerit, jam in summo illo, & hominibus quam maxime salutari incarnationis mysterio ultra quinque annorum millia, nullam invenerit oportunam occasionem, nullam temporis plenitudinem in qua humanam naturam assumeret, hominem redempturus. Non est dubium, quod ex parte DEI nullum, sed ex parte hominis, aliquod impedimentum fuerit, quod DEUM retardabat, nempe multitudo peccatorum, de quibus ait Propheta. *Peccata vestra, divisérunt inter vos & DEVM.* Sed in illorum numero potissimum habet locum superbia, quæ DEUM retinebat, ne talem actum infinitæ misericordiæ, tam citò producere posset. Postquam mundum corruptum purgavit per aquam. *Omnis quippe caro corruperat viam suam:* post illud inquam universale diluvium, quo divina justitia, usa fuit pro lavacro sordium humanarum, quis cogitare posset, de aliqua peccati macula? Et ecce prima apparuit labes superbiæ. Nam quam primùm Noe cum suis filiis, & familia exivit de arca, statim consilium inierunt, & opere inceperunt ædificare turrim in terra Sennaar. Cujus altitudo cœlum ipsum pertingeret. Hoc opus tam arduum ad quem

Isai. 59. v. 2.

Gen. 6. v. 12.

Gen. 11. v. 4.

finem inchoarunt? Venerabilis Hugo Cardi-
Hugo hic. nalis videtur illos excusare dicens. *Timebant iterum diluvium, ideo autore Nemroth, voluerunt sibi construere turrim in qua diluvium non timerent.* Sed dato intentum illorum tale fuisse, non erat excusabile, tum quia nulla ars, nulla prudentia, nullumque consilium humanum, contra potentiam dari potest. Unde temeritatis nota, potiùs quàm providentiæ arguendi forent: tum quia tale opus ex superbia & elatione mentis processisse sacer textus demonstrat dicens. *Ut celebremus nomen nostrum.* Unde notandum venit, quod ad lustrandum tale opus, non unam, sed tres divinas personas sacer textus introducat dicens. *Venite igitur & descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Quid hoc Domine? tu per unicum Angelum, unius noctis spatio 185. millia de exercitu Assyriorum interfeciſti, quid igitur opus erat, ut ibi tota
4. Reg. 19. v. 35. Sanctissima Trinitas descenderet? Sed pulchrè
Rupert. respondet Rupertus. Non Angelorum multitudines ad auxilium cohortatur, sed ad feriendam superbiam, se adesse testatur tota Trinitas, unus DEUS. Si bellum alterius generis peccati indictum fuisset, unus Angelus sufficisset, sed quia hic superbia in campum prodierat, tota sanctissima Trinitas eidem obviam ire debuerat.

II. Et merito quidem: aliis enim peccatis, solemus nocere proximo, vel sibi soli, sed sola superbia, proprie ipsi Deo infert injuriam, cujus rei testis est S. Ambrosius dicens. *Quid hoc peccato potest esse deterius; quod à Dei cœpit injuria?* Et licet docente nos Theologia, in
S. Ambr. in Ps. 118. quolibet peccato, videatur inferri Deo injuria, dum per illud homo avertitur à Deo, & convertitur ad creaturam, dum tamen peccat aliquis, vel homicidio, aut furto, sive fornicatione, non intendit primo & principaliter inferre Deo injuriam, sed potius proximo, quem privat, sive vita, seu suâ substantiâ, sive dum appetit pulchritudinem alienæ. Solus autem superbus videtur æmulari ipsi Deo, cui se æqualem reddere contendit. Quod evidenter testatur S. Isaias Propheta dicens. *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem*
Isaiæ 14. v. 13. *nubium, similis ero Altissimo.* An quis hic nõ dixerit summi Dei contemptum, esse injuriosum? Optimè igitur de hoc superbiæ vitio, ait S. Ambrosius, quod à *Dei cœpit injuria.* Unde cum (incipiendo à filiis Noe) tale vitium orbi dominaretur, quod quidem divina Majestas summè aversatur, hanc ob causam, cum incarnatione sua divina differebat, donec ea temporis plenitudo adveniret, in qua singulare humilitatis exemplar in aliquo homine reperiret.

III. Postquam verò Beatissima Virgo Maria, in hunc mundum prodiit, ob specialem suæ humilitatis actum, electa fuit à Domino, ut fieret mater purissima, unigeniti filii Dei, de qua carnem sumeret, eaq; mediante, opus divinę incarnationis suæ consummaret. Tale quondam in Exodo, præceptum dederat Deus de altari, in quo sacrificia offerri solebant; ut non solidum esset, sed inane & cavum intrinsecus. Mi-
Exod. 27. v. 8. rum est Auditores, cur illud altare voluerit fieri cavum & inane, quandoquidem ejusdem libri capite 20. prior divina dispositio huic contraria videatur. Ibi enim ait Deus. *Altare de terra facietis mihi, & offeretis super eo, holocausta, & pacifica vestra.* In eodem capite alterius quoq; altaris fit mentio talis. *Quod si altare lapideum feceritis, non ædificabitis illud, de sectis lapidibus.* Sed iste diversus modus altarium facile conci-
Exod 20. v. 24. liari potest, in altari de terra sive de lapide facto, diversa offerebantur sacrificia, non solum holocaustum, quod totum incendebatur Domino, sed etiam offerebantur sacrificia, quarum pars dabatur offerentibus ad comedendum, & quia inter comestionem solent homines sibi reconciliari, ideo vocabuntur pacifica, sed hoc altare erat tantum holocaustorum, unde juxta explicationem Divi Hieronymi aliorumq; in-
S. Hieron. in Exod. terpretum sacræ scripturæ, concavum & inane fieri debuit. Tale altare, symbolum & figura fuit B. V. Mariæ, quæ respondens Archangelo; *Ecce ancilla Domini*; per humilitatem se evacuavit, ideoque digna fuit, ut filium Dei reciperet, qui pro nobis hostia factus est.

IV. Convenienter ait Spiritus Sanctus Proverb. 11. *Ubi autem est humilitas, ibi est & sapientia.* Proprium attributum filii Dei, est sapientia. *Prov. 11.* Hæc ergo æterni Patris sapientia, non poterat *v. 2.* meliorem sibi ædificare domum, quam in area humilitatis, quâ Beatissima virgo mirifice enituit. *Ubi est humilitas, ibi & sapientia.* Hujus rei habemus egregiam figuram apud Jonam Prophetam. Cum ille à facie Domini profugus, navigaret, sua navis in qua sedebat, magnis ventis quatiebatur, sed quam primum Jonas, in hoc mare turbulentum descendit, mox cessavit tempestas maris, juxta ejusdem vaticinium,

Tollite

Jonæ 1. v. 12. *Tollite me, & mittite in mare, & ceſſabit mare á vobis.* Nomen Beatiſſimæ Virginis, nempe Maria, mare ſignificat, nec enim tantus eſt in illo guttarum numerus, quantus in Maria, virtutum, & gratiarum. Divinum hoc mare turbatur, ait enim S. Lucas : *turbata eſt in ſermone ejus.* Cur turbaris ô Virgo ſanctiſſima ? num quia Angelus tibi apparuit ? minimè verò: quia teſte Euſebio Emeſſeno, familiaris ei converſatio fuit cum Angelis; quin uti ait prætactus autor, *Turbata eſt in ſermone ejus, non in vultu ejus, non enim Angelum ſed vultum Dei attendebat.* Sed quam primum ſe demiſit in mare humilitatis, mox omnes fluctus quieverunt, tunc inquam dum ſe ancillam Domini nominavit.

Euſebius Emeſſenus.

V. Dum arcam Domini Rex David de domo Obededon, ad arcem ſuam Sion transferebat, rejecta ſua Majeſtate, coram illa totis viribus ſaltabat. Sanctus Gregoriur expendens tale factum Regis David, ſumme quoq; miratur, quod tantus Rex, qui ora leonum lacerabat, qui gigantem proſtraverat, qui cunctis hoſtibus ſuis terrori fuerat, quod coram Arca Domini, tam vilis, humiliſque apparuerit. Quodnam myſterium actio illa comprehendit? Reſpondet idem Sanctus Doctor dicens. *Coram Deo egit vilia, ut illa ex humilitate ſoli daret, quæ coram hominibus geſſerat fortia. Ergo David plus ſaltantem ſtupeo, quam pugnantem: pugnando quidem hoſtes ſubdidit, ſaltando autem coram Domino, ſemetipſum vicit.* Rex David præclara geſſit opera; ſed non poterat illa melius publicare, quam per illum ſaltum humilem. *Coram Deo egit vilia, ut illa ex humilitate ſoli daret, quæ coram hominibus geſſerat fortia.* Eodem modo B. Albertus Magnus, diſcurrit de B. V. Maria, quod inquam ſuam ſummam nobilitatem, & divinorum excellentiam donorum, omniumque gratiarum per humilitatem mundo patefecerit, ſic dicens. *Beatiſſima virgo fuit profundiſſimæ humilitatis, ergo debuit eſſe ſummæ nobilitatis & dignitatis.* Planè mundo contrarium, apud ipſum enim qui pro honoribus acceptandis digni videri volunt, hi ſe cum Saule exaltare ſolent à capite ſurſum uſque ad humeros; ſed alia eſt Politica in aula Dei à quo dictum eſt. *Qui ſe humiliat exaltabitur.* Didicimus cauſam cur Deus beneficium incarnationis ſuæ, tam diu diſtulerit, nempè propter humanam ſuperbiam', & qualiter caſtiſſima Virgo Maria per humilitatem ſuam, mater filii Dei fieri meruerit. Quamobrem & nos abjectâ omni ſuperbiâ, quæ impedit, quò minus divina beneficia ad nos devenire poſſint, imitemur Sanctiſſimæ Virginis Deiparæ humilitatem, ut per ipſam hic in terris dona gratiarum cœleſtium aſſequi, & in cœlis cum Sanctis Dei exaltari mereamur.

2. Reg. 15. v. 24.

S. Greg. l. 27. in Iob.

B. Alb. Magn.

Luc. 14. v. 11.

AMEN.

IN FESTO ANNUNCIATIONIS B. V. MARIÆ,

CONCIO IV.

Ecce Ancilla Domini. Lucæ 1. verſ. 28.

HOdierna ſolennitas Annunciationis B. V. Mariæ, omnibus Chriſtianis feſtivam adfert gaudii & lætitiæ materiam. Hodie enim non porta templi Romani, quod templum pacis vocabatur, ſed porta cœli nobis aperta eſt, quando Sanctiſſima Virgo reſpondit, dicens ad Angelum. *Ecce ancilla Domini.* In hac hodierna ſolennitate verificatur illud quod olim Sancto Joanni Apoſtolo revelatum erat, qui ait. *Signum magnum apparuit in cœlo. Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim, in utero habens.* Videtur hic Sanctus Apoſtolus quoddam ænigma nobis proponere ad ſolvendum, & quis illud ſolvet ? quæ enim illa Mulier eſt *in utero habens*, & ſimul, tam pulchrâ coronâ exornata ? quæ illa eſt, quæ lunam premebat pedibus ſuis, & cujus caput reverenter cingentes ſtellæ coronabant. Ego puto Auditores mei, per eam Sancti Joannis Apoſtoli viſionem non aliam intelligi, quam ipſam Deiparam virginem: hæc eſt *in utero habens* : hæc eſt *amicta ſole, & luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim* : Poſtquam enim conenſu facto verbum æternum incarnatum, in ſacro uteri ſui clauſtro concepit, veluti cœlum

Apoc. 12. v. 1.

quoddam, sole, luna, stelliſq; coronatum apparuit. Diceret aliquis tantam ſanctiſſimæ virginis excellentiam, ſuæ humilitati fuiſſe contrariam, dum diceret; *Ecce ancilla Domini*: Nihilominus ego aliud video, ſicut enim humilitas Abigail, quam repræſentavit coram Principe David, verſa illi fuit in magnam gloriam, quia ipſam exaltavit in Reginam: ita quoque humilitas Beatiſſimæ Virginis, peperit illi tantam gloriam, quæ non ſolum hominibus, ſed ipſis etiam Angelis admirationi fuit. Quænam illa ſit? paucis in medium producam.

1. Reg. 25. v. 3.

4. Reg. 20. v. 13.

I. Habetur ſcriptum 4. Reg. c. 20. Qualiter Rex Ezechias viſâ legatione Babylonica ad ſe miſſa lætatus fuerit, in adventu eorum, & oſtenderit eis domum aromatum, & aurum, & argentum, & pigmenta varia, unguentaque, & domum vaſorum ſuorum & omnia quæ habere poterat in theſauris ſuis. Nulla legatio Imperatorum, Regum, & Principum hujus mundi, celebrior eſſe potuit, quam fuerit ea legatio hodierna, quæ ut expediretur feliciter, *Miſſus eſt Angelus Gabriel ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph & nomen Virginis Mariæ*. Inſignis ſanè ea fuit legatio, quia non hominibus, ſed ab ipſo Sanctiſſimæ Trinitatis triclinio miſſa, & non per hominem, ſed per ſummum Archangelum agitata, qui tot, tantisque theſauris cœlitus acceptis, eos nomine cœleſtis Regis Beatiſſimæ Virgini præſentavit dicens, *Ave Maria gratia plena*. At Sanctiſſima Virgo, viſis tot donis cœleſtium gratiarum, non ſuperbivit uti Ezechias, quin theſauros ſuos interiores, in recluſorio cordis ſui occultando, dato primùm ad verba Angeli reſponſo modeſtiſſimo. Quomodo inquiens *fit illud, quoniam virum non cognoſco*, & edocta de ſecreto myſterio, quod Spiritus Sanctus in ea operari debuerat, tandem cum ſumma humilitate dixit, *Ecce ancilla Domini*. Mirum ſupra modum Auditores, Beatiſſimam Virginem Mariam ex auditu tanti nuncii, non ſuperbam evaſiſſe. Ob quam rem D. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus comparat eam mari, quod ſapientiſſimus Salomon ſummè demiratur, quia cum omni quaſi momento, innumeros recipit aquarum rivulos, nunquam tamen intumeſcit, non redundat, neq; fines ſuos

D. Anton.

Eccl. 1. v. 7.

transgreditur. Unde dictus S. Præſul ita ait: *Omnia flumina intrant in mare & mare non redundat, ita & in Maria, omnes aquæ gratiarum, quæ fuerunt in aliis Sanctis intraverunt in Mariam Virginem & tamen illud mare plenum gratia non redundavit, excedens limites ſuos in aliquam jactantiam.* Miratur eandem Beatiſſimæ Virginis Mariæ humilitatem S. Bonaventura & exclamat: *O mira & profunda humilitas Mariæ, gratia plena dicitur, in matrem Domini aſſumitur, cunctis creaturis anteponitur, in his tamen mira humilitate deprimitur. Ecce ancilla Domini.* Non ſine myſterio Sanctiſſima Virgo Lunæ comparatur; *Pulchra ut luna*. Nam Rupertus Abbas, id advertit in Luna, quod quando eſt plena, & ditiſſima lucis, ac propterea debet quaſi ſuperbire, tunc incipit dominui, quaſi ſe humiliando; Idem plane videmus in Sanctiſſima Virgine: hæc enim eo tempore, quo erat maxima, uti ipſamet teſtatur dicens. *Fecit mihi magna, qui potens eſt*, cœpit ſe diminuere dicens: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*. Quando erat luce adeo repleta, ut ſecum habuerit ſolem juſtitiæ: *Gratia plena*; *Dominus tecum*: cœpit illicò deficere, ſeque humilitate unius ancillæ diminuere, Ecce ancilla Domini.

S. Bonav. in ſpec. Virg. c. 4.

Cant. 6. v. 9.

Luc. 2. v. 49.

II. Hic ſponſus divinus, laudaturns ſponſæ ſuæ humilitatem, poſtquam eam ſummis laudibus extuliſſet, compoſuit deinde cantum aliquem, in laudem oculorum ejus, quos comparavit oculis columbarum lacte lotis dicens. *Oculi ejus, ſicut columbæ, ſuper rivos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ*. Quid ſibi velit tale balneum oculorum, quod non videtur oculis eſſe aptum & accommodatum: oculi enim ad id ſunt nobis dati, ut ipſis mediantibus, imagines rerum videamus, lac autem nihil nobis præſentat. Id ipſum eſt quod Gregorius Nyſſenus reſpondet dicens. *Quod non ſine ratione oculos ſponſæ, oculis columbarum lacte lotis Spiritus Sanctus comparaverit, quia poteſt ſe quilibet in quocunque liquore, veluti in ſpeculo intueri, ſed in lacte minimè*. Sed quid hinc ſequitur? volebat ſigno lactis oſtendere Spiritus Sanctus, quod quamvis Virgo Maria multis & innumeris ditata eſſet donis, nihilominus videri nolebat, colorem & naturam lactis præferebat, quia quò candore Virginitatis, & divinæ gratiæ erat clarior, eò quoque volebat eſſe humilior, non jactabat ſe æterni patris eſſe filiam, unigeniti ſui filii matrem, ſponſam Spiritus Sancti, Imperatricem Angelorum, & orbis totius Dominam. Sed ô ſtupendam humilitatem, ô humilitatem omnibus linguis prædicandam: quantò magis cœle-

Cant. 5. v. 12.

Greg. Nyſſ.

ſtibus

stibus donis,& gratiis, se conspiciebat honorari,tantò magis,se iis indignam æstimabat. Audite quid dicat S.Bernardinus Senensis. *Continuo Maria considerabat Dei Majestatem , & suam nihilitatem.*

Bernard. Senens.

III. Sed placet tantæ humilitatis audire rationem? Quicunque architectus, turrim altam erigere cogitat,veniendo ad opus, terram profunde curat effodi , ut profundiora faciat fundamenta. Beatissima Virgo Maria in altam turrim erigebatur à Deo,juxta illud. *Ego murus,& ubera mea turris* : merito igitur profunda fundamenta jecit, nempe Sanctæ humilitatis. Sed videamus altitudinem hujus turris. Meritò ubera Sanctissimæ Virginis Mariæ , vocantur turris,quia per id, quod se ancillam dixerit, facta est mater filii Dei , de quo Sanctus Vates Regius prophetabat. *Excelsus super omnes gentes Dominus,& super cœlos gloria ejus.* Cum ergo Beatissima Virgo Maria tam excelsi filii esset mater,non est mirum quod in uberibus suis quibus ipsum lactavit , eam celsitudinem acquisiverit , de qua Isaias prophetavit dicens. *Gloria Libani data est ei.* Quam prophetiam de celsitudine Virginis & matris Dei Mariæ, intelligi debere, docent multi Doctores Sanctæ Ecclesiæ,nempe Thomas de Villa Nova , Rupertus Abbas,& Dionysius Carthusianus, qui taliter explicant illa verba Prophetæ,ac si dixisset. Sicut mons Libani , montibus aliis est sublimior : ita Beatissima Virgo Maria ex eo quia est mater Dei , omnes spiritus cœlorum superat suâ celsitudine.

Cant.8.v. 10.

Psal.112. v. 4.

Isaiæ 35. v.2.

Thomas de Villa Nova.

IV. Audite plura hac de re testimonia. S. Damascenus sic ait: Maria Virgo,mons ille est, qui collem omnem ac montem,id est,Angelorum ac hominum sublimitatem exsuperat. Mons in quo beneplacitum est DEO habitare in eo. Sanctus Augustinus magnus Doctor S. Ecclesiæ sic ait. *Talis est hinc Beatæ Virginis celsitudo,ut neque ab Angelico intellectu comprehendi possit.* S. Gregorius sic ait. Celsitudo Deiparæ talis est , ut participet aliquod *esse divinum.* S.Anselmus sic ait. *Celsitudo sanctæ matris Mariæ talis est , ut infinitum prope accedat.* B. Laurentius Justinianus sic ait. *Celsitudo ejus talis est, ut primatu superet omnem creaturam.* S. Bonaventura,sic ait *Celsitudo talis est uti DEUS de potentia ordinaria , eam ad majorem elevare non potuerit.* Hujus autem sententiæ,talem assignat rationem. *Majorem mundum facere posset Deus, sed majorem quàm matrem Dei, non posset facere Deus.*

S. Damasc.

S. August.

S. Greg.

B. Laur. Justinian.

S. Bonav.

V. Ipsamet Deipara talem suam celsitudinem benè agnovit, sic enim ait Ecclesiastici 24. capite. *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.* Hoc est discrimen inter vitem , & alias plantas , quod hæ crescant in determinata quantitate,sicuti oliva,crescit tantùm , & non plus , Cypressus,tantùm,& non plus,Platanus, tantùm, & non plus ; sic de reliquis: sed vitis in crescendo , non habet mensuram determinatam , sed tantùm , & ultra crescere potest,juxta sustentaculum & fulcimentum , quod ei apponitur , ut docet experientia. Beatissima igitur Virgo Maria,hoc ipso , quo se ipsam comparat visi , voluit nobis insinuare , quod ramos suos, per quos S. Bonaventura intelligit dona cœlestia,eo usque in altum erexerit , quousque se se extendit ejus sustentaculum. Et quia hoc est infinitum , DEUS enim est,qui illam sustentat, hinc est quod infinitis sit repleta gratiis. Ac propterea Sancti Angeli, demirantes tot,tantaque dona Sanctissimæ Virginis & matris DEI Mariæ dixerunt. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto,deliciis affluens,innixa super dilectum suum.* Uti Sanctus Ambrosius legit in hunc modum. *Quæ est ista quæ ascendit sicut vitis propago innixa super dilectum suum* : Non est ergo mirum Auditores , Beatissimam Virginem Mariam in sua Annunciatione tam profunda jecisse fundamenta , quandoquidem in tantam altitudinem provehi debuerit. Auditores mei,percepistis in quantùm extulerit Beatissimam Virginem Mariam profunda humilitas: quamobrem & nos in eadem Sancta humilitate fundamenta jaciamus , humili vitæ nos accommodare studeamus , Beatissimæ Deiparæ patrocinio, tanquam firmo sustentaculo innitamur , ut per gratiam sui filii , post hunc vitæ cursum qui sumus hic humiles in cœlesti Palatio exaltari mereamur. AMEN.

Eccles.24. v.23.

S. Bonav.

Cant 8.v.5.

S. Ambr.

IN FESTO ANNUNCIATIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ.

CONCIO V.

Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum. Lucæ 1. v. 28.

Auditores mei. Dum ego considero historiam hodiernam S. Lucæ Evangelistæ in qua describitur solennissima legatio, à Sanctissima Trinitate, ad Mariam Virginem per Archangelum Gabrielem facta; invenio finem hujus legationis, cum suo principio minùs convenire. Si enim ejusdem processum perpendamus, inprimis, Sanctus Evangelista, nuncii cœlestis eam mentionem facit dicens. *Missus est Angelus Gabriel à DEO.* Quibus verbis si paulisper insistere voluerimus, speciale quoddam in iis secretum inveniemus, quod nobis summam Beatissimæ Virginis Mariæ excellentiam, & celsitudinem demonstrabit. Nam quid est, quod S. Lucas, appellando hunc cœlestem nuncium, nomine Gabrielis, non etiam dederit eidem titulum Archangeli? Numquid forte ignorabat, eum fuisse, de supremo Archangelorum ordine? Cur igitur ipsum vocat Angelum, qui est gradus inferioris? Pulchrè respondet B. Albertus Magnus dicens. *Quod hic repetitur nomen commune Angeli, cum dicitur Missus est Angelus, per hoc datur intelligi, quod omnino, in ratione nuncii venit.* Quasi vellet dicere, quod tunc, cum magnus ille, Archangelus, ad Sanctissimam Virginem Mariam, Reginam cœli, terræque, legatione fungi debuerat, noluerit DEUS vocari Archangelum; sed legatum, vel nuncium, ne ulla excellentiæ suæ ratione, Sanctissimæ Virginis celsitudini, se comparare videretur. Quid dicam de ipsa oratione hujus Legati? quàm præclara, & magnifica, dum ipsi post apprecationem salutis, præsentat tot munera, & elenodia, nulli auro, aut margaritis comparanda? dum vocat plenam gratiâ & inter mulieres benedictam? Sed quid tandem sequitur? Postquam Archangelus Gabriel, verbis suis finem fecit, & jam expectat consensum, & responsum Virginis, illa respondit dicens. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* In quibus verbis, quis non videt, summam Virginis demissionem? Angelus compellat sponsam & matrem Dei, illa vocat se ancillam Domini. Hoc responsum Beatissimæ Virginis, in hac concione perpendemus, quod nobis ad majora, ejusdem præconia, nec non ad documenta nostra salutaria, viam demonstrabit.

B. Albertus Magn in Missus est.

I. Oratio quam habuit S. Gabriel Archangelus, ad Mariam Virginem, satis diserta, longaque fuit, è contra responsio Sanctissimæ Virginis, satis brevis. Sed tam multa in se continet mysteria, quæ eloquentissimum quemque oratorem, priùs defatigarent, quàm ea oratione sua eloqui posset. Nec enim in hoc responso suo, unicus terminus invenietur, qui non aliquid singulare significet. Inprimis duo illa verba, nempe *Ecce ancilla Domini* brevissima quidem sunt, sed plena mysteriis, in primo enim termino *Ecce*, velox Virginis obedientia in secundo autem *ancilla Domini*, profundissima ejusdem humilitas designatur. Quod concernit primam ejus virtutem, nempè obedientiam, hæc in Sacra Scriptura communiter per istum terminum *Ecce* exprimitur. Habemus enim Numer. 22. Quod dum ille Balaam ad Balaac Regem Moabitarum advenisset, ut malediceret populo Israelis, volens ille ostendere animi sui promptitudinem, sic eum allocutus erat. *Ecce adsum.* Similiter habemus in primo Regum de Samuele adhuc puero, quod dum in templo Domini ubi erat Arca DEI, quievisset, atque in somnis bis à Domino vocatus fuisset, putans se vocari à patre suo, taliter ipsum respondisse. *Ecce ego; quia vocasti me.* Demum Isaias Propheta, describens prophetiam de adventu filii DEI in mundum secundum carnem, in persona illius hæc verba protulit: *Ecce ego.* Quæ nihil aliud innuunt, quàm promptitudinem Domini, quâ in salutem hominum ferebatur, ut quantocyus illis subveniret, & sicut olim illa Abigail,

Num. 22. v. 38. *1. Reg. 3. v. 9.* *Isaiæ 6. v. 8.*

Abigail, visis Legatis David ad se missis, nec non ex eorundem verbis facta certior, quod electa sit in uxorem tanti Principis, iisdem re-
1. Reg. 25. v. 41. spondit dicens. *Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum DOMINI mei*: ita Beatissima Virgo, Angelo nuncianti sibi, in matrem DEI se electam esse, cum eximia animi promptitudine respondit dicens. *Ecce ancilla Domini.* Legimus Genesis 24. cap. Quod cum Eleazar, servus Sancti Abraam Patriarchæ, quæsiturus sponsam Isaac filio suo perre-
Gen. 24. v. 5. xisset in Mesopotamiam, atque occurrens Rebeccæ filiæ Bathuelis puellæ pervenustæ ab illa (uti pro signo habuit) pro se & camelis aquam accepisset, admiratus in virgine tantam animi promptitudinem, sentiensque se à Deo exauditum esse, in remunerationem voluntarii illius obsequii protulit in aures aureas, easque cum cæteris donariis, virgini
Theophyl. in Lucam. dono dedit. Theophylactus autor eruditus quærit, cur ille servus Sancti Abraam pro primo dono inaures illi virgini obtulerit? & respondet, per inaures significari obedientiam, juxta illud, *Audi filia & vide*: quia igitur ad petitionem servi illius aquam à virgine postulantis, Rebecca promptam se exhibuit, pro primo dono, inaures accipere meruit. Sicut Isaac Christum Dominum, ita Beatissimam Virginem Mariam, Rebecca virgo figurabat. Sicuti enim hæc armillis; ita Sanctissima Virgo obedientia gloriatur dicens. *Ecce ancilla Domini.*

S. Aug. de Nativ. B. V. M. II. Manifestum est; quod in castissimo Beatæ Virginis utero virtute Spiritus Sancti operante, potuerat verbum divinum caro fieri, etiam sine assensu Virginis, uti affirmant Sancti Doctores Ecclesiæ. Sed quia (uti docet S. Thomas Aquinas, celebrabatur quoddam matrimonium spirituale, nempe unio naturæ divinæ, cum natura humana, cujus tunc Beatissima Virgo, agebat vices; ideo conveniens erat, etiam ex parte Sanctissimæ Virginis talem consensum dari. Præter hanc rationem, aliæ quoque non minùs
S. Thom. 3. P. Q. 30. pulchræ dari possent, Guilelmus autor eruditus, pro fundamento rationis suæ, induGen. 2. v. 21. cit primò illam historiam Geneseos capite secundo adnotatam, in qua sacer textus ait. Quod cum videret Deus, non inveniri Adæ, adjutorium simile sibi, immisit soporem in Adam, qui cum abdormisset, tulit unam de costis ejus, quam ædificavit in mulierem. Hic ergo prænominatus autor quærit, quid rei est, quod ibi Deus volens ex costa Adami producere mulierem, hac de re nullam coram ipso mentionem fecerit, neque ullum consensum ab illo quæsiverit? hæc enim sunt autoris verba. *Immisit soporem in Adam, ut de corpore nescientis tolleret, unde illi mulierem formaret.* Quando autem in persona Beatissimæ Virginis Mariæ, naturam humanam, divinæ desponsare debebat, primùm præmisit ad eam unum ex Angelis, ut consensum ejus flagitaret, & tandem respondet in hunc modum. Quod sicut Deus, per gratiam suam, etiam efficacissimam, nullam personam rationalem ad suam amicitiam, sine voluntatis ejusdem, consensu pertrahit, ita quoque cum per hoc mysterium incarnationis verbi divini, ad singularem, & maximam cum Spiritu Sancto amicitiam, & conjunctionem, elevari debuerit, utpote futura ejusdem sponsa, ideo ad suavem DEI providentiam pertinebat, ut liberum Mariæ expectaret consensum: hoc enim ad futuræ Sanctissimæ Virginis excellentiam pertinebat, dicente eodem autore. *Ad futuræ matris excellentiam, non tantum ex ipsa carnem sumere, sed etiam ab ipsa vo-* Guilelm. apud Delrium. *lebat.*

Guilelm. super Cant.

III. Sanctus Ambrosius Doctor Sanctæ Ecclesiæ, inter materiam anima pollentem (quam hominem esse dicimus) & omnem aliam inanimatam, eam ponit differentiam, quod quilibet artifex, si quid fabricare velit, ex tali materia, quæ est inanimata, & insensibilis, uti aurum, argentum, metalla, linga, & alia, à talibus rebus, nullum requirit assensum; atqui Deus qualiter se habeat cum homine, verba Sancti Doctoris id elucidant dicentis. *Requirit ille assensum nostrum, quem* D. Ambr. super Luc. *etiam Angelus, ex virgine assecutus est, cum illa dixit; Ecce ancilla Domini.* Huc refertur, quod gravis autor Theodoretus ait. Hic enim comparare volens Beatissimam Virginem Mariam, cum Paradiso voluptatis, Gen. 2. v. 8. in creatione illius hoc advertit, quod quidem creator universi Deus, venustissimè ipsum exornaverit, dum eum vestivit floribus elegantissimis, & odorem suavem exhalantibus, dum in eo produxit, omne lignum, pulchrum visu, & ad vescendum

Sect. 1.

suave,

ſuave, lignum etiam vitæ in medio Paradiſi, lignumque ſcientiæ boni & mali, id unum nihilominus ibi defuiſſe videbatur, quod ille Paradiſus, non niſi juſſu Dei, germina, floresque, & fructus ediderit, at Beatiſſima Virgo, nullo præcepto adacta fuit, ſed ad excipiendum fructum ventris ſui, voluntariè ſeipſam obtulit. Prætactus ergo autor rationem hujus adducit dicens. *Quia hæc virgo, terra illa melior eſt, non enim pomorum protulit arborem, ſed virgam Ieſſe, fructum ſalutis hominibus adferentem.*

Theodor. Orat. ad Concil. Epheſin.

IV. Sed jam profundam humilitatem B. Virginis Mariæ contemplemur. Magna ſanè fuit illius humilitas, quod quantò magis Angelus Domini eam exaltabat, tantò magis ſe demittebat dicens, *Ecce ancilla Domini.* Non dicebat quidpiam in hunc modum. Ecce Regina Angelorum & Domina mundi. Ecce gratia plena. Ecce benedicta inter mulieres. Ecce futura mater Dei, quæ Luciferi caput conteret, quæ figuris terminum ponet, quæ antiquas legis umbras fugabit, quæ divina oracula implebit, & ultimam perfectionem univerſo orbi dabit, ſed è contra humillimè reſpondit. *Ecce ancilla Domini.* O inauditam & ſtupendam humilitatem: dum pater æternus, eam excellenti legatione honorat, cum cœleſtis Paranymphus eam ſalutat, cum Spiritus Sanctus, eam viſitat, cum verbum divinum ad eam appropinquat, ut ad dignitatem tam ſublimis matris eam aſſumeret, ipſa nihilominus humilem ancillam ſe profitetur, admiratur id S. Bernardus dicens. *Dei mater eligitur, & ancillam ſe nominat*; non magnum eſt, humilem eſſe in abjectione, magna verò prorſus & rara virtus, humilitas honorata. Notate verba S. Bernardi. *Rara virtus humilitas honorata.* Triplex quippe eſt humilitas. Prima coacta, quæ licet ex ſe non ſit meritoria, quando tamen libenter acceptatur, habet meritum apud Deum. Cujuſmodi fuit humilitas Joſeph, de quo David. *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus.* Alia eſt ſpontanea, quam conſideratio propriæ vilitatis parit, de qua Michæas. *Humiliatio tua in medio tui.* Atqui humilitas honorata, hæc jam eſt ſimilis arbori eleganti, & ſuaviſſimis fructibus plenæ, quibus quò plus oneratur, eò ſe magis demittit, & verſus terram inclinat. Talis fuit humilitas B. V. Mariæ, de qua Petrus Ravennas. *Quam vocavit Angelus Dominam, ipſa ſe recognoſcit & vocat ſe ancillam.*

S. Bern. Hom. 4. ſupra Miſſus.

Pſal. 104. v. 18.

Mich. 6. v. 14.

Raven de Laud. Virg.

V. Quantùm autem hæc Sanctæ Virginis humilitas Deo grata fuerit, id nobis declarabit figura, pariterque verba Lyæ dicentis, dum ſe fœcundam advertit & ait. *Vidit Dominus humilitatem meam, nunc amabit me vir meus.* Vidit ſanè Deus humilitatem Virginis Mariæ, adeoque ſibi complacuit in ea, ut variis metaphoris inſtar veri amantis, erga Marianam humilitatem, amorem ſuum indicaverit, inprimis enim ait illi Cant. 1. *Collum tuum ſicut monilia.* Ac ſi diceret, ut explicat Guilelmus ibidem, non erigitur, per ſuperbiam, ſed eſt pia humilitate flexile, ideo non eget aliis monilibus, quæ ipſum exornent, quia in ſe ipſo non minus pulchrum eſt, quam ipſa monilia. Accidit non ſemel, ut cum quis intuetur pulchram aliquam imaginem, dicat: tota ſanè mihi placet, ſed inter omnia flexio illa colli, & inclinatio capitis, ſupra modum mihi arridet. Non diſſimiliter Deus, intuens pulcherrimam imaginem hanc, quam fecerat, Beatiſſimam inquam virginem, licet tota illi placeret, juxta illud. *Tota pulchra es amica mea.* Illa tamen flexio colli, & inclinatio capitis, quando cum humilitate dixit, *Ecce ancilla Domini*; adeo ei placuit, ut uno crine colli illius captus eſſet, ad virginem dicens. *Vulneraſti cor meum in uno crine colli tui.* Per crinem intelligit Rupertus humilitatem dicens. *Quid crine gracilius? & quid humilitate ſubtilius! Crinis unus, vix comparet, humilitas vix conſentit quod computari poſſit inter homines.* Dum ergo ait Beatiſſima Virgo. *Ecce ancilla Domini*: crine colli ſui, ipſum vulneravit. De Holopherne dicitur Judith 16. c. Quod calceamenta Judith, cor ejus vulneraverint, ita enim ait textus. *Sandalia rapuerunt animam ejus.* Quam levibus armis devincitur fortis Dux Holophernes: ſed cum plura habuerit Beatiſſima Virgo, nempe crinem colli ſui, id eſt humilitatem, nec non calceamenta obedientiæ, non mirum eſt, quod cor ſponſi ſui tanto amoris vulnere vulneraverit, & in terram traxerit, ut verbum caro fieret. Haſce ergo binas Sanctiſſimæ Virginis Mariæ & Patronæ noſtræ virtutes, nobis commendatas habeamus, ut unionem filii Dei, per gratiam, & futurùm per gloriam aſſequi mereamur.

Gen. 29. v. 32.

Cant. 1. v. 9.

Gulielmus in Cant.

Cant. 4. v. 7.

Rupertus.

Judith 16. v. 11.

A M E N.

IN

IN FESTO VISITATIONIS
Beatissimæ Virginis Mariæ.

CONCIO I.

Exurgens Maria, abiit in montana cum festinatione.
Luc. 1. v. 39.

HOdie Auditores mei, Sancta mater Ecclesia summo cum gaudio celebrat solemnitatem Visitationis Beatissimæ Virginis Mariæ, quæ cum inter cætera puncta & articulos legationis illius, à Sanctissimæ Trinitatis aula ad se destinatæ, à commissario ejusdem simulque Paranympho suo Gabriele Archangelo, audivisset sibi dici pro exemplo & fide propositionis illius à se factæ; (*Concipies in utero, & paries filium, & vocabitur nomen ejus Iesus.*) *Luca 1. v. 31.* etiam Elizabeth cognatam suam sterilem, & insuper in senectute sua concepisse filium; jamque à conceptione illius sextum mensem agi: tunc Virgo Sanctissima, non quasi dubia, ut exploraret narrata Angeli, sed ut in tali passu cognatam suam inviseret, eamque omni humanitatis officio præveniret: uti S. Lucas ait; *Exurgens Maria, abiit in montana cum festinatione*; quotnam hic mysteria, quot divina arcana in hac visitatione sanctissima confluant, quis illa enarrare queat? Hodie Pulcherrima illa Rachel viso Jacob, festinans nunciavit patri suo. *Gen. 29. v. 15.* Hodie Jethro, Moysen generum suum visitat in deserto, cum audisset magnalia, quæ per eum operatus fuerat Dominus. *Exod. 18. v. 7.* Hodie Joachim summus Sacerdos de Jerusalem venit Bethaniam, & ut videret Judith insignem viduam, & de victoria ex Holopherne habita, congratularetur ei. *Iudit. 14. v. 15.* Et demum hodie ad Tobiam senioretem, recepto quod amiserat lumine, & reducto filio, consobrini se contulerunt, & divina beneficia læta aggratulatione decantarunt. *Tob. 11 v. 16.* Et tandem quæ hic à me obscure & sub figuris dicta sunt, ut vobis plana & aperta faciam, cogor ea loqui, quæ etiam Sanctus Gregorius Magnus admirans in hæc verba protulit. *Quod illa honestissima matrona plena fide & spiritu sancto conveniunt, & mutuis testimoniis datis, & acceptis ad invicem, declarant Messiam præsentem, illa tanta sunt, ut in tota æternitate celebrari satis, & exhauriri cogitatione, & sapientia omnium creaturarum nequeant.* *D. Greg. in 6. Part. Hom.* Quamobrem Auditores mei, cum Spiritus Sanctus dicat; *Altiora te ne quæsieris*: ponam me ad solam ripam hujus historiæ Evangelicæ, & ex illa, quædam vobis documenta proferam.

I. Auditores mei, habetisne aliquam notitiam ferculi illius pulcherrimi, quod fecerat Salomon Rex propter filias Jerusalem, per quas ego animas fideles intelligo? inter cæteta illius requisita illud noto; quod illud, purpuræ loco aut alicuius pretiosi taperis, media constraverit Charitate. *Cant. 3. v. 9.* In primo limine hujus Evangelii proponitur nobis pavimentum seu callis charitatis, per quem Sanctissima Virgo Maria ambulavit, dum. *Exurgens abiit in montana cum festinatione.* An non videris illum? Consulite expositionem hujus loci sacri textus, quam doctissimus unaque devotissimus autor Soto major adnotavit: inprimis ait illud ferculum, fuisse quandam Rhedam gestatoriam, quam Salomon fieri mandavit, quâ ipse & sponsa in die desponsationis suæ vehetentur. *Soto Major.* Subsistite quæso Paululum, & notate desponsationem verbi Dei cum humana carne, ab Archangelo nunciatam, numquid tunc, quando sacratissima Virgo protulit; *Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum*; non opus erat ferculo gestatorio, in quo sponsa novem mensibus gestavit magnum illum Salomonem humanæ salutis Reparatorem? sed quid amplius? debuit portari sponsus & sponsa in illo ferculo, per vicos & plateas Jerusalem: quid igitur? *Exurgens Maria, abiit in montana cum festinatione.* O sponsa materque illius sponsi, qui *plus quam Salomon hic!* Quis te adegit, ut exurgens abitës in montana festinans? Sane nihil aliud nisi ascensus purpureus, media charitate constratus, propter filias *Luc. 1. v. 38.*

Jerusalem. Quis ille ascensus? quis te ô sanctissima verbi sponsa pepulit in montana? Quæ novitas est ista ô Regina Angelorũ adeo rara, & à moribus tuis tam aliena, quod, post tot annorum clausurã in templo, quam etiam desponsata exactissimè servare consueveras, neq; in publicum prodibas & ab omnibus hominũ comerciis abhorrebas, jam tali, tantoque tempore duranti, viæ te accingas? Absq; dubio urgentes dedebant esse causę, quæ te ad faciendũ rem adeo insolitam impellebant. Sed scitisne quid castissima sponsa respondebit? *Ferculum fecit sibi Rex Salomon.* Quid inde? rursus ait: *Ascensum purpureũ, media charitate constravit propter filias Ierusalem.* O electissima sponsa! Quando id advertisti? Rursus respondet; tunc dum Angelus dixit. *Ave gratia plena, Dominus tecum.* Video hic ascensum purpureum media constratum charitate; video ferculum sponso mihique à Spiritu Sancto præparatum: video ascensum istum media charitate stratum esse propter filias Jerusalem. Cur igitur ad illas non properem? Abeo & festino ad visitandam Elizabeth cognatam meam, pergo in ferculo Salomonis sponsi mei, & ipse unà mecum vadit, quem opere Spir. S. concepi: vado propter filias Jerusalem, propter unam inquam Joannis animam è captivitate peccati liberandam: vado cum illo, qui illã in utero Elizabeth suæ matris sanctificans, in eodem Joannem præcursorem faciet exultare. Quod multis verbis protuli, summatim id ait Venerabilis Hugo Cardinalis, dicens: *Pietas trahebat eam, quando concepto Salvatore, abiit in montana cum festinatione; ut serviret Elizabeth in partu.* En Auditores mei, quam pulchrum habetis documentum ab hoc Salomonis ferculo ut proximis vestris in necessitate succurratis

Luc. 1. v. 28.

Hugo Card. super Eccles.

II. Sed quid tantâ festinatione opus fuit? ut ex Naxareth civitate Gallilææ, ubi Virgo Sanctissima, felicissimum nuncium è cœlis receperat, tam properè egrediatur, & ad montana illa Judææ cum tantâ festinatione se conferat? Quid miramur? Hodie benedicta Virgo, auspicatur munus suũ, & possessionem officii sui exorditur, quod nedum in hoc mundo nobiscũ degens, sed etiam in æterna beatitudine immortalis, & glorioſa erat administratura, videlicet impetu charitatis necessitatibus nostris unicum remedium futura: ideo enim Spiritus S. eam decursui aquarum vivẽtium comparavit. *Puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* Impulsa igitur Beata Virgo vi suæ charitatis aggreditur hoc heroicum amoris opus, & Salvatorem mundi in ferculo illo Salomonis unà secum deportans, præcursorem ejusdem à peccati vinculo solvit, ut nos exemplo suo doceat, quam acriter & festinanter opera virtutum exercere debeamus. Legimus in libro Genesis, S. Abraamum Patriarcham, curriſse in occursum trium virorum peregre euntiũ, eosq; rogasse quatenus declinarent in domum suam. Quid sibi vult tanta festinatio? nonne sufficiebat expectare donec venirent, ostium suum pulsarent, & stipem vel hospitium pro amore Dei peterent? Sed respondet S. Chrysostomus dicens: *Domo egrediebatur, pauperum venator sost. super effectus; nec ita lætatur venator prædam capiens, sicut ille inveniens pauperem.* Sicuti pater gentium docere voluit normam Deo serviendi, & omnes occasiones quærendi, quibus proximis nostris serviamus: idem Sanctissima mater nostra exemplo suo demonstravit.

Cant. 4. v. 15.

Gen. 18. v. 2.

S. Chrys. Epist. ad Roman.

III. Sortita est effectũ festinatio; quia Virgo Sanctissima, metam sibi præfixam feliciter attigit, & *intravit in domum Zacharia.* Sed quid hoc? *intravit in domum Zacharia & salutavit Elizabeth.* Cur non potius, vel cur non prius patronum domus? S. Augustinus ait. *Non dubitari potest, naturali ordine viros potius fœminis, quàm virus fœminas principari.* Si ita est, uti est; cur salutavit Elizabeth, & non potius Zachariam, in cujus domum intraverat? Quidam opinantur, Zachariam magnis negotiis occupatum, non fuisse primum B. Virgini obvium factum. Alii dicunt, Sanctam Virginem, ob verecundiã sexui tali innatam, prius salutasse fœminam quàm Virum, & cum ea colloquium iniisse. B. Albertus Magnus, eam dat rationem; nempe, Sanctam Mariam, non salutasse hospitem domus Zachariam, eò quod fuerit surdus, & mutus propter incredulitatem, ob quam ei Angelus prædixerat. Eò *quod non credidisti verbis meis, eris tacens, usque ad diem nativitatis ejus:* Pudorem autem virgineum non decebat gestibus, & nutibus cum viro occupari. Sed responsum Divi Chrysostomi toti rei finem facit, qui ait. *Ideo Christus fecit Mariam salutare Elizabeth, ut sermo procedens de utero matris, ubi habitabat Dominus, per aures Elizabeth ingressus, descenderet ad Ioannem; ut illum ungeret in Prophetam.*

S. Aug. l. 1. de Nupt.

Beuxamis super Luc. in Harm. D. Alber. Mag.

Luc. 1. v. 20.

S. Chrys. sup. Luc.

IV. Re ipsa id experta fuit Elizabeth. Postquam enim audivit salutationem Mariæ Virginis, exultavit infans in utero ejus, quam exultationem sacer Cistercienſium ordo pulchre describit, in Hymno de Beatissima Deipara, hisce rithmis composito.

Sacri junguntur uteri;
Milesque sui Domini
Præsentiam dum percipit,
Hunc exultando susipit.

Quàm autem ingens & inexperimẽdum illud Joannis gaudium fuerit, quo ante Dominum exultavit, hinc intelligi potest; qui enim sub ipso polo cœlesti, regionem illam terræ incolunt, per sex integros menses, ob solis absentiã, in continuis ac densissimis versantur tenebris, at illis transactis, cum primùm sol eluceſcit, micantibusq; suis radiis, totum eorum hemisphærium sua tamdiu optata ac desiderata luce colluſtrat & illuminat, omnes incredibili jubilo collætantur, solisq; adventum variis modis celebrant: atque hinc est, quod acutè quidam, ad describendam ingentem quandam lætitiã, solem, polarem regionem irradiantem depinxerunt, hanc ei inscriptionem apponentes; *Semestres tenebras pellit*: ad eundem modum, cum *Alciatus.* Joannes obscuris peccati originalis tenebris, per sex menses in utero matris, quasi sub polo degens, esset involutus, illisq; transactis, juxta *Luc. 1. v. 36.* verbum Angeli dicentis; *hic mensis est sextus illi*: Sol justitiæ Christus Dominus, hemisphærium animæ suę, lumine suo irradiasset, continuò ille exultare cœpit. *Exultavit infans in gaudio.* Si lætitiæ causam, ab eo sciscitaris, illam dabit: *Semestres tenebras pellit.* Per sex namq; menses in tenebris uteri Matris suæ jacuerat; jam verò adventu Christi depulsis, non potuit, nisi magnum gaudium concipere.

V. Hinc docemur, vera gaudia ad solos justos pertinere, terrena verò nihil esse; nõ enim rem, sed nomen tantum habent lætitiæ. Quando S. Angelus Raphaël, visitavit seniorem Tobiã, eique dixit illa verba; *Gaudium tibi sit semper*; quibus verbis non solum eum salutavit, sed etiã ad lætitiam maximam invitavit: tunc ille respondit: *Quale gaudiũ mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* Quasi diceret; nulla mihi deinceps jucũditas esse poterit, qui in tenebris prõ dolor dego, orbatus cœlesti lumine. Interpretes hujus loci explicantes ipsum ad literam, dicunt S. Tobiam locutum fuisse de cœcitate, & privatione visus, quam tunc patiebatur: quia si fuisset cœcus à nativitate, minorẽ doloris ansam habuisset; sed habitum antea visum amisisse, duplicata erat vis doloris. Sed moralis Lyrani explicatio, magis instituto meo deservit. *Hoc non dixit ex impatientia sua cœcitatis; sed contemnens gaudium præsentis vitæ, & sperans futura gaudium.* Videtur S. Tobias alluisse ad verba illa Davidica. *In lumine tuo videbimus lumen.* Rectè quidem. Quia extra Deũ nulla nec hic in terra nec cœlo clara dies conceditur, in qua homo mortalis verè lætari valeat; solis verò justis id conceditur. Unde exultavit Joannes in utero; Elizabeth mater sua, simili lætitia perfusa fuit; B. Virgo Canticum cecinit; *Magnificat anima mea Dominum:* Et nos rogemus eundem, ut per suam divinam gratiam, concedat nobis, ut post hunc vitæ cursum in cœlesti patria cum omnibus Electis DEI verè lætitia nunquam finienda exultari valeamus. Amen.

Tob. 5. v. 11.

ibi. v. 12.

Lyran. ib.

Ps. 35. v. 6

Luc. 1. v. 47.

IN FESTO VISITATIONIS
Beatissimæ Virginis Mariæ.
CONCIO II.

Exurgens Maria, abiit in montana cum festinatione. Luc. 1. v. 39.

AUditores præstantissimi, dum ego hodiernam solemnitatẽ Visitationis B. V. Mariæ & in ea tot tantaq; beneficia in domo Zachariæ Joañi à Christo collata mente recolo, venit mihi in memoriam celebertima illa Romanæ gentis consuetudo, quam Imperatores observabant, dum post partam victoriam in urbem illis ingrediendum erat: jubebant enim aureã quandam monetam magnæ & inæstimabilis quantitatis cudere: quæ ex una parte Cæsari vultum, & nomen, ex alia verò præcipua eorũ gesta monerę eidem insculpta continebat: hujusq; generis numismata non pauca, in die progressus illius, populo publicè effundebant. Ad eundem certè modũ Christus Dominus, supremus cœli, terræq; Imperator, recens mundum per humanæ carnis assumptionẽ in utero Virginis ingressus, cœpit aurea numismata, id est

S. Aug. Tract. de Imag. Guilel. de Ant. Rel.

divina charismata auro potiora, in Joannem, & Elizabeth, ac in totam ejus familiam effundere, quæ sanè instar illorum numismatum, Dei faciem sub humana carne latentem referebant, cum divinæ solum omnipotentiæ sit animas justificare, & Spiritu Sancto illas replere, prout à Christo Domino repleti fuere Joannes & Elizabeth, prout testatur Sanctus Lucas. Verum hujus insignis operis, & festinationis Marianæ circumstantia, magna, cum pietate celebranda venit: dum Christus Dominus liberare volens à jugo peccati Joannem præcursorem suum, in sanctificando ortum illius non expectavit, sed ineffabili suâ misericordiâ illum prævenies, ante Spiritus Sancti suavi aura perfrui quàm communis aëris spiramine potiri fecit, ex quo stupendo divinæ clementiæ opere, non possum, non ansam sumere manifestandi thesauros divinæ bonitatis suæ, & fontes suæ in humanum genus liberalitatis aperiendi: hi ergo ut vobis pateant in arca antiqui testamenti asservatos, & ad domum Obededon transportatos præsentabo.

Luc. 1. v. 36.

I. Narrat Sacra Scriptura, celebrem ac memoria dignum fuisse diem illum in quo Rex David arcam testamenti ad locum sibi præparatum deferri jussit, in qua erant legis tabulæ, virga Moysis, & manna cœleste: hæc ergo dum portaretur, comitabantur ipsam triginta millia peditum, totque ad ejus laudes cantores confluxerunt, ut in septem choros dividerentur. Rex David coram illa tripudians, religiosè saltavit in illo itinere, tandem cum eadem domum Obededon visitavit, quæ ob felicem in eam ingressum divinis muneribus abunde erat cumulata, mansitque eadem arca Domini per menses tres in eadem domo. Hæc arcæ translatio commodissime inservit nostro proposito, nempe his quæ in hodierna visitatione Divæ parentis contigerunt: si enim arca illa, incorruptibilibus lignis compacta erat, & Sancta Deipara virginitatis incorruptione donata, & cujus corpus, communem pulveris corruptionem nunquam agnovit. Arca illa tabulas legis portabat, prodigiosam illam Moysis virgam, & manna è cœlo delapsum; at Virgo Maria ferebat non legis tabulas, sed legislatorem ipsum, non portentosam Moysis virgam, sed potentissimum Dei brachium, per quod facta sunt omnia, non manna de cœlo delapsum, sed filium Dei, qui de regalibus sedibus venit.

2. Reg. 6. v. 14.

Confirmat id Sanctus Ambrosius dicens. *Arcam quid nisi Sanctam Mariam dixerimus?* & si aliqui curiosi mihi objecerint, quod non videatur in Arca hac verbum Dei, neque tabulæ legis, quæ tamen in alia continebantur: tunc respondet idem Sanctus Doctor dicens, quod si in arca testamenti, continebatur verbum Dei, etiam Beata Virgo habeat verum Dei verbum, scilicet verbum divinum, quod in ea fuit incarnatum, item illud verbum, quod gestando arctius præ cæteris in corde suo, tunc quando loquente filio suo Christo Domino conservabat hæc in corde suo, ideo etiam facta fuit præstantior omnibus his, quos Dominus collaudabat dicens *Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.* Et si in illa arca testamenti, asservabatur lex scripta & mortua, quod in hac mystica inveniatur aliquid lege nobilius: quidnam illud? Respondet S. Ambrosius. *Siquidem arca intrinsecus portabat testamenti tabulas, Maria ipsius testamenti gestabat haredem, illa intra semet legem, hac Evangelium retinebat, illa Dei vicem habebat, hac verbum.*

D. Amb. apud Mend. in 1. Reg. 4.

S. Ambr. uti supra.

II. Alia proportio sive similitudo Arcæ Veteris Testamenti, cum Beatissima Virgine Maria est hæc: nempè quod illa arca tecta fuerit laminis aureis, altera arca nempè virgo Deipara non immerito vocatur domus aurea, quæ enim puritate sua omne aurum superat. arca quoque aurea, facile dici poterit, de qua Sanctus Grègorius Thaumaturgus tale produxit præconium dicens. *Verè arca est sanctissima virgo, intrinsecus & extrinsecus deaurata, qua universum sanctificationis thesaurum suscepit.* Accedit & hoc ad præclarissimam commendationem S. Virginis, quod illa arca veteris legis, licet (id referente Lyrano ex Hebraica traditione) tam propter aureas laminas, quàm dū propter Cherubinos, ex utroq; latere ei adhærentes, gravissimi ponderis fuerit; sacerdotes tamen & Levitæ, quasi onus aliquod leve absque ullo gravamine, eam gestaverint, & sæpissimè de uno loco ad alterum transtulerint. Similis huic arcæ extiterat mater Dei: licet enim utero suo eum portaverit, qui omnia portat verbo virtutis suæ, nullum tamen prorsus gravamen senserit: quod observavit Divus Bernardus dicens. *Maria tota alacritate montana conscendit, ut Elisabeth ministraret, sed & ascendit Bethleem, imminente jam partu, magnum portans*

D. Greg. Thaum. in Ps. 131.

Lyran. super c. 15. Paralip.

S. Bern. ser. Sign. magn.

portans pretiosissimum illud depositum, portans onus leve, portans à quo portabatur. Sed quid mirum Beatissimam Virginem Mariam arca testamenti illius fuisse leviorem? Dicite mihi quidnam in terris sit gravissimum? forte ireris in sententias diversas, sed ego præscindo illas dicens, solo peccato nullum pondus esse gravius, nihilque in toto terrarum orbe fingi aut excogitari possit, quod magis hominem suo pondere premat quàm abominabile illud pondus peccati, illa est sarcina quæ non solùm hic, sed in omne ævum premit ac gravat.

Blosius Taulerus in Pass. D. Variant autores opiniones, ex qualinam fuerit arbore crux Salvatoris nostri Jesu: & licet plures sint qui dicant ex quercu fuisse factam, id mihi non est curæ, sed tantùm dico, crucem Dominicam, instar ferri alicujus fuisse valde ponderosam: unde inferre licet, quantopere defatigatum illud corpus Christi Domini, tot tantisque plagis, tam ingenti ponderis gravitate oppressum fuerit, maximè quod ut tradunt autores, ob ligni longitudinem opus fuerit, ut reptantem crucem portaret, & in singulis obviantibus saxis offenderet, sæpeque in terram decideret: undè etiam in illo humero supra quod portavit crucem, adeò molestum magnumque vulnus contraxerat, ut illud cætera superaret. Licet autem ea crucis sarcina tanti ponderis fuerit, aliam tamen portabat longè graviorem quæ ipsum summoperè deprimebat, nempè onus peccatorum nostrorũ. *Qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum.* Hinc peccatum in sacro textu communiter vocatur onus. *Onus Babylonis*, hoc est peccatum superbiæ. *Onus Damasci*, hoc est eorum, qui pauperum sanguinem sugunt. *Onus vallis*, id est, libidinosè luxuriantium. Cum ergo Beatissima Virgo Maria omni peccato caruerit, hinc non est mirum sub tanto auri nempe gratiarum cœlestium pondere fuisse leviss imam.

1. Reg. 5. v. 3. 4. III. De arca Veteris Testimenti quinque singularia recenset sacer textus. Primum, quod Idolum Dagonis penes se positum pati nolu erit, sed de altari dejecerit. Quid hic aliud præfiguravit, nisi benedictam illam & tot votis ac suspiriis desideratam arcam nempè Virginem Mariam, quæ Idolum peccati cujuscunque nec per momentum pati poterat? *1. Reg. 14. v. 18.* Aliud de arca veteri scribitur 1. Reg. 14. quod in dubiis rebus consilia dare solita fuerit, hinc cum Saul Rex Israelis Deum consulere vellet, dixerat. *Applica mihi arcam.* Item arca eadem, in periculis ferebat auxilium, nam in præliis elevabatur dicente Moyse. *Surge Domine; & dissipentur inimici tui.* Et tandem arca illa vetus hospitem suum Obededon multis affecit beneficiis. Mystica arca nempe Virgo Beatissima, nonne id totum implevit abundantius & perfectius? & quis tandem tristis recedere potuit, qui Beatissimæ Mariæ cõsiliis salutarib⁹ usus fuit, cui illa auxiliatrices manus denegavit? quem beneficiis, favoribus, gratiis, donisque cœlestibus non affecit? Ultimum adhuc de arca veteri dicitur, quod in rebus adversis & periculis pluribus refugio fuerit, nam inter cæteros cum Abjathar Sacerdos indignationem Regis Salomonis incurrisset, arca ipsum juvit, quod patet ex ore dicentis Regis. *Equidem vir mortis es, sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Domini.* O quoties nos offendimus Regem nostrum Christum, & tamen dimittit noxam. Cur putatis? propter arcam, nempe dilectam matrem suam, quæ pro nobis intercedit. *Num. 10. v. 35.* *3. Reg. v. 18.*

IV. Arca illa vetus magna eam populi caterva comitante portabatur cum canticis & ingenti Israelis lætitia, quantò nos plus hodie lætari decet, dum enim Beatissima Virgo festinanter pergeret in montana, putatisne fuisse solam? minimè verò; nam procedentem in itinere, tanquam lectulum Salomonis sexaginta fortes ambierunt ex fortissimis Israel, id est ingenti Angelorum comitatu cincta fuit. Et quid ni? si David ait; *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*: quantò magis credendum est mandatum accepisse, de custodienda matre sua? Si Tobiam juniorem abeuntem, & redeuntem, Angelus Raphael comitatus est diligenter, quantò æquius erat, Angelos Dei, matri suæ socios dare individuos? & si Regina Saba magno comitatu ingressa est Jerosolymam, quid de Regina cœli nos cogitare oportet? ac tãdem si Jacob olim iter agens, Angelorum cuneos illum comitantes intuitus est, ita ut clamaret, *Castra Dei sunt hæc*: quomodo Christus cujus imaginem ille ferèbat, Angelorum satellitio non circumvallatus, per montana Judææ pergeret, in Mariæ ferculo deportatus? *Cant. 3. v. 7.* *Psal. 90. v. 11.* *Tob.* *3. Reg. 10. v. 2.* *Gen. 32. v. 2.*

V. Jam verò, veteri illa arca progrediente Rex David indutus vilioribus vestibus, &

1. Reg. 5. v. 1. Regio splendore depositò coram ipsa saltavit: ecce coram mystica arca Virgine inquam Matia, Joannes intra matris claustra tripudiat dicente S. Luca, *Exultavit infans in utero meo.* Si rursus Arca postquam in domum Obededon introducta fuit, multis ipsum affecit beneficiis juxta illud. *Benedixit Dominus Obededon, & omnem domum ejus.* Ecce Maria, cognatæ domum ingrediente, tot illam muneribus locupletat, ut Joannes sanctificatus, Elizabeth Spiritu S. impleta, ac mutus Zacharias, ad pristinũ statum fuerit restitutus. An hic finis? Quærunt sacri textus iuterpretes quænam illa dona seu benedictiones fuerint, quibus Deus propter arcam domum Obededon cumulavit? Hugo Cardinalis ait. Fuisse bona temporalia, nempe multiplicatio fœtus jumentorum, item multiplicatio prolis, & substantiæ. Sed Lyranus ait, *Multiplicando eum bonis spiritualibus & temporalibus.* Dico ergo, si figura tantùm, tam abũde locupletavit domum sui hospitis, quantò plura contulit dona domui Zachariæ Arca Domini? illa tribus mensibus existens in domo Obededon, multa eidem per hoc tempus bona contulit: quid putatis arcam DOMINI domui Zachariæ per illudmet tempus contulisse? Liberalis manus DOMINI sit benedicta in æternum. AMEN. *Hugo Card.*

IN FESTO VISITATIONIS
Beatissimæ Virginis Mariæ.
CONCIO III.

Intravit in domum Zachariæ. Lucæ 1. v. 40.

EXploratum satis & compertum habemus Auditores mei, Sanctorum adventum in alienas domos fortunatũ eis, & salutarem crebro extitisse. Inprimis, venerunt olim tres Angeli ad Abraam, quibus ille hospitio exceptis, cum pro peregrinis haberentur, Patriarcha ille diuturni voti compos factus est, ut in extrema propemodum ætate, contra omnium expectationem, ex uxore sterili, & valde annosa, optatum filium ac hæredem acciperet. Venerunt rursus Angeli duo, & ad Loth Sodomis commorantem diverterunt, qui non solum hospitem suum, sed etiam filias suas è summo vitæ periculo liberarunt, ut è communi & horrenda vastatione patriæ, incolumes superessent. Venit Jacob ad Laban, suoque adventu singularem Dei benedictionem ei obtinuit, ut palam ipse fassus est dicens. *Experimento didici, quia benedixerit mihi DEVS propter te.* Venit Joseph in domum Putiphatis, Principis exercitus Pharaonis, ob cujus adventum, Deus tot illum bonis cumulavit, ut sacer textus dicat, *Benedixit Dominus domui Ægyptii, propter Ioseph.* Venit Elisæus ad Sareptanam hospitam suam viduam, & omnia vasa vacua implevit oleo, quod debita sua solvit, & ex reliquo, filios una cum familiâ suâ sustentavit. Idem etiam Propheta ingrediens domum Sunamitidis, filium ejus mortuum ad vitam revocavit. Eodem modo in nova lege ad quamcunque domum venerunt Apostoli, pacem illis elargiebantur, quin etiam, per suam præsentiam iisdem ad quos diverte-bant, præsentabant beneficia, infirmos curando, quin & mortuos suscitando. Cum ergo ad ingressum servorum Dei, domus illorum ad quos diverrebant, tot gratias, beneficia, donaque capiebant, quid mirum quod etiam domus Zachariæ intrante in ipsam Sanctissima Virgine Maria, tot beneficiis, donisque magnificis cumulata fuerit? Sed quibus? id aliquot argumentis & exemplis, potissimum ex Moyse desumptis demonstrabo.

Gen. 18. v. 10. Gen. 30. v. 27. Gen. 39. v. 5. 4. Reg. 4. v. 13.

I. Inter pleraque dona & gratias à Christo Jesu nec non sanctissima matre sua Joanni, totique suæ domui datas prima sit maxima humanitas nempe hæc, quia Beatissima Virgo cum Christo Jesu, quem portabat in casto suo utero, *Intravit in domum Zacharia.* Quantò se hic liberalius & humanius gesserit cum Joanne, quam Elisæus cum Principe Naaman Syro? Hic enim Propheta, non est egressus ad Principem, sed misit illi nuntium, qui indicaret medicinam, quam adhibere deberet: unde Princeps ipse iratus dixit. *Putabam, quod egrederetur ad me.* Christus autem Dominus, *v.* 40.

cum

cum Maria egressus est ex Nazareth ad Joannem, Princeps ad servum, Messias ad præcursorem, filius Dei ad filium Zachariæ, creator tandem ad creaturam. Sed contegamus hoc beneficium, amore Christi; iste est unicus stimulus, qui Matiam cum Christo filio suo ad eundem incitavit, & meritò, hinc enim agnoscimus, omne principium justificationis nostræ, esse & initium habere à Christo Domino, non à nobis, uti expressis verbis Concilium Arausicanum definirit dicens: *Salubriter profitemur, & credimus quod in omni opere bono, nos non incipimus, & postea, per Dei misericordiam adjuvamur, sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem sui prius inspirat.* Etenim cum omnis peccator, cum Davide clamare possit. *Erravi sicut ovis quæ periit.* Certè sicut pastore errantem ovem non quærente, facile illa in luporum fauces venit; ita Christo non quærente peccatorem, facile ab immani illo lupo sævissimoque leone devoratur, Petro dicente. *Circuit quærens quem devoret.* Id ipsum etiam ostendit metaphora illa pulsationis, qua Deus utitur, uti ait S. Joannes in Apocalypsi in persona Christi, *Sto ad ostium & pulso:* qua apertè docemur, ipsum prius per gratiam excitantem, cor hominis pulsare, deinde efficaci ejusdem gratia adjuvante, nos illi ostium aperire. Qualiter autem Joannes excitatus fuerit, & qualiter voci pulsantis responderit, eique aperuerit, figura Moysis Patriarchæ quam promiseram, nobis demonstrabit. De hoc legimus Exodi 3. capite, quod cum pasceret oves in deserto, eum nihil cogitantem, vocaverit Dominus de medio rubo, moxque ipsum elegerit, ut esset Dux Israelis & educeret eum de Ægypto. Eodem modo & Dei filius, cum esset in utero Beatissimæ matris suæ, quæ (uti testantur Sancti Patres, nosque docet Ecclesia) per illum rubum mirabiliter est significata, vocavit Joannem, & elegit in servum & ducem populi sui, quem educere veniebat de servitute peccati & mortis, ut induceret in terram promissionis æternæ. Unde per Isaiam, nomine Sancti Joannis dicitur. *Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ, recordatus est nominis mei:* ac si diceret. Dominus ipse cum esset in utero matris suæ, in rubo illo virgineo, & inaccessio ab illo me vocavit per gratiam suam, & sanctificavit, nomen indidit, ac præcursorem instituit, qui pararet ei viam, ad salutem totius humani generis.

Concilium Arausic. 2. Canon. 25

1. Pet. 5. v. 8.

Apoc. 5. v. 6.

Exod. 3. v. 4.

Isaiæ 49. v. 1.

II. Videamus tamen quanto ampliori gloria præ Moyse, (etiam cum grandis esset factus) iste puer magnus futurus coram Domino, dignus sit habitus. Nam primò Moyses, missus est ad populum Israel, ut educeret eum de servitute Ægypti: in illa visitatione Domini, quam prædixit Sanctus Joseph. *Post mortem meam DEVS visitabit vos, & ascendere faciet de terra ista.* Visitatio hæc quasi terrena fuit, per quam Deus eduxit populum suum, in manu Moysi de terra Ægypti, ad terram, quam illis promiserat lacte & melle manantem. At Joannes, *fuit homo missus à DEO, ut testimonium perhiberet*, ut inquam daret & Christo Domino testimonium, qui visitatione sua spirituali ac cœlesti, educere veniebat populum suum de servitute Dæmonis, de tenebris peccati, & inducere in patriam promissionis & claritatis æternæ. Hinc Zacharias plenus Spiritu Sancto cœpit cantare hanc visitationem, & redemptionem, quæ per Christum venire incipiebat inquiens. *Benedictus Dominus DEVS Israel quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ.* Hujusmodi autem visitationis divinæ, Joannes admirabilis præco & vox, fuit ab ipso utero, ipse cœpit aperire viam ante faciem DOMINI, & parare Domino plebem perfectam, quam ipse Dominus, suo adventu visitavit, redemitque de servitute peccati & mortis. Deinde hæc alia prærogativa Joannis præ Moyse excellentior, quia Moyses, dum è rubo à Domino vocaretur, jussus est calceamenta solvere, dicente Domino, *Solve calceamenta de pedibus tuis*: at Joanni (sicuti D. Chrysostomus meditatur) non solum sua calceamenta solvere non præcepit, sed potius sua ipsi spiritualia calceamenta dedit, quibus ipse indignum se fatebatur, cum diceret. *Cujus non sum dignus calceamenta portare*: Calceamentum hoc quod Joanni præconi suo, ac cæteris Evangelii sui prædicatoribus Christus dare solet, virtus divina est ad calcandas inimicorum persecutiones, atque ipsa Dæmonia, si necesse sit pro justitia, & Evangelio; uti ait D. Paulus. *Calceati pedes in præparationem Evangelii pacis.*

Luc. 1. v. 68.

Exod. 3. v. 3.

Chrys. Hom. 3. Op. Imp.

Matth. 3. v. 11.

D. Paul. ad Eph. 6. v. 15.

Prom

Promptos ac paratos eos esse volens (ut Cyrillus ait) ad discendum à mundo, ut promptè eant, quocunque lex divina & voluntas eos vocaverit. Joannes mirabile calceamentum habuit, omni labore, atque adversitate multo fortius, dum Christo Domino testimonium reddebat, dum justitiam & veritatem prædicabat, nullius formidans potentiam, seu minas, de quo possemus recte dicere cum Moyse. *Ferrum & æs calceamentum ejus.* *Deut.* 33. *v.* 25.

III. Moyses missus à Domino, ut staret coram Rege Ægypti Pharaone, populumque Israelis educeret de illius servitute, id fecit in multis signis, prodigiis, ac portentis: nam cynipes, ranas, muscasque gravissimas excitavit, aquas convertit in sanguinem, densissimis tenebris & caligine involvit aërem, cæteraque virtute divina patravit in Ægypto, quibus non solum Regem, sed etiam omnes Ægyptios perterruit, totamque ipsorum terram, maximis plagis percussit. At Joannes Baptista se ipso solo, absque signis & prodigiis suum munus præcursoris mirabiliter implevit: ait enim Sanctus Joannes Evangelista de seipso, *Joannes Baptista signum fecit nullum*, nec aquas convertit in sanguinem, atque virgam in serpentem, nec mortuos suscitavit, aut id genus signa fecit, & tamen tantæ fuit virtutis & potentiæ, ut neminem ipse, verba autem ipsius omnes expavescerent. Dum dixerat Herodi: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui Philippi:* hæc vox Prophetæ magis quam aliqua plaga Moysis, cor ejus percussit, ita ut sanctum virum sustinere non potuerit. Sed quid mirum? Cum tota vita Sancti Joannis, miraculum quoddam fuerit, ac portentum, non opus habuit signis aliis ad sui commendationem, & virtutis suæ testimonium: utque alii verbis suis crederent poterat, dicere illud Davidicum. *Tanquam prodigium factus sum multis*: & id ipsum, quod Deus apud Ezechielem dixerat, *Portentum dedi te domui Israel*; poterat dici de Joanne. Ipse enim Joannes toti mundo portentum fuit, ejus vita & mores, multo majora miracula fuere, quam Moysis mirabilia quæ fecit in Ægypto. *Ioan.* 18. *v.* 41. *Ioan.* 6. *v.* 16. *Psal.* 70. *v.* 6. *Ezech.* 12. *v.* 11.

IV. Vultis adhuc hoc ipsum cognoscere? Cum Moyses fecisset quædam signa, quæ Magi Pharaonis imitari non potuerunt, sed stupefacti & admirantes, crediderunt ibi esse divinam, & supra humanam virtutem, sicuti ait scriptura dixerunt. *Digitus DEI est hic.* Divus Augustinus docet nomine digiti, in sacra scriptura significari, non solum Spiritum Sanctum, sed etiam quemlibet virum spiritualem, qui Spiritu Sancto plenus est ad docendam fidem, & miraculis confirmandam: atque ideo Magos illos nomine digiti Dei intellexisse ipsum Moysen. *Digitus Dei est hic:* ac si dicerent, vir est plenus Spiritu Sancto, & virtute divina, ideo operatur hæc signa tam mirabilia. Sed quid habet mirabile digitus Moysis, si comparetur cum digito Sancti Joannis Baptistæ? cum illo inquam digito, quem extendit ad homines, & quo toti mundo jam præsentem ostendit Dei filium, humani generis Redemptorem, dicens. *Ecce Agnus DEI, ecce qui tollit peccata mundi.* Hinc est digitus, qui signum fecit omnium miraculorum maximum, quo indicavit & figuravit hominibus Christum Dominum, verum Messiam, mundique Salvatorem. Scribitur quidem de B. Thoma Apostolo, quod digito Christum tetigerit, & agnoverit Dei filium dum ei diceret. *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas.* Sed fuerat prius incredulus, & à Domino in fide edoctus: at digitus Joannis cæteris indicavit Christum, & ad fidem ipsius eos convertit, traxitque. *Exod.* 8. *v.* 19. *D. Aug. in Ps.* 8. *Ioan.* 1. *v.* 29. *Ioan.* 20. *v.* 27.

V. Quid amplius auditores? Jactabat se quondam Roboam successor in regno Salomonis Patris sui, nempe suum digitum humero illius esse fortiorem, at deceptus fuerat, quia, totus populus Israelis, dum postulationi ejus annuere noluisset, ab illo recesserat. Verius ego dixero de Joanne Baptista, nempe fortiorem digitum ipsius fuisse humero Moysis, dum enim ei diceret Dominus, quatenus portaret Israelem in terram promissionis. *Porta eos in sinu tuo*: ille quidem si Dominus permisisset portare poterat illum populum ad illam terram promissam: at digitus Joannis apportavit mundo scientiam Salvatoris, quam nec Moyses portare potuit, neque Patriarcharum, aut Prophetarum quispiam. Potuerat ergo & Sanctus Joannes dicere illud Roboam. *Digitus meus, grossior est dorso Patris mei:* cum enim mater Joannis fuerit Elisabeth de filiabus Aaron & stirpe Moysi, tunc & ille dicere poterat, grossior est digitus meus fortiorque dorso Moysis Patris mei, quamvis enim *3. Reg.* 12. *v.* 16. *Num.* 13. *v.* 19.

ille

ille portaverit onus totius Israelis, illumque de servitute Ægypti eduxerit, non potuit tamen incarnatum Dei filium, portare in humero suo eumque mundo ostendere; hoc autem potuit digitus Joannis demonstrare. Cæterum non solum Joannes sed & mater illius Elisabeth, ex eadem visitatione Beatissimæ Virginis, facta fuit particeps multarum gratiarum & donorum cœlestium, tunc enim, dum audivit sibi dici à Virgine Maria. *Beata quæ credidisti*; (ut docet D. Gregorius) accepit spiritum Prophetiæ, sicuti & Zacharias, qui antea mutus erat, loquelam; idque per preces Mariæ Virginis præstante suo infante filio, cui laus est in sæcula sæculorum. AMEN. *D. Greg. in Ezechiel.*

IN FESTO VISITATIONIS B. V. MARIÆ, CONCIO IV.

Ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus. Lucæ I. v. 41.

NArrant Astrologi, quod dum in die natalis alicujus, hæc duo pariter concurrunt, nempè benevolus planeta, & favorabilis domus in quam ingreditur, magnæ alicujus futuræ felicitatis præsagium esse censetur. Cum hodiernâ die Planeta regnans sit *Sol justitiæ* & domus favorabilis quam inhabitabat *Maria*, in cujus castissimo utero hospitabatur, non poterat id aliud prænunciare, & præsagire, nisi eventus felicissimos, quorum primus erat, maculæ peccati originalis, Joannis animam deturpantis, media gratia illum sanctificante, expiatio & emundatio. Quemadmodum enim uti legimus in libris Regum, David cytharam suam sonans, spiritum malignum à Saule expellebat, ita verus David Christus, Marianæ salutationis cythara sonante, ad sonum illius, peccatum à Joanne longe relegavit. Et sicuti columba quam ex Arca emiserat Noë, revertens ad ipsam ramum olivæ virentis in ore deferens symbolum fuit pacis, juxta illud Virgilii,

Pacificaque manu ramum prætendit olivæ.

non secus Beatissima Virgo, velut purissima columba, in domum Zachariæ veniens, ac ore suo mysticum illum olivæ ramum *Pax tecum*, in ore gestans, signum fuit Elisabethæ minime ignotum, peccatum originale Joannis animam inundans jam cessasse. Unde ad significandum id, Evangelista dixit, Ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus. Quia vero hæc quæ facta sunt in visitatione Elisabeth cum Joanne, nec non in tota domo Zachariæ, concernunt non solum Beatissimam Virginem Mariam, sed etiam Christum Dominum in utero suo latitantem: ex parte amborum, hujus visitationis felicissimæ causas aliquot proponam.

I. Consideranti mihi progressum Sanctæ Virginis Mariæ ad visitandam Elisabeth, ut media ejus salutatione, sol justitiæ Christus Dominus peccati originalis tenebras, à Joanne ejus filio depelleret, occurrunt verba illa Canticorum. *Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens.* Merito in hac visitatione Deipara Maria, auroræ comparatur, quia sicut aurora, quasi vehiculum est solis, & illum in nostrum hemisphærium inducit, ut ab eo tenebrarum caliginem depellat, ita illa tanquam mystica aurora, solem justitiæ, cœlesti sui uteri orbe deferens, in Zachariæ domum illum induxit, ut peccati originalis tenebras Joannem occupantes penitus exterminaret. Solem dixit Ecclesiasticus exurere montes, & radiis eos exsufflare. *Sol exurens montes, radios igneos exsufflans*; quod propterea dictum arbitror, quia cum primum sol suis lucidissimis radiis mundum illustrat, nihil prius, quàm altissimorum montium cacumina illuminat: Non secus sol justitiæ, statim atque Mariana viscera subintravit, continuò verticem altissimi illius montis, hoc est animam Joannis Baptistæ, fulgentissimis suæ gratiæ radiis illuminare cœpit, adeò quidem, ut emortuam lucernam sub modio uteri materni latitantem, accenderit. Unde de

I. Reg. 16. v. 16. *Gen. 8. v. 11.* *Virg. Æneid.* *Cant. 6. v. 9.* *Eccles. 43. v. 3.*

ipso ait S. Joannes Apostolus. *Ille erat lucerna ardens & lucens.* Contemplor etiam hic Sanctum Joannem, velut cœlestem arcum de quo apud Ecclesiasticum. *Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum, valde speciosus est in splendore suo,* Cœlestis arcus est Joannes, speciosus valde in decore suo, non ex se, quia nihil aliud est, nisi nubes obscura, omnique decore carens, sed à sole illum multorum colorum varietate illustrante, decoratur. Ita Joannes intra viscera matris latens, velut nubes erat, gratiæ luce carens; at sol justitiæ, Christus, in sacra visitatione Mariæ Virginis, pulsis peccati tenebris, gratiæ suæ splendore illuminavit, variisque virtutum coloribus exornavit. Cujus beneficii à Christo Domino collati si causam quæras? Sanctus David Rex jam antea illam spiritu Prophetico dedit dicens: *Dominus salvos faciendi, & Domini Domini exitus mortis,* ac si dicat, sicut proprium est solis, lucere radiisque suis tenebras depellere, ita quoque officium Christi incarnati fuit, ut homines salvos faciat, undè cum sitientissimus esset salutis humanæ, ad domum Zachariæ properavit, ut à Joanne munus illud exercere inciperet, atque hinc est, quod quemadmodum Rex Asuerus, majori prosecutus est amore civitatem Susan, quàm reliquas imperio suo subactas, quia initium fuit Regni quod possidebat: & quemadmodum David ardentissimè amabat civitatem Sion, per Antonomasiam & excellentiam vocans eam *urbem suam*, eo quod illa fuerit quam ille inter omnes primùm expugnaverat: & demum quemadmodum S. Jacob Patriarcha, etiamsi magnam haberet suæ domus substantiam, multo auro, duodecim filiis, nec non tot nepotibus exornatam, nihilominus pluris æstimabat spolia ab Amorrhæo capta, unde filio suo Joseph jam moribundus, ea pro maximo amoris pignore obtulerat dicens. *Do tibi unam partem extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi*, eamque inquam ideo magni æstimabat, quia ipsam viriliter in arcu inquam & gladio ceperat, eamque sibi pro spolio primo subjugaverat: ad eundem modum, quia Joannes fuit prima civitas, prima arx, primum spolium, prima inquam civitas quam Dominus expugnavit & in qua primitus omnipotentiam suam ostentaverat, primum fuit spolium quod tulerat de manu Amorrhæi infernalis, hinc inquam Sanctum Joannem Baptistam, qui fuit ea prima civitas, arx, spolium, ardentissimo amore prosecutus fuit, unde etiam tot infinitis cœlestibus charismatibus eum cumulavit juxta illud. *Replebitur Spiritu Sancto adhuc ex utero matris suæ*, quod non obscurè indicant illa verba Ecclesiastici. *Rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum.* Cum enim unigenitus Dei filius videret arentes animarum humanarum plantulas rore cœlesti indigere, tanquam fluvius quidam illapsus in castrum Virginis uterum, accessit primum ad illam plantulam quam Elisabeth in sterili terra plantaverat, eamque cœlestium donorum largissimo rore irrigavit, & hæc prima visitationis causa existit.

Ioan. 53. v. 19.
Eccles. 43. v. 12.
Psalm. 67. v. 21.
Ester. 1. v. 2.
2. Reg. 5. v. 25.
Gen. 49. v. 29. 30.
Luc. 1. v. 41.
Eccles. 24. v. 42.

II. Secundam ex parte Christi arbitror esse, magnam similitudinem, quam inter ipsum, & Joannem futuram fore præcognovit. Est enim satis tritum illud proverbium. *Similis simile quærit*, & experientia ipsa rerum omnium magistra non minùs comprobatum: ut enim ajunt Historiographi, quid Achillis animum compulit ad quærendum Hectorem? quid Prothogenem movit, ut Apellem videndi desiderio arderet? quid Platoni, Pythagoræ, & Appolonio efficaciter suasit longissima itinera conficere, ad consulendum Architam & Hiarcham celebres Philosophos? nihil aliud certè quàm mira sympathia & similitudo Achillis & Hectoris in armis, Prothogenis & Apellis in pingendi peritia, Platonis & Architæ in Philosophiæ arcanis percallendis: futura igitur similitudo & sympathia, inter Joannem & Christum ab illo præcognita, causa extitit, ob quam Dominus Joannem quæreret & invisere.

D. Hieron. Ep ad Paul.

III. Sed in quonam hæc similitudo? in primis utriusque adventus, Prophetarum vaticinio prædictus fuit. Christi Domini ab Isaia dicente. *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis.* Joannis verò à Malachia. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Si de Christo Joannes Evangelista ait. *Misit Deus filium suum*, idem etiam ait de Baptista. *Fuit homo missus à Deo.* Si Gabriel Angelus Christi nativitatem nunciavit, idem certè de nativitate Joannis Zachariam præmonuit uti testatur D. Lucas Evangelista. Si Christus verbum est, exprimens æternum patrem suum, juxta illud. *Ego & pater unum sumus*: Joannes vox est expressiva Christi illumque manifestans *Ecce agnus Dei.* Si de Christo Isaias dixit. *Requiescet super eum spiritus Domini*, de Joanne

Isaia 9. v. 6.
Malach. 3. v. 1.
Ioan. 1. v. 6.
Luc. 1. v. 13. 14.
Isaia 1. v. 2.

S. Lu-

S. Lucas ait. *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ.* Si Christus natura mirante ex virgine concipitur: *Ecce virgo concipiet.* Joannes etiam ex matre sterili miraculosè gignitur *Hic mensis sextus illi quæ vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Si Angelum in Christi nativitate dicentem audimus. *Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis Salvator.* Etiam de Joanne dixit. *Multi in nativitate ejus gaudebunt.* Si nomen Jesus cœlitus fuit Christo impositum: *Vocatum est nomen ejus Iesus.* Zacharias quoque pater Sancti Joannis, ex divina revelatione cum mutus esset, loqui cœpit dicens: *Ioannes est nomen ejus.* Si Christus Dominus splendidæ lampadi comparatur & ardenti: *Salvator ejus ut lampas accendatur.* Joannes ardenti lucernæ confertur. *Ipse erat lucerna ardens & lucens.* Si Christus peccatorum pœnitentiam prædicabat, illamque animis hominum altis radicibus partim blandis verbis, partim minis infigebat, dicens. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Id ipsum Joannes prædicabat & clamabat dicens. *Pœnitentiam agite.* Sanè sicuti Christo Domino nihil magis cordi erat, quàm salus hominum, ita Joannes id solum satagebat, ut illos ad pœnitentiam reduceret, per quam salutis ejusdem participes esse possent, undè sicuti Christus Dominus habuit suos discipulos quos inprimis, & cæteros per eosdem viam salutis doceret: sic & Joannes Baptista habuit suos discipulos, quibus idem inculcabat & prædicabat.

Isaiæ 7. v. 14.

Lucæ 2. v. 10.

Lucæ 1. v. 14.

Isaiæ 62. v. 2.

Matth. 3. v. 2.

IV. Ac tandem adeo Joannes Baptista Christo erat similis ut multi dubitarent, an ipse esset verus Christus, unde licet Joannes ab hac opinione eos abstrahere volens miserint ad Christum suos discipulos cum hac legatione. *Tu es qui venturus es an alium expectamus?* quatenus ipsi verum Messiam agnoscentes aliis etiam de illo prædicarent, nihilominus id efficere non poterat: ait enim Sanctus Evangelista Joannes misisse Judæos ab Jerosolymis Sacerdotes & Levitas ad Joannem ut interrogarent eum. *Tu qui es?* Unde S. Gregorius laudans hinc Sanctum Baptistam ait. *Cum tanta virtutis esset, ut Christus credi potuisset, elegit solidè subsistere in se, ne humana opinione raperetur inaniter super se* Idem patet ex illa interrogatione Domini facta ad discipulos suos. *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Ubi nonnulli putabant esse Joannem Baptistam dicentes: *Alii Ioannem Baptistam,* & ut uno verbo dicam, eò processit hæc mira, inter Christum, & Joannem similitudo, ut ne mundus deciperetur, oportuerit Joannem Evangelistam expressam differentiam ponere inter ambos, nam de Joanne ait. *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.* Hic Baptistam & præcursorem descripsit, & distinxit ab increata luce verbi incarnati, de quo immediate subjunxit. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Hæc igitur futura similitudo à Christo prænognita alia quoque causa fuit, ut Joannem visitaret.

Matth. 3. v. 11.

Ioan. 1. v. 9.

S. Gregor. Hom. 7 in Evang.

Ioan. 1. v. 9.

V. At Virgo Beatissima Maria idem faciendi qualemnam habuisse causam putabimus? Primam dat Eusebius Emissenus dicens *Maria ad Elisabeth, Christus ad Ioannem, Domina ad ancillam, ad servum Dominus venire non dedignantur.* Ecce Mariam per similem Jesu, sicut enim ille non ministrari sibi, sed ministrare aliis se venisse asseruit, unde pedes discipulorum humiliter lavit: ita virgo licet Dei mater esset, non ministrari à cognata sed illi ministrare satagebat. Hanc Sanctissimæ Mariæ pietatem prævidens Salomon dixit. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii* Ascendit Beata Virgo per desertum, cum ad visitandam cognatam *abiit in montana* habuit se ut virgula flexibilis ad pietatem, quam circa Elisabeth exercere ardenter desiderabat, incedebat plena aromatibus myrrhæ & thuris, hoc est mortificatione ob itineris difficultatem. Verum ducebat vel potius impellebat eam hæc pietas, non solùm ad congratulationem, & salutationem cognatæ suæ, sed etiam, ut prægnanti inserviret. Unde ait D. Ambrosius *Discite & vos Sanctæ mulieres sedulitatem quam prægnantibus debeatis exhibere.* Discamus omnes amorem Christi suæque matris dilectissimæ ut proximis nostris in omnibus miseriis ac calamitatibus auxiliatrices manus præbeamus, illis omnibus in necessitatibus succurramus, tum nobis iterum Deus suam divinam gratiam, amorem non denegabit, sed largissime communicabit, cui sit honor & gloria,

Euſebius Emiſ. Hom. de Viſit. M.

Cant. 3. v. 6.

Lucæ 1. v. 41.

D. Ambr. in Luc.

A M E N.

IN FESTO PURIFICATIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ.

CONCIO I.

Postquam impleti sunt dies Purgationis ejus. Lucæ 2. v. 22.

LEgimus Exodi cap. 40. Quod postquam finivit Moyses Tabernaculum testimonii, juxta exemplar, quod illi à Deo in monte fuerat demonstratum, mox illud Dominus ingenti gloria honoravit. Sic enim ait sacer textus: *Operuit nubes tabernaculum testimonii & gloria Domini implevit illud.* Per hoc Tabernaculum, Beatissimam Virginem Mariam, & Matrem Jesu Christi intelligi, testatur Sanctus Hieronymus, illud inquam Tabernaculum, de quo Psalmista ait: *Sanctificavit Tabernaculum suum Altissimus:* illud Tabernaculum, cujus exemplar in monte cœlesti formatum erat ab æterno. Unde Sanctus Doctor supra nominatus, ita ait: *Super tabernaculum testimonii, visa est gloria Dei, quæ gloria illuminans suo fulgore mundum, templum sibi de virginali utero fabricata est.* Cum ergo Sanctissima Virgo Maria Dei templum sit, & Spiritus Sanctus thronus aureus, Quid est, quod hodie assumpto secum Jesu Christo ad templum purganda se contulerit; juxta illud, quod scribit Sanctus Lucas: *Postquam impleti sunt dies purgationis ejus?* Mysteria hujus solennitatis quæ promam, responsi loco erunt.

Exodi 40. v. 32.

Ps. 45. v. 5.

S. Hieron. l. 1. in Ep. ad Eph. T. 8.

I. Nulla purificatione opus habuisse Matrem Christi Jesu castissimam, Sanctus Bernardus aliquot argumentis probat. Primo, quia per legem veterem illis tantum fœminis purificatio erat necessaria, quæ susceptо semine pariebant filium; juxta illud Levitici 12. *Mulier si susceptо semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, & die octavo circumcidetur infantulus: ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ.* Videtur hic alicui Sanctus Moyses odiosè hæc verba protulisse: *Mulier si susceptо semine pepererit masculum*: siquidem generationis humanæ iste est modus ordinarius. Sed præfatus Sanctus Abbas, pulchrè respondet dicens. *Dixit Moyses: mulier si susceptо semine; ne super matrem Domini blasphemiæ crimen incurreret.* Hinc ergo patet, quod lex ista matrem Domini non includit, quæ non susceptо semine, sed de Spiritu Sancto concepit filium & peperit. Sicut prædictum erat per Isaiam Prophetam dicentem: *Novum fecit Dominus super terram.* Quid novum? *Mulier circumdabit virum.* Quæ verba idem Sanctus taliter intelligit: *Non ab altero viro Virum suscipiet, non humana lege concipiet hominem; sed intra viscera intacta, & integra virum claudet.* Quod si ex parte sui, quæ omnis impuritatis prægnantium & parientium expers fuit (erat enim arca de lignis incorruptibilibus fabricata, auro purissimo charitatis intus & foris circumvestita) nulla purificatione indiguit; multo minus ex parte filii quem genuit: cum proles ista fons puritatis sit, & purgationem venerit facere delictorum: Taliter ergo Sanctus Bernardus respondet, dicens: *Verè ô beata Virgo, verè non habes causam, nec tibi opus est purificatione: sed nunquid filio tuo opus erat circumcisione?* Ex his igitur verbis, patet una ratio purificationis beatissimæ Mariæ Virginis: Quemadmodum scil. Christus Jesus, licet ab omni peccato esset remotissimus, cum esset agnus immaculatus, cæteris pueris in circumcisione se conformare voluit: sic & Beata Virgo Maria exemplum filii imitari, seque cæteris parturientibus fœminis in purificatione conformare voluit. Ita sentit Sanctus Bernardus, dicens ad Virginem: *Esto inter mulieres tanquam una illarum: nam & filius tuus, sic est in numero puerorum.*

S. Bern. sermone 3 in Purif. B. V. Mariæ.

Levit. 12. v. 2.

Isaiæ 31. v. 16.

Exodi 25. v. 11.

S. Bern. loco ut supra.

II. Idem Sanctus Abbas, aliud consequenter ponit mysterium, nempe Beatissimam Virginem Mariam, ideo in templum venisse cum filio, quatenus repræsentaret Deo Patri benedictum fructum ventris sui, ejusdemque oblatione reconciliaret ipsi humanum genus:

& hæc

& hæc Sancti Bernardi ſententia, innititur elegan-
Gen. 33. v. 23. ti figuræ, quæ notatur Geneſis cap. 33. Poſtquàm Jacob advertit venientem Eſau contra ſe cum quadringentis viris, ad placandum ipſum, filios Lyæ & Rachel taliter diſpoſuit, quod liberos ancillarum poſuit in principio, Lyam verò & filios ejus ſecundo loco, tandem Rachel & Joſeph noviſſimos. Talis diſpoſitio non erat inutilis, ille enim qui ibat ad vindicandum ſe de Jacob, poſtquam aſpexit faciem Rachelis, & parvulum filium ſuum Joſeph, emollitus eſt & cum fratre ſuo in gratiam ante perditam rediit. Æternus Pater majorem habens cauſam iraſcendi humano generi, per multum tempus ſe præparabat ad vindictam, quem ut mundus placatum ſibi redderet, diſpoſuit diverſas matres filioſque earum, præſentavit Saram cum Iſaac filio ſuo, ad immolandum præ-
Gen. 22. v. 6. parato. Item Samuelem parvulum cum matre
1 Reg 10. v. 19. ſua, quem commodavit Domino ut ſtaret ante conſpectum ſuum, at nihilominus hac diſpoſitione matrum & filiorum Deus placari non potuit. Tandem venit noviſſima Rachel cum Joſepho, nempe Beata Virgo Maria cum filio Jeſu in templo conſtituta, hanc ubi conſpexit cum filio, mox iracundiæ ſuæ arma depoſuit, ſtrictumque gladium iterum in vaginam recondidit, & in benignitatem converſus, omnem homini injuriam remiſit. Sanctus Bernardus Author eſt hujus conceptus, nam ſermone eodem converſus ad Mariam Matrem Jeſu ita fatur: *Offer filium tuum Virgo ſacrata, & benedictum fructum ventris tui Domino repræſenta; offer ad noſtram omnium reconciliationem, hoſtiam ſanctam Deo placentem.*

S. Bern. ſerm. ut ſupra.

III. Parum dixi. Namque Beatiſſima Virgo Maria non ſolùm propter reconciliationem mundi, ſed etiam propter impetrandam toti humano generi benedictionem, ſuum filium in templo præſentavit, planè ita fecit, ſic ut Re-
Gen. 27. v. 15. becca cum filio ſuo Jacob. Legimus enim Geneſis 27. cap. Quod cum illa cuperet, quatenus ab Iſaac Patre ſuo benedictionem obtinere poſſet, ſed id fieri non poterat, niſi ſimilem Eſau per omnia redderet, quidnam fecit? Vocato ad ſe filio, *Veſtibus Eſau valde bonis; quas apud ſe habebat domi, induit eum, pelliculaſque hædorum circumdedit manibus & colli nuda protexit.* Poſtquam Jacob talibus amictus indumentis veniſſet ad Iſaac Patrem ſuum, & coram ſtetiſſet, largam benedictionem ab eo obtinuit. Altera Rebecca Sanctiſſima Virgo Maria, idem fecit, cupiens enim per unigenitum filium ſuum benedictionem impertiri nobis, uti Rebecca; per operationem Sancti Spiritus Chriſtum filium ſuum induit pellibus carnis humanæ, & ſic in templo coram cœleſti Patre ſuo præſentavit, ut per ipſum toti humano generi ſuam benedictionem divinam largiretur, Iſte conceptus eſt Sancti Bernardi Abbatis, qui ſermone 26. in Cantica habet: *Non ſic Rebecca Iacob induit; ſed Maria tantò digniorem, qui benedictionem acciperet; quantò Sanctior quæ peperit. Et benè in meo habitu, quia mihi benedictio vendicatur.*

S. Bern. ſerm. 26. in Cant.

IV. Benedicta Virgo Maria, avida benedictionis noſtræ, cum tanto jubilo filium ſuum oblatura, ad templum properavit. Matutinum illud erat ſacrificium, nam in lege veteri duo erant ſacrificiorum genera, unum matutinum, & alterum Veſpertinum: Sic enim habetur Num. 28. capite. *Hæc ſunt ſacrificia quæ offerre debetis: Agnos anniculos immaculatos duos quotidiè in holocauſtum ſempiternum, unum offeretis mane & alterum ad veſperum.* Matutina tua oblatio Beata Virgo, plena eſt lætitia, ſed alia veſpertina quæ erit in ara crucis, ò quantum tibi adfert triſtitiæ lamentabilis vox illa Simeonis quæ aures tuas percellit dum in hæc lamentabilia verba prorumpit: *Tuam ipſius animam gladius pertranſibit.* Sed quid illa? An aliquid hoc triſti nuncio commota fuerit, nihil legimus in Evangelio. Unde Agrippinæ Domitii Neronis matri comparandam cenſeo: hæc enim videre geſtiens ſuum filium corona aurea inſignitum, in Throno ſedere Imperiali, & alia ex parte, edocta per oraculum quod illemet qui regnabit, ipſam occiſurus eſſet; ſtatim ſubjecit. *Occidat modo imperet.* Adeundem planè modum Beata Virgo Maria, audiens in templo oraculum Simeonis, nempe ſuum filium toti quidem orbi regnaturum, ſed animam ſuam, durante ipſius regno, doloris gladio transfigendam, tali vaticinio, ne quidquam fuit contriſtata & conturbata cupiens regnare filium ſuum; cum quo & nos regnare valeamus.

Num. 28. v. 3.

Luc. 2. v. 35.

Suetonius.

V. Sed ſi miramur tantam animi alacritatem ac fortitudinem in Virgine Beatiſſima, multò magis eandem in puero Jeſu demirari decet: hic enim cum benè ſciret tempus, in quo regni ſui poteſtatem & ſalutem noſtram operari debuerat,

buerat, hoc tempore non expectato, oblatus in templo à Virgine & matre sua, primum in eodem celebravit sacrificium, ad quod spectare videntur illa verba Sancti Pauli ad Hebræos: *Introivit æterna redemptione inventa.* Quæ verba licet ad literam loquantur de ingressu hodierno Christi in templum, in quo Deo Patri per munus Beatissimæ Virginis obtulit semetipsum, illud tamen videtur difficile captu, qualiter apparuerit, *æterna redemptione inventa.* Cum in sola cruce nostram redemptionem fuerit operatus. Quomodo igitur hæc verba Sancti Pauli subsistent? *Introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa?* Sed revocare vos ad illud quod de sacrificio dixi superius; nempe de matutino & vespertino: itaque matutinum hodie peragit, disponens se ad illud vespertinum, quod post triginta tres annos erat peracturus; quando jam non in templo, sed extra portam Jerusalem in ara crucis erat offerendus: de qua re egregiè dicit Cluviacensis: *Bis oblatus fuit Christus in vita: primò hac die purificationis; Secundò die passionis. Prima oblatio fuit sacrificium matutinum; Secundo, vespertinum.* Quamobrem Auditores, recogitantes hodiernam solennitatem plurimùm nos Christo Jesu, suæque matri Mariæ devinctos inveniemus; nempe ut ei animam & desideria nostra offeramus, postmodùm verò in templo suæ gloriæ, eidem præsentari mereamur. AMEN.

Hebr. 9. v. 24.

Raulinus sermone 1. hujus festi.

IN FESTO PURIFICATIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ.

CONCIO II.

Postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem ut sisterent Domino.

Lucæ 2. v. 22.

IN Exodi c. 38. describit nobis sacer Historicus quod Propheta Moyses confecerit vas, seu lavatorium pulchro artificio expolitum, in usum eorum qui sacrificaturi templum ingrederentur, asseritque illud adornatum fuisse speculis mulierum devotarum, quæ in templo ministrabant. *Erat de speculis mulierum.* Lippomanus, Oleaster, & Cajetanus dicunt, secundum rigorem lectionis Hebraicæ, nulla fuisse in eo specula, sed fuisse metallum adeo tersum & clarum, ut per figuram Hyperbole dicat sacer textus: mulieres quæ cum aliis templum ingrediebantur, se ipsas potuisse in eo tanquam in speculo intueri. Hoc ipsum vas postea transtulit Rex Salomon ad novum templum à se Domino fabricatum. Esto quod illud labrum æneum, ad modum speculi fuerit expolitum, aut forte speculis mulierum incrustatum, nunquam fuit ita purum & excellens, sicut est purissima & sacratissima Virgo Maria, Mater Christi: hæc enim à Spiritu Sancto Sapientiæ 7. nuncupata est *speculum sine macula*: quæ quidem verba licet ad litteram de æterna Sapientia dicantur, tamen non immeritò Beatissimæ Virgini applicantur: est enim purissimum speculum, de quo Sanctus Ambrosius tale testimonium protulit *Sit vobis tanquam in imagine descripta virginitas vitaque Beata Virginis Maria; de qua velut speculo refulget species castitatis, & forma virtutis.* Cum ergo Beatissima Virgo Maria tam pulchra sit & formosa, juxta illud Cant. cap. 4. tota *pulchra es amica mea & macula non est in te*; quid est quod purificanda venit ad templum? Hic erit status concionis meæ, in qua plurimas hujus rationes, atq; mysticis plenas mysteriis demonstrabo, vos tantum pro solita vestra benevolentia me dicentem audite.

Exod. 38. v. 8. Lypom. Oleaster. Cajetan.

Sap. 7. v. 26.

S. Ambros. Serm. de Virg.

Cant. 4. v. 7.

I. Duplici lege cautum erat apud Moysen, ne fœmina post partum, templum adiret, antequam quadraginta purgationis suæ dies expleviset, quibus transactis, oblatura Domino prolem, ad templum accederet, quâ lege solum tenebatur fœmina cujus partus peccato prolis erat obnoxius. At Beatissima Virgo Maria, hac lege

lege nulla ea ratione erat obstricta, illa enim talem Justitiæ solem nobis peperit, in quo nulla prorsus macula, & nulla pristinæ maledictionis suspicio videbatur. Nihilominus dum illa sole, luna, stellisque purior, purificationis legem observat, ô quanta Dei magnalia operatur: primo enim ad templum se contulit, atque sicut columba venit, portans ramum olivæ,

Gen. 8. v. 11. Genes. 8. cap. *Columba venit portans ramum olivæ*: id est Virgo Maria, portans ramum olivæ; qui fuit præsentatus Noë in signum pacis; nempè Christum misericordem, cujus Pharmacopæa plena est oleo illo suavissimo, ex quo

Luc. 10. v. 34. medicinam præscripsit & adhibuit Samaritano illi sauciato. Beatissimam Virginem Mariam merito hic columbam dico, cui olivæ ramus nempe Christus Jesus se portandum commendavit, quia idem ipse, nempe filius & sponsus

Cant. 2. v. 10. suus, vocat eam columbam. Canticorum 2. *Surge, propera amica mea, columba mea, in foraminibus Petræ in caverna maceriæ.* Dicunt Naturales, quod pleræque columbæ inveniantur, quæ amant petram, & cavernam maceriæ, ubi manere solent: itaq; Christus Dominus agnoscens se esse ramum, de quo scriptura ait, *Fasciculus Myrrhæ dilectus meus mihi*;

Cant. 1. v. 12. quasi moræ impatiens, invitat suam amicam & columbam, ut exeat de caverna maceriæ, ut jam suæ solitudinis oblita, surgat & properet, eumq; deportet ad illud templum, cujus arca Noë figura fuit.

II. Hodiernâ die hac in processione solenni, quæ iter ad templum Beatissimæ Virginis designat, illud præcipuum solet fieri, quod benedictæ candelæ circumferantur, in qua cæremonia nihil aliud facimus, nisi quod illud nobis in memoriam reducamus, simulque imitemur, quod Sanctissima Virgo fecit. Dum inquam candelam ad nostras manus accipimus, veneramur in Beatissima Virgine illas prærogativas, quarum speciem faciunt candelæ. Prima est Sanctissimæ Matris Virginitas, quæ in cera intelligitur, sicut enim cera ab apibus sine corruptione generatur: sic & Virgo castissima, juxta testimonium

Isaiæ 7. v. 14. Isaiæ Propheticum c. 7. Christum genuit, & virgo in ævum permansit: sicut autem materia candelæ nempe cera, signum est exterioris nempè carnalis ejus castitatis, ita deinde lychnus candelæ in cera occultatus, designat ejus puritatem in mente, quam quo majorem habuit, eo plus

Ps. 44. v. 14. occultabat; juxta illud Psalm. 44. *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus.* Sed dum lychnus candelæ accenditur, jam occultari non potest, quin ardeat & lumen communicet: ita & claritas vitæ Beatissimæ Virginis tanta fuit, ut licet eam summa humilitate sua velare cuperet, ex eo ipso quia se occultabat, toti mundo reddebatur manifesta. Pro teste habeo verba sui cantici; ubi dicitur; *Respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*: merito inquam lumen suum ab omnibus videri & laudari debuit. Dicit enim Sanctus Ambrosius, Parte prima: *Quid splendidius Dei Matre quam splendor æternus elegit.* Ex his ergo concludo, quod dum candelam ad manum accipimus, has jam recitatas prærogativas in B. V. Maria prædicamus.

Luc. 1. v. 48. S. Ambros.

III. Sed dum talem candelam non solum accipimus, sed etiam deferimus, quale tunc mysterium demonstramus? Habemus scriptum Lucæ 15. Quod mulier aliqua perdiderit drachmam, quâ quidem perditâ noluerit quiescere, donec inveniret eam. Quid igitur aggreditur? accingit se ad investigandam, accincta, domum evertit & accensâ lucernâ quærit diligenter donec inveniat eam. Per istam drachmam, homo perditus intelligitur, hæc autem drachma tunc fuit à muliere perdita, quando virum suum induxit ad peccandum, perdit Eva drachmam, perdit mulier hominem, sed suam drachmam invenire non potuit, quia candelam quam accenderet & cum ejusdem lumine quæreret, non habuit. Felicior mulier Beata Virgo Maria, quod enim prima invenire non potuit, hoc secunda quæsivit & invenit. Videte qualiter hodiè se comparet ut eam drachmam inveniat; imprimis domũ evertit, hoc est, totã naturam transcẽdit, nullum in conceptu, neq; in partu, neq; in puerperio servat ordinem, seu legem naturalem. Conceptura Deum dicebat Angelo: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* Ubi antè Chrysostomus sermone 142. ait. *Mulier, quem virum quæris, quem in paradiso perdidisti? redde virum mulier, redde depositum Dei, redde te quem perdidisti per te, prætermitte naturæ ordinẽ, recognosce ordinem Creatoris.* Postquam domum evertit, tunc accensâ candelâ quæsivit, quando lumen illud indeficiens nempè Christum Jesum manibus gestans processit ad templum, suoq; gressu felicissimo invenit drachmam perditam, dum hominis perditi damna reparavit. Hodie compellat nos tanquam amicos & vicinos suos, dicẽs: *Congratulamini mihi, quia inve-*

Luc. 15. v. 8.

Chrysost. in Luc.

ni drachmam quam perdideram. Dignum certè hujus felicis mulieris votum, ut congratulemur ei. Unde doctus Alcuinus id executus fuisse videbatur, dum ait: *O virgo lampas luculentissima, quanto latificasti, quando splendore gloriæ Dei illustrata tot suspiriis ac votis desideratum illud lumen, (quo inventa est drachma decima) sedentibus in tenebris & in umbra mortis, protulisti.*

Alcuinus.

Luc. 19. v. 13. 14.

IV. Piger erat servus ille, de quo Sanctus Lucas cap. 19. ait hanc parabolam: quod dum quidam nobilis abire vellet in regionem longinquam, regnum ibidem accepturus & postmodum reversurus; vocatis decem servis suis dedit eis decem nummos dicens: *Negotiamini dum venio*, cumque rediret accepto regno, atque lucrum pecuniæ suæ examinaret, venit unus dicens. *Ecce mina tua quam reposui in sudario*, multum ea sua pigritia suum Dominum offendit, quod talentum sibi concreditum sudario involverit, & involutum absconderit, talentum perdidit, & iram incurrit. Prudentiùs Maria; talentum mundi Christum, pannis quidem involvit, sed non abscondit, qui in templum cum illo vadit, salutem humani generis negotiatura. Sic bonos negotiatores hortatur Dominus Joan. 12. *Ambulate dum lucem habetis.* Maria optima negotiatrix lucem increatam potita, non otiosa sedit, non se in tenebras abdidit, sed egressa domo, festinanter in templum abiens, lucem illam splendidissimam, & tot annorum serie à Sanctis Prophetis ac Patriarchis cum multis lachrymis desideratam sacris aris intulit, ingentemque sibi gloriam acquirit inde. Pulchrè Isaias c. 60. *Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est:* non intelligit Propheta de illa Jerusalem, quæ innocentes & verbum Dei prædicantes occidit Prophetas; sed novam aliam Jerusalem alloquitur, nempe glorioſissimam Virginem Mariam, de qua Psalmus: *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei.* Equidem illa surrexit, & accipiens lumen mundi ad templum ivit, & gloria Domini orta est super illam, dum ingressa templum, obtulit Deo munus gratissimum, quod videns Simeon, exclamavit: *Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.*

Ioan. 12. v. 35.

Isaiæ 60. v. 1.

Psal. 86. v. 3.

Luc. 1. v. 32.

V. Divus Irenæus libro 4. c. 34. de muneribus Deo oblatis, sic inquit: *Non indiget quidem Dominus nostro munere; sed is qui offert, glorificatur ipse in eo quod offert, si acceptetur munus.* Cum ergo Beata Virgo Maria obtulerit Deo munus acceptissimum, quomodo non glorificaretur? de qua Epiphanius: *O Virgo Sanctissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem eduxisti; stupendum enim est miraculum in cœlis, mulier amicta sole: stupendum miraculum in cœlis, mulier gestans lucem in ulnis.* Isaac dotaturus filium suum Esau gloria benedictionis, expectabat ab eo aliquale munusculum: ait enim Genesis 27. *Fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti, ut benedicat tibi anima mea.* Interea Jacob currit ad greges, agnum affert, ut cibum & munus patri suo gratum paret, & sibi glorioſam benedictionem accipiat. Super quam Historiam, hæc scribit Sanctus Ambrosius: *Accessit ad oves Iacob, & attulit innocentiæ partus; quia Patriarcha cibum nullum credidit fore dulciorem, quam Christum, & ideo accepit stolam Patris.* Sic communis omnium pater, Deus omnipotens, quotidie in templo expectabat ab Israele aliquod munus gratum, dumque carnalis populus hircorum sanguinem parat; Jacobæa proles Maria templum adiens innocentiæ & puritatis partum attulit, agnum inquam immaculatum Christum Jesum, in quo futura erat remissio peccatorum; quo in munere & Deo placuit, & maximam sibi gloriam in benedictionibus dulcedinis comparavit. Omnes nos charissimi, à Divo Paulo templum Dei appellamur: si ergo illud mundaverimus; uti quondam Beatissima Virgo Maria, cum puero suo Jesu, venit ad illud in Jerusalem; ita & ad nostrum cum filio suo veniet, nosque purificabit & illuminabit sua gratia & gloria, ut post hanc vitam & hac luce cœlestem illam. Jerusalem ingredi & lumine illo inextinguibili frui valeamus. AMEN.

D. Iren. l. 4.

S. Epiph.

Gen. 27. v. 25.

S. Ambr.

1. Cor. 3. v. 16.

IN

IN FESTO PURIFICATIONIS B. V. MARIÆ, CONCIO III.

Tulerunt Iesum in Ierusalem ut sisterent eum Domino. Lucæ 2. v. 22.

HOdierna die magnam & singularem celebramus solennitatem, & ultimum mysterium infantiæ Domini nostri Jesu Christi, nempè celeberrimam annuamque memoriam introductionis castissimæ Virginis Mariæ, una cum filiolo suo, & servatore nostro Christo in templum Jerusalem, quam diem esse multum solennem, vel ex eo colligere possumus, quia alia festa Beatissimæ Virginis Mariæ uno saltem nomine pronunciantur. Verbi gratia, Conceptionis, Nativitatis, Annunciationis, Visitationis, Præsentationis, Assumptionis, Beatæ Virginis Mariæ: atqui hodierna solennitas, non uno sed pluribus nominibus intitulatur. Præcipue autem hisce duobus, primo Purificationis Beatæ Virginis Mariæ; secundo Luminum sive candelarum. Ignoro, an mysterium sensumque horum duorum nominum omnes vestrum percipiant, itaque in hodierna concione mea explicationem utriusque producam, quæ tamen in ampliſſimam Divæ Matris gloriam & honorem à me convertetur.

I. Sacro-Romana Ecclesia quam ob causam hodiernam festivitatem appellaverit Beatæ Virginis Mariæ, habetis positum in ipso textu Evangelii S. Lucæ, hisce verbis: *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ, secundum legem Moysis, tulerunt Iesum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino.* Nam uti habetur Levitici, populus Judæorum, ex præcepto divino eam consuetudinem observabat, ut si mulier peperit masculum, immunda foret septem diebus, aliis vero triginta & tribus manebat in sanguine purificationis suæ, quibus evolutis, sistebat se cum oblatione coram Sacerdote Domini, qui orabat pro ea, & sic mundabatur. Hanc ergo cæremoniam adimplevit hodie Beata Virgo Maria, ob quam dies purificationis suæ appellatur. Sed quid videtur vobis Auditores, num virgo purissima quæ concepit ex Spiritu Sancto, aliqua purificatione indiguit? nulla sanè. Nam Sanctissima Mater Dei ea ipsa est, de qua scriptum habemus in Canticis Salomonis: *Quam pulchra es, & quam decora charissima.* De cujus pulchritudine nullus hominum satis dignè & plenè loqui potest. Si enim Spiritus Sanctus pulchritudinem suam grammatice collaudans, & in membris suis eam enumerans ob magnitudinem ipsius totam exprimere dissimulavit, postquam enim oculos suos, capillos, dentes, labia, genas, collum, & ubera sua per similitudinem & comparationem ad alia collaudasset; nempe oculos comparando, oculis columbarum, capillos gregibus caprarum, dentes gregibus tonsarum quæ ascenderunt de lavacro, labia vittæ coccineæ, genas malo punico, collum turri David, ubera duobus hinnulis capreæ gemellis, qui pascuntur in liliis. Encomio unius cujusque membri eam exceptionem apposuit; *Absque eo quod intrinsecus latet.* Unde ego principaliores corporis partes, præteriens ad ipsos saltem pedes Beatissimæ Virginis accedo, ex quorum pulchritudine, cæterorum quoque membrorum principaliorum venustatem capiatis.

Levit. 12. v. 23.

Cant. 7. v. 6.

Cant. 4. v. 1.

II. Jam verò quam pulchri pedes sint castissimæ Virginis constat ex testimonio cœlestis Sponsi in Canticis: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis* Aliquas ego matronas invenio, quæ per calceamenta placuêre aliis. Primo, citat Ælianus Author quandam formosissimam Ægypti Reginam fuisse Rhodopen, quæ dum ad ripam fluvii Nili telam tenuem dealbaret, advolavit aquila, & sublato è terra suo calceo, deportavit usque Memphim Regiam Ægypti, & in sinu Regis Psammeniti tunc in suo solio populum judicantis demisit. Rex rem videns insolitam, & intuens calceum, ita fuit captus ipsius pulchritudine, quod statim dimiserit per universum Ægyptum nuncios, qui quærerent talem personam, cujus erat ille calceus: inventam ergo Rhodopen accepit in uxorem,

Cant. 7. v. 1.

Iudith.16. v.11. & fecit consortem regni sui. Legimus etiam in Historia Judith, quod hæc Holopherni Principi Assyriorum placuerit per calceamenta. Sic enim textus habet : *Scandalia ejus rapuerunt oculos ejus.* Item Alexander author unus scribit, *Alex. ab Alexand.* Senatum Romanum, vel in signum nobilitatis suæ, vel quia erant numero centum, (quem numerum media luna figurat) in suis calceis lunulas aureas gestasse, eisque sua calceamenta decorasse : Demetrius Antigoni filius, aureos portavit calceos: Diocletianus gemmis & margaritis incrustatos ; Constantinus purpuratos. Sed hos omnes nominatos calceos longe, excellunt calceamenta Beatissimæ Virginis Mariæ, nec sunt digni, ut suis calceamentis comparentur. Hoc enim calceamentum Sacratissimæ Virginis, nihil aliud est, nisi ipsamet humilitas : *Ecce ancilla Domini* : quem ut vidit Rex cœli & terræ Deus, tunc dum respexit humilitatem ancillæ suæ, non dimisit servos, nempè Angelos, qui quærerent virginem hujus calcei ; sed ipsemet eam quæsiturus, sibique desponsaturus descendit, & venit in terram ; dum *verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* *Ioan. 1. v. 14.*

III. Jam ergo argumentor à minori ad majus : si Virgo Maria fuit tam pulchra in pedibus, quàm pulchrior in facie & in aliis principalioribus membris sui corporis fuerit ? cum etiam vestes addant hominibus pulchritudinem, hinc videamus suas. Habemus in Apocalypsi ; *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus.* *Apoc. 12. v.1.* Per mulierem intelligo Beatam Virginem Mariam, non quò ad statum, sed quò ad sexum, & deinde quia matrem esse convenit mulieribus, sola autem matris Mariæ Virginitas fuit reservata. *Sol sua vestis est*, ait Hieronymus. *S. Hieron.* Sol est divina gratia, quæ illuminat animas, tali sole induta est præ omnibus Sanctis, Doctissima Virgo de qua testatur Divus Damascenus. *S. Damasc.* *Beata Virgo Maria, nihil tibi æquale, nihil comparabile, quod enim est in te, aut est supra te, aut infra te : quod est supra te solus est Deus, quod est infra te, est totum illud quod non est Deus.* Sed cur luna sub pedibus ejus ? Quia luna habet maculas, de illa enim dicit Spiritus Sanctus : *Tota pulchra es & macula non est in te.* *Cant. 4. v. 7.* Cum ergo purissima Virgo Maria ita pulchra sit : Cur igitur vadit ad templum juxta historiam hodierni Evangelii ? Ego respondeo, quod non iverit purificanda, ante pura, splendidior sole, & ipsismet Angelis, sed id facit ob istas causas. Primò ut nos doceret quantam obedientiam divinis præceptis nos præstare oporteat. Item fecit propter incitandum exemplum humilitatis suæ, quæ manens in hoc mundo & existens inter superbos peccatores sicut lilium inter spinas, lilium inquam odoris suavissimi ejusdem nobilissimi floris hodie repræsentat proprietatem, de quo Plinius ait. *Nulli florum excelsitas major, sed quantò magis crescit, tanto magis caput inclinat.* *Plin. in lib. Natural.* Ita & Beata Virgo Maria, tunc vel maximè crevit sicut lilium, quando Dei filium & Salvatorem nostrum peperit, sed quò ad altiùs exaltata fuit, eò se profundius per humilitatem declinavit. Tandem eodem suo exemplo invitat nos ad purificationem mysticam ut cor & animam nostram mundare studeamus, à pravis cogitationibus, verbis indecentibus, & malis operibus, ira, odio, aliisque vitiis quæ animam nostram inquinare & maculare possunt.

IV. Puto Auditores mei, quod jam ex hoc discursu meo perceperitis nomen primum hujus solennitatis : Nempe Purificatio Beatæ Virginis Mariæ, nec non causam ejusdem. Sed cur appellatur festum luminum seu candelarum ? Brevibus audite. Sicut non erat necesse, quod B. V. Maria more puerperarum se introduci faceret in templum Jerusalem, ita neque aliquam candelam gestavit, sicut nunc fœminæ dum introducuntur, ut ideo dicatur festum candelarum. Itaque hæc dies vocatur festum candelarum ob has rationes. Primò ad tollendam erroneam consuetudinem Gentilium Romæ olim observatam, qui prima die Februarii ad honorem Februæ quæ mater Martis putabatur, de quinto in quintum annum cum cereis & facibus tota nocte discurrebant, ut filius suus nempe Mars eis de hostibus victoriam daret, cujus matrem tam solemniter honorarunt. Ideo Sergius Pontifex, ut eam consuetudinem eò facilius aboleret, vel in melius commutaret, ordinavit ut Christiani hac die in honorem matris Dei candelas deferrent, ut solennitas quidem staret, sed alia intentione celebraretur. Ea quidem intentione : primò, ad ostendendam Virginis sacræ puritatem, quod non indiguerit ulla purificatione, sed illam ex sola humilitate subierit : secundò ad repræsentandam hodiernam processionem quam facimus cum candelis : nam Maria & Joseph cum aliis devotis viris hodie pulchram fecere processionem,

cessionem, Jesum præsentantes, qui candelæ pulchræ comparari potest: nam sicut tria in se habet, ceram, lychnum, & lumen, ita & in Christo tria sunt, nempe caro humana, quam cera; Anima, quam lychnus; Divinitas, quam lumen illud indeficiens repræsentat.

V. Est autem talis candelarum oblatio, quam in hodierna processione facimus ad nostram instructionem, quando enim accedimus ad Deum tria debemus habere. Primò fidem. Secundò, bona opera. Tertiò, bonam intentionem. Fides designatur per lichnum. Opera bona, per ceram, quæ lychnum circumdat, nam sicut lychnus sine cera ardere non potest, ita fides sine operibus mortua est. Intentio autem designatur per lumen candelæ, juxta illud: *Sic luceat lux vestra, ut videant opera vestra bona.* Matth. 5. v. 16. Itaque Auditores mei ut ex utraque consideratione duorum nominum hujus festi hodierni, utilitatem spiritualem habeamus, discamus primùm nostram conscientiam purificare per sacram pœnitentiam; deinde candelam accensam nempe fidei cum bonis operibus exemplo Beatissimæ Matris offeramus Deo, ut ab eodem hic in vita, lumen gratiæ suæ, & in futura gloriæ sempiternæ habere mereamur. AMEN.

IN FESTO GLORIOSÆ ASSUMPTIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ.

CONCIO IV.

Tulerunt Iesum in Ierusalem. Lucæ 2. v. 22.

QUantopere Orator ille totius universi, nempe verbum incarnatum Dei Patris laudavit quondam fœminam illam quæ veniens ad templum Jerosolymitanum duo æra minuta immiserat in Gazophylacium; tantopere quin amplius adhuc extollit Sancta Ecclesia B. V. Mariam, quæ hodierna die attulit duo æra in Gazophylacium, nempe duas naturas, divinam & humanam, unigeniti Dei filii Jesu Christi, juxta illud Sancti Lucæ: *Tulerunt Iesum in Ierusalem.* Luca. 21. v. 2. Sed quid ego comparo uni fœminæ Dei Matrem? quid uni pauperculæ, Reginam universi? Certè excellentia Virginis Deiparæ tanta est, ut antiqui Patres Patriarchæ, & Prophetæ divino illuminati spiritu, non invenirent modum illam dignè laudandi ac prædicandi. De quodam Pictore nempe Apelle legitur, quod volens pingere Helenam, omnes speciosissimas Græciæ Virgines in unum collegisset, & quidquid in facie unius cujusque pulchri erat, id excerpsisset, & sic aggregatum pulchritudinis in Helenam congessisset. Sed hoc nihil est: illi enim non in faciebus humanis, sed in rosis, liliis, margaritis, auro, lapidibus pretiosis, quin in ipsis stellis, luna, soleque pulchritudinem perscrutantes, ad perfectam ejus similitudinem pervenire non potuerunt, quâ B. V. Maria decorata est à Domino: Et quia talis fuit & nunc existit. *Pulchra ut Luna, electa ut Sol.* Cur ergo hodie purificationis ejus legalem celebramus memoriam? Pro responso erunt documenta quædam nobis declaranda.

I. Quemadmodum Christus Dominus, non tenebatur ad illam cæremoniam sistendi in templo Jerosolymitano & pro se oblationem faciendi, quia per naturam erat impeccabilis: ita neque Beatissima Virgo Maria, mater sua castissima, indiguit aliqua purificatione; quia etiam per gratiam erat impeccabilis: sed imitando filium, qui dixerat, *non veni solvere legem sed adimplere*; nobis præbuit exempla quædam, in quibus illam una cum dilecto filio suo imitemur. Inprimis docemur, ut simus obedientes Deo & Sanctæ Ecclesiæ matri nostræ. Polyænus. Refert Polyænus libr. 4. Quod Alexander Magnus dum celebrem illum urbem Tyrum oppugnaret, nec propter amplam fossam accessum ad muros habere posset, ex alia parte milites suos ad implendam fossam cunctantes videret, primum accepisse corbem terræ, & ad fossam apportasse: quod cum alii vidissent, ejusque exemplum imitati fuissent, terram opplerunt, & planum accessum ad muros fecerunt,

sicque civitatem illam expugnarunt. Simile quid Judicum 9. de Abimelech. *Quod me videritis facere facite.* Quemadmodum ergo Rex Alexander unus ut expugnaret civitatem, alter vero turrim Sichimorum, cæteris militibus suis exempla dederunt quæ sequerentur, ita & Christus Dominus, dixerat Matth. 11. *Regnum cœlorum vim patitur.* Volens nos docere qualiter illam civitatem Jerusalem assequi valeamus, præbuit nobis unâ cum Virgine Matre sua exemplum quod sequamur. Primò in circumcisione, ad quam non tenebatur, deinde in hodierna præsentatione in templo, quâ etiam non indiguit: eodem modo Beat. Virgo in sua purificatione quâ opus non habuit. Item ut nos Christus doceret expugnare turrim excelsam superbiæ Diabolicæ: eodem modo arrepto suo ligno crucis, docet nos obedientiam, ut sequamur ipsum: quia teste Divo Paulo; *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Judic. 9. v. 49.

Matth. 11. v. 12.

II. Aliud documentum habemus humilitatis, quam nos docet Christus dum servorum legem subire, & instar servi offerri voluit: Deipara Virgo Maria, dum post expletos quadraginta dies unà cum cæteris matribus, purificationi obnoxia, in illo templo se sisteret, magnam & memorandam & merito nobis imitandam quoque humilitatem demonstravit. Scribit Suetonius de Julia Augusti Cæsaris filia quod dum de fastu nimio à quopiam corriperetur, illam respondisse. Quid? *Pater se Cæsarem esse oblitus est?* Quanto nobilior Dei Mater Augusti filia? poterat Augustissima nostra dicere illa verba D. Bernardi Sermone 3. *Quid mihi opus purificatione?* Sciebat enim se esse Matrem Dei, nihilominus quia neque illud ignorabat, se ad tantum dignitatis apicem per humilitatem accendisse, dum ad Angelum dixisset; *Ecce ancilla Domini*: ideo hanc virtutem humilitatis, nec tunc deseruit postquam facta fuit Deipara. Discant exemplum humilitatis viri ne statim superbiant; dum è luto extrahantur & ad aliquod officium extolluntur. Discant & fœminæ: multæ enim sunt, quæ si uni excellenti viro copulentur, mox tanta superbia (quod deplorandam est sanguineis Lachrymis) inflantur, ut pristini status sui plane sint immemores.

S. Bernard.

III. Similiter provocamur hodie ad exemplum gratitudinis tam à Christo Domino, quam à matre sua Maria. Quod Deus olim in antiqua lege primogenita sibi offerri præceperit, non putemus tali obligatione ipsum indiguisse, ipse enim est qui ait, *mea sunt omnia*: sed id fieri sibi voluit in gratiarum actionem & in signum gratitudinis. Legimus quippe Exodi 12. quod Deus omnia primogenita Ægyptiorum una nocte percusserit, & eodem tempore filios Israëlis ita illæsos servaverit, ut nihil primogenitum perierit, unde in signum hujus beneficii, talem oblationem instituerat. Pariter B. V. Maria in memoriam quoque hujus excellentis beneficii, filium suum primogenitum obtulit, fecitque uti quondam Anna Samuelis Prophetæ mater, quæ etiam in gratiarum actionem, filium suum obtulit, & Domino dedicavit. Ubi & nos docemur offerre Deo gratias pro tot beneficiis nobis ab ipso collatis. Sed dicetis quænam illa? Ego à juventute mea sum in paupertate, ego tot annorum spatio bona corporis valetudine sum destitus, tot adversæ fortunæ tela mihi infliguntur, tot inquam miseriis ac calamitatibus vita tota mea à pueritia scatet, ut illa mihi morte acerbior esse videatur. Inimici mei tot mihi struunt nocte dieque insidias, ut nullibi securus quietem capere possim. Sed si vitæ suæ cursum quilibet examinare vellet, nonne inveniret se à Domino Deo toties à periculis liberatum? Pauperes? quid tum? Paupertas parat tibi Regnum cœlorum. Infirmus es? ne modo sit ad mortem sempiternam. Tot hostes habes? Aurum in igne purgatur. Sit nobis David Rex pro exemplo. Quid enim ille? nonne toties fugiebat Saulem Regem, & filium suum Absolonem? nonne tot pericula expertus fuit, nonne tot flagella Dei degustavit? & tamen quid ait? *Domine Deus mei adduxisti huc usq;*: id est, Domine evexisti me ex Pastore ad Regiam dignitatem, defendisti me à Saule, confortasti me in prælio difficillimo cum Goliath habito. Sic ergo & nos multi nobis debemus facere, quod ad imaginem supremi Regis, creati simus, à Christo redempti, & tandem spe cœlestis regni donati simus.

Exod. 12. v. 29.

IV. Ad extremum purificatur hodie Beatissima Virgo ipsis Angelis purior, ut nos duo doceat. Primum. Quod etiam maxima hominis perfectio in virtutibus & sanctitate vitæ, coram Deo sit imperfectio: qua de re sic ait D. Augustinus: *Sancti, qui participatione gratiæ Dei*

S. August.

Dei justi sunt: Patet id in quadam figura, quam describit S. Isaias Propheta dicens: *Vidi Dominum sedentem super excelsum solium.* Ubi enarrat illos Seraphin, qui coram ipso stabant, sex alas habuisse; quarum duabus velabant faciem ejus, duabus pedes ejus, & duabus volabant. Autor quidam Neotericus explicans *Pagninus, Oleaster.* istam Prophetæ visionem, ait juxta expositionem Pagnini & Oleastri, non intelligi ibi quod Seraphin illi velaverint faciem divinam sed potius faciem suam, & causam reddit dicens: *Faciem suam velare intelliguntur, quasi ne videant, metuunt enim & erubescunt, ad vultum gloriæ magni Dei.* Hinc licet subsumere: si Seraphini semper ardentes amore Dei, nondum se putabant esse perfectos coram Deo, multo magis homines, quantumvis perfecti, suam perfectionem ad Deum comparatam, nullam putare debent esse.

V. Secundum est quod nos docet Virgo Sanctissima purgatione sua. Quod nullus homo sit, qui quantumvis sanctus & bonus sit, non adhuc perfectione indigeat: id quippe dicitur in Psalmo Davidico. *Ibunt Sancti de virtute in virtutem.* Nunquam meta sed semper motus, & quidem tam diu, donec videatur Deus in Syon. Plotinus quidam Philosophus, *Plotinus.* quemlibet hominem comparat statuario seu sculptori, dicens: *Statuarium imitere, qui statuam tam diu abradit & expoliat donec in ipsa speciem exprimat congruentem.* Laboriosum est opus statuarii, quando enim aliquam imaginem sculpit, & si illam finitam putet, tamen si omnes partes inspiciat, semper aliquid inveniet, quod amputatione & correctione indigeat: sic etiam & homo, etsi se perfectum putet, nihilominus si se bene inspiciat, semper aliquid inveniet corrigendum: testatur id D. Bernardus dicens: *Quis unquam ad unguem omnia à se superflua resecavit & nihil se habere dignum mutatione invenit?* Unde ex hac purificatione B. V. Mariæ, discamus esse obedientes, humiles, de beneficiis à Deo acceptis grati, suæ perfectioni non fidentes, sed semper ad ulteriorem tendentes, ut hic perfecte purificati, gratiam obtineamus in præsenti, & gloriam in futuro. AMEN. *S. Bernar.*

IN FESTO PURIFICATIONIS B. V. MARIÆ,

CONCIO V.

Tulerunt Jesum in Jerusalem ut sisterent eum Domino.
Lucæ 2. v. 22.

QUamvis Scriptura Sacra 1. Reg. 1. multis verbis enarret, qualiter Sancta illa mulier *1. Reg. 1. v. 25.* antiqui testamenti Anna mater Samuelis, filium suum adduxerit in domum Domini, eumque obtulerit Domino, ut serviret ei omnibus diebus vitæ suæ, simulque cum oblatione filii, vitulum in gratiarum actionem immolavit; Ego tamen nihil hic singularitatis aut novitatis video, hac de causa: nempe quia hæc mulier cum esset sterilis, votum voverat Domino, ut si ei Dominus daret filium, eum daret Domino omnibus diebus vitæ ejus, quod ergo spopondit, id implevit; sed B. V. Maria, non postulavit filium, quia virginitatem suam desponderat Domino, in cujus sui voti defensionem, *Luca 1. v. 31.* Angelo sibi dicenti; *Ecce concipies & paries filium*: respondit. *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco*: hodierna tamen die, cum concepto præter naturalem ordinem filio, in templum ingreditur, atque æterno Patri unà cum oblatione prolis par turturum, (uti lex præscribebat) offert in sacrificium, hoc est mysterium, quod totus hodie orbis demiratur, in eo enim senes cantant cum Simeone, viduæ prophetisant, luminaria accenduntur. Sed quidnam hoc mundus demiratur? duo insignia humilitatis exempla, qualia in mundo vix unquam visa vel audita. Unum in matre, & alterum in filio: quæ ut vobis pateant hac in concione quantum tempus & vires permittunt demonstrabo.

I. Quod ad primum quidem spectat, con-

templor

templor hic in prima fronte S. Evangelii, B. V. Mariam expletis 40. diebus per quos in ſtabulo Bethleemitico permanſerat, templum Jeroſolymis intrantem, dilectum filium ſpecioſum ac decorum forma præ filiis hominum, ulnis geſtantem, quo eundem Deo præſentaret & ſacrificium ſimul ad purificationem offerret: Memineritis oportet Auditores, inter cæteras leges cæremoniales Judæorum, eam legem fuiſſe de fœminis, ut ſi nimirum maſculum peperiſſet, ſeptem diebus hominum conſortio abſtineret, (eo quippe tempore immunda habebatur) & octavo deinde die circumcideretur infans, ipſa verò triginta tribus diebus domi maneret, donec implerentur dies purificationis ſuæ. Quo tempore evoluto, filium ad templum portabat, ac ſacrificium Deo pro ſe offerebat. Lev. 12. cap. Glorioſa igitur virgo huic ſeſe legi ultro ſubjiciens, cum jam quadraginta dies præteriiſſent, hodierna die hoſtiam pro purificatione ſua oblatura, templum ingreſſa eſt. Hodie potens illa Regina Saba, de longinquis regionibus veniens, nempe poſt omnes Patriarchas, Prophetas & Reges Juda, intravit palatium Salomonis, omni divitiarum genere onuſta. 3. Reg. 10. *Multæ quidem filiæ congregaverunt ſibi divitias.* Prov. 31. at tu Reginarum filia, & filiarum Regina, deferens pretioſam illam atque inæſtimabilem margaritam Evangelicam, nempe redemptorem mundi Jeſum ſupergreſſa es univerſas. Hodie ſcil. ſplendida illa Luna quæ 40. dierum ſpatio veluti Eclipſi quadam laborans, inter paleas in ſtabulo, ad præſepe Bethleemiticum, obſcura delituerat, completam ſeſe jam & perfectam in medio templi demonſtravit. Agite nunc jam animæ devotæ, comitemini virginem ad templum properantem, & videte quanta humilitate, quantaque paupertate filium ſuum, ſimul Creatorem ulnis geſtet. Conſiderate iſtam animi ſubmiſſionem, dum non aliter Regi ſe ſubjicit, ac ſi de numero immundarum foret, quæ nullam ex partu maculam ſed maximam Sanctitatem & puritatem contraxerat.

Levit. 12. *v.* 2 3.

Reg 10. *v.* 2.

Prov. 31. *v.* 29.

II. Quid agis ô virgo? ô nimium humilis virgo? tene hiſce legibus ſubjici? tene fœminis peccatricibus commiſceri decet? Michol quidem filia Regis, petulantia quadam muliebri, David Regi indumentis Regalibus exuto, ac plebi commixto ante arcam Domini ſaltanti, inſultavit, at forte plures jam invenientur, quæ ejuſdem Michol ſecutæ inſaniam longè majore cum ratione te exſibilare poterunt, ubi te veſtimentis Regiis innocentiæ & juſtitiæ indutam, ab aliis mulieribus non viderint diſcrepare, ſervando ſcil. purificationem, & ſacrificium coram arca fœderis, nempe humanitatem filii tui offerendo. Tradunt authores, inter quos Suetonius in vita Auguſti Cæſaris, Juliam Auguſti Cæſaris filiam, cum quodam tempore admonita fuiſſet, ut faſtum deponeret, ac ornatum veſtium ita ſuperbum temperaret, eum enim ſuum patrem videre & ferre non poſſe, illam magna cum arrogantia reſpondiſſe. *Pater non amplius meminit ſe Cæſarem eſſe, cujus nutum totus orbis veneratur:* at ego me minime Cæſaris filiam, ac proinde primam omnium quæ in mundo ſunt Reginarum; quare æquum eſt, ut quæ ſim, exterius demonſtrem. Virgo Beatiſſima infinitis partibus, Juliam hanc, ſua dignitate antecellit: illa enim Cæſaris filia; hæc verò mater & ſponſa Dei: atque hæc cum ita ſint, filius tamen ſuus ſe circumciſioni ut peccator, illa vero purificationi ut peccatrix ſe ſubmittit: ille ſe Deum eſſe oblitus eſt, illa verò oblita eſt ſe eſſe Matrem Dei: cum tamen Sanctus Bernardus dicat: *Vere tibi non opus fuit purificatione ſed neque filio tuo circumciſione.* Si enim ſtellæ & ſydera, quæ ſunt in firmamento cœli, nunquam Eclypſin patiuntur, multo minus Beatam Virginem Mariam aliqua peccata obſcurare poterunt; cum illa ſit verum firmamentum virtutis divinæ; de quo olim Regius Vates cecinit: *Laudate Dominum in Sanctis ejus; laudate eum in firmamento virtutis ejus.* Pſalm. 150.

Suetonius.

S. Bern.

Pſal. 150. *v.* 1.

III. Sed jam animos veſtros ad plura audienda ut animadverto præparatis. Aderat in templo Simeon Propheta, & legis Doctor. Quia cum reſponſum accepiſſet à Spiritu Sancto non viſurum ſe mortem niſi prius videret Chriſtum Dominum, venit in ſpiritu in templum, ad quod cum introduxiſſent Jeſum parentes ejus, accepit eum in ulnas ſuas, & lætus in hæc verba prorumpit *nunc dimitte ſervum tuum Domine, &c.* Ubi in hoc ſene duo notanda invenio. Primum, fuit nimia audacia, quod Jeſum non ſolùm contrectare, ſed in ulnas ſuas accipere auſus fuerit; cum probè ſciret, illum Oza magnas temeritatis ſuæ pœnas dediſſe, qui propter

2 Reg. 6. *v.* 26.

2 Reg. 6. *v.* 7.

propter levem tactum Arcæ Domini, quæ se inclinabat ad cadendum, corruerit & exanimatus perierit. Secundum, erat injuria, quam Virgini Beatissimæ intulisse videbatur, noverat quippe illam scripturam Exodi 25. Ubi præcepit Deus Moysi, ut arcam de lignis incorruptibilibus fabricaret, eamque intus & foris auro circumvestiret. Quod opus ita pulchrum, figura fuit incorruptibilis Arcæ nempe castissimæ Virginis matris Dei, quæ arca nulli corruptioni peccati fuit obnoxia, nec non aurea charitate undique cooperta. Similiter qui audierat de magnifico Throno Salomonis, qui constabat ex ebore, auroque purissimo, talem inquam Thronum justitiæ nempe Jesum Christum suis gestare manibus non formidabat. Sed jam Sanctum istum absolvo erroris. Ubi enim fuit divina dispensatio, ibi nulla potuit esse audacia aut inferri injuria.

Exod. 25. v. 10.

3. Reg 10 v. 18.

IV. Accepit Jesum & benedixit Deum, meritò benedixit Deum quia ingens donum accepit: At quid nam cum filio suo Sanctissima Mater Jesu obtulit, videamus. Lege cautum erat Lev. 12 ut ditiores agnum anniculum in sacrificium offerrent, pauperes vero duas turtures, aut duos pullos collumbarum. Cum ergo illa templum intrasset, in pauperum numero sese reputans, duas turtures in sacrificium obtulit. Quid agis ô Virgo! anne hoc sacrificium te dignum, an dignum filio, an dignum Deo? ubi jam thus illud est, ubi illa myrrha, ubi denique aurum illud, quod tibi ad præsepe Magi obtulerunt? Alexander Macedo obtulit Philosopho Anaxarcho centum talenta ob id solum quia Alexander esset. Salomon in dedicatione templi immolavit Domino boum viginti duo millia, & ovium centum viginti millia, B. V. Maria obtulit par turturum. Non puduit Virginem paupertatis cujus erat studiosa, sed & in eomet ipso paupere dono, magnum latet mysterium: non melius poterat offerri à casta Turture quam Turtures, nec plures quam duæ dum enim sic, nempe duas à Virgine ad sui purificationem oblatas considero, statim mihi connexionem illam duarum in una persona naturarum, nempe divinæ & humanæ, quas virgo in utero gestavit, ut in arbore crucis ad peccatorum nostrorum expiationem, & totius mundi redemptionem offeruntur, in memoriam revoco. Quin etiam recordor pulchræ illius Rebeccæ, quæ geminos uno conclusit utero, ac mihi statim in mentem reduco, hanc esse pauperem illam viduam, quæ duobus obulis, hoc est duabus naturis in Gazophylacium templi conjectis magis laudata est, quàm potentes illæ fœminæ magnas opes offerentes. Quin & amplius designant mihi hæ duæ turtures; terram illam promissionis adesse, in qua aliquando præclarus ille redemptionis nostræ Botrus colligeretur, quem in vecte duo viri, hoc est naturæ humeris portaverunt, ille inquam botrus, qui crucis torculari exprimendus, immensi pretii vinum exsudabit.

Levit. 12. v. 6.

3. Reg. 8. v. 63.

Genes. 25. v. 22.

Luca 21. v. 2.

Num. 13. v. 24.

V. O felix oblatio, sed felicior præsentatio Christi Salvatoris nostri. Sume animos peccator, oblationis tuæ videns primitias & arrham salutis tuæ aspiciens. Magnum fuit gaudium Isaac, cum gladio jam cervicibus imminente. morte jam vicina, arietem vidit inter vepres cornibus hærentem, qui in ejus locum sacrificio subjiceretur. At quantum nunc tuum gaudium sit oportet ô peccator! cum ut sanguineo divinæ justitiæ gladio, capiti vitæque tuæ minanti, incurvatus, prodeuntem hodie è vepribus humanitatis nostræ agnum sine macula vides, qui pro te reo juguletur & immoletur. Jam ergo non miror in tantum lætari Simeonem, tunc enim totius mundi nomine lætabatur, & sicuti magnus ille Patriarcha Jacob, cum jam grandævus, vidisset suum filium Joseph, quem defunctum putabat, dixerat: *Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam*: ita & Simeon viso Salvatore suo Christo, exclamavit & dixit; *Nunc dimittis servum tuum Domine, quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Lætemur ergo charissimi, tanta humilitate Christi Matrisque ejus Mariæ exaltati, eandemque non solùm veneremur sed cordi nostro altis radicibus infigamus. Rogantes Salvatorem nostrum Jesum, ut qui nos sua humilitate exaltavit per gratiam, per eandem exaltet in gloria cœlesti. AMEN.

Gen. 22. v. 13.

Gen. 40. v. 6.

Luca 1. v. 29.

IN

IN FESTO GLORIOSÆ ASSUMPTIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ.

CONCIO I.

Maria optimam partem elegit. Lucæ 10. v. 43.

AUditores humanissimi, multa celebramus festa Deiparæ Virgini consecrata, quorum solemnis memoria, cum una die absolvi nequeat, in diversis anni temporibus, ex instituto Sanctæ Ecclesiæ à fidelibus Christianis recollitur. Cujus rationem si scire velimus, eam nobis egregia figura veteris testamenti sub ministrat. Legimus Exod. 26, cap. & aliis in diversis sacræ scripturæ locis. Tam excellens fuisse illud Tabernaculum quod ex mandato Dei Moyses construxerat, ut propter diversas partes quibus constabat, non potuerit simul ferri, sed necesse fuerit illud in varias dividere portiones, & tradere illis, qui illud per desertum ferre tenebantur. Habebat enim suas cortinas, & tentoria, suas tabulas, baseisque argenteas, tectum cum operimentis suis, velum de hyacintho, & purpura, pulchra colorum varietate contextum, aliaque plurima, quæ enarrare longum foret. Excellentius ego video hodie Tabernaculum, divinum illud dico Tabernaculum, B V. Mariam, cujus cum tot tantæque sint excellentiæ, ut in enarrandis humanæ linguæ Angelicæq; voces deficiant, nec una eademque vice omnes portare valeamus, ea propter mater nostra Ecclesia tale Tabernaculum divisit in partes, nempe separatim celebrãdo conceptionem suam, separatim nativitatẽ altero die præsentationem ejus in templo, alia annunciationem, alia visitationem, alia purificationem, & tandem hodie unam specialem partem, nempè gloriosam Assumptionem suam solemniter celebramus. Cujus ego excellentiam ex hisce sacri Evangelii verbis, Maria optimam partem elegit, Auditoribꝰ meis demonstrare conabor.

Exod. 26. v. 24.

S Bernar. Serm. de Assumpt. B. V. Mariæ.

I. Magnus Ecclesiæ Sanctæ Pater S. Bernardus quod olim protulerat de hodierno festo Assumptionis B. V Mariæ, dicens; *Nullum est quod magis me terreat*; idem & mihi dicendum venit hodie Auditores: tanta enim est hodiernæ diei gloria, ut non solum verbis nostris exiguis digne laudari non possit, sed neque Angelico intellectu potuerit comprehendi, dum dicerent: *Qua est ista qua ascendit per desertum,* Cant. 3. v. 6. Quæ verba sacræ scripturæ, quamvis Venerabilis Hugo Cardinalis intelligat de anima hominis, pœnitentiam agentis, sic dicens: *Qua est ista? qualis & quanta & quam admirabilis, Cantica. qua ascendit proficiscens de virtute in virtutem, per desertum, mundum ipsum suppeditans.* Sanctus tamen Hieronymus, Beatissimæ Virgini Mariæ in cœlum assumptæ ea verba attribuit, dicens: Hæc profecto festivitas admiranda est etiam virtutibus Angelicis, propter quod ex persona supernorum civium, in ejus ascensione admirans Spiritus Sanctus ait in Canticis: *Qua est ista qua ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus.* Quam pulchra comparatio! Fuit B. V similis virgulæ, quia gracilis, & divinis extenuata disciplinis, fuit virgula fumi, quia desiderio charitatis nec non salutis nostræ cremabatur. Erat virgula fumi ex aromatibus, quia multis repleta fuit virtutum odoribus: dum ergo hæc virga Jesse ascendebat de hoc deserto mundi, mirabantur cœlorum cives præ gaudio: quænam esset ista, quæ etiam Angelicam excederet dignitatem, ut supra omnes illorum choros collocaretur. Unde infero. Si Patribus, imo ipsis Angelis, hæc B. V. gloriosa assumptio, valde difficilis videbatur; imò, sola admirandi licentia data fuit: quid mihi præsumendum erit, qui neq; aliud dicere possim, quam *Domine nescio loqui*; neque etiam idoneum Thema præconii mei assumpserim, quod repeto dicens: *Maria optimam partem elegit.* Hæc enim verba si ponderaverimus, inveniemus; ea spectare ad Mariã illam peccatricẽ: quæ dum una cũ sorore Christũ hospitio excepisset, & una illarum nempè Martha solicita esset in ministerio corporali, alia vero Maria Magdalena in auditu verbi sui divini & ea propter contra ipsam expostularet coram Christo, id ipsi respondit. *Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima.* Porro unum est

Cant. 3. v. 6.

Ierem. 1. v. 6.

neces-

necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

II. Sed jam non est quod formidem, si enim verba à me assumpta, in sensu mystico ponderare velimus, ea peroptimè & potiori ex parte Beatissimæ Virgini Mariæ convenire inveniemus. Non vituperavit Dominus Jesus maximas Marthæ curas & œconomiam, tamen Mariam Magdalenam illi prætulit; dicens: *Maria optimam partem elegit.* Multò meliorem elegit partem nostra Deipara, quâ utrasque sorores longè superat, nempè Marthã & Mariam Magdalenam. Nam quod concernit sollicitam Martham, illa hospitio suo suscepit Christum. At sancta Virgo Maria, non in domum, sed suscepit eum in Sanctissimum uteri sui Virginalis Tabernaculum. Martha satagebat circa frequẽs ministerium, at Beatissima Virgo majus habuit ministerium, illa enim non solùm exterioribus cibis Christum Jesum in exili ætate pavit; verùm etiam uteri sui lacte ipsum aluit. Insuper quàm sollicita fuerit, dum cum infante fugeret in Ægyptum propter Herodis sævitiam ac crudelitatem quam in parvulos exercebat, dum è templo Jerosolymitano domum rediens, amissum putaret, dum jam adulto gentem Judæorum hostilem esse videret, dum traditur à Juda, & à satellitibus principum captum cognosceret, dum è porta Jerosolymorum cum cruce exeuntem videret, cum sub cruce staret, dum Joanni discipulo se commendari audiret, dum expirantem & tandem mortuum conspiceret, quid putatis? an non magis Virgo Maria sollicita extitit, quam unquam Martha fuit?

III. Sed veniamus ad Mariam Magdalenam, illa præfertur Marthæ. At ego Sanctissimam Virginem Mariam præfero Magdalenæ, de qua Beatus Anselmus sic ait: *De parte Mariæ quæ optima prædicatur; qualis vel quantà fuit in Beata Maria, quis digne loquatur?* Optimè ait Sanctus Doctor. Hæc enim non tantùm ad pedes ut Maria Magdalena, sed etiam ad caput Domini sedens, audiebat verbum illius. Hæc conservabat omnia verba Angelorum, Pastorum, Magorum, nec non ipsius filii sui conferens ea in corde suo. Et quid miramur, ad tantum contemplationis gradum Beatissimam Virginem Mariam pervenisse? Quid de Deo non saperet, in qua sapientia Dei latebat, & in cujus utero domum sui corporis ædificabat? Prænominatus S. Anselmus pulchrum hujus materiæ proponit argumentum dicens: *Christus est, ut ait Apostolus, Dei virtus, & Dei sapientia. Et in eo sunt omnes thesauri sapientiæ & scieentiæ absconditi. Christus autem in Maria: ergo Dei virtus, & sapientia, & omnes thesauri sapientiæ & scientiæ in Maria.* Magna hæc sunt Auditores, in quibus Sanctissima Virgo, excellit Martham & Mariam Magdalenam sororem ejus, quia non jam est sollicita ut ministrat filio, cui omnes Angelorum chori ministrent, & ipsa regnat cum illo. Excellit Magdalenam, quia non jam oblectatur solo auditu verbi illius divini nempe sui filii, sed simul visione illius beatifica. Digna profectò tali honore, ut quæ in hoc mundo reccepit Deum in optima corporis, animæque suæ parte, eadem mensura Deus eam susciperet ad optimam cœli partem, uti ait S. Bernardus. *Nec in terris locus dignior, virginalis uteri templo, in quo virgo Christum suscepit, nec in cœli solio, in quo Christus Mariam sublimavit.*

S. Anselm.

B. Anselm.

S. Bern.

IV. In quo nam hæc Deiparæ Virginis sublimitas constiterit D. Athanasius respondet dicens: *Ea nunc ut Regina assistens à dextris filii ubique regnantis, celebratur.* Maxima sanè & omnium gentium linguis prædicanda Mariæ Virginis sublimitas, quod non solum erecta fuerit super sedes Prophetatum, Patriarcharum, non solum super duodecim sedes Apostolorum, neque solùm exaltata super omnes choros Angelorum, sed etiam quod à dextris æterni Regis, in regali Throno fuerit collocata. Legimus id in terris obtigisse Reginæ Bersabee matri Salomonis: hæc enim dum venisset ad palatium Regis, mox surrexit in occursum ejus. *Positusque est thronus matri Regis, quæ sedit ad dextram ejus.* Magnum quidem honorem exhibuit matri filius. Sed quid tum? cum petitionem suã, quam fecerat pro Adonia, repulerit: non ita alter filius simulq; Rex cœli terræque Christus matrem suam Mariam à dextris suis collocavit, ut preces suas repelleret. Sed eo fine, ut ea dignitate donata & ornata, uti ait S. Bernardus, semper exaudiretur pro reverentia sua. Et quis dedit animum audaciamque Estheræ, ut oraret pro populo suo? non aliud certè nisi ipsummet Regni consortium, ad quod ab Asvero Rege evecta fuit: idem de Maria gloriosa Dei Matre cœli terræque Regina dicendum erit.

D. Athan.

3. Reg. 2. v. 19.

V. Verum dicam aliquid majus. Dum filius Dei Christus Jesus à dextris suis posuit matrem suam, id fecit ideo ut eam super se ipsum etiam exaltet:

exaltaret: non creditis? Doctissimus Autor Maldonatus probat id pulcherrimo argumento, quod desumpsit ex Psalmo illo 109. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*; & formatillud taliter. Deus Pater unigentium filium suum collocans ad dexteram, eo ipso nonsolùm sibi æqualem, sed se ipso majorem fecit, majoribus enim honoris causa dextram damus. Sed nunquid Pater non est major filio? In quo ergo Dei filius præcellit Patrem? in eo, quod sicuti ait D. Joannes Evangelista: *Pater non judicat quenquam, sed omne judicium dedit filio.* Sic ergo & Christus Jesus matrem Mariam collocavit ad dextram suam conferens per hoc illi potestatem sui tribunalis, se autem non jam pro judice sed pro solo advocato constituens, & per id, illam se ipso majorem faciens. Idem testatur Petrus Damianus dicens: *Accedit Regina cœli ad aureum divinæ severitatis tribunal, non rogans sed imperans, Domina ancilla.* O vos omnes qui peccatorum sordibus animam vestram tam nobile pignus maculastis, irâ & flagella Dei in vos concitastis, gaudete, & exultate & videte quantum boni ex gloriosa virginis assumptione nacti sumus! rectè igitur protuli. *Optimam partem elegit sibi Maria.* Optimam inquam, nobisque salutarem. Quæ ut & nobis conferatur, imploremus ejus patrocinium per merita Jesu Christi, qui vivit æternùm, Amen.

Maldonat. super Psal. 109.

Ioan. 5. v. 22.

Damianus Cardin. in Proverb. Salomonis.

IN FESTO GLORIOSÆ ASSVMPT. B. V. MARIÆ. CONCIO II.

Vox exaltationis & salutis in tabernaculis justorum, dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem. Psal. 117. ℣. 15. 16.

IGnoro Auditores mei, an hæc verba vobis recitata, aliquid opis mihi sint collatura ad extollendam aliquo encomio gloriosam assumptionem B. M. Virginis. Cum enim sensus eorum concernat David Regem, qui cum à multis adversitatibus liberatus Regiam sedem ascēdisset, multaque de inimicis victorias magno triumpho reportasset, ea propter in hoc Psalmo refūdens, Deo gratias agit: *Vox exultationis* &c. Qualiter igitur talia verba illius solemnitati hodiernæ accommodabo? vel qualiter ea à Davide mutabo? Sed jam inveni modum: Si enim major est in cœlis, quam fiat in terris exaltatio, amplius regnum, thronus splendidior, victoria nobilior, triumphus insignior, pax & quies æternùm duratura, eam inquam ob causam ea verba audacter assumo, eaq; laudibus B. V. Mariæ in cœlis exaltatæ applicare præsumo. Et cum nihil habeam quo ipsam pro summa sua dignitate honorare valeam; immolabo in tabernaculo ejus hostiam vociferationis, cantabo & psallam dicens: *Vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum, dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem.* Porro vos Auditores piissimi, si musicæ & melodiæ spirituali bene affecti manetis, quam ego supra textum nominatum conficere, vobisque præsentare cupio, eam percipietis ex diversis sacræ scripturæ locis, modo attente auscultate, & humaniter.

I. Notum est vobis Auditores, vocem quæ procedit ex ore hominis nullā produci sine causa, semper etenim denotat aliquid, aut jucundū, dum aliquis cantat, vel hilariter confabulatur, aut triste, dum aliquis lamentatur. Hodie gloriosa V. M. per totum orbem diffundit vocem, sed vocem exultationis & salutis in tabernaculis justorum. Quidnam dicent Auditores? æstimo quod sint inquisituri hujus lætitię rationem. Sed ego eam quæstionem nostram superfluam esse judico. Si enim olim totus populus Israelis cum victrice Judith lætabatur post necem Holophernis & civitatis Bethuliæ libertatem: similiter cum Regina Esther, post ruinam Aman Principis & hostis sui. Similiter cum Delbora & Jachel post devictum Sisaram jubilaret. Cur nos, cum Augustissima Regina nostra V. Maria non lætemur? cum ipsam non inferiorem, sed multò superiorem & magis gloriosam illis præclaris fœminis, Deus habere voluerit: matronæ illæ gloriam

riam Jerusalem, lætitiam Israeli, honorificentiam populo quondam attulerunt; at Regina nostra non uni civitati, non uni populo vel regno, sed toto universo orbi Christiano, quin & ipsis cœlestis curiæ ordinibus, summum hodie attulit gaudium & lætitiam. Illa equidem est Eva verissima, quæ nobis non mortem intulit, sed vitam peperit salutarem: illa est hæc vera Prophetissa, quæ non tantum una vice sicuti soror Moysis suo Cantico, sed hucusque & futurum incitat & animat ad laudes Deo nostro persolvendas. Illa est hæc urna aurea, in qua non Moyses, sed Deus ipse, non manna vetus, sed panem Angelicum deposuit, & qui hunc panem manducabit, vivet in æternum. Illa est virga Aaronis, quæ supra naturam floruit, & fructum dedit; illa est vas electionis, vas honoris, & cœlestis dilectionis. Illa est porta clausa Ezechielis Prophetæ. Illa est splendidum illud
Ioan: cap. 6. v. 55. ferculum Salomonis de lignis Libani: cujus columnæ argenteæ, reclinatorium aureum, ascensum habens purpureum, media constratum charitate propter filias Jerusalem. Sed quid ego has Sanctissimæ Virginis dotes enumero, quæ licet præclaræ sint, nobis tamen hodie non causant singularem vocem exultationis & salutis, alibi ergo quærenda erit. Sed ubi?

II. Eamus & quæramus Arcam Noë, jam enim cessavit diluvium, quod peccatum universo orbi creaverat, neque inanis labor noster erit, ibi enim videbimus columbam de eadem Arca egredientem, & ad vesperam ramum olivæ virentibus foliis in ore suo portantem, eam inquam columbam, quam cum cœlestis sponsus audisset dicentem. *In omnibus requiem quæsivi & in hæreditate Domini morabor?* tunc postquam intellexit divinus sponsus columbam suam ita diligenter cœlestem Arcam inquirentem, re-
Cant. 2. vers. 10. spondit ei *Surge, propera amica mea columba mea, veni de Libano, veni, coronaberis.* Hic Auditores devoti, singulari jam argumento movemur, ut huic columbæ nostræ ad aureum nidum properantis obviam procedamus, eamq; hac melodia salutemus. *Vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum.* Porrò si iverimus ad domum Obededom cum Rege David, hic etiam novum motivum habebimus suavem ac hilarem cantilenam reperendi. Habemus
2. Reg. 6. v. 12. enim scriptum 2. Regum capite 6. Quod cum Rex de domo superius dicta Arcam ad civitatem Jerusalem transferre vellet, id eum maxima fecit solemnitate: ait enim sacer textus scriptura: *Erant cum David septem chori*: & paulo post. David & omnis domus Israël ducebant arcam testamenti domini in jubilo, & in clangore buccinæ. Si igitur Rex David cum populo in reducenda arca lignea tantam solemnitatem adhibuit? multò magis decens justumque est, ut & nos hodierna die, vero David Christo Jesu Arcam castissimam, in qua novem mensium spatio jacuit reducenti, ad cœlestem Jerusalem associemur & canamus mente: *Vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum* &c.

III. Deinde si cum Elia Propheta excelsum Carmeli montem velimus ascendere, uti scriptum habemus, 3. Regum cap. 18. ibi videbi- *3. Reg. 18. v. 42.* mus nubeculam parvam qui si vestigium hominis, ascendentem de mari, illam inquam nubeculam, quæ quidem parva in principio videbatur, nam se ancillam Domini nominabat, sed postmodum in tam altum excreverat montem, ut facta sit in grandem pluviam gratiarum, illam dico nubeculam de qua apud Sanctum Lucam mulier illa dixerat: *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti.* O dulcissimam pluviam, quam non solum infanti Christo sugere de uberibus suis licuit; sed nunc etiam justis conceditur & peccatoribus! Justis offert uber dextrum nempe gratiæ. Peccatoribus autem sinistrum misericordiæ. Unde ab Ecclesia Sancta sic salutari solet: *Maria mater gratiæ, mater misericordiæ.* Nunquid parvum motivum lætitiæ, ut dicamus: *Vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum.* Denique si nos versus Orientem converterimus atque viderimus illam Reginam Sabæ qualiter ingressa *3. Reg. 10. v. 1. 4.* Jerusalem multo cum comitatu & divitiis, camelis portantibus aromata & aurum infinitum nimis, & gemmas pretiosas, venit ad Salomonem Regem, mox recordabimur Reginæ nostræ Virginis Mariæ, qualiter ipsa ex hoc mundo ad cœlestem Jerusalem cum multis divitiis auro gemmisque præstantioribus, nempe cum tanta virtutum donorumq; cœlestium prediviti supellectile venerit, & ad thronum divini Salomonis accesserit, ut videret omnem ejus divinam sapientiam, & splendidam domum quam ædificaverat, & cibos mensæ ejus, & habitacula servorum, & ordines ministrantium. Cumq; audiamus verum Salomonem nempe Christum Regem dedisse Reginæ nostræ omnia quæ voluit, dignum est ut ei de tanta gloria gratulemur, dicentes: *Vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum.*

IV. Absolvimus primam partem cantilenæ nostræ; audite sequentem: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem.* O nobiliorem & longiorem textum cantilenæ hujus! & quis eum finire sufficiat? Cum fundetur in virtute Domini, quæ super Angelorum choros Sanctissimam Reginam nostram exaltavit. Habemus hujus rei figuram in libro Esther c. 6. in quo describitur exaltatio humilis Mardochæi, quam superbus princeps Aman verbis talibus promulgabat: *Sic honorabitur quemque Rex voluerit honorare.* Non intendo per hanc figuram meritis B. Virginis quidquam derogare, ac si dexterâ solâ virtutis divinæ fuerit assumpta in cœlum, quemadmodum illi qui podagrici, vel omnino claudi sunt, nec ullo modo ambulare possunt, de loco ad locum, manibus aliorum deportari debent: illi qui opera bona flocci pendunt, & ex sola venatione verbi Dei fideiq; præsumptuosæ vivere volunt, id loquuntur, in quorum numero ac coluvie sectatores Lutheri invenias, tales mihi respondeant ad hanc quæstionem. Ut si ego referre velim virtutes & bona ne dicam divina opera S. V. Mariæ, ad merita & retributionem eorundem sempiternam. Quid majus est dictu: Num id quod B.V. Maria assumpta sit in cœlum, ibique æterna gloria perfruatur? an verò id, quod fuerit, & nunc etiam nominetur mater Dei? Scio vos huic secundo dicto meo adhæsuros: plurimæ enim sanctæ & electæ Virgines reperiuntur in cœlis, sed una tantùm ex ipsis Christi Domini mater est. nempe B.V. Maria, illa inquam heroina quæ serpentis contrivit caput, & illam fructiferam tot votis desideratam arborem germinavit sub cujus minima umbra omnes ab omni periculo tute defendamur, & qui de hac nobilissima arbore salutifera fructus sumere laborat vitam habebit sempiternam. Hinc ergo sequitur quod virtus divinæ dexteræ, per quam assumpta est in cœlum Maria, nihil deroget honori & dignitati ejusdem meritorum, quorum intuitu electa fuit in matrem Dei, & nunc etiam cum eodem regnat in æternum.

Esther 6. v. 9.

V. Jam quod dicitur assumptam esse à tota Sanctissima Trinitate, à toto exercitu Angelorum, id magis honori & gloriæ quam indigentiæ suæ tribuendum erit. Sic habemus 4. Regum c. 2. Eliam Prophetam curru igneo in cœlum ascendisse, in novo autem testamento plurimi Sancti uti Benedictus, cum Sancto Dominico per scalam ad cœlos delati visebantur: at hæc gestatoria & ministeria, ad gloriam & non ad aliquam necessitatem, ob quam anima vel corpus glorioſum, sic sublevari debeat, referri debent. Christus Dominus uti de ipso in symbolo profitemur, propria virtute ascendit ad cœlum: nihilominus apud Marcum c. 16. scribitur. *Assumptus est in cœlum*: non quod indigeret nubibus, vel Angelorum ministerio propter necessitatem, sed propter majestatem suæ gloriæ, quæ etiam membris suis conferri solet, testante Sancto Paulo Apostolo, qui dicit Angelos mitti in ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Quod cum ita sit, non est dubium Beatissimam V. Mariam in sua glorioſa assumptione summo honore à tota cœlesti curia exceptam & honoratam fuisse. Nos ergo gratulantes ei de tanta majestate, eidem indigentiam ac necessitatem nostram commendemus, rogantes eam, ut nos patrocinio suo protegat, & ante tremendum illud tribunal filii sui pro nobis intercedat, nunc & in hora mortis nostræ. Amen.

4. Reg. 2. v. 11.

Mar. 16. v. 19.

IN FESTO GLORIOSÆ ASSVMPT. B. V. MARIÆ. CONCIO III.

Positus est thronus matri Regis, quæ sedit ad dextram ejus. 3. Reg. 2. v. 19.

FAmosi Oratores id moris habent, ut dum Auditoribus suis sublimem & difficilem aliquam materiam proponere velint, in prologo seu præfatione orationis suæ figura extenuationis uti solent, per quam imbecillitatem suam excusant, id tamen artificii seu cortesiæ gratiâ multi faciũt, ut per contestationem sui timoris ad majorem attentionem inducant Auditores,

res,

& ſublimate verborum ſuorum ſubſequenti, eos in admirationem maximam rapiant; Verum quod concernit noſtram materiam quę eſt de glorioſa aſſumptione Matris Dei & Sanctiſſimæ Virginis Mariæ, hic jam ſincerè mihi fatendum eſt, tantam ejus eſſe excellentiam, quam humana lingua minimè eloqui valeat,& meritò; ſi enim ipſimet Angelorum chori conſpicātes iſtum triumphum tam mirabilem, & proceſſionem tam ſolemnem, loco orationis panegyricæ in admirationem verſi ſunt dicentes: *Cant.6.v.9* *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens:* multo minus homo debilis ad hoc munus exequendum erit ſuffieiens; dicente S. Bernardo Abbate: *Quis cogitare ſufficit, quàm glorioſa hodie mundi Regina proceſſit.* Eſt quidem verum, aſſumpta verba thematis quæ de Berſabee Regina & matre Salomonis intelliguntur favere meo propoſito, ſed quanta ſit differentia inter matrem Salomonis,& matrem cœlorum Regis Chriſti thronumque utriuſque, nulli obſcurum eſſe puto. Unde ſi mihi hæc figura ſufficientiam materiæ verborumque denegabit, eam Spiritus Sanctus adimplere dignabitur.

I. Legimus 3. Reg. cap. 2. Quia cum ve- *3. Reg. 2. v. 19.* niſſet Berſabee ad Regem Salomonem, ſurrexit Rex in occurſum ejus, adoravitque eam & ſedit ſuper thronum ſuum. Similiter & matrem ſuam throno Regio honorare voluit: ſic enim textus habet: *Poſitus eſt thronus matri Regis, quæ ſedit ad dextram ejus.* Quod Sapientiſſimus Rex Salomon ita humanitur exceperit Berſabee eamque in tantum honoraverit, id fecit propter duas cauſas. Erat enim Regina, & deinde erat mater ſua. Quod concernit primum, non abs re fecit, quia honoravit Reginam: Reginæ enim cum ſint conſortes regni, oportet illas ut Reginas debitis honoribus afficere? Unde Aſverus Rex glorioſus poſtquam adamavit Eſter virginem forma & virtute præclariſſimam eamque aſſumpſit in uxorem; ſtatim etiam fe- *Eſth 2. v. 17.* cit & Reginam. Habetur enim Eſter cap, 2. *Poſuit diadema regni in capite ejus, fecitque eam regnare in loco Vaſthi.* Non eſt igitur mirum, quod & Salomon qui tam ſingulari tam incredibili ne dicam divina ſapientia ac prudentia à DEO fuit ornatus, Legesque Regiæ majeſtatis perbellemoverat, Berſabee tanquam Reginam honoraverit. Sed quotquot Reginæ fuerunt in hoc mundo; ſuperat omnes Regina noſtra Beatiſſima Virgo Maria, & quidem hanc ob cauſam; illæ enim ſi fuerunt glorioſæ, erant tales, vel ob pulchritudinem, vel propter divitias. Si primum. Forma & pulchritudo earum erant dona extrinſeca. At noſtra Regina pulchra, non ſolum extrinſecus, ſed etiam ad intra: juxta illud Pſal. 44. *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus.* *Pſal 44. v. 14.* Quod autem cœleſtis ſponſus talem pulchritudinem pluris faciat, habemus teſtimonium Spiritus Sancti, Canticorum 4. ubi cum ſponſus laudaret ſponſam ſuam drammaticè; hoc eſt à pulchritudine oculorum, capillorum, dentium, oris, colli, uberum, *ubique* addit *abſque eo, quod intrinſecus latet.* *Cant. 4. v. 1* Pulchritudinem enim Beatiſſimæ Virginis Mariæ quæ intrinſecus latet, quis digne eloqui poſſit, quæ tanta eſt, ut demum ipſum Deum de cœleſti palatio ad terram hujus mundi trahere potuerit.

II. Citat Homerus Poëta quandam fabulam antiquorum gentilium, hujuſmodi. Quod Jupiter Deus quadam vice ſummopere hominibus propter illorum peccata iratus fuerit, & ſic plenus irâ perambulabat cœlorum amœnos hortos, ad terram autem deſcendere nolebat. Quamobrem Dii cæteri, videntes ſummam hominum miſeriam, rogaverunt enixè Jovem, ut deſcenderet in terram, ille dixit ſe facturum, ſi aurea è cœlo pendente catena ipſum in terram pertrahere valerent: hac conditione accepta, omnes acceperunt catenam & unanimiter traxerunt, ſed fruſtra. Tandē acceſſit Venus, quæ tanta vi traxit catenam, ut Jupiter ad terram deſcēdere coactus fuerit. Hæc fabula eſt, ſed noſtro propoſito benè quadrat: ſcimus peccaſſe humanum genus, ſcimus ſanctos Patres veteris Teſtamenti qui vocantur Dii, Pſ. 81. traxiſſe cate- *Pſal. 81. v 6* nam, nempe clamaſſe & oraſſe deſcenſum Dei, ſed nihil effecerunt: dicit enim Sanctus Paulus ad Hebræos 11. *Omnes iſti defuncti ſunt non ac-* *Heb. 11. v. 3.* *ceptis repromiſſionibus.* Aſt quam primùm comparuit Virgo Maria, ſtatim oculos ſuos in illam fixit Deus *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ,* *Luc. v. 48.* & quem Patriarchæ & Prophetæ attrahere nequierunt, ſola Mariæ pulchritudo id effecit, ob quam deſcendit de cœlo, & tanquam ſpoſus procedens de thalamo ſuo exulavit ut gigas ad currendam viam. Quod concernit divitias, non multis verbis agam: ſufficiet mihi dictum Spiritus S. Proverb 31. *Multæ filiæ congregaverunt di-* *Proverb. 31.* *vitias, tu ſupergreſſa es univerſas.* Legimus in li- *v. 29.*

bro Esther. Asverum Regem in tantum adamasse Estheram ut ei dixerit. *Quid vis, etiamsi dimidiam partem regni mei petieris, obtinebis.* Pluris adamavit Rex cœlestis sponsam suam, unde partitus regnum suum, eique partem mediam condonavit; Dominia cælestis regni duo sunt. Unum vocatur *Iustitia, alterum autem misericordia.* Cum itaque augustissimam virginem ita adamasset, obtulit ei optionem ut peteret quidquid sibi placeret: illa petiit misericordiam, itaque Rex cœli & terræ sibi reservavit regnum Justitiæ; Beatissimæ verò Virgini Matri suæ donavit regnum misericordiæ, nempe ut omnes ad eam recurrant, omnes invocent implorentq; suam misericordiam, ad quam ipsamet invitat Cant. 8. *Ego murus & ubera mea turris.* Scitisne cur vocet ubera sua turrim? ad turrim omnes refugium habere solent. Juvenes, senes, viri, fœminæ, parvi, magni, boni, mali; duo ergo ubera Beatissimæ Virginis Mariæ sunt duæ turres, ut omnes ad illas confugiant, suumque refugium quærant. Cujus rei testis est Sanctus Bernardus ita dicens: *Omnibus misericordiæ sinum aperit ut de plenitudine ejus accipiant universi.* Hæc exigua de pulchritudine & divitiis Reginæ nostræ.

Cant. 8. v. 10.

S. Bernard.

III. Secundo posuit Salomon thronum Bersabee, non tantum ideo, quia Regina, sed etiam quia fuit mater sua, & merito: filii enim honorare debent matrem suam. Beatissima Virgo Maria quàm magnum adepta sit honorem, ex eo quod sit mater Dei, quis enarrare sufficiat? Dicant mihi causam Auditores. Cur omnes quatuor Evangelistæ cum multa opera Christi in suis historiis conscripserint: porro de Beata Virgine Maria parvâ fecerunt mentionem? Respondeo. Quia cum Christus tanquam Deus esset omnipotens, infinitus immortalis, postea autem factus homo fuerit mortalis & passibilis, multa de illo tanquam nota & aliis communia dici & verificari poterant. E contrario autem, quando Beata Virgo Maria assumpta fuit in matrem Dei, adeo est exaltata, ut dignitatem ejus quia ineffabilis est, calamus Evangelistarum explicare non valeret, ideo satis fuit dicere: *De qua natus est IESVS:* quasi diceret Sanctus Evangelista. Hic jam satis sit. Hic sit Columna Herculis, hac cum inscriptione: *Non plus ultra.* Jam ergo revertor ad matrem Salomonis. Posuit in ei thronum duplici respectu, eò quod Regina, eò quod mater. Sed hæc Regina & mater longè inferior à Regina & matre Christi JESU: illa enim sedens in throno Regio quod petiit non obtinuit, petiit pro Adonia, ut sibi daretur Abisac, sed repulsam tulit: sed Beatissima Virgo Maria, quotquot nomine nostrum memorialia & libellos filio suo porrigit, semper exauditur.

Matt. 1. v. 16.

IV. Et quidem Auditores, illud vel maximè admiratione dignum est. Scribitur Apocalypsis cap. 21. In cælo nullas passiones, nullos dolores amplius inveniri. *Ibi neque luctus, neque clamor, neque ullus dolor*: ad talem statum Beatissimam Virgo Maria evecta fuit dicam plus, quod ex aspectu filii sui dilectissimi, amplissimo gaudio perfruatur: nihilominus Beatissima Virgo jam in cœlo regnans, non deponit curam nostram. Non est sicuti illa Regina Hester, quæ cum de nationè Judæorũ assumpta fuisset ad regnum, à Mardochæo rogata ut pro pŏpulo suo intercederet, excusationem quandam prætendebat, & iterum tandem admonita vix intravit ad Regem Esther cap. 4. At Regina nostra, quamvis jam fruatur omnibus regni illius deliciis, in his etiam curam nostram habet, quin ibidem plustriftatur de nostro malo, quàm lætetur de suo bono.

Apoc. 21. v. 4.

Esth. 4. v. 8

V. Undè hæc assumptio Sanctissimæ Virginis, maximo nobis in omnibus necessitatibus atq; angustiis debet esse solatio, ideo enim assumpta est, ideo accepit thronum penes suum filium, ut eundem tanquam nostrum Judicem pro nobis interpellaret: illa est splendens aurora, quâ consurgente Angelus pugil ad Jacob Patriarcham dixit, *Dimitte me, quia aurora est.* Geneseos 32. Nam hac aurora consurgente Angelus consilii CHRISTUS Dominus, quasi ligatur & terretur, ne genus humanum perdat. Beatissima Virgo Maria, illa est de qua Spiritus Sanctus Canticorum 4. ait: *Sicut vitta coccinea labia tua.* Sicut enim illa Raab per coccineum funiculum salvavit exploratores ad Josue missos, ad lustrandam urbem Jericho, Jos. 21. ita Beatis. V. Maria precibus & orationibus suis quas ex ore suo depromit, per funiculum suum significatis, tanquam per signa securitatis conservat nos ab omni animæ & corporis periculo. Et ut uno verbo dicam, illa est mater, & patrona, non solùm justorum, sed etiam peccatorum: ipsi enim demandata est cura totius gregis à summo Pastore CHRISTO; non solùm

Gen. 32. v. 26.

Cant. 4. v.

Ios. 21. v. 19

ovium

ovium quæ dextram, sed etiam hædorum, quæ sinistram habent, Cant. 1. *Abi post vestigia gregum tuorum, pasce hœdos tuos.* Quod Gulielmus sic explicat: *Pasce hœdos tuos qui à sinistris erunt collocandi, tua enim intercessione efficies, ut collocentur à dextris*: Lætemur ergo in hac felici & nobis fructuosa Beatissimæ V. Mariæ assumptione, & accedamus ad thronum gratiæ ejus, eam deprecantes ut nobis in hac vita apud Filium suum impetret misericordiam, post mortem verò gloriam sempiternam, qua cum ipsa & omnibus Sanctis in omne ævum frui valeamus, Amen.

Cant. 1. Gulielmus.

IN FESTO GLORIOSÆ ASSVMPT B. V. MARIÆ.

CONCIO IV.

Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.
Judith. 15. ℣. 10.

QVemadmodum universæ nationes quæ erant sub ditione Regis Asveri, nusquam ita lætabantur, sicuti tunc quando Rex Hester virginem sponsam suam adoptavit in Reginam, quia hac vice: *Dedit requiem universis Provinciis, & dona largitus est juxta magnificentiã principalem.* Sic etiam universus populus Christianus, qui est sub imperio magni Regis Jesu Christi, nusquam majorem habuit lætitiam, quàm sit hodierna, quæ provenit ex conjunctione gloriosa Beatissimæ V. Mariæ, quam supremus Rex universi Christus Dominus, cœlesti dono decoravit, & totius Imperii sui Reginam fecit. Illius namq; gaudia tanta fuêre, ut iisdem perfusi Angeli dixerint: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto de delitiis affluens?* Beatus autem Thomas à Villa Nova ea verba sic explicat: *Gaudiorum affluentiam, inter alia, cœlorum cives admirantur.* Non mirantur solemnitatem triumphi, hic enim captum illorum superare videtur: Sed solius gaudii admirationi insistunt, quasi cœlum nunquã fuerit jucundius, & majori lætitia repletũ, quàm tunc: dum in illud B. V. Maria assumpta fuit; quod ego in hodierna concione demonstrabo.

Esther. 2. v. 18.

Cant. 3. v. 6

Conc. 2. de Assumpt. B. V. Maria.

I. Serenissimam illam beatorum domum, quæ non solùm sole, luna, stellisque sed novem Angelorum choris atq; immenso cœlitum numero est exornata, plenam esse lætitiâ, nemo est qui dubitet: ex assumptione B. V. Mariæ, majus illi accrevit gaudium: quando enim cœlestes illi incolæ cœlum ingredientem viderunt, omnes uno ore dicebant: *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri*; id est, uti explicat Genuensium Archiepiscopus, Jacobus de Voragine: *Tu gloria Ierusalem, id est, ipsius Dei; lætitia Israel, id est Angelorum, qui Deum semper vident; honorificentia populi, id est omnium Sanctorum & Beatorum.* Quasi verò nec Deus ita glorioſus futurus fuisset, nec adeo læti Angeli, neque Sancti & beati cœlorum cives, tanto honore potirentur, nisi augustissima cœlorum Regina in gloriosas cœli sedes recepta fuisset. Et quidem re ipsa ita est, nunquam enim cœlum glorioſius, pulchrius ac jucundius apparuit, quàm dum Beatissima Virgo Maria illud ingressa fuit. Audite verba Ecclesiastici: *Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei; Sic mulieris bonæ species in ornamentum domus suæ*; idem est ac si diceret. Mox ut Beatissima Deipara sese in cœlesti paradiso, inter Sanctos Dei videndam exhibuit, non secus ibidem atque sol inter stellas apparuit. Cur soli similis visa fuit? Sol non tantùm omnium est visibilium pulcherrimus, verum insuper ipsas quoque cœli stellas, splendoris sui radiis decorat, & illustrat. B. Virgo, in cœlis quasi sol inter stellas emicuit, mox enim ut gloriosissimam DEI domum, inter beatos Spiritus ingressa est, veluti sol quidam inter stellas subingredi visus fuit. Neque enim ibi eximium pulchritudinis suæ specimen demonstravit, verum etiam cunctos beatos cives, suæ pulchritudinis gloria, magis decoros & illustriores reddidit. Testis est hujus rei Sanctus Bernardinus dicens: *Tantum differt gloria Virginis, à gloria aliorũ beatorum, quantum sol à cæteris luminaribus cœli; & quodammodo,*

Serm. 214.

Eccles. 26. v. 21.

S. Bernard. part. 1. Ser. 61. art. 2.

quodammodo, ſicut cætera luminaria irradiantur à ſole; ſic tota cœleſtis curia à glorioſa virgine lætificatur & decoratur. Cur obſecro Deus beatam Virginem in cœlo exiſtentem, S. Joanni Apoſtolo, velut ſole amictam exhibere voluit? Sic enim ait ille: *Mulier amicta ſole*; ideo nimirum, ne aliquis putaret, quod ipſa quæ in terris vivens, ſol quidam, omniumque illuminatrix fuerat, cœleſtium luminum regnum jam ingreſſa, & inter tot præclara lumina conſtituta, lumen ſuum ab iiſdem mutuaſſe videretur, quin ipſa exiſtens, ſereniſſima, ſicut in terris fuerat ſol hominum viventium, ita nunc in cœlis manens, eſt ſol Angelorum & omnium beatorum, teſtis eſt hujus rei doctiſſimus Petrus Caniſius qui ſic ait: *Ecce tua præſentia non ſolum orbis illuſtratur, ſed & cœleſtis patria, nunc clarius rutilat, virginea tua lampadis illuſtrata fulgore.*

Apocal. 12.

Petrus Caniſius lib. 5. de Can V. M. C. 4.

II. Nemo eſt qui non credat Beatiſſimam Virginem Mariam dum in terris ageret, majorem ſuper omnes homines, gratiam habuiſſe: qualis enim in terra fuerit, ſuccincte ſed perfecte enarrat Chryſippus Presbyter de laudibus B. V. Mariæ ſermone primo dicens: *B V Mariæ præclarum eſt naturæ noſtræ ornamentum, gloria luti noſtri.* Suffragatur eidem Sanctus Bonaventura hiſce verbis: *Quidquid poſt Deum pulchrius, quidquid dulcius, quidquid jucundius, in gloria eſt, hoc Maria, hoc per Mariam.* Unde cœleſtis ille ſponſus, volens illi aliquod epitheton attribuere, ita ait: *Fons hortorum.* Cur obſecro dilectiſſimam ſponſam ſuam, non unius horti, ſed tot hortorum fontem vocat? Notate inprimis, quod iſte terminus *fons*, derivetur à fundendo: vocatur ergo fons hortorum & non unius tantum, quia in hac Eccleſia militante, myſticas aquas ſuæ gratiæ tam liberaliter effudit in omnes, ut nemo ſit, qui ſine fraude poſſit dicere ſe de hoc fonte non guſtaſſe. Sic enim ait Sanctus Bernhardus: *Omnibus miſericordiæ ſuæ ſinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant univerſi* Si ergo Beatiſſima Virgo Maria, tanto majorem gloriam habet in cœlis, quanto majorem gratiam habuit in terris, quis jam dubitet tanta gloriæ ſuæ magnitudine, maximam cœlorum incolis attuliſſe lætitiam. Quidnam obſecro Spiritus Sanctus Beatiſſimæ Virgini dicere volebat, cum illi dixit Cant. 4. *Emiſſiones tuæ Paradiſus.* Quaſi diceret; quidquid tu circum te exhalas, & à te quidquid procedit, merus eſt paradiſus; Nihil aliud ſignificare volebat, quàm quod cœleſti gaudio & beatitudine adeò copioſè repleta fuerit, ut quocunque ſe verteret in terris, merum gratiarum paradiſum exhalaret, in cœlos autem aſſumpta, merum gloriæ & inenarrabilis jucunditatis: Teſtis eſt hujus rei Sanctus Amedeus dicens: *Maria præſentia gratam veris temperiem exhibebat, & quo favens ſe verteret, paradiſus erat.*

Chryſipp. Serm. de B. V. Maria.

S. Bonav. in Spec. Virg. c. 7.

Cant. 4. v. 15.

Cant. 4. v. 13.

Homilia 6.

III. Sanctus Damaſcenus de aſſumptione Beatæ Virginis Mariæ, ita ait: *Hodie Sancta & Sola Virgo, ſuper mundano, & cœleſti templo offertur*; hæc oblatio & præſentatio ſua, quæ celebrata fuit in cœleſti regno quanta nam eſſe debuerit, facile patere poteſt, ſi eam præſentationi terreſtri (quando adhuc juvencula in templo Jeroſolymitano præſentata fuit) comparemus. Tunc dum in terris præſentabatur, non erat adhuc ita pulchra & gratioſa, utpote quæ divinum ſolem in ſacro ſuo utero nondum receperat, & tamen; quid de illa celebritate ſentiat Sanctus Gregorius Epiſcopus Nicomediæ, audite: *Tunc lampades luminis ingreſſum lætificabant, & omnia quæ in templo continebantur, ad lætitiam movebantur.* Quod præſentatio Beatæ Virginis, templum illud aureum Jeroſolymis lætificaverit, id adhuc parum eſt, ait enim Venerabilis Pater Petrus Caniſius taliter: dum Beata Virgo Maria in templo præſentaretur; *Procul dubio Angelis novum in cœlis gaudium creabatur.* Glorioſiſſima Virgo Maria illa tunc ſuâ præſentiâ tantum gaudii formavit ſpectaculum, ut non ſolum templum Jeroſolymis aut res lætificaret vicinas; verum etiam remotas & diſtantes. Quod ſi in templo procul à cœlo remota, illud tanto replevit gaudio, quomodo igitur in cœlo præſentata glorioſè, illud ſuâ præſentiâ mirum in modum illuſtrare debuit?

S. Damaſcenus de Dormit. B. V. Mariæ.

Petrus Caniſius lib. 12. de B. V. Maria.

IV. Regius Propheta David deſcribens Prophetico Spiritu Beatiſſimam Virginem in cœlos exaltatam, ſic ait: *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato.* Cur aureâ proponit veſte amictam? Secundum Etymologiam Sancti Iſidori *aurum ab aura*, id eſt à ſplendore, dicitur. Hinc Ovidius deſcribere volens ſolis Regiam ſeu palatium, ita canit:

Pſalm. 44. v. 10.

Ovid. lib. 2. Metamorph.

Regia ſolis erat ſublimibus alta columnis,
claro micante auro.

Quia ergò B. V. Maria claro quodam lumine, tũ ab anima beata, tum à corpore reſplendente, totam illuſtrat & illuminat cœli Regiam, ut

ut post Christum filium suum totum sola cœlum illustret, hinc meritò sibi vestis aurea à Propheta datur. Qua de re S. Bernardinus sic ait: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato; id est, cum corpore glorioso, ex cujus splendore, post filium suum, tota lucescit civitas beatorum.* Hinc S. Angeli videntes tantam ejus claritatem, hinc Beatissimam Virginem Mariam auroræ compararunt, dicentes: *Sicut aurora consurgens.* Cur Dei matrem similem auroræ pronunciant? Quia postquam in cœlo visa fuit pulchrior & clarior omnibus aliis creaturis apparuit. Quotiescunque Scriptores prophani rem aliquam pulchram significare volunt, illam auream appellant? *Venus aurea, mala aurea, vellus aureum.* Aurora vocatur, quasi aurea hora. Unde cum Philippus Hispaniarum Rex à quibusdam felix vocaretur, certus quidam sapiens contrarium dixit nempe se esse infelicem: interrogatus de causa, ait: quia ad lectum vesperi tardè eundo, indeque circa meridiem surgendo, privat se aspectu rei pulcherrimæ, id est auroræ ad orientem exurgenti. Cum ergo Beatissima Virgo Maria vera orientis lucis nempe unigeniti filii sui aurora sit, quid putatis quantum totum cœlum illustravit, & quantùm exhilaravit omnes beatorum cives, cum hæc gloriosa stella in illo micare cœpit.

S. Bernn. in tom. 1. Serm. 61. art. 2.

Cant 6. v. 9

Boterus in lib. memorabilium.

Ildephonsus Serm. 6. de Assumpt. B.V.

V. Sanctus Ildephonsus Sermone 6. de assumptione Virginis Mariæ docet, quod Christo sine sua Sanctissima matre (quam in terris certas ob causas reliquerat) cœlos ascendente, graviter conquesti fuerint, quod suæ Sacratissimæ humanitati quam cœlis intulit, non etiam associaverit matrem suam dilectam, ut ei una secum sedibus cœli frui liceret: unde querelas tales à Christo fuisse exauditas, & Reginam Angelorum ad regna siderea exaltatam: sic enim nominatus Sanctus ait: *Non diu post hæc Sacratissima Virgo post Domini ascensionem in terris potuit permanere, quam desiderabant Angeli, cœlum etiam ipsum de ejus mora querebatur.* Et merito manente enim Beatissima Virgine in terra, videbatur cœlum esse sine cœlo, paradisus sine paradiso, sed postquam assumpta fuit in cœlum, videbatur cœlestis paradisus ad se rediisse Damasceno teste qui ait: *Eden novi Adami paradisum suscepit, & paradisus restitutus est paradiso.* Ad eum fere modum, quo tempore Diocletiani Cæsaris, cum Roma à Nerone devastata & diminuta, denuo cœpit crescere, Romam iterum Romæ restitutam dicebat Martialis hisce verbis: *Reddita Roma sibi est.* Ita quoque in die assumptionis Dei matris, cœlum cœlo redditum visum fuit: unde duplicata fuit lætitia omnibus ordinibus cœlestium Incolarum. Cum igitur hodie gaudeat tota cœlestis curia, & nos hic in terris lætari decet. Hæc enim est Esther nostra, quæ nostrum causam agit, non apud Asverum Persarum Regem, sed apud Regem universi Christum Dominum. Qui cum Deo Patre & Spiritu Sancto vivit æternum. Am.

Ildephonsus Serm. 6.

S. Damascenus.

Martialis.

IN FESTO GLORIOSÆ ASSUMPTIONIS B. V. MARIÆ,

CONCIO V.

Vt refulsit sol in clypeos aureos, & æreos, resplenduerunt montes ab eis.
1. Machab. 6. v. 39.

DEvoti Auditores cogitanti mihi, quali ego hodie panegyrico honorare possem, annuam & celeberrimam solennitatem hodiernam assumptionis Beatissimæ Virginis Mariæ, quæsivi diversas materias figurarum & conceptuum, quæ mihi auxilio ad decantandas laudes Deiparæ fieri possent. Sed ubi veni ad verba Sancti Anselmi Doctoris, quasi cum divina matre taliter colloquentis: *Nihil tibi Domina est æquale, nihil comparabile: omne enim quod est, aut super te est, aut infra te est; Quod solus Deus est, quod infra te est, omne quod DEVS non est.* Horum verborum vi perculsus, me mox imparem esse agnovi ad inveniendum aliquid eorum, cui eam comparare, mihique inde materiam mei encomii mutuare possem. Nam excepto

S. Damasc.

cepto solo Deo quidcunque aliud sive in terra sive in cœlo reperitur, totum id Virgo Maria longè præcellit, nihilominus dum amplius de aliquo recogitarem, cui assimilarem festivitatem hodiernam, incidi in quendam verborum textum, primo libro Machabæorum capite sexto exaratum tali tenore. *Vt refulsit sol in clypeos aureos, & æreos, resplenduerunt montes ab eis.* His ergo verbis insistens comparabo Sanctissimam matrem Dei soli, & ostendam qualis refulserit in clypeos, & qualiter resplenduerunt montes ab eis. Quorum terminorum ubi significationem acceperitis, ex eorum notitia magnam hujus diei solennitatem capietis.

I. Legimus scriptum libro & capite supra citatis. Qualiter Rex Antiochus dum exercitum suum numerosum, cujus erant centũ millia peditum, & viginti millia equitum; elephantum autem triginta duo, eduxisset in campum contra viam Bethzacheran, tantam in suo exercitu fuisse copiam auri & æris quod dum refulsit sol in clypeos eorum aureos & æreos, resplenduerint montes ab eis. Hanc ego historiam priusquam accommodabo meo proposito parumper expectent Auditores mei: primò fidem dabitis dicenti mihi, nempe Divam Virginem Mariam solem esse. Sic enim de ipsa habetur in Canticis Salomonis: *Pulchra ut luna, electa ut sol*: & quamvis juxta plurimas solis proprietates iste planeta conveniat Beatissimæ Virgini Mariæ, tamen ego ob temporis brevitatem has paucas accipiam: primo, sol est planeta pulcherrimus qui à nullo inquinari potest, nam etsi suos radios diffundat in lutum, minimè tamen maculatur: & Maria vocatur speculum sine macula, de qua Damianus ita testatur: *Caro Virginis ex Adam assumpta, maculas Adæ non admisit.* Secundo, sol est ingentis magnitudinis, nam octies terra major, & tamen occultat suam magnitudinem, tunc præsertim dum est in altissimo gradu, talis est & Beatissima Virgo Maria. Cum enim sit maxima per excellentiam, quâ superat omnes Sanctos, & omnem exercitum Angelorum, occultat suam magnitudinem, minima enim apparet per humilitatem. Tertio sol influit splendorem suum æqualitercumque communicat indifferenter bonis & malis, juxta illud Matthæi cap. 5. *Solem suum oriri facit super bonos & malos*, non aliter Virgo Maria lumine gratiæ & misericordiæ suæ omnes pariter illuminat, tam bonos, quam etiã malos, tam justos, quàm etiam peccatorum sordibus inquinatos. Unde non sine mysterio sacer textus uberum suorum facit mentionem ajens Cant. 8. *Ego murus & ubera mea sicut turris.* Ubera sua vocat turrim, nempe pro refugio tam justorum quam peccatorum, habet duo ubera dextrum gratiæ pro justis, sinistrum misericordiæ pro peccatoribus. Sic enim vocatur in hymno Ecclesiastico; *Maria mater gratiæ, mater misericordiæ.*

II. Sole oriente & ascendente, omnes stellæ se abscondunt, absente apparent. Sic ante Mariam Virginem erant multæ stellæ: Judith mirum in modum micabat continentiâ & fortitudine: Jahel audacia fortissima, Esther pulchritudine inexprimenda. Abigail humilitate profundissima, at dum Virgo in mundo tanquam sol clarissimus apparuit omnes illæ à me prolatæ stellæ se absconderunt. Pulchre de hoc Damianus Cardinalis: *Sol lucidus incandescens, ita syderum & lunæ rapit positionem, ut sint quasi non sint, & videri non possint.* Similiter & Virgo, veri luminis inaccessibili luce perlucens, sic omnium Sanctorum habebat dignitatem, ut in comparatione Virginis nec possint, nec debeant apparere. Ultimo sol in suo apparens horizonte, totam illuminat terram, & Beatissima Virgo Maria quam primum venit ad suum horizontem, nempe ubi assumpta est in cœlum, illuminavit non solum terram, sed illam cœlestem Jerusalem. Pulchre S. Bernardus: Mariæ præsentia totus illustratur orbis, adeò ut & ipsa cœlestis patria clarius rutilet Virgineæ lampadis illustrata fulgoribus.

III. Videtis igitur has solis proprietates, Beatissimæ Virgini Mariæ convenire, eam itaque comparans soli, ad meum thema regredior: *Vt refulsit sol in clypeos aureos, & æreos, resplenduerunt mõtes ab eis* Scitis quid velim intelligere, per clypeos aureos? nihil aliud nisi totam Rempublicam Sanctorum cœlestium, voco clypeos; quia sicut scutum est genus armorum non offensivum sed defensivum: ita Sancti sunt talia scuta quorum protectione manemus securi. Et primo quidem Angeli Sancti scuta sunt, quia nos custodiunt protegunt; ab omni malo de quibus David, Psalmo 90. *Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis à timore nocturno; quia Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Deinde, Sancti scuta fortissima sunt; quia nos sua intercessione defendunt

Cant. 6. v. 9

Damianus Cardin.

Matth. 5. v. 45

Cant. 8. v. 10.

Damianus Card.

Ps 90. v. 5.

fendunt à cunctis periculis animæ & corporis. Et pulchrè quidem Sanctis scuta quadrant, qui dum vixissent nobiscum hoc in mundo: juxta
Ad Ephes. 6. v. 16. testimonium S. Pauli, ad Ephes. 6 Assumpserunt scutum fidei, idq; variis virtutum picturis exornatum, intulerunt secum in cœlum post partam victoriam de mundo, carne, & Satana. Refert
Pierius. Pierius Valerius lib 5. Hieroglyphicorum, gentiles veteres id in more positum habuisse, quod dum mitterent tyrones ad bellum, dabantur ipsis scuta simpliciter dealbata sine ulla figura, idq; ideo faciebāt, ut videntes clypeos aliorum signatos figuris, sibi per facta præclarè gesta partis, ipsi quoque ad edenda similia strenue contenderent. Sic fecerunt Sancti in mundo, dum enim adhuc tyrones fuissent, ut eorum clypei per baptisma dealbati, etiam glorioſis virtutum figuris insignirentur, fortiter cum hostibus suis decertabant, & sic effectum est quod Abel innocens stipitē in suo scuto acquisiverit Abraam victimam filii sui Isaaci quæ obedientiam ejusdem figurabat: in novo autem testamento, Petrus & Andreas crucem, Paulus gladium, Joannes poculum veneni, Laurentius craterem ferreum & sic alii innumeri, quos omnes recensere, longum foret.

IV. De quibus scutis habemus figuram 2. Par. 9. *Fecit Rex Salomon trecenta scuta aurea, posuitq; ea in armamentario* Scuta aurea, sunt omnes Sancti, qui trecenario numero includuntur; quia eundē olim designabāt illi trecenti milites qui magnum exercitum Madianitarum cum Gedeone profligarunt. Aurea scuta sunt: quia teste David, *Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus.* Sunt etiam scuta ærea sed sonora. *Quia in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Hæc ergo scuta aurea & ærea, nempe hierarchiæ S. Angelorum, nec non diversi ordines Sanctorum antiqui noviq; testamenti, quamvis fuerint pulchra, quia aurea, quamvis splendentia, quia ærea, tamen tunc sunt reddita pulchriora, quando B. V. M. assumpta est in cœlum, tunc enim uti refulsit sol in clypeos aureos, & æreos, tanta claritate refulserunt quod montes resplenduerunt ab eis. Montes hic non puto terrestres sed locum empireum Beatorum, qui ob sublimitatem, Olympus seu mons altissimus vocatur, cujus montis figura fuit mons ille Thabor in quo dum vidisset Petrus claritatem vultus Christi transfigurati: dixit *bonum est nos hic esse.* Legimus de Moyse libro Exod. cap. 34. quod dum redibat de monte Sina, cum tanta claritate redibat, uti testatur Sanctus Paulus, ad Corinth 2. cap. 3. *Non possent intendere filii Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus ejus.* Non miror, quia illa claritas de cœlo sibi allata & communicata fuit. Sed istud miror quod Beatissima Virgo Maria de terra invexerit tantum lumen ad cœlum. Ut dum sol refulsit in clypeos aureos & & æreos, nempe in totam illam Sanctorum multitudinem montes resplenduerunt ab eis: id est altissima cœlorum tabernacula. *Exod. 34. v. 30.* *Ad Cor. 2. 3. v. 7.*

V. Unde cogitemus Auditores, quod si Beata Virgo manens adhuc in terris, fuit ita plena luce gratiæ divinæ, quantò magis nunc dum est in gloria. Invenio unum stupendum miraculum in Apocalypsi cap. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo. Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.* Miror ego istum locum Sacræ Scripturæ; non enim convenit cum Astrologia: quod enim dicat amicta sole, id benè quadrat, quia sol omnium patet oculis: at simul videre caput stellis coronatum, id videtur impossibile, quia stellæ tametsi sint luminosæ & absente sole videantur, at nequeunt videri præsente illo. Unde excellens quidam autor supra hoc tale emblema composuit: *Non cernuntur & adsunt.* Qua ergo ratione potuit dicere Sanctus Johannes se vidisse amictam sole. Sanctus Paulus nobis istam quæstionem solvet qui ad Corinth. 1. cap. 15. ait: *Alia est claritas solis, alia luna, & alia claritas stellarum.* Per claritatem solis Sanctus Isidorus intelligit donum virginitatis hæc enim est. Sol occasum nesciens: per lunam, donum humilitatis, hæc enim quam primum est in plenilunio, statim diminuitur seque humiliat: per stellas omnium virtutum multitudinem. Dictum fuit olim Abraamo: *Numera stellas cœli si potes.* Ego etiam possem dicere: numera virtutes & prærogativas Beatissimæ Virginis Mariæ si potes. Sicut Abraamo impossibile factu fuit, sic & nobis, & tamen tanta gloria Deus dignatus est V. Mariam, ut quamvis ista diversa lumina fuerint, non tamen unum obscuratum fuerit ab alio. Si ergo ita est, nihil est jam novi quam quod iste sol refulsit in clypeos &c. Concludam ergo concionem meam oratione Abraami de quo legimus Gen. 12. Quod dum profecturus in *Apocal. 12. v. 1.* *1. Cor. 15. v. 41.* *S. Isidorus.*

Ægyptum timeret sibi ob pulchritudinem Saræ uxoris suæ, sic fuit illam allocutus: *Novi quam pulchra sit mulier; dic ergo obsecro quod soror mea sis & bene mihi sit propter te.* Sic & nos dicamus. Novi ô B. V. Maria, quam pulchra sis, pulchra ut luna ex conjunctione solis Justitiæ Christi, dic ergo quod soror nostra sis ut propter te bene nobis sit, hic & in futurum. **Amen.**

Gen. 22. v. 11.

IN FESTO S. MARIÆ AD NIVES,

CONCIO I.

Præcepit nivi ut descenderet super terram.
Job. 37. v. 6.

QUod omnipotens Deus, tanquam Creator, & Dominus universi, operari solet in hoc mundo cum suis creaturis (dum enim vult, *producit ventos de thesauris suis*; dum suæ placet bonitati, educit pluviam de nubibus, & *pluit super bonos & malos*; dumque sibi videtur, aut certè juxta partes anni temporis conditio requirit, uti est pluvia & ros in æstate, nix autem in hieme, tunc etiam *præcipit nivi, ut descenderet super terram*;) Idem Deipara Virgo Maria miraculosè operari dignata fuit. Cum enim Romanus quidam Patricius Joannes nomine, ejusque conjunx, multis abundarent divitiis, sed nullos liberos suscepissent, quos bonorum hæredes relinquerent, suam hæreditatem Sanctissimæ Virgini, Dei matri voverunt, ab ea summis precibus assidue postulantes, ut in quod pium opus eam substantiam suam converti vellet, aliquo modo significare dignaretur. Annuit precibus Beatissima Virgo, & votum pio ex animo factum, miraculo comprobavit. Nonis enim Augusti, quo tempore in urbe maximi calores esse solent, noctu nix descendit, & unam partem montis Exquilini contexit, qua etiam nocte Joannem unâ cum uxore sua admonuit, ut quem locum nive conspersum invenirent, in eo Ecclesiam ædificarent, quæ Mariæ Virginis nomine dedicaretur, se enim ita velle ab ipsis hæredem institui: unde cum locum designatum reperissent, eumque nivibus coopertum vidissent, templum in eodem loco erexerunt, cujus dedicationis memoria ex nive quæ hac die mirabiliter cecidit, anniversaria celebritate colitur. Hic sisto gradum, scire cupiens: Cur Virgo Beatissima, illius templi nomini suo consecrandi locum, per signum nivis demonstrare voluerit. Hujus rei quæram causas, inventas autem communicabo.

I. Cum mille modos Beatissima Virgo Maria, tanquam mirabilium rerum operatrix habere potuerit, quibus civi illi Romano voluntatem suam aperiret, facile possum conjicere id non vacare mysterio, quod locum illius domus, in honorem suum extruendæ, per nivem designare voluerit: maximè cum Spiritus Sanctus in Proverbiis dicat: *Quomodo nix in æstate, & pluvia in messe; sic indecens est, stulto gloria.* Ubi glossa ait: *Indecens est; quia contra naturam temporis.* Ecce tam dissonum ait in æstate nive pluere, quam à ratione alienum, stulto gloriosum aliquod officium credere. Debet ergo hic aliquod latere mysterium, quod Sanctissima Virgo Maria nullo alio, sed sola nive, pro signo uti voluerit. Sed si inter cæteras nivis proprietates hanc solam pensare voluerimus, quod nix semper sit candida, rationem quoque hujus mysterii præ oculis habebimus. Nix à primordio suæ generationis semper est candida, cum autem & Sanctissima Virgo nunquam nitore gratiæ divinæ caruerit, estque nive candior, meritò nivem sibi assumpsit pro symbolo. In primis ergo in eo quod locus habitationis Deiparæ virginis, nive delineatus fuerit, mihi ob oculos proponitur singulare discrimen, inter Dei genitricem, & reliquos filios Adæ parentis nostri: si enim licet primi peccati fuliginem aqua Baptismi eluant & emundent, nihilominus cæteris quoque peccatis sæpe numero inquinari solent: at Virgo purissima, cum non solum ab originali macula,

sed

ed etiam à quocunque peccato quod denigrat animam semper immunis fuerit, hinc non immeritò in monte illo Exquilino nive candidissima fuit designata. Ad hunc candorem significandum, vocatur ab Ecclesia Sancta, Beatissima Virgo Maria, *Immaculata, & omni sensibili, atque intellectuali natura purior:* nec non Divus Joannes Damascenus ejusdem candori pulchrum adfert testimonium dicens: *Ad hunc paradisum serpens aditum non habuit.* Alludit ad paradisum terrestrem, ad quem inficiendum, serpens ille antiquus, aditum invenit, ad cœlestem verò paradisum, nempe Mariam Virginem aditum non habuisse, cum eam nulla peccati labe deturpare potuerit. Equidem ad honorem tanti filii spectabat qui *candor est lucis æternæ*, matrem ejus candore gratiæ nunquam caruisse.

3. Synod. Act. 3.
Damascenus Serm. 2. de Assumpt.

II. Refert Plutarchus de Dario Rege Persarum, quod cum suum exercitum misisset contra Scythas, eosque sibi subjugare statuisset, tandem in terram ipsorum veniens, neminem invenit cum quo congrederetur, quo magis enim hostes persequebatur, eo celerius & ipsi fugiebant, nec in aliquo loco consistebant: ad quos cum Rex per Legatos suos locutus fuisset. *Quousque fugere destinatis?* Ille responderunt; *usque ad sepulchra parentum*: quasi dicerent: Civitates, domosque nostras nihili facimus, pluris enim vitam, quam hæc æstimamus, at si ad tumulos parentum nostrorum accesseris, ut aliquid in eos indecorum committas, scito nos ibi expectaturos, & pugnaturos usque ad mortem, pro parentum quamvis mortuorum gloria: tanta quidem gloriæ parentum, filiis eorundem cura fuit, ut pro ipsa propriam etiam vitam exponere non dubitarent. Si gloriam parentum mortuorum, tanti fecerunt barbari homines, quid de Christo Domino sentiendum, pro Matris suæ Sanctissimæ gloria efficisse? Cornelius Tacitus commemorat, quod cum Germanorum gens, contra Romanos pugnaret, multisque illorum à Romanis cœsis ac si jam debellati essent, terga vertere voluissent. Uxores matresque eorum ocyus adveniisse dicentes. Eja sponsi, eja filii, viriliter agite, ne sponsas & matres vestras, in manus inimicorum, & in captivitatem ire videatis, ne talia patiamini. Eja leones, rugite, pugnate, vincite hostes: quibus quidem verbis, adeo excitati, roboratique fuerunt, talesque Spiritus, & animos resumpserunt, ut Romanos viriliter, & expugnaverint, & vicerint Beatissima Virgo, sponsa & mater Dei est, quid ni defenderet eam filius & sponsus? Volebat eam truculentus hostis, in captivitatem redigere, sed eam sibi matrem & sponsam futuram prospiciens Dominus, hostem expugnavit, & fugavit, & liberam sponsam, matremque à servitute peccati esse fecit: primum enim redemptionis suæ fructum & beneficium non prius alteri quam sponsæ à sponso, & matri à filio dari decebat, quod clare indicant verba illa Divi Ambrosii: *Nec mirum si Dominus redempturus mundum, operationem suam inchoavit à matre, ut per quam salus ab omnibus parabatur, eadem prima, fructum haberet ex pignore.*

Plutarch.

Corn. Tacit.

D. Ambros. lib. 2. in Luc.

III. Sanè cum Beata Virgo, futura esset animatum templum filii Dei, in quo novem menses, ex ea carnem assumens habitaturus erat, oportebat in ejus ædificatione non communes, & vulgares expensas fieri sicut aliis, sed quales decebant magnificentiam non modo Regiam sed divinam. De templo illo quod Jerosolymis juxta dispositionem divinam per Nathan Prophetam Regi David intimatam à Salomone suo filio ædificandum erat, idem David dicebat: *Ecce ego in paupertate mea, præparavi impensas domus Domini, auri talenta centum millia, argenti mille millia talentorum; æris, & ferri, non est pondus.* Quod sanè aurum & argentum si communi nostro calculo computare velimus: Centum millia auri talenta, facient mille sexcentas octingentas tres milliones coronatorum. Argenti verò mille millia talentorum: faciunt mille quadringentas quadraginta milliones coronatorum, uti adnotavit Villapandus cæterique antiqui calculatores. Si Rex David ad ædificationem illius templi futuri, tantas & innumerabiles impensas præparaverit, & tamen pauperem se proclamavit, quid putamus Deum, omnium ditissimum in ædificationem animati templi matris suæ, quanto plura, & pretiosiora congessisse? Unde sicut rationem præbens David, tam magnifici apparatus illam reddidit dicens: *Opus namque grande est, neque enim homini præparatur habitaculum sed Deo:* ita nihil mirandum est de hoc altero templo, nempe Beatissima Virgine Maria. Si tam splendido insignitum fuerit apparatu, etenim non puro homini præparabatur habitatio, sed Deo, in cujus conspectu nec ipsi Angeli

2. Reg. 7. v. 2.

1. Paral. 22. v. 35.

Villapand. super Ezech. tom. 3.

1. Par. 29. v. 22.

perfectè mundi sunt, qui tamen nitidissimum nivis candorem longe superant.

IV. Non solum per albedinem & candorem nivis significatur nobis puritas Deiparæ Virginis Mariæ, sed etiam integerrima ejus Virginitas: unde insignum illius excellētiæ, domum sibi fabricandam, nive signari voluit. Jam porro, quot quantisve præconiis Sancti Patres Sanctæ Mariæ Virginitatem prædicent, quis enarrare queat? Sanctus Ephræm vocat illam *coronam Virginum*. Sanctus Ildephonsus vocat ipsam *Exemplum perfectæ Virginitatis*. Divus Damascenus *virginitatis thesaurum*. Divus Epiphanius, *Principem Virginitatis*. Divus Chrysologus, *Reginam castitatis, & virginitatis decus*. D. Anselmus, *Matrem Virginitatis*: & tandem insignis autor Sabellicus, vocat eam *Prototypum & Virginitatis ideam*. Unde cum B. V. Maria, quasi per Syntonomasiam Virgo dicatur, id est omnium Virginum corona, exemplum, thesaurus, Princeps, Regina, Mater, Portotypon & Idea, quid eidem ad laudem deesse putabimus? Non immerito Christus Dominus regnum cœleste Virginibus comparavit, quasi ostendens virginitatem non esse terrestre munus, sed cœleste pignus esse: item ibidem aperte Christus insinuat Virgines Reginas esse, siquidem cœlorum Regnum Virginibus comparavit, atque hinc est, quod Romani, (teste Cælio Rhodigino) Regium honorem virginibus detulerint, nam apud ipsos lege cautum erat, ne quispiam intra mœnia civitatis sepeliri posset exceptis Imperatoribus, & Vestalibus virginibus. Si tantus honor virginibus, quantus Virginum Principi & Reginæ, Sanctissimæ inquam Virgini Mariæ?

Ephr. Orat. de Deip. — *Ildeph Ser. 3.* — *Damasc. Orat. 1.* — *Anselm. de Excell. Virg.* — *Sabell. lib. 5. c. 6.* — *Matth. 13. v. 43.* — *Cæl. Rhod. lib. 17. c. 19.*

V. Porro sicut candorem nivis concomitatur fœcunditas, nix etenim super terram sistens, eam fœcundat, & impinguat, nam sua frigiditate poros terræ clausos compellit ad interiora radicum, unde per quandam figuram quę vocatur Antiperistasis, dicitur fœcundare terram: ita candorem Marianæ Virginitatis, mira fœcunditas à tempore Angelicæ annunciationis concomitata est, tunc enim inviolata virgo permanens, eundem quem cœlestis pater suus ab æterno genuit, S. V. Maria in utero suo fœliciter concepit, ad quod significandum ipsa seviti comparavit dicens: *Ego quasi vitis, fructificavi suavitatem odoris*. Et enim sicut vitis suavitatem odoris, absque sui læsione profert: ita etiam Deipara, absq; læsione virgineæ suæ integritatis, Jesum, benedictum fructum ventris sui, nobis protulit. Et quemadmodum vitis, ut pulchrum fructum proferat plantari debet in loco soli opposito: ita & B. Virgo, cum ardens calor solis justitiæ viscera ejus penetrasset, non est mirum quod tam excellentem tamque suavem fructum protulerit, eum inquam fructum de quo habemus Sap 16. *O quam suavis est Domine Spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de cœlo præstito, esurientes replesti bonis*. Sit igitur tibi laus Christe Jesu, tuæque matri nive candidiori. Amen.

Ecclus. 24. v. 23. — *Sap. 16. v. 21.*

IN FESTO S. MARIÆ AD NIVES,

CONCIO II.

Imperio suo acceleravit nivem. Eccles. 43. v. 14.

NOn putetis Auditores mei, me hoc thema concionis meæ, juxta quod hodiernam memoriam Sanctæ Mariæ ad nives spirituali Panegyrico meo exornare cuperem, casu, vel levi ex causa assumpsisse dicendo: *Imperio suo acceleravit nivem*. Recordor enim illius historiæ Evangelicæ quam describit Sanctus Lucas in hunc modum. Quod dum Christus Dominus ejecisset Dæmonium, quod erat mutum, simplices quidem turbæ id mirabantur, illudque habebant pro miraculo, & effectu Divinæ suæ potentiæ: at inveniebantur alii: qui factum illud, Beelzebub Principi Dæmoniorum, virtuti adscribebant, dicentes, *In Beelzebub Principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia*. Nonnulli autem tentantes cum, signum de cœlo quærebant

Luc 11. v. 15

bant ab eo, ut illud demonstraret, nempè, ut vel in mortem Eliæ ignis de sublimi veniret, vel ut in similitudinem Samuelis, tempore æstivo, mugirent tonitrua, coruscarent fulgura, imbresque ruerent. Quin imò si plura adhuc facere dignaretur (uti ait Venerabilis Beda) illa vel occultis naturæ causis, & variis aeris passionibus accidisse dicerent, vel magiæ adscriberent quia etiam magi in Ægypto, multa signa faciebant. Quod ergo suspicabantur de Christo Domino Pharisæi, cæterique perversi ex Judæis, ne id quispiam suspicetur, (uti sunt nequam Hæretici) de potente Deipara, & Domina universi, Sanctissima Virgine Maria, quasi illud ex accidenti venerit, quod montem illum copiosa nix impleverit, in quo Joannes Patricius Romanus una cum sua conjuge in honorem Sanctissimæ Virginis templum erexerunt eique dedicaverunt; Dico id, ad imperium illius fuisse factum. Cum enim ipsi prole carentes, suam hæreditatem illi devovissent, & informari petiissent, quidnam de substantia sua vellet fieri. Quid illa? *Imperio suo acceleravit nivem*; in eoque loco prænominatum templum extrui sibi ordinavit. Nam mirum, quia nix proprium est Deiparæ symbolum, ut in hac concione audietis.

Beda lib. 4. c. 48. in Luc.

I. Moris habent Principes & Magnates hujus mundi certis uti stemmatibus & insigniis, ut per illa, tam ipsorum status, quam etiam bona quæ possident, ab aliis cognosci possint, unde talia signa solent ponere in vexillis, in sigillis, in parietibus, & in tabulis, quas ante portas ædium suarum collocare solent, ut quivis scire possit ubi habitent. Beatissima Virgo Maria Regina universi, rogata à Joanne cive Romano, suaque conjuge, ut dignaretur modum præscribere, bonorum suorum, sibi testatorum, quidnam cum ipsis fieri vellet, locum nivibus coopertum demonstravit, in quo, in honorem ipsius ædem erigerent & consecrarent. Ergo nix est stemma, & symbolum Reginæ nostræ? Quid enim est, quod præceperit, ut super montem illum descenderet? Ita sanè! Audite quasdam proprietates nivis, & credetis. In primis, nix propter excellentem, & intensam suam albedinem sibi innatam, summè disgregat visum, uti ait Aristoteles, & ipsamet experientia oculorum demonstrat, quia etiamsi unus albedine & candore illius oblectari velit, eam oculorum concupiscentiam impedit, quin omnino annihilat, coloris illius excellentia, quæ excedit visus potentiam. De candore sive pulchritudine Mariana idem est judicium, licet enim tanta in ipsa fuerit, quanta in tota rationali creatura, nullo modo dari potest, juxta illud, *Tota pulchra es, & macula non est in te*: nihilominus uti testantur Sancti Patres, vivente ipsa inter homines, nullus ex ipsis fuerat, qui ipsam intuendo, ad libidinem carnis, seu lascivum amorem inclinari potuerit. De aliis fœminis legimus, quod licet sanctitate fuerint conspicuæ, & castitate insignes, sua tamen venustate & pulchritudine inspicientium animos ad carnalem concupiscentiam incitabant. Sic contigit in Susanna, quæ etsi honestissima fuisset, nihilominus dum in horto seu pomario lavari volens, se nudam exhiberet, duos senes & insuper judices populi Israelis, qui ibidem latebant, in lascivum amorem incitavit. Idem contigit Davidi ex intuitu Bersabëe, dum se lavantem ex pergula palatii sui conspexisset. Idem Holopherni, ad quem cum Judith vidua adducta esset, quam primum illam intuitus fuit, ait textus: *Sandalia rapuerunt animam eius:* Theodalus Poëta cecinit.

Cant. 4. v. 7

Dan 13. v. 16.

Iud. 16. v. 11

Famineas vires expavit Dux Holophernes,
Insignis vidua vesano captus amore,

At ex aspectu Mariani vultus, licet alioquin pulcherrima esset fœminarum, nullius unquam intuentis animus ad malam concupiscentiam fuit accensus, quod variis modis contingere poterat: primo ut ait Lyranus, propter excessivam claritatem formæ ejus quæ in vultu apparebat: sicuti enim ex vultu Moysis propter mutuam collocutionem cum Deo, adeo coruscantes radii egrediebantur, ut filii Israel, non possent in ipsum intendere, ita Deiparæ vultus, adeo præfulgentes radios emittebat ut attentis fixisque oculis homines in eam intueri non possent: addita erat huic pulchritudini à Deo mirabilis honestas & reverentia in vultu ejus, & hic quo minus eam aliquis, inordinatè appetere posset, aditum omnem præcludebat.

Lyran. in Matth.

Exod 34. v. 33.

S. Bern. Senens.

II. Ea etiam est natura nivis, ut cum sit porosa instar alicujus spongiæ, omnes stillas aquarū decidentium facilè suscipiat. B. V. Maria tam copiosum gratiarum imbrem suscepit à Domino, ut etiam illius abundātia, omnem hominem ad se accedentem perfundere, quin abluere, mundumque & dealbatum reddere queat: ut quicunque cliens illius esse velit hac nivea aqua:

Aristot. lib. de Sensu & Sensato.

prius

Richard. lib.2.P.6. prius emundetur sic enim ait Richardus unus è Patribus sanctæ Ecclesiæ. *Qui digne vult praedicare Mariam, aut ei servire, prius debet surgere à peccato, per pœnitentiam, quia non est, speciosa laus in ore peccatoris.* Dicite mihi, cur sponsus *Cant. 4. v.12.* ille cœlestis appellaverit sponsam suam Hortum conclusum & fontem signatum? si hortus est, ut ingrediamur illum, cur clauditur? si fons est, ut aqua illius abluamur, cur signatur? Ru- *Rupert. super Cantica.* pertus cum aliis sic respondet. *Debent esse mundi, & immaculati servi, & laudatores Mariæ, ipsa enim est hortus conclusus & fons signatus.* Sed dicetis, & quæ hic est convenientia unius ad alterum? quid habet. hortus cum sanctitate? Rectè hæc combinantur, ait idem autor: neque decens esset, si aliquis flores hortenses, nempe lilia, violas, narcissos cæterosque delicioſos & suavissimum spirantes odorem qui hominum languentes animos recreat, lutosis pedibus calcare & inficere, aut etiam aquam purissimi fontis sordidis & non prius lotis manibus *Richard. de B.Virg.* haurire vellet. Non secus ait Richardus. *Ad agendum de Beata Virgine, non est nisi mundo corde, & purificatis cogitationibus accedendum.*

III. Hinc arbitror, consulto Beatam Virginem nive locum habitationis delineasse, ut quales vellet ejus famulos esse, nivis symbolo insinuaret. Singulare arcanum latet in illis verbis Esaiæ Prophetæ de sanctissima matre Dei di- *Es.30.v.25.* centis. *Gloria Libani data est ei.* Duo significat Libanus, ut tradit Nicolaus de Lyra: significat enim dealbationem, & filiationem cordis, *Lyran. ibid.* quæ duo licet diversi videantur, multum tamen inter se cohærent, etenim licet omnes creaturæ filiæ Dei sint, ut non obscure indicant verba Job Deum patrem pluviæ appellantis: illi tamen solum filii cordis esse censentur, qui *Iob.38.v.34* puritate conscientiæ candidi sunt. Cum ergo Isaiat ait: *Gloria Libani data est ei*, hanc honoris gloriam Deum Beatæ Virgini præstitisse indicat, ut non alios habeat, quam filios cordis Dei, quos proinde oportet esse candidos & puros, cum cor divinum fons sit omnis candoris, & puritatis: unde ut Beatissima Virgo Maria significaret se cupere, eos, qui sibi famulari gloriantur, omnino esse candidos, hoc est à peccati lethalis macula alienos, voluit locum domus suæ extruendæ, nive delineari. Nec immerito, hæc enim Regina, non admittit in aula sua *Thren. 4. v.7.* ad servitium, nisi Nazaræos de quibus Jeremias Propheta. *Candidiores Nazarai ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Sapphyro pulchriores.* Quatuor hic sunt colores Nazaræis competentes, nempe nivis, lactis, eboris, & saphyri. Primò ait: *Candidiores nive*, quorum mundities non sit quam verus candor, quem etiam Rex David desiderabat dicens? *Lavabis* *Ps.50.v.9.* *me ut super nivem dealbabor.* Deinde ait: *Nitidiores lacte*, ut non solum mortuum candorem repræsentent, qui etiam apparet in leprosis, sed vivum & relucentem, qui apparet in faciebus vividis, & corpore bene curato. Tertio ait: *Rubicundiores ebore antiquo*, quia ebur licet novellum, candidum videatur, tamen dum manet diuturnius, ruborem quendam admixtum candori habet. Et tandem ait: *Saphyro pulchriores*, id est cœlestem colorem quem saphyrus habet, in vita sua referentes.

IV. Nec illud prætereundum est silentio, quod nix feris & animantibus non pauca nocumenta præstat, quia eorum tegit pabula, & detegit vestigia, quæ intuentes venatores, facile illa insectantur & capiunt. Deipara Virgo Maria, pro singulari sua virtute & potentia, dum justos ad se trahit, cruentissimis Dæmonum bestiis pabulum subtrahit, nam ut dixit Job; *Cibus* *Iob.1.v.4* *eius est electus*, nec ulli Dæmones ita infesti sunt, quemadmodum justis hominibus, quos ut in prædam habere possint teste Divo Petro. Leonũ more rugientes circumeunt, & quem ex illis devorent sagaciter investigant: at è contra Beatissima Virgo Maria occulta eorum vestigia manifestat & prodit, dum & insidias eorum detegit, artesque suas per quas hominem nituntur decipere notas facit, sed ipsa quoque suis manibus nos ab illorum periculis eruit, cujus unicum nomen Maria totus infernus metuit, & *Tom. 2. lib. 2. Hom. 3.* coram illo contremiscit. Hinc gravis quidam Autor Carthagena, non absque ratione ait, nomen hoc Maria idem esse quod Domina, hoc vero alterum derivari ab hisce aliis id est, domitas, vel domo manus: quantum enim domet Deipara Virgo ligetque manus Dæmonum, & illi quantum minas ejusdem expaveſcant, testa- *D. Bernar. apud D. Bonav. in spec. Exemp.* tur id Divus Bernardus dicens: *Non sic timent hostes visibiles castrorum multitudinem copiosam, sicut aereæ potestates Mariæ vocabulum.*

V. Ultimo tandem, Beatissima Virgo terram illam in monte Exquilino in quo templum erigi debuit, nive contexit. Quia sicut nix loca lutosa & fœtida tegit: ita Beatissima Virgo, suâ charitate quæ operit multitudinem peccatorũ,

tegit

tegit defectus nostrarum animarum, tegit turpitudinem delictorum: unde non solum dicitur mater gratiæ, sed etiam mater misericordiæ; quemadmodum enim mater est justorum, sic & peccatorum: nec mirum, quia sicut unigenitus Dei filius factus homo, factus quoque est mediator totius orbis; eodem modo & sanctissima Virgo Maria, facta mater Christi Domini, facta quoque est mediatrix nostra. Narrat *Plutarch. de gest. Rom.* Plutarchus de quodam Duce Coriolano, quod iratus urbi Romanæ propter quandam injuriam, eam obsidione gravi cinxerit, omnesque cives in summum mortis discrimen adduxerit. Qui videntes se tunc impares esse ad avertendos tot hostium ictus, quibus civitatem petebant, miserunt legatos qui pacem peterent, tandem cum nihil proficerent, jam extrema tentantes, decreverunt celebriores matronas & inter ipsas matrem Ducis mittere quæ ipsum placare possent. Dum ergo euntes conspectui Ducis appropinquant, videns ille matrem, pacem pro Romanis civibus postulantem, eique materna sua ubera demonstrantem, mox urbi pepercit, & incolumen reliquit. Idem plane facit advocata nostra Maria, ne disperdamur filio suo ubera quæ suxit monstrat & apud Deum pro nobis intercedit, impetratque nobis non solum veniam, sed etiam vitam sempiternam.

AMEN.

IN FESTO S. MARIÆ AD NIVES.

CONCIO III.

Vestimentum ejus quasi nix candida. Daniel. 1. v. 22.

QUod hic S. Daniel Propheta Domini, narret se vidisse quendam senem, veste in similitudinem nivis candida coopertum, nihil est novi, quia plures seniores nempe viginti quatuor vidit S. Joannes Apostolus, qui etiam erant. *Circumamicti vestibus albis.* Uti ait Apocalypsis capite quarto. *Apoc. 4. v. 4.* Deinde S. David, Psalmo 67. quorundam Regum deducit gloriam; non à vestimento ex serico filo texto, non à purpura auro intexta & margaritis cæterisque pretiosis gemmis exornata, sed ex solo nivis candore dicens: *Nive dealbabuntur.* An vero *Psal. 67. v. 15.* vestis candida, solis competat senibus: *Sub judice lis est* Licet enim canities, originem sui vocabuli trahat à candore, eò quod cani pili, in senibus candidi apparere soleant, & in valde decrepitis, lacti seu nivi æquiparentur, nihilominus etiam alibi legimus candorem juventuti bene quadrare. Inprimis Deus ipse qui nullo senio conficitur, sed semper in flore manet majestatis suæ, promittit suis ephebis vestem albam dicens: *Ambulabunt mecum in albis.* Item refert S. Marcus Evangelista, pias illas mulieres, nempe Mariam Magdalenam, Mariam Cleophe, & Salome dum irent valde mane una Sabbatorum, ad visendum sepulchrum Domini, invenisse apertum, & in eo vidisse quendam juvenem in ipso sedentem, stola candida coopertum Beatissimæ quoque Virgini Mariæ nullus color ita placuit, prout candidus: nam ad petitionem unius Romani Patricii, una cum sua conjuge postulantium, ut dignaretur per aliquod signum indicare, in quemnam pium usum (prole & hærede carentes) substantiam suam convertere possent, illa ostendit eis montem Exquilinum, in ferventissima æstate nive copiosa coopertum, utque in eodem loco templum sibi extruerent in somnis admonuit. Unde cum color nivens Reginæ cœli in tantum placeat, illud vestimentum quod viderat Daniel, ad tempus mihi commodabo, & huic simile pro Beatissima Virgine comparare conabor. *Marc. 16. v. 15.*

I. Audistis premissum meum? jam muto sententiam illique seni suum vestimentum remitto, quia habeo melius & pro virgine beatissima multo decentius. Dicetis quodnam illud? Si volueritis mecum ascendere in montem Thabor, bene illud videbitis, si timetis hebetudinem oculorum, arrigite aures vestras, & quid dicat S. Matthæus Evangelista audietis. Narrat hic sacer Evangelista cap. 17. Christum Jesum, cum tribus discipulis suis in montem Thabor ascendisse seque ibidem mirabiliter transfigu-

Matt.17. v.2. rasse : nam *resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus, facta sunt alba sicut nix.* Faciem solarem Christi Domini non miror, quia
3. Leo Serm. de transfig Domini. est sol justitiæ, sed cur assumpserit alba vestimenta sicut nix, illud scire vellem S. Leo Papa ait : Quod ideo Christus Dominus suis discipulis se videndũ exhibuerit. *Vt ejus sibi honoris consortium, membra promitterent, qui in capite præfulsisset.* Ex quibus verbis percipimus, Christum Dominum per illam gloriosam vestem transfigurationis suæ, Ecclesiam suam fundare, & in spem erigere voluisse, ut quemadmodum ille seipsum in candido illo vestimento exhibuit, ita quoque fideles sui sint incessuri. S. Dionysius Areopagita, hic volens eam suam rationem dare, & simul loquens de amore Dei, quem erga nos gerit sic ait : *Deus amatorum morem insequitur.* Id est, quod sicut aliquis amasius, amore captus, omnem suam curam studiumque in eum finem convertit, ut cuncta opera in ejus quem diligit obsequium cedant, ejusque amorem sibi conciliet: non secus Deus, ut corda nostra occupet, & ea in amorem sui accendat, mille modis erga nos amorem suum manifestavit. Nunc eum quasi pastorem videbis, perditam ovem inquirentem. *Ego sum pastor bonus*, mox quasi seminantem agricolam: *Exiit qui seminat* : Deinde tanquam patremfamilias, ante lucem operarios ad vineam vocantem, juxta illud : *Exiit primo mane conducere operarios.* In illa autem transfiguratione, uti animarum ardentissimus amator, elegans atque ornatus egreditur, candidissimis gloriæ suæ vestibus amictus ut habitus dignitati suæ correspondeat : nam sicut sapiens eum candorem lucis æternæ appellavit: *Candor est lucis æternæ* : ita albis quoque indutus est vestimentis. Et quod præcepit Deus tam in libro Exodi, quam etiam Levitici, ut summus Sacerdos (licet inter homines conversando lanea veste uti posset) in sancta sanctorum ingrediens candidissimis lineis uteretur, idipsum & Christus Dominus adimplevit, tametsi enim cum hominibus conversans solitis indumentis uteretur, tamen ingrediens illum montem, tanquam sancta sanctorum, ubi humanitatis suæ gloriam ostendere decreverat, candidissimis indutus fuit vestimentis. *Vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix.*

Ioan. 10. v. 11. *Matth 13. v.24.* *Matth. 20. v.1.* *Sapient. 7. v.26.* *Exod.28.v. 41.* *Levit.10. v.12.*

II. Hoc est vestimentum quod pro Beatissima Virgine Maria decentius esse protuli. Sed dicetis, poteritne Beatissima Deipara Virgo iisdem uti vestimentis quibus & Christus? Quid ni? quidam dixerat : *Amicorum omnia esse communia*, majorem filius ad matrem, & vicissim mater ad filium relationem habet, quam amicus ad amicum, quia ille est sanguinis, hæc autem consuetudinis. Et deinde si teste Divo Leone. Christus Dominus exhibuit Apostolis suis vestimentum suum candidum sicut nix, ut nos in spem ejusdem gloriæ suæ erigeret, si inquam fideles suos homines hoc suo vestimento candido se honoraturum & exornaturum promiserat, cur illud matri suæ quæ præ omnibus cæteris sibi est propinquior denegaret? Sed vultis ut id probem, nempe Beatissimam Virginem Mariam, Christo Domino esse viciniſſimam? Quin imò ego assero, Sanctissima Deipara inter creaturas nihil Deo conjunctius, aut arctiori vinculo cum eo copulatum aliquid concipi atque excogitari posse. Stricto sanè unionis vinculo conjuncta sunt, scilicet anima, & corpus; mors tamen illud solvit, animam à corpore dividens: imo & amor potens est suo modo hanc separationem facere, unde Salomon Cant. 8. *Fortis est ut mors dilectio.* Quia sicut mors animam disjungit à corpore, ita juxta sententiam Philosophi. *Amantis anima plus est, ubi amat, quàm ubi animat.* Ecce separationem animæ per affectum à proprio corpore, quia adeo interdum efferbuit, ut ne ipsa amanti animam abstulerit : arctissima esse perhibetur conjunctio propriæ passionis cum subjecto, exempli gratia, risibilitas cum homine, nihilominus adhuc id à quibusdam in dubium vertitur, quibusdam id affirmantibus, quibusdam verò negantibus : divina attributa, à sua essentia ad minus ratione distinguuntur. At conjunctio matris cum filio, tanta esse agnoscitur, ut non modo ipsa re, sed nec ipsa cogitatione separari possit. Cum ergo Sanctissima Deipara tantum conjunctionis cum suo filio gradum ascenderit, quomodo illi nivium vestimentum suæ gloriæ denegare poterit? Audite quid hac de re dicat D. Bernardus. *Cum Deus sit cum omnibus Sanctis, propter concordiam voluntatis, specialiter tamen cum Maria, cum qua utiq; tanta ei consensio, & conjunctio fuit, ut illius non solum voluntatem, sed etiam carnem sibi conjungeret,*

Cant.8.v. 6. *Aristotel.* *D. Bern. Hom. 6 in Missus est.*

III. Sed

III. Sed quidnam est aliud, tale vestimentum Domini, nisi divina ipsius gloria ? Cum ergo hæc multipliciter reluceat in Diva Virgine, idipsum erit. *Vestimentum ejus quasi nix candida*: quanta autem sit excellentia & gloria sanctissimæ Virginis, ex eo patet, quod ipsemet filius Dei consubstantialis æterno patri suo, glorietur naturalem filium esse tantæ matris: quod non obscure indicant illa verba S. Matthæi Evangelistæ dicentis : *De qua natus est Iesus qui vocatur Christus*. Inter omnia Dei nomina, nullum gloriosius, quam nomen Jesus. Affirmavit id D. Paulus ad Philippenses dicens: *In nomine Iesu & in nullo alio flecti omne genu, tam cœlestium, quàm terrestrium & infernorum*. Voluit ergo Dominus, cum à sacro Evangelista dicitur natus ex Virgine, hoc illustrissimo nomine nuncupari. Ut hac ratione significaret, se filium tantæ matris gloriari. Certè, si contingat Principem aliquem, humilem habere matrem, rarus est qui in ipsa glorietur, plurimi mentionem hujusmodi personæ celant & supprimunt, sed si nobili genere natam, variisque animi dotibus conspicuam, in tali quivis gloriatur uti Salomon, qui Bersabeë matri suæ omnem exhibuit reverentiam. Cum ergo videamus Christum Dominum qui est Princeps pacis, voluisse à sacris Historiographis natum ex Virgine prædicari, manifestum est, gloriosum sibi judicasse, filium esse tantæ matris. Unde & in principio Geneseos voluit nominari sexum muliebrem dicens : *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, semen tuum, & semen illius*. Quod Rupertus non sine mysterio dictum fuisse asserit, quia per Beatissimam Virginem contrivit caput serpentis: unde tanquam gloriosæ heroinæ & victricis filius voluit appellari.

Matth. 1. v. 16. *Ad Philip. 2. v. 10.* *3. Reg. 2. v. 19.* *Gen 3. v. 15.* *Rupertus Lib. 3. de Trin. c. 19.*

IV. Accedit & id ad summam excellentiam matris Dei, quod volens Deus mediante ipsa genus humanum liberare à servitute Satanæ cui primi nostri Parentes id subjecerant, hac in re consensum prius illius inquisivit. Cum enim tota nostra salus in incarnatione verbi divini sita sit, illam nihilominus, illud verbum divinum tam diu distulit, donec illa proferret : *Fiat mihi secundum verbum tuum*. In quibus verbis, illud observatione dignum arbitror, quod cum Moyses enarrando creationem particularium rerum à Deo productarum diceret, verbi gratia : *Fiat lux statim etiam addidit & factum est ita*, & sic de cæteris. At S. Lucas Evangelista cum etiam describeret opus illud mirabile incarnationis Christi Domini, consensum quidem Sanctissimæ Virginis expressit dicens: *Fiat mihi secundum verbum tuum*, sed effectum præteriit, dissimulando illud à Moyse dictum: *Et factum est ita*. Certè si decebat testificari in creatione mundi ad *Fiat*, nempe *factum* esse, multo magis necessarium videbatur ad *fiat* Beatissimæ Virginis in restauratione ejusdem, non reticuisse illius factum, sed addidisse *& factum est ita*.

Luc. 1. v. 38. *Gen. 1. v. 4.*

V. Quod vero id S. Evangelista tacuerit, arbitror primo id non fuisse necessarium, cum jam antea hac de re tot præcesserint infallibiles prophetiæ incarnationem Christi Domini prænunciantes ut nihil aliud ad effectum requireretur, nisi solus consensus Sanctissimæ Virginis per illa verba : *Fiat mihi secundum verbum tuum* declaratus, nam per se notum erat Deum suæ promissioni non defuturum. At si hæc ratio non sufficeret, mihi certè non alia detegitur, nisi quod Deus tanti habuerit *Fiat* Beatæ Virginis, ut illud magis honorari voluerit quam suum proprium *Fiat*. Nec immeritò : etenim ad *Fiat* Dei *mundus per ipsum factus est*, ad *Fiat* autem Beatissimæ Virginis. *Verbum caro factum est*. Ad *Fiat* Dei, homo factus est in animam viventem, per unionem corporis cum anima : ad *Fiat* autem Divæ Virginis Deus factus est homo, per unionem verbi cum humana carne. Cogor hic exclamare cum Sancta matre Ecclesia Auditores & dicere : *O admirabile commercium*. Video enim hic Christum commutationem fecisse cum Sancta Virgine : ex ea enim accepit vestimentum humanitatis, & ei alterum dedit gloriæ, in terris & in cœlis,

Ioan. 1. v. 14.

AMEN.

IN FESTO S. MARIÆ, AD NIVES,

CONCIO IV.

Beatus venter qui te portavit. Lucæ 11. v. 27.

DUas hodie cathedras, & in illis egregios quosdam Oratores facundissime perorantes conspicio, & ausculto. Auditores mei; unam in Judæa, Romæ alteram: in Judæa video oratricem quandam Evangelicam in numeroso illo auditorio plebis Judaicæ stantem, & eloquentissime perorantem: ait enim Sanctus Lucas Evangelista. *Extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti.* Romæ autem Patricium Joannem una cum sua conjuge, duas quidem personas, sed unam, uniusque materiæ orationem facientes, cujus tenor iste fuit. Cum multam substantiam, nullam vero prolem haberent, de qua aliquem hæredem illius instituerent, Beatissimæ Virgini Mariæ eandem hæreditatem suam consignantes, ipsam exorabant, ut qualiter sibi dari debeat, & illa acceptare velit, indicaret, illa jubet quærere locum nive coopertum ut in eodem, templum suo nomini dedicandum erigerent, in monte Exquilino magnam copiam nivium invenerunt, & in ipso loci ambitu, in honorem ejusdem, templum erexerunt, & hæc est Mariæ ad Nives hodierna solemnitas. Thema utriusque orationis percepistis? quin imo & ipsam Periodum sive orationis utriusque finem: sed cum ambæ licet breves sint, multa tamen divina sapientiæ documenta in se complectantur, utriusque meditationi mysticæ, quam jam præparo, aures præbebitis benevolas.

Luc. II. v. 27.

I. Inprimis quod concernit primam cathedram erectam in Judæa inter turbas, magnificam & omni præconio dignam; ex illa vocem protulit mulier illa dicens. *Beatus venter qui te portavit.* O mulier! vis diserta dici, & non es: ubi figuræ Rhetoricæ, ubi similitudines? ubi flores oratorii, quia tu his omnibus prætermissis, à solo ventre Christum Dominum prædicare incipis. Oratores boni & probati solent aliqua præambula seu exordia præmittere; tu vero nihil horum curas, sed ex abrupto Christum Dominum tuo præconio aggrederis dicens: *Beatus venter, qui te portavit.* Sed jam missam facio; quia doctissimus Cajetanus pro ipsa respondet dicens: *Beatificat matrem à fructu ventris.* Prudenter simul, & argute peroravit hæc mulier, summis laudibus extollens, sacratissimam virginem à fructu uteri ejus, id est, quia mater erat Christi Salvatoris nostri. Vultis rationem hujus sententiæ? Audite quid loquatur Sanctus Thomas Doctor Angelicus. *Rationabiliter creditur, quod illa quæ genuit unigenitum à Patre plenum gratiæ & veritatis, præ omnibus aliis, majora privilegia gratiæ acceperit*: id est, quandoquidem genuit Christum, qui juxta Sanctum Evangelistam Joannem fuit plenus gratia, & veritate, decens fuit ut etiam majora dona, excellentiora Privilegia, & cumulatiorem gratiæ plenitudinem, præ cæteris creaturis participaret. Idem sentire videtur Sanctus Joannes Damascenus, dicens. *Hinc colligere licet, quod cum Christus Mariæ filius, sit Sanctus Sanctorum, ex consequenti etiam mater Dei, amplissimis sit insignita gratiis & excellentiis.* Cum enim illius mater sit qui autonomastice vocatur Sanctus Sanctorum, recte argumentari licet, eam fuisse, maximis gratiarum excellentiis dotatam: quia Deus nequaquam electurus erat in matrem suam, nisi mundissimam, & sanctitate insignem: hoc enim honori suo erat conveniens. Isaias Propheta idem adumbravit dicens: *Erit præparatus mons domus Domini, in vertice montium.* Hæc enim verba Prophetica de Beatissima Virgine Maria intelligi debere declarat S. Gregorius Magnus dicens: *An non mons sublimis Maria, quæ ut ad conceptionem verbi æterni pertingeret, meritorum verticem, super omnes Angelorum Choros, usque ad solium Deitatis erexit.* Quis negabit montem esse altissimum Virginem Mariam, Reginam Angelorum, quæ ut digna fieret mater Dei, & conciperet in utero suo verbum divinum, præcelluit meritis omnes Choros Sanctorum, & omnes Angelorum

Cajet. in Luc.

D. Thom. 3. P. Q. 27. Ar.

Ioan. 1. v. 15.

Damasc. lib. de fide orthod.

Isaiæ 2. v. 13.

S. Gregor. in c. 1. Reg.

Hie-

Hierarchias, & pertigit ad ipsam divinitatem. Hæc ultima verba mea, dura vobis videbuntur, ubi dico Beatissimam Virginem Mariam in conceptione verbi divini ad ipsam divinitatem pertigisse? Arguite si vultis Divum Gregorium; nam ille ait, quod hæc verbi incarnati conceptio ipsam *usque ad solium Deitatis erexit*. Ac si diceret, ne quis existimet quia filius Dei incarnatus est in utero Virginis Mariæ, idcirco illam fuisse depressam, & humiliatam, nam adeo exaltata fuit, per gratiam, quam Deus illi communicavit, & ad tantum sanctitatis gradum sublimata, ut filius Dei in ejus utero conceptus, non nisi è sinu patris, ad gremium matris, de puritate, ad puritatem, & de cœlo, ad cœlum transierit.

Psalm. 101. v. 20. II. Neque id alicui novum seu absque fundamento videatur, quod illam cœlum nuncupem eodem titulo eam incognitus Autor honoravit. Exponens enim ea verba Davidica: *Quia prospexit de excelso sancto suo, Dominus de cœlo in terram aspexit*. Optime novi inquit hic Autor, diversam esse explicationem hujus sacri textus per alios interpretes datam, at ego salvâ eorum veniâ, hæc verba de Sanctissima Virgine Maria intelligi contendo. *Vt per cœlum intelligamus gloriosam Virginem, de qua carnem assumens, in terram, id est, in peccatores aspexit sua misericordia*. Et cur Beatissima Virgo Maria, quæ transcendit omnes Angelorum Choros, cœlum etiam dici nequiret? quin propriissimè cœlo comparatur: quemadmodum enim hoc sua pulchritudine, & mira magnitudine, excellentiam sui creatoris proclamat, juxta explicationem Lyrani in hæc verba. *Cœli enarrant gloriam Dei* dicentis: *Patenter ostendunt, magnitudinem suæ potentiæ, & ordinem suæ sapientiæ*: ita Sanctissima Virgo, est cœlum multò illustrius, quid publico vocis præconio manifestat toti mundo, quod in eam omnipotens Deus, supremum suæ sapientiæ & potentiæ contulerit, juxta illud S. Lucæ. *Quia fecit mihi magna qui potens est*. Et sicut cœlum hoc materiale, diversis ornatum Planetis, & varietatum stellis, ita etiam Sanctissima Virgo, omnibus erat virtutibus adornata, & *circumdata varietate* gratiarum cœlestium. Imo sicuti ubi Rex commoratur, ibi aula reputatur: non secus: Ubi Deus existit præsens, simul etiam cœlum reperitur, quin imo erat Virgo Maria, nobilius cœlum quam illud empyreum quod est sedes beatorum, quia teste S. Joanne Damasceno, *erat vivum, & animatum, maximè dignum in quo Deus suam eligeret habitationem*. Optime ergo peroravit hæc mulier Evangelica, quæ collaudans Beatam Virginem Mariam non fecit mentionem aliorum Privilegiorum, sed solius purissimi uteri ejus in quo novem mensibus portavit mundi Salvatorem, existimans quod in his solis verbis dicendo: *Beatus venter qui te portavit*, totum illud contineretur, quidquid de Sanctissima Deipara dignum dici, vel excogitari poterat: ex hoc enim sola tota provenit mundo felicitas.

Ant. Incognitus ibid.

Psalm. 18. v. 1. Lyran.

Luc. 1. v. 49.

Psalm. 44. v. 10.

III. Eodem modo egregia fuit oratio horum conjugum Romanorum, in qua Beatissimam Virginem exorarunt, quatenus illorum substantiam sub tutelam suam assumere, ejusque hæres plenaria esse dignaretur: prudentior certe talis oratio fuit omni eloquentia Ciceronis, Platonis, aut Demosthenis, quia non verbis tantum sed & summa constabat prudentia. Noverant illi conjuges illum sacrum textum. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat, ad locum unde exeunt flumina revertuntur*. Noverant per illud mare, Beatissimam Virginem Mariam intelligi debere: sic enim de ipsa ait S. Doctor Bonaventura dicens; *Omnia ergo flumina intrant in mare, id est, omnes in spec. gratiæ intrant in Mariam*. Confirmat hoc ipsum, S. Bernardus dicens: *Totius boni plenitudinem posuit Deus in Maria, qui totum nos habere voluit per Mariam*. Noverant inquam illi conjuges, quidquid haberent divitiarum, & possessionis suæ, id totum proveniisse à S. V. Maria, quæ sicuti mare quoddam, non solum Romam, seu Italiam, sed universas orbis Christiani plagas, fluentis gratiarum suarum humectat & ditat: cum ergo omnia rursus flumina intrent in mare à quo proveniunt, cui nam hi devoti conjuges magis credere poterant totum suum patrimonium, quam mari magno, nempe Virgini Mariæ, à quâ seu cujus favore & pia apud filium suum intercessione, totum illud habuerint, ut eidem in honorem suum impenderent:

Eccl. 1. v. 7. *S. Bonav. Ser. de Deipara.* *S. Bern. Ser. de Nat. B. V.*

IV. Non caruit effectu suo hæc pia servorum & clientum suorum intentio: nam Sanctissima Virgo clementer ipsam acceptavit, & ubinam his illorum expensis sacram ædem sibi erigi vellet, nive demonstravit. Nix est symbolum & figura puritatis, considerens igitur ego

hoc miraculum, quo sanctissima Virgo devotis suis, voluntatem suam notam fecit, dico quod hoc miraculoso signo indicaverit se libenter commoraturam in templo seu in domo nivea, talium inquam, quorum animæ candorem nivis præferunt. Tali enim habitaculo nihil sibi suoque filio jucundius. Mundam domum habuit Rex David, ob id enim vocatum ad se Nathan Prophetam appellabat. Sed quid illud est quod rursus ajebat: *Lavabis me & super nivem dealbabor*? Exterior seu materialis domus sua, erat satis splendida, sed interior egebat nive, egebat albedine instar nivis, nam uti testantur aliqui Patres Ecclesiæ, inter omnem albedinem corporalem, nulla est candori nivis comparabilis. Unde ait S. Gregorius. *Animæ pulchritudinem significari omni corporea majorem, quia nihil sit in corporibus nive candidius.*

Ps. 50. v. 9.

S. Gregor. in L. Mor.

V. Ad quid adhuc S David candorem nivis postulaverit patet ex verbis ejusdem inferius dicentis: *Ut ædificentur muri Ierusalem.* Hoc est juxta interpretationem Sancti Bernardi & Brunonis, ut restaurentur ruinæ, cœlestis Jerusalem, & ut sedilia gloriæ, quæ per lapsum Angelorum fuerunt evacuata, ab hominibus occupentur. Dicit igitur, quod soli illi lapides, id est solæ illæ animæ in muris cœlestis Jerusalem collocabuntur, quæ super nivem fuerint dealbatæ, & quando tu ô Domine animam meam purificaveris eamque aquis tuæ gratiæ ablueris, *tunc acceptabis sacrificium justitiæ*, tunc opera nostra, & oblationes nostræ erunt tibi gratæ & acceptæ. Ejusdem animi erat Regina Angelorum, ideoque hac miraculosa nive locum designavit, in quo sibi templum illud erigeretur. Forte hic quispiam objiceret, non omnibus datum esse extruere Ecclesias Beatæ Virgini, quia non cuivis supperunt facultates, seu media istorum conjugum? Respondeo. Quemlibet nostrum ex sua domo particulari posse fabricare templum Sanctissimæ matri Dei. Quid est illud quod S. Paulus scribens ad Romanos ait: *Salutate Priscam & Aquilam, & domesticam Ecclesiam ejus* Item ad Corinth. similiter. *Salutant vos in Domino multum aquila & prisilla, cum domestica sua Ecclesia.* Cur Doctor gentium domui prophanæ imponit nomen templi seu Ecclesiæ? Respondet Theophylactus dicens: *Vbi multa pietas, & virtus, domus illa Ecclesia dicitur* Hanc erigamus divæ matri, & habitabit in illa unà cum filio suo Jesu Christo, qui vivit æternùm.

Ad Rom. 16. v. 3.

1. Cor. 16. v. 19.

Theophyl. in Ep. D. Paul.

AMEN.

IN FESTO SACRATISSIMI ROSARII,

CONCIO I.

Liber Generationis Iesu Christi. Matth. 1. v. 1.

POsset vestrum aliquis in summam rapi admirationem Auditores mei, quod ego hodiernâ die cupiens aliqua proferre (pro dignitate solemnitatis nostræ) de excellentia Sacratissimi Rosarii Beatissimæ matris Dei Mariæ, id incipiam hisce verbis S. Matthæi Evangelistæ, *Liber Generationis Iesu Christi.* Cum enim in tali libro, nihil aliud contineatur nisi Genealogia Salvatoris nostri secundum carnem, nempe, qualiter descendat ab Abraamo, cui prima facta fuit repromissio incarnationis Dominicæ, usque ad ipsam nativitatem suam, quid mihi istud proderit ad eximias Sacratissimi Rosarii laudes proferendas? Sed videri meo Auditores, Liber hic Sancti Matthæi. Liber inquam Generationis Jesu Christi, multum hodie mihi conducit, cum liber S. Matthæi, sit verissima figura, hujus libri alterius, qui est Rosarii sacratissimi. Stupetis quod Sacro Rosario nomen seu titulum libri appendam? ne miremini. Sicuti enim in Libro S. Matthæi Genealogia Christi Domini enarratur: ita etiam & perfectiori modo in Sacratissimo Rosario, non solum genus Christi Domini sed etiam tota vita sua, tribus partibus tanquam tribus Tomis, & quindecim mysteriis, tanquam quindecim capitibus conscribitur. Sacratissimum inquam Rosarium liber est, in quo Christi Jesu nativitas, passio, resurrectio, ad cœlos ascensio, & tandem totum illud, quod pro salute nostra à primo

primo instâti suæ conceptionis in mundo, usq; ad coronationē glorioſæ ſuę genitricis in cœlis operatus fuit, totum id deſcribitur Quinimo illud auſim dicere, Roſarium Beatiſſimæ Virginis Mariæ, non ſolum eſſe librum generationis Jeſu, ſed etiam eſſe librum vitæ, inter omnia enim media Deo acceptiſſima, per quæ ſperamus nos inſcribendos fore in librum vitæ, ſanctum Mariæ Virginis Roſarium, principem locum obtinet. Quod vobis in hac concione demonſtrabo.

I. Neſcio Auditores mei, an clarior & evidentior hujus ſententiæ meæ probatio dari poſſit, quam quod devotio SS. Roſarii, magis è cœlis ſit donata, quàm per homines in terris adinventa. Quærit S. Cyprianus: Quænam cauſa moverit Chriſtum Dominum, quod diſcipulos ſuos, & nos quoque orare docuerit in hunc modum. *Pater noſter qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum,* & ſic deinceps. An Deus ignorat quibus egeamus? Et reſpondet idem S. Pater dicens: *Qui fecit vivere docuit & orare.* Deus vitam nobis tribuit, tanquam Creator, & vi creationis hujus, plura adhuc nobis conferre debuit, ſed quia neſcivimus modum, per quem tantam beneficiorum cœleſtium ſummam ac copiam è theſauro bonitatis ſuæ educere valeremus, planè taliter, ut ſi quis creditorum haberet multa millia auri apud debitorem ſuum, ſed non habet aliqua inſtrumenta, quibus tale debitum elevare poſſet, illeque debitor ſciret, ſe obligari ad tale debitum, ſed nolit illud dare niſi viâ juris, & viſâ aliquâ Hypothecâ ſibi datâ; tandem miſertus creditoris ſui, offert & ſuggerit ipſi bonum medium, cujus ope, talem auri ſummam à ſe obtinere poſſet. O quam liberalis ille eſſet debitor & quam bonus! *Rara avis in terris.* Itaque Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ſciens tam via creationis, quam etiam redemptionis, multa nobis deberi, ſed hæc quæ ille nobis elargiri vellet, noſtrâ negligentiâ & ignorantiâ detineri apud ſe, ea propter docuit nos orare, quatenus vi orationis ſanctæ, talem beneficiorum ſuorum theſaurum obtinere poſſemus. *Qui fecit vivere docuit & orare.* Et quia Sanctum Roſarium, nihil aliud eſt niſi ipſa Dominica oratio, nec non Angelica ſalutatio; Chriſtus autem Dominus, largiſſimam dedit facultatem Sanctæ Genitrici ſuæ, ut coram tribunali ſuo ageret partes noſtras, ſeque per interceſſionem ſuæ matris ad majora adſtrinxit facienda: ea propter Beatiſſima Virgo Maria jam in cœlis reſidens noſtrique cauſam agens, ſuum ſacrum Roſarium nobis è cœlis obtulit, tanquam medium accommodatiſſimum, quo cum filio feliciter negociari, & cuncta pro voto impetrare poſſimus.

D. Cypr. Serm. 7. ſuper Pater noſter.

II. Inſtante pugnâ filiorum Iſrael cum Amalec, Moyſes Patriarcha, & generalis Dux eorundem vocato ad ſe Joſue, ei præcepit, ut cum electis viris de populo ſuo, occurreret hoſtibus, & fortiter pugnaret cum illis, utque eidem majorem animi audaciam adderet, ait, *Ego ſtabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea.* Quaſi diceret Moyſes. Ne dubites de proſpero pugnæ eventu, ego in ipſo certaminis tempore elevabo virgam Dei, eamque conſpectui divino exhibebo, unde tu haud dubie Amalechitas ſuperabis. Sed unde hic Moyſi fiducia, ob ſolam virgæ illius elevationem? cur ſperabat victoriam? facile rationem hujus percipiemus. Paraphraſtes Chaldæus, examinans illum locum ſacri textus ubi ait Moyſes. *Habeo Virgam Dei in manu mea*; addit ſua verba dicens. *Virgam, qua facta ſunt miracula.* Unde ait Abulenſis, recte illam virgam Moyſis vocatam fuiſſe miraculoſam: quia (uti ipſe ait) *illa virga fuerat organum Dei ad multa miracula.* Sed eſto, quænam fuit illa Moyſis cæremonia, quod illam virgam ſurſum elevaret, vel quam virtutem habebat illa virgæ elevatio, per quam victoriam Joſue tam ſanctè promittebat? Diverſi ſacræ ſcripturæ interpretes, diverſas quoque aſſignant rationes, ſed ea quæ eſt juxta litteram, magis inſervit meo propoſito. Cum Moyſes noſſet benevolam Dei indolem, cum quo ſæpius converſando, & virgam oſtendendo, eidem enarrabat, quanta miracula eâdem patraverit, talibus ergo ſignis ejuſdem virgæ virtute factis animatus, eam inter orandum in altum coram Domino elevabat dicens. *Habebo virgam in manu mea.* Quaſi diceret: O Deus omnipotens! Hæc virga quam ego elevo, illa virga eſt, quam dediſti mihi, ad patranda miracula coram facie Pharaonis. Hæc virga eſt, quæ aquas convertit in ſanguinem, quæ eduxit ranas de paludibus, quæ percuſſo pulvere terræ fecit cimices, quæ muſcas graviſſimas ad totam terram Ægypti ſine nume-

Exod. 17. v. 9.

Paraphr.

Abulenſis.

Exod. 8. v. 16.

Exod. 9. v. 23.

ro advolare fecit, quæ eduxit locustas super omnem terram, & in summa quæ tot mirabilia operata fuit: hanc ergo virgam ô Deus elevo, eamque ostendo coram facie tua, ut quemadmodum illâ percussisti Pharaonem, ita quoque conteras superbiam Amalec, qui tibi contradicit. Amalec prohibebat Moysi, suoq; populo viam ad eundem, at nos quot hostes habemus qui impediunt iter salutis nostræ? sicuti ergo Sanctus ille Patriarcha, virgam elevando sperabat de hoste victoriam, ita & vos sodales SS. Rosarii, dum illud orantes, mentem ad Dominum elevatis, speranda quoque vobis est de hoste animarum vestrarum victoria.

III. Cogitate ergo Auditores mei, & vos sodales sacratissimi hujus Rosarii, quam multum obligemur, sacratissimæ Deiparæ, quæ nobis contra hostes nostros, talia arma dedit, nempe, quæ nos eam devotionem sanctissimam per Divum Patrem Dominicum edocuit. *Aristot.* Ex cœlis descendit istud beneficium: cum enim dicat Philosophus. *Qui dat formam, dat consequentia ad ipsam*: congruum quoque fuit, ut unde remedium culpæ originalis, nempe à Servatore nostro Christo Jesu recepimus, etiam venia & indulgentia peccatorum post Baptismum commissorum descenderet. Dicite causam cur sacrum Rosarium Beatissimæ Virginis Mariæ, vulgo Psalterium nominatur? an quia ex centum & quinquaginta salutationibus Angelicis componitur, quemadmodum Psalterium Davidicum ex centum & quinquaginta Psalmis constat? & hæc quidem ratio est probabilis, sed ego juxta sententiam Divi Patris Augustini, aliam promam, quæ est hæc: *S. Augustin. in Prolog. Psalm.* *Quoniam quidem hoc organum, musicorum sonos de superioribus habere fertur.* Sunt quædam instrumenta, quæ à parte inferiori pulsari solent, at hoc instrumentum Sancti David, à parte superiori edit vocem, nihil aliud enim decantat, quàm divina beneficia, quæ juxta testimonium Sancti Jacobi Apostoli non aliunde, quam desursum veniunt, juxta illud quod ait: *S. Jac. 1. v. 17.* *Omne datum desursum est.* Cum ergo etiam sanctissimum matris Dei Rosarium veniat, & nihil decantet, quam sola Dei beneficia, non immerito in litteris Apostolicis Psalterium nuncupatur. Pulchra est illa ratio, quam habeo à Venerabili Hugone Cardinali. Legimus 1. Reg. capite 16. Quod dumcunque spiritus malus arripiebat Saul, tunc David psallebat Cytharâ, & *1 Reg. 16 v. 16.* sic ille refocillabatur, & levius habebat. Quærit hic Isidorus ob quam causam psallente David, spiritus malus fugiebat, numquid propter sonum Cytharæ, & respondet: *Non: sed ob mysterium in Cythara designatum.* Sed quodnam illud? Idem ait. In Cythara est lignum, & chorda: lignum est crux Christi, chorda tensa, est caro Christi in cruce extensa: hanc ergo Cytharam cum audit Diabolus multum expavescit. Cum ergo orantes Rosarium nihil aliud faciamus, quam quod prædicemus mysteria Christi incarnati: quid aliud erit Rosarium quam ipsum Psalterium. *Isidorus.* *Hugo.*

IV. Non frustra Dæmon, devotionem S. Rosarii exhorrescit, ut testatur Joannes Andreas dicens: *Ex omnibus orandi formis, nullam leguntur Dæmones, durius execrari, quam preculas in Rosario, vel ipsum Rosarium.* Sacrum enim Rosarium, est catena magna, quâ Angelus descendens de cœlo serpentem antiquum colligavit. Est funda, ex qua dum granum precum projicimus, inferni gigantem uti alter David prosternimus. Est arca salvans à diluvio, in qua cuncti clientes Beatissimæ Virginis Mariæ à diluvio peccatorum liberantur. *Ioan. Andreas de Rosario.* *Apoc. 20. v 2.* *1. Reg 17. v 9.* *Gen. 7. v. 18.*

V. Tandem ut rem meam finiam, placet referre quandam Sancti Ambrosii Episcopi sententiam, qui cupiens Christi fidelibus aliquam medicinam porrigere, qua sumpta, nunquam tristentur, nunquam in anima infirmentur, pro syrupo & omni pharmaco Christum Jesum præsentabat dicens: *Omne quod optare, & desiderare potes Christiane, id in Christo medico tuo certum & securum habes.* Eja fratres, & cultores Rosarii Beatissimæ Virginis Mariæ, eodem modo & vos, si vulnera animæ vestræ curare vultis, ingredimini hortum Deiparæ Virginis, hortum inquam Rosarum salubrium, quia in dilecto filio suo Jesu Christo plantatæ sunt, in hoc suo sacro Rosario tota vestra sanitas est: qui enim æstuat concupiscentiâ, in sacro Rosario refrigerium inveniet: si quis gravatur onere peccatorum, in eodem, conscientiæ suæ levamen experietur, & ut compendio dicam, Rosarium id totum est, quod consequi & habere velis. Vis vitam æternam? accurre ad Rosarium. Quia sicut liber est generationis Jesu Christi; ita quoque liber est vitæ æternæ, quam nobis largiri dignetur Christus Jesus, AMEN. *S. Ambr. Lib. 3. de Virg.*

IN FESTO SACRATIS. ROSARII CONCURRENTE CUM DOMINICA XVI. POST TRINITATIS,

CONCIO II.

Ascendens Iesus in naviculam transfretavit.

Matth. 9. v. 1.

Matth. 8. Marc. 3. Luc. 8. MUltoties Jesus navicula utebatur, uti narrant Sacri Evangelistæ, & inter ipsos hodie S. Mattheus Evang. dicens. *Ascendens Iesus in naviculam transfretavit*; jam si quæretis hujus rei rationem, ponuntur quidem *Luc. 5. v. 3.* aliquæ in ipso sacro textu, sicuti una fuit ut remotus à turbis, commodius illis prædicare posset: at ego eam etiam esse puto, nempe, ut se demonstraret esse Dominum Deumque non solum terræ, in qua diversa miracula perpetrabat, infirmos curando, Dæmones exciendo, mortuos suscitando, sed etiam maris & aquarum, ut qui infirmum quendam à triginta & octo annis, qui Angelo movente aquam ad probaticam piscinam (ut sanaretur) pervenire non poterat, solo verbo sanavit. Et (ut cætera præteream (qui Petrum in pelago naufragantem à periculo mortis liberavit. Sed inter hæc aliaque id genus Christi Domini miracula in aquis patrata, recentius quoddam proponit nobis per diplomata tot Pontificum Romanorum S. Mater Ecclesia, nempe illam glorioſam victoriam, quam Christiani Principes, de classe Turcarum potentissima, feliciter reportarunt. Ea enim ipsa die hæc victoria obtigit qua confraternitas Sacratissimi Rosarii devotionem suam peragebat. Nemo nostrum dubitet, tunc Christum Dominum non jam in navicula, sed in ipsa Christianorum classe præsentem adfuisse, & pro Christianis decertasse. Sed numquid putandum est, ob preces & reverentiam sacri Rosarii id contigisse? id in hac concione ponderabo.

Joh. 5. v. 8. Matt. 14. v. 31.

I. Duplicem potissimum habent modum bellatores quo utuntur in prœliis, vel enim aperto marte armis prœliantur, vel utuntur quopiam stratagemate, quo hostem suum circumvenire taliterque superare possint. Exemplum utriusque modi, Josue Dux Israelis nobis demonstrabit, de quo habetur capite sexto, qualiter pugnaverit adversus urbem Jericho, nempe nullis ipsum armis usum fuisse, sed solo circuitu & tubarum clangore ipsam cepisse. Motis deinde castris adversus urbem Hai, emisit tria millia virorum pugnatorum, qui armis eam caperent, sed cum ob furtum Achan iste modus minus successisset, percussi enim à viris Hai terga verterunt, iterum recurrerunt ex mandato DEI, ad bellicum stratagema posueruntque insidias post civitatem, quo astu ceperunt illam, fugiente cum populo ab urbe, eumque habitatoribus Hai persequentibus, hi qui erant in insidiis, urbem intraverunt, eamque incenderunt. Sed utrumque hunc bellandi modum, unica superat oratio, quia longe excellit tam arma bellica, quam etiam stratagemata sive artes bellandi. Inprimis legimus 4. Regum 6. Regem Syriæ circumdedisse civitatem Dothaim in qua Helisæus habitabat, volens eum capere, eo quod insidias suas Regi Israelis detegebat. Sed quid Propheta? nunquid arma sumit, quibus se defendat? minime vero: sed sola fuit oratio, quæ ipsum ab hoste liberavit, quod etiam fatetur Divus Ambrosius dicens: *Hostes suos non armis superabat, sed oratione vincebat.* Mirabile est quod dicam.

Ioſue. 6. v. 3.

Ioſue. 7. v. 1.

Ioſue 8. v. 19.

4. Reg. 6. v. 17.

D. Ambr. Serm. 86.

II. Præceperat olim Deus Num. capite 1. Quatenus Moyses iniret numerum bellatorum à vigesimo anno & supra, quarto vero capite injungit Moysi ut ex reliqua multitudine eligeret Domino Levitas, ad ministerium tabernaculi sui, qui trigesimum annum ætatis expleviſſent, dicente sacro textu. *A trigesimo anno & supra, ut stent & ministrent in tabernaculo fœderis.* Hic dignum est animadversione, quod Dominus ad bella eligi voluerit personas masculinas viginti annorum, ad officium verò Leviticum, & ad ministerium

Num. 1. v. 18.

Num 4. v. 3.

ministerium tabernaculi fœderis, annorum triginta, nonne ad prælia corporalia vires requiruntur fortiores, quam ad templi obsequium? in bello agitur viribus, & armis ad quæ sustentanda fortia brachia requiruntur, at in Dei servitio, omnia sunt tranquilla, ad solam enim laudem Dei ordinatur. Ut quid ergo his quibus leviora erant facienda, volebat Deus ætate seniores, nempe triginta annorum esse? Magis æquius videretur ad bella à triginta annis, ad servitium vero divinum à viginti annis procedere, nam eidem ætati etiam sacer textus favet dicens: *Bonum est viro cum portaverit jugum Domini ab adolescentia sua.* Sed notandum est, duplex esse bellum, nempe corporale, & spirituale, sicut enim in corporali prælio, unus alteri adversatur, unus alterum impugnat, amboque certant ut unus consequatur victoriam, ita quoque in bello spirituali, est oratio, quæ cum Deo pugnat, donec pectus ejus clementissimum expugnet. Figura hujus certaminis fuit illa lucta Jacob, in qua sacer textus describens suum æmulum qui luctabatur cum Jacob, virum appellat dicens: *Et ecce vir luctabatur cum eo usq; mane*: ea lucta non corporale sed spirituale certamen denotabat: meritò ergo ætas viri exprimitur, ad tale enim prælium robustior ætas requiritur, qualis erat Levitarum, qui ad servitium divinum destinabantur. Hinc patet orationis virtus & summa efficacia.

Thren.3. vers.27.

Gen.32. vers.25.

III. Deflectamus paulisper ab armis, ad stratagemata, inter plura alia quæ in bellis adhibentur, est etiam non postremum, illud, ut si quispiam obsideat civitatem obsessis aquam adimat, ut illius penuria ad deditionem cogantur. Holophernes Dux Assiriorum ita fecit. Cum enim Bethuliam unam civitatem Israëlis obsedisset, per gyrum ipsam circumivit & invento fonte, qui aquæ ductum influebat, non solum ipsum incidi fecit, sed etiam ad alios fontes qui erant prope muros civitatis, suam vigiliam posuit. Numquid oratio ignorat hoc stratagema? Elias Propheta, videns impietatem magnam Achab Regis Israelis, quod non solum à vero Deo resiliisset, sed etiam iodola pro Deo adorasset, ut eum Domino suo subjugaret usus est eodem stratagemate, nempe effecit id, quod ob aquæ penuriam, maxima fames terram illius invasisset, ita ut ipsemet Rex cum Abdia dispensatore domus suæ, coacti fuerint exire, ut jumentis suis (ne interirent) aliquem herbam in vallibus invenire possent. Sed quo medio Sanctus Propheta talem Israelitis aquam abstulit? non alio sane, sed unica oratione id effecit, uti testatur Sanctus Jacobus Apostolus dicens: *Elias oravit ut non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex.* Non solum arma, sed etiam stratagemata bellica superat oratio: quod si omnis! quantum erat illa potentior: quam composuit ipsa sapientia: *Pater noster*, porro salutationis illa Gabrielis Archangeli: *Ave Maria*, ex quibus sacrum Rosarium componitur, quantæ non debent esse efficaciæ; cum sint memoriale perpetuum vitæ, mortis, nec non gloriæ Salvatoris nostri Jesu.

Judit.7. vers.6.

4 Reg.17. vers.9.

Ep S.Jac.5. vers.17.

IV. Audite ad nostrum propposítum quendam locum Isaiæ Prophetæ, ubi describens imminentem urbis Ierosolymæ cladem, à Sennacherib Duce Assiriorum sub Ezechia Rege imminentem ita Dominum exorabat. *Domine miserere nostri, te enim expectavimus esto brachium nostrum in mare, & salus nostra in tempore tribulationis.* Quasi diceret. Auxiliare nobis Domine, si enim divina Majestas tua contra hunc hostium nostrorum exercitum, gladium è vagina potentiæ suæ non extrahet, arcum non tendet, spiculum non diriget, inanis erit nostræ resistentia: vel qua ratione Assyrius superabitur? Et postmodum respondet Propheta: *A voce Angeli fugerunt populi, & ab exaltatione tua dispersa sunt gentes*: in quibus verbis, duobus adscribit victoriam, nempe omnipotentiæ Dei, & voci Angeli. Hæc sane duo quæ Regi Ezechiæ victoriam attulerunt, pulcherrimè adumbrant eam alteram Christianorum victoriam quam Anno 1571. Dominica prima Octobris bello navali de Turcis reportarunt. Hi enim dum cum maxima classium multitudine cum exercitu Christianorum satis impari & exiguo dimicare statuissent. Pius Quintus Pontifex maximus, collatis belli viribus cum Philippo Secundo Hispaniarum Rege, nec non cum Republica Venetorum, aliisque Principibus Christianis, Duce Joanne Austriaco, eique cum toto exercitu Christiano benedictione sua Apostolica impertita, eum admonuit, ut fortiter pro fide Christiana, cum hoste fidei ejusdem, dimicaret. Factum ita: quid contigit, dum jam fervor bellicus personaret, tormenta à

Esaiæ.33. vers.2.

Turcis

Turcis emissa, fumo suo nitreo totum aërem obfuscarent, ecce benignus Deus subito excitavit ventum, qui eundem tormentorum fumũ ad Turcas redire fecit, quo obcœcati Christianos quidem videre non potuerint, ab iis tamen bene viderentur, quo pacto, & victoriam jam quasi in manibus suis habitam amisere & innumerabilia spolia exercitui Christiano cesserunt.

V. Hic ergo merito mihi repetenda sunt verba Isaiæ Prophetæ: *A voce Angeli fugerunt populi, & ab exaltatione tua dispersi sunt.* De exaltatione virtutis divinæ, nullum est dubium: idem enim fecit cum illo Turcarum exercitu, quod etiam cum Sennacherib factum fuit. Sed quænam illa fuerat Angeli vox! non alia certè quam Gabielis Archangeli salutatio ad Virginem Mariam facta. *Ave Maria*, quam cum eodem tempore in solemni processione confraternitatis sacratissimi Rosarii ingeminaret, eadem devotione mediante factum fuit, ut à voce illa Angelica fugerint, quin contriti fuerint Turcæ illi infideles, quod suis diplomatibus testantur summi Pontifices. Pius 5. Greg. 13. Leo 10. Sixtus 5. iique huic sacræ confraternitati concesserunt, ut hac hodierna die sub hoc glorioso titulo victoriæ de Turcis partæ processionem Sacratissimi Rosarii, publice & solenniter celebrarent, cæteraque juxta morem suum pietatis officia peragerent. Nunc intelligo ô fratres Sacrtissimi Rosarii cur Sanctissima V. Maria ad Patriarcham D. Dominicum semel dixerit, quod hi qui Rosarium ejus pie recitarent, essent Gabrielis Archangeli socii: non ideo vocamini hujus Archangeli socii, quod eandem quam ipse, salutationem recitetis, sed cum Gabriel, significet fortitudinem Dei, quod tunc sitis illius socii, suæque fortitudinis participes, dum preces Sacratissimi Rosarii ejaculamini quæ Sathanæ sagittis formidolosiores, Christo autem & Beatissimæ Matri suæ sunt acceptissimæ, quorum nomen sit benedictum in sæcula.

Amen.

Luc. 1. v. 28.

Gregor: Hom. 34.

IN FESTO SACRATISSIMI ROSARII, CONCIO III.

Obaudite me divini fructus, & quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate. Eccl. 39. v. 16.

MIrabuntur fortasse Auditores mei, me hodierna die de solemnitate Sacratissimi Rosarii perorare cupientem, ad hæc verba confugisse, *obaudite me divini fructus*, &c. Quis enim vidit aliquos fructus aures habere aut quis ex plantis rosarum fructus aliquos delibavit? Sed cessabit admiratio, ubi accesserit oratio. Oratores id in consuetudine habent, ut si aliquam grandem materiam Auditorio suo proponere intendant, ut illud magis attentum sibi reddant, in principio orationis suæ, variis figuris & metaphoris uti solent, quibus materiam suam eò magis condecorent. Sanctus Patriarcha Moses ita fecit, hic enim cum illa Dei beneficia Israeli in mari rubro exhibita enarrare vellet, sic peroravit. *Audite cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei*: si ergo Sancto huic Patriarchæ, licitum erat, uti metaphoris, nempe cœlo, & terra, per quæ duo, homines intelliguntur. Cur mihi quoque divinos fructus vos appellare non liceat? Dico igitur. *Obaudite me divini fructus, &c.* Ut autem sciatis statum concionis meæ. Primo enarrabo vobis maximum Dei beneficium quod Christianis Principibus in mari bello navali, cum Turca pugnantibus, non secus atque Israelitis concedere, eisque victoriam conferre dignatus fuit. Secundo de fructibus sacratissimi Rosarii aliquid promam.

Deut 32. vers. 1.

I. Notum est vobis illud maximum divinæ potentiæ facinus, quod describitur Exodi capite decimo quarto, qualiter Rex ille Pharao, cum filios Israël fugientes & per mare sicco vestigio incedentes insequi conaretur, jamque ad medios fluctus maris cum toto exercitu suo ingressus esset, respiciens Dominus per columnam ignis & nubis, evertit rotas curruum, totumque hostilem

Exod. 15. vers. 1.

populum aquis suffocavit, ut ne unus quidem vivus remanserit. Hinc igitur Moyses factus hilarior, tale carmen Deo cecinit dicens: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem projecit in mare.* Ut autem hujus rei jugiter maneret memoria in generationibus eorum, idem Sanctus Patriarcha, insignem hac de re conscripsit Historiam, cujus hoc est principium. *Audite cœli quæ loquor, audiat terra, verba oris mei, quia nomen Domini invocabo.*

II. Dilecti Auditores, Fratres, Sororesque Rosarii Sacratissimi, nos hodierna die, non secus atque filii Israelis revocamus nos in memoriam, magnum omnipotentis DEI miraculum, quod hoc die Rosarii Sacratissimi virtute ejusdem, nec non efficacissimæ intercessionis Beatissimæ Mariæ Virginis, patronæ ejusdem singularis, ostendere dignatus est, idque tali ratione. Cum inimicus Christianitatis, ferox Turca ac bellua anno 1571. maximum exercituum collegisset, ac mare cum triremibus suis superbè ut alter Goliath ingressus, bello navali cum Christianis congredi statuisset, divino nutu Sanctus Pater Pius Quintus conjunctis viribus suis cum Rege Hispaniæ Philippo Secundo, nec non Reipublica Venetorum, cæterisque cum Principibus Christianis, eosdem hortatu suo paterno animavit, quatenus cum hoste fidei Christianæ signa conferrent, eosque fortiter aggrederentur, ne Christiana fides ab iisdem explo-deretur, ipsique in deditionem ipsorum ignominiosè venirent. Factum est, quod tametsi Christianorum exiguus fuerit numerus, nihilominus solemnem de hostibus suis victoriam retulerint, ita ut nostri milites, adjuti vento felici, qui in castra Turcarum maximo impetu ferebatur, & fumum quem è bombardis tormentisque suis ejaculabantur, rursus in ora eorum referebat, hoc inquam medio potiti victoriâ, summum triumphum cum insignibus spoliis ab hoste reportassent. Quod factum fuit anno supra dicto Octobris die septima, qua per totum orbem Christianum sodaltitatum Rosarii Sacratissimi solemnis processio peragebatur, præsertim verò Romæ ordinatum fuit, ut hac eadem die Christum Jesum matremque suam sacratissimam sua sodalitas precibus suis pro ea Christianorum victoria imploraret, unde etiam pie creditum fuit, ad preces confraternitatis & intercessionem magnæ matris, eam victoriam obtigisse, cujus memoriam celebrandam Gregorius decimus tertius summus Pontifex prima Octobris Dominica instituit.

III. Dum ego hodiernam solemnitatem amplius mecum perpendo, occurrit mihi, conceptus quidam egregius, Apocal. capite 10. adnotatus, ubi Sanctus Johannes Evangelista recensèt, se vidisse Angelum fortem descendentem, ac nube coopertum, qui dextrum suum pedem posuit super mare, sinistrum verò super terram. Angelus fortis quid aliud denotat, quam potentiam, fortitudinem, & gloriam omnipotentis DEI? unus pes in mari & alter in terra, quid aliud designat, quam opera Dei mirabilia quæ operatur in mari & in terra? Utrumque tale opus divinum regius Vates comprehendit hisce verbis. *Posuit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum.* De uno pede in mari, nempe de illo grandi miraculo, quod Deus omnipotens, precibus Rosarii Sacratissimi, & interventu dignissimæ matris suæ ad Naupactum Achaici sinus operari dignatus est, jam sufficienter dictum audistis: sed pes alius: quidnam in terra agit? vel ut clarius dicam, devotio Sanctissimi Rosarii quidnam in terra operatur? Scire avetis. *Obaudite me divini fructus.* Balaam vates, cum benedictionem populo Israelis in planitie terræ Moab impertiret, atque oculis suis elevatis populum in tabernaculis suis consistentem intueretur, actus divino numine hæc verba protulit. *Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel, ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui.* Scitisne mysterium quodnam hic lateat? Alter pes Angeli in terra manens, nempe fructus uberes Rosarii sacratissimi me ad ea verba proferenda incitarunt, adeo ut ea ad vos devoti fratres & sorores relata, iterum repetere placeat. Quam pulchra tabernacula & tentoria vestra ô sodales ô sodales, sicut valles nemorosæ, & horti juxta fluvios irrigui. Forte dicetis me erasse in aliquo, dum archiconfraternitatem vestram tabernaculis Jacob & tentoriis Israel comparavi? minimè verò: Balaam in verbis suis assimilavit populum Israe-

Apoc. 10. vers. 2.

Psal. 106. vers. 35.

Num. 24. vers. 5.

lis

lis vallibus nemorosis,& hortis irriguis, cum tamen inter illos nullos adhuc fructus vidisset, quo magis igitur ego vos vallibus nemorosis & hortis irriguis comparavero qui non in sterilitate aliqua sed in abundantia florum, rosarum inquam vernantium gloriamini.

IV. Jam vultis, tales sibi fructus produci? Tunc fructus salutares producitis, tunc rosas triplici colore fulgentes, nimioque odore fragrantes germinatis, dum vitam Christi Jesu, quæ in tribus consistit, nempe nativitate, passione, & resurrectionis gloria, meditamini, & per id meritorum ipsius, atque gratiæ suæ cœlestis participes sitis. Siquidem Rosarium sacratissimum, nihil aliud est quam corona quædam, ex floribus rosarum, trino colore distinctarum contexta: Rosæ albæ denotant vitam Christi Jesu, nempe nativitatem suam, & omnia illa quæ docendo, & multa patrando miracula in terris egit. Rosæ purpureæ sive rubentes denotant passionem Salvatoris nostri. Flavæ sive coloris aurei, resurrectionem ejus, cæteraque mysteria glorioſa. Sicuti ergo eo modo corona texitur rosacea, si una rosa alteri adjungatur, & alia iterum alteri & sic tandem corona perficitur: eodem modo fit in mystica sacratissimi Rosarii corona, ibi enim si orare volueris primam ejusdem partem, quam alba rosa figurat, dictaque oratione Dominica, ad decadem accedas salutationis Angelicæ, quot AVE Maria profers, tot rosas in ore habes ex quibus corona hæc suave olens conficitur. Sed cuinam tam elegantem coronam dedicabis? Sanctus Joannes Apocalyp. capite 4. narrat Seniores illos viginti quatuor, habuisse coronas totidem in capitibus suis, sed cum ad Dominum Deum accessissent in signum subjectionis easdem de capitibus suis depositas, ante ejusdem pedes posuisse, quidnam ea submissione significare voluerint, id declarat Venerabilis Beda dicens: *Mittebant coronas suas ante thronum. Deo videlicet assignantes, quidquid virtutis, quidquid habebant dignitatis.* Beda in Apoc. 4.

Apocal. 4. vers. 4.

V. O quanta est virtus & dignitas Rosarii Sacratissimi & quis privilegia à tot Pontificibus summis indulta sibi, enumerare queat? dicam pauca è pluribus. Primò quicunque sunt in albo hujus sacræ confraternitatis, omnium indulgentiarum quæ haberi possunt in confraternitatibus similibus totius orbis, quilibet earum particeps esse potest. Secundo A summo Generali nostro omnes confratres & sorores hujus sacri sodalitii admissa sunt ad omnia ordinis privilegia & gratias. Similiter ad omnia merita & beneficia, quæ ordo Prædicatorum ex Christi Domini Suorumque vicariorum gratia & indulto habere potest. Tertio plurimas habent indulgentias non solum hi, qui in numero Sacratissimi Rosarii recensentur, sed etiam omnes Christi fideles etiamsi sint extra ipsam, si modo hodierna die confiteantur & sacrum Seraphin sumant. Hi sunt fructus vestri ô devoti confratres & sorores, sed quid tum? numquid in iis gloriamini? minime verò, quin imo dum pensum hunc spiritualem Sacratissimi Rosarii persolvitis, coronam de capite vestro sublatam, ante thronum Dei mittentes, ejus gloriam & magnificentiam prædicatis. Agite sic confratres mei. *Obaudite me divini fructus & quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate.* Fructificemus hic fructus pietatis & justitiæ, ut in æterna patria, introducti in hortum immortalitatis,

æternos fructus gloriæ gustare mereamur.

AMEN.

IN FESTO SACRATISSIMI ROSARII,

CONCIO IV.

Ego quasi plantatio Rosæ in Iericho.

Eccl. 24. v. 18.

LEgimus 4. Regum cap. 2. Habitatores urbis Jericho venisse quondam ad Prophetam Elizæum, eique necessitatem adventus sui hisce verbis indicasse: *Ecce habitatio*

civitatis hujus optima est, sicut tu ipse Domine
4. Reg. 2. *prospicis, sed aqua pessima sunt, & terra sterilis.*
vers. 19. S. igitur Propheta, animadvertens, talem querelam populi hujus, justam esse, jussit sibi
Ibid. v. 21. adferri vas novum, & modicum salis, benedixitq; aquas, & statim conversæ sunt in dulces & potabiles, juxta verba Prophetæ dicentis: *Hæc dicit Dominus: sanavi aquas has, & & non erit ultra in eis mors neque sterilitas.* Quæ verba ponderans novus quidam Autor, ait S. illum Propetam, non solum aquas potabiles fecisse, sed etiam totam terram circa illam civitatem, ita fertilem reddidisse, ut quæ antea
Chartag. erat infœcunda, nihilque ex se producebat,
Hom 2. de postmodum non solum fructibus arborum, &
Kosar. seminum abundabat, sed etiam varietate & odore florum, oculos nareſq; decerpentium oblectabat: inter varias autem talium florum species, rosæ Jerichuntinæ primum locum habebant, omnes enim reliquas, quæcunque in illa terra promissionis nascebantur, eæ tam suavi suo odore, (quem exhalabant,) quàm etiam pulchritudine, excellebant: hinc apud omnes nationes celebris erat plantatio Rosæ in Jericho. Eodem modo Christus Dominus, pugillo salis suæ sapientiæ, necnon sanguine suo pretioso, sterilem hanc mundi terram nempe suam sanctam Ecclesiam adeò frugiferam reddidit, ut innumeram Martyrum, Virginum, Confessorum, Eremitarum, aliorumq; Sanctorum multitudinem germinaverit: inter omnes tamen plantas una rosa Jerichuntina excellit, nempe B. V. Maria Mater Dei. Cujus hodie annuam solemnitatem celebramus, sed cur sub nomine seu titulo sacri Rosarii? Rationem hujus in hac concione audiemus.

I. Quamvis hodierna solemnitas instituta fuerit in memoriam celeberrimæ illius victoriæ, quam invictus Princeps Joannes Austriacus in prælio navali ad Naupactum à Turca Christianorum hoste, viribus & numero longe inferior, miraculosè & feliciter reportavit,
Lopes' Hom. de prout testatur Episcopus Monopolitanus, tamen liquet, eo quoque institutam esse, quod
S. Rosar. insignis illa victoria, obtenta fuerit prima Dominica Octobris, quo die per totum orbem Christianum processio Sacratissimi Rosarii fieri solet, ideoque ea victoria, Beatissimæ Dei genitrici attribuitur, certumque tenetur, illam precibus & devotione Sacratissimi Rosarii obtentam fuuisse, quod constat ex tot Diplomatibus summorum Pontificum idem asserentium. Ego nihil ominus eam præcipuam causam solemnitatis hujus institutæ fuisse puto, ut uno die, omnes simul virtutes Heroicæ, Virginis Sanctissimæ celebrari possint, omniaque simul redemptionis nostræ mysteria solemni ritu recolantur, sicut in veteri lege singulis diebus, in quibus populus ille Judaicus singulari aliquo beneficio affectus erat, festa celebrantur. Sic phase, erat memoria, & agnitio liberationis ex Ægypto, Pentecoste, in gratiarum actionem legis, quam receperant. Exod. 12. Festum Tabernaculorum, in signum gratitu- vers. 27. dinis beneficiorum, quæ in deserto misericorditer à Deo obtinuerant. Sed postquam ter- Deut. 16. ram promissionis ingressi fuerunt, tunc o- vers. 16. mnium simul festorum unam solemnem commemorationem celebrarunt, volentes omnium beneficiorum Dei, quæ ipsis præstiterat, in Ægypto & in deserto, similiter in itinere peregrinationis suæ, una die solemnitatem fieri, ut quod minus perfectè peregerunt; hac una die, perfectâ observantiâ compensarent. Non aliter Ecclesia Catholica, celebrat hodie solemnitatem, omnium festivitatum Deiparæ, & omnium sacrosanctorum salutis nostræ mysteriorum, adeo, ut hoc festum Sacratissimi Rosarii nominare possimus, omnium festivitatum Christi & Deiparæ (quasi) quintam essentiam, & quoddam compendium. Quod taliter ostendo. Quia in cæteris festis, unum tantum mysterium seu unam solam virtutem Dei genitricis recolimus. In Nativitate Domini, Deum recens natũ adoramus: in Paschate resurgentem veneramur, in Annunciatione B. Virginis, ejusdem humilitatem prædicamus, in Purificatione ejusdem, summam obedientiam extollimus: at vero in Festo sacratissimi Rosarii, neq; hoc vel illud mysterium Christi, non hanc, vel illam virtutem S. Virginis recolimus, sed omnia simul mysteria, omnesque ejusdem virtutes, simul recolimus.

II. Sanctus Bernardus Abbas facturus ser- S. Bern. de monem de S. Joanne Baptista, eumq; præ cæ- S. Ioan. teris Sanctis Dei specialiter laudare cupiens, Bapst. tandem eo titulo eum compellavit dicens: *Splendor Sanctorum.* Quid pulchrius, quam videre aliquod monile lapidibus pretiosis exornatum, ubi in auro optimo, resplendet Adamas, Carbunculus, Smaragdus, Saphirus, cæteræque gemmæ pretiosæ: tale igitur monile

cum

cum intueris, & videns oculos tuos fulgore quodam, aut quibusdam ſtellis micantibus repercuti, tali viſione oblectaris, ſed ſi te quispiam interrogaret, unde nam ille decor huic monili acceſſerit? te fateri neceſſum eſt, non ab uno lapide, ſed ab omnibus illi qui inſerti auro, talem ſplendorem edunt. Si ergo eſt S. Joannes Baptiſta *Splendor Sanctorum*. Quæ in illo, veluti in quodam monili vivo, omnes ſanctæ virtutes, lapidibus pretioſis pulchriores continentur. In illo reperitur Adamas virginitatis, Carbunculus martyrii, Smaragdus confeſſionis, & fidei Chriſtianæ prædicationis, & ut uno verbo dicam: *Splendor Sanctorum*. Non abſimilis eſt devotio, & feſtum SS. Roſarii cœlorum Reginæ, Dominæq; noſtræ, S. V. Mariæ; eſt ſplendor omnium feſtivitatum Chriſti Jeſu, eſt ſplendor omnium virtutum, matris Dei eſt ſummarium omnium myſteriorum, quæ in particularibus Chriſti Jeſu, æque matris ſanctiſſimæ feſtivitatibus commemoramus. Quod cum ita ſit, merito hodiernæ ſolemnitati inter omnia totius anni feſta, primatus debetur. Speciales Chriſti Domini, & ſanctiſſimæ matris ſuæ feſtivitates ſunt admodū ſolemnes & præclaræ, dignæ ut maxima veneratione celebrentur, ſed hodierna die dum ſimul conjunctæ ſunt, velut monile quoddā lapidibus pretioſis exornatum, animum noſtrum exhilarant, habentque in ſe aliquid ſingulare, quod nos ad majorem devotionem excitat, ut quod in aliquo hujus anni Chriſti Jeſu ſuæque ſanctiſſimæ matris feſto, neglectum, ſeu præteritum fuit, hodie à nobis compenſetur.

III. Sed ſtandum mihi eſt promiſſis, ſpoſpondi enim me rationem allaturum, cur hæc hodierna ſolemnitas, gaudeat titulo SS. Roſarii. De excellentia roſarum multa ſcribunt Autores, Anacreon Poëta inter omnes venuſtos flores, primum locum roſis aſſignat dicens: *Si floribus vellet Iupiter imponere Regnum? excellit roſa floribus.* Et quia quæ pulchra & pretioſa ſunt, ea quoque diligenter cuſtodiri ſolent, hinc Philoſtratus cenſuit, ſpinas roſis eſſe datas quaſi pro excubiis & defenſione nec non pro ſagittis quæ ipſas defendant dicens: Roſæ ſpinam *Sagittarum loco habent*. Hinc Richardus roſam appellat Reginā florū, eo quod purpurei coloris ſit, quo Reges veſtiuntur. Pierus a. Valerius; Quosdam homines, ad conciliandos ſibi Principum, Regumq; animos, roſas penes ſe geſtaſſe, eisq; uti conſueviſſe: neq; id caret myſterio, habent ſiquidem roſæ eam virtutem, quod ſola earum extrinſeca apparentia hominum animos trahat, & ſua pulchritudine non parum eos exhilaret. Hinc Clemens Alexandrinus, inducit Reginam Eſther, qualiter non vocata, ingreſſa fuit cuncta per ordinem oſtia, ſteritq; contra Regem: qui licet prima fronte legis ſuæ violatricem torvo oculo aſpexiſſet, nihilominus tamen omnem tandem gratiam eidem demonſtravit. Quid cauſę fuiſſe putaretis? ait ſacer textus: *Ipſa autem colore roſeo vultum perfuſa*: eidem rationi ſubſcribit Autor ante nominatus, quia de hoc colore roſeo pro Eſther Regina perfuſa fuit, ita ait: *Roſea Eſtheri pulchritudo invenit pretium, quo liberatus fuit populus qui interficiebatur*. Hæc de extrinſeca virtute floris hujus pulcherrimi, de intrinſeca multa notantur, ſed ea mihi ſufficient, quæ ſcribit Plinius Libro 21. capite 24. eaſque roſæ virtutes recenſet, nempe, quod cor confortet, fluxum ventris refrænet, oculos clarificet, & dolorem capitis ſanet. Cum igitur roſa tantæ ſit pulchritudinis, & virtutis, non aliud ſignificat, quam roſam paradiſi, & Cœlorum Reginam, ſanctiſſimam Deiparam Mariam, hæc eſt quæ cordi humano impetrans divinā charitatem, illud confortat. *Quia fortis eſt ut mors dilectio*. Hæc eſt quæ per timorem Domini, fluxum peccatorum retardat quia teſtante ſacro textu, *In timore Domini declinat omnis homo à malo*. Hæc eſt, quæ oculos intellectus noſtri clarificat, dum nobis arcana cœlorum patefacit juxta illud. *Declaratio ſermonum tuorum illuminat*. Hæc eſt quæ capitis dolorem ſanat, quia dum in ipſa noſtram ſpem collocamus, ab omni nos anguſtia ac miſeria liberat, omnemque gravem dolorem à nobis aufert. Et hæ quatuor virtutes hujus roſæ myſticæ his verbis continéntur. *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei*, confortat enim hominem per charitatem, refrænat à malo per timorem, clarificat, per agnitionem cœleſtium, & tandem per ſanctam medetur ſuis doloribus. Cur ergo roſæ Beatiſſimam Virginem Mariam deno tent, teſte S. Textu *Ego tanquam plantatio Roſæ in Iericho*: ejuſque ſingula myſteria nec non feſta ſingularia, unicuique roſæ ſpecialiter ſumptæ comparentur hodierna ſolemnitas, merito dicitur ſacratiſſimi Roſa-

Anacreon Poeta.

Philoſtr. Epiſt.

Richardus lib. 12. de Virg.

Eſther. 4. verſ. 11.

Eſther 15. verſ. 8.

Clemens Alex. lib. 3.

Plinius lib. 21. c. 24.

Cant. 8. verſ. 6.

Eccleſ. 24. verſ. 18.

sarii. Cum teste doctissimo quodam autore Malvenda, nihil aliud sit nisi. *Fasciculus ex pluribus suaveolentibus rosis apte concinnatus*, qui designat quindecim redemptionis nostrę mysteria.

Malv. Cent. 1.

IV. S. Doctor Augustinus ponderans creationem universi à Deo productam, ingeniosè, quoque adnotavit testimonia, quibus Dominus Deus unumquodque creatorum approbavit. Quando creavit lucem. *Vidit Deus lucem quod esset bona* : congregavit aquas sub cœlo ut appareret arida. *Vidit Deus quod esset bonum.* Produxit à terra herbam virentem, lignumque faciens fructum suum. *Vidit Deus quod esset bonum.* Creavit duo luminaria magna, & stellas. *Vidit Deus quod esset bonum* : Produxit pisces in aquis, & aves in aëre. *Vidit Deus quod esset bonum.* Fecit jumenta, & bestias terræ *Vidit Deus quod esset bonum.* Tandem quando creavit hominē ad imaginem & similitudinem suam. *Benedixit illi Deus.* Quando ergo Deus converterat oculos suos ad cuncta ea quę fecerat, quid ait textus ? *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Hic ergo miratur Divus Augustinus, cur Deus singulariter creata sua nominans, simpliciter tantum bona dixerit, quando autem vidit cuncta quæ fecerat, illa jam amplius collaudaverit. *Et erant valde bona.* Respondet igitur S. Doctor dicens. *Singula tantum bona erant, simul autem omnia, & bona, & valde bona.* Quantum capio, non adeo res à Deo creatæ, & seorsim consideratæ, eidem placuerunt, quemadmodum omnes simul sumptæ, jam tenetis conceptum meum ? Pariter & ego assero, gratas quidem esse Deo festivitates speciales, in quibus mysteria nostræ Redemptionis recolimus : hodiernam tamen in qua simul recensentur una die, multo gratiorem esse.

Gen. 1. v. 25.

S. August. in suis C.

V. Quando Moyses intercedebat pro populo, veniam ipsi impetrare volens uti legimus Exodi 32. tali precatione usus erat. *Recordare Abraam, Isaac, & Iacob servorum tuorum.* Quis iste modus orandi, obiicere memoriam majorum suorum ? nonne sufficiebat, unius cujusdam Sancti qui Deo placuerat, fecisse mentionem ? si populus ille ob peccata sua incendium meritus fuit, sicut Sodomitæ ; non sufficiebat mentio Abraami ? si gladium : nonne satis erat Isaacum nominasse ? si exilium promeritus erat, non sufficiebat Jacob exul & profugus à Patria sua ? Cur tot nominantur ? Respondet Lyranus, voluisse hic Moysen, ut sibi Deum eo magis propitium redderet ideo non unum sed omnes simul præsentare. Non est minoris efficaciæ sacratissimum Rosarium, in hoc enim, non unius festi aut mysterii, sed omnium simul memoria recensetur, ut quidquid petierimus, ejus virtute assequi valeamus.

Exod 32. v 13.

Lyranus hic

AMEN.

SERMO-

SERMONES PANEGYRICI, DE S. PATRONIS REGNI BOËMIÆ.

SERMONES
PANEGYRICI
DE
SS. PATRONIS
REGNI BOLIVIÆ

IN FESTO S. ADALBERTI PONTIFICIS ET MARTYRIS,

CONCIO I.

In propria venit & sui eum non receperunt. Joan. 1. v. 10.

QUod hæc verba Sancti Joannis Evangelistæ intelligantur de Christo Jesu filio Dei unigenito, cujus adventum filii hominum agnoscere noluerunt, id patet ex proprio Christi testimonio : primo enim ait, Matth. 8. nec non Lucæ 9 cap. *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Item Marci 12. Adducit quendam Patrem familias, qui peregre proficiscens, locavit agricolis vineam suam, reversus vero domum suam, misit servos suos ad eosdem, qui ab ipsis acciperent de fructu vineæ : qui cum tot ex illis injuriis affeciissent, & plurimos neci tradidissent, ait sacer textus. *Adhuc unum habens filium charissimum, & illum misit ad eos novissimum dicens, quia reverebuntur filium meum.* Sed quid fit ? *Apprehendentes eum occiderunt, & ejecerunt extra vineam.* Sanctus Chrysostomus, nec non venerabilis Beda pari explicationis sensu conveniunt in hunc locum Sancti Evangelii, uterque enim ait, per illos servos intelligi Sanctos Prophetas qui longè adhuc ante adventum filii Dei, ex vinea cœlestis Patris familias, fructus exigebant ore Propheticō. Sed quid eis contigit ? illud plane quod veritas ait. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas & ex illis occidetis*, quod patuit in Jeremia Propheta cæterisque : sed neque hic nequitiæ illorum agricolarum meta fuit, quia ipsum quoque unigenitum hæredem tanti patrisfamilias nempè Christum Jesum occiderunt, & extra vineam nempe ad gentes ejecerunt. Ecce quam vere ait Sanctus Joannes Evangelista. *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Quis prohibebit Auditores ne ego hæc verba à Christo mutuata, de Sancto Adalberto dicam ? si possunt dici de illis, quibus Christus ait, *Non est servus major Domino suo, si me persecuti sunt, & vos persequentur* ? Cur non etiam de Sancto Adalberto Episcopo & Martyre ? Sane perbelle, hæc verba de ipso dici possunt, quia *in propria venit, & sui eum non receperunt.* Sanctis Apostolis à Domino suo Christo, concessum erat, ut fugerent de una civitate in aliam. S. Adalbertus ob magnas persecutiones Boëmorum, non de una civitate in aliam, sed de regno uno in alia divertebat. Hinc tamen quantam hic Sanctus Martyr gloriam ac majestatem assecutus fuerit, in hac concione audiemus.

I. Quod hodierna die in hoc inclyto regno Boëmiæ solemnem memoriam Sancti Adalberti Pontificis celebremus, non miror Auditores mei, fuit enim terræ hujus Patritius ; ideoque bene protuli ? *In propria venit.* Et quid usitatius, quam filios diligi à suis parentibus ? Jacob Patriarcha existimans Joseph filium suum, (quem miserat visitatum fratres suos) amissum esse, multos annos luxit, nec prius diuturnum luctum absterserit, quam ex insperato repertus erat, unde videndi ipsum, studio motus, patriam & domesticos lares reliquit, migravitque cum tota domo in Ægyptum. Tobias junior, eum recessisset à parentibus suis, cœpit mater ejus Anna flere & dixit. *Baculum senectutis nostræ dimisisti.* Eoque moram faciente, flevit iterum atq; dixit. *Heu mihi fili mi, ut quid misimus peregrinari lumen oculorum nostrorum.* Tob. senior exurgens, cœcus occurrit filio suo redeunti, eumq; summo cum gaudio salutavit amplexus, & excepit in domum suam. Si ergo parentibus insitus manet amor in filios, eodem modo & patria, quemadmodum à suis indigenis amari solet, eundem ipsis impertiri tenetur, cujus ratio hæc est, quam assignat Hierocles,

Matth. 8. v. 20.

Luc. 9. v. 58.

Marc. 12. v. 6, 7, 8.

S. Chrys. in Matth.

Beda in Marc.

Matth. 23. v. 34.

Joan. 15. v. 20.

Matth. 10. v. 23.

Sabell. lib. 3. c. 4.

Tob. 5. v. 23.

Stebens. Serm. 37.

quiâ cùm Patria utrumque genus, nempe patris & matris sapiat, ea quoque de causa, officium parentum (quo feruntur erga filios) sequi debet. Unde tu ô inclyta Boëmiæ Patria, jam non miror amorem & honorem illum, quem hodierna die Sancto Adalberto exhibes & præsentas, hic enim debetur sibi, non solùm quâ Patricio, sed etiam quâ patrono tuo, & dete quidem plurimum merito.

II. Sed quænam ea Sancti merita? loquetur vita sua. S. Adalbertus nobilissimo genere ortus, missus Magdeburgum, ad liberales disciplinas hauriendas, cum in iisdem magnum progressum fecisset, alias quoque orbis Provincias peragrasset, in quibus cum magna literarum scientiâ, rerumque multarum experientia ditatus esset, tandem ad patriam suam remeans, tunc planè advenit, cum Dithmarus primus Boëmiæ Episcopus, mortem cum vita immutasset, cui jussâ peragentibus & ipse se commiscuit, quatenus pro ipsius anima, unâ cum cæteris Deum exoraret. Princeps Boleslaus, ejusdèmque Consiliarii videntes eum, tam devote & diligenter orantem, dignum existimans, qui Episcopo succederet, eum accersiri fecit, & licet reluctantem, seque pro indigno proclamantem, cum consensu totius cleri, nec non acclamatione plebis Episcopum declaravit, quem cum Otto Imperator confirmasset, & S. Adalbertus, ab Archiepiscopo Moguntino insignia Episcopatus accepisset, memor inprimis illius dicti Apostoli. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse*, ut exemplo virtutum, vitæque pietate oves suas præiret, incepit à prima virtute Christi Domini, nempe ab humilitate: rediens enim Pragam Veronâ, ubi sacra officii & dignitatis suæ munia acceperat, factusque albo monti propinquior, descendens equo, detractisque calceis usque ad ædes S. Viti Martyris pedes incedebat, tandem cum maxima solemnitate, lætitia populi, cantuque musicorum deductus ad templum & in sede Episcopali collocatus, non aliud animo volutabat, quam ut dispersas atque à vero pastore derelictas oves Domini, tanquam bonus pastor congregaret & in ovile ejusdem reduceret. Cum enim tunc nec dum omnes essent Christiani, quin plures pagani & gentiles, qui idolis serviebant, cò fine S. Præsul prædicationi verbi divini assiduè vacabat, simplicem illum populum instruens in doctrina sacræ fidei Christianæ, ut cultum divinum eò commodius promovere posset, Boleslao Principi Autor fuit, ut sacras domos, sive templa Dei extrueret, & quæ ad promovendam Christi Ecclesiam essent necessaria, ea lubens pro honore divino suppeditaret, nec in liberalitate Principis, neque etiam in diligentia Præsulis Adalberti quidquam defuit, quod ad salutem Boëmiæ populi pertinebat.

1. Tim. 3. v. 2.

III. Sed lupus ille infernalis, cujus assiduum est studium dispergere & mactare oves Christi, quid non fecit? Hostis humanæ salutis pensate astutiam: Cum multi è Boëmis ad sacrum Baptismum concurrerent, & in numerum Christianorum relati, magnum fidelium Christi exercitum efficerent, percitus invidiâ satanas, (qui alias sagis, vetulisque sacro Baptismate insignitis, in superstitionibus & maleficiis cooperari solet) talem dolum adinvenit, quod his qui baptisati erant, in magia & superstitionibus sive suis auguriis nulla responsa dabat, qui verò eidem abrenunciabant, his reconciliari mali illi spiritus videbantur, eorumque voluntatem adimplebant: & hac arte Dæmonis, multi à sacro Baptismate retrahebantur. S. Antistes cæterique viri spirituales Diabolicos astus impugnabant, simplicem populum, suis prædicationibus, & admonitionibus ad meliorem vitæ frugem revocare conabantur, sed quantus profectus venit dum fabula narratur surdis, tantus quoque erat in Boëmia. Quid amplius dicam? Non satis erat Boëmis Christianis factis, reverti ad vomitum, quin etiam associati gentilibus, sanctum Adalbertum pastorem suum exosum habere, ejusque vitæ insidias struere, S. ergo Præsul videns se unum ex illis esse de quibus in Psalmo dicitur: *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.* Principi Boleslao instituti sui ratione declarata, perfidos Boëmos sibique haud obedientes coactus deserere, Romam petiit iisque ex communicatione à summo Pontifice implorata & obtenta, ignotus ad monasterium S. Alexii se contulit, suamque occultans dignitatem, receptus ab Abbate pro converso, humilem vitam egit.

Ps. 126. v. 1.

IV. Nunc vos fideles Boëmi. Numquid verum dixi? *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Legimus Marci 5. capite. Homines Regionis Gerasenorum, rogasse Chri-

stum

stum Dominum ut discederet ab eis: ait enim
Marc. 5. v. 17. Sanctus Evangelista. *Rogare cœperunt eum, ut discederet de finibus eorum.* Quam ob causam? Erat ibi quidam homo, obsessus à Legione Dæmonum, qui cum expulsi à Domino, eodemque permittente intrassent gregem porcorum, qui inquam grex currens impetu magno præcipitatus & suffocatus est in mari, ea propter Gerasseni quamvis illum obsessum cernerent sanatum à Christo, nihilominus propter porcos demersos, rogaverunt eum ut discederet ab eis. Veniâ vestrâ dicam Auditores! Vestri Antecessores pejores erant Gerasenis: quia illi ob porcos qui usui humano deserviunt, Christum à suis finibus recedere compulerunt, vestri verò patres, propter porcos infernales, qui nulli usui sed damno sunt hominibus: sed
Luc. 4. v. 24. verè Christus ait: *Nemo Propheta acceptus est in patria sua.*

3. Reg. 17. v. 1. V. Quid non fecit Elias Propheta pro populo Israëlis? Quia oratione sua concluserat cœlum, ne daret pluviam super terram tribus annis, tandem revertens rursus versus Samariam, populoque qui servierat Baal expiato,
3. Reg. 18 v. 45. largam pluviam impetravit à Domino. Sed quid sequitur? Pro illo beneficio denuo exulare compellitur: ut enim minas Jesabel effugeret, ait textus: *abiit quocunque eum voluntas*
3. Reg. 19. v. 3. *ferebat.* Idem factum erat cum Sancto Adalberto Præsule, hunc enim cum summus Pontifex ad instantiam legatorum Boëmiæ, è monasterio evocatum, ad Episcopatum suum redire compulisset, rediens Sanctus Pontifex ad patriam suam, teræque illi exustæ & aridæ benedictionem impertiens, largissimam pluviam à Domino impetravit, & hinc magnâ omnes affecit lætitiâ: sed dum in eodem populo, eadem maneret perversitas, iterum sanctus vir maledictione sua terram feriens, Romam abiit, seque contulit ad prius monasterium, sed post breve tempus rursus Boëmiæ restitutus per Pontificem. Cum nihilominus notaret in populo magnam cordis duritiem, habito cum Principe consilio, tertio tandem Romam profectus est. Et licet brevi post, summo cum gaudio à Boëmis receptus fuerit, nihilominus in sua malignitate illos permanere videns, ex toto patriam deseruit, seque convertit in Poloniam, ubi multas animas Christo lucrifaciens, tandem à Prussis occisus vitam finivit. Et qui cum Principe Apostolorum pastoris officio trina vice subierat. Cum optimo Pastore Christo regnat in cœlis.
Joan. 21. v. 15. 16.

AMEN.

IN FESTO S. ADALBERTI PONTIFICIS ET MARTYRIS,

CONCIO II.

Ego sum vitis vera. Joan. 15. v. 1.

HÆC hodierna solemnitas S. Adalberti Episcopi & Martyris, tam magna est Auditores, ut se extendat non solum per Boëmiam cujus erat Episcopus, Poloniam & Prussiam, cujus erat Apostolus, sed etiam per totum orbem Christianum excellens nominis, gestorumq; suorum fama prædicatur, & merito: omnes enim prærogativæ quæ in cæteris Sanctis sigillatim notantur, hæ in unico S. Adalberto, catervatim simulque junctæ locum habent. Fuit passione Martyr, prædicatione apud barbaras gentes, Confessor, vitæ puritate & sanctimonia, Virgo, visionibus quas habuit, Propheta, denique si conditiones varias humanii status expendamus, fuit professione Miles, vitæ asperitate Anachoreta, pietate & charitate in suos Pater, protectione, & meritis Patronus, verbo, & exemplo Pastor, voluntaria exilii perpessione, Agnus, denique fuit factus omnia, ut omnes cum S. Paulo lucrifaceret, cujus tanta in nos extant & redundant beneficia, ut quidquid in nobis est fidei, spei, & charitatis, quidquid virtutis, & pietatis, id illi uni post Deum referamus acceptum necesse est. Vultis scire causam? patet manifeste, ex hoc themate hujus sacri Evangelii à me assumpto: *Ego sum vitis*

vera. Fuit inquam vitis, in qua nos palmites, & palmes in vite Christo. Proinde Auditores mei hisce ego verbis insistens, ex ipsis aliquod encomium Sancto Præsuli Adalberto contexere conabor.

I. Parabola hæc de vera vite, primario quidem & principaliter propter discipulos Domini est introducta, nihilominus ad omnes etiam spectat Christi fideles, qui sunt palmites hujus vitis veræ: confert se igitur Christus viti & quidem veræ viti, hanc ob causam, tum quia apparent quædam, quasi veræ essent, nec tamen sunt, uti aurum alchimisticum, habet auri apparentiam, non tamen verè illud est quod in latebris terræ invenitur: eodem ergo modo veram vitem vocamus, quæ naturam habet vitis. Tum quia quædam vites sunt veræ quidem, sed infructuosæ, quæ legitimos fructus non reddunt, & tales non ita veræ quam mendaces vites dici debent: etsi enim per naturam tales sint, fructum tamen optatum non reddunt suo agricolæ. Christus Dominus utroque modo dicitur vitis vera, & quia secundum naturam suam ipsamet est veritas, nullam apparentiam admixtam præ se ferens, & etiam, quia idem est, de quo habemus Ecclesiastici cap. 24. *Ego quasi vitis*, fructificavi suavitatem odoris, & flores mei, fructus honoris & honestatis. Talis vitis est Christus Dominus, qui fidelibus veluti palmitibus influit vitam, vires que cæteraque dona spiritualia ad producendos justitiæ fructus necessaria. Ex quo palmitum numero producit nobis S. Mater Ecclesia S. Adalbertum Præsulem, & Martyrem, qui quantus palmes fuerit, cum id ex plurimis vitæ suæ excellentiis possit colligi, quia Apostolatus, Martyrii, & Prophetæ dono excelluit, tamen ne ordinem præconii sui pertransire videar, à primo vitæ suæ limine progredior. Id non multi facio quod S. Adalbertus ex Sclavicone Comite Libicensi, & Strzislava matre ex genere Sclavorum nobilissimo, ei juncta marito, qui contingit Reges linea sanguinis, quem longè lateque jura dantem tremuit populus, adeoque Henrico Regi accessit proximus nepos, oriundus sit; sed quod insertus viti Christi palmes fuerit. Hunc Olivæ palmitem multa ante tempora præviderat fructificaturum, prima illa Heroina Boëmiæ Lybussa, quantumvis ethnica. Hunc Christus plantavit & meritis Sanctæ Mariæ Virginis conservavit. Nam cum lactens adhuc febri corriperetur lethali, parentes ejus obtulerunt eum Deo Sanctæque Genitrici dicentes: *Non nobis Domine non nobis vivat puer iste: sed clericus, in Dei Matris honorem, portet jugum tuum pulchra cervice*: susis hisce precibus talique voto facto, ponunt puerum sub altare Virginis, & ecce vis doloris, recessit in ictu oculi, infantulus ad se redit, sospes in omnibus membris. Ecce nec pruina, neque hiems huic palmiti nocere potuit: videte igitur quanta sit divina gratia, suæque charissimæ matris intercessio. Accedit, quod toto juvenili tempore, terrenis divitiis, & deliciis incubuerit, jocis vacaverit puerilibus, & à rebus cœlestibus valdè semotus fuerit. Ita ut palmes fructum non fecerit. Sed cum Deo ita disponente interesset morti Ditmari Episcopi antecessoris sui, visione ejus habitâ, voceque sua lamentabili perceptâ, tam properanter mores suos mundanos immutavit, ut qui antea pro palmite inutili haberetur, jam deinde & putationem sui admiserit & desideria carnis igne divini amoris excoquere cœperit. Et quia non satis est, mundanam vitam relinquere, nisi perfectiorem. Deoque placentem apprehendat juxta illud. *Declina à malo, & fac bonum*. S. Adalbertus post reparatos mores suos, tam laudabilem vitam instituit, ut Princeps Boleslaus atque Proceres unâ cum à Clero Boëmiæ speculantes vitam ipsius austeram, & plurimis virtutibus exornatam: ipsum verò scientiis & liberalium artium studiis ad quæ à patrino suo Archiepiscopo Magdeburgensi Willigisio promotus erat, multum profeciisse videntes, ab eodem Principe, totoque Clero Pragensi electus in Episcopum, & ab Ottone Tertio consecratus, cum omnium summo gaudio Pastoralis officii curam suscepit.

Eccles. 24. *v.* 23.

II. Si me interrogaveritis, quanam ratione ad tantam dignitatem pervenerit? Respondebo; ad hoc sanctum fastigium, non per errorem, non per munera, non per favores, non per artes & vias malas, sed sola Dei vocatione & gratia ascendisse: Cum enim Rex & populus, variis sententiis distinerentur, in hac electione Pastoris sui, tandem in unum omnes coiverunt, vocibusque suis protulerunt, non haberi meliorem, nec etiam aliquem alium eligi oportere, quam indigenam Adalbertum; cujus nobilitas, scientia, pietasque

que singularis, cum tanto honore concordarent. De munere Episcopali hæc habet S. Paulus Apostolus ad Hebr. cap. 5. dicens: *Nec quispiam sumit sibi honorem sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Quorum verborum sensus ut à nobis intelligatur, notanda primum est illa Historia quæ scribitur à Moyse Numer. 16. capite: Invidentes quidam è filiis Israël, summum Aaroni Sacerdotium, eoque digniorem censentes tribum Ruben, tanquam ordine priorem, cui primogenitura principatus debebatur, plurimis eorum inprimis à Deo castigatis & occisis, tandem uti habetur sequenti capite, præcepit Moysi, quatenus duodecim Principum, tolleret quoque duodecim virgas, & uniuscujusque nomen subscriberet, virgæ Aaron in tribu Levi idem faceret. Has ergo sic notatas, cum posuisset coram Domino in tabernaculo testimonii, sequenti die regressus invenit germinasse Virgam Aaron & hinc apparuit, ipsum verè electum fuisse à Domino in summum Sacerdotem. Hunc igitur locum Sancti Pauli expendens Hugo Cardinalis sic ait: *Virga Aaron est baculus pastoralis, id est auctoritas regiminis, quæ floret per bonam famam & opinionem.* Unde huic Aaroni persimilis fuit Sanctus Adalbertus, quia non aliâ viâ, quam per bonam famam qua palmes suus floruit, fructumque tulit, ad gradum Episcopalem ascendit.

S. Paulus ad Hebr. 5. v. 4.

Num. 16. v. 28.

Hugo Card.

III. Si non sufficiunt vobis hæc testimonia; audite, & quid infernus contremiscens, ob ipsius futura opera, atque merita, dixerit. *Dæmones testimonium de Christo dederunt, & de Sancto Adelberto.* Hac enim ipsa die, ubi erat Episcopus, audientibus multis, locutum est Dæmonium, cum Presbyteri exorcismis, & imprecationibus urgeretur, ut exiens de homine obsesso, daret honorem Deo vivo sic dicens: *Quid molesti mihi estis, va satis est mihi, amplius hic stare non possum, quia electus est hodie populo terræ Episcopus quem valde timeo Christicola Adalbertus.* Hæc locutus citius dicto cessit Dæmon impudens Spiritui Sancto, & ut flagello quodam fugatus exivit ab homine, eundemque sanum ac firmum reliquit: tremuit Diabolus sub ipso Episcopatus S. Adalberti principio; cognovit enim quanta ipse cæterique sui sodales passuri essent; Adalberto Episcopo vivente. Sed nunc prô dolor, simplex Diabolus esse debet, cui aliqui Episcoporum unam animam eripere, vel aliquod damnum ac cruciatus inferre possent. Nec mirum, quia Sancti Præsulis Adalberti nulla imitantur vestigia. Quænam illa? Contemptus proprii, & humilitatis profundæ, castimoniæ, paupertatis, patientiæ, cæterarumque virtutum, quæ exulant ab aulis Episcoporum.

IV. Non Boëmiæ tantum sed cunctis orbis Christiani Præsulibus statui potest pro exemplo S. Adalbertus Episcopus: ille enim, in quos usus converterit proventus Ecclesiasticos, id ubi perceperitis, tunc novum animum laudabilis Episcopi cognoscetis tandemque fatebimini, quod non opes aliquas sed salutem populi quæsiverit. Non in libidinem, in crapulam, in equos, in nugas, in mundi reculas, hos profudit, sed in quatuor partes distribuit, unam clero assignavit, secundam pauperibus, tertiam pro redemptione captivorum, & restauratione commisit Ecclesiæ. Quartam verò ipse cum cohærentibus sibi, ad necessarios sumptus recepit. Ecce vita Apostolica, ecce Episcopalis æconomia, digna quam omnes vel maxime admirentur, si nolint sequi. Quæ erit vitæ ipsius institutio? Lachrymæ illi erant panes die ac nocte, cum Regio Propheta, jejunia frequentia, excubiæ perpetuæ super gregem suum, continuæ genuflexiones: ad impetrandam peccatorum veniam, sacra lectio, & Psalmorum decantatio, ipsius fuit gaudium & solatium.

V. Ut totam vitam Sancti Præsulis Adalberti, vobis enarrare queam, tempus non patitur: sed pro confirmatione verborum meorum antecedentium, quibus frugalitatem & amorem paupertatis in hoc sancto Pastore vobis commendavi, unum exemplum audite. Quamvis plurimum in Ecclesia Christi Domini pro salute fidelium laboraverit, quia tamen ob duritiem populi rebellis, sine fructu fuit, quia populus Boëmus duræ cervicis erat, servus libidinum factus, miscebatur cum cognatis, & sine lege mancipia Christiana Judæis vendebant, nec festa neque jejunia observabant, tantum laborem & insuper contradictioni adjunctum Sanctus Præsul sufferre non valens, Jerosolymam versus proficisci instituit, de cujus adventu cum Ottonis Secundi conjunx, mortem sui mariti deplorans percepisset, eum ad se vocari fecit, & juxta id quod in libris Macha-

2. *Mach.* 12. v. 43. chabæorum scribitur, pro anima sui mariti, ingentem massam argenteam obtulit, at ille cum esset itinerans, suæ necessitati nihil prospiciens, omnia sequenti nocte pauperibus erogavit. Nonne poterat illam argenteam massam totam, vel mediam pro suo usu reservare? poterat, sed nolebat, memor verborum *Matth.* 10. v. 9. Domini, qui cum destinasset suos discipulos ad prædicandum suum Evangelium, præceperat iis ne quidquam secum, in via portarent. Et quid mirum Sanctum Adalbertum argentum contempsisse, qui pro Christi Jesu fide etiam propriam vitam contempserat. Sed non sine fructu, licet enim ab incolis Prussiæ, quibus Christi Evangelium prædicabat crudeliter occisus, corporalem vitam amiserit pro hac caduca, acquisivit meliorem, nempe sempiternam in cœlis.

AMEN.

IN FESTO S. ADALBERTI PONTIFICIS ET MARTYRIS.

CONCIO III.

Veniam ad visiones, & revelationes Domini. 2. Cor. 12. v. 1.

FOrtè curiosum & insolentem me compellabitis Auditores, quod verba S. Pauli Apostoli, quæ in maximam illius laudem cedunt, in quorum gloriatione se non insipientem reputabat, & quæ cum quodam metu protulerat dicens: *Si gloriari oportet*, (non expedit quidem) *veniam ad visiones & revelationes Domini*: hæc in laudes S. Adalberti Martyris convertere velim; sed intenti mei si rationem ex æquo acceperitis, locum eidem facile concedetis? Duabus de causis talem assumpsi audaciam. Primò quia S. Adalbertum vocatione & labore non disparem à S. Paulo invenio; S. Paulus Apostolus singulari Dei vocatione à mundo segregatus & ad Apostolatum vocatus erat. Cum enim adversaretur servis Domini Jesu Christi fidelibus, atque Damascum pergeret inquirendos, & ad Jerosolymiticum tribunal traducendos. *Subito circumfulsit eum lux de cœlo*, ea inquam lux quæ ipsum prostravit in terram, & ex persecutore Christi Apostolum fecit. Eodem modo in vita S. Adalberti scribitur, quod cum in juvenili ætate, terrenis divitiis, & deliciis incumberet & rerum cœlestium exiguam curam gereret, *Subitò circumfulsit eum lux de cœlo*, lux inquam gratiæ tam efficax, ut cum Deo disponente misericorditer interesset morti Ditmari Episcopi, visione quadam horribili, in corde suo factus prostratus, jocisque puerilibus valedicens, ex mundano homine factus est Episcopus & Apostolus tot nationum infidelium. Deinde Sanctus Paulus Apostolus glorificatus fuit à Deo per visiones & revelationes cœlestes, quia uti testatur Hugo Cardinalis & ipsemet fatetur S. Apostolus bis raptus fuit, semel ad tertium cœlum: Secundo autem in paradisum: at S. Adalbertus præsul non solum raptu seu visione Dei honorificatus erat, sed plura quoque de statu vitæ futura in somnis eidem fuerunt revelata, unde sicuti D. Paulo Apostolo visiones & revelationes Domini, sibi communicatas proferre licuit, sic & ego non absre faciam; si etiam visiones & revelationes S. Martyris Adalberti vobis patefecero.

2. *Cor.* 12. v. 1.

Act. 9. v. 3.

Hugo in Epist. 2. Cor. 12.

I. Cum multa sint Auditores præstantissimi, quæ S. Adalbertum Pontificem & Martyrem Domini, commendabilem, summoque præconio dignum reddant. Quod enim dicitur de Phinees, qui erat nepos Aaronis summi Sacerdotis nempe: *Phinees filius Eleazari tertius in gloria est.* Hoc est juxta explicationem interpretum sacræ scripturæ, ideò tertius quia triplicem virtutis gloriam habuit, primam Zeli, quo occidit Madianitidem cum filio Israelis fornicantem. Secundam constantiæ, qua stetit fidelis Deo in apostasia populi, uti habetur Ps. 105. Tertiam orationis qua populo veniam impetravit: idem quoque & S. Adalbertus fecit, & ob id triplicem gloriam promeruit, primam Zeli, quia non unam Madianitidem gladio verbi Dei trucidavit, sed tot mali-

Eccl. 45. v. 28.

Ps. 105. v. 30.

malignos ſpiritus, quibus gentiles Boëmi ſerviebant profligavit. Secundam Conſtantiæ, quia injurias à paganis ſibi illatas ob fidem Chriſti Domini patienter tulit, & tandem orationis, quia pro ſalute illorum inceſſanter oravit. Nihilominus ad majorem gloriæ cumulum hujus Sancti accedit id, quod ipſum Dominus DEUS tot viſionibus & revelationibus honorare dignatus fuerit. Sicut enim in hoc mundo ii honoratiores cenſentur eſſe, quibus Reges & Magnates ſua ſecreta communicant, ita quoque pari, quin multo majori honore & gloria pollent hi, quibus magnus Rex univerſi Deus myſteria ſua per viſiones & revelationes communicat. Talis erat S. Abraam Patriarcha
Gen.15.v.1. in antiquo teſtamento juxta illud Gen. 15. *Factus eſt ſermo Domini ad Abraam dicens per viſionem.* Talis Moyſes cui Dominus Deus in flamma rubi apparuit, quam ille conſpiciens
Exod.3.v.3. ait: *Videbo viſionem hanc magnam.* Talis Samuel ultimus judex Iſraelis, quia eidem quoque noctu apparuit Dominus, & quidem hoc
1.Reg.3.v.1. tempore, quo (uti ait ſacer textus) *Non erat viſio manifeſta.* Talis Nathan Propheta. Hic enim cum legatione divina fungeretur ad Regem David, ut ei ſua peccata ex mandato divino exprobraret, ait ſacer textus, ſuggeſſiſſe Dominum Prophetæ parabolam quandam de ove
2.Reg.12.v. à quodam divite, uni pauperi vi accepta: ſi-
2.3.4. militer, dum idem Rex David prohiberetur ædificare templum Domini, ait textus: *Iuxta univerſam viſionem ſuam ſic locutus eſt Nathan*
1.Paral.17. *ad David.* Talis Iſaias Propheta, cui apparuit
v. 15. *Iſaia.6.v.1.* Dominus ſedens in ſolio. Talis Propheta Je-
Ier.1. v. 12. remias, qui vidit vigilantem virgam nec non
Ezech.1.v.1 ollam ſuccenſam. Ezechiel Propheta, non immerito ait in libro ſuæ Prophetiæ. *Vidi viſiones DEI.* Huic enim Dominus DEUS thronum
Dan.2.v.1. ſuum, nec non gloriam majeſtatis ſuæ divinæ, nec non multa arcana cœleſtia ſub diverſis figurarum viſionibus demonſtravit: ſimiliter Da-
Amos.9.v.1 niel vidit Nabuchodonozor ſomnium. Amos vidit Dominum ſtantem ſuper altare. Et ut præteream cæteros, inter complures etiam ſanctos novi teſtamenti, habemus celebriorem Sanctum Paulum Apoſtolum, hic enim de ſe ipſo ait 2. Epiſt. ad Corinth. ſe raptum fuiſſe in
2.Cor.12. cœlum & in paradiſum, ibidemque arcana ver-
v.5. ba audiviſſe, *qua non licet homini loqui.*

II. Ex his exemplis à me prolatis & pluribus aliis quæ non nominavi, ſequitur quadruplicem eſſe modum, per quem Deus ſervis ſuis dilectis, revelat ſua arcana, & ſecreta myſteria, nempè aut per verbum, aut per viſionem, vel per ſomnium, aut per ecſtaſin. Quod concernit Verbum. Certum eſt ex ſcripturâ ſacrâ loqui Deum ad Prophetas, & Prophetas rurſus reſpondere DEO, idque aut immediatè, id eſt per ſe ipſum, vel mediatè ſive per Angelum. Ita locutus erat Moyſi in monte Synai, illeque *Exod. 19.*
rurſus reſpondebat, uti patet in libro Exodi. *v. 3.*
Similiter Eliæ Prophetæ, cui Deus apparuerat in ſibilo auræ tenuis ſuper montem Carmelum, uti patet in libro 3.Reg.19. Quomodo autem *3. Reg 19.*
fiat hæc locutio, reſpondet D. Gregor.28. Mo- *v 12.*
ralium c.2. dicens: *Cum per ſemetipſum loquitur Deus, ſola nobis vis interna inſpirationis aperitur, & de verbo ejus ſine verbis & ſyllabis cor docetur, quia virtus ejus, intimâ quadam ſublevatione cognoſcitur.* Ex quibus verbis apparet id, nempè locutionem Dei, conſiſtere in ea vi, quâ Deus per inſpirationem, ſeſe aperit, & quid velit explicat menti. *D. Greg.*

III. Quod concernit viſiones Divinas Prophetis vel quibuscunq; cæteris ſervis Dei communicatas, hæ dabent modos ſuos: aut enim fiunt per imaginationes externas, aut per internas, idque taliter, ut dum aliqua imago ſoli menti illabitur, vel etiam taliter, dum primo phantaſiæ ſecundario vero menti repræſentatur. Patet hoc aliquot exemplis. Primo viſio *Exod.3.v.2.*
illa rubi ardentis & non combuſti quæ facta eſt Moyſi, & illa ſcriptura, in pariete facta Baltha- *Dan.5. v.5.*
ſari Regi, per imagines exterius demonſtratas contigerunt: at vero illa de quatuor animalibus, & throno DEI Ezechielis primo capite, *Ezech.1.*
& illa de quatuor beſtiis, è mari aſcendentibus *v. 15.*
Danielis ſeptimo, & plures aliæ, per internas *Dan.7.v.1.*
exhibitæ ſunt imagines, vel dormientibus, vel *Theophyl.*
etiam vigilantibus, ſed raptis in ecſtaſin. Unde *in Matth.*
Theophylactus ait: *Prophetæ futura videbant, Spiritu Sancto apparitiones in eorum mentibus faciente.* Tales vero imagines quæ in viſionibus ejusmodi monſtrantur, ut ſint alicujus momenti non debent fingi ad placitum, ut phantaſtis & melancholicis contingere ſolet, ſed ex divina ordinatione aſſumi debent. Quod concernit Ecſtaſin ſapienter ſane dixiſſe videtur magnus ille Gregorius. Nempè ſanctos viros qui non corpore, ſed virtute ſopiuntur, laborioſius dormire; quam vigilare. In quibus ver- *D. Greg.*
bis ſignificavit S Doctor, quid ſit Ecſtaſis, ni *l.5.in lob*

mirum dormitio quædam vigilans, seu vigilia dormiens, quam teste Divo Dionysio causat divinus amor, qui alienat animam ab omnibus quæ non sunt Deus, abstrahitq; eam à sensibus, ut mundo dormiat, Deo autem vigilet. Alio quoque modo supernaturali rapitur anima ad divinas revelationes, quando ex privilegio Dei sic elevatur, ut sola ipsa operetur, externis sensibus feriantibus: qualis ecstasis fuit in Christo Jesu, & etiam quibusdam Sanctis; uti in Beatissima Virgine Maria, S. Joanne Baptista, D. Paulo Apostolo,

IV. Quid putatis Auditores mei, an etiam ad talem ecstasis speciem S. Adalbertum admittere possimus. Audite casum sane maxima admiratione plenum, Romæ cum esset, & coram summo Pontifice sacrificium Missæ summa cum devotione celebraret, rectus sub memoria mortuorum, & immobilis tamdiu stetit, ut id summus Pontifex una cum cæteris summè miraretur, & quia fere per tres horas moram traxerant, nec possent hujus sui silentii finem assequi, præcepit Pontifex ut attractu vestium moneretur, quo facto ille respiciens, rogavit ut sibi manica concederetur, quatenus reliquam Missam finire posset. Post finitum sacrificium, accersitum ad se Pontifex una cum Cardinalibus objurgavit, eo quod in ipso actu sacrificii dormire fuerit ausus. Cui respondit: Pater Sancte de somno meo nihil scio, sed hac vice eram in ecstasi. Quoniam hesternâ die fratres mei pro Christi fide à Paganis occisi, usque ad hodiernam diem insepulti permanserunt, & quia præcepit mihi Dominus ut eos sepelirem, ideo infra illud tempus eram in Boëmia; & quia attractu vestium me excitastis, properans, oblitus sum unius manicæ in altari B. V. Mariæ. Pontifex hujus rei inquisitione factâ per proprium nuncium dimissum in Boëmiam, uti Sanctus Adalbertus sibi narraverat, totum ita comperit: hoc exemplum an Ecstasis vobis videatur, judicate.

V. Quod concernit somnia, hæc non omnia vera sunt, quin discretione egent, juxta illud Ecclesiastici. *Vbi sunt multa somnia plurima sunt Vanitates.* Eccl. 34. v. 1 Sunt enim aliqua naturalia & animalia, aliqua etiam Dæmoniaca, illa tamen quæ sunt divina & à Deo immittuntur, ad revelationes & visiones spectant. Uti erat somnium Pharaonis, Nabuchodonozor, & Salomonis. S. Adalbertus non absimilia somnia habuit. Primò cum esset apud cæsarem Ottonem Tertium, nocte requiescens. Putabat se videre in domo fratris majoris duos lectos benè præparatos, unus erat suus, alter verò erat fratribus destinatus. Pulcher ille quidem & decorus, sed qui suus esse debuit multò erat elegantior, nempè purpureus, & pretiosè vestitus; erat autem in superiori panno capitali aureis literis exaratum: *Munus hoc donat tibi filia Regis.* Hoc somnium dum coram Imperatore exponeret, Leo Palatii Episcopus qui ibidem aderat, ait illi: *Hoc tibi cito invenies quod quæris. Dono virginis procul dubio martyr eris.* Alia innumera somnia tacito pede præteribo, quia in unum finem collimant, nempè Martyrii Sancti Præsulis. Qui cum repudiatus à Boëmis, venisset Gnesiam & tandem in unam Prussiæ civitatem, ibi à barbaris gentilibus malè acceptus, plurimas persecutiones sustinuit, & tandem septem lanceis confossus Martyr occubuit: jam vero fruitur corona sempiternâ.

AMEN.

Gen 41. v. 1 Dan. 2. v. 1. 3. Reg. 3. v. 5.

IN FESTO S. ADALBERTI PONTIFICIS & MART.

CONCIO IV.

Bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus suis.
Joan. 10. v. 11.

QUi sunt gloriæ & honoris avidi semper extolli volunt, nec ulla re magis offenduntur, quam tituli diminutione. In hoc summa Politicorum versatur cura, scire quo quisque

que sit insigniendus titulo, quo ornandus Epitheto, quæ huic aut illi personæ debeatur appellatio: nam si vel unam quis syllabam omittat in titulo litterarum, nec aperiuntur nec recipiuntur. Politicorum videbatur servare leges Evangelicus ille adolescens, qui veniens ad Christum, stansque ante ipsum, tali ipsum titulo compellavit rogans. *Magister bone, quid faciam ut vitam æternam possideam?* Et ecce tanquam si gravissimè peccasset, continuo à Domino objurgatus est taliter. *Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus Deus.* Videtur hic Christus Dominus sibimetipsi contradicere: quomodo enim tunc bonus Magister audire noluit, qui se ipsum Pastorem bonum appellavit: *Ego sum Pastor bonus*? Dicebat alias de se: *Ego sum via.* Item, alio in loco: *Ego sum vitis.* Item, *Ego sum lux mundi:* & tandem in Canticis Canticorum dicebat: *Ego flos campi.* Sed nunquam dixit; ego sum via bona, vitis bona, & sic de aliis titulis: sed saltem se appellavit Pastorem bonum. Unde sequitur Pastoris officium esse præstantissimum. Sic enim ait S. Gregorius Nazianzenus. *Omnium divinorum divinissimum est, cooperari Deo in salutem animarum.* Si tanta est dignitas Pastorum, quod divinissimum titulum consequantur, si cooperentur Christo Pastori bono in salutem animarum, Sanctus Adalbertus Pontifex, qui practicavit sequelam Domini, non solum in eo, quod studuerit cognoscere oves suas, quod alienas in ovile Christi reducere conatus fuerit, sed etiam quod animam suam pro ovibus suis posuerit, quo putatis præconio dignus erit? In hac concione audiemus.

Marc. 10. v. 17.
Ioan. 10 v. 1
Ioan. 15. v. 1.
Ioan. 8. v. 12
Cant. 2. v. 1.
Gregor. Nazianz.

I. Tres ego Pastores celeberrimos in sacra scriptura reperio. Primus erat Sanctus Jacob Patriarcha, ob eam industriam laude dignus, quia in gregibus Laban volens habere oves maculosas, ante oculos earum ponebat in canalibus virgas decorticatas, & diversi coloris signa præferentes. Tollebat quippe, uti ait Historia, populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, quarum detractis corticibus in his quæ spoliata fuerant, candor apparuit: quæ vero erant integra, hæc viridia permanserunt, & sic ex hac varietate efficiebatur quoque color varius. Cum ergo veniissent greges ad bibendum, & in conspectu talium virgarum conciperent, diversi planè coloris fœtum producebant. Secundus Pastor nempè Sanctus Moyses Patriarcha maxima fuit laude dignus. Hic enim cum quadam vice pasceret oves Jetro cognati sui Sacerdotis Madian, & minando gregem ad interiora deserti, veniisset ad montem Dei Oreb, admirabili visione dignatus fuit à Domino. Siquidem apparuit illi Dominus in flamma ignis de medio rubi: unde videns Moyses quod rubus arderet & non comburetur, porrexit admirabundus ulterius, ut eam visionem exploraret. At Dominus qui ipsi apparuerat, ulterius ire non permisit, quin prius solveret calceamenta de pedibus suis, ob reverentiam loci in quo stabat. Nec vana ea visio fuerat, quia ibidem Dominus Moysen ex pastore ovium non solum Ducem fecit Israelis, sed etiam liberatorem populi DEI de captivitate Babylonis. Tandem David filius Isai insignem quoque pastorem se fuisse demonstravit. Cum enim quadam vice Philistæi pugnarent cum exercitu Israelis, & inter ipsos fuisset quidam gigas summæ proceritatis & fortitudinis nomine Goliath, qui omni die exiens de castris Philistinorum, provocabat ad singulare certamen unum de servis Regis Saul: hæc audiens David qui tum ad castra Israëlis venerat visitatum fratres suos, curavit suum studium decertandi cum gigante, Regi Saul intimari. Cui cum Rex dixisset: *Non vales resistere Philistæo isti, nec pugnare adversus eum: quia puer es: hic autem vir bellator est ab adolescentia sua*: Respondit David; *Pascebat servus tuus Patris sui gregem & veniebat leo vel ursus & tollebat arietem de medio gregis & persequebar eos, & percutiebam eruebamq; de ore eorum. Et illi consurgebant adversum me, & apprehendebam mentum eorum & suffocabam, interficiebamque eos; Nam & leonem & ursum interfeci ego servus tuus, erit igitur & Philistæus hic incircumcisus quasi unus ex eis.* Certe non exigui hi tres Pastores erant, sed præstantissimi: unus enim pollebet industriâ, alter excellebat visione Dei, tertius præstabat fortitudine.

Exod 3. v. 34.
Gen. 30. v. 37.

II. His igitur si comparare vellem ovium Christi Pastorem, nempè S. Adalbertum Pontif. quid putatis, nuncquid parvum & exiguum ipsi adferrem præconium? Certè non, sed valdè magnum & insigne: tunc tamen majus erit, si illud non ab ipsis, quin potius à Christo Domino cujus ipsi figuram repræsentabant tanquam ab immediato figurarum illarum pro-

totypo petiero. Quod enim concernit Jacob Patriarcham, illa ipsius industria circa oves facta, ut variegatas proles producerent, nihil aliud designat, quàm Christum Dominum, uti
Hugo Card. testatur Venerabilis Hugo Cardinalis dicens in hæc verba sacri textus: *Quodcunq; fulvum & maculosum variumq; fuerit, tam in ovibus quam in capris, erit merces mea.* Hi sunt medii colores, qui sunt Christi, quia *virtus in medio.* Ex qua autoritate prima ratio colligitur cur Christus per varios colores, qui sunt medii inter album & nigrum intelligatur, quia teste D. Apostolo Paulo mediator est DEI & hominum. Secunda ratio, quia varietas colorum quæ varietatem virtutum repræsentat perfectissimè in Christo invenitur. Quod autem concernit illam visionem S. Moysi Patriarchæ in rubo ardente exhibitam, hæc nihil aliud repræsentat quam Christum Dominum in quo humanitas sua à divinitate non absorpta: juxta sententiam
Hugo Card. in Exod. venerabilis Hugonis Cardinalis. Rubus incombustus intelligitur. Hic ille rubus est, qui ardebat desiderio humanæ gentis ut ipsam de servitute Pharaonis, id est peccati & mortis æternæ liberaret. Tandem quod concernit tertium Pastorem nempè David filium Isai, & ille peroptime Christum Dominum repræsentat:
S. Hieron. quemadmodum enim ille teste S. Hieronymo, audacia per Spir. Sanctum ex eo sumpta quod expertus fuerit auxilium DEI in leone & urso occiso, ideo quoque audacter se obtulit ad certamen singulare, quod nemo ex omni Israël inire ausus fuerat. Eodem modo & Christus Dominus Diabolum qui intelligitur per gigantem Goliath superavit, nec non de peccato & morte triumphavit. Cum ergo hæc tria Pastorum illorum nobilium exempla Christo Domino bene conveniant. Si ego id ostendero, quod S. Adalbertus Pontifex ejusdem vestigia fuerit imitatus: quantam putatis laudem assequetur? Nolebat olim Alexander Magnus currere in ludo Olympiaco, nisi cum tali Principe, qui sibi æqualis esset: Si ergo S. Adalbertum Pontificem currentem in stadio suæ vitæ, non cum Jacob, Moyse, aut David, sed cum ipsomet Christo Domino vobis demonstravero. Quanto dignus erit præconio? Sed ad rem veniamus.

III. Quod concernit figuram S. Jacob Patriarchæ in Christo Domino completam, nempè illam colorum varietatem in ovibus effformatam S. Adalbertus Martyr & Pontifex, non minùs eam in se ipso exprimere satagebat. Factus enim Pragensis Pontifex tanta virtutum varietate oves suas anteibat, ut intuitu ipsarum simile quid in se ipsis exprimerent ut hæc ipsa varietas certo numero vix comprehendi possit. Hæc enim erat vitæ ipsius institutio: Lachrymæ illi erant panes die ac nocte cum Regio Propheta, jejunia frequentia vigiliæ & excubiæ perpetuæ super gregem suum, continuæ genu flexiones ad impetrandam peccatorum veniam, oratio assidua & mentis ad Deum elevatio ardentissima, puritas vitæ Angelica, paupertatis amor maximus, tanta humilitas ut cum ob duritiam Boëmorum Romam secedere coactus esset, ibidemque in monasterio S. Benedicti ignotus habitaret, oblitus sui ipsius, factusque parvulus in medio fratrum, culinam purgare, scutellas lavare, manibus aquam fratribus de puteo ministrare, & tandem vilia quæquæ obire servitia non erubuerit. Agnitus in monasterio & rursus ad Boëmiam redire compulsus cum Ravennam transiret interrogatus à quodam Dei servo Durante; Cur sine virga pastorali tantus vir incederet, respondit Sanct. Episcopus verbum memorabile dicens: *Vivit Deus in cujus conspectu isto, facile est gestare pedem, sed difficile reddere rationem, cum venerit ad judicium, qui non errat, districtus judex vivorum & mortuorum, sive in vitam, sive in ignem mittendorum.* Verè digna vox Episcopo, qui non nisi onera & non honores debet in mundo quærere, honores autem in cœlo illi non denegabuntur, juxta Psalmistam. *Non privabit eos bonis, qui ambulabant in innocentia.*

IV. Rubus Moysis qui amorem Christi figurabat quo in salutem humani generis ferebatur non minus inveniebatur in S. Adalberto Pontifice, in tantum enim æelabat salutem gentis Boëmicæ, ut licet tot vicibus ob inobedientiam & iniquitates illius patria sua excedere & Romam venire compulsus fuerit, ibidemq; multas quiete vivendi commoditates oblatas sibi habuisset: nihilominus tanquam alter rubus ardens & incombustus, suorum oblivisci non potuit, nec amorem gentis suæ in corde suo extingui passus est, quin iterum toties ad rebellem Patriam reverteretur. Quod si visionem Moysis visioni Christi Domini in monte Thabor sibi exhibitæ comparare voluerimus:

S. A-

S. Adalbertus non una sed pluribus honoratus fuit à Domino. Nam in diversis locis quinque visiones in somnis habuerat, quæ prænunciæ fuerant mortis suæ per martyrium

V. Eodem modo vigilantiam David super gregem suum nec non fortitudinem suam per leonem ursumque occisum, nec non terribilem illum ac simul reformidabilem gigantem prostratum, quæ tria Christum Dominum adumbrabant, attigit in eodem Christo Sanct. Pontifex Adalbertus. Quemadmodum enim Christus Dominus, tres præcipuè boni Pastoris conditiones adimplevit. Primam quod sapienter oves suas rexerit nempè eas pascendo doctrina sacri Evangelii & exemplo vitæ sanctissimæ: eodem modo S. Pontifex Adalbertus assiduâ prædicatione verbi DEI nec non virtutum suarum exemplo oves suas pascere satagebat. Item quemadmodum Christus Dominus tanquam Pastor bonus in ovibus suis regendis summam adhibuit vigilantiam: Cum enim esset in hoc mundo, nullam quietem sibi adhibebat, quin imò ibat per vicos & plateas prædicans populis verbum Dei. Eodem modo & S. Pontifex Adalbertus vigilantiam Christi Domini in pascendo grege sibi commisso imitari conabatur. Et quoniam hæc sunt quæ Pastores pigros & negligentes faciunt, nempè ampli reditus & multa beneficia. S. Adalbertus ut eò vigilantiùs gregi suo incumberet, suos reditus non in libidinem, in crapulam, in equos, in nugas, & mundi reculas profudit: Verùm una redituum suorum parte data Clero, altera pauperibus, tertia verò Ecclesiæ nempè pro redemptione captivorum, quartam ipse in suos usus convertit. Et tandem quemadmodum Christus Dominus promiserat in Evangelio dicens: *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere:* eodem modo S. Pontifex non solum domi, sed etiam foris nempè in Prussia Pastoris egit officium. Ubi & occubuit pro Christo, nunc autem regnat in cœlis. Amen.

IN FESTO S. VITI MART.

CONCIO I.

Non veni pacem mittere, sed gladium. Matth. 10. v. 34.

OMnes quidem Sanctos Dei universalis Ecclesia Catholica (per totum orbem Christianum diffusa) veneratur, eorumque memoriam certis temporibus celebrat, nihilominus, quemadmodum de Homero viro famoso scribitur, quod ipsum diversæ civitates pro suo patriota expetierint, & delegerint, sic etiam in hoc orbe Christiano, diversa sunt Regna, diversæ Provinciæ, diversæ civitates, quæ etiam sibi singulares Sanctos, deligunt in patronos. Testem hujus rei habeo S. Leonem Papam, qui extollens oratione sua Panegyrica, natalem S. Laurentii Martyris, ita ait: *Sicut clarificata est Ierosolyma Stephano, sic illustris facta est Roma Laurentio.* At ego inter tot patrias orbis hujus, non inferiorem agnosco Boëmiam, & in illa, Metropolitanam domum Dei, in arce Pragensi à Divo Wenceslao erectam, & à Sancto Wolffgango Episcopo Ratisbonensi consecratam. Hæc etenim talem sibi patronum delegit qui est mirabilior inter cæteros. Et quis ille? Sanctus Vitus Martyr Domini cujus hodierna die solennem memoriam celebramus. Mirabatur olim Saul Israëlitarum Dynasta, dum viderat puerum David cum gigante decertantem, mihi est mirabilior S. Vitus, hic enim existens adhuc puer annorum duodecim, audiensque à Generali Duce, Christianæ militiæ sibi dici. *Non veni pacem mittere, sed gladium*, accinctus gladio super fæmur suum, sub ejusdem signo militabat. Quàm fortiter, & feliciter, in hac concione patebit.

S. Leo Papa in Natali S. Laur.

1. Reg. 17. v. 49.

I. Famosus ille Orator Marcus Tullius, cum Romanæ urbis dissidia pugnasque intestinas, quæ gladiis, cæteroque armorum genere sedari non poterant, orationum verborumque suorum facundia conciliasset, Romamq; à tot tumultibus liberasset, quasi postponens arma bellica eloquentiæ hunc versum protulit.

Cedant arma togæ concedat laurea linguæ.

Ipsa eloquentia, nempè verbum æterni patris Christus Jesus, omnium facundia Oratorum longe est facundior, quia non unam urbem Romanam, sed totum mundum reconciliavit, juxta illud Sancti Pauli Apostoli: *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis.* Venerabilis Hugo Cardinalis explicans istum locum sacri textus, per verbum reconciliationis, intelligit Evangelium, quod nobis annunciat fidem per quam reconciliamur Deo. Si ergo per Evangelium est reconciliatio, pax, & concordia, ut quid in hodierno Christus nobis indicit bella, provocat ad arma, & offert gladium dicens: *Non veni pacem mittere, sed gladium?* Esto quod militibus mundi sit necessarius, quia Dominus alio in loco ait: *Cum audieritis prælia & seditiones, nolite terreri, oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis:* sed Sanctis Apostolis, & ministris Dei ad quem finem à Christo datur, cum ille jam perfectam pacem fecerit? Undè uti ait Sanctus Joannes Chrysostomus, in nativitate illius Angeli pacem nunciarent, ipsemet præcepit suis discipulis, ut dumcunquè domum aliquam inviserent, suscipientibus se pacem dicerent. Quin imò omnes Prophetæ, pacem tempore ipsius futuram prædixerunt. Atqui idem Sanctus Doctor supra nominatus respondet in hunc modum. Christum venisse in hunc mundum, tanquam quendam medicum. Quemadmodum medicus veniens ad infirmum quendam, qui ut totum corpus suum conservet incolume, in aliqua ejusdem parte sive membro indiget incisione, accipit cultellum, & partem corruptam sive inutilem abscindit, ut corpus totum conservet: ita & Dominus? animarum nostrarum verus medicus facit cum homine. Vis scire causam audi S. Chrysostomum. *Quia videlicet præcipua singularisq; pax tunc præstatur, quando quod tabe, vel sanie corruptum est abscinditur atq; projicitur.* Audistis illam historiam de ingenti turre Babel, quam filii Noë Patriarchæ ædificantes, usque ad cœlum erigere voluerant, qualiter Deus confusione linguarum ipsos diviserit, & unionem quam inter se habuerant ruperit? sed de hoc facto divino, idem S. Doctor tale dat judicium. *Sic in turre factum videmus, quando pernicioſa illa pax per discrepantiam dissoluta, tranquillam atque laudabilem pacem reddidit.*

2. Corint. 5. v. 19.

Hugo ibid.

Luc. 21. v. 9.

S. Chrysost. Hom. 36.

S. Chrysost. ibid.

II. Cum ergo alibi audis pacem allatam à Jesu hominibus, non putes pacem illam mundanam esse, quæ gladium deponit, universaque fastidit arma, nam & latrones magnâ inter se concordiâ conspirare solent, sed minimè hanc pacem amat JESUS, sed pacem, quæ tenet in manu gladium, id est quæ nunquam arma deponat, adversus vitia, & peccata, nullumque cum iis fœdus habeat. Nunquam amat Christus pacem non armatam, sed eam solam quæ est præcincta gladio adversus vitia. Hoc quia non satis calluerat Jeremias Propheta; hinc est quod conquerebatur dicens: *Heu, heu, heu Domine Deus, ergone decepisti populum istum Ierusalem dicens: pax erit vobis? Et ecce gladius pervenit usque ad animam.* Quia expectante Jerosolyma pacem, apparuit gladius omnia perdens, omnia secans, & usque ad animam pertransiens, ergonè in promissione divina, aliqua fuit deceptio? Absit; imo tunc expectabatur, & simul adimplebatur promissio divinæ pacis, cum sæviebat gladius: pax enim quæ à Deo venit, non venit sine armis, non est desidiosa, sed armata & instructa gladio, est belligerans, & funditus debellans peccata. Discursus iste non est meus, sed Sancti Hieronymi, magni Doctoris Ecclesiæ qui sic ait: *Nisi gladius præcesserit, qui desecet vitia, pax, & promissio non sequitur.* Nunquam Christiana pax sine armis, ubi autem vigere debet, necesse est, quod & gladius vigeat, qui bellum inferat voluptati mundanæ, & peccatis.

Ier. 4. v. 10.

S. Hieron.

III. Legimus apud S Joannem Evangelistam, qualiter Christus veniens una sabbatorum ad discipulos, qui in una domo occlusi propter metum Judæorum manebant, eos pacificè salutaverit dicens: *Pax vobis*, & quem hic non moveat talis Domini salutatio: tunc commendat pacem discipulis, cum vel maximum bellum illis instaret, non solum Jerosolymis sive in Judæa sed in toto mundo, in quo propter prædicationem suæ fidei mille bella ipsos expectabant. Quæ pax inter hostes? Sanè hæc est pax verè Christiana, quæ hominem non desidiosum, sed acrem bellatorem reddit. Revocate vobis in memoriam religiosissimum illum Regem Josiam. Videns hic legem Domini conculcatam, misit præcipuos viros, qui Prophetam hac de re consulerent, qui sic respondit Regi. *Pro eo quod audisti verba volumi-*

Ioan. 20. v. 27.

4. Reg. 22. v. 19.

luminis, & perterritum est cor tuum, & humiliatus es coram Domino: idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace. Pensate hic infallibilem DEI promissionem Josiæ exhibitam, quod moriturus erat in pace. Nihilominus tamen Rex Josias in ipsomet bello sauciatus occubuit sic enim recenset historia. *In diebus ejus ascendit Pharao Nechao Rex Ægypti, contra Regem Assyriorum, ad flumen Euphratem, & abijt Iosias Rex in occursum ejus, & occisus est in Maggedo.* Cur dicitur moriturus in pace, si in bello occubuit? Sanè Regem illum sanctum & probum, non decebat pax desidiosa, sed pax gloriosa, quæ nullos hostes admittat, siquidem Rex ille Ægyptius, adversus Syriam per Judæam transire cupiens, fœdera pacis à Josia requirebat, at ille bellicos tumultus in Regno suo recusans, in ea pace vitam finivit quæ decet strenuos viros, quæ omnia adversantia recusat. Huc spectat, quod Nyssenus ait: *Pacem habeamus apud Deum, propterea, quod hostili animo fueramus contra adversarium.* Itaque tunc Christianam, veramque obtinemus pacem, quando audacter inimicis DEI, nempè carni, & peccatis resistimus, quia pax Christiana non agnoscitur, nisi in bello cum vitiis.

4. Reg. 23. v. 29.

Nyssen. in Eccl. Hō. 8.

IV. Christus Jesus postquam dimisit peccata Sanctæ peccatrici Magdalenæ, dixit ad eam: *Fides tua te salvam fecit vade in pace.* Quia jubetur in pace abire, putatis ideò illam ab omni bello cessasse? Imò ideo in pace abiit, quia ex tunc acrior effecta fuit, ad debellandos infernales inimicos. Bellatrix est pax Christiana, ibique ejus exaltantur vexilla, ubi quotidie instauratur pugna adversus hostem. Hinc ait Divus Prosper. *Pax quæ est à Deo, & cum Deo, numquid bene quieta est, si non discordat à mundo?* Non est pax à Deo, nisi quæ semper est in arena, ut pugnet cum vitiis. Gedeon uti habemus Jud. 6. antequam Dux populi crearetur, nihil tunc cogitans de pugna, tritico purgando in area sua operam dabat, jussu Domini incitatur ad bellum & quid facit? ait textus: *Ædificavit ibi Gedeon, altare Domino vocavitq; illud Domini pax.* Sed quid postea? Rursus ait textus: *Clangens buccina convocavit demum Abiezer ut sequeretur se.* Notate mysterium. Vix Gedeon ædificavit altare pacis, & statim se armat ad pugnam cum hoste. A pace, ad arma, à pace ad eversionem Idolorum, quia ea est DEI pax suis fidelibus exhibita, quæ simul ministrat gladium ad successionem peccatorum.

Iud. 6. v. 24

V. Verba illa quæ Christus protulerat Joann. 16. Nonne sibi valde sunt contraria. Postquam dixit ad discipulos: *Hæc locutus sum vobis ut in me pacem habeatis.* Mox sequitur: *In mundo pressuram habebitis.* Pax & pressura quomodo invicem convenire possunt? si in mundo pressuræ & pugnæ, quomodo ipsis pacem postulat? Illa est vera pax, quæ nulla deterretur adversitate. Unde pulchre Justinianus. *Si pacis victoria placet, nequaquam displiceat mundi conflictus.* Da hac pace gratulatur David cœlesti Jerusalem dum ait: *Qui posuit fines tuos pacem.* Dicite mihi qui sint fines seu termini civitatum munitarum? Dicetis esse muros, qui illam ambiunt & claudunt. Ad quid muri nisi ad insultus sustinendos? Nisi ad resistendum impugnationi hostium? Unde optimè infert D. Cæsar Arelatensis: *Ergo Ierusalem illa cœlestis, muros de pace constructos habet.* Pax quæ decet cœlites, non stertit in lectis, non ludit in plateis, non vagatur in hortis, sed pro muris excubat ut arceat inimicum. Hinc Dominus talem Christianorum pacem vocavit gladium. *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Sed antequam rem finiam dicam illud: *Mirabilis Deus in Sanctis suis.* Non est mirum si aliquis gigas accipiat gladium, sed quod illum S. Vitus in puerili ætate acceperit, eoque non sicut tyro, sed tanquam veteranus miles usus fuerit, quo se rescidit à patris affectu, quo errores gentilium oppugnavit & expugnavit, quo Diocletianum Imperatorem superavit. Tempus deficit ut cuncta proferam, sufficit, unum puerum tam glorioſum victorem evasisse. Unde merito, (cursu peracto glorioſi certaminis) triumphat in cœlis. Amen.

Ioan. 16. v. 33.

D. Laur: Iustinian.

Arelat. Hom. 11.

Ps. 67. v. 36

IN

IN FESTO S. VITI MARTYRIS,

CONCIO II.

Inimici hominis, domestici ejus. Matth. 10. v. 36.

Eccles. 48. v. 14. QUod olim Spiritus S. Ecclesiast. 48. de S. Propheta Elizæo protulerat, nempè *Mortuum prophetavit corpus ejus*, id est, (uti explicat Venerabilis Hugo Cardinalis.) Verum Prophetam fuisse monstravit, quando mortuum suscitavit; uti habetur 4. Reg. 13. Id etiam ego de Sancto Vito Martyre, & Patrono Boëmiæ, cujus hodie memoriam celebramus dicere, eademque de ipso verba repetere possum: *Mortuum prophetavit corpus ejus.* Dicetis! Quando? Tunc, dum S. Princeps Venceslaus, ab Imperatore Henrico, brachium S. Viti inclusum in theca argentea impetravit, illudq; cum reverentia summa exosculatus, ab eodem recepit, tunc *Mortuum prophetavit corpus ejus.* Sed quid corpus illud dixit? Sive illud S. Viti brachium, quidnam prophetavit? Hæc verba protulit: *Inimici hominis, domestici ejus.* An ignoratis Sanctum Vitum, propter fidem Jesu Christi, domesticis suis exosum fuisse? tot à parente suo persecutiones pertulisse? ab eodem (ut verberibus affligeretur) Valeriano judici datum? Et tandem jussu Diocletiani cæsaris post dira tormenta superata occisum fuisse: *Inimici hominis, domestici ejus.* Idem illud Sancti Viti corpus, id est suum brachium, Sancto Principi Venceslao præsentatum prophetavit. Quia & ipse à propria matre sua Drahomira, tot adversa sustinuit, & tandem instinctu ejusdem, à proprio fratre suo Boleslao in dolo cœsus, mortem oppetiit: id ergo S. Vitus, Principi Venceslao prophetavit. *Inimici hominis, domestici ejus.* Hic jam liceat mihi illud proferre,

Quam benè conveniunt & in unâ sede morantur
Majestas, virtusq; simul.

Hugo ibid.

4. Reg. 13. v. 21.

Majestas inquam Principis Venceslai, quæ ipsi Imperatori in Comitiis suis unà cum cæteris Principibus resident, admirationi fuit, & virtus ejusdem patientiæ. Similiter Majestas S. Viti Martyris, quam jam in cœli Regno inter purpuratos possidet, & virtus patientiæ quam in terris exercuit. Utrisque sanè dicitur: *Inimici hominis, domestici ejus.* Sed quia S. Vencéslaus habet suum tempus, in quo encomia sua recenseri solent, nunc me ad solum S. Vitum convertam, eique ex virilitate & fortitudine animi, quâ, odium domesticum patienter sustinuit, aliquod encomium præsentabo.

I. Quod domestici à suis contribulibus & domesticis odio habeantur, nihil novi. Abel non ab aliquo extraneo, sed à proprio fratre suo Cain necatus fuit. Rex David non tam multa sustinuit ab extraneis sicut à domesticis, unde in suis Psalmis conqueritur dicens: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utiq;. Et si is qui oderat me super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo unanimis.* Habuit pleroſque inimicos Rex David, sed nullus erat sibi molestior proprio suo filio Absalone, qui patrem proprium persequebatur ad necem. Unde autem talis dissensio, odiumque inter domesticos oriatur, accipio mihi pro ratione quoddam dictum Aristotelis qui sic ait: *Similis odij similem in hoc quod similis ipsi, excedit in alio, sicut figulus odit figulum:* de eodem morbo qui est virus invidiæ, S. Augustinus sic ait: *Sciendum quod cum per omne vitium, antiqui hostis virus humano cordi infundatur: malo invidiæ tota viscera serpens ille contulit.* Et mox eadem dicta sua Sanctus Doctor aliquot exemplis probat, nempè invidiam extitisse, quæ Cain armavit adversus Abel fratrem suum, filios Jacob contra Joseph, Babylonios contra Danielem, Judæos contra Christum. Servus Dei, qui spiritu ipsius agitur, nullorum magis offensionem incurrit, quam domesticorum, habent enim hoc proprium carnales cognationes, quod primo contra DEI spiri-

Gen. 4. v. 8.

Ps. 54. v. 13.

Aristot. in Ethic.

S. Augus. apud Hug.

spiritum insurgant. E tot exemplis, unum principalis audite.

II. Vix sese Dominus Jesus Christus in lucem dedit, & ecce, tam patriæ cives, quam cognati sui armantur in ipsum. *In propria venit & sui eum non receperunt.* Clarissimum sanè divini spiritus testimonium: quamdiu Christus Dominus privatam vitam egit, neminem habuit adversarium, sed postquam docere cœpit, vitia hominum corrigere, paupertatem, humilitatem cæteraque virtutes sacras extollere, mox populare incurrit odium, ita quidem ut etiam à suis domesticis contemptui haberetur: quod exprimit Divus Zeno dicens. *Non hodie mihi ad vos Fratres sermo est de humanis gestis, sed de Domino nostro, quem prò nefas venerantur externi, sui carpunt.* Et quid mirum? vix Dei Spiritus aliquem implet quem non persequantur carnales propinqui. Accipite pro similitudine generosum illum puerum David. Pugnante exercitu Israelis cum Philisthæis in quo erant etiam fratres Davidis, & Patris Isai filii, accepto hic mandato à Patre suo, quatenus pergeret ad castra, & visitaret fratres suos, disceretque an bene cuncta agerentur, & cum quibus essent ordinati, ita fecit, abiitque sicuti Isai illi præceperat: sed cum castris factus propior, audisset vociferationem in exercitu, relictis his ad partem quæ secum acceperat, recta via perrexit ad exercitum, percipit blasphemias Philisthæi, scisitatur de præmio oblato, pro Philisthæi capite, quasi ille auderet illud auferre. Quid tunc? audite textum Historiæ. *Quod cum audisset Eliab frater ejus major, loquente eo cum aliis, iratus est contra David & ait. Quare veniisti, & quare dereliquisti pauculas oves illas in deserto? Ego novi superbiam tuam & nequitiam cordis tui, quia ut videres prælium descendisti.* Pensate Auditores, tot erant milites in illo exercitu Israelis, & nullus objurgavit puerum David, exceptis suis fratribus. Ecce quam verum. *Inimici hominis domestici ejus* Sed unde hæc domesti a inhumanitas? Miratur ipsam D. Chrysostomus dicens *Iterum æmuli, iterum fratres, nos inquiunt scimus superbiam, & malitiam cordis tui. Fratres zelantur & extranei introducunt ad Regem.* Jam audite rationem. Sciebant illi fratres David, ipsum fuisse unctum a Samuele Propheta in Regem Israelis, uti patet ejusdem libri in 16. c. ideo invidia moti, conabantur ipsum in hac occasione præ-

Joan. 1. v. 11.

D. Zeno Serm. 3. de Fide.

1. Reg. 17. v. 28.

1 Reg. 16. v. 13. 14.

lii, impedire, ne quid attentaret, unde laudem & præmium mereretur. Infesti enim sunt fratres, & carnales cognati his, qui aguntur Spiritu Dei.

III. De eodem heroico puero audite plura. Post illam victoriam de gigante partam, audivit Saul laudes quasdam in memoriam hujus sui facti decantari, & ex hoc aliquam cœpit habere offensionem, ait enim textus. *Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat David à die illa & deinceps.* Sed David continuis suis facinoribus & servitiis laudabilibus, sic Regis animum devinxerat, ut ab eo acciperet filiam in conjugem. Quid plura? Saul dat filiam David, ejusque fit Pater, nunquid inde factus est juveni placabilior? & quis posset sibi imaginari contrarium? sed ecce textum historiæ *Dedit Saul ei Michol filiam suam uxorem*: & Paulò post sequitur. *Factusque est Saul inimicus David cunctis diebus.* Quis hoc unquam cogitasset? an fortè ideo, quod jam existens maritus suæ filiæ, illam malè tractaverit? minimè vero: ait enim ibidem textus, quod Michol Saulis filia Davidem dilexerit, hinc ergo signum est, inter utrumque bonam fuisse correspondentiam: cur igitur Saul contra socerum suum ita excanduit, quod cunctis diebus factus sit ejus inimicus? Ibi latet ratio. *Vidit Saul & intellexit, quod Dominus esset cum David.* Antea puellarum cantus pro Davide audiens irascebatur, & dum tot invidiæ causæ adessent, nempe quod tot de Philisthæis victorias reportasset, totumque id quod inciperet gloriosè & divino favēte Numine felicissimè expediret, ob ea non ita malè affectus Davidi fuisse videbatur, illud enim saltem dicebatur, quod Saul non rectis oculis aspiciebat David. Sed cum certo certius cognovisset, quod esset Dominus cum illo, tunc jam manifestum ipsius inimicum se esse declaravit, idque non, pro aliquo tempore, sed *Cunctis diebus.* Magnum Davidis infortunium, cui D. Athanasius compatitur dicens. *Heu mihi qualis tentatio invidiæ: insidiatur ei quem in generum accipit, nec filiæ parcendum putat, ut per speciem magnificentiæ & affinitatis filiæ, marito insidietur.* Quid plura? Sequenti capite habetur. *Locutus est Saul ad Jonatham filium suum, & ad omnes servos suos, ut occiderent David.* Ēn quantum cognationis carnalis odium quod trabem fecit è festuca.

1. Reg. 18. v. 9.

D. Athan. Hom. de se ipso.

1. Reg. 19. v. 1.

IV. Et quid hic aliud erat, nisi figura Chri-

sti Domini servorumque ejus: de Christo Domino jam aliqua dixi, plura audire placet? Postquam Dominus Lazarum suscitavit à mortuis, quid ad hoc Judæi Christi domestici? ait S. Joannes Evangelista. Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium, & dicebant. *Quid facimus? Quia hic homo multa signa facit.* Et quid tandem concluserunt; *Ab illo ergo die, cogitaverunt, ut interficerent eum.* Vultis etiam aliquid audire de servis suis? Absque dubio, quod & illi exemplo magistri sui à domesticis quoque suis multa passi fuerint. E numero illorum intuemini Sanctum Vitum Martyrem. Quid ille? Plane de illo dictum erat à Domino. *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium.* Quare? Respondet Christus, *Propter nomen meum.* Ecce ratio. Filii dum spirant mundum, amantur à parentibus, cum illa Anna matre Tobiæ habentur pro lumine oculorum suorum, pro baculo senectutis suæ, pro solatio vitæ suæ, pro spe posteritatis suæ, sed dum aguntur à spiritu, ut sequantur Christum, quid fit? *Inimici hominis domestici ejus.* Probe id expertus fuit S. Vitus: hunc enim quod amaverit pater suus, nullum est dubium, siquidem adhibuit illi Concordiam mulierem pro nutrice, quæ ipsum educaret, Modestum pro comite, qui sibi famularetur, sed ecce dum accepto baptismate Christum sequitur, Pater excandescit, amor suus vertitur in furorem, traditur judici verberandus, omnia odii tela in puerum convertuntur, & tandem, *Inimici hominis domestici ejus.*

Ioan.11.v. 47.

Matth. 10. v.21.

Tob.10.v. 4.

V. Faciat servus Dei non scio quæ signa & miracula, faciat præclara facinora sicuti David fecit, qui liberavit Israelem à Philisthæis, afficiat quousque tot beneficiis, quid tum? *Inimici hominis domestici ejus.* Qua de causa? Tertullianus expendens odium Cain, & necem Abelis, ita fatur. *Statim ut Deus coli cœpit, invidiam religio sortita est. Qui Deo placuerat occiditur, & quidem à fratre.* Non exiguum erat illud beneficium quod S. Vitus Diocletiano præstitit, dum ejus filium à Dæmonio vexatum liberavit, quo liberato cum ei ingratus Imperator gratias persolvere, eumque muneribus honorare deberet, rependit ipsi pro tali beneficio carceres, vincula, Leones, ad devorandum ipsum efferatos, & tandem mortem. Verissime dictum à Tertulliano. *Statim ut Deus coli cœpit, invidiam religio secuta est*, hanc invidiam practicavit S. Vitus, hanc experti sunt cæteri Sancti Martyres: sed jam nunc quis illis associari nolit? si pro nomine Christi odium mundi sustinebimus patienter, cum ipso, sanctisque ejus, æterno gaudio perfruemur.

Tertull. l. adversus Gnost.

AMEN.

IN FESTO SANCTI VITI MARTYRIS, CONCIO III.

Qui amat patrem & matrem plusquam me, non est me dignus. Matth.10.v.37.

MUltos invenimus tam in antiquo quam etiam in novo testamento, Sanctos Dei qui ad mandatum Domini, vel etiam spontaneè nempe ob salutem animarum suarum parentes, cognatosque suos reliquerunt. In lege veteri primus nobis occurrit S. Abraam Patriarcha, qui ad illud præceptum Domini dicentis: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua & de domo patris tui*? statim obedivit, & (juxta sententiam Divi Augustini cujus verba recenseo) *vivente patre exierat de Harran.* S. Hieronymus expendens istam separationem Abraami, à parente suo Thare, resolutionem ejusdem generosam tamque celerem multum demiratur, quin cum habens tot impedimenta, quæ ipsum (qui egrederetur patriâ sua) retinebant, justo quoque titulo poterat se coram Deo excusare, tamen noluit, quia amori suæ patriæ, divinum præposuit: at ait Sanctus Doctor Chrysostomus dicens: *Nihil horum promptitudinem ejus remorari potuit, sed omnia levia & facilia ei apparere, faciebat suus in Deum amor.* In nova lege Sanctus Petrus amore Dei una cum cæteris suis

Gen.12.v.1.

S. Aug. in Gen.

S. Chrys. in Gen. Homil. 30.

suis condiscipulis parentes, patriam, cunctaque quæ habuit seu habere poterat dereliquit, sic enim omnium nomine coram Christo protestatur: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te.* Qui vestigia Apostolorum secuti sunt, multi servi Dei inveniuntur. Sic Sanctus Martinus Turonensis, amore fidei Christianæ reliquit parentes suos. S. Thomas Aquinas, amore Christi & castitatis, reliquit matrem & fratres suos. Sanctus Franciscus ob amorem paupertatis Christianæ, totam hæreditatem suam patri suo reliquit, omnibus bonis se abdicavit, & solum Deum sibi pro patre delegit, talium in numero S. Vitus Martyr & Patronus Boëmiæ recensetur, nam & ille, patre suo impio abnegato, omnique parantelâ à se relegatâ, lubens obedivit hodiernis verbis Domini dicentis: *Qui amat patrem & matrem, plusquàm me, non est me dignus.* Quapropter in majorem laudem S. Viti, eam Christi propositionem, in hac concione expendemus.

Matth. 19. v. 27.

I. Vos parentes chari, qui habetis proles vestras quas cum magna cura & labore vestro educatis, & vicissim ab iisdem, pietatis, & gratitudinis talionem expectatis, quàm grata aure, vel potius quàm hilari animo, hæc verba Domini, à me prolata exceperitis, ignoro. Id enim scit totus mundus, id præcipit lex humana, divinaque, & si harum nulla esset, ipsa natura vices obiret magistri, parentesque doceret honorandos & amandos, & qui id faciunt, singularibus præmiis à Deo honorari. Jacob Patriarcha, quia obedivit parentibus, & ex mandato illorum peregrinatus erat in Mesopotamiam, in præmium talis obedientiæ, cum magna substantia revertenti non unus Angelus (uti Tobiæ, etiam ex mandato parentum eunti in regionem Medorum contigerat) Sed multi simul obviam occurrerunt, dicente sacro textu: *Iacob abiit itinere quo cœperat, fueruntque obviam ei Angeli Dei.* Cur S. Jacob revertens domum, tot Angelos obviam habuit? Respondet Rupertus dicens: *Rectè talem habuit occursum, qui sub obedientia patris sui militavit.* Judas ille Patriarcha, & unius tribus fundator inter cæteros fratres suos, excellentiorem à patre suo Jacob benedictionem accepit, hisce verbis sibi datam. *Te laudabunt fratres tui, manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui, Catulus Leonis Iuda.* Nec solum pater suus his titulis contentus erat, sed etiam regio sceptro domum suam insignivit dicens: *Non auferetur sceptrum de Iuda & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est.* Unde huic Patriarchæ, tam magnifica patris sui benedictio? quibusnam meritis illam obtinuit? ipsemet moribundus, assignavit hujus rei causam, in testamento suo dicens: *Regnum Iuda mihi dedit Dominus, in obedientia patris mei, nunquam enim contristavi verbum patris mei Iacob, semper obedivi ei.* Rex Saul uti habetur in libro primo Regum parenti suo obediens, asinas amissas quæsiturus, cum tot agros vanè lustrasset, tot loca in cassum peragrasset, tandem ad Samuelem Prophetam Dei pervenit, quid verò contigit? ait D. Gregorius Nazianzenus, *Qui patris asinas quæsivit, regnum invenit.* Ecce, ab asinis ad regium ascendit tribunal. Sed ea est merces illorum, qui suis parentibus etiam in vilissimis rebus obediunt, eisque talem honorem, & pietatem impendere student, quam merentur. In novo quoque testamento non desunt millena exempla ejusdem materiæ, sed pro omnibus, unum Christi Domini sufficiat, de quo S. Lucas. Quod postquam reversus est Jerosolyma cum suis parentibus. *Descendit cum eis & venit Nazareth, & erat subditus illis.*

Gen. 32. v. 1.

Rup. Lib. 8. in Genes.

In Testam. Bibl. Tom. 5.

1. Reg. 9. v. 3.

D. Nazian. De Laud. S. Basilii.

Luca 2. v. 51.

II. Jam verò si consideremus hodierna Christi Comitia, quæ cum duodecim discipulis suis ad se convocatis celebravit, omnes hi articuli quos coram illis proposuit, parentum reputationem honoremque diminuere videntur. Quæ enim erit parentum reputatio, si ab illis filii separentur? Non scio quemnam gladium misit Christus in mundum, non ad bellandum sed ad dividendum filium à patre, filium à matre, nurum à socru sua: & quid hoc gladio damnosius ac pernicioſius esse potest? Sed jam satis pro parentibus, loquamur etiam pro Christo. Durus quidem & crudelis hic Christi gladius, videtur esse vobis parentibus, qui separat à vobis proles vestras. Dum aliquis filiorum à patre & matre separatus, relicta omni hæreditate sua currit ad Christum dicens: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei*; alter quidam, ut evitare posset strepitum mundialem, abripiens se à suis parentibus ait: *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* Aliqua ex filiabus, excipit auræ te-

Ps. 15. v. 5.

Ps. 54 v. 8.

nuis sibilum, suggerentem sibi & dicentem. *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum*, tamque sublimis sponsi amore capta, matrem & patrem deserit, pessulum ostii sui aperit, inventoque dilecto suo, cum eodem *descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut ibi pascatur in hortis, & lilia colligat.* Talis gladius dividens displicet vobis, & forte verbis S. Ambrosii conquerimini, dicentes: *Quomodo ipse est pax nostra qui fecit utraque unum, quomodo dicit pacem meam do vobis, si parentes à filius filios à parentibus dissidio necessitudinis separaturus advenit?* Sed quid amplius? Audistis illa verba à Sancto Spiritu prolata. *Ordinavit in me charitatem?* Accipite igitur ordinem charitatis, à S. Hieronymo traditum qui ait: *Ordo in omni affectu necessarius est. Ama post Deum patrem, ama matrem, ama filios.* Et cum unigenitus Dei filius, major sit patre & matre, optime infert. *Qui amat patrem & matrem plus quam me, non est me dignus.*

Ps. 44. v. 11. 12.

Cant. 5. v. 6.

Cant. 6. v. 1.

S. Ambros. in Lucam.

Cant. 2. v. 4.

S. Hieron. in Matth. l. 1. c. 10.

III. Illud forsitan parentes quosdam male habet, quod si divites sint, habeantque multas possessiones, sed paucam prolem pro qua comparantur & conservantur illa bona, quibus succedant, ut si propter amorem Christi Jesu, domum & parentes despiciant, seque ad servitium Dei conferunt, in tali divisione & separatione, quandam jacturam fieri sibi putent, quasi sine hærede nomen eorum extingui deberet, sed falluntur. Unicum habuit filium Abraam Patriarcha, quem etiam instituerat hæredem suum, & tamen ad mandatum Dei immolare ipsum non piguit. Sic & tu putas te amisisse filium, si à te separatus Christo adhæreat? Falleris. Nihil perdis ex his quæ pro Christo fundis, sed sequestrata omnia & reposita ibi invenies. Talis animus erat Abraamo, qui non jacturam aliquam ex gladio sed vitam potius expectabat sui filii, sic enim testatur Divus Zeno dicens: *Abraam, sibi dulcissimum filium, Deo victimam dulciorem contemnit, ut servet, destinat jugulare ne jugulet.* Sed objiceret ipsi aliquis, quomodo id posse fieri, aliquem ferire, ne feriatur, occidere ut servetur, jugulare, ne jugulet? idem ergò Sanctus respondet huic objectioni dicens: *Crede mihi nullo melius servaris, quàm dum te perdis pro virtute, quod Deo anteponis id totum perdis, & quod uni Deo postponis, id tibi servas securissimum.*

Gen. 22. v. 3.

D. Zeno Serm. de Patient.

IV. Pro confirmatione hujus discursus pulchram figuram accipite. Audistis aliquandò duarum fœminarum contentionem coram Rege Salomone excitatum super infantem? Oppresserat una incautè jacendo in lecto suum infantem, & alteri fœminæ furata suum hunc mortuum ei supposuit, hæc excitata videnque infantem mortuum, sed illi priori qui suus erat minimè similem, cum non posset recuperare suum proprium, illam fœminam accusavit coram Rege, sibique justitiam fieri petiit. Rex audiens utriusque clamores, quarum una dicebat esse suum, altera è contra clamabat, & suum esse affirmabat. Rex Salomon gladium adferri jubet, & eodem gladio infantem vivum dividi, darique partem mediam uni, aliam alteri. Audiunt fœminæ Regis sententiam, quam citius peragi clamabat una, altera vero malebat cedere suo juri, & quod filius integer daretur æmulæ, postulabat. Quid plura? Regi proditur veritas, eique quæ filium suum amissum volebat, eoque privari contenta erat, cum honore jubet restitui. Ecce tibi cum jam putavit, se debere privari filio, incolumem acquisivit. Similis gladio Salomonis est gladius Christi ait D. Ambrosius, hic enim dum ostenditur, & ad separationem filiorum à parentibus exeritur, non perditionem affert, sed vitam.

3. Reg. 3. v. 24. 25.

D. Ambros. Lib. 3. de Virgin.

V. Hinc patet quod sicut parentes, non debent ferre graviter si à filiis separentur, quia ubi amissi putantur, ibi inveniuntur: eodem modo & filiis agendum est, ut parentibus viam salutis impedientibus longum valedicant, eorumque affectui amorem divinum proponant. De Mose scribitur, qualiter Levitas contra consanguineos, & propinquos eorundem armaverit dicens: *Ponat vir gladium super femur suum: ite & redite de porta usque ad portam per medium castrorum, & occidat unusquisque fratrem suum, & amicum & proximum suum.* Ecce gladius seperans filios à patribus, nulliusque consanguinitatis vinculis parcens. Sed unde gladius hic incipit? *De porta usque ad portam*, ait Moyses. Ita quod nec limen portæ sine gladio transire debeas, nisi adversus carnalem cognationem Deo resistentem agas gladio. Tali gladio S. Vitus Martyr usus erat, totaliter enim se ab impiis parentibus separavit, ut impleret præceptum.

Exod. 32. v. 27.

ptum Domini. Sed quid tum? numquid ea separatio Sancto Vito servo Christi aliquod pernicioſum damnum intulit? minime verò, ſed potius vitam ſempiternam: reliquit domum patriam, ſed invenit meliorem, non ideo tantùm, quia totum Regnum inclytum Boëmiæ habet pro domo ſua, ſed quia factus eſt civis cœlorum, ibique jugiter pro nobis Deum exorat. AMEN.

IN FESTO SANCTI VITI MARTYRIS, CONCIO IV.

Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Matth. 10. v. 38.

Plutarchus de Viris Illuſtribus.

LEgimus in hiſtoriis gentilium de Alexandro Magno Rege Macedonum, quod dum luſtraſſet ſuum exercitum, & eos qui ſe in diverſis conflictibus ſtrenuè geſſerant non ſolum collaudaſſet, ſed etiam regiis muneribus honoraſſet, inveniſſe quendam militem ignavum, & interrogaſſe, quo nomine vocaretur? objurgavit eum dicens, cum ita imbellis ſis & ineptus, cur accepiſti nomen Alexandri quo non es dignus? Simile quid legimus in hodierno Evangelio. Non Rex Macedonum, ſed totius univerſi Chriſtus Jeſus, tot habet milites in exercitu, quot fideles in ſua Sancta Eccleſia, & hi omnes qui ſub vexillo ipſius militant, omnes vocantur à nomine ipſius Chriſtiani: ſed eum plurimi ſint qui velint pro militibus ſuis haberi, raritamen inveniuntur tam ſtrenui & audaces, qui hoc vexillum crucis ſuæ accipere & portare velint. De Romanis ſcribitur, quod bello ſe olim accingentes ſolebant vexilla erigere, quibus milites ad ſumenda arma adverſus hoſtes invitabantur. Hinc Tertullianus ait: *Opus eſt vexillo & convolabunt.* Nobis inſtat pugna adverſus mundum, carnem & Diabolum, contra quos hoſtes non aliud vexillum, quàm ſignum crucis à nobis eſt erigendum: cum verò multi ſint qui illud ſubterfugiant, hinc Chriſtus Dominus tanquam alter Alexander, unumquemque talem objurgat dicens: *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.* Et quid pejus quid deteſtabilius eſſe poteſt, quàm id, rejici à Chriſti conſortio? Quamobrem Auditores mei & ſtrenui milites Chriſti ut ad eam Chriſti crucem accipiendam excitemur & animemur, non Hectorem, Ulyſſem, aut Achillem Duces Græciæ fortiſſimos; ſed adoleſcentem virum vobis pro Duce ſtatuam, qui nos cum hoc vexillo Chriſti præeat, & quemlibet noſtrum ad accipiendam crucem ſuam invitet.

Attiſt. Epiſc. 18.

Tertullian.

I. Quænam ſit hujus ratio quod Chriſtus Dominus, antequam nos invitet ad ſequelam ſui, prius offerat crucem ſuam à nobis accipiendam? ad id Boeza Ponferradienſis reſpondet dicens: *Prius crucem loquitur, deinde ſui ſequelam proponit, quaſi crucis notitia ſit, qua in Chriſti ſequela animos firmet humanos.* Chriſtus non vult habere milites ſuos ignavos timidoſque, ſed fortes & audaces; & quia omnis fortitudo & audacia conſiſtit in cruce, ideo vult, nos ipſam accipere antequam illum ſequamur. Quod autem crux Chriſti Domini, animos hominum fortes reddat, patet ex quodam teſtimonio S. Matthæi Evangeliſtæ. Dum Jeſus dormiret in navicula, vehemens tempeſtas navim invaſit; ita ut pene operiretur fluctibus: diſcipuli tempeſtatis metu conſternati, ad dormientem accurrunt & clamoribus excitant dicentes: *Domine ſalva nos, perimus.* Quænam hæc eſt infirmitas & timor in diſcipulis, nonne videbant præſentem ſibi Jeſum adeſſe? nonne idem eſt vigilans & dormiens? cur non fidunt in illius poteſtate? Origenes exagerat hanc diſcipulorum puſillanimitatem dicens: *Vita vobiſcum eſt, & de morte ſolliciti eſtis? Dominum ſalvatorem vobiſcum habetis, & periculum timetis:* Et poſtmodum aſſumpta illorum perſona, excuſat.

Bœza Lib. 14. c. 15. Aſceriſmo 25.

Matth. 8. v. 25.

Origen. Hom. 6.

sat eosdem verbis talibus, dicens: *Sed quid respondent dulcissimi discipuli? Parvuli sumus, adhuc infirmi, quia nec dum vidimus crucem.* Et quænam ex visione crucis fortitudo, & audacia? Audite similitudinem. Est aliquis vir robustus qui (uti proverbio dicitur) posset decertare cum ursis & leonibus, sed quia nusquam vidit gladium in prælio, lepore fit timidior, conductus autem pro milite postquam non solum vidit, sed etiam manu sua giravit gladios, iisque decertavit, non amplius exhorrescit buccinam bellicam, non armorum sonitum, jamque evadit in verum leonem qui ad nullius pavet occursum. Sic est sentiendum de Sanctis Apostolis, habebant in illa navi præsentem Dominum sicuti unus tyro potest habere ducem in castris, sed quia nec dum viderunt crucem ejus, à qua pendet omnis armatura fortium eorumque audacia, ideo illos aquarum fluctus timuerunt.

Prov. 13. v. 25.

II. Alium discursum accipite. Dum Christus Dominus cœnâ factâ cum suis discipulis, surgens è mensa tribusque ex eorum numero secum assumptis perrexisset ad hortum ut oraret. Unus ex illis traditor, corruptus pecuniâ magistrum suorum prodidit, veniens enim cum cohorte militum, locum in quo morabatur ostendit, qui comprehenderunt Jesum & ligatum duxerunt. Quid discipuli? ait S. Matthæus. *Discipuli omnes, relicto eo fugerunt.* Cur fugerunt? O audaciam! Cur fugerunt? Vel cur omnes? Cur ad minus non remansit Petrus, qui nuper dixerat: *Etiamsi me oportuerit tecum mori, non te negabo?* Fugerunt tanquam tyrones, quia nec dum viderunt arma, nempe crucem Domini: tandem apparuit in cruce Jesus, & discipuli induti virtute ex alto, factique animosiores à conspectu crucis: *Ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Antea Jesum fugiebant, & paulo post nempe visâ cruce, neque concilium exhorrebant, nec contumeliam verberaque curabant, quia crux Domini ipsos confortabat. Hinc ait D. Athanasius dicens: *Fugerunt quidem à vivo, sed ita, ut pro eodem crucifixo mortem oppetant.* O crucis virtus mirabilis! quæ non solum Apostolis tantam virtutem indidit, ut gaudentes pro Christo morerentur, sed jam tot millia hominum traxit in sui desiderium, ut jam non solum viri vel fœminæ, sed etiam pueri quin infantes pro Christi fide mori non timeant. E numero illorum adest nobis hodie Sanctus Vitus, Martyr Christi Domini. Si ætatem spectes, quid eo debilius? sed dum è specula suæ crucis Christus eum aspexit, quid jam illo fortius? Cum inscio patre adhuc puer baptismum recepisset, quantum ille laboravit, ut filium à religione Christiana averteret, & ad colenda idola rursus revocaret? quid non egit verbis, minis, & verberibus? at ille velut rupes Carthesia, licet tot fluctibus impeteretur, mansit tamen immotus & imperterritus, quem nec patris blanditiæ nec Valeriani judicis immania verbera sibi inflicta, à sancto proposito dimovere potuerunt. Quam fortiter crucem Domini apprehendit, quam neque blandimenta patris, nec tormenta judicis, de manibus suis eripere potuerunt!

Matth. 26. v. 56.

Ibid v. 35.

Actor. 5. v. 41.

D. Athan. Hom. de Semente.

III. Et quia consuetudo domestica, moresque patrii, plusquàm extranei nocere solent, dum enim multis ictibus quercus percutitur, tandem cadere cogitur, Sanctus Vitus metuens ulteriores patris sui insidias, Angeli quoque habito monitu, tanquam alter Jacob domum patriam fugiens comitibus Modesto atque Crescentia, migrat in alienas terras, sed nec ibi diu latere potuit: cum enim Diocletianus Imperator, de sanctitate ejus famam accepisset, eum ad se accersivit ut filium suum à Dæmone vexatum liberaret, quod postquam fecit, loco mercedis constrictus vinculis mittitur in carceres, cumque nullo modo ut falsos eorum Deos coleret adduci potuisset, sed semper constantior appareret, in ingens vas liquato & ferventi plumbo plenum, una cum suis comitibus demittitur, sed crudelis, ille Tyrannus ne dicam Furia infernalis non prævaluit. Cum enim in eodem vase resina, & pice pleno tres ipsorum balneassent, trium puerorum more inventi sunt incolumes psallere Domino, eique hymnos concinere. Inde erepti leonib⁹ objiciuntur sed & hi feritatis suæ obliti quin imò sua mansuetudine feritatem tyranni arguentes, pedes Sanctorum lambebant. Quare ardenti irâ inflammatus Imperator, multitudinem videret miraculo commo-

Daniel. 3. v. 24.

commoveri, eos tam diu cœdi imperavit, quoad usque membris dissipatis & ob ossibus separatis, animas suas Deo redderent. Neque tunc tamen, nequitia tyranni triumphavit, quia dum hæc Sanctus Vitus unâ cum sociis suis pateretur, eodem tempore, tonitrua, fulgura, magnique terræ motus fuëre quibus templa Deorum corruerunt, multique oppressi à fulmine meritus pœnas infidelitatis suæ persolverunt. Auditores mei. Percepistis Sancti Viti Martyris & Patroni nostri, summam in portanda cruce Christi alacritatem, nec non fortitudinem? Spero etiam quod eam demiremini & laudetis: jam ergo audite quid dicat S. Chrysostomus. *Quem delectat sancti alicujus meritum, delectare debet par circa Dei obsequium.* Cur ergo Sanctus Vitus Martyr ut dignus Christo Domino redderetur, accepta cruce sua ipsum secutus fuerit, & nos idem facere necesse est, ut enim ejusdem Sancti verbis utar. *Si propterea justos, fidelesque diligimus, quod in ipsis justitiam, fidemque suspicimus, possumus nos quoque esse quod sunt, si faciamus, ipsi quod faciunt.* S. Chrys. Hom. de Macchab.

IV. Si ergo imitari placet Sanctum Vitum, accipienda primum est crux à nobis & sic sequendus Christus, alias sequela Christi sine cruce talis est, sicuti iter aliquod longum absque viatico. Videte igitur vos avari divites, vos luxuriosi & delicati, vos magnates mundiales an Christum sequamini, si Christi crucem non accipitis. Sanctus Jacob de se ait: *In baculo meo transivi Iordanem istum,* & nobis Jordanis hujus mundi, transeundus est in baculo crucis Christi: nemo ab hac cruce excipitur, non Reges, Principes, non divites aut pauperes: Sed omnibus dicitur in communi. *Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus.* Attendite parumper. Raptus quondam in spiritu S. Joannes Evangelista, vidit aliquem Senem qui se interrogavit dicens: *Qui sunt isti & unde venerunt.* Responde S. Adolescens? Joannes humeros contrahit nec respondere valet, unde senex quæsitum resolvit dicens: *Isti venerunt ex magna tribulatione, & laverunt stolas suas in sanguine agni.* Mi senicule, non videris mihi directè respondisse, nam in quæsito duæ sunt partes, nempè una. *Qui sunt isti?* altera *unde venerunt?* Cur saltim primam solvis & alteram retices? Scitote igitur Auditores mei, quod in domo Dei, *qui sunt isti* non curetur. *Num sis Gallus, Germanus, Italus, Hispanus, Boëmus, id in domo Dei non attenditur, sit Rex, Princeps, Nobilis, vir, vel fœmina, non curatur, sed solum unde venerunt:* id attenditur, quot cruces pro Christo sustinueris, quos labores toleraveris, quas tribulationes superaveris. Gen. 32. v. 10. Apoc. 7. v. 14.

V. Dicet aliquis, mihi nulla adest crucis materia seu occasio, id ego non credo. Nullus in hoc mundo immunis à cruce & laboribus. Attendite quid dicat Sanctus Lucas *Crucifixerunt Iesum, & latrones, unum à dextris, & alium à sinistris.* Ergo licet declines ad dexteram vel sinistram, semper invenies crucem. Injuste interfectus Teremanes à Cricio Tyranno, cum vas veneno plenum hausisset, reliquam partem profudit in terram dicens: *Propino Cricio.* Id quod memorans Cicero ait: *Lusit vir egregius extremo spiritu, vereque ei, qui sibi venenum præbuerat, mortem est auguratus, qua brevi consecuta est.* Sic Christus Dominus suffixus ligno crucis, hausto fellis & aceti degustato, sanguineque suo usque ad terram profuso, nunc talem calicem unicuique propinat dicens: *Qui non accipit crucem suam non est me dignus.* In commessationibus ea est consuetudo, quod inter pares fiat concertatio poculorum, & si quis à digniori se vel pari sibi præsentatum sibi nollet recipere, sequitur indignatio, idem igitur sensus est verborum Christi, calicem suum bibere, est crucem suam accipere, per quam participatione Christi digni efficimur. Quamobrem Auditores mei, moti exemplo Sancti Viti Martyris & Patroni nostri, bibamus Christi calicem, brachia nostra cruci ejusdem supponamus. Si enim ipsi compatiemur, eidem corregnabimus. AMEN. Luca 23. v. 33. Tuscul c. 1.

IN

IN FESTO S. WENCESLAI MARTYRIS,

CONCIO I.

Certe videtis quem elegit Dominus, quod non sit similis illi in omni populo. 1. Reg. 10. v. 24.

MAgna olim in populo Israëlis erat lætitia, dum Samuel Propheta Domini eis in Regem constituit Saulem de tribu Benjamin. Videns enim altiorem esse universo populo, ab humero & sursum, audiensque Prophetam hæc verba proferentem. *Certe videtis, quem elegerit Dominus*, populus similiter exclamavit dicens: *Vivat Rex.* Æstimo non minorem fuisse lætitiam in præclara gente Boëmorum, dum S. Wenceslaum Principem, in sua sede paterna, tanquam proprium hæredem suum sedere conspexerunt. Scio totam hic Boëmiam exclamasse. *Vivat Princeps.* Sed si illam ætatem filiorum Israelis, cum hac moderna nostra conferamus; majora hic lætitiæ argumenta inveniemus. Ibi enim solus Israel dicebat: *Vivat Rex.* Hic autem non sola Boëmia, sed totus mundus Christianus, applausum istum ingeminat; nempe, *Vivat Princeps.* Deinde hoc festivum Israelitarum Salve, diu non duravit, brevi enim suum finem accepit, nostrum autem Salve, nempe *Vivat Princeps*, jam ab aliquot annorum centuriis perseverat, & hic quidem durabit ad finem mundi, in cœlesti autem patria durabit in æternum. Si ergo licitum erat Samueli, aggratulari Regi suo verbis hujusmodi. *Certè videtis quem elegit Dominus*, qui tamen de sua corona Regia non diu lætabatur, sed paulò post, dum abjectus à Deo fuit, ne regnaret, in luctum, planctumque conversa fuit, multò potiori jure, nos eadem verba, de S. Principe Wenceslao dicere possumus. *Certè videtis quem elegerit Dominus, quod non sit similis illi.* Sed ut hoc thema meum, omnibus vobis liquido appareat, ipsum hac in concione demonstrare conabor.

1. Reg. 10. v. 24.

I. Auditores mei, cum ego mecum perpenderem, ubinam talem Principem invenire possem, qui S. Wenceslai Principis nostri glorioſi, omnes notas multum laudabiles exprimere, ejusque veram effigiem in se ipso demonstrare posset, occurrit mihi quædam historia de Alexandro Magno, Philippi Regis Macedonum filio, qui cum ludis Olympiacis, à suo patre exhibitis, præsens adesset, nec non quæsitus fuisset ab eodem, cur etiam cum aliquo non contenderet ad currendum? Resp. ille, Pater dilecte, facerem, si mihi parem qui mecum una curreret invenirem. Idem & mihi hodiè venit dicēdum, quod inquam S. Principem nostrum, alicui ex Dynastis hujus mundi compararem, si ipsi parem invenirem, sed invenio neminem, & hoc unicum dico. *Certe videtis quem elegit Dominus, quod non sit similis illi in omni populo.* Verum quidem est, hoc in mundo, multos fuisse Principes præstantissimos, & nunc adhuc ætate nostra plurimos inveniri, qui multas possessiones in terris habent, qui auro, argento, opibus, fortuna, & honore mundano vehementer abundant, qui in luxu immoderato, superant Heliogabalum, & Sardanapalum Reges profligatissimos. Si tamen non solum S. Principi nostro comparandi non sunt, sed sua in præsentia, ne quidem commemorandi dignè veniunt. Hic enim S. Princeps, quamvis hæc omnia quæ mundus habet, & ipse habuit, vel habere potuerit, hæc tamen universa nequaquam curabat: Cessit superbiam, aurum, argentum, lapides pretiosos omnemque opulentam supellectilem, Holopherni Principi Assyriorum, luxum & crapulam Nabuzardan coquorum Principi, nam de S. Principe Wenceslao meritò dici potest, quod scribitur Eccles. 31. c. *Inventus est sine macula, post aurum non abiit, nec speravit in pecunia thesauris.* Quis est hic & laudabimus eum, fecit enim mirabilia in vita sua.

Plutarchus de Viris Illustr.

Eccles. 31. v. 8.

II. Sed quænam hæc erunt mirabilia, quæ fecit Sanctus Princeps in vita sua? Sancta Ecclesia, plurima certè Sancti Wenceslai recenset miracula, in vivis, & post mortem facta: at ego omnibus mirabilibus, id unicum præ-

Eccles. ut supra.

præpono: *Qui potuit transgredi & non est transgressus facere mala & non fecit.* Unde cum ego sancti hujus Principis, juvenilem adhuc ætatem considero, hic imaginor mihi me videre, alterum Herculem, de hoc enim scribunt veteres. Quod cum peregrè discedens, venisse ad bivium quoddam, in utraque via, binæ Deæ constiterunt, una Pallas, & altera Venus. Una Dea virtutis & honestatis, altera petulantiæ, & vitiorum, quarum unaquæque Herculem adolescentem, ut suum iter ingrederetur, allicere satagebat, & quælibet earum callis sui proprietatem prædicabat. Prima Dea, labores, variaque virtutum exercitia. Secunda verò delicias, & voluptates hujus mundi. Dum ergo Herculeo orationem utriusque percepisset, relicto calle Veneris, elegit viam Palladis. Jure meritò S. Wenceslaum fortissimo Herculi comparare possum, nam & hic dum esset in ætate juvenili, habuit Aviam, Sanctam inquâ Ludmillam, quæ juvenem Principem, in sanctitate vitæ præibat, & virtutum callem demonstrabat: habuit deinde alteram matrem suam Drahomiram, quæ Veneri non absimilis, adolescentem Wenceslaum, iter gentilitatis, & vitæ dissolutioris ingredi cupiebat, eumque ab utroque tramite nempe fidei virtutumque avertere omni modo conabatur: sed prævaluit virtus divina in Principe, quæ se non solum ad partem demoveri passa est, sed etiam eo fortius ipsum animavit, ne sequeretur matris nequitias, sed potius aviæ pietatem, unde sic Sanctus Princeps, primum florem juventis suæ, Domino Deo in sacrificium obtulit, & consecravit.

III. Postquam ad majorem ascendit ætatem S. Princeps, verum quidem est, quod cum applausu & lætitia omnium, accepit terræ suæ gubernacula, fuitque ab omnibus Princeps terræ & Dominus salutatus, conclamatum fuit ab omnibus, *Vivat Princeps Wenceslaus*, sed ista mundi facies diu non duravit. Cum enim plures Boëmorum errore gentilitatis detinerentur, pietas quoque Sancti ducis iisdem displicere cœpit. At S. Princeps propter mundanam politiem, nunquam à via virtutum, quam ab incunabilis adamavit recedere voluit, quin omni humano respectu posthabito, in passu pietatis & Christianæ religionis semper ulterius progredi nitebatur. Fuit enim cibi potusque parcissimus, virginitatem verò Angelicam ad ultimum vitæ spiritum custodiens, divina officia, die noctuque nunquam neglexit: & noctis quidem tempore, nudis pedibus super glaciem ac nivem iter agens vim frigoris minime sensit. Prodivinus verò comes sociusque ejus, cum calceatus obriguisset, jussus vestigia Wenceslai pedibus premere concalvit, ipse ex uvis vinum expressit, ad Missæ sacrificia ipse minister adstabat, quàm etiam ad hostias præparandas ipsemet suis manibus ligna secabat, & de aliis necessariis providebat. Et cum de his quæ ad cultum Dei spectarent nihil diminueret, quantus etiam in politico regimine suo haberetur, ex eo facile constat. Duci Curimensi nullâ injuriâ lacessito, agros & jurisdictionem suam devastare volenti, armatus cum copiis occurrit, & vocato in colloquium, certamen singulare obtulit, parcens suorum sanguini. Accepta ab adversario conditione, ubi manus conferre debuit, Angelos vidit Curimensis, qui Wenceslaum protegentes, arma ministrarent, qua novitate territus, ex equo prolapsus veniam petiit, cui humiliato vir Sanctus libenter pepercit, monens ne deinceps aliena invaderet.

IV. Similem Angelorum comitatum vidit Henricus Imperator Ratisbonæ, dum Comitia ibidem celebraret. Cum enim ad consessum vir Sanctus, ob divina officia quibus mane vacabat, tardius adveniret, communi consensu statutū fuit, ne quis illi tardè venienti assurgeret. At verò divina providentia mutavit consilium. Sanctus n. Wenceslaus comitantibus duobus Angelis, dextra lævaque, ingressus est, quos ut vidit solus Imperator, non tantum illi assurrexit, sed etiam posuit eum in locum majestatis suæ, mirantibus omnibus qui aderant, causam tamen ignorantibus, donec altero die (referente Imperatore) miraculum cognoscerent. Unde pro reverentia, obtulit illi Regiam dignitatem, quam ipse humilis renuit, at ex omni thesauro Imperatoris, licentiâ habitâ quidquid vellet, ut acciperet, brachium Sancti Viti petiit. Vel hic saltem date mihi similem Principem, & quis est qui Regiam sic excluderet dignitatem? Quis pro brachio Sancti Viti, non acciperet pocula aurea, torquens, aut similia? Quis est hic qui Ecclesias, qui reliquias Sanctorum tanto amore coleret? qui Deo tam devotè inserviret, & laudabimus eum. Fortissimus ille Dux Israelis Gedeon, cum ex mandato Dei exercitum

ſuum ad aquas probaret, ut qui eas curvatis genibus biberent domi remanerent, qui vero acceptas manu ad os injicerent, illi ad bellum pergerent, è tam numeroſa multitudine qui id fecerant, trecenti ſaltem viri inventi ſunt. Certè ſi nos totam Boëmiam luſtraremus, pauciores adhuc inveniemus, non dico inter Dynaſtas, ſed inter plebejos, qui heroica geſta & virtutes divinas Sancti Principis Wenceslai ſequi velint.

V. Sed eſto: hic Sanctus Princeps non curat, habere paucos ſibi ſimiles, qui ſimilitudinem ab ipſomet Chriſto Domino derivavit. Non creditis? Probabo. Chriſtus Dominus fuit lux mundi, ita enim loquitur apud Joannem Evangeliſtam: *Ego ſum lux mundi.* Sanctus Wenceslaus ille primus fuit, qui regnum hoc Boëmiæ, ſicut quidam oriens Lucifer illuminavit, poſtea verò in ſolem planè converſus, non ſolum ſuæ patriæ, ſed etiam toti mundo, lumen ſanctæ ſuæ vitæ communicat. Chriſti vita fuit exemplar manſuetudinis & humilitatis, ita enim ait: *Diſcite á me quia mitis ſum, & humilis corde.* Matth. 11. verſ. 29. Inter ſanctos ſervos Domini, nemo hiſce duabus virtutibus Sanctum Wenceslaum Principem præire poteſt. Vultis humilitatem? Princeps ad ſilvam excurrebat, ſolus ligna ſecabat, ſuis brachiis imponebat, & ante portas pauperum hiemis tempore deponebat, quid verò eo manſuetius, qui ad bonitatem & miſericordiam totus dependebat? quantæ hic adhuc in juventute virtutum meſſes, plures abſque dubio fructus vidiſſet chara ſua patria, niſi matris Drahomiræ, fratriſque Boleslai dolus Sanctum Principem è vivis ſuſtuliſſent. Sed quid amplius? Sanctus Wenceslaus cum amiſſione vitæ, amiſit in terris Principatum, meliorem acquiſivit in cœlis,

ubi cum CHRISTO JESU
regnat æternum.
AMEN.

IN FESTO S. WENCESLAI MARTYRIS,

CONCIO II.

Bonum certamen certavi. 2. Tim. 4. v. 7.

INvenio aliquos bellatores ſtrenuiſſimos in veteri teſtamento, qui cum hoſtibus ſuis acerrime decertarunt. Inprimis inter Judices Iſraelis, fortiſſimus erat Samſon, qui una mandibula aſini, mille viros Philiſthinos interfecit. Judic 15. verſ. 15. Deinde Jonathas Princeps in Iſrael qui cum armigero ſuo per abrupta montium deſcendens ad caſtra Philiſthinorum, multis eorum propria manu obtruncatis, totum exercitum diſſipavit. 1. Reg. 14. verſ. 14. David pugnatorum audaciſſimus, qui gigantem Philiſthæum, ſingulari certamine ſuperavit, ejuſdemque gladio ſtans ſuper eum caput ipſius amputavit. 1. Reg. 17. verſ. 51. Item Eleazar unus è tribus fortiſſimis qui percuſſit Philiſthæos, *Donec deficeret manus ejus & obrigeſceret cum gladio.* Alter Abiſai de quo ait ſacer textus: *Levavit haſtam ſuam contra trecentos, quos interfecit.* 2. Reg. 23. verſ. 18. Tertius Bananias, qui habens obviam unum Ægyptium, virum dignum ſpectaculo, habentem in manu haſtam: *Extorſit eam de manu Ægyptii, & interfecit eum haſtâ ſuâ.* Omitto cæteros, quos libro ſecundo Regum David Rex enumerat: Sic enim novum Athletam, virum ſpectaculo dignum præ oculis habeo, Sanctum inquam Wenceslaum Boëmiæ Principem, cujus figuram dum conſpicio invenio ipſum totum in armis eſſe: loricâ indutum, ſcuto circumdatum, gladio accinctum, haſtamque aquilâ inſignitam manibus ſuis vibrantem, & tandem talibus lineis efformatum, prout fortiſſimi Heroes oculis noſtris proponi ſolent. Jam ſi hunc Sanctum Principem interrogare volueritis, ad quem finem hæc arma ſua oculis noſtris objiciat? ſic reſpondebit. *Bonum certamen certavi.* Quodnam illud? Ego ipſius loco vobis reſpondebo.

I. Nullum eſt dubium de Sancto Wenceslao Duce gentis Boëmorum, quod fuerit vir magnæ audaciæ & fortitudinis. Cum enim Radiſlaus Dux Curimenſis, ad terminos ditionum terræ ſuæ multoties excurſum faceret, ſuoque populo magna damna inferret, quin imo admonitionem Sancti Principis riſu excipiens, arma eidem offerret, ille quoque licet invitus, non impiger tamen, coacto exercitu

ercitu, exiit illi obviam, & armatus cum copiis, hosti suo jurisdictionem suam devastare cupienti occurrit. Videns autem utrinque exercitum stare ad pugnam paratum, sanguinis Christiani profusionem pluris faciens, quam periculum vitæ suæ, vocato in colloquium Curimensi Duce, ei optionem obtulit, ne sanguis subditorum effundatur, an velit secum subire certamen singulare, Dux Curimensis libentissimè conditionem acceptavit, non aliter existimans, quàm si jam in manibus haberet victoriam: videns enim Wenceslaum sine armis militaribus, & unico tantum gladiolo cinctum, ipse verò manens optimis armis instructus, generoso equo insidens, lætus ad metam certaminis properavit, spectant utræque partes exercitum & expectant finem: & ecce tibi dum Princeps Wenceslaus, appropinquat hosti suo, ille, nec hastam dirigit, nec ensem evaginat, quin ex equo prolapsus veniam à Sancto Wenceslao petiit, quam cum admonitione ne aliena invaderet, sed suis bonis contentus esset à Sancto Principe obtinuit. Quantam ego hic disparitatem invenio: legimus enim Genesis 32. cap. Angelum in specie viri luctatum fuisse cum Sancto Jacob Patriarcha, dicente sacro textu: *Ecce vir luctabatur cum eo usque mane.* Hic verò contrarium accidit, non enim hic Angelus aliquis, cum Sancto Principe, sed potius pro Sancto eodem luctabatur. Cum enim Dux ille Curimensis à suis interrogatus esset, quidnam illud esset, quod in Duce Pragensi extimuerat, respondit ille, se vidisse Angelos, arma illi subministrantes, eum protegentes, mihique minitantes, & quasi ligantes manus meas, quo minus illum aggredi possem. En quanta Dei bonitas, quæ Sanctum Principem Wenceslaum contra ferocem hostem tutata est, & ex inermi pugnatore, victorem fecit gloriosum.

Genesis. 32. vers. 24.

II. Sed id singulare certamen missum facio: nam plura alia à Sancto Wenceslao commissa esse scio. Quænam illa? Communes hostes cum quibus & Sanctus Wenceslaus depugnavit, tres esse numero, invenio: primus hostis est mundus, alter caro, tertius est Diabolus. Mundus est hostis, quia conatur nobis eripere hæreditatem, regni Dei. Caro est hostis. *Caro enim concupiscit adversus spiritum.* Diabolus est hostis, quia *tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret.* Quod concernit mundum; fortè diceret aliquis. Quomodo & cur S. Wenceslaus pugnaret cum mundo? Pugna sive certamen non solet esse nisi cum adversario, mundum verò non video S. Wenceslao Principi fuisse adversarium, quin imo fautorem, & cuncta servitia sibi exhibentem. In primis enim natum ex Uratislao Principe gloriosè salutavit, & in hoc nomine Wenceslai sibi in Baptismo dati majorem gloriam ipsi præsagivi. Deinde postquam post mortem patris sui, ad ætatem majorem atque regiminis compotem venit, thronum Principatus in alma urbe Pragensi illi obtulit, & tandem multis divitiis & honoribus eum illustravit. Totum quidem id verum est, nihilominus Sanctus Wenceslaus, cum bene nosset, Spiritu S. sibi inspirante mundi fallacias, qui hominem ideo honorat, & exaltat, ut à Deo ipsum avertat, eumque æterna hæreditate privet, sciens quoque S. VVenceslaus bona hujus seculi esse instabilia & caduca, ideo nolebat ullum fœdus inire cum ipso, quin potius semper pro hoste habuit, ut solum Christum Dominum lucri faceret.

Gal. 5. v. 17.

1. Pet. 5. v. 8.

III. Quod mundus revocet & retrahat hominem à Deo ejusque hæreditate sempiterna, quin ipsa totaliter eum privat, patet exemplo Cain parentum nostrorum primi filii, de quo quæstionem facit D. Gregorius, cur excluſus fuerit à regno cœlorum? & respondet dicens: *Greg. Mor. cap. 3.* *Ipse qui prius in terra fundamentum posuit, à soliditate cœlestis gloriæ alienus fuit.* Siquidem primus fuit Cain, qui civitates in mundo ædificavit, quasi terra proprius fuisset locus hominis, ideo excluſus fuit à regno cœlorum. Quærit causam S. Augustinus. Cum Deus *S. Ambr. in Genesin.* creato mundo, & data cæteris rebus benedictione, non eandem impertitus sit herbis, & respondet dicens: *Quia per fibras, & radices lateribus terræ inhærent.* Noluit Deus herbis benedictionem impertiri, non propter ipsas, sed propter id quod significant: designant enim hominem infixum radicitus huic mundo, ob quod nullam sibi Deus benedictionem impertitur, tanquam contemptori loci sui proprii, qui est cœlum. Hoc itaque sciens Sanctus VVenceslaus quamvis Princeps esset præclarissimus, nihilominus mundo renunciavit, quin ipsum pro hoste habuit, & cum illo armis sacrarum virtutum decertavit. Cum enim in alto dignitatis fastigio esset constitutus, nihil

tamen eo fuit humilius, qui pauperibus inservire non erubuit, quin eis ligna secata propriisque humeris imposita ad usus necessarios deferre voluit.

IV. Quod concernit carnem, quæ homines impugnare solet, id ergo de S. Wenceslao possem dicere quod olim de Nathanaele dictum erat: *Ecce vere Israëlita in quo dolus non est.* Florem conspicimus inter spinas. Dum S. Wenceslai parentelam contemplamur, nempe natum ex marte gentili: & tamen nullo peccati nævo inquinari potuisse, unde licet in carne Angelicam vitam duxerit, nec opus habuerit pugnare cum carne, quæ sibi non rebellabat, neque suum spiritum al qua concupiscentia mala impugnabat: nihilominus, eam in continuo habere fræno, moris habebat. Fuit enim cibi potusque parcissimus, & spiritualibus exercitiis ita deditus atque addictus, ut majorem divinis rebus quam politicis operam daret, & magis similis uni religioso aut spirituali viro, quàm Principi videretur: nam Psalterium non solum recitabat quotidie, sed etiam propriis manibus deferebat, Presbytero sacra divina peragenti ministrabat, noctu & in hyeme Ecclesias visitans, nudis pedibus incedebat, & denique ut carnem ex toto vinceret, ea quæ eidem sunt contraria faciebat.

Iohan. 1. vers. 47.

V. Tandem quod concernit Diabolum, quem si Petrus Apostolus vocat nostrum adversarium, cum hoc S. Princeps Wenceslaus facto certamine, de eodem glorioše triumphavit. Cum enim hic malus genitus per matrem suam Drahomiram (quæ sub specie tutricis, per summam tyrannidem Christianos opprimebat,) totam Boëmiam ad idolorum cultum inducere suoq; infernali imperio sujugare conaretur, ubi tot millia Christianorum non solum fraudulenter, sed etiam violenter occisa, templa diruta, incensa, & obmurata, non aliud denunciabant, nisi dominium infernale: tandem S. Wenceslaꝰ hęc advertens, non tardavit accire Primores Boëmiæ, à quibus in solio Principum collocatus, templa Christianis reseravit, divina servitia à matre arrestata gloriosè relaxavit, fidem Christianam publice prædicari fecit, paganos (ni velint Christum agnoscere) finibus Boëmiæ excedere jussit, & tandem, pulso Diabolo, fideq; Catholicâ stabilitâ, occisus à fratre suo Boleslao, vivit & triumphat in cœlis æternum.

1. Pet. 5. vers. 8.

AMEN.

IN FESTO S. WENCESLAI MARTYRIS,

CONCIO III.

Fuit cum Principibus populi, & fecit justitias Domini.
Deuteron. 33. vers. 21.

QUi sacras scripturas legunt earumque sensum perscrutantur, facile hic, in istis verbis à me prolatis aliquem defectum invenire, neque illius arguere possent. Legimus enim Deuteronomii 33. capite. Sanctum Moysen Parriarcham, & Ductorem Israelis, dum ante mortem suam filiis Israelis benediceret, hæc verba ad Principem Gad protulisse: *Benedictus in latitudine Gad, quasi leo requievit, cepitque brachium & verticem: & vidit Principatum suum quod in parte sua Ductor esset repositus, qui fuit cum Principibus populi, & fecit justitias Domini, & judicium suum cum Israel.* Hæc erat Principis Gad benedictio sibi à Moyse data, ex qua hæc verba in laudem S. Wenceslai Principis segregavi: *Fuit cum Principibus populi & fecit justitias Domini.* Sed quonam modo illi convenient? Siquidem venerabilis Hugo Cardinalis explicans eam Principis Gad benedictionem, in eo sitam esse dicat. Primò quod illa tribus erat populosa, & latam possessionem habuit: secundo quod ex illa tribu fortissimi Judices ad similitudinem leonum prodierint sicut Jephte, cæterique qui fuerant bellicosi: tertio quod in ipso futuri essent sapientes Judices, qui populum justum judicarent. Tres hujus benedictiones quomodo Sancto Wenceslao quadrare poterint, qui cælibem, imo in virginitate pura Angelicam vitam ducens, fuso pro Christo sanguine sine prole

Deut. 33. vers. 20.

Hugo Card. hic

prole occubuit ? Hoc ipsum quod à vobis videtur haberi pro defectu, ego in præconium Sancti Wenceslai Principis convertere conabor : favete.

I. Est quidem verum juxta lineam carnis thronum Virginum esse sterilem & si secus fiat, infamem. Ob eandem enim rationem Virgo Beatissima Maria cœlesti Paranympho cum nuntio sanctę castæq; maternitatis ad se venienti respondit taliter : *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco ?* Nihilominus tamen è virgineo thoro secundum carnem sterili, juxta verò spiritum fœcunda multę proles prodire solent. Ponamus pro exemplo Sanctum Wenceslaum, qui licet non sexu, conditone tamen sui status, Virgo fuit : Sed nunquid sterilis ? Taceo, sed omnes vos quos hic præsentes video rogatus velim : Respondete mihi an sitis filii Sancti Wenceslai Principis ? Si non : non eritis ergo veri Boëmi qui prædecessorem Principem Patremque vestrum abnegatis. Si autem ab illo originem ducitis, illam non sterilitati virgineæ sed fœcunditati adscribere debebitis ; quin tota id Boëmia fateri debebit : quotquot enim proles Catholicæ in ipsa numerari possunt, nativitatem suam spiritualem nec non educationem timoratam, Sancto Wenceslao Virgini tanquam exemplari suo primo adscribere debent : Hic enim ille est cui hæc verba sacri textus bene conveniunt *Fuit cum Principibus populi & fecit justitias Domini* Ut quemadmodum ad tribum Gad talis benedictio olim pertinebat ob nimiam populi multitudinem, quæ ab ipso descenderat : ea jam benedictio florentissimo huic regno Boëmiæ ob Sanctum Wenceslaum Principem debeatur. Nec jam miror in antiquo Testamento, Abiam Regem Israëlis de quo 3. Regum dicitur ; *Dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Ierusalem, ut suscitaret filium ejus post eum.* Quæ verba explicans Venerabilis Hugo Cardinalis mentionem ibidem facit cujusdam divini beneficii, quo Regem Abiam propter David patrem suam honorare dignatus est nolens illum sine hærede esse. Sed potius venit mihi in admirationem maxima Dei beneficentia quâ non propter David servuum suum, sed propter Wenceslaum servum suum florentissimum hoc regnum Boëmiæ tam fœcundum in sacra fide Catholica facit, ut Æneas ille Sylvius postmodum Pius Secundus Pontifex Romanæ Sedis, dum post Hussiticam illam sectam Legatum ageret in Boëmia, summe dimiraretur tam magnam templorum frequentiam, quorum multa ex solida rupe facta, tanquam arces quædam magnificæ cœlum contingere videbantur. Hæc templa materialia, non miror ego, sed magis spiritualia, nempè tot homines Catholicos, qui virgineas parentis sui cunas nempe Catholica Sancti Wenceslai primordia venerantur. Filius Abiæ Regis (in Sacra Scriptura citata superius) lucernæ dicitur. Et cur filii spirituales à virgineo Sancti Wenceslai thoro descendentes lucernæ dici nequeant ? Multos jam sane invenias in hoc regno Boëmiæ filios, qui lucernarum titulo merito honorari possunt. Ubi jam non solum tot templa videre liceat sed etiam tot Universitates tot Academias, tot Collegia, tot Monasteria, tot sacrarum virtutum seminaria, ubi quot personas tot lucernas numerabis. Felix virginitas Sancti Principis Wenceslai quæ in casto thalamo tot lucernas parere novit. Quid ni ? Cœlestis sponsus Christus Dominus Lucæ 12. capite, jubet suas virgines lumbos præcingere & lucernas tenere in manibus : Ad quid ? ut sic expectent suum Dominum revertentem à nuptias. Memini me legere apud Catullum, quod apud Græcos cæterosque gentiles moris fuerit solvere sponsæ cingulum post nuptias, etiam in iisdem nuptiis lucernarum usum habuisse. Si solutio cinguli unà cum lucernis nuptiis adhiberi solebat. Cur hic Dominus jubet non ante sed post nuptias lumbos præcingere & lucernas tenere ? Pulchrum mysterium in utroque : ibi solvebatur cingulum virginis & lucerna adhibebatur, in signum fœcundę claręque prolis : hic verò lumbi præcinguntur & lucernæ tenentur, in signum fœcundioris & clarioris prolis, quæ è throno virginali procedit.

II Quod è thalamo virgineo lucernæ prodeant id parum protuli : prodeunt non lucernæ solum sed etiam cœlestes faces, nempè sydera Legimus Genesis 22. cap Dominum Deum Sancto Abraam Patriarchæ præcipisse ut filium suum Isaac tolleret, eumque immolaret. Non erat piger Sanctus ille Senex quin accepto secum filio, duxit ad locum sacrificii : itaque arripit ensem, & uno ictu omnem spem posteritatis suæ intendit sibi eripere. Sed quid Deus ? In tantum sibi placuit prompta voluntas Sancti Patriarchæ ut qui non fuit sollicitus

Luc 1. vers. 34.

3. Reg. 15. vers. 4.

Æneas Sylvius in Hist. Boëm.

Luc 12. vers. 35.

Genesis 22. vers. 16.

de amissione unici sui filii id audire meruerit. *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito porpter me: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli.* Ecce tibi: ubi Abraam filium unicum simulq; spem posteritatis suæ Domino consecrat, stellarum exercitum pro filiis accipit. Advertit hoc Divus Hieronymus quanti Deus faciat thorum virgineum, dum abjecta spe posteritatis Deo consecratur dum ait: *Humani contemptor seminis pater vocaur astrorum.* Sterilis videtur esse virginea castitas; sed dum Deo offertur, partus suos in numero & claritate filiorum cum astris componit. Talis erat Sanctus Wenceslaus: hic enim quo magis virginitatem suam Deo consecravit (nam nisi morte violentâ præventus fuisset, talem statum virgineum in Ordine Sancti Benedicti collocasset) eò magis non solum lucernarum sed etiam cœlestium stellarum, quæ lucent in tot Ordinibus Regularium per totam Boëmiam diffusè patentibus in eaque doctrinâ & sanctitate micantibus, partu suo fœcundo multitudinem attigit.

D Hieron.

III. Scire amplius cupis quot sibi acquirat filios Christiana castitas atque virginitas? Insinuat responsum Isaias dicens: *Lauda sterilis quæ non paris.* Libenter scire vellem causam laudum ad quas decantandas sterilis ob partum sibi denegatum invitant: Legi enim in multis Sacræ Scripturæ locis, fœcunditatem prolis pro benedictione à Deo fuisse datam. Sic Genesis 18. capite scribitur, tres illos Angelos qui apparuerant Abraæ in tabernaculo uxori suæ Saræ filium promisisse. Item alio in loco scribitur uxorem Patriarchæ Jacob Rachel, eò quod infœcunda esset liberos expostulasse. Annam Helcanæ uxorem eo quod sterilis esset flevisse. Sed jam sensus verborum Isaiæ Prophetæ patebit ex verbis sequentibus: *Quoniam multi filii deserta magis, quam ejus qui habebat virum*: in qua Prophetia patet id jam impletum esse quod videmus, & de qua re Sanctus Ambrosius testatur dicens: *Sancta Ecclesia Virgo est castitate, Mater est prole.* Splendentes guttas roris ab aurora cadentes numeret; qui filios scire cupit è thalamo virgineo procedentes; Hinc Maldonatus explicans illa verba Davidica, *Ex utero ante Luciferum genui te*; ea sic invertit: *Ex utero ab aurora tibi ros progeniei tuæ.* Per quod intelligitur quod filii regenerati in Christo non ad communem filiorum hujus mundi numerum reducantur, sed ad multitudinem roris antelucani comparantur: Sola enim virginitas præclara ac nobilis gemma superat omnem fœcunditatem mundi. Pulchrè id testatur doctus vir Cajetanus dicens: *Generatio fidelium Christi non erit sicut generatio qua mater generat unum aut duos filios: sed erit sicut generatio roris, id est generatio innumerabilium simul*

Isaiæ 54. vers. 1.

Genesis 18. vers. 10.

Genesis 30. vers. 6.

1. Reg 1. vers. 10.

S Amb Lib. ac Virg.

Maldonatus.

Cajetanus.

IV. Idem patet ex verbis Canticorum 6. capite: ubi Dominus ait ad sponsam. *Dentes tui sicut grex ovium, qua ascenderunt de lavacro omnes gemelli fœtibus, & sterilis non est in eis:* per candidos sponsæ dentes intelligitur Ecclesia Christi Domini, cujus filii castitate præcellentes, candori dentium comparantur & consequenter ipsi dentes gregi ovium: non inquam ovium sterilium, sed talium quæ omnes gemellis essent fœribus: Ex quo datur intelligi, quod Ecclesia Christi non solum non sit sterilis, sed etiam in candore continentiæ plures fœtus pariat. *Omnes gemellis fœtibus & sterilis non est in eis.* Ait hic de virginitatis Christianæ fœcunditate, quæ tanta debet esse, quæ sterilis putetur nisi plures simul filios generet. Ad quod Acutè ait Gillbertus Abbas Sermone 24. in Cantica dicens: *Sterilitas reputatur si vel uno fueris fœtu contentus.* Non uno sed multiplici filiorum spiritualium agmine ornatur pudicitia Christiana: Ex quo quis voluntati renunciavit, ex quo carnem suam cingulo constrictam castitatis Deo mactavit, ita fœcundus est, ad filios spirituales regenerandos, ut minimè contentus esse debet, nisi plurimos eosque conspicuos Deo pariat. O felix S. Wenceslai virginitas quæ tot filiorum parentem agit.

Cant. 6. vers. 5.

Gill. Abbas

V. Quod verò concernit duas alias tribus illius Gad benedictiones; nempè quod ex illa prodierint tot nobilissimi Judices uti Jephte fuit cæterique. Secundam verò quod talium filiorum pater extiterit qui sapientiâ præpollebant, & justa judicia exercebant: id utrumque in Sancto Wenceslao invenimus. Nam ut à secundo puncto incipiam, quam primum assignatâ dote matris suæ Drahomiræ terræ Boëmorum accepit gubernium, multos instituit Judices sapientiâ & prudentiâ pollentes, quibus præcipiebat ut justè judicarent. Patibula quidem dejici & carceres operiri faciebat, non quod videretur connivere malitiæ, & peccandi libertatem prorigere; sed cupiebat,

piebat omnes ſubditos tales eſſe, legum inquam obſervatores ingenuos, timoris Domini amantes ut nullis patibulis aut carceribus opus eſſet. Fidei Chriſtianæ tantus erat zelator quod unam magnificam domum quaſi ſeminarium quoddam exſtrui fecit, in qua juventus illa gentilium poſſet recipi & in fide Chriſtiana inſtrui. Et tandem jam ſuperior evaſit Boëmia benedictione illâ & tribus Gad, quia non ſolum Judices tot inquam Duces & Principes in patria ſua ſpectat; ſed ad altiorem nempe Regium evecta ſtatum ſub corona Regia ut illa tribus Gad leonem ſuum intuetur. Lætemur igitur de tanto Patrono noſtro, & tanquam filii parentis noſtri ſequamur veſtigia, ut ad metam æternæ vitæ cum illo felici curſu pervenire veleamus.

AMEN.

IN FESTO S. WENCESLAI MARTYRIS, CONCIO IV.

Exaltavi electum de plebe mea. Pſalm. 88. v. 20.

IN hac ſolennitate hodierna, in qua glorioſam recolimus memoriam, Sancti Wenceslai Martyris, Principis, & hæredis, ſimulque magni Patroni regni hujus Boëmiæ, nihil verius in laudem ſuam poſſum dicere, quàm hæc verba Sancti David Prophetæ Regii in perſona Chriſti Domini dicentis: *Exaltavi electum de plebe mea.* Hic enim ille eſt, qui devictis paſſionibus corporis, animæq; purus fuit in mente, ore, fide, dilectione. Fuit in hoc mundo ſicut Lucifer, poſtea in ſolem planè converſus, omnibus lumen ſuum communicat, fuit quaſi Angelus à Deo miſſus. Fuit quaſi Adam in paradiſo Chriſti collocatus, non tamen inde ejectus. Noe primum illum poſt diluvium mundi Patriarcham, vicit manſuetudine, Abraamum fide, Jobum patientia, Joſue, defenſione ſuæ patriæ, fuit hic Sanctus noſter Patronus, alter Apoſtolus Boëmiæ, per quem converſa eſt ad fidem Chriſti Domini. Fuit Martyr inſignis, & ſi non ſacerdos, tamen perpetuo aſtitit ſacris ſacrificiis, miniſtrans, & orans. Erat roſa ex ſpina, nempe ex gentili matre oriundus, ſuaviſſimo tamen virtutum odore fragrans: redolebat ſuaviſſimo odore miſericordiæ, & charitatis in pauperes quibus largas diſtruebat eleemoſynas, nocte ſecabat ligna, & ante domos eorum deponebat. Et hæc quidem ut aliquis plebejus homo faciebat, nihilominus etiam præſtantiſſimi Ducis munia non omittebat: quod enim de Moyſe Principe Iſraelis hoc etiã de Sancto Wenceslao Principe Boëmiæ dici poteſt Nam finem illum poſt Deum O.M. præcipue ſibi maximè neceſſarium propoſuerat, ut de ſubditis bene mereretur, omniaq; tum facta, tum dicta, ad eorum utilitatem referret, nec ullam omitteret occaſionem, qua communibus commodis conſuleret. Hic poſt hominum memoriã ſolus inter Principes fuit, qui nec aurum nec argentum cumulavit, nec exigit tributa, nec ullas facultates poſſedit, cum tamen poſſet omnibus copiis abundare. In veſtitu, in victu, & reliquo cultu, nihil magnificum aut arrogans oſtendebat, ſed privati hominis frugalitatem & ſimplicitatem ſequebatur, & tandem quod concernit virtutes ſacras, nullã præterire paſſus eſt, quam ſeipſo non exhibuerit. Quod vobis in hac concione demonſtrare conabor.

I. Non bonum ſumpſi conſilium Auditores, promittens vobis omnes S. Wenceslai virtutes, ſermone & oratione, mea producere, quia nec mihi lingua, nec vobis aures, nec utriq; noſtrum tempus dicendi & audiendi ſufficeret. Quid ergo faciendum? Antiqui illi ſapientes, id moris habebant, ut ſi vellent plurimas alicujus rei circumſtantias proponere. Sed ad id verba ſufficere ſibi non putarent, ad Hieroglyphica, ſive ſigna quædam myſteriis plena recurrebant, uti Ægyptii, qui volentes rem aliquam, breviter exprimere, pro verbis, utebantur ſignis, multa in ſe complectentibus. Exempli gratia, volentes demonſtrare naturam Dei, & omnes ejus perfectiones pingebant oculum ſupra ſceptrum aureum, per quod denotabant Deum omnia videre, omnia gubernare, & ubique eſſe per eſſentiam, potentiam, & præſentiam. Plane bonum conſilium: nam & ego præ oculis quædam Hieroglyphica habeo ſive ſigna multis referta myſteriis, non ab Ægyptiis inventa & tradita, ſed ab ipſomet ſacro ſpiritu, qui Chriſtũ Ieſum fi- *Iuſt. Mart.*

lium

lium Dei unigenitum (qui juxta D. Paulum Apostol. *in similitudinem hominũ factus, & habitu inventus ut homo*, quatenus sequamur vestigia ejus) sub variis figuris intuendum nobisq; imitandum præsentat. Patet idem testimonio Simeonis Prophetæ dicentis: *Ecce hic positus est insignum* Vultisne aliquod ? Inprimis propono vobis Solem, luminare primum cæterisque lucidius: quod vero per solem intelligatur unigenitus Dei filius, id evidenter patet ex primo capite S. Joannis Evangelistæ, qui ait. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Miratur hic Doctor gentium hæc verba S. Joannis Evangelistę, ubi ait lucem illam esse veram, quæ illuminat hominem venientem, ac si non posset illuminare stantem, sedentem, seu jacentem, deindè idem Sanctus respondet in hunc sensum, nempè hic Sanctum Joannem loqui, non de homine exteriori secundum carnem; sed interiori secundum spiritum, nempè de anima: undè cum sol per quem Christus Dominus intelligitur, nesciat stare, & ipse quoque veniens in mundum ambulabat per vicos & castella prædicans verbum Dei, non illuminat animam torpentem ocio, & sedentem in umbra mortis, sed talem (verba sunt divi Paulini) *Quæ despicit mundum, ut conspiciat Deum, eum scilicet, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, id est omnem hominis mentem venientem* Ubi enim mens nostra, vel unicum gradum in virtute facit, dum de uno loco movetur ad alterum, nempe juxta illud quod de justis scribitur : *ibunt de virtue in virtutem*; de una virtute procedit ad alteram, non potest fieri, ut non illuminetur à sole. Hinc non miror hodiernâ die exemplar hujus solis splendidi proponi nobis, nempe Sanctum Wenceslaum Principem & patronum Boemiæ, non in radiis & splendore suorum natalium, nempe quod Illustrissimi & Serenissimi Principis fuerit filius, sed ex eo quod à sole justitiæ Christo Domino illuminatus interius, ignoraverit quid sit, quies & ocium, quin tot tantosque gressus in virtutibus fecerit, quos omnes enumerare longum atque arduum esset.

S. Joan. 1. vers. 9.

S. Paulin. Epist. 4.

II. Mirum alicui videretur, cur Christus Dominus, quem Sanctus Paulus Apostolus, vocat splendorem Patris, & figuram substantiæ suæ, solem sibi elegerit pro suo habitaculo, dicente Propheta Regio, *In sole posuit tabernaculũ suum.* Cur non in terra, non in mari, aut in aëre, sed in sole ? Sed ego ad hoc quæsitum tres pulchras responsiones invenio, quarum prima est ideo nec in terra, nec in mari, neq; in aëre, tabernaculum suum posuisse: hæc enim non erant digna tanto hospite, sed solus sol qui ipsum hospitio suo reciperet dignus erat. Hinc Divus Hieronymus ait: *Itaque qui nec dum ad solis claritatem, ordinem, constantiamve pervenit, in hoc Christus habitare non poterit.* Sed adhuc hic nova exurgit quæstio, si Christo non placebat ponere suum tabernaculum, in terra, mari, sive aëre, cur potius non illud posuit, in aliquo uno ex tot syderibus Planetarum signo, cum dicant Astrologi, talia quædam sydera, ipsum solem sua magnitudine multum excedere ? rursus respondetur, ideo Christum Dominum in sole tantùm tabernaculum suum posuisse, ut daretur intelligi, Christum amorem nostrum, nihil aliud à nobis expetere, quam nostri cordis possessionem. Cum enim idem in cœlo sit sol, quod est cor in homine, cor hominis per solem hoc loco significatur: unde ait Chassanæus. *Physici nuncupant solem cor cœli, id enim in æthere sol est, quod in animali cor* Dum ergo Propheta Regius, Christum in sole suum posuisse tabernaculum cecinit, idem est, ac si in corde hominis quartirium, sive mansionem sibi designasset. Tandem pulchra etiam est Divi Zenonis ratio, quæ ex verbis illius cogitur, hæc de sole dicentis: *Idem sibi successor, idemque decessor, longæva semper ætate novellus.* Unde hæc ratio eruitur, quod cum terra, mare, aëerque mutentur, & senescant, sol verò licet tot annorum senectutem habere videatur, nusquam tamen senescit cum Saturno frigido, sed semper id est hodie qui heri in eodē juventutis flore comparet, unde etiā in specie pueri depingi solet. Hinc Christus *in sole posuit tabernaculum suum*, vult enim ut anima hospitium sibi datura semper renovetur, & per suam gratiam juvenescat.

S. Hieron.

Chassanæus in Catal. Par. 12. Consid. 8.

D. Zeno.

III. Talis sol erat S. Wenceslaus, nam inprimis quod concernit claritatem solis ejusdemque constantiam, hæ duæ proprietates in Sancto Wenceslao egregiè elucebant, fuit enim clarus vitæ munditia, fuit clarus pietate, nam quoad vixit ab operibus misericordiæ nunquam cessare potuit, fuit clarus coram Deo & hominibus, cui intranti ad comitia, non solum Imperator ipse assurrexit, sed etiam

iam proprium thronum in quo ſedebat, magna cum reverentia obtulerit. Habuit claritatem ſolis, licet tot nebulæ ſibi occurrerent, nebulæ inquam gentiliſmi, quæ de denſâ câligine circumvenire conabantur, at Chriſti gratia, omnes tenebras diſpulit, ut ſol ille Wenceslaus inquam magis clarior appareret; habebat quoque ſolis conſtantiam: Cum enim à matre ſua Drahomira toties impugnaretur, ut à Chriſtiana fide deflecteret, expugnari & ad perverſam voluntatem ſuam adduci non potuit. Item fuit ſol in quo Chriſtus Dominus poſuit ſuum tabernaculum, quia in corde illius habitavit per gratiam: & tandem fuit ſol, maturus inquam in virtutibus, nunquam tamen ſeneſcens aut langueſcens, quia virtutum ſtudio, boniſque operibus indefeſſè incumbebat.

IV. Revertor ad verba Sancti David dicen-
Genebrard. tis: *In ſole poſuit tabernaculum ſuum*; nam autor quidam Genebrardus, per figuram Hypallagen tranſponit ea taliter. *Solem poſuit in tabernaculo ſuo.* Quid ſibi vult hæc verborum converſio? Egregiam in laudem Sancti Wenceslai materiam mihi ſubminiſtrat: Ut enim pro foribus tabernaculorum, & domorum ſigna ponuntur, & ſtemmata, quæ habitantium oſtentent excellentiam: Sic Jeſus pro tabernaculi ſui foribus poſuit ſolem, qui cum ſit omnium luminum Princeps, Jeſu facinora & triumphos melius quàm alia lumina deſignavit. Felices ac terque quaterque beati Monarchæ nobileſque hujus mundi qui tali ſtemmate à Chriſto donantur: nullo enim magis vera nobilitas radiat, quam dum in operibus noſtris Chriſti ſplendorem
Iob. 1. v. 3. præferimus. Dicitur de Job capite 1. *Erat vir ille magnus inter orientales.* Quæ verba expendens Didymus, ſic ait: *Genere clarus inter orientales prædicatur, quoniam lucis, Deique filii, à lucidis actionibus nuncupantur. Hi ad orientem ſolem pertinent, neque enim juſtus ab hominibus, ſed à ſplendore ſolis luſtitiæ, ſplendeſcentem aſſequitur nobilitatem.* E talium numero fuit Sanctus Wenceslaus Princeps, hic enim non quæſivit nobilitatem è ſuis Aquilis, ſed unico ſole Chriſti Domini, contentus fuit, & ab illo, ut ex indeficiente fonte veram virtutum claritatem hauſit.

V. Ut præteream multa alia innumera emblemata & Hieroglyphica veteris teſtamenti quæ Chriſtum Dominum repræſentant, uti eſt tabernaculum fœderis. Sanctuarium Dei, Arca teſtamenti, cæteraque myſteria ſymbolica quæ à Prophetis citantur, non exiguam eorundem copiam in novo teſtamento apud Sanctos Evangeliſtas invenio, vocatur enim, leo, agnus, vitis vera, paſtor bonus, oſtium, via, veritas, vita, aliiſque ſignis exprimitur quæ recenſere longum eſſet. Sed hæc nomina, numquid Sancto Wenceslao convenient. Ita ſanè. Fuit enim leo, fuit quoque & agnus, leo, quia patriam ſuam cui præerat fortiter tutubatur, & ab hoſtium impetu defendebat, quod expertus ſatis erat Dux Curimenſis, cum quo dum Sanctus Princeps duello confligere deberet, in tantum ipſum exterruit, ut ab eodem conditiones pacis quas Sanctus Wenceslaus præſcripſerat, ſuſcipere cogeretur: fuit agnus, quia nihil illo fuit manſuetus mitiuſque, fuit vitis vera, plantata à cœleſti agricola; fuit paſtor bonus, oſtiumque ſuis apertum ſubditis, fuit via ad virtutes, veritas ſacræ fidei quam unice colebat, & tandem per hanc viam veritatis, invenit vitam in Chriſto ſempiternam.

Apoc. 4. v. 7. *Ioan. 1. v. 27.* *Ioan. 15. v. 1.* *Ioan. 10. v. 11.* *Ioan. 14. v. 6.*

AMEN.

IN FESTO S. SIGISMUNDI MARTYRIS,

CONCIO I.

Rex graditur ante vos. 1. Reg. 12.

1. Reg. 12. v. 1. 2. CUm ille Saul primus Rex Iſraelis, ex mandato divino à Propheta Samuele in Regem unctus eſſet, finito feliciter bello cum Naas Rege Ammonitarum, partâque victoriâ, & cum ſolenni triumpho reverſus in Galgala, in illa civitate ab eodem Sancto Propheta, Rex de-

denunciatus erat, talibus verbis *Ecce audivi vocem vestram, juxta omnia quæ locuti estis ad me, & constitui super vos Regem : & nunc Rex graditur ante vos.* Mirabilis mihi videtur ea Samuelis ceremonia. Cur enim exhibuit populo Regem Saul gradientem, & non potius sedentem, quandoquidem thronus, proprium sit insigne Regiæ majestatis ? Legimus quippe 3. Reg. 10. cap. Regem Salomonem inter alia palatii sui ornamenta, fecisse etiam thronum de ebore grandem, & vestivisse eum auro, eumque gradibus sex & leunculis duodecim exornasse, & tandem sic adaptasse, ut operis hujus tale testi-
3 Reg. 10. v. 20. monium à sacro textu acceperit. *Non est factum tale opus in universis regnis.* Cur in ædificando illo throno ille Rex tantam curam adhibuit?
Hugo Card. Hic. Respondet Hugo Cardinalis. *Quia thronus vel solium est imperialis sedes*; Deinde illa regni sui publicatio, tunc erat facta, quando bello illo cum Ammonitis laboriosè confecto, reversus fuerat in Galgala. Tunc potius offerenda ei erat sedes aliqua, ut quiesceret, & sic sedens, & non gradiens, exhiberi debuit populo, & proponi in Regem. Ego similiter hodierna die cuperem vobis producere quendam præclarissimum Regem, Sanctum inquam Sigismundum Dynastam Burgundiæ, qui peracto insigni certamine per martyrium, nunc jam victor triumphat in cœlis. Illum sanè post tot labores exantlatos, deceret vobis exhibere sedentem, potius quàm gradientem, sed cum id non patiatur thema concionis meæ, assumptum ex iisdem verbis Samuelis Prophetæ dicentis : *Rex graditur ante vos*; ad eundem modum, sicut ille Saulem Regem, sic & ego Sanctum Sigismundum Regem, non sedentem, sed gradientem ante vos producam : Quod non erit sine fructu Auditorum.

I. Est omninò verum Auditores, solennissimum esse Regibus thronis uti, non quidem in hunc tantum finem factis, ut in illis sedeant, sed potius, ut solennitates regni publicas in illis exerceant sedentes, nempe legationes audiendo eisque responsa dando, comitia celebrando, sententias dando, vel etiam Regiam autoritatem suam ostendendo, cæterosque actus publicos obeundo. Eglon Rex Moab utebatur throno Regio. Cum enim Ajoth unus è filiis Israelis venisset ad eum, eique nomine gentis suæ munera obtulisset dicens : *Verbum DEI habeo ad te*, ait textus: *Judic. 3. v. 20. Qui statim surrexit de throno* : Item de Salomone legitur, quod cum honorare vellet matrem suam Bersabee ad se venientem, uti habetur in historia 3. Regum. *Surrexit Rex in occursum ejus, adoravitque eam, & sedit super thronum suum, positusque est thronus matris Regis, quæ sedit ad dextram ejus.* 3. Reg. 2. v. 19. Item duo illi Reges, Josaphat Rex Juda, & Achab Israelis, audire volentes sententiam Micheæ Prophetæ, an eundum & præliandum illis esset in Ramoth Galaad ? ait textus : *Porro Rex Israël & Josaphat Rex Juda uterque sedebant in solio suo vestiti cultu Regio.* 2. Paral. 18. v. 9. Eodem modo Ester Regina, cum deprecatura pro populo suo à Principe Aman ad necem in dolo destinato, intrasset ad domum Regis Asveri, & stetisset in atrio, contra Basilicam Regis, ait textus : *Ille sedebat super solium suum in consistorio palatii contra ostium domus.* Ester. 5. v. 1. Similiter de Judith scribitur, quod cum adducta fuisset ad cubiculum Holophernis Principis Assyriorum, textus historicus ait : *Videns Holophernem sedentem in conopeo, quod erat ex purpura, & auro, & smaragdo, & lapidibus pretiosis intextum, & cum in faciem ejus intendisset, adoravit eum prosternens se super terram.* Judith. 10. v. 19. Non est dubium Sanctum Sigismundum (prout cæteri Reges) suum quoque Regium thronum habuisse, postquam enim post patrem suum Gunibaldum Burgundiæ regnum suscepit, etiam cum corona Regia cæterisque insignibus Regiis, in eodem throno sublimatus erat, fortè ergo feciſſem melius & præstantius, si eum vobis non gradientem sed potius in majestate Regia fulgentem, & in aureo throno sedentem vobis demonstratem. Ad id communissimum est cognomen Regibus, quod bases Reipublicæ dicantur, eæque firmissimæ, quibus tota nitatur moles politici ædificii. Et quid basibus magis detrimentosum quàm mobilitas ? Quid Regibus periculosius quàm instabilitas, melius ergo foret, exhibere vobis Sanctum Sigismundum, stantem immobiliter tanquam basim, & non gradientem. Sed quidnam illud est ?

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Rex Regum CHRISTUS Dominus quidnam egit in regno suo, num ad similitudinem basis immobilis, semper sedit aut quievit ?

Mi-

Minime verò. Cum enim plurimi Evangelistæ eum describant, ambulantem per vicos & castella & prædicantem Evangelium tum præcipue Matthæus describens tanquam Regem ait : *Rex tuus venit tibi.* Quid tibi Christe cum hoc labore itineris, nonne magis Regium esset si quiesceres ? hæccine est Regia stabilitas, huc illucque discurrere ?

Matth. 21. v. 5.

II. Sed notate diligenter verba Sancti Evangelistæ. Sic enim ipse ait : *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* Sicuti ergo hic per gressum Domini & Salvatoris nostri, denotatur mansuetudo cæteræque virtutes, quibus CHRISTUS tanquam verus Rex graditur ante nos, præeundo nos exemplo suo, ut sequamur ejus vestigia, sic etiam Regium est, & Principe haud indignum ut gradiatur ante populum, qui ipsum sequi ejusque exemplum imitari possit. Princeps ille Abimelch cum oppugnare vellet turrim quandam excelsam beneque munitam quæ erat in media civitate Thebes, in qua quidem turri ad mille virorum fortium erant inclusi qui se in illa defenderent, quidnam fecit ? Cum omni populo suo ascendit in montem, & arrepta securi, præscidit ramum arboris, quo humeris suis imposito, sic ait ad socios. *Quod me videritis facere citò facite* : ait ergo sacer textus ulterius. Igitur certatim ramos arboris præcidentes sequebantur. *Ducem & præsidium incenderunt.* Ex hoc exemplo id conjicimus, officium esse Regum, & Principum, ut gradiantur ante populum : hinc enim fit, ut omnes homines trahant ad sequelam sui.

Judic. 9. v. 49.

III. Simile quid legimus Judicum 7. capite, de præclarissimo illo Duce Gedeone. Instabat ipsi maximum bellum cum Madianitis quorum tanta erat multitudo, ut eam sacra historia, locustarum multitudini comparere non dubitaverit. Sed quid Gedeon ? Contra tantum exercitum trecentos saltem viros, cum tubis & lagunculis ex adverso posuit dicens : *Quod me facere videritis, hoc facite. Ingrediar partem castrorum, & quod fecero sectamini.* En quantum momentum rei in exemplo Ducis : personante ipso sua buccina, & lagenam confringente in qua erat lampas abscondita, dum idem fecissent alii, absque armis hostes prostraverunt. Sanctus Sigismundus utramque eorum duorum Principum figuram in se adimplevit ; primi nempe Abimelech : non postremus enim erat inter Reges qui præsciſum ramum arboris, nempe crucem Domini in corde suo portaverunt, hic autem portavit quoque in corpore, quia vitam suam finivit per martyrium. Secundi nempe Gedeonis, quia tuba fidei personante, & lampade charitatis lucescente, toti mundo intonuit. *Ecce Rex graditur ante vos*, & quidni sequamur vestigia ejus ?

Judic. 7. v. 17.

IV. Est quidem verum Regibus deberi constantiam animi ; mutabilitatem verè mentis majestati status sui esse contrariam. Unde ait Ecclesiastes cap. 10. *Væ tibi terra, cujus Rex puer est.* Quod non intelligitur de ætate sed de moribus : multi enim fuerunt, & sunt qui in ætate adolescentiæ suæ ad gubernacula regnorum assumuntur. Qualis erat Rex Salomon, Joas, cæterique : qualis ætate nostra invictissimus Leopoldus Imperator Romanorum, nec non Rex Hungariæ, Boëmiæ, cæterarumque terrarum : sed de his qui inclinationem puerilem sequuntur, de quibus Hugo Cardinalis : *Nihil corruptioni, & mutabilitati paratius ætate puerili, quæ pro piro, vel pomo, omnia concedere, vel negare, offendi vel placere paratissima est.* Nihilominus teste Sancto Gregorio Nazianzeno, firmitudo Regia mentisque stabilitas, non in eo sita est, quod Rex uno fixus loco, gravedinem potius marmoream, quam Regiam Majestatem repræsentet, sed potius ut solis imitetur naturam, quod utrumque prætactus Doctor expressit dicens : *Firma res est multis benefacere, etiamsi non sis loco firmiter affixus. Nisi etiam solem accuses, quod radium spargens circumcurrit & omnia vivificat quæ accendit.*

Eccles. 10. v. 3.

Hugo Card. Ibidem.

S. Gregor. Naz. Epist. 92.

V. Non immerito autor quidam laudabilis Pacatius in Panegyrico suo laudavit Theodosium Imperatorem hisce verbis usus : *Creber egressu, expectantibus populis te fateris, nec videri modo pateris, sed facilis adire è proximo accipis vota tuorum.* Nihil sane laudabilius in Principe, quam imitari solis præstantiam : hic enim cum sit tantæ molis, unde à Creatore universi vocatus est *luminare majus* : nihilominus tamen, id continuo peragit, quod de ipso refert Ecclesiastes dicens : *Oritur sol & occidit, & ad locum suum revertitur, ibique renascens gyrat per meridiem, & flectitur*

Pacatius in Paneg. Sap.

Gen. 1. v. 16.

Eccl. 1. v. 5.

flectitur ad aquilonem, lustrans universa in circuitu pergit spiritus. Vocat spiritum, quia secundum Divum Hieronymum, animat, vivificat & cunctis Beatis inspirat effectus suos: Talis debet esse Rex & Princeps, qui licet magnus sit majestate status sui, nihilominus motum solis imitari debet, ut aliis succurrat eisque benefaciat. Quin imo non solum Reges & Principes sed cuncti Christiani eundem solis motum imitari decet, ad quod faciendum Sanctus Sigismundus *Rex graditur ante vos*; ut quanta ipse fuit charitate in pauperes, quanta pietate in omnes, eam & nos amplecti studeamus, ut gratiâ CHRISTI JESU vitam cum illo æternam mereamur. AMEN.

S. Hieron.

IN FESTO S. SIGISMUNDI MARTYRIS, CONCIO II.

Vidit altitudinem suam in multitudine palmitum.
Ezech. 19. v. 11.

QUamvis hæc verba S. Prophetæ Ezechielis, non adeo in bonam partem prolata fuisse videantur; hic enim pro vinea in abundantia palmitum gloriante, intelligitur gloriosa illa civitas Jerusalem, quæ cum pace perfruens, videret se divitiis, & numerosa filiorum copia abundare, uti ait Venerabilis Hugo Cardinalis, tunc vidit altitudinem suam in multitudine palmitum, *Quando sublimata in regno, & divitiis, & populis multiplicata, sic se extulit contra Deum, ut nec ipsum revereri, nec Nabuchodonozor Assyriorum Regi debitum tributum pendere vellet*: ob quod deinde *Evulsa est terra, atque projecta.* At ego cum per illam vineam intelligam, non jam illam veterem, sed novam Jerusalem, descendentem de cœlo, nempe Ecclesiam Christi Domini & Salvatoris nostri, quæ inquam vinea, fundata est in Christi sanguine, cujus botri rubent in vulneribus Martyrum, jam meliori omine, videt altitudinem suam, in multitudine palmitum suorum. Quid enim extulit eam Christi vineam, nempè suam Sanctam Ecclesiam, quàm sanguis Christi, veræ vitis, nec non botri purpurei suorum palmitum, nempe Sanctorum Martyrum? Refert prætactus Hugo Cardinalis quandam historiam de quodam Rege, qui cum non posset turrim quandam construere, & in excelsum erigere, ei dictum fuisse, nullo modo eam turrim ædificari, & consummari posse, nisi esset aspersum fundamentum, sanguine hominis sine patre. Sanguis sine patre, cujus alias est, nisi unigeniti Dei Patris filii? qui factus homo sine patre, primus fundamentum Ecclesiæ suæ, sanguine suo pretiosissimo conspersit, si igitur eo modo vineam suam stabilivit, quid mirum quod tanta palmitum multitudine exornata, in sublime crescat & in altitudinem elevetur? E numero talium palmitum, unius hodie Sancta mater Ecclesia solemnem recolit memoriam, nempe Sancti Sigismundi Regis & Martyris, nec non Patroni singularis, inclyti hujus Regni Boëmiæ. Hic palmes quam in altum se extulerit, in hac concione audiemus.

Hugo Card. in Ezech.

Apocal. 21. v. 2.

Hugo Card. Ibidem.

I. Videre altitudinem in multitudine palmitum videtur mihi paradoxum. Dicant hortulani, aut vinitores si quid aliud norunt; ubi sunt multæ & densæ arbusculæ, in altum crescere nequeunt, quia una impeditur ab altera, quod ne fiat, aliquæ exscindi solent, ut cæteris majus spatium crescendi, majorque libertas in altum se erigendi dari possit. Sed modicum Auditores: Sicuti per vineam, intelligenda est Christi Ecclesia, ita etiam per palmites intelligendi sunt fideles Christi populi, videre ergo altitudinem vineæ in multitudine palmitum, est videre altitudinem Sanctæ Christi Ecclesiæ in multitudine suorum filiorum: multitudo densorum palmitum non sinit in altum crescere vineam, unde superflui amputari solent, è contra verò multitudo palmitum spiritualium nempe fidelium populorum, eo magis vineam Domini, altitudinem suam videre facit. Audi-

stis aliquando, qualenam Dominus Deus dederit promissum Abraam Patriarchæ? ait sacer textus Gen. 15. eduxisse eum foras eique dixisse:
Gen. 15 v. 5. *Suspice cœlum & numera stellas si potes, & dixit ei sic erit semen tuum.* Simile quid legitur ejusdem libri 22. capite, in quo recensetur, quod postquam sufficienter probasset ejusdem Patriarchæ obedientiam, filium suum Isaac ad mandatum ejusdem immolare volentis, idem
Gen. 22. v. 16. ei his verbis promisisse dicens: *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & veluti arenam, quæ est in littore maris.* Ecce quot promittuntur palmites viti Abraamiticæ, quot cœlum stellas, & quot littus maris habet arenas. *Sic erit semen tuum.* Quid putatis si una vitis haberet tot palmites quot sunt stellæ cœli, aut quantum est arenæ in littore maris, impossibile est, ut tantam illorum multitudinem sufferre posset, multo minùs in altum possent crescere, quia humor ille radicalis, non sufficeret omnibus abundanter. Secus est de gente humana ab Abraamo descendente, hujus enim propagatio licet stellis cœli, & arenæ maris comparetur, hoc tamen non obstante, coram eodem Patriarcha Dominus protestatus fuit dicens:
Gen. 17. v 6. *Faciam te crescere vehementissime, & ponam te in gentibus, regesque ex te egredientur*, non pusiones parvi, non homunciones, sed Reges, altitudinem cedrorum sua majestate attingentes.

II. Progenies tam alta Abraami Patriarchæ quid erat aliud, quàm figura novæ legis, in qua licet tot sint palmites veræ vitis, nempe
Ioan. 15. v. 1. CHRISTI DOMINI, in copioso tamen illorum numero, nihil aliud visitur, nisi sola magnitudo & altitudo. Nihil novi; quin illud mirum est, quod adnotavit Sanctus Marcus Evangelista capite 8. Cum CHRISTUS DOMINUS unâ cum suis discipulis venisset Bethsaidam, adduxerunt ei cœcum & rogabant ut illum tangeret. CHRISTUS DOMINUS tanquam benignus & misericors, non erat contrarius, quin imò apprehensa manu ejus, eduxit eum extra vicum, & expuens in oculos ejus, impositisque manibus suis, interrogavit eum si quid videret, qui aspiciens ait: *Video ho-*
Marci 8. v. 24. *mines velut arbores ambulantes.* Quænam hæc in oculis cœci hujus metamorphosis, quod post sputum à Christo factum nec non impositionem manuum suarum, viderit homines velut arbores? Solent à magis & præstigiatoribus quædam fieri, quæ homini rem aliquam intuenti, aliud quam ipse se videre putet, repræsentent: absit ut id de CHRISTO Domino, quia est *via, veritas & vita* sentiamus.
Ioan. 14. v. 6. Unde cur post illud sputum, & impositionem manuũ cœcus ille, viderit homines in similitudinem arborum ambulantes, Venerabilis Beda eam causam reddit dicens: *Is qui curabatur, videbat homines velut arbores ambulantes, hoc est formam quidem corporum inter umbras aspiciens,*
Ven. Beda. *sed nulla membrorum lineamenta, visu adhuc caligante, discernere valens, quales condensæ arbores à longe spectantibus, vel certè in luce nocturna solent apparere, ita ut facile arbor an homo sit non possit dignosci.* Sed Venerabilis Hugo Cardinalis
Hugo Card. profundius hoc mysterium penetravit: ait enim, CHRISTUM, per illud suum sputum exprobrasse peccata, per impositionem verò suarum manuum, designasse conjunctionem naturæ divinæ cum humana, postquam visi sunt homines in statura arborum, quæ altæ sunt & frugiferæ.

III. Ante adventum CHRISTI Domini homines parvi erant despicabiles, Zachæi statura pusilli figuram præferentes, ast ubi post adventum illius in arborem cum eodem ascenderunt, tanquam gigantes facti sunt magni, & toti mundo conspicui. Refert Sanctus Lucas
Luc. 6. v. 12. Evangelista 6. capite; CHRISTUM Dominum ascendisse quadam vice in montem cum discipulis suis, ibidemque in oratione pernoctasse; quidnam hac actione sua CHRISTUS Dominus demonstrare volebat, numquid semel tantum oravit in deserto, aut in locis campestribus? ad quid illa vice oraturus in
Matth. 21. v. 31. montem ascenderat? Ego hic singulare mysterium invenio; CHRISTUS Dominus in aliquot Evangeliſtarum locis, se plantatorem vi-
Luc. 20. v. 9. neæ appellavit: vineæ ubi permittit loci commoditas solisque accessus, plerumque in collibus coli solent, ascendit ergo in montem, ibique volens plantare vineam suam in oratione pernoctavit. Hi enim qui plantant vineas, uti & cæteri qui aliquid operis faciunt, prosperum laboris sui successum, ab oratione, & auxilii Divini invocatione auspicari solent: oravit ergo & CHRISTUS in illo monte, pro successu vineæ suæ quam plantabat: cum enim ibi testante Venerabili Beda
Beda in Luc. 6. Presbytero, magna cum CHRISTO fuisset disci-

discipulorum multitudo, ex illa elegit duodecim Apostolus tanquam majores palmites de quorum magnitudine testatur Divus Ambrosius dicens: *Omnes magni omnes sublimes montem ascendunt.* Et tandem dum ex eadem multitudine teste Sancto Luca 10. capite. *Designavit & alios septuaginta duos*, tempore succedente, in tantum eam vineam suam dilatavit, ut verè de illa dici possit. *Vidit altitudinem suam in multitudine palmitum.*

S. Ambr. Lib. 5. Comm. Luc. 10. v. 1.

IV. Hujus vineæ palmitem se exhibuit Sanctus Sigismundus Martyr Domini, erat palmes altus, non solum ob altitudinem natalium, nempe quod ex stirpe Regia progenitus, regnum Burgundiæ administraverit, sed etiam fuit altus, virtutis altitudine: dantur enim multi palmites alti, qui tamen nullos botros habent, hic vero palmes nempe Sanctus Rex Sigismundus, verè fuit ex vinea CHRISTI Domini, quia in tantum fœcundus erat in botris martyrii sui, ut è prælo passionis suæ, magnam Boëmis suis, vini expresserit abundantiam, *ut sanguinem uvæ biberent meracissimum.* Agite tanti Patroni vos clientes, libenter gloriamini in ipsius patrocinio? imitandæ igitur sunt ipsius sacræ virtutes, hodierna die propinat vobis mustum sui martyrii, propinat vobis poculum seu calicem passionis CHRISTI, hodie salutat vos hisce Canticorum verbis: *Bibite & inebriemini charissimi*, placet iste potus? accedit ad veram vitem hujus vineæ, quæ est crux Salvatoris nostri Jesu Christi, & sic appetitu vestro non fraudabimus.

Deut. 33. v. 24.

Cant. 5. v. 1.

V. De cruce CHRISTI Domini sic testatur Sanctus Ephrem dicens: *Vitis vera æstimanda est crux, quæ optimum vitæ nostræ racemum generavit.* Certè crux Salvatoris nostri, est vera vitis: *vitis* enim ut Varroni placet, ab *Invitando* dicitur, eo ipso enim quo crux hominem ad laborem invitat, & ad pœnitentiam, eundem quoque ad æternam beatitudinem, ad Angelorum, aliorumque sanctorum felicissimam societatem, ad gloriosam denique Dei visionem invitat. Crux vitis dicitur, quia arbor est fertilissima, cum tot filiorum fecundissima mater existat, quot hodie animæ una cum Sancto Sigismundo Martyre, in cœlis glorioſe regnant. Crux vitis appellatur: *vitis* enim à *vi tenendo* dicitur, quia quoties homo sanctus, illi alligatur, tantâ ipsum delectatione afficit, ut illum nisi cum damno vitæ suæ nullatenus deserere possit. Et tandem teste Petro Berchorio, *vitis avidissime crescit ideoque ad altissimas summitates arborum aliquando scandit.* Non miror ergo Sanctum 12. Prophetam Ezechielem de vinea Domini prophetasse. *Vidit altitudinem suam in multitudine palmitum.* Quamobrem Auditores Charissimi, si & nos palmites Domini censeri & fructum suæ vineæ capere cupimus, adjungamus nos veræ viti CHRISTO JESU, qui vivit æternùm. AMEN.

S. Ephrem. Varro. Berchor. Moral. lib.

IN FESTO S. SIGISMUNDI MARTYRIS, CONCIO III.

Certamen forte dedit illi ut vinceret. Sap. 10. v. 12.

CUpienti mihi in hac solenni memoria S. Sigismundi Martyris, laudes ejusdem pro viribus meis celebrare, metuo, ne idem de me dicatur, quod olim cuidam ædificatori objectum erat verbis ejusmodi. *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Fundamentum quidem satis pulchrum est, quod posui, sed utrum illud perficere potero, id ignoro. Legimus enim in vita hujus Sancti Regis, quod cum à Clodomiro Rege Francorum bello lacessitus depugnaret cum eodem, fusis fugatisque copiis exercitus sui, ab eodem captum unaque cum conjuge filiisque capite plexum fuisse, unde processus pugnæ suæ themati quoque à me assumpto multùm contrariari videtur. *Certamen forte dedit illi ut vinceret.* At si inquirere voluerimus, de quonam originaliter hæc verba prolata fuerint, Sancto quoque Sigismundo Martyri, valdè oportune poterint convenire. Dicta quippe sunt de S. Jacob

Luc. 14. v. 30.

Jacob Patriarcha veteris testamenti; qui licet (exceptâ luctâ quam habuerat cum Angelo) nunquam cum aliquo pugnaverit, nihilominus certamen quoddam habuisse dicitur, & in illo magnam obtinuisse victoriam. Quidnam illud esset, respondet Venerabilis Hugo Cardinalis dicens: *Certamen forte dedit illi, id est patientiam, ut vinceret, & haberet coronam, quæ victoribus est promissa.* Qua de re testatur luculenter S. Jacobus Apostolus dicens: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Si ergo S. Jacob Patriarcha ob solam patientiam, nempe quod iram Esau fratris sui æquo animo tulerit, obtinuit coronam vitæ, jam hic Sanctum Martyrem Sigismundum pluras coronas meruisse, in hac concione audiemus.

Hugo Card. in 10. cap. Sapient.

1 Epist. S. Jacobi Ap. v. 12.

Plinius.

I. Pro uti illi Romani veteres teste Plinio, diversas coronas pro diversitate meritorum distribuere solebant, alia enim erat triumphalis, quæ dabatur Imperatoribus de hoste suo triumphantibus, alia obsidionalis, quam ab obsidione liberatis offerebant, alia muralis quam concedebant illis, qui primi hostium ascendebant muros, & in eis insignia sua collocabant, alia castrensis, quæ donabatur ei, qui primus in castra hostium irrumpebat, alia navalis, quæ dabatur ei, qui primus navem hostilem invadebat: eodem modo & ego non una sed pluribus coronis pro diversitate certaminum S. Sigismundum honorare possum. Neque hic aliquid novi promitto. Nam apud cœlestes cives, variantur nobilitatum insignia ne quis careat gloriâ. sed, ut juxta D. Paulum, alia sit claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. Et ubi est multitudo magna, & innumerabilis triumphantium, sint etiam aliqui selectiores, regio splendore fulgentes. Equidem omnes Sanctos spectat cœlum, sed non omnes spectat corona eadem in cœlo: sunt enim apud cœlicolas varia & distincta nobilitatum stemmata, juxta varia merita singulorum, alios decorat regale Diadema, alios verò alia decorant. Sic latroni in cruce converso dixit Dominus: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Verùm Divo Petro dixit: *Tibi dabo claves Regni cœlorum.* Non idem datur utrique nobilitatis insigne, sed alteri offertur requies Paradisi: alteri vero Regia potestas in cœlis conceditur. Quod expendens Divus Ambrosius ait: *Is qui sub ictu mortis convertitur, & confitetur Dominum Jesum, meruit incolatum Paradisi: qui verò multò ante se exercuit, & Christo militavit, acquisivit populorum animas.* Et paulò post ita concludit suam sententiam. *Ex latrocinio conversus requiem habet, in Apostolatu probatus, accipit potestatem.* Hoc pro fundamento posito, si de meritorum diversitate Sancti Sigismundi aliquid nosse vultis, primum illud est quod ait Ecclesiasticus cap. 31. *Beatus vir qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia thesauris. Quis est hic & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua.* Quid sibi vult tantus applausus Salomonis? Ergonè totum hoc miraculum, tota gloria, & beatitudo hominis in eo sita est, quod aurum contemnat? ita sane est, si ex affectu & amore CHRISTI contemnatur. Ardens ille CHRISTI amator Petrus pauperi stipem postulanti sic respondet. *Argentum & aurum non est mihi.* Quid ais Petre? sic tuam penuriam publicas? Solent homines & quas non habent pecunias ostentare, ut gloriam captent popularem, cur tu ita te dejicis, ut aperta voce aurum te non habere prædices? an hoc non tibi in gloriam putes: Absit, imò inde bonus CHRISTI amor, magis gloriatur, quia glorioſa est paupertas in his qui CHRISTUM amant, juxta illud Divi Ambrosii dicentis: *Petrus gloriatur, quod non habeat argentum, neque aurum, vobis pudor est, minus habere, quam cupitis? est ergo pauperies gloriosa, quia est & beata de qua scriptum est. Beati pauperes spiritu.* Talium è numero erat Sanctus Sigismundus, verè post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris. Cum enim regnum Burgundiæ obtineret, non erat sanè indigus auri vel argenti, illud tamen totum, quod habuit, aut habere potuerat, amoris divini studio contemnebat. Sed ecce dum Regiam coronam suam prosternit ante pedes Jesu, binam invenit in cœlis.

D. Ambr. Epist. 19.

Eccles. 31. v. 8.

Actor. 13. v. 5.

S. Ambr. lib. 7. in Lucam.

1. Cor. 15. v. 41.

Luc. 23. v. 43.

Matth. 16. v. 19.

II. Utramquè videre placet? Primam quæ datur Sanctis Martyribus, Sanctum quoque Sigismundum accepisse nullum est dubium, prout enim Sanctus iste, inter Sanctos cæteros, singulariter venerari solebat Sanctorum Martyrum memorias, sed præcipuè Thebæorum, quorum Ducem Mauricium mirificè coluit, ejusdem templum nec non monasterium

sterium injuriâ temporum pene desertum magnificentius extructum, amplissimis redditibus locupletavit : ita etiam ad horum Martyrum tumulum frequenter accedens atque supplicans, ut in eorum societatem ipsis exorantibus à DEO reciperetur, hanc postulationem suam Dominus exaudire dignatus est. Cum enim in Burgundiam Franci irrupissent, & Sigismundus unâ cum Gondemare fratre suo illis occurrisset, tandem fusus ab hostibus, postquam devenerat in Clodomiri potestatem, abductus ejusdem jussu in Gallias, atque in carcerem primò conjectus, mox etiam in puteo unâ cum uxore & liberis, præceps est datus, cujus sacri corporis reliquiæ, cum post triennium ad Agannense templum delatæ, in eodem jacuissent, tandem à Carolo Quarto Imperatore Pragam advectæ ibidem glorioſum tumulum invenere.

III. Quod concernit alteram coronam, eam ex altero nempe spirituali martyrio obtinuit. Sed quodnam illud? Quidnam Rabanus dicat, audite. *Vere martyrii genus est voluntaria paupertas. Quid enim mirabilius, aut quod martyrium gravius, quàm inter epulas esurire, inter vestes algere, paupertate premi, inter divitias, quas ostendit mundus, quas offert malignus, quas desiderat noster appetitus.* Certè non gratis addidit Ecclesiasticus : *Qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia & thesauris, hunc fecisse mirabilia in vita sua* : Nihil enim est in mundo, quod hominem ita illaqueatum reddat, ac convinctim teneat, quam auri cupido. Adolescenti cuidam Matth. 19. in Decalogo Domini nihil fuit difficile quod observare non posset ; at cum audivit sibi à CHRISTO dici ; *Vade, vende quæ habes & da pauperibus* ; ait sacer textus: *cum audisset autem adolescens verbum, abiit tristis* ; *erat enim habens multas possessiones.* Et quid Christus abeunte illo ait? *Facilius est camelum, per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum cœlorum* Quam Domini sententiam rependens Sanctus Doctor Ecclesiæ Hieronymus ait : *Hoc dicto ostenditur, non difficile esse, sed impossibile. Si enim quomodo camelus non potest intrare per foramen acus ; sic dives non potest intrare in regnum cœlorum ; nullus divitum salvus erit.* Ita difficile est hominem divitem salvari ; ut illius salus ex solo ordine divinæ potentiæ dependeat.

Rabanus in Eccles.

Matth. 19. v. 21.

Ibid. v. 22.

S. Hieron. Hic.

IV. Progredior ulterius Auditores & dico, divitias ita obfuscare animam possidentis, ut rarò in unâ eademque personâ inveniantur, virtus, & divitiæ, dicam clarius. Adeo difficile est divitem avarum, conscientiam suam sine peccato conservare liberam, ut quasi id impossibile videatur. Non ego id ajo, sed est expressa Spiritus Sancti sententia : *Si dives fueris, non eris immunis à delicto.* Id vobis probo taliter. Cum quadam die venissent filii Dei ut assisterent coram Domino, adfuit inter eos etiam Satan, ad quem ait : *Nunquid considerasti servum meum? quod non sit ei similis in terra? homo simplex & rectus, & timens Deum.* Postquam Satan audivit tot Jobi præconia, quid ad id? sic respondit : *Nonne tu vallasti eum ac domum ejus, universamque substantiam per circuitum?* Plerique expositores hujus textus, uti est Hugo Cardinalis, dicunt : Satanam per hæc verba ostendere voluisse, Job non esse commendabilem, *quia tot bona in terra recepit. & ideo non est mirum si innocenter vivit.* An eruditus autor Pineda, aliud perpendit in eo responso Satanæ, nempe in verbis illis latuisse quandam diffidentiam de bonitate illius Patriarchæ Job, idque propter illius divitias. Verba sunt autoris: *Quasi contendat, fieri non posse, ut tanta sanctitas, quanta de Iob prædicatur, cum tanta divitiarum copia bene consentiat.* Unde dum ait : *Nonne tu vallasti eum ac domum ejus* ; idem est dictu, facile potest labi in peccatum, cum abundet tot divitiis.

Eccles. 11. v. 10.

Iob. 1. v. 10.

Hugo Card. Hic.

Pineda in Iob.

V. Quin imò non solùm multæ divitiæ sed etiam satis exiguæ, possunt avertere hominem à Deo. Habetur quippe scriptum Genes. cap. 28. Qualiter Jacob Patriarcha, fugiens indignationem sui fratris Esau, habitaque in somnis admirabili visione scalæ, supra quam ascendebant Angeli & descendebant, votum præstiterit Domino dicens : *Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum* : & pauca post tandem ait : *Erit mihi Dominus in Deum.* Quidnam putatis, petiit Sanctus Jacob? numquid aurum, vel argentum, num pretiosas margaritas, aut mundi hujus divitias? minimè verò, sed parum panis ad manducandum &, vestem vilem ad se cooperiendum, & tamen ne ob eam quoque parvam substantiam, contingeret eum negare Deum, ad hunc finem votum emisit Domino. *Erit mihi Dominus*

Gen. 28. v. 20.

minus in Deum. Unde pulchrè S. Hieronymus: *Quid dicturus est avarus, si Iacob divitiarum causa periculum idololatrandi timeat.* Quis ergo non videat Sancti Sigismundi Regis certamen fuisse fortissimum, qui cum auro, argentoque abundaret, totum id amore pauperis Christi contempsit; sed jam dives opum cœlestium, duplici coronâ redimitus, regnat cum Christo in cœlis.

S. Hieron.

AMEN.

IN FESTO S. SIGISMVNDI MARTYRIS, CONCIO IV.

Sicut divisiones aquarum; ita cor Regis in manu Domini. Prov. 21. v. 1.

SI cor Regis ita se habet in manu Domini, sicut divisiones aquarum, parvam Sanctus Sigismundus Rex Burgundiæ, cujus hodierna die solennis occurrit memoria, à me acquiret laudem. Nam Creator universi DEUS uti habetur in Genesi, cum omnia à se producta approbasset, solam divisionem aquarum non approbavit, cujus rei, reddit causam Sanctus Hieronymus dicens: *Propterea secundus dies, Dei sententia non comprobatur, quia unitatem aufert, & divisionem facit.* Ad id, tunc vel maxime aquæ dividuntur ab invicem, dum fluctus à ventis excitantur, tunc enim bella quædam in mari exoriri videntur, aquæ in montes exurgere, ab invicem dividi, & deinde simul concuti quasique depugnare. Et hæ duæ proprietates non conveniunt Regibus. Hi enim divisiones fieri in regnis suis non sustinent. Hinc dixerat quondam Alexander Rex Macedonum. *Nec duos soles cœlum, nec duos Reges unum regnum admittere posse.* Deinde fluctus marini, mobilitatem cordis, & instabilitatem mentis denotant, quæ Regis Majestati non conveniunt. At eruditus quidam sacræ scripturæ commentator Salazar, hæc verba Proverbiorum Salomonis, juxta sententiam plurium Doctorum, ita legit: *Sicut pelagi aquarum, ita cor Regis in manu Domini.* Pulchra Regis comparatio cum pelago. Deus etenim Creator universi, de quo habetur Proverbiorum 8. *Legem ponebat aquis ne transirent fines suos*; eandem quoque & mari posuit, ut quamvis plurima admittat flumina, quæ intrant in mare, ipsum tamen non redundat, sive quamvis à ventis, quoque versus impellatur, nihilominus observat legem sibi datam, ne transcendat fines suos

Gen. 1. v. 6.

S. Hieron. in Gen.

Curtius.

Salazar.

Proverb. 8. vers. 29.

Eccl. 1. v. 7.

Eodem modo Principes Regesque orbis, qui cor suum reponunt in manu Dei, semper Divinas leges habent præ oculis, quæ ipsos extra limites excedere non permittunt: at verò, qui in manibus adulatorum, quibus aulæ plenæ esse solent, & fœminarum callide blandientium, cor suum reponere malunt, hi fluctuum maris evitare incommoda non possunt. Id sanè acciderat Sancto Regi Sigismundo, quod mox vobis proferam, futurum tamen non vituperium tam Sancti Regis, sed in laudem, & cautelam cæterorum.

I. Non me pœnitet dicti, ubi protuli, in aulis & mundialium Regum curiis nihil ita dominari, quam adulatorum mendacia, & inanes gynecæi nænias, quæ pluris æstimantur, quàm virorum oracula, quia id quod dixi, multis verisque argumentis probare valeo. Inprimis 3. Regum 22. capite, nescio quisnam ille egressus fuerit qui Regem Achab se decepturum promiserat, & modum deceptionis suæ, explicaverat dicens: *Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus.* Cui statim divinum responsum accinit his verbis: *Decipies & prævalebis.* Undè id dicit Dominus, quod illa deceptio certa fore debuerit? Nonne posset fieri, quod Rex dictis illis fidem non haberet? Adeo efficax est in curiis Regum, & in aulis Principum mendacium, ut vel sola illius notitia ad prævalendum sufficiat, qua de Thomas Cajetanus sapienter ait: *Manifestat Deus efficaciam hujus medii, nempe mendacii in curia: & hoc officium mentiendi, usque adeo versatur in curiis, ut Diogenes diffinierit; curiam esse locum ad decipiendum & prævalendum.* Nullibi majores vires habet mendacium, quàm apud aulicos & curiales: non ita excrescit ignis in medio palearum, prout mendacium serpit &

3. Reg. 22. vers. 22.

Ibid.

Cajetanus.

prævalet apud Principes mundiales. Pulchrum hujus rei exemplum accipite. Princeps Apostolorum Petrus, quàm magnus erit veritatis amator, qui existens cum orante Domino in horto, toti illi satellitum exercitui opponere se non dubitavit: sed ecce tibi, quàm primum intravit atrium Principis Sacerdotum, ad verbum unius ancillæ negavit CHRISTUM: quænam hæc mutatio, qui ante leo, postmodum lepore timidior? Respondet Sanctus Chrysostomus dicens: *Negat in domo Caiphæ: ibi negat, ubi potest valere mendacium.* Forsitan non negasset, nisi fuisset in domo Principis, in qua nihil aliud inveniebatur, nihil aliud vendebatur, nisi sola mendacia: quod egregia similitudine Oseas Propheta expressit dicens: *In malitia sua lætificaverunt Regem, & in mendaciis suis Principes. Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus à coquente.* Ea est conditio succensi clibani, quod si illi injiciantur ligna solida, non statim flammam concipiant, sed paulatim ignis ille crescit, & cum quadam reluctatione procedit, si in succensum clibanum projicia, tur seu stupa seu palea quid fit? Mox evomit flammas sursum, quæ videntur ad cœlum usque ascendere. Omnes ergo Reges, & Princpes sunt velut clibani, dum enim succenduntur aliqua passione seu cupiditate, si aliquis, auribus suis injiciat aliquam paleam adulationis & mendacii, eam statim admittunt, & in immensum pascuntur rebus inanibus, verum si aliqua seria, solida & vera immittas, ea non admittunt, sed rejiciunt.

Luc. 22. vers. 17.

S. Chrysost. Serm. 2. de Pass. Dom.

Osa. 7. v. 3.

II. Recolamus Pilatum CHRISTI Domini Judicem, dum ante ipsum staret Dominus, dabat ipsi Præses diversas quæstiones. Utrum esset Rex Judæorum? quidnam fecerit? Cur traditus fuerit? & sic aliquamdiu loquebatur cum Jesu: sed postquam audierat CHRISTUM differentem de veritate, & dicentem: *Ego in hoc natus sum, & in hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati*: audiens is venerandum nomen veritatis, ex ore; ait Joannes: *Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Iudæos.* Quidnam fuit tale, quod CHRISTUM segregavit à Pilato; Cur non amplius illi loquitur? Cur non diutius causam examinat? Cur se absentat à Domino? Nihil aliud erat in causa nisi ea Christi concio, quam habebat coram ipso de veritate; hæc est quæ ipsum expulit, & promovit ad Judæos plenos mendaciis; quia odio habebat veritatem, amabat autem mendacia. Ubi acute Divus Bernhardus ait: *Merito fratres, Pilatus reverberata facie protinus resiluit, & responsum non sustinens, egressus est ad Iudæos.* Non sustinent mundialium Principium flammæ, solida ligna veritatis; sed vel ab ipso illius odore, quasi reverberata facie resiliunt, & ad fabularum paleas convertuntur.

Joh. 8. v. 37.

D. Bern. Serm. 3. in Prov.

III. Simile quid in historia Judith invenio. Cum Holophernes appropinquaret Israëlitarum finibus, & ingressus ipsam terram, miraretur, quod Israëlitæ, non se exciperent cum veneratione & honore, sicuti plurimæ aliæ nationes, quin se ad bellum præpararent, scire cupit, quæ esset illa gens tam audax? Tunc Achior Ammonitarum Dux accepta facultate, incipit coram Holopherne magnalia Dei huic genti præstita prædicare, quoties DEUS hunc populum ab hostibus salvum fecerit, quemadmodum eum à servitute Ægyptiaca liberaverit, quot exercitus perditioni dederit, nec esse potentiam quæ DEO quem illi colunt possit resistere. Hæc dixit Archior multis verbis, & plurimis exemplis confirmavit. Sed quid tum? ait textus: *Et factum est cum cessasset loqui Achior verba hæc, irati sunt omnes Magnates Holophernis, & cogitabant interficere eum.* Similiter ait de ipso Holopherne: *Indignatus Holophernes vehementer dixit ad Achior.* Si resiliunt Principes mundi, cum solidas audiunt veritates. Quid plura? Non multum post Judith fœmina per militares copias transiens pervenit usque ad Holophernem, eique astans post mille conficta verba addit & hoc loqui: *Ego adducam te per mediam Ierusalem, & habebis omnem populum Israël sicut oves, quibus non est pastor; & non latrabit vel unus canis contra te; quoniam hæc mihi dicta sunt per providentiam DEI.* Quid hic Holophernes? *Placuerunt omnia verba hæc coram Holopherne, & coram pueris ejus; & mirabuntur ad sapientiam ejus.* Componite modo Achioris orationem, & Judith apud Principes Assyrios factam: ille solidissima Dei miracula proponit, insuper addit patentissima, triumphantium Israelitarum testimonia: Judith autem amphibologica

Judith 5. v. 26.

Judith 11. vers. 15.

logica quædam verba, & nullo fundamento confirmata, sed solum dicit sibi à Deo per summam providentiam fuisse insinuata: & nihilominus illa offendunt, hæc Principibus placent. Quid mirum? Clibani erant cupiditatum succensi flammis, & ideo à solido pabulo resiliebant, paleis vero adulatoriis adhærebant.

IV. Non longè ab hinc abest Zorobabelis multiplex argumentum, quorum uno probabat fortiorem esse omnibus rebus mulierem, altero autem, fortiorem esse veritatem. Dumque inprimis decantaret mulieris fortitudinem, ejus lenocinia, ejus carmina, ejus vires quibus subjicit sibi quosvis fortissimos Reges: ad hæc textus ait; *Et tunc Rex, & purpurati intuebantur in alterutrum*: Demirantes quippe tantum in mulieribus virtutem. Sed dum omissis Zorobabel fœminis, extollit supra illas vim veritatis, eamque fortiorem esse ostendens; quid fit? ait textus: Omnes populi clamarunt & dixerunt: *Magna est veritas & prævalet.* Expendite hoc: Ubi fortitudo fœminarum decantatur, ibi Rex & purpurati stupent: Ubi autem veritatis gloria prædicatur, ibi Rex silet, nec quidquam purpurati faciunt, nec se invicem intuentur, sed populi clamant, & extollunt veritatem. Hoc enim est aularum studium, resugere veritatem & amare mendacia. *3. Esdr. 4. vers. 33.*

V. Sed quid vos tot exemplis detineo, cum domesticum habeamus. Id est, quod me de S. Sigismundo Rege promiseram dicturum: habebat hic Rex filium Sigericum, contra quem cum noverca sua odium quodpiam concepisset, impia sua persuasione Sanctum Regem permovit ad necem filii. Quid fit? Cor Regis in manu mulieris, Sigericum enim filium vino inebriari, & laqueo collo injecto suffocari fecit. O Syrenum cantus quàm procul esse debetis ab auribus Principum. O felicem Regem qui claudit portas coram adulatorum mendaciis, illum inquam felicem cujus cor in manu Domini. Hoc quidem Sancti Sigismundi Regis factum non amplius illi parit ignominiam, quin potius summam laudem, secutus enim erat ob homicidium Uriæ Davidem Regem pœnitentem, nam ad tumulum Sancti Mauritii Martyris sociorumq; quem magnis sumptibus erexerat, in terram provolutus casum hunc uberrime deflevit veniamque à Domino per intercessionem ipsorum impetravit. Nihilominus emergit hinc cautela cunctis necessaria, ut inania mundi lenocinia & mendacia fugiamus, & puram veritatem sectemur, hæc enim sola vicinia est æternæ vitæ, quam nobis per gratiam suam largiri dignetur Christus Jesus qui est æterna veritas.

AMEN.

IN FESTO S. PROCOPII ABBATIS,

CONCIO I.

Narrabimus mirabilia tua. Psal. 74. v. 3.

MAgna est omnipotentis Domini Dei nostri liberalitas, Auditores præstantissimi. Cum enim uni soli competat patrare mirabilia (unde hæc præsentia verba Sancti David dicentis: *Narrabimus mirabilia tua*, ad ipsum solum spectant.) Ille enim est hic, qui tot in cœlo fecit mirabilia: primò quod ipsam machinam, ex nihilo, & tamen adamante solidiorem fecerit, & ita capacem lucis, ut quasi per fenestras cujusdam domus, luminaria cœlestia videre possimus: deinde quod illud cœlum spiritibus Angelicis, sanctisque civibus suis impleverit. Idem fecit tot in terra mirabilia, quam vestivit floribus, ditavit arboribus, replevit diversis speciebus animalium, & tandem homini inhabitandam dedit. Tot fecit mirabilia in Aquis juxta illud Ecclesiastici testimonium. *Qui navigant mare, enarrant pericula ejus, & audientes auribus nostris, admiramur illic præclara opera & mirabilia.* Nihilominus tamen, volunt & sanctos servos suos, mirabilium operum esse patratores juxta illud. *Mirabilis Deus in sanctis suis* Sic per Sanctum Moysen Patriarcham (ut præteream cæteros) multa fecit mirabilia. Nam de ipso scribitur Deuteron. 34. *Magnaque mirabilia fecit Moyses coram* *Eccles. 43. vers. 26.* *Ps. 67. v. 36* *Deut 34. vers. 12.*

coram universo Israël. At non minorem ejusdem liberalitatem videmus in novo testamento, quin imo multo majorem. Licet enim Moyses in lege veteri, cæteris Prophetis præstantior fuerit, unde Judæi Joan. 9. gloriantur. *Nos Moysis discipuli sumus.* Postquam tamen Dominus Prophetarum, incarnatus venit in mundum, omnis illa prior dignitas, & umbra futurorum cessavit, quia teste Sancto Johanne. *Lex & figura per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum.* Item, licet per Sanctos Patres veteris testamenti, multa mirabilia Deus patraverit, plura adhuc, per sanctos novæ legis patrare dignatus est. Quod nobis exemplo Sancti Procopii Abbatis, & Patroni magni regni Bohemiæ, evidenter patebit.

Ioan. 9. v. 28.

Hebr. 10. vers. 1.

Ioan. 1. v. 17.

I. Ob tale promissum quod protuli, minime subverebor Auditores præstantissimi, quia Sanctus Procopius magnus Patronus noster, facilem illi satisfactionem dabit. Dicetis forte: Ergone Sanctorum omnium novæ legis assumet partem, & solus in confrontatione veteris novæque legis, pro omnibus Sanctis respondebit? Certè ausim dicere, Sanctum Procopium, tot tantisque gratiis & miraculis, à Deo fuisse honoratum, ut ille unicus pro mille cæterorum esse videatur: faciam finem rei nec multa loquar si illum ad trutinam, & bilancem divinam assumpsero, & in ipsa collocavero, quia tunc dicam illud, quod olim Sancto Jacob Patriarchæ dictum erat. *Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis?* Illis tribus mirabilibus, quæ Deus patrare dignatus est, nempe in cœlo, terra, marique, à Venerabili Hugone Cardinali numeratis, adjungitur etiam quartum mirabile patratum in inferno virtute Christi Domini, qui resurgens à mortuis, tartareas confregit potestates, atque animas illas Sanctorum Patrum, è carcere inferni liberatas, secum deduxit in cœlum, qua de re extat Prophetia S. Zachariæ Prophetæ dicentis: *Tu quoque in sanguine testamenti, eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua.* Quæ prophetia licet ad literam intelligatur de liberatione Israëlis è captivitate Babylonica, nihilominus juxta aliam Glossam Hugonis Cardinalis, accipitur etiam pro inferno, sive limbo, è quo Christus Dominus, in sanguine novi testamenti, nempe proprio, sanctas illas animas liberavit. Hæc quatuor divina mirabilia, si præ oculis habere vultis, exemplar ipsorum probatissimum S. Procopius demonstrabit. Nam quod concernit cœlum, id nullus negare potest, ipsum à solo Deo mirabiliter, id est ex nihilo creatum esse, nihilominus in augmentatione & dilatatione illius, magnam S. Procopius adhibuit operam; neque id miremini, quod enim de Deo ait scriptura. *Extendens cœlum sicut pellem*, hoc idem de S. Procopio dici potest, nempe extendisse ipsum cœleste illud Palatium, multumque dilatasse. Sed quâ ratione? S. Vincentius Ferrerius explicat modum dicens, quod quò plures animæ, gloriam cœlestem ingrediuntur, tanto magis augetur cœlum. Neque hic aliquid novi. Si enim S. David dicens: *Cœli enarrant gloriam Dei*, tunc de S. Apostolis prophetavit: quin prædicatione S. Evangelii, futuri erant cœli subtiles per intelligentiam, alti per vitæ eminentiam, clari per bonam opinionem, rotundi per simplicitatem, scilicet non habentes angulos per duplicitatem, volubiles, per discursum ad prædicationem: eodem modo omnes Sancti & justi cœli dici possunt, hi præsertim qui Apostolica exercent officia, & de quibus dicitur Eccles. 34. *Timentis Deum beata est anima.* : hunc sequetur S. Procopium cœlum dilatasse. Licet enim à principio vitæ suæ solitudinis amore teneretur, nihilominus cum vulgata fama sanctitatis suæ, magni ad illum concursus fierent, intelligens id esse divinum velle, ne lateret, plurimos collegit, quos perfectioris vitæ studio incensos viderat, eosque exemplo vitæ suæ, in ea vitæ sanctitate instituit, ut eorum multitudine cœlum auxisse videretur.

Gen. 32. v. 28.

Hug. Card. in Ps. 74.

Zach. 9. v. 11.

Hugo Card. in Zachar.

S. Vincen. in Ierem. 2.

Ps. 103. v. 3.

Ps. 18. v. 1.

Hugo Card. Hic.

Eccles. 34. vers. 17.

II. Mirabilia quæ in terra fecit, quis enarrare queat? De Adamo primo parente nostro ait S. textus quod post peccatum, per esum vetiti pomi commissum, dictum sibi fuerit à Deo. *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ* Ubi S. Augustinus scribit in Commentario suo. Homini primo latam fuisse sententiam, ut qui in paradiso existens, deliciis fruebatur, postmodum ejectus ex eodem, quæreret panem in laboribus manuum suarum, nempe, ligone, aratro & vomere; sed neq; divites ab ea sententia immunes esse, qui licet non opus habeant, ut colant terram, nihilominus ob curas & sollicitudines quibus premi solent, ejusdem laboris spinarumque consortes esse censeantur, omnes

Gen. 3. v. 17.

D. August. in Comm. super Gen.

omnes ergo homines Deus colonos, & agricolas esse voluit. Unde S. Procopius eo mirabilior: hic enim ad culturam agri, non hominibus, sed Diabolis usus erat, nam ex corporibus humanis ejectos, & sub jugum missos terram arare faciebat, & flagello compellebat, uti adhuc talium colonorum signa visuntur. Si v. per terram, hominem accipiamus, & vere quidem, quia ex terra factus est, tot hic jam sanctus fecit miracula, quot convertit peccatores ad Dominum, qui informem terram, & vacuã divina gratia, vitæ suæ exemplo, nec non doctrina sacrarum scripturarum exornavit, & ad producendos fructus salutares adaptavit.

III. Quid dicam de aquis? non uno sed pluribus miraculis S. Procopius easdem illustravit. Legimus de Christo Domino, quod cum in Cana Galilææ præsens interesset nuptiis, in iisdem deficiente vino, præcepisse sex hydrias impleri aquâ, & sic vinum ex aqua factum, ad bibendum conviviis obtulisse. Hoc Domini miraculum, cum S. Joannes Evangelista adnotasset, sic ait in fine 2. c. *Hoc fecit initium signorum Ioan. 2. v. 11. Iesus in Cana Galilææ.* Quid fuit necesse S. Joanni, tale Christi miraculum, in tantum exaggerare? Resp. Venerab. Beda dicens: *V. Beda. Quia manifestavit hoc signo, quia ipse esset Rex gloriæ, & ideo sponsus Ecclesiæ, qui non ut homo communis veniret ad nuptias? sed quasi Dominus cœli & terræ, elementa prout voluisset converteret.* Si Christus Dominus, per illud miraculum tantum clarificatus erat, qualem jam gloriam S. Procopius promeruit, qui Udalricum Boemiæ Principem, à venatione fessum, aqua in vinum versa recreavit? non minus & illud insignis miraculi loco haberi potest, quod jam post mortem patraverat. Cuidam fugienti, & in magno vitæ discrimine posito, fluvius quo minus eum transire posset, erat obstaculo. Quid fit? Sancti Procopii implorat opem & ecce post preces, fluvius in glaciem vertitur, per quem dum homo ille pertransisset, rursus est in aquas dissolutus. Non minus & illud admirabile, quod Mennonem, ad suam processionem venire cupientem, scapha resoluta è ripa mirabiliter transvexerit.

IV. Tandem quod concernit quartum mirabile divinum patratum in inferno, de eodem etiam alter Propheta Oseas prophetabat *Oseæ 13. vers. 14.* dicens in persona Domini. *Ero mors tua inferne*, quem locum explicans Venerabilis Hugo Cardinalis, dupliciter accipit infernum. Primò pro ipso loco damnatorum, in quo æternas pœnas sustinebunt juxta illud; *in inferno nulla est redempto.* Taliter ergo Christum ait inferno morsum intulisse, quia post resurrectionem suam, electos ex illo eduxit, reprobos autem reliquit. Secundò accipit infernum pro Diabolo dicens: *Infernus est Diabolus, quem momordit CHRISTVS, ut potestatem amitteret, non ut penitus desisteret.* Quocunque modo infernum accipiamus, sive pro carcere æterno damnatorum, sive etiam pro ipso Diabolo, Sanctus Procopius, multa in utroque fecit miracula, nam perditissimos peccatores, ad frugem vitæ melioris, virtutumque amorem reducendo, ex barathro inferni extrahebat: tot fures qui per sua furta, inferni pœnas merebantur, ad ablatorum restitutionem cogebat, & tandem adamantina corda peccatorum, mirabili admonitionis suæ spiritu emolliebat, nec non infernalem concupiscentiæ ardorem, in lascivis & lubricis extinguebat. Si autem infernum accipiamus pro Diabolo, qui numerum morsuum Sancti Procopii, quos Diabolis infigebat inire potest? Eam enim Sanctus hic gratiam habebat à Deo, ut Dæmones quàm plurimos non solum è specu in qua habitabat, sed etiam è corporibus hominum ejecerit. *Hugo Card. in Ozeam.*

V. Addam & illud his quatuor mirabilibus non minus memorabile. Abbas quidam sui monasterii cupidus, quatenus tantum Patronus Regni Boemiæ, simulque fax splendidissima Ordinis sui sub Sancto Benedicto militantis, in album Sanctorum referri posset, Romam versus iter petiit, & ab Innocentio Tertio Pontifice, id cum summa diligentia postulavit, sed passus est repulsam, nec id quod petiit impetravit. Cum ergo prædictus Abbas nimium afflictarerur, tum ob tantum iter cum magnis impensis factum, tum ob sinistrum rei successum, jamque tristis abire incepisset. Quid fit? Sanctus Procopius Innocentio Pontifici in somnis apparuit & acrioribus baculo pastorali minis factis, severè admonuit, ut Abbatem ab itinere revocaret, & quantocius postulata exequeretur. Nec diutius cum summo Pontifice laborandum fuit, mox enim missis velocibus nunciis, qui Abbatem revertentem revocarent, & cum honore Romam reducerent: anno

salutis 1204, cum summa solennitate Sanctorum numero est adscriptus. O Sancte Patrone Boëmorum: quid in principio sermonis mei protuli, hoc jam eorundem nomine devotissime repeto dicens: *Narrabimus miribilia tua.* Prædicabimus laudes tuas. Tu fac sis Patronus noster, & intercede pro nobis ad Dominum, ut à peccatis liberati, gratiam Christi mereamur in terris, & in cœlis vitam sempiternam AMEN.

IN FESTO S. PROCOPII ABBATIS, CONCIO II.

Similem illum fecit in gloria Sanctorum. Eccles. 45. v. 2.

SAnctus Moyses Patriarcha & Dux Israelis, magnam in hisce verbis supra nominatis accepit commendationem laudis à spiritu Sancto Ecclesiastici 45. cap. dicente: *Dilectus Deo & hominibus Moyses, cujus memoria in benedictione est, similem illum fecit in gloria Sanctorũ.* Quid enim præstantius quid nobilius esse potest eo, qui diligitur à Deo, & hominibus? quid eo felicius, qui non solum placet per omnia Deo & hominib⁹, sed etiam laude est omnimoda dignus, & benedicendus ab omnibus? Accedit ad majorem laudem Sancti Patriarchæ, quod similem illum fecerit Deus in gloria Sanctorum. Quæ verba, qualiter intelligi debeant, varii autores varia proferunt. Quidam enim dicunt, uti est Hugo Cardinalis, & alter Lyranus, in eo fuisse Sanctis similem, quia apertam Dei visionem, & collocutionem dederat ei Dominus, sicuti Sanctis cæteris: aut similem Sanctis fuisse in operatione miraculorum & signorum, aut similem Sanctis fuisse in gloria, id est in claritate vultus, quæ ita resplenduit, ut non possent in illum respicere filii Israelis. Alii vero è quorum est numero Cornelius à Lapide, in hoc ajunt fuisse similem Sanctorum in gloria, quia similis erat Sanctis illis Patriarchis, qui illum præcesserant: verba sunt Cornelii. *Magna hæc est laus Moysis, quod tanta ejus sit gloria, ut gloriæ, & gloriosis factis donisque summorum Patriarcharum Abraam, Isaac, Iacob, æquiparetur.* Non putetis Auditores præstantissimi, me tale Moysis præconium, ausu aliquo temerario, Sancto Procopio Patrono Boëmiæ attribuisse. & in ejusdem laudes convertisse, quin imò feci id deliberate, & cum magno animi mei consilio, licet enim Sanctus Procopius non pervenerit (uti Moyses) ad visionem Dei, quæ post mortem Patriarchæ, jam non erat ita communis in usu, ut dicitur de Samuele Propheta, dum ei apparuisset Dominus. *Sermo Domini erat pretiosus in diebus illis, non erat visio manifesta*: nihilominus Sanctus Procopius, non in eo tantum accidit ad commendationem Moysis, quod intrinsecè per sacras inspirationes præsentiam Dei habuerit, sed etiam in hoc alio ipsum superabit, quia ille tribus Patriarchis, Abraam, Isaac, & Jacob, fuerat assimilatus, hic vero Sanctus, præter hos tres, ipsi quoque Moysi cæterisque Patriarchis comparari possit. Quod vobis in hac Panegyri probabo.

Eccles. 45. vers. 1. *Hugo Hic.* *Lyran. Hic.* *Corn. à Lap.* *1. Reg. 1. v. 1.*

I. Singulare in Sancto Abraam Patriarcha & proposito meo deserviens illud primum fuit, quod ad jussionem Dei, egressus fuerit de terra, & cognatione sua, & de domo patris sui, & iverit ad terram alienam sibi à Deo demonstratam. Sed expectate paulisper. Quot tunc Abraam annorum erat? Respondet Sanctus textus: *Septuagìnta quinq; annorum erat Abraam, cum egrederetur de Aran.* Quid autem est quod habemus Threnorum Jeremię Prophetę 3. cap. *Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua.* Abraam Patriarcha, cum jam esset septuagenarius & ultra, tum primũ egressus é terra sua ad aliam se contulit, à Deo sibi demonstratam, Sanctus autem Procopius, non expectabat senectutem suam, nam in adolescentia imbutus literis unâ cum pietate conjunctis, quàm primum sibi per ætatem licuit, mundum deserens, & sacerdotii potitus dignitate, mox deinde assumpto habitu Sancti Benedicti Patriarchæ, in monasterio Brennovensi, vitam religiosam egit. Hic Auditores præstantissimi, jacio inter vos aleam, date censuram, ferte judicium, quisnam ex hisce duobus

Gen. 12. vers. 4. *Thren. 3. vers. 27.*

duobus fuerit perfectior, Abraam qui in ſenectute, an verò S. Procopius, qui in juventute ſua præcepto vocantis Dei obedivit? Pro parte S. Abraami habeo tot patronos, multi enim ſanctorum Patrum, admirantur tam celerem, hujus Patriachæ reſolutionem, nempè quod pro illo tempore utcumque in grandi ætate, de terra ſua egredi, & alienam quam non noverat intrare debuerit. Sanctus Auguſtinus miratur Sanctum Abraamum dicens. *Quis hoc ſine fidei viribus audiret? levius probaretur ſi vel nomen loci, quo perrexiſſet audiret.* Sanctus Chryſoſtomus ſic ait. *Abraam cum ſimpliciter, ac indiſtincte audiſſet, in terram, non iſtam vel illam, ſed quam monſtra vero tibi, omnia merite circuibat, ac perluſtrabat.* Id eſt, paratus erat illuc ire, quocunque Deus eum ducere voluiſſet etiam per maria, & uſque ad fines terræ. Sed ego pro parte Sancti Procopii habeo illum adoleſcentem Matth. 19. & Lucæ 18. Hic convenerat quodam Chriſtum Dominum, dicens. Magiſter bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam. Reſpondit Jeſus. Mandata noſti? *Non occides, non Machaberis, non furtum facies; non falſum teſtimonium dices, honora patrem tuum & matrem.* Reſpondet adoleſcens. *Hæc omnia cuſtodivi à juventute mea.* Tunc quid Jeſus? *Adhuc tibi unum deeſt. Omnia quæcunque habes vende & da pauperibus, & habebis magnum theſaurum in cœlo, & veni ſequere me.* Quid ulterius ait ſacer textus? *His ille auditis contriſtatus eſt, quia dives erat valde.* Inter verba Salvatoris noſtri illud notandum eſt. *Adhuc tibi unum deeſt.* Licet cuſtodieris omnia mandata Dei, adhuc tibi unum deeſt, id eſt ut cuncta quæ habes vendas, & des pauperibus, meque ſequeris: ſi id feciſſet ille adoleſcens, quid putatis? certè nihil ipſi defuiſſet ad ſummam perfectionem. Talis erat Sanctus Procopius, cui ſacrum Matthæi Evangelium hoc accivit teſtimonium. *Ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te.*

S. Auguſt. Serm. 68.

S. Chryſoſt. Lib. 1. de Prov.

Matt. 19. verſ. 18. Luca 18. verſ. 20.

Matth. 19. verſ. 27.

II. De eodem Sancto Patre Abraam legimus Gen. 23 capite, quod ſepelire volens Saram uxorem ſuam, emerit in terra Chanaan ſpeluncam duplicem ab Ephron. Non abſimile quid legimus de S. Procopio, hic enim ſolitudinis amore captus, ſpeluncam S. ſanæ flumini incumbentem, larvis ac ſpectris obnoxiam, quam adire nullus audebat, magno animo incolendam ſibi delegit. Nec viri ſanctitatem ferre monſtra illa diutius valuerunt, ſed cum ejulatu dilapſa, liberam illi quietamque ejus loci poſſeſſionem reliquerunt. In quem finem putatis Sanctum Procopium, ſpeluncam illam ſibi delegiſſe? Non in alium ſane niſi *in poſſeſſionem ſepulchri.* Sicuti enim, mortuus nullo alio eget, niſi ſepulchro, ut in illo corpus ſuum recondatur: ſic ille qui mundo moritur, ejuſque concupiſcentiis, nihil magis requirit, quàm ſpeluncam duplicem, in qua anima mundo mortua, corpusque variis mortificationibus incineratum, in ſpelunca duplicis ſolitudinis commoretur. Ajunt Hiſtorici, apud gentem Thræzeniam, inveniri ſpecum Trophonii, quam quicunque ingrediuntur, ſemper flentes redduntur. Neſcio an in tali ſpecu fuerit aliquando Sanctus David pœnitens, ait enim. *Fuerunt mihi lachryma mea panes die ac nocte.* Similem ſpeluncam S. Mariam Magdalenam incoluiſſe conſtat, in cujus vita id habetur, quod ut ei jugis eſſet peccatorum ſuorum memoria, ac cœleſtis beatitudinis gratiam, ut eo melius contemplari poſſet, in vaſtam altiſſimi montis ſpeluncam ſe contulerit. Unde & S. Procopium, ob id in ſpelunca illa horrida (quæ à ſummo loco, uſque ad imum, per reflexos & tortuoſos anfractus viam præbet, ipſam introeuntibus) ſe habitaſſe exiſtimo, ut in illa tanquam mundo huic mortuus, vivens autem Deo, ſuum ſepulchrum haberet, dans nobis documentum, ut ſi mortem velimus vincere, vel ut mortui vivere debeamus: quod nobis amplius patebit tali pulchro exemplo.

Gen. 23. verſ. 9.

Pſ. 41. v. 4.

III. Habemus ſcriptum Joan. 11. cap. de morte Lazari, & mirabili ejuſdem reſurrectione per Chriſtum facta, de cujus ſepulchro ait S. textus. *Erat autem ſpelunca, & lapis ſuperpoſitus erat ei.* Hoc ergo revoluto, poſtquam Chriſtus exclamavit. *Lazare veni foras*: & ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes inſtitis. Quid hic myſterii, cur non prius Chriſtus juſſerat ſolvi vincula antequam ſuſcitaretur, ut ſuſcitatus, mox etiam liber abire poſſet? Cur vivum & ſimul vinctum circumſtantibus præbere voluit? Hæc eſt ratio Auditores, ut ſcirent homines, huic Lazaro à morte ſuſcitato, adhuc ſecunda vice moriendum eſſe, id ergo illa vincula manuum pedumque funeralia, tanquam futuræ mortis ſymbola deſignabant.

Joan. 11. verſ. 42.

Ecce

Ecce ego Lazarum, cui bis moridatum est, ligatus pedes manusq; suscitatur, ut sic à prima morte ad secundam incipiat ambulare. Quid nobis loquitur, hæc nova forma vivendi & ambulandi? an quod in imagine mortis ad mortem properemus? an ut sic vivamus, quasi mortis instituis allegati, & viventes in mundo, defuncti mundo? Hic sane habitus, victores nos mortis efficiet, quem nobis Lazarus demonstravit, uti testatur Chrysologus dicens: *Mox Lazarus ab inferis reversus occurrit, apportans vincendæ mortis formam.* Felix qui bis mori uoverit, felix qui in vita sic moritur mundo, sic consepelitur Christo, ut mors futura, nihil habeat, quod in ipso agat.

Ponferrad. in Ioan.

Chrysol.

IV. Occurrit nobis simile victoriæ de morte exemplar in S. Isaac Patriarcha. Hunc enim cum suus pater immolare vellet, non permisit esse liberum, ait enim S. textus *Cumque alligasset Isaac filium suum, posuit illum in altare, super struem lignorum.* S. Abraam Patriarcha, ad quid erant hæc vincula? agnovisti ne aliquando filii tui Isaac inobedientiam? an timuisti ne tibi recalcitraret? minime verò: Quid ergo? A morituro Isaac debebantur exhiberi vincula, quæ spem vitæ indubitatam filii causarent in corde patris, juxta illud S. Pauli. *Fide obtulit Abraam Isaac, arbitrans, quia à mortuis suscitare eum est potens Deus.* Idem ait Alcuinus dicens: *Quod indubitanti animo mactare volebat filium, laudandus in constantia offerendi, & in fide suscitandi.* Simile quid de se ipso Sanctus Paulus ait: *Ecce alligatus ego spiritu, vado in Ierusalem, quæ in ea ventura sint mihi ignorans, nisi quod Spiritus S. per omnes civitates mihi protestatur dicens: Quoniam vincula & tribulationes Ierosolymis me manent.* S. Paule si accepisti cautelam à Spiritu S. de vinculis, cur ad ipsa properas? Respondet ipsemet. *Alligatus spiritu non timebat, quin desiderabat, talia vincula, quæ ex se spirabant vitam.* Eandem praxim observabat S. Procopius, non solum enim in spiritu alligatus erat, ne ad ea quæ mundi sunt manum extendere aut pedem movere posset, sed etiam quasi esset mortuus recluſit se ipsum in speluncam. Quam igitur bene protuli. *Similem illum fecit in gloria Sanctorum* Similis enim erat Abraamo, in spelunca manens, similis quoque erat Isaac, alligatus Dei spiritu.

Genesis 22. vers. 9.

Hebr. 11. vers. 17.

Alcuinus.

Actor. 20. v. 22 23.

V. Sed nunquid etiam similem S. Jacob Patriarchæ ostendere poterimus: neq; hac de re dubito. Inprimis nomen S. Patriarchæ Jacob idem est quod supplantator. S. Procopius non tam serpentina astutia, quam simplicitate columbę supplantavit totum mundum, dum ejus insidias evadere cupiens, soli Deo in spelunca sua serviebat. Jacob Patriarcha miræ erat abstinentiæ, quia nihil à Deo postulabat, nisi panem ad manducandum, & vestimentum ad operiendum: mira quoque in Sancto Procopio fuit abstinentia, nam frequentibus jejuniis corpus suum macerabat, & loco vestimenti, Angelicæ castitatis amictu utebatur. Singulare est quod de Sancto Jacob scribitur. Quærit enim Hugo Card. ad quid cum illo Angelus dum rediret domum luctabatur? & respondet, ut data ei benedictione, redderet securum à fratre suo Esau, ne ipsum ampli⁹ timeret. Ampliorem S. Procopius obtinuit benedictionem, non solum enim pessimos illos spiritus non timebat, sed etiam se ab aillis timeri faciebat, quin à Deo, ante mortē suam certior factus de vita cœlesti, ad eandem pervenit feliciter. Ubi *similem illum fecit in gloria Sanctorum.*

Genesis 32. vers. 24. Hugo hic.

AMEN.

IN FESTO S. PROCOPII ABBATIS, CONCIO III.

Dedit illi gloriam in gente sua. Eccles. 44. v. 22.

IN tantum honoravit & exaltavit Dominus Deus Sanctum Abraam Patriarcham, ob virtutem fidei, & summæ obedientiæ, quarum utramque in oblatione filii sui demonstravit, ut eum illum antea arenæ quæ est in littore maris, stellisque cœlestibus comparasset, tandem ne suspensum redderet in sensu promissionum suarum, aperuit illum per Spiritum Sanctum hisce verbis dicens: *Dedit illi gloriam in gente sua*, in illa inquam Israelitarum,

tarum, quam ſtellæ cœli, & arena maris denotabant. Hinc dum Chriſtus Dominus Joannis 8. cap. prædicaret Judæis, annuncians eis libertatem veram (quæ eſt non eſſe ſervum peccati) ſi crederent in eum dicens : *Si manſeritis in ſermone meo, vere diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Judæi mox quaſi injuria quadam ex talibus verbis affecti, reſponderunt. *Semen Abrae ſumus, nemini ſervivimus unquam, & quomodo tu dicis ; liberi eritis* ? Hæc verba, quæ de S. Abraam prolata ſunt, in hoc libro Eccleſiaſtici, eadem & ego de Sancto Procopio Abbate, hac hodierna die poſſum dicere : *Dedit illi Dominus gloriam in gente ſua*, id eſt, ſumme honoravit eum Deus, in gente ſua inclyta Boëmorum, nullus enim eſt, ex fidelibus Chriſtianis in hoc ampliſſimo regno Boëmiæ, qui Sanctum debito honore non colat, eumque pro Patrono ſuo habeat, qui in ejus excellentia quam ſanctis virtutibus ſuis promeruit non glorietur, nullus eſt qui hac hodierna die, in ſolenni commemoratione annuæ ſolennitatis ſuæ non lætetur: homines milleni ſunt, qui hac die feſtivitatis ſuæ tum Eccleſiam Sanctam Metropolitanam Pragenſem ad quam ſacræ reliquiæ ſuæ translatæ ſunt, tum eum ipſum, quem multis miraculis Domino Deo in eodem inſerviens illuſtravit, ex diſſitis locis confluentes viſitant, Deoque in honorem Sancti hujus laudes reddunt. Unde & ego cupiens Sanctum hunc Patronum, aliquo meo Panegyrico honorare, juxta thema quod aſſumpſi, gloriæ ſuæ argumenta quædam referam, genti Boëmorum non ignota.

Ioan. 8. v. 31.

1. Multa habeo argumenta Auditores, quibus gloriam Sancti Procopii, quam in gente ſua Boëmica promeruit probare poſſem. Primò deſerviret meo propoſito honeſta Sancti Procopii educatio, & non ſolum in diſciplinis literarum, & ſcripturarum ſacrarum doctrina, ſed etiam in ſacris virtutibus inſtitutio, ob quas provectus erat ad gradum Sacerdotii : deſerviret mihi mirabilis illius vitæ auſteritas, qui non ſecus atque alter Joannes Baptiſta amore captus ſolitudinis, & per invios ſaltus oberrans, devenit in antrum quoddam horridum & inhabitabile, quod millena Dæmonia incolebant, illique non leves moleſtias inferebant, quo in loco nec ſol per diem, nec luna per noctem, aliquo radiorum ſuorum favore inſerviunt : deſerviret mihi graviſſimum illius certamen quod cum carne, mundo, & Diabolis habuit, tandemque victor gloriam obtinuit : deſerviret mihi vitæ illius tanta ſanctitas, quam ipſi Dæmones exhorrebant, tot tantaque miracula, energumenorum cæterorumque male habentium mira perſanatio, ipſa mors ante tempus, multis prænunciata, item poſt mortem multa miracula, ſed hæc omnia præteriens id mihi pro ſua gloria probanda ſufficiat, quod poſtpoſita propria ſpirituali commoditate, qua in illo antro ſqualido & tenebricoſo tanquam in amœno quodam paradiſo perfruebatur, pluris fecerit proximorum ſalutem, quam divina ſolatia quæ ipſi Chriſtus Dominus in ea ſolitudine permanenti communicare non ceſſabat: ut enim animas humanas lucri faceret, antrum illud deſeruit, atque nonnullis collectis, quos ad omnem Sanctitatem ſuo exemplo informaret, prædicationi verbi divini incubuit. Putatis id parum eſſe? Cur Chriſtus Dominus dilectos ſuos diſcipulos ad prædicandum Evangelium per univerſum mundum diſperſit, quos per ſuam vocationem, non ſine labore in unum congregavit? Non eſt dubium quin omnes jucundo illius contubernio, ita recrearentur, ut nunquam eis veniret in mentem aliud delectabilius appetere. Legimus enim Joannis c. 6. quod dum quidam è diſcipulis Jeſu qui eum ſequebantur, audito ſermone in quo ſe ipſum panem vitæ dicebat eſſe, ab illo receſſiſſent, Chriſtum dixiſſe Apoſtolis : *Num quod & vos vultis abire?* Petrum verò reſpondiſſe. *Domine ad quem ibimus? verba vitæ aeternæ habes*, ac ſi diceret. Et quis Domine à te avelli pateretur, cum tua præſentia, & verbis quæ nobis loqueris, nihil delectabilius eſſe poſſit. Et ecce tibi dum putant diſcipuli Domini, nuſquàm à Chriſto diſceſſuros, ſed ſemper cum illo manſuros, audiunt illud Matth. 10. cap. *Euntes prædicate, dicentes : quia appropinquavit regnum cœlorum* Recedite à me, pergite, & docete omnes gentes viam regni cœleſtis; perfecta namque charitas, proprium negligit commodum, & communem hominum ſalutem, propriæ anteponit utilitati.

Ioan. 6. v. 68.

Matth. 10. v. 7.

II. Sanctus Moyſes Patriarcha, tantum ſuavitatis perceperat ex præſentia divina, ut cum in monte Synai quadraginta diebus, ſine cibo & potu cum ipſo converſaretur, non tamen eſurivit nec ſitivit, ait enim textus ſcripturæ Exodi cap. 24. *Ingreſſus Moyſes medium nebulæ, aſcen-*

ascendit in montem, & fuit ibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Ecce quam vere Christus dixerat. *Non in solo pane vivit homo, sed ex verbo quod procedit de ore Dei* ? Nam verba Decalogi quæ Deus proferebat ex ore suo, eaque Moysi commendabat, tantum valuere, ut Patriarchæ loco cibi potusque sufficerent. Sed quid fit ? dum Moyses oblectatur in colloquio Dei, ecce tibi de repente venit vox contraria, eique multum ingrata, nam interea cum Moyses in monte moraretur, populus pertæsus moræ, fecit sibi vitulum aureum, eumque adoravit, quam ob rem Deus commotus ita dixit ad Moysen. *Descende, peccavit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti.* Id est. O Moyses, adhuc tibi quædam plura proponenda habui, adhuc te relinquerem in hoc monte, ut præsentia mea te oblectares, sed cum populus tuus ingratus quem tu auxilio meo ex Ægypto eduxisti ? Majestatem meam læserit, ea propter *Descende.* Satis indultum est conversationi tuæ, vade jam quia populus tuus gravissimum idololatriæ commisit crimen. Cur Domine, tanta austeritate rejicis Moysen à facie tua, eumque dulcissima tua privas societate ? eum à te dimittis ut ibi cum populo duræ cervicis novas ineat lites ? cur eum qui tibi ita dilectus est, tanto exponis periculo ? Respondet Oleaster dicens : *Nihil quidem jucundius divino colloquio, hoc tamen privatur Dux, ob populi peccatum.* Revera nihil jucundius est conversatione divina, sed quia major est boni communis necessitas, ideo Deus voluit ut Moyses privatam suam utilitatem, quam collocaverat in jucunda Dei præsentia ad partem se poneret seque ad populum suum conferret, præsentia sua indigentem.

Matth. 4. v. 4.

Exod. 32. v. 7.

Oleaster Hic.

III. Mulier quædam Sunamitis, cum Sancto Prophetæ Elisæo pertranseunti domum suam in itinere, officium humanitatis exhibuisset, eique in cænaculo suo quod illi fecerat crebra hospitalitate inservisset, in recompensam suæ charitatis Prophetæ exhibitæ, ejusdem precibus peperit & obtinuit filium; unde multum lætata fuit, sed cum quadam die egressus fuisset ad patrem suum inter messores commorantem, concepto doloris capite domumque rediens, positus super genua matris suæ, mortuus est. Quid mater ? Ascendit superius ad illud Prophetæ cœnaculum, & collocavit eum super lectulum hominis Dei & abiit clauso ostio, descendens autem in domum suam, stravit asinum, præcipiens puero, ut minaret velociter, quatenus ad virum Dei eo citius pervenire posset, properat famulus & illa ascendit montem Carmeli in quo Sanctus Elizæus habitabat, plangit coram Propheta, rem aperit, infelicem filii sui mortem enarrat, Propheta mox mandat puero suo Giezi, quatenus acciperet in manum baculum suum, per quem tot miracula patraverat, eumque domum veniens poneret super faciem pueri, puer Giezi accepto baculo, nulla mora interposita pergit & festinanter currit, ut impleret mandatum Domini sui, interea illa mulier non contentata, eo quod præcesserit puer Prophetæ, lachrymis instat, rogatque Elizæum quatenus ipsemet ad illam descendere non gravetur, annuit votis Sanctus Pater, sequitur fœminam, euntibus occurrit puer, mandatum executum fuisse, sed in vanum, quia puerum excitare nequivit. Veniens ergo domum Propheta & ingressus illud cubiculum in quo jacebat mortuus, oravit ad Dominum, ibique bis incumbens puero, ejusque corpus calefaciens excitavit eum, vivumque matri dedit. Quærunt hic Doctores Theologiæ, cur Sanctus Propheta, non suscitavit illum mortuum puerum manens in monte ? Si illa vita solitaria sibi adeo cordi fuit, si inhabitatio illa Carmeli summè sibi arridebat, cur descendit inferius ? Si enim Deum exorasset, etiam in loco illo in quo sibi complacebat, poterat illum excitare : sed S. Petrus Damianus moralizat hoc factum ad nostrum propositum dicens : *Liceat sanè monacho, ad saculum ex voluntate recurrere, quoties mortuum hominem potuerit suscitare.* Quoties aliquis in mundo mortuus peccato, indiget tua præsentia, sive desertum habeas pro paradiso, sive speluncam pro palatio, exeundum tibi est ut resuscites mortuum, quia privatæ utilitates, communibus sunt anteponendæ, & tanti valoris est opus aliquod ex charitate factum proximo, quanti est oratio quam in secreto peragis cubiculo.

4. Reg. 4. v. 29.

Damian. Epist. 2[illegible]

IV. Ad id propositum ait sponsa. *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Richardus à S. Victore hic per vestimenta intelligit opera bona proximorum saluti exhibita & impensa : ait enim. *Vestimenta animæ sunt opera quæ in charitate sunt vel fiunt, quibus vestiti non*

Can. 4. v. 11.

Richard. in in Cant.

non nudi inveniamur ante Dominum. Sed quid est quod talia vestimenta comparet odori thuris, nonne dantur alia aromata odoris suavioris quam sit odor thuris? Omnino, & quidem erat ille qui ex diversis componebatur speciebus, uti patet ex libro Levitici, Exodi, & alibi. Respondet idem autor dicens: quod sicut vestimenta significant bona opera, ita quoque inter cætera odorabilia solum thus significet orationem, ubi ait: *Vestimenta sunt sicut odor thuris, quia sic bonum odorem de se mittit bona operatio, sicut devota oratio.* Exod. 30. v. 23.

V Si è tot scripturæ sanctæ argumentis, ostensum est, majoris esse perfectionis, inservire publicæ saluti proximorum, quàm inservire sibi soli, clam orando, meditando, & aliqua exercitia spiritualia privatim exercendo, hinc patet majoris esse excellentiæ in Sancto Procopio, quando ad instantiam Bretislai Principis exivit è spelunca sua factusque Abbas, aliorum saluti incumbebat, tunc factus fidelis servus Domini sui, postquam talenta sibi tradita cum fœnore salutis aliorum administravit, tunc vel maximè cœlestis paterfamilias. *Dedit illi gloriam in gente sua*, quam doctrina & exemplo vitæ suæ erudiens, animas ipsorum Christo Domino lucri fecit, id certè majus erat, quàm si cederet in illo antro suo orando, vel meditando: ait enim idem author. *Si propter occupationem utilem, orationem aliquis intermittat, ipsa occupatio vice orationis reputabitur.* Ita sane Sancto huic Patrono, reputata est in terris pro gloria gentis suæ, in cœlis autem, pro gloria sempiterna. Richard. ut supra.

AMEN.

IN FESTO S. PROCOPII ABBATIS,

CONCIO IV.

Sic pugno non quasi aerem verberans. 1. Corinth. 9. v. 26.

GEneralis noster Christus Jesus, quot fideles habet tot quasi milites, vultque ut omnes pugnemus; ait enim: *Non veni mittere pacem sed gladium*, quin imo sicut dicitur de turri David, quod fuerit bene armis instructa; ita etiam Christus in suo armamentario, habet diversa arma, quæ dum accipimus vult prius ut nos in illis exerceamus, ne forte ipsum offendamus. Figura hujus extat, 1. Reg. 17. Pugnaturus David cum gigante, sumpsit arma Saulis, ut probaret, an in illis præliari posset. *Cœpit tentare, si armatus posset incedere*, &c. Quærit hic Rupertus; cum David erat parvulus & Saul omnes populares excedebat, cur hæc frustra tentavit? & respondet dicens: *Quia si pulchrius eo facto spem Regi ostenderat, quàm si oblata Regis arma, voce aut verbo, quasi cum contemptu depelleret.* Sic omnes fideles ad Christianam militiam vocari, debent arma induere juxta illud D. Pauli *Induite vos armaturam Dei.* Id tamen non satis est, sed postquam indueris, continuo probanda sunt, ut experiaris, an sic armatus incedere, & pugnare queas. Qui nunquam jejunavit, nunquam se macerayit, non excusabitur apud Regem cœlorum, quod ejus armis non usus fuerit. Attendatur S. Paulus Apostolus, miles ille exercitatus & emeritus; dum ait: *Sic pugno non quasi aërem verberans; sed castigo corpus meum.* Talis quoque erat S. Procopius, patronus noster glorioſus, qui cum qualibus hostibus, quibusve armis pugnaverit, & quale deinde victor præmium acceperit, in hac concione audiemus.

Matth. 10. v. 34. Cant. 4. v. 4. 1. Reg 17. v. 39. Rupertus in lib. 2. R. c. 5. Eph. 4. v. 24.

I. Militia est vita hominis, ait S. Job Patriarcha. Si militia est vita hominis? nullus ergo illam evitare potest. Sed quænam illa? non pugnare cum Turcis, Tartaris, cæterisque inimicis, sed cum carne, mundo, & Diabolo: arma quoque sunt, non scuta, non gladii, lanceæ, & bombardæ, sed spiritualia, quibus pugnandum est per macerationem corporis, per jejunia, vigilias, cæteroſque bellandi modos: ab hac pugna nemo excipitur. Non Imperator, non Rex, non Princeps, non dives seu pauper, non Domini seu servus, non liber, seu captivus, sed omnibus arena est libera, & ad belligerandum proposita. Cum Jacob Patriarcha in patriam suam rediret, ait textus. *Ecce vir lacta-* Iob. 7. v. 1.

Gen. 32. v. 24. *batur cum eo usque mane.* Quæ hæc lucta? lucta hæc erat, qua Jacob sub armatura Dei exercebatur, & probabatur, si divinarum virtutum posset æmulator incedere, unde D. Ambrosius, D. Ambros. Ep. ad Iren. monet universos dicens: *Ad Deum qui venit, luctetur cum Deo, ut ad imitationem ejus sese exerceat, ad humilitatem Christi, & passiones ejus congrediatur.* Milites antequam bellum aliquod cum hoste ineunt, solent sibi oportunum locum ad certamen eligere. Videamus inprimis quem sibi S. Job Patriarcha elegerit, siquidem vitam hominis militiam nuncupavit, eidem se ipsum inscribi fecit, & singularem certaminis aream sibi deputavit, sed qualem? certe inusitatam, valdeque mirabilem, sic enim ait textus Iob. 2. v. 8. historiæ suæ. *Testa saniem radebat sedens in sterquilinio.* Duo hic speculor mirabilia, primum, quod sibi sterquilinium, pro area pugnæ elegerit, secundum, quod testa pro gladio utebatur, quem non in aliquem hostem, sed in seipsum convertebat, dum *testa saniem radebat.* Quid agis S. Patriarcha? non habes aliquod molle linteolum, vel ad minus mollem aliquam herbam, qua livorem extergeres, sed testa radendo tuam saniem, adhuc magis carnem tuam excrucias? adhuc majorem tibi auges dolorem? Sed si pensaveritis, cum quo ille dimicaverit, tale factum suum non mirabimini. pugnabat sanè cum Diabolo, qui ipsum omnibus bonis suis, nec non tota prole spoliavit, ideo ut ipsum eò magis confunderet, *testa saniem radebat sedens in sterquilinio.* Audite quidnam ipsius nomine dicat Origenes. Orig. Hom. 2. in Iob. *Exaggero, atque commoveo ipsos dolores, ut per cuncta ostendam nequissimo Diabolo, quia ejus malitiam irrideo, quia iniquitatem ejus contemno, quia omnes ipsius plagas pro nihilo reputo.* Hic ergo miles meritò dicere potest. Sic pugno, non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo.

II. Non impares huic Heroi, etiam in novo testamento inveniemus milites: nam de Sancto Ignatio Martyre legitur quod dum à Trojano Imperatore, damnatus ad bestias, Romam vinctus mitteretur, hæc in sua Epistola de se ipso S. Chrys. Serm. de S. Ignat. ait: *A Syria usque, terra marique cum bestiis depugno, nocte dieque alligatus decem Leopardis, quæ est militaris custodia, qui & beneficio affecti, pejores fiunt: at ego eorum injuriis magis erudior; sinite me, ferarum escam fieri, per quas licebit Deum adipisci.* Ad quid alia exempla quæram quæ sunt innumera? Vel cur solos Martyres produco ad certamen, ac si etiam cæteri servi & aulici Dei absque certamine sanguinis illud obire nequeant? Ne ergo putetis solos Martyres armaturam Christi exercere, nec eam quoque à confessoribus Domini, in pace tractari posse, produco vobis in arenam, Sanctum militem Procopium, inclytum Patronum Boëmiæ. Arma quæ tractaverit, cum quibus hostibus decertaverit, qualiter eos vicerit; auscultate. Hostis suus primus, erat superbia mentisque elatio: hic enim sanctus, cum ex honesta parentela natus, & in literis probisque moribus educatus, provectus fuisset ad gradum Sacerdotii, juxta talenta à Deo sibi abunde data, poterat ambire ulteriorem promotionis scalam, poterat ampliores mereri dignitates, sed cum probe nosset quod hæ mentes humanas in sublime elevare soleant, hinc ille mundum fugiens, solitariam vitam cœpit colere, amplexus enim regulam Sancti Benedicti in Monasterio Brenovienſi, humilitati, jejuniis, Orationibus, meditationibus, cæterisque sacrarum virtutum exercitiis operam dando, vitam suam aliquamdiu traduxit. Porro edoctus exemplo Christi Domini, qualiter ille pugnaturus cum Diabolo, ductus fuerit à Spiritu S. in desertum, ille similiter impulsu ejusdem petiit solitudinem, in qua pro arena certaminis, specum quandam sibi delegit: neque caruit hostibus, cum quibus confligendum foret, nam illa spelunca plena erat spectris, & larvis Diabolicis, à quibus inhabitabatur, ut nemo hominum illam adire auderet: Sed quàm primum S. Procopius in ipsa fixit pedem, non sustinentes mali illi spiritus, vitæ suæ sanctimoniam, victi fugatique à Sancto milite, quietam ejusdem loci possessionem, ei reliquerunt. Quid putatis, quot hic conflictus sanctum hominem expectabant? S. Job sedens in sterquilinio, ad minus tres vicinos habebat, qui ipsum inviserunt, eique loquebantur, huic autem sancto viro cum solis bestiis erat conversatio, quanta ibi jejunia fecerit, quot carnis castigationes & maceraciones sustinuerit, quis enumerare queat?

Matth. 4. v. 1.

Iob. 2. v. 8.

III. Milites post confectum bellum, & partam de hoste victoriam, à Regibus suis præmiari solent. Sic fecit Fridericus Imperator, qui cum advertisset, quosdam Boëmorum milites insignia edidisse facinora, in oppugnatione urbis Mediolani, nempe quod in profundo Hageciu pag. 189.

fluvio,

fluvio, vadum & transitum primi invenerint, quod cum Mediolanensibus confligentes, bis victores evaserint, quod admotis scalis, plurimi ex ipsis civitatem noctu intraverint, & effracta una porta, multa auri spolia secum extulerint, innuit Vladislao Regi, ut eos honore debito afficeret quibus deinde varia virtutum suarum insignia sive stemmata distribuit. Quodnam præmium accepit S. Procopius? Plurima sanè: magnis enim à Christo, tam in vita, quàm post mortem, affectus fuit honoribus. Inprimis dignatus est ipsum Christus insigni primoque illo suo miraculo honorare. Cum enim Udalricus Boëmiæ Dux venationis causa, ad illum inscius devenisset, & totus defatigatus siti maxima vexaretur, S. Procopius, acceptam ex torrente aquam, sacra cruce signavit, eamque Principi hauriendam obtulit, quam cum degustasset, stupore magno perculsus ait: se nusquam Pragæ vel alibi tam excellens vinum bibisse sicut quod à sancto viro sumpserat. Unde Princeps tanto miraculo, nec non sanctitate ipsius permotus, juxta ejusdem præscriptum, in eodem loco templum D. Joanni Baptistæ erigi fecit, suus vero filius Bretislaus post mortem Principis sui patris, illud amplius perfici curavit, & honestis censibus exornavit, Sanctum vero Procopium, licet reluctantem, in Abbatem ejusdem Monasterii designavit, qua in dignitate, non alium se demonstravit, quam lucernam lucentem super candelabrum positam: non solum enim doctrina sed etiam exemplo bonæ vitæ prælucebat in populo, ut ab omnibus amabilis haberetur.

IV. Sanctus Matthæus Evangelista capite quarto adnotavit Christum Dominum plurimas infirmitates persanasse, nam sic ait: *Circumibat Jesus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium Regni, & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo.* Ex quibus verbis intelligitur, ad Christum cucurrisse omnes varii generis infirmos, quos sanabat. Eadem gratia honoratus erat à Christo Domino Sanctus Procopius, omnes enim infirmi ad ipsum pariter confluebant, & maximè comitiali morbo laborantes; & curabantur. Aliud quoque in eodem Sancti Matthæi capite de Christo Domino dicitur. Quod non tantum infirmitates diversas sanaverit, sed etiam ab obsessis hominum corporibus, plurimos Dæmones ejecerit: nam sic ait sacer textus: *Qui Dæmonia habebant, & lunaticos & paralyticos, curavit eos.* Non absimilis gratia Sancto Procopio tanquam vero Christi servo collata fuit, quot enim obsessos a Dæmonibus curaverit, non facile quis numerum inire potest. Sed minora videntur expulsio enim Dæmonum, suppositâ virtute Dei exorcistis conceditur, ad majora igitur ascendamus.

Matth. 4. v. 23.

V. Vultis habere aliquem Sanctum è numero auxiliatorum, & tutelarium? Sanctus Procopius noster est. Quid ita? Vir quidam Labessa nomine, aulæ Principis assectator, malevolorum iniquis accusationibus appetitus, cum vitæ fortunarumque suarum ruinam certò didicisset, fugam eques ad Sasanam flumen arripuit, quod cum transire non posset, & infestos hostes conspiceret, qui se insequerentur, fusa ad Sanctum Procopium (cujus ædem intuebatur) prece, subito Amnem fluidum glacie rigere videt, quæ loco cujusdam pontis fugitivo illi homini transitum præbuit: vident id insequentes, & Ægyptios æmulari volentes, speculantur vestigia fugientis; sed dum ripæ appropinquant, glaciem quoque dissolutam conspiciunt, quæ illis obstaculum, quominus transire possent comparavit. Vultis aliquid amplius? tantæ apud Deum autoritatis erat Sanctus Procopius, ut non solum per se ipsum, sed etiam per suos alumnos quibus delegare placuerat, miracula fecerit. Mulier quædam diuturno languore detenta, jussa est à Sancto Procopio sibi apparente, unum, ex discipulis suis Vitum, aut Emeranum advocare, quorum cum Emeranus accessisset, & eam infirmam Deo commendasset, protinus ex integro convaluit. Poterat Sanctus Procopius idem præstare, sed ut magis innotesceret ejus dignitas, per vivum suum discipulum id fieri voluit. Ecce quot & quanta præmia, quibus Christus Dominus supremus Generalis noster, suos milites honorare solet! Eja ergo Auditores, pugnemus viriliter in hoc mundo cum mundo ejusque concupiscentia, ut à Christo præmiari mereamur.

AMEN.

IN FESTO SS. CYRILLI ET METHUDII, CONCIO I.

Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.
Lucæ 12. v. 35.

AUditores Præstantissimi; hodierna die annuam memoriam recolimus Sanctorum Apostolorum Regni hujus Boëmiæ Cyrilli inquam & Methudii Confessorum Domini; illorum inquam, qui figurantur per duo illa brachia, quæ in throno Salomonis altrinsecus erant disposita, uti id attestatur 2. liber Paralip. c. 9. Illa inquam brachia, quæ nostros quondam antecessores, ad amplexum Christi Domini per fidem Christianam admiserunt: illorum; qui figurantur per duo ostia de quibus Ezechiel Propheta ita ait: *Duo ostia erunt in templo*: hi enim duo sunt, qui nobis ostium aperuerunt, per quod ad Ecclesiam Christi Domini ingressi sumus. Illorum; de quibus dicitur Cant. 4. capite. *Duo ubera tua, sunt duo hinuli.* Hi enim sunt illi, qui imitati exemplum Sancti Pauli Apostoli dicentis ad Corinthios; *Tanquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi non escam*: illi quoque similiter, patribus nostris, in fide Christi Domini quasi modo genitis & adhuc infantibns, primum lac Sacri Evangelii, nec non doctrinæ Christianæ, ex uberibus charitatis suæ primi præbuerunt. Quod qualiter factum fuerit, audiamus. Cum hi duo Sancti servi Dei, oriundi ex Alexandria, Græcæ & Sclavonicæ linguæ non imperiti, à Spiritu S. in terram Moraviæ destinati essent, ibique pro fide Christiana propaganda multum laborarent, contigit, ut Rex Suatoplucus (qui ab iisdem in fide Christi eruditus sacrum Baptismum susceperat) Borinogium Hostinicio prognatum ad se cum aliis quoque Principibus invitaret, ubi peractis iis quæ ad constitutionem regni, cæterarumque terrarum, sub potestate Moraviæ manentium necessaria videbantur, apponi mensam & in ea Principes diversos juxta suam dignitatem locari jubet, omnibus ergo ad mensam residentibus, soli Borinogio, tapete strato, in terra cibus apponitur, in qua convivari jussus eo quod paganus esset. Quod si vellet cum illis ad eandem mensam accumbere, necessum esse eandem Christianam fidem amplecti. Cum ergo Borinogius interrogaret, quidnam illi hæc fides boni adferret, Rex Moraviæ hæc audiens illico misit pro Methudio, ut illum cathechisaret, quod fecit, & illi quærenti, quem fructum ex eo, si fieret Christianus, habiturus esset respondit. Hoc tibi Deus dici jussit, quod si idolis aureis quæ hactenus coluisti abrenunciaris, eris Dominus Dominorum tuorum, omnes inimici tui te pertimescent, progenies tua futuris temporibus amplificabitur, sicut fluvius quem subintrant rivi multi. Nam & regnum hoc in urbem & gentem tuam aliquando transferetur. Hæc audiens Borinogius sequenti die in vigilia S. Joannis Baptistæ, existente Rege compatre à Methudio cum triginta famulis, sacrum Baptisma suscepit. Hæc erant crepundia fidei Boëmorum, quam ab istis Sanctis acceperunt. Unde huic pagano Principi convertendi ad fidem Christi celeritas? eadem quæ Suatopluco Regi Moraviæ: videns enim unus & alter Sanctos hosce Apostolos, lumbos præcinctos habentes, nec non lucernas ardentes in manibus suis, hinc conversionis suæ motivum & exemplum acceperunt. Quod vobis in ipsa concione clarius patebit.

Ex Chronica Boëmor.

I. Non scio Auditores mei, utrum promisso meo stare potero nam juxta illud, deberem vobis ponere ex una parte duos istos Dynastas, Regem Moraviæ Suatoplucum, & alterum Boëmiæ Principem Borinogium, ex altera parte totidem Apostolos, nempe Cyrillum & Methudium, qui lumbos succinctos habentes, nec non lucernas ardentes in manibus suis tenentes, tali medio hosce duos Principes, Moraviæ inquam & Boëmiæ cæteroque ex utraque terra plurimos, ad fidem Christi converterunt

2. *Paral.* 9. *v.* 19.

Ezech. 41. *v.* 24.

Cant 4. *v.* 5.

S. *Paul.* 1. *Cor.* 3. *v.* 1.

verterunt. Quis hic fidem adhiberet? num est aliquid magni, aut ad convertendum quempiam infidelem efficacis, cingulum in lumbis suis ostentare, aut etiam candelam ardentem in manibus suis tenere? Inprimis quod concernit lumbos præcinctos, aliquid valde contrarium in scriptura sacra invenio: nam Propheta Regius Sanctus David maledicens Judæ proditori, in persona Christi patientis sic ait. *Fiat ei sicut vestimentum, quo operitur, & sicut zona, quâ semper præcingitur:* deinde quod concernit lucernam ardentem obtutui humano expositam, nec dum legi vel audivi, aliquid singulare confectum cum illa fuisse. Lego in Historia Gedeonis, suos milites qui saltim trecenti erant, innumerabilem Madianitarum multitudinem prostraviisse, sed non ex eo quod ardentes lucernas habuissent, sic enim ab hoste fuissent proditi, sed potius ex hoc, quia illas lucernas in lagenis suis absconditas ad tempus habuerunt, postea vero ad mandatum sui Ducis eas confregerunt, & tunc lumine illo lampadarum insperato exercitum confuderunt, & dissiparunt. Similiter lego in Apophtegmatibus Philosophorum. Diogenem Cynicum, in meridie cum lucerna per forum ambulasse, & hominem (inter tot deambulantes) quæsivisse, neminem tamen juxta captum suum invenisse, unde sequitur inquirendum, qua ratione hi duo Sancti Moraviæ & Boëmiæ Apostoli, per lumbos præcinctos, & candelas ardentes, hosce duos Principes, ad fidem Christi Jesu convertere potuerunt? Inprimis juxta Philosophum, tollenda sunt contraria, antequam introducatur forma: quod ergo concernit illud cingulum Judæ proditoris, quod ipsi pro maledictione à Propheta Regio, & per improperationem quandam appropriatum erat, id factum fuit propter similitudinem cinguli quo quis semper præcingitur, quia sicut cingulum adhæret lumbis seipsum cingentis, ita voluntarium Judæ peccatum semper eidem adhærebat, unde in pœnam eidem datum erat: cæterum quod concernit præcingi lumbos, hic modus est efficacissimus ad præclara opera exequenda, quæ Christus Dominus committit servis suis.

Psal.108.v. 19.

Iud.7.v. 22.

Lartius.

Hugo Card. in Psal.108.

II. Cujus pulcherrimam figuram habemus Canticorum 3. cap. ubi Spiritus Sanctus singulariter describit lectulum Salomonis, ejusque excubias seu vigilias, hisce verbis. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi; uniuscujusque ensis super femur suum.* Hic licet multa sint annotatione digna, nempe numerus militum, deinde eorum maxima fortitudo, item assidua ipsorum vigilia, mihi tamen ad meum propositum, vel maxime inservit, ea militum adaptatio, quod unusquisque illorum accinxerit gladium super femur suum. Quid hic putatis inesse mysterii? Pulchre nobis respondet S. Bruno, Carthusianæ Religionis institutor dicens. *Sic enim præcinctos esse oportet, qui Salomonis custodiunt lectum.* Non puto Auditores mei, quod hoc responso sitis satisfacti, quia adhuc quæretis rationem dicti sui: sed audite quid ulterius dicat. *Lectus Salomonis est Ecclesia, illius videlicet Salomonis qui ait: Ecce plus quam Salomon hic. Vnde illi bene præcincti sunt, qui super femur suum, suum gladium habent, illum videlicet gladium; quo castissima Iudith Holophernem interfecit.* Quid pulchrius? sic lumbi præcincti quid non efficerent? illud sane quod sexaginta illi fortes lectulum Salomonis ambientes, si opus fuisset, demonstrassent, & ipso opere præstitissent; illud quod vidua Judith demonstravit, dum præcincta lumbos, temulenti, & impuri Holophernis caput amplutavit.

Cant.3. v.7.

S. Bruno.

III. Optime de tali cingulo, quo præcinguntur lumbi nostri, Sanctus Gregorius loquitur dicens. *Lumbos præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus.* Ut autem sint lumbi bene præcincti, tria requiruntur, Deputatio mentis, maceratio carnis, meditatio mortis. Sanctus autem Bernardus hisce tribus virtutibus, tres quoque Zonas assignat. Primam pelliceam, quæ fuit Joannis Baptistæ; secundam lineam, quæ olim in antiquo testamento pertinebat ad Levitas, & Sacerdotes; tertiam vero auream: sed revertamur ad primam zonam: omnes enim necessariæ sunt ad lumbos præcingendos. Zonam pelliceam portare solebat Elias Propheta. Habemus enim 4 Reg. 1. cap. Quod cum Ochozias Rex casu per cancellos facto infirmaretur servosque suos ad Beelzebub Deum Accaron dimisisset, ut ipsum consulerent, utrum hanc infirmitatem evadere & vivere queat, illis euntibus occurrit Elias dicens ut revertantur ad Regem, eique dicant ob id certo moriturum, quod con-

S. Gregor. Hom.13.

S. Bern. l. Senten.

4. Reg. 1. v. 7.8.9.

consulere voluerit Beelzebub, ac si non esset Deus in Israel. Cum ergo servi reversi, cuncta Regi suo enarrassent, requisivit. Cujusnam vir ille formæ, habitusque esset: respondentibus illis, fuisse virum pilosum, & zona pellicea accinctum renibus, intellexit Rex Eliam fuisse dicens. *Elias Tesbites est.* Hic Propheta tali suo habitu figurabat Sanctum Joannem Baptistam,

Marci 1. v. 6. de quo habemus Marci 1. cap. *Zona pellicea circa lumbos ejus*, quæ quidem zona, meditationem mortis designat.

IV. Secunda Zona est linea, de qua habemus mentionem Levitici cap. 16. ubi loquens Deus de Aaron summo Sacerdote ait. *Accingetur zona linea*, & hæc zona designat maceratione

Levit. 16. v. 4. carnis, & deputationem mentis, sive castitatis: sicuti enim linum antequam ex eo fiat tela candida, multa sufferre debet, nempe tot tusiones, deinde tot motus textorum, deinde, tot balnea, & aquarum perfusiones, deinde solis siccationem, & iterum aquarum lotionem, tam diu, donec alba fiat, ita sane, castitas mentis non potest esse perfecta, nisi prius corpus bene maceretur jejuniis, vigiliis, cæterisque exercitiis spiritualibus. Tertia demum zona est aurea, de

Apoc 1. v. 13. qua Sanctus Joannes in Apocalypsi ait. *Vidi similem filio hominis præcinctum, ad mamillas zonâ aureâ* Et hæc zona designat charitatem, in illa namque mirabili visione significatum est, quod qui velit esse adoptivus Dei filius, & hæres cœlestis beatitudinis, tali zona aurea, nempe charitatis cingulo præcinctus esse debeat. Hoc triplici cingulo quicunque præcinguntur, summis gratiæ divinæ donis honorantur juxta testimo-

1. Petr. 1. v. 13. nium S. Petri Apostoli dicentis sic. *Succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfecte sperate in eam, quæ affertur vobis gratiam, in revelationem Jesu Christi*

V. Et quia uti ait S Gregorius; *Minus est mala non agere nisi etiam quisque studeat & bonis operibus insudare*: hinc recte sequitur. *Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Est quidem verum lucernam Diogenis nihil illi populo profuisse quem quærebat, quia lumen saltem scientiæ suæ ostentabat, sed verum fidei, nec non ardorem charitatis non habebat: illis quoque trecentis militibus qui sub Gedeone Duce suo cum Madianitis depugnabant, propter stratagema bellicum, sic conveniebat, ut lumen in lagunculis absconditum, tenerent in manibus, suo tempore illud ostensuri: atqui hi, qui famulantur non solum Domino suo, sed etiam simul sponso revertenti à nuptiis, hos inquam oportet præcinctos stare, & lucernas non inaccensas, sed ardentes in manibus suis portare: ait enim Venerabilis Beda. *Lucernas ardentes in manibus tenemus, cum per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus.* E numero talium vigilum erant hi duo patroni nostri, nempe S. Cyrillus & Methudius Apostoli Moraviæ atque Boëmiæ, accinctos habebant lumbos per mortificationem carnis, per meditationem mortis, & castitatem: tenebant quoque ardentem lucernam, nempe charitatis Dei & proximi, dum exemplo sanctæ vitæ suæ tam Suatopluco Regi in Moravia, quam Borinogio Regi in Boëmia, suisque populis prælucerent: hinc non est mirum quod eos Deo lucri fecerint, qui ob id laudandus à nobis est in sæcula sæculorum.

AMEN.

Beda in Luc.

IN FESTO SS. CYRILLI ET METHUDII, CONCIO II.

Laudemus viros gloriosos. Eccles. 44. v. 1.

Ex libro Adagior.

VErissimum illud est quod Proverbio dicitur. *Bonum vinum hederâ non eget.* Qui enim mala vina propinant, etiam si ostentent ex domo sua mille ligna, venditionem vini designantia, si ineptum sit ad bibendum, rarus invenietur, qui ingrediatur domum illam; at illud hospitium, in quo excellens vinum conservatur, licet nullum signum habeat, omnibus tamen patet, quia quodnam illud sit, omnes quærere & explorare solent. Et per

hoc

hoc proverbium, nihil aliud intelligitur nisi id, quod vita proborum & virtuosorum hominum, omnibus sit manifesta, nullo Oratore egeat, qui illam extollat præconiis suis, & in lucem prodat. Sic enim ait Origenes. *Sicut cœli luminaria ac sydera, cunctis indesinenter quæ sub cœlo sunt fulgent: sic & sanctorum virtutis insignia atque beatissimi eorum agones, omnibus in perpetuum singulariter lucent.* Et sicut Angelus apud Danielem Prophetam de doctis ait dicens: *Fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ, in perpetuas æternitates*: hoc idem de justis dici potest, nempe de his quos Christus Dominus luci comparavit dicens: *Vos estis lux mundi*, illos inquam qui ea quæ docent alios, & ipsi faciunt, de quibus iterum habetur Matthæi 13. capite. *Justi fulgebunt sicut sol in regno patris eorum.* Ex quibus testimoniis patet virorum glorioſorum vitam esse quendam solem qui indice non eget, quia per se ipsum ubique patet, esse stellas & luminaria quæ abscondi nequeunt. Talium è numero sunt, Sancti Patroni nostri Cyrillus & alter Methudius, de quorum annua commemoratione solenni gaudet hodierna die Regnũ Boëmiæ & Marchinatũs Moraviæ, quin imo ipsa Roma Ecclesiarum mater totius orbis Christiani hodie summo exultat gaudio, quorum sacras reliquias ibidem reconditas, pro summo thesauro veneratur. Et cum tales tantique Sancti ubique terrarum in summo honore habeantur; sunt enim duo Ecclesiæ sanctæ luminaria: ut quid ergo nos hic in nostra Boëmia, quasi præ cæteris magis gestientes ad laudes illorum celebrandas properamus, omnes enim ad id videmur incitari dicentes: *Laudemus viros glorioſos* Nisi nos laudaverimus, igitur erunt inglorii? Minimè verò. Quin & causas encomiorum nostrorum, & materiam eorundem in hac concione audiemus.

Orig lib. 1. in Ioh.

Daniel. 12. vers. 3.

Matth. 5. vers. 4.

Matth. 13. vers. 43.

I. Multæ quidem dari possunt rationes, ob quas viri Sancti & glorioſi, digni laudibus suis censeri debent inter pleraſque tamen, istæ aliquot proposito nostro deservient, quas assignat Cornelius à Lapide locum istum explicans. Inprimis laus Sanctorum patrum, inter quos non postremi sunt S. Cyrillus & Methudius Patriarchæ Boëmiæ & Moraviæ, non est sola ipsorum, sed est ipsius Dei qui Sanctos suos fecit inclytos & glorioſos. Item seculum illorum fecit glorioſum, Deus n. eos tanquam faces imò soles orbi dedit, ut illum suo quisque ævo illustraret. Dedit Enoch, ut quasi sol illustraret seculum legis naturæ. Dedit Noë, ut quasi sol, illustraret seculum diluvii. Dedit Abraam, ut quasi sol illustraret, seculum primum post diluvium. Dedit Moysen ut quasi sol illustraret seculum legis scriptæ, & sic de cæteris. Deus enim pro sua magnificentia cuiq; seculo, successive hos Heroes, quasi stellas imo soles dedit, ut ejus ignorantiæ, & vitiorum tenebras, sua luce discuterent. Eodem modo plurimos quoque soles dedit in nova lege: dedit inquam SS. Apostolos, qui seculum novæ legis tanquam soles illustrarent, dedit Martyres tanquam soles, rubeos radios emittentes, qui ferculum Salomonis purpurea constratum charitate, nempe Ecclesiam Christi Jesu purpura sanguinis sui illustrarent. Dedit Confessores, & Doctores tanquam soles, qui radiis Doctrinæ, & sanctæ vitæ, spiritualem domum Dei illustrarent. Dedit demum virgines sacras tanquam soles, in quarum candidissimis radiis sol justitiæ Christus Jesus appareret. Ut ad solem Apostolicum revertamur, est quidem verum, illos motum solis imitatos fuisse, quia juxta Prophetiam S. David: *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Quibus etiam S. Chrysost. tale dat encomium. *Peragrarunt piscatores orbem terrarum, & infirmum eum invenientes ad sanitatem reduxerunt.* En quam vera Prophetia Malachiæ Prophetæ, hæc de sole dicentis: *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, sanitas in pennis ejus.* Reservavit tamen Dominus Deus futuris quoque Apostolis suis quasdam terras per radios alios illustrandas, nempe Moraviam, & Boëmiam, quas sancti duo Confessores Domini, tanquam duo soles ab ipso producti, radiis sanctæ vitæ, & prædicationis Evangelicæ tanquam pennis quibusdam, in quibus est sanitas animæ, non solum ab errorum caligine abduxerunt, sed etiam præclarissimo fidei lumine illustrarunt. Certè illud ausim dicere quod dum misericors Deus cœcas has nationes per hosce duos soles illuminavit, in eo ipso seipsum apud homines glorificavit, nam prout illa natione gentili & barbara nihil olim erat durius, ita in mirabili & præclara ejusdem conversione nihil glorioſius poterat inveniri, quod nomini suæ Majestatis

Cant. 3. v. 8.

Psal. 44. vers. 17.

S. Chryſ. Tom. 3.

Malach. 4. vers. 2.

Cornelius à Lapide in Eccleſ.

jestatis dari debuerit. Sicut enim gloria operis est gloria opificis, & sicut gloria imaginis est gloria exemplaris, ita quoq; gloria sanctorum magnalia quædam, hic in terris operantium, est gloria Dei eos adjuvantis & extollentis. Optimè S. David. *Non nobis Domine non nobis sed nomini tuo da gloriam.* Ps. 113. v. 8.

II. Alia ratio cur sanctos & glorioſos viros laudibus celebrare soleamus est hæc, quia virtus eorum, hoc præconium merebatur. Proprium enim virtutis premium, est laudis elogium, præsertim quia multi ex ipsis, laudem omnem humanam quam merebantur, fugiebant, & quia honor habet se per modum umbræ quæ fugientem insequitur, ideo mirum non est SS. Dei servos, quò magis gloriam fugiebant, & latere quàm videri eligentes soli humilitati studebant, eò magis & glorioſius exaltarentur à Domino: verum enim est quod Christus Dominus protulit. *Qui se humiliat exaltabitur.* Luca. 18. vers. 14. Quid erat submissius S. Abraam Patriarcha? cum quo cum Dominus Deus loqueretur, eique secretum decretum suum nempe subversionis Sodomorum ob iniquitates eorundem revelaret, quamvis cum Domino loqueretur nihilominus appellavit se pulverem & cinerem: sed quid tum? illa humilis sua submissio, effecit tam glorioſum, ut pater gentium vocaretur. S. Joannes Baptista indignum se reputabat, ut vel corrigiam calceamentorũ Christi solveret, amicus sponsi, quo nullus major inter natos mulierum, qui ipsum Christum baptizavit. Sed quid hac de re indicat S. Chryſostomus? Audite pulchrum dictum. *Manum quam dixit esse calceamento indignam, hanc super caput suum Christus attraxit.* S. Petrus Apostolus, ex maxima sua humilitate dixerat quondam ad Christum Dominum Magistrum suum. *Exi à me Domine quia peccator sum.* Atqui hæc oratio in tantum Christo Domino placuit, ut teste D. Chryſost. eum fecerit Pastorum Principem, fundamentum Ecclesiæ, & clavigerum Regni cœlorum. Quo magis S. Hilarion Anachoreta virtutes suas celare conabatur, migrando ex uno loco ad alium, eò magis divulgabatur ejus gloria ab ipsis quoque Dæmonibus, & ut omisso tam grandi Sanctorum catalogo ad nostros parentes nempe S. Cyrillum & Methudium præclarissima illa duo Ecclesiæ luminaria, quæ illam ut soles lucidissimi suo fulgore illustrant, accedamus, quid in ambobus nisi summam humilitatem inveniemus: quæ enim major in ipsis humilitas esse potuit, quàm hoc quod patria sua excedentes, ne inter suos clari haberentur, ad diversas iverint nationes, inter quas sua nomina non secu, satque semen frumenti in terra recondentes, maximum fructum tam Regno Boëmiæ, quam etiam Marchionatui Moraviæ attulerunt. Cum ergo ipsi inter nos humiles esse voluerint, nos è contra fugientibus honorem, demus honorem. *Laudemus viros glorioſos & parentes nostros.* Luca. 18. vers. 14. Gen. 18. vers. 11. 12. Ioan. 1. vers. 27. S. Chryſost. Hom. 38. ad popul. Luc. 5. v. 8. S. Hilarion

II. Sed neque id sine utilitate nostra fecerimus, si enim & nos quà tantorum parentum filii, eorundem vestigia sequi voluerimus, eorum encomia glorioſa, fient nobis pro calcaribus. Nam ad virtutis sequelam, efficaciora sunt, magisque movent exempla, quam præcepta sive hortamenta, quod S. Basilius, pulchra similitudine adumbravit. *Sicut pictores, cum imaginem ex imagine pingunt, exemplar identidem respectantes, lineamenta ejus transferre conantur magno studio ad suum opificium, ita qui sese mediatur, omnibus numeris virtutum absolutum reddere, velut simulacra quædam spirantia & actuosa, sanctorum vita respicere opus habet, probaque illorum opera, sua imitando facere.* S. Basil in Ascer. Ostenderat quondam Deus Moysi modum in monte Synai, juxta quem tabernaculum suum erigendum erat, sed quo fine? Num ideo ut id quod dicebat Deus. Patriarcha Moyses exciperet auribus? Minimè verò, sed ut illud quod audiverat executioni demandaret, sic locutus ad ipsum: *Inspice & fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.* Exemplar nostrum sunt sancti Dei servi, quos si diligentes speculari voluerimus, multa in ipsis imitanda nobis inveniemus. Exod. 25. vers. 40.

IV. De Zeuxi pictore celeberrimo fertur, quod Junonem Deam picturus, inspectis omnibus virginibus Agrigentinis, quinque præcipuas elegerit, ex quibus quod esset in unaquaq; præcipuum imitaretur: ad idem nos invitare videtur S. Paulus Apostolus dicens: *Mementote præpositorum vestrorum, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.* Eandem exemplorum formam multi Sanctorum Patrum Ecclesiæ summopere commendãt, inter quos S. Bernardus sic ait: *Armantur filiorum animi dum patrum recensentur triumphi.* Nobis non quinque uti Zeuxi pictori, sed duo saltim Tull. Cic. S. Paulus ad Hebr. 13. vers. 7. S. Bern. Serm. 54. in Cant.

saltim exemplaria, nempe unum S. Cyrilli, alterum verò S. Methudii patrum nostrorum, virorumq; glorioſorum ſufficient. Si ad primam S. Cyrilli formam oculos noſtros converterimus, multa ſane inveniemus, quæ & ipſi imitari poſſimus. Primum fuit charitas Dei & proximi omnibus ad æternam ſalutem conſequendam neceſſaria; charitas Dei, in hoc enituit: quia cum iſte S. una cum Methudio comite ſuo peragratis tot Regnis Sclavorum & Bulgarorum, ubi tot gentiles ad fidem Jeſu Chriſti propter ampliandam cœleſtis Hierarchiæ gloriam converterunt, tandem cum in Moraviam & Boëmiam perveniſſent, utramque charitatem promovere non ceſſarunt, nempe gloriam Dei (in conveſione infidelium) dilatando; & in zelo ſalutis (eorundem quos ad Chriſtum convertebant) charitatem proximi declarando.

V. Alterum non eſt minus viſu delectabile quod in hiſce ſanctis Patronis noſtris intuemur, nempe illam virtutem Sancti Pauli Apoſtoli de ſe ipſo dicentis: *Omnium me ſervum feci, ut plures lucri facerem, & factus ſum Iudais tanquã Iudæus, ut Iudæos lucrarer.* Et tandem multis præmiſſis in fine ait: *Factus ſum infirmis infirmus, ut infirmos lucri facerem, omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos.* Cum n. SS. hi Patroni noſtri veniſſent ad populum rudem & intractabilem nempe Moraviæ & Boëmiæ, adducta inprimis magna ex parte ad fidem Jeſu Chriſti gente Moravica, multum quoque laboris in gente Boëmica excolenda inſumpſerunt, tum quia hæc natio aſueta idolorum cultui, in quo cum regimine politico creverat, eique conſueverat, nulla ab eodem in ratione diſcedere vellet, unde & Principis Borinogii eo quod Chriſtianus eſſet, autoritatem contempſerunt, & Principatu expulerunt, tum quia nullam aliam linguam callebant niſi ſuam nativam, quia ipſis fides Chriſti prædicari poſſet. At S. Cyrillus nec non Methudius cum non ſolum Græcæ & Latinæ, ſed etiam Sclavonicæ linguæ quæ cum Boëma coincidit gnari eſſent, ideoque cum populo loqui poſſent, Sancti Pauli quin imo ipſius Chriſti Domini exemplum imitati ſunt, ut per converſationem placidam, & per ſuam patientiam fierent populo acceptabiles, quorum plurimos ad fidem Chriſti converterunt, plurima templa Chriſto Domino ſanctiſque excitarunt & conſecrarunt, ad laudem omnipotentis Dei, & ſalutem noſtram. Sit Deus benedictus in ſecula.

AMEN.

S. Paul 1. Cor. 9 v. 22

IN FESTO SS. CYRILLI ET METHUDII, CONCIO III.

Gloria filiorum Patres eorum. Proverb. 17. v. 6.

SIcuti magni & præclari Oratores, illud è ſuis Panegyricis lucri & utilitatis habent, quod dum alios laudant, tunc etiam ſimul ſuam eloquentiam & facundiam prædicant venduntque: ita & nos Auditores præſtantiſſimi, non cum damno, ſed cum maximo noſtro commodo prædicamus hodierna die, annuam memoriam, Sanctorum Patronorum, Regni hujus inclyti Boëmiæ, Sancti inquam Cyrilli & Methudii: quia cum illi, ſint parentes noſtri ſpirituales, quidquid illis laudis conferimus, id rurſus in nos, tanquam filios ſucceſſione quadam juris hæreditarii redundat: nam *Gloria filiorum, patres eorum.* Hinc illi filii antiqui teſtamenti, non aliter dici voluerunt quam Iſaëlitæ, non oſtenderent ſe ab illo deſcendiſſe qui non cum aliquo heroe, ſeu gigante mundi, ſed cum Angelo luctam habuit, atque obtenta victoria Iſraëlis nomen obtinuit, neq; alium quempiam pro patre ſuo agnoverunt, niſi Abraam Patriarcham: nam apud S. Joannem Evangeliſtam bis proteſtati ſunt dicentes: *Semen Abræ ſumus*, & paulò poſt clarius: *Pater noſter Abraam eſt.* Cum vero Abraam ab aliis quoq; anteceſſoribus ſuis aſcendiſſet à quibus & ipſi deſcenderunt, nihilominus cæteris præteritis ſolum Abraam pro patre agnoverunt, non ſolum propter circumciſionem quàm primus ſuſceperat, ſed etiam ob præclara beneficia & ſingularia privilegia quibus Deus ipſum affecerat: nihil quippe filiis eſt jucundius quam glorioſam habere pa-

Ioan. 8. v. 33.

rentelam, prælatis illustrem factis, & generoso stemmate insignitam. Posset quispiam interrogare cur Judæi in tantum adversus Christum odio exarserint, ut eum toties lapidare voluerint? Habemus enim octavo, nonoq; Joannis capite adnotatum, ipsum lapidare voluisse. Num ob prædicationem suam Evangelicam, quæ illis nova & insolida videbatur? Non: quæ & Joannes Baptista idem prædicabat, & tamen pro Messia eum suscipere volebant: an forte ideo, quia Christi prædicatio, antiquæ legi fuit contraria? Non: quia ipsemet protestabatur dicens: *Non veni solvere legem sed adimplere.* Ob quam igitur rationem? ibidem à Sancto Evangelista assignatur, nempe non potuisse pati & audire Judæos, quod se cœlestis patris nempe Dei, filium nominaverit, & id ipsum in tribunali coram Pilato dicebant: *Secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit.* Tantum est momenti in parentum gloria, ut invidiæ virtutum comiti, non aliud quam fastidium & tristitiam, filiis verò genuinis majorem splendorem adferre soleat. Sed quisnam splendor Boëmiæ ex hisce duobus Patribus, in hac concione patebit.

Ioan. 8. & 9. vers. 41.

Ioan. 1. v. 25.

Matth. 5. vers. 17.

Ioan. 19. vers. 7.

Curtius.

I. Refert Curtius Historicus quod dum peregrini quidam Oratores stetissent ante Alexandrum Magnum, illum laudaturi, multaque de sua magnanimitate, fortitudine, audacia in periculis, de tot bellis, & victoriis glorioſis, multisque aliis factis heroicis protulissent, tandem coronidis loco dixisse: *Tu Philippi es filius*, ac si inter omnia præconiorum genera, id unum esset præstantissimum, quod Alexander fuerit filius cujusdam Regis, quem hostes formidabant, amici colebant, exteri reverebantur. Auditores præstantissimi, præcipuè verò inclyti hujus Boëmiæ Regni contribules, cum inprimis ad hanc terram vestram, Boëmus quidam adventasset, commonitus à suis sociis itinerisque tam longi comitibus, ut eam à suo nomine, vocaret Boëmiam, quod à suo nomine, taliter (sociorum augurio) fuerit nominata, osculabtur terram præ nimio gaudio, eamque extensis palmis ad sydera salutabat, non solum ob id, quod sensibili conjectura felicem, futuram præviderit; in qua speculabatur tot examina apum, innumeras silvarum feras, quæ à nullo perterritæ passim per devia terræ vagabantur, ut vix illis tellus sufficere videretur, in qua cernebat tot armenta jumentorum, in qua audiebat suavissimas modulationes diversarum volucrum, in qua videbat aquas perspicuas & ad humanos usus saluberrimas, similiter pisces varios, & ad comedendum sanos, ad id. montes, valles, planitiemque magnam perlustrabat, sed etiam ob id, non dubitabat enim hæc prima & exigua domus suæ principia, in maximas & frequentes urbes in arces altissimas, & familias inclytas evasura, è quibus Principes Regesque, quin & Imperatores prodituri essent, qui ipsam illustribus atque heroicis gestis suis condecorarent. At hæc quæ nunc protuli spectant ad Boëmiam vestram Politicam: si autem Piam Boëmiam vestram considerare velitis, unde jam felicem nominabitis? sanè non ab avibus, non à ferarum, & armentorum multitudine, non ab aquis salubribus, non à montibus, campis, & vallibus, non ab urbibus, arcibus, & turribus, sed potius à sanctis illis Patribus Cyrillo & Methudio, de quibus jam illud meritò dici potest. *Pro patribus tuis nati sunt filii, constitues eos principes super omnem terram.* Quoniam illi? Primus est Princeps Borinogius qui ab hisce sanctis patribus conversus ad fidem Sanctam Catholicam, & baptizatus, factus est Princeps terræ primus filius tantorum patrum, & hæres Regni cœlestis. Quis enumeret cæteros ab hac stirpe procedentes, Principem Wenceslaum Adalbertum Pontificem, Procopium Abbatem, Ludmillam Martyrem, cæterosque quàm plurimos, qui licet non sint in albo sanctorum publicati nihilominus illud de ipsis dici potest. *Numera stellas cœli si potes.* Unde sequitur Auditores mei, quod si Alexander Magnus audito patris sui Philippi Macedonum Regis præconio, ob id sibi, suæque felicitati, tanquam verus filius gratulari debuerat: ita & vos hodiernâ die de tanta parentum vestrorum gloria gratulari vobis debetis: nam *Gloria filiorum, patres eorum.*

Cosmas Pragens. Decan.

Genesis 15. vers. 5.

II. De Siracide scribunt commentatores sacri textus antiquæ legis, quod apud Ægyptios inter quos vivebat, cæteraſque gentes, omnibus Patriarchis, Patribusque veteris testamenti, nempe Enoch, Abrahæ, Isaac, Jacob, Moysi, Aaroni, Phinees, Josuæ, Samueli, cæterisque patribus, Sacerdotibus, Ducibus, Regibus, & Prophetis encomium dedisse speciale, cujus initium sic incipit: *Laudemus viros.*

Eccl. 44. vers. 1.

virós glorioſos & parentes noſtros in generatione ſua. Cur verò id fecerit Cornelius à Lapide aſſignat cauſam dicens. *Voluit enim celebrare ſuum populum, ſuosque Hebræos, aliis multis nominibus gentibus inviſos & contemptibiles.* Maxima certè hujus Oratoris erat audacia, laudare tales viros quibꝰ Ægyptici cęteręq; nationes infenſæ erant, easq; ſummo proſequebantur odio; hæc inquam audacia erat ſummi periculi: nam ex tali prœconio duo provenire ſolent, livor & invidia quæ naſcitur & originem trahit in audiente, & deinde periculum mortis in proferente. Patet id ex 1. libro Regum. Sciebat Jonathas, Patrem ſuum Saulem odio habuiſſe Davidem, poſt illam ſolennem victoriam partam de Goliath Gætheo, unde ut placaret animum patris cœpit egregio encomio prædicare Davidem dicens. *Ne pecces Rex in ſervum tuum David, quia non peccavit tibi, & opera ejus bona ſunt valde tibi. Et poſuit animam ſuam in manu tua, & percuſſit Philiſthæum: & fecit Dominus ſalutem magnam univerſo Iſraeli.* Tunc quidem Saul diſſimulavit, placatusque eſſe videbatur. Sed dum alia vice de ipſo loqueretur, ait textus. *Arripuit Saul lanceam, ut percuteret eum.* Atqui ille Siracides nullum ab hoſtibus Iſraelis timebat periculum, propter encomia ſuorum patrum, quia gloriam eorum pluris æſtimabat quàm vitam. *Gloria filiorum patres eorum.*

Cornelius à Lap. ibid.

1. Reg. 18. verſ. 9.

1. Reg. 19. verſ. 4.

2. Reg. 20. verſ. 33.

III. Ampliorem nos habemus commoditatem laudandi patres noſtros Sanctum Cyrillum & Methudium, tum quia inter hos degimus qui ipſis ſecuti & cæteris Sanctis (tanquam Chriſtiani Catholici) bene favent; tum quia laudandi ipſos, ampliorem habemus materiam: illi quippe ſunt Patriarchæ patresque noſtri, qui nos in ſpiritu Sancto genuerunt; illi ſunt Apoſtoli noſtri, qui non ſolum Sclavoniam & Bulgariam, cæterasque orbis partes, ſed etiam Moraviam Boemiamq; peragrarunt, ut terram illam ſpiritualem pinguem quidem & fertilem ſed incultam & ſentibus ſpinisque errorum gentilium plenam, aratro ſanctæ crucis nec non corylo Sancti Evangelii excolerent. Illi ſunt Martyres, licet quidem ſolo animo, ſed etiam & ipſa vita, quam tot periculis inter gentiles exponere non formidabant. Illi ſunt Confeſſores Domini, quia ſuccincti lumbos mentis, lucernasque ardentes in manibus præferentes, exemplo vitæ ſuæ ſanctæ, nec non doctrinæ ſalutaris, viam nobis cœleſtem demonſtrarunt: denique illi ſunt virgines, quia caſtâ vitâ, moribusque præcellentes, agnumque ſequentes quocunque iverat, normam ejuſdem vitæ nobis reliquerunt. De quodam negotiatore quærente bonas margaritas mentionem facit Dominus Matth. 13. nempe inventa una pretioſa margarita, abiiſſe & vendidiſſe omnia quæ habuit, eamque comparaſſe. Quanta hic laude digni cenſebuntur Sancti Patres noſtri Cyrillus & Methudius, qui ſimiliter negotiatores imitati, quæſiverunt bonas margaritas, & ecce cum tot inveniſſent in Moravia & Boëmia, ſed impolitas, nempe animas hominum margaritis cariores, omnia vendiderunt quæ habuerunt ut emerent eas, id eſt, totum in id ſtudium conatumque ſuum impenderunt, ut eas Chriſto Domino lucri facerent. Ecce Auditores anne verum? *Gloria filiorum patres eorum.*

Matth. 13. verſ. 46.

IV. Inter cætera amoris Chriſti Domini beneficia donaque illud quoque, eſt ſingulare quo mundum honoratæ dignatus eſt, ſcilicet, quod cum præter duodecim Apoſtolos ſuos quos in diverſa Regna, terras & provincias ad prædicandum Evangelium ablegavit dicens. *Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ*, præter hos etiam ſeptuaginta duos deſignaverit, eosque binos in omnem civitatem locumque quo erat ipſe venturus, miſerit. Cur duos ſimul miſerit, Venerabilis Beda reſpondet dicens. *Quia duo ſunt præcepta charitatis, Dei videlicet amor & proximi, & minùs quàm inter duos charitas haberi non poteſt.* Simili honore divina bonitas proſecuta eſt Regnum hoc Boëmię, terramque Moraviæ, ut enim illarum populi docerentur charitatem Dei, proximique, non unum è ſuis ſanctis diſcipulis ad ipſos deſtinavit, ſed binos ſanctos nempe Cyrillum & Methudiū: duos inquam miſit, ut eſſent ejuſdem voluntatis, officii, & ſtudii ut duabus terris melius providerent. Meritò hi Sancti Patroni noſtri figurantur per duo talenta, ad nos ditandum, & redimendum; per duos calamos, ad ſcribendam veritatem & docendum: dicente ſacro textu; *Sint ſpherulæ ſub duobus calamis*: per duas tubas argenteas quibus vocemur & excitemur, ad fidem & pœnitentiam. O quantas Deo laudes debemus pro tantis beneficiis, quantas hiſce Sanctis Patronis pro glorioſis

Marc. 16. verſ. 15.

Luc. 10. verſ. 10. Beda hic.

Matth. 25. v. 14. 15.

Exod. 25. verſ. 35. Num. 10. verſ. 2.

eorum laboribus. Cum merito dicere possimus. *Gloria filiorum, patres eorum.*

V. Alterum est quod demirer, nempe per hos duos Sanctos Apostolos nostros, tam latissimas orbis terras nempe Sclavoniam, Croatiam, Dalmatiam, Bulgariam, Moraviam, Boëmiam cæterasque adjacentes & Vicinas, ad fidem Christi Domini conversas esse: sed forte quibusdam dabo occasionem scandali, qui dicere possent, nunc non à duobus sed vix à decem Sacerdotibus unum hominem ad frugem meliorem vitæ, converti posse. Vultis causam? Bovi trituranti os non clauditur, vos autem estis hi, qui imminuistis redditus Ecclesiasticos, estis hi qui autoritatem Ecclesiasticorum flocci facitis: estis hi, qui plus ovilia vestra curatis quam templa. Speculantur quidam Doctores

1. Cor. 9. vers. 9.

satis verè quod in extremo illo judicio, quilibet Apostolorum terram suam in qua Evangelium prædicavit coram judice Christi præsentabit, & negligentes verbi Dei accusabit. Certè si Apostoli Sancti id facient, & adducet in judicio quisque terram suam, quam Domino lucratus est, eodem modo & nostri Apostoli S. Cyrillus & Methudius, inter cæteras terras in quibus prædicarunt, adducent quoq; Boëmiam, & ostendent quam procul distet à pristino pietatis fervore, ab illa antiqua simplicitate, à mutua charitate, virtutumq; zelo. Quod ne fiat necessum est ut commutemus vitam in melius, & hosce Sanctos Apostolos nostros rogemus, ut non accusatores sed patroni nostri esse velint ante Dominum.

AMEN.

IN FESTO SS. CYRILLI ET METHUDII,

CONCIO IV.

Illi sunt viri misericordiæ. Ecclesiastici 44. v. 10.

INnter plerasque visiones ostensas Sancto Zachariæ Prophetæ, erat etiam quædam insignis, quam describit 4. capite Prophetiæ suæ: nempe, se vidisse candelabrum, totum aureum, & lampadem super caput ejus, & septem lucernas super illud, & septem infusoria, nec non duas olivas super illud, unam à dextris lampadis, & unam à sinistris. Quidnam illud candelabrum cum suis attinentiis significet, nunc nihil habeo negotii cum sensu literali, sed ad mysticum me confero: per illud candelabrum Venerabilis Hugo Cardinalis intelligit Ecclesiam Christi Domini, per lampadem, ipsum Christum, per septem lucernas, septem virtutes sive beatitudines, quæ à Sanctis Evangelistis recensentur; per septem infusoria, septem dona S. Sancti. Jam verò quod concernit duas olivas, per illas intelligit Apostolos in utroq; populo nempe veteris, noviq; testamenti prædicantes, & maximé petrum & Paulum, qui quasi spicæ superiores cæteros ramos, id est cæteros Apostolos, præcellere videbantur. Sanè non sine peculiari mysterio hi duo SS. Apostoli duabus olivis comparantur. Oliva enim semper fuit, estq; Symbolum pietatis & misericordiæ, pacisque Unde Gen. 8. c. finito diluvio, columba amissa ex arca ad explorandum, an jam cessassent aquæ, revertens ad arcam, portavit secum in ore ramum virentis olivæ in signum pacis. De Apostolis autem sonat illa Prophetia Isaiæ dicentis: *Quam pulchri super montes pedes, annunciantis & prædicantis pacem.* Favet eidem sententeæ S. Bernardus Abbas, nam de iisdem Sanctis Apostolis Sermone tertio sic ait. *Meritò fratres Apostolis Sanctis, attribuit mater Ecclesia, quod in Sapientia libris legitur. Hi sunt viri misericordiæ. Sunt enim hi planè viri misericordiæ, sive quia misercordiam consecuti, sive quia misericordia pleni, seu quia misericordiæ à Deo nobis donati sunt.* De quibus Psaltes Regius prophetasse visus est dum ait. *Filii tui sicut novella olivarum in circuitu mensæ tuæ.* Cur Sanctos Apostolos olivis & non aliis comparat arboribus? quia oliva nihil speciosius, quod ex eo patet, quia Divina Sapientia cum se multis contulisset arboribus. Cedro nimirum Cypresso, Palmæ, Rosæ ac Platano, solam olivam dixit speciosam. *Quasi oliva speciosa in campis.* Et cui magis conveniet, quam his, quorum *speciosi pedes annunciantis & prædicantis pacem?* Sed quamvis Hugo Cardinalis per istas duas olivas intelligat hosce duos Apostolos

Zachar. 4. vers. 2.

Hugo Card. ibid.

Matth. 5. vers. 3 4.

Gen. 8. v. 11.

Isaiæ 52. vers. 7.

S. Bernard. serm. 3. de SS. Pet. & Paulo.

Ps. 127. v. 3.

Eccl. 24. vers. 19.

los Sanctos, Petrum & Paulum, ob hoc quod juxta D. Bernardum fuerint viri misericordiæ, ob hoc quod fuerint prædicatores pacis, nihilominus ego veniâ tantorum Principum, has duas olivas transplantabo & transferam ad hortulum Boëmiæ, easque novis duobus Apostolis Sancto Cyrillo & Methudio dedicabo, eò quia & *isti sunt viri misericordiæ*, quod vobis in hac concione probabo.

I. Non sine ratione accepi mihi hasce duas olivas, tum pro emblemate misericordiæ, per quam intelligitur beneficentia, quam etiam Concionis meæ: nam non caret mysterio illud scriptum in Canticis. *Quasi oliva speciosa in campis:* si speciosa, cur in campis? cur non potius in hortis clausis beneque sera munitis? sed S. Antonius Archiepiscopus Florentinus, intelligit per has duas olivas, duplicem quoq; misericordiam, nempe unam Christi Domini, quam in spiritu extollit Propheta David dicens. *Quomodo miseretur pater filiorum: misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.* Psal. 102. vers. 13. Quam pulchrè id explicari potest. Oliva gratis & sine ullo pretio sed naturali instinctu fudat & stillat suum oleum, ad usus humanos necessarium, & de Christo Domino ait Venerabilis Hugo Cardinalis. Gratis misertus est, quia pater gratis miseretur filiorum suorum, eos nutriendo & necessaria ministrando. Hugo Card. Sed quænam res est quæ Salvatorem nostrum inducit ad tantam misericordiam? *Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.* Id est, fragilitatem nostram. Patet hoc pulchro quodam exemplo seu parabola, quam ipsemet Dominus ore suo enarravit dicens. *Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho & incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis abierunt, semivivo relicto.* Luca 10. vers. 30. Quid sequitur? Fortuito evenit quod illac transiret Sacerdos, sed miserum hominem, ac si non nosset, præteriit, idem fecit & Levita. Samaritanus autem hac iter faciens vidensque hominem sauciatum & spoliatum, mox descendit de jumento suo, & in illud reposito curam illius habuit. Beda. Venerabilis Beda per Samaritanum, intelligens Christum Jesum, sic ait. *Samaritanus qui interpretatur custos, Dominum significat. Qui propter nos homines & propter nostram salutem, descendens de cœlo, vita præsentis iter arripuit, & venit secus eum qui vulneribus tabescebat.* Sed cur id non fecit Sacerdos, aut Levita; sed solus Christus? *Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.* Unde ut ait idem Venerabilis Beda. *In similitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo, compassionis nostræ susceptione finitimus, & misericordia factus est consolatione vicinus:* per alteram oblivam idem S. Præsul intelligit misericordiam Deiparæ Virginis Mariæ dicens. S. Ant. P. 3. tit. 31. cap. 4. *Ad olivam speciosam in campis omnes possunt accedere & accipere fructum ejus. Sic ad Mariam, & justi & peccatores possunt accedere, ut inde misericordiam accipiant.* Ecce quam pulchra correspondentia inter hasce duas florentes olivas, ad Beatiss. Virginem Mariam omnibus, nempè non solum justis sed etiam peccatoribus facilis accessus patet, dicente S. Bernardo. *Vade ad matrem misericordiæ, & ostende illi, tuorum plagas peccatorum, & ipsa pro te ostendet filii pectus & ubera.* S. Bernard. serm. de Nat. M. Et tandem concludit. *Exaudiet usq; matrem Filius.* Similiter ad Christum Salvatorem nostrum, idem patet aditus. *Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.*

II. Hinc non est mirum, ut quæ ratio (nempè misericordiæ) ipsum movit, ut in veteri testamento, miserit Prophetas, ad annunciandum suam divinam misericordiam, & redemptionem nostram, quæ propterea ipsum movit ratio ut *Qui eum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus sit esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*: quæ insuper ipsum adduxit ratio, ut ipse circuiret civitates, prædicaret & converteret gentes, Apostolos item in universum terrarum orbem ad prædicandum & docendum miserit, alios discipulos designarit, eis Spiritum Sanctum in hunc finem dederit: ea etiam Auditores movit eum ratio ut Sanctos Cyrillum & Methudium Sacerdotes Domini oriundos ex Alexandria, Græcæ & Sclavoniæ linguæ peritos, Doctores insignes, & præcones Sacri Evangelii, in has terras Boëmiæ & Moraviæ ablegaverit. Philip. 2. vers. 6. Vidit misericors Salvator noster, populum sine Duce & Pastore, & eam planè necessitatem, quantam olim videbat apud gentes, ad quas suos Apostolos destinaverat, eandem inquam cœcitatem & in ipsis esse: itaque eadem misericordia pro eadem necessitate, hos duos Apostolos huc ordinavit, quibus pariter dictum arbitremini, quod Apostolis,

lis. *Sicut me misit Pater vivens ita & ego mitto*: vos inquam mitto cum literis credentialibus, cum plena autorirate, cum omni pleni potentia, & facultate. Terra quidem ad quam missi erant, satis fœcunda videbatur, sed erat inculta, vinea satis idonea, sed nemo eam curabat, messis erat satis copiosa, sed nulli erant operarii: quid igitur? Misit agricolas, qui terram excolerent, operarios qui vineam colerent, misit pastores pro grege pascendo, Duces pro lege ferenda, Prophetas qui etiam futura annunciarunt.

III. Et quia militibus dum aliquo destinantur ad excubias, datur certa tessera, per quam dignosci possint ab hostibus, hi Sancti Apostoli, non aliam à Christo tesseram acceperunt præterquam misericordiæ, qua suscepta non alii quoque esse voluerunt, nisi viri misericordiæ: in quantùm enim hæc virtus accipitur pro beneficentia, eam utrique huic genti abundè conferebant. Inprimis enim magna atque incredibilis erat S. Cyrilli beneficentia, quod post conversionem tot nationum gentilium in Sclavonia cæterisque provinciis etiam in Moravorum terram directus à Christo non secus atque S. Thomas Apostolus in Indias, mirabilem ibidem in conversione animarum ad fidem Christi fructum fecerit, miseratus enim gentis illius inscitiam, quia inania idola adorabat, inprimis ad Regem Suatoplucum, tanquam caput aliorum, iter suum direxit, qui non minùs gratum habens tantum hospitem, ei cum gente sua in occursum venit, & in suam aulam reverenter suscepit, unde cum largiente divina gratia, Regem prius divini verbi prædicatione in fide Christiana cathechisasset, atque salutari aqua Baptismi abluisset, cæteri in tanta multitudine capitis sui exemplum secuti sunt, ut infra paucum tempus Ecclesia metroplitana in Willehrad erigeretur, & tam in Polonia, quam Ungaria septem suffraganei tanquam septem candelabra, aut septem stellæ ordinarentur, qui eidem Ecclesiæ adjumento & ornamento essent.

Apocal. 1. vers. 13.

IV. Ad hanc beneficentiam duplicatam, nempe S. Cyrilli, quod Regem cum gente sua baptizaverit, & ad finem Christi adduxerit, Regis verò, quod spiritualem ordinem in Regno suo tot beneficiis auxerit, accessit etiam ex parte S. Cyrilli alia beneficentia. Hic enim cum etiam in Boëmia, Borinogium Ducem, nec non Ludmillam coujugem suam, cæterosque plurimos baptizasset, ibidemque Principi ad erigendas tam Pragæ, quam etiam alibi Ecclesias, esset consilio & auxilio, easque ipse consecrasset & studia literaria instituisset, tandem Romam rediens, à Spiritu Sancto edoctus, in insulam marinam properavit, in qua manibus Angelicis reconditum erat corpus S. Clementis Martyris, hoc ille nactus, reverenter accepit, & reversus in Moraviam in Ecclesia Wellegradensi tanquam thesaurum quendam pretiosum deposuit. Pensate pietatem tanti patroni, qui ut condecoraret illam Ecclesiam, talem Sanctum & Patronum in illa reposuerit. Hoc fecit ut Episcopus & Apostolus: Sed ut Propheta prævidens terræ Moraviæ destructionem futuram, suscepto rursus corpore S. Clementis Romam illud detulit, illudque Nicolao summo Pontifici præsentavit, à quo cum summo honore exceptum fuit.

V. Ne autem beneficentia S. Cyrilli, quâ Moraviam & Boëmiam à se conversam, affectuosius prosequebatur, in ipso finem acciperet, fratrem suum Methodium in locum suum substituit, ipse verò Episcopatu renunciato, monachus factus est, & miraculis coruscans in Domino quievit, ac in eadem æde S. Clementis nactus est honorificam sepulturam. Sanctus ergo Methudius, annuente eodem Sancto Cyrillo Archiepiscopus factus, cum se rursus in Moraviam ad iter accingeret, ut eandem patriam, patroni sui S. Cyrilli majori adhuc beneficentia honoraret, cum apertè non posset, clam conabatur auferre corpus ejusdem sancti fratris, & laborum socii; sed cum in via cum eodem substitisset, ecce tibi sanctum corpus nolens ulterius deduci signum dedit manu, quatenus reduceretur Romam. Hanc enim voluntatem suam, jejuniis vigiliis & orationibus S. Methudius exquisierat. Nihilominus relicto suo in loco sacro illo corpore, memoriam hujus Sancti Patroni deferebat secum, quasi exemplar quoddam in Moraviam ubi munus præsulis diligenter & suaviter exercebat. Sed cum post mortem suatopluci Regis, qui in prælio Arnulpho Cæsari oblato occubuerat, Suatobogias filius suus in Regnũ succesisset, atque uti juvenis, venationibus, cæterisque ludicris incumberet, in solennitate Apostolorum S. Petri & Pauli, ad venationem exiens, cum diu nimis moram traheret, & populus è tem-

ple

plo domum discederet, Sanctus contra imperium Regis sacrificium missæ celebravit, quod dum necdum finivisset, Rex cum turma canum & venatorum rectà ad templum veniens, Sanctum Episcopum multis affecit injuriis. Post quod facinus excommunicato Rege S. Cyrillus Romam rediit, ibique consummato agone vitæ suæ æternam mercedem recepit in cœlis. AMEN.

IN FESTO S. LUDMILLÆ MARTYRIS, PATRONÆ BOEMIÆ,

CONCIO I.

Bona est negotiatio ejus. Proverb. 31. v. 18.

INter tot Patronos sanctitate celebres inclyti hujus Regni Boëmiæ, occurrit quoque nobis hodie, annua & solennis memoria S. Ludmillæ Martyris & Boëmiæ. Quam dum ego pro conditione status sui laudare intendo, cupioque, ignoro an id (stando penes thema propositum nempe; Bona est negotiatio ejus) efficere valeam. Quod enim negotiatio in statu viliori censeatur, patet id quibusdam Sacræ Scripturæ locis. In primis in libro Neëmiæ Prophetæ in quo ordo describitur juxta quem,
Neemiæ 3. v. 23. instituente Neemia (cum facultate Arthaxerxis Regis) reparationem civitatis Jerusalem, & incipiente Eliasib Sacerdote magno, cæterisque fratribus ejus Sacerdotibus alii quoque nobilitatem suam, assumentes sibi partes dirutas, tam in muris quam etiam portis & turribus, in opere faciendo sequebantur, & tandem in fine capitis ait textus. *In porta gregis ædificaverunt artifices, & negotiatores.* Quæ verba
Hugo hic. explicans Venerabilis Hugo Cardinalis ait. *Unde porta gregis dicta est porta negotiatorum.* Duo hic noto: Primum, quod negotiatores collocentur in eadem tribu cum artificibus, & secundum quod destinati fuerint, ad reparandam portam gregis: unde pulchrum habeo transitum, à veteri testamento ad novam legem Christi Domini, qui ejecit è templo negotiatores, vendentes columbas & ementes. Non solæ columbæ offerri solebant in antiqua lege, sed etiam cæteri diversi greges, ovium, vitulorum, & arietum: unde dicit Venerabilis Beda, primam portam gregis, quæ erat juxta piscinam probaticam ædificatam fuisse à Sacerdotibus,
Beda. dictamque fuisse portam gregis ideo; *Quia per illam inducebantur greges ad offerendum, juxta quam erat probatica piscina, in qua lavabantur hostiæ.* Sed quia ætate Christi, jam occupaverat Judæos avaritia, nec in tantum curabant offerre pecudes, sed ut levius sacrificia sua expedirent, vendebant columbas & emebant, quæ alioquin ad certa sacrificia pertinebant, hinc Christus, tales negotiatores, qui non tam zelo sacrificii, sed propter quæstum similia vendebant, ejecit de templo dicens. *Nolite facere, domum Patris mei domum negotiationis.* Si ergo negotiatio Christo non placuit, quomodo igitur S. Ludmillam ex negotiatione laudare potero? Sed notandum nobis est, quod sicut forum, in quo negotiationes exerceri solent, duplex est, ita quoque negotiatio iisdem terminis circumscribitur. Quoddam forum est temporale, & in hoc qui juste negotiatur, evitat querelam: aliud forum est spirituale, & in hoc qui negotiatur, non solum caret querela, sed etiam summam acquirit laudem. Et quia in tali foro Sancta Ludmilla negotiata fuit, ideo *Bona est negotiatio.* Quod vobis in hac Concione demonstrabo.

Ioan. 2. v. 16.

I. Sanctus Ezechiel Propheta, cui inter cæteros plurima revelavit Dominus secreta cœlestia, proposuit quoddam ænigma hisce verbis. *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu venit ad Libanum, & tulit medullam Cedri, & transportavit eam in terram Chanaan, in urbem negotiatorum posuit illam.* Venerabilis Hugo Cardinalis, intelligit locum istum
Hugo Card. de Nabuchodonozore Rege, quando cum magno exercitu suo veniens Jerosolymam, templum spoliavit, unaque cum Rege & Principibus captis, sustulit aurum optimum, & vasa templi omnemque supellectilem pretiosam,

Ezech. 17. v. 3.

& transtulit in Babylonem, quæ civitas erat tunc emporium nobilissimum, sicut nunc est Parisiis, Venetiis, Lunduni Norimbergæ, cæterisque in magnis civitatibus, ubi multa venalia reperiuntur. Sed in sensu mystico per istam Aquilam possumus intelligere quemvis hominem justum, ob multas hujus avis proprietates. Primo, quia sicut Aquila rostrum acuit ad petram, sic justus homo, acuit vitam suam ad exemplar Christi qui est *Petra* justitiæ. Secundo Aquila in æstu solis deponit veteres plumas, & justus *veterem hominem* unà cum actibus suis. Item Aquila in fonte balneatur, & novis plumis induitur, & justus in fonte contritionis abluitur, novasque gratiæ cœlestis pennas acquirit. Aquila famis est patiens: & justus novit esurire justitiam. Aquila ungues suos studiose respicit, & justus novissima; juxta illud. Memorare novissima tua. Aquila supra cæteras aves volat sublimius: justus vero per contemplationem, usque ad thronum DEI. Aquila audacter immotis oculis intuetur solem: sic & justus solem justitiæ Christum Jesum. Talis ergo Aquila tunc tollit de Libano cœlestium donorum medullam cedri, dum omnem corticem mundi, nempe ea quæ ad extra aliquid videntur esse despicit, & solam medullam nempe, hominem interiorem medullam virtutum præferentem rimatur, quam tunc ponit in urbe negotiatorum, dum in Ecclesia Christi Domini, salutem animæ suæ negotiare non cessat, juxta illud Salvatoris. *Negotiamini dum venio.*

2. Cor. 10. v. 4.

Ad Colos. 3. v. 9.

Eccles. 4. v. 30.

Ignat. Continus.

Luc. 19. v. 13.

II. Negotiatores hujus mundi habent aliquam paritatem, cum negotiatoribus mysticis, qui negotiantur circà salutem suam: nam quemadmodum negotiator, die noctuque lucris suis inhiat, nulli in hoc parcens labori aut sumptibus, longa itinera periculis plena per terras mariaque conficit: eodem modo negotiator mysticus si vult lucrari animam suam, nullos labores debet refugere, nullis sumptibus debet parcere, quin imò illum negotiatorem imitari debet, de quo Sanctus Matthæus Evangelista talem similitudinem ponit, dicens. *Simile est Regnum cœlorum negotiatori, quærenti bonas margaritas, inventa autem una pretiosa margarita, abiit & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.* Quot hic sunt notanda & admiranda in hoc mercatore? primo labor maximus, & defatigatio corporalis, in eo, quod multas terras, & regiones perlustravit, quærendo non qualescunque, sed bonas margaritas. Secundo admiranda est sua resolutio, qui dum unam margaritam invenisset, rursus abiit in domum suam, utque illam comparare posset, omnia vendidit quæcunque habere potuit. Magna hujus hominis audacia, certum pro incerto permutare, propter unam margaritam omnia sua amittere & divendere: certe non video quid hic amplius sibi retinuerit, nisi unicam spem, de qua vulgò dicitur. *Spes alit & fallit:* hæc ipsum alebat, & fortasse sua omnia cum illa pretiosa margarita duplicata (uti Job qui recepit pro amissis suis duplicia) recuperavit. Si spes temporalium tam est fortis, quid putatis, quanto sit fortior spes cœlestium, cui fides innititur.

Matth. 13. v. 45.

Iob. 42. v. 10.

III. Non sine causa Clemens Alexandrinus, spem cœlestis vitæ *Sanguinem fidei* appellavit: quemadmodum enim in humano corpore, caro, nervi, ossa, à sanguine sustentantur, eoque corpus nutritur, & accrescit: ita quoque fides Christiana continuo alitur, & roboratur spe vitæ æternæ, & bonorum quæ Deus præparavit in illa his, qui propter eam adipiscendam, res mundi hujus nihili æstimant. Princeps ille Christianorum primus in Boëmia Sanctæ Ludmillæ conjunx, erit nobis pro exemplo: hic enim priusquam à Sancto Cyrillo Baptismum suscepisset, prius Sanctum Episcopum interrogavit, quemnam fructum habiturus esset exinde si Christianus fieret, factusque à Sancto viro certior, quod si fidem Christi susciperet, non solum in hoc mundo dominum dominorum futurum, sed etiam post hanc vitam mortalem, aliam in cœlis meliorem, nempe æternam habiturum, ea spe fretus Sacrum Baptisma una cum triginta comitibus suscepit. Qui domum rediens, & hæc quæ gesta erant diligenter referens Ludmillæ conjugi suæ, quæ gentilis quidem & ipsa nata atque educata, idolo suo Crosina dicto primum addicta fuit, sed postquam aliam veram fidem à marito didicisset, multum indoluit, quod eandem, per quam vivere posset in perpetuum, sibi non licuerit addiscere, unde & ipsa non diu post, à Sancto Cyrillo baptisata, tantam ex ea veræ fidei cognitione, & susceptione gavisa fuit, ac si pretiosissimam Margaritam reperisset. Nam quemadmodum negotiator ille Evangelicus propter illam omnia

sua

sua vendidit, sic & Sancta Ludmilla inventa hac sanctæ fidei margarita, cætera nihili fecit, quia in ipsa sola omne suum bonum, veramque benedictionem collocavit.

IV. Hanc veritatem apprime cognoscebat Patriarcha Jacob, in notabili illa lucta, quam habuit cum Angelo, vel cum verbo Divino, uti sentit Angelicus Doctor S. Thomas, & ante ipsum Chrysostomus, Hilarius, Athanasius Theodoretus, cæterique complures, qui à docto commentatore Istella citantur. Nunquam enim luctatorem suum dimittere voluit, donec primo ei benediceret. *Non dimittam te, nisi prius benedixeris mihi.* Quid istud bone Jacob? nunquid surripuisti benedictionem fratri tuo Esau? Nonne modo es primogenitus, & successor illustris domus Patris tui Isaac: ut quid igitur aliam vis benedictionem? Sufficiat tibi quam habes: ne tantus sis benedictionum direptor. Dionysius Carthusianus, succurrit Jacobo, & ait, illud quod hic petiit, fuisse benedictionem cœlestem, & dona gratiæ. *Non dimittam te nisi benedixeris mihi, imprecando, & ministerialiter impendando mihi bona gratia, & subventionis optata.* Quasi diceret: Benedictio quam fratri meo abstuli, est benedictio terrena, illa vero quam modo requiro, benedictio cœlestis: tunc porro me beatum ducam, & veraciter divitem cum à Deo benedictus fuero. Tales divitias Sancta Ludmilla jam per Baptismum facta Christiana expetebat, quapropter. *Bona est negotiatio ejus.*

Gen. 32. v. 24.
D. Thom. hic.
Istella. in hunc locum.
Dionysius Carthus.

V. Qui pro vero negotiatore in mundo haberi desiderat, non unam sed plures merces habere debet: talem fuisse puto in suo gradu Sanctum Petrum Apostolum, hic enim ubi in splendore Christi transfigurati plurimas divinitatis gloriæque suæ merces conspexit, mox se accinxit ad construenda tabernacula, quibus merces illæ imponerentur, dicens. *Domine si vis faciamus hic tria tabernacula.* Tales & Sancta Ludmilla merces expetebat; quidquid enim ad merces cœlestes accumulandas spectare videbat, id sibi comparatum habere cupiebat, quod hinc patet. Cum enim Dux Borinogius ei indicasset, qualiter dum esset in venatione Eremitam quendam in illa Eremo Deo servientem inveniisset, illa more quodam puerili, dum aliquid pulchri illis ostenditur eoque potiri volunt, prorupit in lachrymas utque virum DEI Ivanum videre posset, tota nocte DEUM precabatur, sed & DEUS exaudivit preces illius, inflexit enim animum viri DEI, & ut ad ipsam veniret, eamque divinis consolationibus recrearet. Jam advertitis Auditores quænam negotiatio Sanctæ Ludmillæ fuerit? eam ergo imitari studeamus, ut thesaurum vitæ cœlestis animæ nostræ lucrari mereamur. AMEN.

Matth. 7. v. 4.
Hagecius fol. 66.

IN FESTO S. LUDMILLÆ
CONCIO II.

Exuit se vestibus viduitatis. Judith. 10. v. 2.

VEreor Auditores præstantissimi, ne in quo laudare cupio, Sanctam Ludmillam viduam, Christi martyrem, in eodem ipsam vituperare inveniar. Quæ enim laus est uni viduæ, deponere vestimenta viduitatis suæ, & alia quædam peregrina, insolentia statumque vidualem dedecentia induere? Si Sanctus Paulus Apostolus diligentissime ordinavit penes Timotheum discipulum, quatenus admoneret mulieres, ut decenti habitu secundum statum suum uterentur, utque se ornarent cum verecundia & sobrietate incedentes, *non in tortis crinibus, ut auro aut margaritis, vel veste pretiosâ, sed quod decet mulieres:* quantò diligentius ipsum monuisset, si audisset ætate sua, sicut nunc reperire non difficile est, viduas contra statum suum, in vestitu meretricio incedentes? De Sancta Judith vidua legimus, quod se exuerit vestibus viduitatis suæ, & induerit se vestimentis jucunditatis, quod crinem capitis sui discriminaverit, quod lilia, inaures, & annulos assumpserit, seque omnibus ornamentis exornaverit. Sed iste cultus, quo fine ab ipsa assumptus fuerit, patet testimonio Sacræ Historiæ dicentis. *Cui etiam Dominus contulit splendorem, quoniam*

1. Tim. 2. v. 10.

Iudith.10. v.4. *niam omnis ista compositio, non ex libidine, sed ex virtute pendebat.* Quæ verba explicans Barbastrensis sic ait. *Expende cur dicatur splendor datus fœminæ, nimirum quia non libidinis, sed castitatis amor illam ornabat.* Cum enim Princeps Holophernes cum exercitu Assyriorum Bethuliam civitatem filiorum Israelis obsedisset, volens illa tali stratagemate & ipsum confundere, & exercitum suum dissipare, ad hunc finem exuris vestimentis viduitatis suæ, induerat se vestibus jucunditatis, & quidem quod mente conceperat, feliciter eidem successerat. At de Sancta Ludmilla nihil simile legitur, quod se cultu aliquo splendido qui statum dedeceret viduitatis ornaverit, aut quod post mortem mariti sui Borinogii Principis, alium virum quæsiverit. Cur igitur ipsius encomio thema tale affingo. *Exuit se vestimentis viduitatis suæ?* Rationes quas adducam, cedent in laudem sanctæ hujus viduæ, nostræque singularis Patronæ.

Beza.l.15. c.1.

Matth.9. v.15. I. Legimus Matthæi 9. capite, discipulos Joannis Baptistæ quondam ad Christum Dominum accessisse eumque in hunc modum interrogasse, quod cum ipsi; nec non Pharisæi frequenter jejunent, cur ipsius discipuli non jejunent? quibus Christus Dominus respondit dicens. *Numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus?* S. Lucas alio termino ponit hoc responsum Christi Domini dicens; *Nunquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere jejunare?* Videretur hic quibusdam aliqua in his Evangelistarum sententiis contrarietas, aliud enim videtur esse *lugere & aliud jejunare*: apud Sanctum Matthæum Evangelistam prohibet Dominus luctum in præsentia sponsi sui, & apud Sanctum Lucam prohibet jejunium: sed si ad consuetudinem Judæorum attendere velimus, nihil contrarii erit. Moris enim erat apud Judæos luctum repræsentare per jejunium, a qua consuetudine ut Christus Dominus discipulos suos revocaret, dicebat ad illos. *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes:* unde sive hic accipiatur luctus pro jejunio, sive etiam jejunium pro luctu; Rupertus Abbas Tuitiensis, expendens hanc responsionem Domini ponit differentiam inter Judæos, & Christi discipulos, cur illi lugere, seu jejunare debuerint, non autem discipuli ejusdem. Judæi habuerint multas causas. Primo uti habet Zacharias Propheta 7. capite suæ Prophetiæ, propter excidium Hierosolymæ civitatis, & contaminationem templi Dei, nec non captivitatem populi Israelis. Hinc illud est quod in persona cæterorum deplorabat David dicens. *Super flumina Babylonis, illic sedimus, & flevimus, dum recordaremur tui Sion.* Sed hoc jejunium cum fuerit propter incommoda rerum temporalium, nempè propter captivitatem Babylonicam, minoris adhuc erat momenti. Secunda ergo causa erat notabilior, nempe illud desiderium & expectatio Salvatoris quæ fuit in Moyse, Elia, Daniele, cæterisque Prophetis & Patriarchis uno suspirio clamantibus. *Rorate cœli desuper & nubes pluant justum, aperiatur terra & germinet salvatorem.* Cum ergo Judæi, videntes quidem eum, qui jam venerat tanquam *sponsus procedens de thalamo suo*, pro suo tamen sponso eum agnoscere noluerant, quia *in propria venit & sui eum non receperunt.* Sancti verò Apostoli illum pro sponso suo tanquam veri filii agnoverunt, merito igitur idem protulit dicens. *Nunquid possunt filii sponsi lugere, quàm diu cum illis est sponsus?*

Rupertus Abbas in Matth.

Psalm. 136. v.1.

Isaiæ 45. v.8.

Ps.18.v.6.

Ioan.1.v.11.

S.Luc.5.v. 34.

Matth.6.v. 16.

II. Sanctus Marcus Evangelista hoc responsum Domini aliis verbis concipit dicens. *Nunquid possunt filii nuptiarum, quamdiu sponsus cum illis est jejunare? Quanto tempore habent secum sponsum non possunt jejunare.* Ubi Venerabilis Beda. Sponsus Christus. Sponsa Ecclesia est de quo sancto & spirituali connubio Apostoli sunt creati, qui lugere & jejunare non possunt, quam diu sponsum in thalamo vident, & sciunt sponsum esse cum sponsa. Si Sanctis Apostolis tanquam filiis nuptiarum Sponsi & Sponsæ, licitum erat lætari & epulari, cur non etiam Sanctæ Ludmillæ, earundem nuptiarum filiæ? Audite quid dicat Venerabilis Beda de SS. Apostolis. *Benè Marcus Evangelista filios eos apppellat nuptiarum, non tantum sponsi, sed etiam sponsæ, volens intelligi, quia per lavacri regenerationem in jus divinæ generationis assumpti sunt.* Unde cum S. Ludmilla idem jus habuerit, nam per Baptismum Sanctæ Matris Ecclesiæ, sponsæ Domini filia effecta fuit, ut quemadmodum illis non competebat lugere & jejunare in sponsi præsentia, ita & Sanctæ Ludmillæ viduæ licitum quoque fuerit exuere vestimentum viduitatis suæ. Neque id novum videatur, nam ante Divam Ludmillam, plures viduas id fecisse invenio. E numero illarum una est Anna Phanuelis filia ex tribu Asser, erat vidua annorum

Marci 2. v. 19.

Beda in Lucam.

V. Beda in Luc.

octua-

octuaginta quatuor, & tamen non solùm in stipendiis viduitatis manens, sed etiam ætate gravior existens, juxta testimonium S. Lucæ, venit ad nuptias sponsi cum Simeone cæterisque, ait enim S. Evangelista: *Et hac ipsa hora superveniens, confitebatur Domino*, id est exultans corde, plenaque lætitiâ, prædicabat sponsum, qui in nativitate sua veras celebrabat nuptias, erat enim tunc musica Angelorum, laudantium Deum, ibi hospites invitati præclarissimi, nempe tres orientis Dynastæ, ibi tot obsonia gratiarum cœlestium: si ergo hæc vidua talibus nuptiis aderat, etiam vestimentis viduitatis suæ exuere se debuerat, alioquin dictum eidem fuisset: *Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem*? Idem fero judicium de S. Ludmilla vidua, cum ad easdem nuptias fuerit invitata, non inconvenienter fecit, dum *Exuit se vestimentis viduitatis suæ.*

Luc. 2. v. 38.

Matth. 22. v. 12.

III. Legimus Lucæ 7. capite. Christum Dominum (cum iret in civitatem Naim) obviam habuisse quandam mulierem viduam, quæ funus unici filii sui defuncti, cum maximis lachrymis & multa turba civitatis prosequebatur. Cum ergo ipsam vidisset Jesus. *Misericordia motus super eam dixit illi. Noli flere.* Quænam hæc est Christi actio? Videt orbatam filio viduam, unico inquam filio, qui futurus erat baculus senectutis suæ, solatium vitæ, & spes posteritatis suæ, & nihilominus prohibet ipsam flere, præsertim cum id faceret non solum propter dolorem cordis sui, sed etiam juxta consuetudinem gentis suæ. Mortuo enim Jacob Patriarcha, *flevit eum Ægyptus septuaginta diebus*: mortuo Moyse Patriarcha & duce Israelis. *Fleverunt eum filii Israel triginta diebus.* Mortuo Samuele Proph. & ultimo judice Israelis, *congregatus est universus Israel, & planxerunt eum nimis.* Et deinde, ipsemet Spiritus Sanctus lachrymas pro defuncto fusas non improbat, dicens Ecclesiastici 22 cap: *Supra mortuum plora, defecit enim lux ejus.* Et tandem antè dicta illa vidua tanquam mater, unici sui filii mortem miserè deplorabat. Cur ergo Christus inhibet lachrymas? *Noli flere.* Respondeo ejusdem Domini verbis apud Matthæum dicentis *Numquid possunt filii sponsi lugere, quam diu cum illis est sponsus*? Quia ergo iste sponsus præsens ibidem aderat ubi flebat vidua, ideo non patiebatur illam flere dicens. *Noli flere*, id est, ut ait Venerabilis Beda, *Desiste quasi mortuum flere, quem mox vivum resurgere videbis.* Præsentia Christi Domini hanc viduam flere prohibuit, hæc ergo eadem fuit quæ S. Ludmillam viduam exuit vestimentis viduitatis suæ.

Luc. 7. v. 13.

Tob. 10. v. 4.

Gen. 25. v. 9.

Deut. 34. v. 8.

1. Reg. 25. v. 1.

Eccl. 22. v. 10.

V. Beda.

IV. Adhuc habeo duos modos, quibus S. Ludmilla non modo absque ullo scrupulo, quin magna cum laude. *Exuit se vestimentis viduitatis suæ.* Invenio quandam legem de viduis Deuteronomii cap. 24. *Non auferes pignoris hic. loco vidua vestimentum.* Cur id prohibuerit DEUS respondet D. Augustinus dicens: *Cum prohibet vestimentum auferre vidua, puto quod satis eleganter admonebat, eas verè dicendas esse viduas, quæ etiam pauperes sunt.* Unde & S. Paulus scribens ad Timotheum sic ait. *Quæ verè vidua est & desolata speret in DEVM.* S. Ludmilla erat quidem desolata Borinogio Principe & marito suo, non erat tamen destituta divitiis, quia Dux Uratislaus moriens curam toties Boëmiæ gubernandæ illi commendavit, atque D. Wenceslai sui filii tutricem fecit, ut ergo in tali statu manens etiam veræ viduitatis stipendia mereretur, plura templa ædificans, multasque pauperibus eleemosynas largiens, ut mater egenorum vocaretur, tali inquam ratione. *Exuit se vestimentis viduitatis suæ.*

Deut. 24. v. 17. S. Aug. hic.

1 Tim. 15. v. 5.

V. Sed jam si præsentem illius statum attendamus ad quid ipsi essent vestes viduitatis suæ? De Sancto Elia magno Propheta legimus, quod dum in curru illo igneo tolleretur in sublime, pallium suum quo tegebatur Elizæo discipulo suo demiserit. Idem fecit S. Ludmilla vidua, dissoluta anima cum corpore: *Exuit se vestimentis viduitatis suæ.* Si enim honesta illa vidua Judith, cum coram Principe Assyrio comparere deberet, exutis vestibus viduitatis suæ induit vestimenta jucunditatis suæ: Sancta Ludmilla vidua siquidem post martyrium suum, coram magno illo cœlorum Principe comparuit, decebat eam exuere vestimentum viduitatis suæ, & assumere aliud splendidissimum, quod per pia opera sibi comparavit nempe æternæ gloriæ,

4 Reg 2. v. 12.

AMEN.

IN FESTO S. LUDMILLÆ
CONCIO III.

Collum tuum ſicut monilia. Cantic. 1. v. 9.

NON miror Auditores mei, ſponſum hunc de quo Salomon mentionem facit in Canticis Canticorum, collum ſponſæ ſuæ aſſimulate (ob ejuſdem pulchritudinem) monilibus pretioſis. *Collum tuum ſicut monilia.* Solebant enim antiquitus illuſtrium virorum colla monilibus exornari, in præmium factorum ſuorum Heroicorum, aut cujuſcunque alterius virtutis præclaræ ab ipſis editæ. Sic legimus Geneſ. 41. cap. de Pharaone Ægypti Rege, qui cum ſomnium quoddam habuiſſet, illudque ei S. Joſeph adoleſcens dexterrimè explicaſſet, eumque circa futura famis tempora bono conſilio adjuviſſet, ſequitur ſacer textus. *Tulitque annulum de manu ſua, & dedit eum in manu ejus, veſtivitque eum ſtola byſſina, & collo torquem aureum circumpoſuit.* Item legimus in Hiſtoria Danielis Prophetæ. Quod cum tempore convivii, quod Rex Balthaſar Optimatibus ſuis inſtruxerat, apparuiſſet manus quædam ſcribens in pariete aulæ Regiæ, nec ullo invento, qui ſcripturam legere, & interpretari poſſet, eam Daniel non ſolum legit, ſed etiam ſenſum ejuſdem per interpretationem Regi manifeſtavit: ait textus. *Tunc jubente Rege indutus eſt Daniel purpurâ, & circumdata eſt torques aurea collo ejus.* Et nunc de facto eſt conſuetudo, quod colla virorum fortium, ob præclara facinora ab illis geſta, vellere aureo, aut alio inſigni heroico, à Regibus exornari ſoleant. Sed ea conſuetudo, jam nunc translata eſt ad Gynecæum; nunc enim rara eſt fœmina quæ (ſi ſit nobilioris ſtatus) non habeat torque aureo circumdatum collum ſuum, ſed neque eo contenta, quo minùs etiam illud oneret, margaritis, & pretioſis lapidibus, corallis rubentibus, & monilibus auro incruſtatis, cæteriſque ornamentis quæ à collo pendentia, ad ubera uſque defluere ſolent. Si ſit pauperior, annectit filo vitra quædam picta, margaritarum aut coralli ſpeciem referentia, & ſic dum diſpoſito lino ſuo, fuſum trahit, putans ſe non ſcio quam Heroicum opus confeciſſe, gloriatur collo ſuo vitris exornato. Fortè ergo & Sancta Ludmilla ſimile quid attentavit, cum de ipſa dicamus. *Collum tuum ſicut monilia.* Minimè verò, alia enim ego monilia video. Sed quænam illa? in hoc concione audiemus.

Gen. 41. v. 42.

Dan. 5. v. 29.

I. Si Sancta Ludmilla geſtaſſet monilia in collo ſuo id nihil novi eſſet, fuit enim illuſtris Principiſſa, à ſanguine Ducum Boëmiæ oriunda, auro abundans, divitiiſque plena: ſed alia ego monilia in collo ſuo video: quænam illa? Vidiſtiſne aliquando effigiem S. Ludmillæ Martyris? Si non; comparate vobis aliquam eamque aſpicite. Quidnam ibi videbitis? *Collum ſuum quaſi monilia*, id eſt, conſpicietis ſanctum illius collum, peplo in modum funis contorto circumdatum, hæc erant Sanctæ hujus Principis monilia, quibus ſanctum illius collum cinctum fuit. Id autem qualiter factum fuerit attendite. Impiiſſima illa Drahomira (Jezabeli non abſimilis quæ innocentem Naboth in dolo occidi fecit) cum immane odium adverſus Sanctam Ludmillam concepiſſet, quod vivo Uratislao Principe exercere non audebat, infenſa illi ob Wenceslaum ſuum filium, quem in Chriſtiana pietate educabat, tandem mortuo Uratislao, duos viros audaces nempe Cummannum, & alterum Tumannum muneribus & promiſſis corruptos ad eam deſtinavit, ut ſub prætextu viſendæ Ludmillæ, & ultimo occidendæ ad eam ſe conferrent. Factum ita: illa divino oraculo vitæ ſuæ inſidiatores eſſe cognoſcens, accerſito Paulo ſuo ſacerdote, confeſſa eſt, & communicavit, ardenteſque ad Deum fudit preces. Deinde epulis, & colloquio cum iiſdem hoſpitibus ſuis familiariter peracto, & illis ad thoros domus ſuæ præcipuos transmiſſis, ipſa coacta familia ſua, ſingulis pactam mercedem perſolvit, intensè hortando omnes, ut Chriſtum venerentur, ejuſdemque ſanctæ fidei immotis veſtigiis inhæreant. Qua cohortatione finita, complexis ſingulis, dictoque vale (ſtupentibus omnibus rei novitatem) ad quietem nocturnam eos dimiſit: ipſa quoque cubile ſuum ingreſſa,

ingressa, cum ad multam noctem pervigil in strato jacens Deo supplicaret, sensit januam penetralis sui hostili ausu perturbari & dejici. Cumque ad necem peti se animadverteret, sceleris molitores, gravi oratione castigat, & hospitalitatis modestiam ab eis requirens, revocat collocati olim in eos beneficii memoriam. *Sed surdis fabula canitur*: ecce enim illi hostiliter capiti ejus peplum diripiunt, & ex eo laqueum nectentes, eam lectulo præcipitant, eodemque illaqueatam & orantem suffocant.

II. Nonnullus interrogaret cur Christus Dominus in devotissimam famulam suam Ludmillam tale mortis genus permiserit: legitur enim in vita sua, quod dum illi lictores sui ad ipsam venissent, intrasse gladiatos, quod etiam ipsa advertens, & nobilius mortis genus existimans, si pro Christo sanguinem funderet, eosdem rogasse ut in se ferrum potius verterent, eamque pro Christo conciderent, id tamen non impetravit? In primis secluso divino judicio quod secundum Vatem Regium est abyssus multa, invenio ejusmodi mortis Sanctæ Ludmillæ Martyris pulchrum sane ne dicam divinum mysterium in antiquo testamento. Dominus Deus qui per Moysen famulum suum diversa instituit & ordinavit Sacrificia, etiam de quodam Sacrificio sic ait Levitici primo capite. *Si oblatio fuerit Domino, de turturibus, & pullis columbæ, offeret eam sacerdos, ad altare & retorto, ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet sanguinem ad crepidinem altaris.* Tale sacrificium se ipsam in agone mortis suæ obtulerat, Sancta illa heroina Ludmilla Martyr: non solum enim ab illis suis carnificibus ejecto peplo caput contortum erat, sed etiam hinc inde raptata tandemque protracta ad saxum quo orans genibus niti solebat, allisso sæpius illi capite, tam diu affligebatur, quousque animam DEO sponso suo redderet. Quo quidem in saxo sanguinis illius guttæ pretiosæ remanserunt, quæ deleri non poterant. Sed quid mirum quod se accommodaverit ad Sacrificium turturis, cum & ipsa turtur fuerit?

Ps 35. v. 9.

Lev. 1. & 5. v. 10.

III. Sanctus Bernardus explicans Cantica Canticorum primi capitis; ubi ait sacer textus. *Gena tua sicut turturis*; sic fatur. *Turtur ex quo conjugem suum perdidit, nunquam alterum amplius quia adulterinum amorem non recipit.* Sancta Ludmilla vidua ab hac turturis solitudine non recessit: postquam enim maritus suus Dux Borinogius è vivis concessit, eam consuetudinem quam vivente ipso (impendens se totam divinis servitiis) contraxerat, multò magis jam soluta à lege viri practicavit, totaque ad Christum conversa, cum nullo habere frequentius colloquium, quàm cum Deo, aut ministro suo Paulo Presbytero de rebus divinis consueverat. Accedebat pariter S. Ludmilla ad naturam Turturum; hæ enim sollicitè enutriunt pullos suos, unde cum seipsa non curent, nam amisso conjuge, in aridis arbusculis recubare solent, prolium tamen suarum tantam curam gerunt, ut pro ipsorum commodo nidos studio extruant in quibus educari possint, uti ait S. David Psalm. 83. *Passer invenit sibi domum, & turtur nidum, ubi reponat pullos suos.* At Sancta Ludmilla non minorem curam habuit S. Wenceslai Principis: quidquid enim pietatis & religionis habuit, id totum hauserat à S. Ludmilla sua avia, quæ omnem turturis zelum studiumque in pia educatione ipsius demonstravit: tandem imitata fuit vocem Turturis de qua S. Bernardus sic ait. *Vox turturis non principatum tenet, sed consortium, amicos habet, non serovos.* Talis erat vitæ conditio in Sancta Ludmilla, hæc enim nullum fastum in verbis, nullum in actionibus exprimebat, sed omnes in se ipsa contemperabat, ut omnes lucrifaceret CHRISTO: unde cum hæc Sancta patrona nostra, naturam Turturis in se ostenderit, decebat quoque ipsam more Turturum offerri in sacrificium Domino.

S. Bern. in Cant.

Cant. 1. v. 9.

Ps. 83. v. 8.

S. Bern. serm 59. in Cant.

IV. Ejusdem mortis S. Ludmillæ aliud mysterium invenio. Divus Nyssenus, explicans alium locum, sacræ scripturæ, ubi collum assimilatur turri David, dicente textu. *Sicut turris David collum tuum* tunc de eodem ita ait. *Quod mediis humeris innititur, in se autem caput sustinet, & fit pro basi ejus quod illi imponitur, collum nominatur.* Collum est medium inter caput & brachia, estque tam necessarium, ut sine illo, neque caput neque pectus esse suaque munia exercere possint. Per collum intelliguntur, qui doctrina aut prædicatione verbi Dei aliis inserviunt, nam

Cant. 4.

D. Nyssenus ibidem.

Hugo Card. in 1. Cant. nam (uti ait Hugo Cardinalis) *collo verba proferuntur*. Licet autem Sanctus Paulus mulieres docere non permittat, nihilominus Sancta Ludmilla, dispensatione divina tam feliciter hujus colli officium exercuit ut & S. Wenceslaum adolescentem, cujus curam susceperat, divinis eloquiis sibi à Deo datis in pietate Domini eruditet, & in ejusdem Sancta Ecclesia mire proficeret, ut ergo tam sanctum tamque utile illius collum honoraretur, non secus atque Sanctus ille Doctor gentium ob prædicationem verbi Dei, gladium excepit in collo pro honore illius, nec secus atque Sancta Catharina Martyr, eo quod 50. Philosophos suâ divinâ eloquentiâ atque doctrina sua superavit, gladio similiter decollata fuit: similiter & Sancta Ludmilla nostra peplum contortum suoque collo circumdatum pro insigni quodam gestat.

V. In terris quidem videtur hoc mortis genus esse ignobile, nihil enim distat à suspendio, quo condemnatus ad mortem suffocatur, sed jam in cœlo sicut alia mortis genera quæ in mundo ignobilia videbantur, jam sunt nobilissima, ita quoque funis ille ex peplo Sanctæ Ludmillæ factus, colloque ejusdem applicatus, magnam in cœlis habet nobilitatem & gloriam. Et quid in mundo Christi Domini cruce erat ignobilius. *Maledictus qui pendet in ligno, ait scriptura.* Sed jam nunc è contra insonat vox sapientiæ. *Benedictum lignum per quod fit justitia*: non gratis quippe dicitur in Evangelio Sancti Matthæi. *Tunc parebit signum filii hominis*; quia tempore extremi judicii, illa Christi crux quæ in terris erat despicabilis, sic in cœlis resplendebit, quod etiam solares radios obfuscabit: vulnera Christi glorioſa, de facto sic resplendent ut lumen solis illis comparari nequeat: similiter gladius Pauli, lapides Stephani, crates Laurentii, ita fulgent in cœlis ut omnia cœlorum luminaria præcellant. Eodem igitur modo peplum Sanctæ Ludmillæ conversum est in cœlis in monilia gloriæ sempiternæ, qua fruitur æternum.

D. Paulus ad Gal. 3. v. 13. *Sapien. 14. v. 7.* *Matth. 24. v. 30.*

AMEN.

IN FESTO S. LUDMILLÆ
CONCIO IV.

Laudent eam in portis opera ejus. Proverb. 31. v. 31.

CUm Aristipus quondam Dionysii Siciliæ Regis heroica facta prædicare atque extollere vellet, tale orationis suæ fecit exordium. Qui benevolentiæ Principum, grato nesciret correspondere animo, neque esset homo. Idem oratoris hujus judicium & ego pertimesco, ascendi hanc Cathedram Auditores præstantissimi, ex edam hodierna die prædicaturus, præclarissima Sanctæ Ludmillæ Principis gesta, quæ si involverem silentio, neque essem homo. Si enim in antiquo testamento, prædicatur memoria cujusdam Principis, Ana dicti, eò quod primus aquas calidas invenerit in deserto, eodem modo prædicanda nobis est S. Ludmilla Princeps, eò quod inter fœminas Boëmorum prima invenerit aquas calidas divinæ gratiæ, ante hac in Boëmia minus notas, quæ tunc etiam rectè desertum dici poterat, quia idolis, malisque spiritibus serviebat. Sed postquam S. Cyrillus Episcopus, fonte hujus aquæ salutaris Sanctam Ludmillam abluisset, tantum amoris divini æstum in ipsa reperit, ut subito calidissimis ex oculis suis fusis lachrymis, dolens quod aliquando idola coluisset, odiumque gentis suæ ob mutatam fidem nihil curans, à modo fidelissima Christi famula extiterit. Hæc inquam illa est, cujus typum gerit illa sapiens Abigail, quæ furorem David compescere noverat, quia Sancta Ludmilla prima inventa est, quæ iram Dei à gente Boëmorum avertit. Hæc illa est, cujus typum gerit Regina Esther, quæ gentem Judæorum à perditione liberavit: hæc enim prima inventa est, quæ gentem suam Boëmorum, ab interitu morteque liberavit. Hæc illa est, cujus typum gerit Judith Heroina: Sancta enim Ludmilla prima inventa est, quæ contemptis idolis, caput Diaboli amputavit, & non unam civitatem Bethuliæ, sed totum Regnum Boëmiæ ab obsidione Diabolica liberavit. Et tandem vel ipsum nomen suum

Gen. 36. v. 24. *1. Reg. 25. v. 24.* *Esther 5. v. 3.*

nempe

nempe Ludmilla, id est hominibus cara, me ad laudes eidem fabricandas incitat: sed ecce dum os meum aperire incipio, S. Sanctus illud me compescere mandat dicens: *Laudent eam in portis opera ejus*, ergo cessabo, & jam non oratorem, sed tantummodo suorum operum interpretem agam.

I. Non poterat sanè S. Ludmilla, meliorem nanciscì oratorem, qui eam celebri aliquo encomio prædicaret, quàm propria sua opera quę gessit in hoc mundo dum viveret. Christus Dominus dum ascendit Cathedram crucis, illud inquam facundissimum Patris æterni verbum, dicite mihi cur tam paucis verbis peroraverit, non nisi enim septem verba numerantur, quæ in cruce protulerat. Quando Dominus in terris degebat cum discipulis suis, nihil aliud agebat, nisi solum oratoris officium exercebat, passim enim testantur hac de re Sacri Evangelistæ S. Matthæus ita ait. *Circuibat Iesus omnes civitates, & castella docens in Synagogis, & prædicans Evangelium.* S. Marcus sic ait. *Erat prædicans* in Synagogis eorum, & in omni Galilæa. S. Lucas idem ait. *Iter faciebat per civitates & castella prædicans & Evangelizans Regnum Dei*, & ecce tibi ubi ascendit crucem ibi verborum & totius eloquentiæ princeps dominusque conticescit. Quidnam hic latebat mysterii? Respondet egregie Arnoldus Carnotensis dicens. *Ex illa cathedra crucis, quoddam Deuterenomium dictatum est, in recapitulatis breviter, quæ multa prolixitate erant diffusa.* Imitabatur Christus Dominus in suo crucis pulpito, oratores hujus mundi, qui dum longam quandam orationem ex rostris suis pronunciant, antequam eam finiant, solent ad calcem illius revocare quædam punctatim memorię Auditorum; quæ antea diffusè perorabant. Idem fecit Christus Dominus in cruce manens. Postquam enim antea, pulcherrimas easq; longissimas Orationes habuisset, de paupertate, de humilitate, de patientia, de constantia in adversis, de dilectione inimicorum, de cæterisq; virtutibus, postmodum in Cruce tanquam in Cathedra manens, ea omnia quæ antea verbis dixerat, jam non lingua sed potius operibus loquebatur, eaq; omnia in se ipso demonstrando, quoddammodò recapitulabat: unde ut eadem ipsa memoriæ Auditorum suorum sibi adstantium magis imprimeret, voluit in passione sua tot signa concurrere ut in cœlo & in terra conspicerentur: sol ut observaretur, cœlum nubibus obtegeretur, velum templi scinderetur, latro converteretur, Centurio ipsum confiteretur, mortui suscitarentur, peccatores in se versi compungerentur, suaque pectora contunderent, quot totum ideo fiebat, ut totus populus jam non in verbis sed in ipsis operibus tam efficacem & perfectum oratorem, Christum Dominum agnosceret, eaque quæ viderat, auxilio signorum tot ibidem patratorum memoriæ suæ fortius imprimeret.

Matth. 9. vers. 35. Marc. 1. vers. 14. Luc. 8. v. 1.

Arnold. o Carnot.

II. Succurrit mihi auxilio alter conceptus peregregius. Referens sacra Historia in libris Machabæorum, generosum fortemque animum, quo septem illi fratres Machabæi, honorem Dei defenderunt, ac divinæ legis veritatem conservarunt, exquisita tormentorum genera perferentes, narrat: quod dum tertius ad tormentum duceretur, præceptum est ei, ut linguam ore protenderet abscindendam, quid ille fecit? ait textus: *Linguam postulatus citò protulit, & manus constanter extendit.* Mirabilis resolutio hujus adolescentis, cum in tormentis ea sit consuetudo, quod ii qui aliquo supplicio afficiuntur, ad illud subeundum pigros se exhibeant, ipsa natura id quod malum est sibique nocivum abhorrente: porro hic juvenis cum non nisi in eo admonitus fuerit, ut linguam exhiberet abscindendam, cur igitur non solum eam continuo exeruit, sed etiam manus constanter extendit? Indubie in hac actione hujus adolescentis aliquod latet mysterium: cur ambas manus extendit, cum non nisi linguam tyrannus exigeret; an ego sacrificium solius linguæ non poterat offerre, nisi & manus comites adjunxisset? Nequaquam dicit Divus Isidorus, nam istam Historiam exponens moraliter ita ait. *Ideo lingua non sine manibus.* Quia fabulæ viderentur verba sine operibus. Pulchra certè figura. Manus instrumentum sunt operibus, sicut lingua verbis, quare qui probare voluerit se unum esse ex illis qui non solum lingua, sed etiam ipsis operibus loquuntur, hi non lingua solum sed etiam manibus fidei suæ veritatem protestari, & prædicare debent.

2. Machab. 7. vers. 10.

D. Isidor. l. 2. Epist. 114.

III. Hinc sequitur quod si opera plus valeant quam voces, Sanctam Ludmillam ex suis operibus, excellentiorem habituram oratorem, quam usquam fuerint aliqui illi oratores, nempe Romanæ eloquentiæ Cicero, Demosthenes

sthenes, Plató, Socrates cæteriq; : sed quænam illa? jam hic vocandus mihi est ille Diogenes, qui in meridie accensa lucerna, quæsivit homines in medio foro. An id parvum opus est, quod hæc S. Principissa, aureo cuidam idolo Crosina dicto admodum addicta, cum audisset à Principe Borinogio conjuge suo ex Moravia reverte, qualiter itidem à Sancto Cyrillo Episcopo sacrum Baptisma suscepisset, totque & tam præclara, futuræ dignitatis suæ, nec non vitæ sempiternæ sibi ab eodem promissæ verba proferente, statim fidem dederit? Forte dicetis: fœminas rebus etiam levioribus facile fidem dare, esse solitas: est quidam verum, in his quæ arrident ipsarum palato seu ingenio, uti prima mater nostra Eva, facile fidem dedit serpenti, quia placuit sibi immortalitas, placuit scientia boni & mali, placuit similitudo Divinitatis, placuit deniq; ipsum pomum, quod erat pulchrum visu & suave, uti ait sacer textus. *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum, ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile, & tulit de fructu illius & comedit.* Sed si ibi ipsi offerretur, purum aquæ elementum, in quo ablueretur, & promitteretur vita quidem immortalis, sed nihil præsentaretur visu gustuque delectabile, an consentiret suadenti, id relinquo aliorum judicio: disco tamen à Samaritana Joannis 4. cap. Fidem esse donum Dei.

Laertius.

Gen. 3. v. 6.

Joan. 4. vers. 51.

IV. Vultis plura? hæc non quæro, sed penes solam fidem Sanctæ Ludmillæ manere volo. Quid illa? audite Sanctum Paulum Apostolum, 11. cap. ad Hebræos scribentem, qualiter in hac sua Epistola fidei sectatores commendet. Incipiens enim ab Abele illum commendat ab hostia Deo oblata in testimonium suæ justitiæ. Enoch Patriarcham ne videret mortem, per fidem translatum fuisse ait. Non per fidem aptavit arcam in salutem domus suæ. Abraam, fide obedivit DEO, nesciens quo iret, eademque fide demoratus est in terra repromissionis, item fide obtulit Isaac cum à Deo tentaretur. Similiter filius suus Isaac, fide benedixit Jacob & Esau, Jacob deinde fide benedixit Joseph ante mortem suam, cæterosque filios suos. Fide Moyses grandis factus est. Fide filii Israel transiverunt mare rubrum & in terram promissionis pervenerunt. Hæc eadem fides est quæ adjuncta operibus Sanctam Ludmillam exaltavit. Hæc enim illa est quæ in Abele, seipsam hostiam Deo obtulit, in Enoch translata est ad patriam sempiternam. In Noe arcam mysticam in salutem domus suæ adaptavit. In Abraam obedivit Deo. In ejusdem fide S. Wenceslaum taliter instruxit in pietate Christi, ut postmodum hostia ejusdem factus fuerit, & ut cæteros Patriarchas, in cœtu Israelitarum adunatos compendio finiam, illa est, quæ omnes filios inclyti hujus Regni Boëmiæ, sacræ fidei operumque suorum primordiis illustravit. Unde infero, *Laudent eam in portis opera ejus.*

Hebr. 11. v. 4. 5. 7.

V. Sed cur in portis, & non potius in rostris? Respondeo. Cathedram quidem esse proprium locum in quo præclara illustrium hominum gesta ab oratoribus prædicantur; sed quæ non solum in se pręclara sunt, sed etiam ad publicam cæterorum ædificationem spectant, illa in portis quæ patent omnibus prædicari debere. Mos erat Israelitis in portis exercere judicia, actus publicos facere. Booz adscitis sibi decem viris, ad portam ascenderat jus propinquitatis accepturus. Hic in portis laudari meretur, qui non solum interius coram Deo bonus est, cui omnia secreta patent, sed etiam bonus esse studet coram hominibus, per bonum exmplum quod imitari queant. Ita docet S. Ambrosius dicens. *Debemus bene vivere popter nos, & bonum exemplum ostendere propter proximos.* Talis fuit Abraam Patriarcha, non solum enim DEO vixerat per opera sua justificatus, sed etiam hominibus, gloriosa fama sua magnificatus. Talis erat Samuel Propheta adhuc in pueritia constitutus: cui sacer textus tale dat testimonium. Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Domino, *quam hominibus.* Placebat Deo ait Abulensis. *Quia religionem erga Deum curabat, placebat hominibus, quia justitiam erga homines colebat.* Talis demum erat S. Ludmilla, quæ suscepta fide Domini septem templa ad honorem Dei & proximorum utilitatem ædificavit, & quia non interius tantum sed etiam exterius sancta fuit, digna est ut laudent eam in portis opera ejus.

Deuter. 16. vers. 13.

Ruth. 4.

S. Ambr. apud vitriacum.

1. Reg. 2.

AMEN.

IN

IN COMMEMORATIONE D. IVANI, PRIMI EREMITÆ BOEMIÆ, Concurrente cum celebri die S. Joannis Baptistæ, SERMO PANEGYRICUS I.

Elongavi fugiens, & mansi in solitudine. Ps. 54. v. 8.

QUamvis hæc verba à Sancto David tanquam Propheta Domini prolata fuerint, in persona Christi Jesù, qui uti ait Joannes à Turre Cremata à perfidis Judæis toties fugiens semet ipsum elongavit, & mansit in solitudine gentium, sicut fecerunt & sui discipuli nempe Paulus & Bernardus ad Judæos ingratos, dicentes. *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æterna vita, ecce convertimur ad gentes.* Nihilominus, si manere velimus penes literam, id ipsum feciſſe Davidem reperiemus, qui fugiens aulam Regiam Saulis, in solitudine morabatur. Habemus enim in tot locis 1. Regum annotatum, quod postquam se à Rege Saule elongaverat, in solitudine habitaverit. Inprimis scribitur 23. capite Moratum fuisse in deserto, in locis firmissimis, & mansisse in monte solitudinis Ziph, in monte opaco. Item sequenti capite dicitur. Ascendisse inde & habitasse in locis tutissimis Engaddi. Et tandem 26. capite, hæc verba notantur. *David autem habitabat in deserto.* Non solus David ille fuit, qui aulam Regis fugiens, se elongavit, & mansit in solitudine, sed etiam posteriores sui, hac in parte exemplum illius secuti, id fecerunt. E numero multorum prout erat Elias Propheta, cęterique, in mentem mihi venit Phosphorus ille S. Joannes Baptista, cujus hodie dies solemnis agitur, hic enim, cum in hunc mundum mirabiliter progenitus, magnũ aliquid nativitate sua præsagiret, uti etiam talis erat, dicente Domino. *Non surrexit inter natos mulierum, major Ioanne Baptista,* nihilominus Regiis mundi deliciis, locustas & mel sylvestre præponens, omnesque mundi honores fugiens maluit esse *vox clamantis in deserto*, quam aliquis Princeps terræ. De Sancto Ivano nominis sui candidato, scriptores vitæ suæ idem ajunt, nempe quod & ille, elongaverit se à patria sua fugiens, & in hoc solitudinis loco pluribus annis manserit, in quo jam monasterium Divi benedicti, templumque S. Joanni dedicatum cernimus, & in illo divinam majestatem, ejusque Sanctos, & sacri hujus deserti tutelares veneramur. Ob quam rationem hi duo Sancti nempe Joannes Baptista, & alter Ivanus, se à mundo elongaverint & manserint in solitudine, in hac concione audietis.

Turre Cremata *Psal.* 44. *Actor.* 13. *vers.* 46. 1. *Reg.* 23. *vers.* 14. 2. *Reg.* 24. *vers.* 2. 1. *Reg.* 26. *vers.* 3. *Matth.* 11. *vers.* 11. *Marci* 1. *v.r.s.* 3.

I. Quænam ratio sive necessitas Davidem compulerit, quod relinquens aulam Regiam in desertum secesserit, non alia sanè fuit, nisi invidia Regis Saul, ejusdemque malevolentia, quâ Davidem ab heroicos actus suos prosequi non cessabat. Quemadmodum enim legimus in primo Regum: Cum post illam victoriam de Philisthinorum exercitu partam, unà cum capite quod Goliath gigianti in sigulari certamine prostrato sua manu abstulerat, simul cum Rege Saul revertenti, & illudmet ferenti in Jerusalem, egressæ fuissent mulieres, de universis urbibus Israel, cantantes chorosque ducentes in occursum Saul Regis, atque in tympanis lætitiæ & in sistris præcinentes, tale thema suæ cantilenæ protulissent. *Saul percussit mille, & David decem millia.* Rex id audiens maximo iræ incendio est inflammatus actusque invidia tam immane erga David, concepit odium, ut quem summis laudibus extollere & dignis pręmiis afficere debuerat, de morte illius cogitaret. Insons igitur David ut illam evitaret, recessit ab aula Regis, locaque deserta petiit, in quibus se salvare posset Sanctus Joannes Baptista idem fecit, multorum enim annorum spatio desertum, ejus domus atque habitaculum exstitit, sed longa diversa ratione. David habitabat in deserto, ut effugeret mortem. Sanctus verò Joannes Baptista; ut gloriam hominum evitaret. Habemus enim scriptum Lucæ 1. capite, quot quantisvè prodigiis nativitatem

1. *Reg.* 18. *vers.* 7. 1. *Reg.* 19. *vers.* 1. 1. *Reg.* 24. *vers.* 2.

ſuam Deus illuſtraverit, quæ cum ſuper omnia montana Judææ divulgarentur, omnes qui hæc audiverant, tale ipſi dabant elogium. *Luc.* 1. v. 66 *Quis putas puer iſte erit?* Quæ verba Venerabilis Beda diſcutiens, exclamat in primis verbis *Pſ.* 110. v. 2. Pſalmiſtæ dicentis. *Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates ejus*, tum deinde rationem hujus miraculi proſequitur dicens. *Ven. Beda in Luc.* *Ecce enim unum Zachariæ ſilentium, non ipſi tantum (cum datur ad pœnam incredulitatis, & ſignum credendi) proficit, ſed & cum aufertur, omnes vicinos ejus miraculo ac timore ſtupefacit, omnia circumquaque montana, fama nati Prophetæ perfundit, omnes qui audire poterant, ad perquirendum diligentius pueri qui natus eſt modum ſtatumque ſollicitat, ut his videlicet atque hujuſmodi futurus Chriſti Propheta commendetur auſpiciis.* Hæc ergo cum acta fuiſſent, Joannes Baptiſta trium annorum puerulus, ſucceſſit in deſertum, juxta teſtimonium *Luc.* 1. *verſ.* 80. Sancti Lucæ dicentis. *Puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu, & erat in deſertis, usq; ad diem oſtenſionis ſuæ ad Iſrael.* Ex quibus verbis patet S. Joannem ſeceſſiſſe in deſertum, prout ante ipſum fecerat David, non ea tamen ratione, ut mortis periculum evitaret; ſed ob quasdam alias à Venerabili Beda *Beda.* recenſitas. Primò uti refert prædictus Pater Eccleſiæ, Ut derelictæ ac deſtitutæ Judææ ſolatium redemptionis annunciaret. Secundo ut Chriſto præpararet locum, manſuro & prædicaturo in deſertis, juxta verba Marci di- *Marc.* 1. *verſ.* 45. centis, *Cœpit prædicare & diffamare ſermonem, ita ut jam non poſſet manifeſtè introire in civitatem, ſed foris in deſertis locis eſſe.*

II. Ad hæc tertia ratio, propoſito meo magis deſerviet, nempe Sanctum Joannem ideo ſe elongaſſe à mundo & conceſſiſſe in ſolitudinem, ut fugaret à ſe omnem gloriam & honores mundi qui ſe inſequi videbantur: hæc enim inter loca habitabilia nempe civitates, & aulas Principum, & deſertum eſt differentia, quod in locis talibus regnet ſuperbia, in civitatibus enim ſunt tot occaſiones gloriandi, ubi magna populi fre- *Marci* 12. *verſ.* 38. quentia reperitur: unde Chriſtus Jeſus optimè protulit dicens. *Cavete à ſcribis qui volunt in ſtolis ambulare, & ſalutari in foro*: quæ verba explicans Venerabilis Beda ſic ait, *Beda in Marcum.* *Ambulare in ſtolis; cultioribus veſtimentis indutos, ad publicum procedere ſignificat: in quo inter cætera, dives ille, qui epulabatur quotidie ſplendide peccaſſe deſcribitur.* Absque dubio, cum fuiſſet dives, ad aulam ſuam magna hominum nobilium frequentia convenire ſolebat, unde ut etiam ipſe in oculis eorum glorioſior appareret, ideo purpura & byſſo induebatur, quod ad oſtentationem faciebat, eodem fere modo prout fecerat Jezabel Regina, quæ audiens de adventu Principis Jehu inci- 4. *Reg* 9 vitatem Jezrael, ait textus. *Depinxit oculos ſuos* *verſ.* 30. *ſtibio, & ornavit caput ſuum, & reſpexit per feneſtram ingredientem Iehu per portam.* Hugo Cardinalis explicans locum hunc ſcripturæ moraliter, ſic ait. *Iezabel eſt mundus iſte*, qui depingit oculos ut pulcher appareat, cum ſit turpis, & ornat caput, non poſteriora. Et ideo placet mundus multis, quia caput id eſt anteriora, *Hugo Card.* quæ *ſunt ornata bonis præſentibus, vident*: ſed *ibid.* poſteriora quæ ſunt *plena anxietate non vident.*

III E contra deſertum non ſit locus ſolitarius & ab omni hominum conſortio remotus, careatque ſpectatorum oculis, qui veſtibus pretioſis exhibeant reverentiam, non eſt ad oſtentationem inſtruendam conveniens, talem ergo Sancto Joanni Baptiſtæ eligere placuit, in quo totum oblivioni traderetur, quidquid magnum & glorioſum de illo ſpargebatur. Et quod amplius eſt, ne ſe in quoquam huic mundo conformaret, ut ait Sanctus Marcus Evangeliſta; *Erat ve-* *Marci* 1. *ſtitus pilis Camelorum, & zona pellicea circa* *verſ.* 6. *lumbos ejus.* Ecce quàm diſpar ab epulone *qui induebatur purpura & byſſo.* Sed & ipſemet Dominus idem proteſtatus fuerat ad Judæos, dicens. *Quid exiſtis in deſertum videre, hominem* *Matth.* 11. *mollibus veſtitum? ecce qui mollibus veſtiuntur,* *verſ.* 8. *in domibus Regum ſunt.* Talibus verbis ſuis Chriſtus Dominus inſinuare dignatur, mundum hunc eſſe quandam Comœdiam, domos autem Regum eſſe quoddam veſtiarium, in quo perſonarum veſtes aſſervantur, ut pro illarum varietate, variæ perſonæ compareant? unde qui talem domum ingreditur, aſſumit purpuram ut Rex ſeu Princeps appareat. Sed ſicut in Comœdia, ridere ſolemus Regem ex figulo ſeu ruſtico factum, quem purpura & corona talem repræſentat: eodem modo riſu digni ſunt, qui veſtium & non operum cultu gloriantur, quod ſecus debet fieri uti teſtatur D. Baſilius dicens. *Verus Princeps non per hæc* *S. Baſil. in* *inſignia externa internoſcitur, cujuſmodi ſunt Iſaiæ Proph.*

purpura

purpura, torques, & diadema, sed per id, quia in-puimis obtinet virtutem principe dignam.

IV. S. Joannes Baptista non quæsivit purpuram in vestiariis Principum. Sed quid? *Erat vestitus pilis camelorum & zona pellicea circa lumbos ejus.* Sed quid tum? nam ob id vilis, & plebejus tibi videbitur? minimè verò: quia *inter natos mulierum non surrexit major* Matth. 11. *Ioanne Baptista.* Quin eo ipso quod camelum vers. 11. induerit, seque pellicea zona præcinxerit, supremi Principis nempe Christi Domini insignia promeretur, cujus tanquam præcursor typum gessit. Legimus in Genesi, primos parentes nostros postquam peccaverunt portasse vestes pelliceas dicente sacro textu. *Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & uxori ejus* Gen. 3. v. 21. *tunicas pelliceas & induit eos.* Venerabilis Hugo Cardinalis per has tunicas pelliceas, intelligit mortem quæ post peccatum debetur naturæ. Talis tunica est proprium omnium mortalium vestimentum: sit enim ille Rex, vel Princeps, ostentet splendorem suæ purpuræ, tunicam pellicam contegit tantùm, sed non exuit, quia juxta verba sacræ Scripturæ *statutum est omnibus hominibus semel mori.* At cum unigenitus Dei verusq; Princeps pacis in mundum venit, ille ascensurus in crucem exuit suum vestimentum. Quid hic mysterii? Respondet D. Athanasius dicens: *Oportebat enim* S. Athan. Tom. 3. *eum qui reduceret hominem in Paradisum, exuere tunicas, quas acceperat Adam cum é Paradiso ejiceretur.* Cum igitur S. Joannes Baptista, in illa veste sua tanquam præcursor Domini, ipsum expresserit, Principem dixero, & cunctis Principibus mundi majorem.

V. Rari sunt homines qui imitari velint S. Joannem Baptistam, qui eum in desertum euntem sequerentur illudq; proferre possent. *Ecce elongavi fugiens & mansi in solitudine.* Nunc enim desertum deseritur, & palatia Principum inquiruntur. Habeo tamen quendam qui Sancti Joannis Baptistæ vestigiis inhærebat, qui cùm è sanguine Regis prodiisset, eumque throni regalis vicaria successio expectaret, ambitionem tumultusque mundi suspectos sibi habens, paternam aulam fratresque deseruit, atque ad hoc desertum in quo jam orantes laudantesque Deum invenimur, tanquam ad Paradisum convolavit, & ne quidquam in ipso desiderari videretur, quemadmodum S. Joannes Baptista, tenui mollique amictu derelicto cameli vestem induit, pari ferè modo, assecla suus fecit, (Divum Ivanum dico Gestimuli Regis Dalmatiæ filium) qui etiam splendidis vestibus cum lacera pauperis cujusdam permutatis, *elongavit fugiens & mansit in hac solitudine*, non solum Joannis Baptistæ sed etiam Christi Domini imitatus exemplum, dum in terris esset, sæpe sæpius deserta habitavit, ut nobis mereretur Paradisum cœlestem.

AMEN.

IN COMMEMORATIONE D. IVANI, PRIMI EREMITÆ BOEMIÆ,

Concurrente cum celebri die S. Joannis Baptistæ:

SERMO PANEGYRICUS II.

Quid existis videre in desertum? Matth. 11. v. 8.

EA Christi Domini interrogatio ad turbas facta rationabiliter unicuique nostrum mira videri posset Auditores. Dum enim Christus ait, *Quid existis videre in desertum?* jam Joannes non erat in deserto, sed in carcere Herodis Regis: ad quid ergo de absente locutus fuit, ac si ibidem præsens esset? Sed Rupertus Abbas, solvit eam quæstionem eicens. *Ad* Rupert. in Matth. *illum exitum turbarum respexit, & illius exitus, turbas memores esse voluit*, cujus Divus Marcus Evangelista Principio sui Evangelii mentionem facit dicens. *Fuit Ioannes in deserto bapti-* Marci. 11. *zans & prædicans baptismum pœnitentiæ, in re-* vers. 4. *missionem peccatorum: & egrediebatur ad eum omnis Iudæa Regio, & Ierosolymitæ universi* Quemadmodum illud desertum in quo S. Joannes baptismum pœnitentiæ prædicabat, ob ejusdem præsentiam, multi hominum adire &

inviſere ſolebant: ſic & ego hanc congregationem veſtram huc adveniente conſpiciens, non puto vos ad hoc deſertum Bohëmiæ, alio fine veniſſe, niſi ut rupem in qua alter Joannes, nempe Ivanus Eremita noſter, habitare conſueverat, videre, & ſalutari, pioque oſculo veſtro, venerari poſſitis. Devotionem veſtram multum probo, quod hoc iter peregre ſuſciperitis. Secuti enim eſtis, non ſolùm cæterorum fidelium exemplum, qui in hoc celebri die Sancti Joannis Baptiſtæ, quotannis hunc locum, quin & crebrius inviſere ſolent, ſed etiam magnorum Principum aut jam vita functorum, aut adhuc viventium, qui ob venerationem Sancti Ivani Eremitæ, loci hujus amore capti, eundem inviſerunt, nempe Matthias Imperator ſua cum conjuge, à coronatione Ratisbona redux hoc in loco ſtetit, & brachium Sancti Ivani, argento includi fecit. Ferdinandus Secundus, item Tertius, cum Ferdinando Quarto, & Auguſta Imperatrice: nec non Sereniſſimus Leopoldus Dux Auſtriæ, qui veſtigiis Sancti hujus pia oſcula præbuit, & ipſum pallio purpureo honoravit. Taceo alios Principes, Comites, Barones, Equites, cæterorumque ſtatuum fideles, qui frequenti numero venientes, locum hunc piis precibus, & donariis honorare non ceſſant, & etiam votorum ſuorum ſalutarem effectum ſortiuntur. Itaque chariſſimi hoſpites, quibus jam vos verbis compellabo? Præſto hic, non habeo magis oportuna, quàm hæc, quæ Chriſtus ad turbas protulit. *Quid exiſtis videre in deſertum?* Et quia qui protulit quæſtionem, idemmet etiam & reſpondit, ego eidem reſponſo inniti cupiens, à prærogativis S. Joannis Baptiſtæ, quæ in eodem, à Chriſto Domino numerantur, ad laudes ſancti Ivani Eremitæ noſtri devenire conabor, quod vobis pro ſalutari exemplo & documento ceſſurum ſperem.

I. Moris eſt oratorbus peritis ut ſi quempiam in ſummo gradu præconio ſuo oratorio extollere velint, argumenta magni momenti conquirere ſoleant. Ita planè fecit orator ille Eccleſiaſticus: hic enim cum viros illos glorioſos antiquæ legis laudare vellet, prout & fecit, uti patet legenti caput 44. & ſequentia, quidquid habere pulchri poterat vel in cœlo, uti eſt ſol, luna, ſtellæ, vel in terra uti eſt aurum, gemmæ, lapides pretioſi, arbores præclaræ, uti eſt oliva pullulans, & cypreſſus in altitudine ſe extollens; eorum nihil prætermiſit Chriſtus Dominus non tantum orator, ſed ipſum verbum patris cœleſtis, extollere quoque volens Joannem Baptiſtam Præcurſorem ſuum, duabus propoſitionibus maximi momenti id perficere ſtatuit, inprimis illam Malachiæ Prophetiam illi tribuendum dicere. *Hic eſt de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te* & deinde tale teſtimonium propria ſua autoritate illi tribuens. *Amen dico vobis, non ſurrexit inter natos mulierum major Ioanne Baptiſta.* Pulchrũ ſane thema præconii, non Principi, Regi, Imperatori, ſed uni divino homini præſentandum, ſed quibus putatis argumentis probatum fuit à Domino? Fortaſſe invitavit ſolem, lunam cæteraſque cœli planetas ad ſervitium, & ex iis aliquem ſimilitudinem Sancto Joanni contextuit? Fortè in terris aurum, argentum gemmaſque pretioſas collegit, & huic lucidiſſimo aggregato metallorum, Baptiſtam ſuum comparavit? forte cedros Libani cæteraſque arbores pretioſas adduci fecit, quarum proceritati & excellentiæ, dignitatem Joannis commenſuraret? Minime vero Auditores: ſed quidnam deſumpſit argumenti? audite quid dicat ad turbas. *Quid exiſtis videre in deſertum? arundinem vento agitatam?* O Chriſte orator optime, non tibi ſufficiunt termini poſitivi, quod prædicaturus Joannem, utaris negativis? idem enim eſt ac ſi diceres. Non eſt Joannes arundo vento agitata. Non eſt mollibus veſtitus, non Propheta, ſed plusquam Propheta. Eſt verum quod nos fragiles homunculi, dum Majeſtatem divinam deſcribere conamur, id per negationem omnium imperfectionum præſtamus: at tu ô perfectiſſime orator non Deum ſed unum hominem prædicando, eadem arte uteris? vel hinc patere poteſt Joannem fuiſſe divinum hominem, qui tantum oratorem habuit, talemque orationis materiam nactus fuit.

Eccleſ. 44. &c. verſ. 1.

Malach. 3.

Matth. 11. verſ. 11.

II. Nec fuit Chriſto Domino occaſio cur ipſum arundini vento agitatæ non comparaverit, talis enim erat Sanctus Joannes Baptiſta; qui deſertum petivit, nulla occaſione externa impulſus, ſed ſeria virtutis meditatione & toto affectus pondere raptus, quo omnibus mundialibus tempeſtatibus ſuperior evaſit:

sit ? unde cum Christus Dominus diceret, ipsum non fuisse arundinem vento agitatam, constantiam ejus mentisque stabilitatem prædicabat, ut quam in deserto dedicerat, talem etiam in aula Herodis Regis, quin & in ipso carcere demonstraverit. Arundo & levis palea hoc habent, ut ad occasionem ventorum vivant, invenies arundinem totam inclinatam in dextram, invenies paleam, inter hortorum flores. Cur jam non æstimabis arundinem, & paleam ? quia quod arundo in dextram inclinet, quod palea sit inter flores, hoc tulit flantiam ventorum occasio, qui si è contra reflarent, palea & arundo vergerent in contrarium. Arundo est, palea est, quisquis ad occasionem occurrentium vivit, quisquis non ex seria virtutis meditatione, & toto affectus pondere, ad virtutem tendit. Is si occasio tulerit ut inter pios agat, ut inter virtutum æstimatores degat, & ipse virtutem colet, & virtutis facinora præstabit : verum si alio sese diverterit occasio eadem facilitate rapietur alio.

III. Exemplum utriusq; nempe tam arundinis quam paleæ clare patet in Saule primo Rege Israelis, de quo scribitur primo Regum, quod dum eligeretur à DEO per Samuelem Prophetam ad sceptra Regia, accepit ab eodem tria signa electionis, & inaugurationis suæ. Primum quod recedendo à se, occurrere deberet duobus viris qui sibi nunciarent, asinas sui patris inventas esse. Aliud signum quod cum ulterius pergeret, oblaturi ei essent quidam obvii, duos panes, quos ut acciperet. Tertium signum, quod dum veniret in collem Domini ubi est statio Philistinorum, & ingrederetur urbem, obviam habiturus esset Prophetas descendente de excelso, & ante eos Psalterium, & tympanum, & tibia cytharaque, cum quibus prophetantibus, & ipse Prophetare ac in alium virum immutari deberet. Factum ita : vix enim à Samuele dimissus, incipit viam capere, ait textus. *Et ecce cuneus Prophetarum obvius ei, & insiluit super eum spiritus Domini & prophetavit in medio eorum.* Vere tunc fortunatus vir, qui offendit obvios sibi Prophetas, inter quos & ipse propheravit, & universa Prophetarum facinora peragebat. Sed quid mirum ? Accesserat Saul ad eos qui spiritu Dei agebantur, unde simili actus spiritu similia opera edebat. Sed quando ascendit regale solium cœpitque (propter cantum mulierum Davidi de victoria gratulantium) invidia agitari, tum quid fit ? Refert sacer textus : *Spiritus Domini malus arripiebat Saul.* Quando ad spiritum bonum accesserat, non ex affectu bono sed ex occasione Prophetarum obviantium, sic prout tulit occasio, agitabatur Prophetico spiritu ; quando verò invidia cor suum occupavit, alius quoque spiritus ipsum exagitabat, & sic comprobavit se fuisse arundinem vento huc illucq; agitatam, de quo Tertullianus sic ait. *Saulem tam Dei spiritus vertit in alium virum, id est Prophetam, quàm malus spiritus vertit in alium virum Apostatam scilicet.* Et quia in Saule nihil erat durabile, merito à Deo rejectus fuit.

1. Reg. 16. vers. 18.

Tertull.

IV. Despicit Dominus arundines, despicit paleas, quæ ex occasione ventorum, sive in dextram sive in sinistram inclinantur : & illi amantur, qui ex affectus pondere in bonum feruntur, utpote qui omnibus reflantibus tempestatibus superiores evadunt. Noverat id ipsum S. Lucas : id enim testabatur de Jesu. *Cujus ventilabrum in manu ejus, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet, igni inextinguibili.* Sane bonus agricola, & triticum & paleas recondit & servat, quandoquidem ex utrisque lucrum habet. Cur divinus Agricola solum triticum æstimat ? Cur & palearum non etiam aliqualem æstimationem habet, sed eas igni tradit ? Respondet Nazianzenus dicens. *Ventilabrum habet, quia repurgat aream, & quidquid leve est & vento obnoxium, rejicit ; quidquid verò grave, in horrea reponit.* Rejectitium est apud Deum, quidquid vento obnoxium est, quidquid ad ventorum occasionem degit : ille autem saluti reponitur qui ex seria animi & affectus ponderatione virtutem arripit, à qua nullis reflantibus ventis separari poterit. Is erat S. Joannes Baptista, qui ita se toto affectus conamine, & pondere, à primis unguiculis, virtuti sequendæ tradidit, ut nulla reflante tempestate in contrarium rapi potuerit. Concuti furentibus Herodis ventis, imò conteri poterit, cedere autem ventis non potuit, utpote qui non arundo, sed procerrima arbor erat.

Luc. 3. vers. 17.

Nazian. in S. Luc.

V. Gullielmus Parisiensis refert quendam Apologum in hunc sensum. Cum quercus quædam valido turbinis impetu confracta esset, arundo vero illæsa permansisset, admirata

Gullielm.

1. Reg. 10. vers. 10.

mirata quercus confractionem suam, & evasionem arundinis, causam hujus rei explorabat. Cui illa. Quia tu præsumens de tua fortitudine, vento resistere voluisti, ideo te concussit & confregit, ego autem quia unicuique vento cedo, & quo me pellit illuc inclinor, sic salva permaneo. Valet hic Apologus pro mundialibus, sed non pro servis Christi qualis erat Joannes Baptista, qui nusquam fuit arundo vento agitata, quia uti favores Pharisæorum, qui ipsi Regiam Messiæ dignitatem offerebant, non curavit, ita etiam Herodis aulam parvi fecit. Non absimilis illi erat alter Joannes sive Jvanus noster, qui taliter se gessit in loco isto, in quo vitam eremiticam ad mortem usque coluit; ut verè de ipso dici possit. *Quid existis videre in desertum*? Si nullus esset qui nobis responsum daret, tunc esset Borinogius Princeps Boëmorum, hic enim cum ad preces S. Ludmillæ uxoris suæ hunc virum Venerabilem ad arcem suam Terinensem evocasset, expertus fuit non fuisse ipsum arundinem, quia nullis cupediis & deliciis agitari potuit, quin reversus ad eremum, mortem in illa expectavit & felicem promeruit in Christo Domino nostro

AMEN.

Matth. 11. *vers.* 7.

IN COMMEMORATIONE D. IVANI, PRIMI EREMITÆ BOEMIÆ, Concurrente cum celebri die S. Joannis Baptistæ, SERMO PANEGYRICUS III.

Invenit gratiam in deserto. Jer. 31. v. 2.

VErum quidem est Auditores, quod hæc verba Prophetica, non secundum literam sed moraliter à Sancto Hieronymo intelligantur, qui pro deserto, accipit desertum gentium, nempe gentiles, inter quos fide Christi illustratos, populus Judaicus, gratiam & quietem inventurus erat, ut ait idem S. Doctor. *Invenit gratiam in deserto gentium, ut intra turbam nationum in Ecclesia salvetur.* Ego nihilominus id perspectum habens, quod Sancti Prophetæ non tantum futura prædicere, sed præterita quoque commemorare soleant, potero etiam per eadem verba maximam Dei beneficentiam juxta literam prædicare, quam illi populo præstitit in deserto, ita ut merito de ipso dici possit; *Invenit gratiam in deserto.* Inprimis enim magna fuit ea gratia, quando Deus Moysi pascenti gregem in deserto, se eidem videndum in flamma rubi ardentis exhibuit, ibidemque ei pro Duce Israelitici populi designando præcepit, ut unà cum Aarone, ad aulam Pharaonis Regis Ægypti pergeret, eumque de captivitate liberaret. Deinde non minus erat excellens illud divinum beneficium, quod teste Neëmia Propheta, quadraginta annis paverit eundem popolum in deserto: quales vero illi cibi fuerint, legimus in Exodo, comedisse illos Manna, quod sapo-

S. Hieron. in Ier.

Gen. 3. v. 3

Neem. 9. *vers.* 11.

Exod. 16. *vers.* 35.

ris erat suavissimi, annis quadraginta. Et rursus legimus Num 11. quod dum murmurarent contra cibum tanquam quotidianum, semperque eundem, & appeterent carnes; datam illis fuisse coturnicum multitudinem, uti & S. David idem commemorat dicens. *Petierunt & venit coturnix.* Urebantur ardore solis de die, aut noctu luce opus erat? idem Psalmista dicit. *Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem ut luceret eis per noctem.* Sed certe, licet hæc magna fuerint divina beneficia, populo Israelis collata à Domino, nihilominus, si ego me ab antiquo testamento, ad novum convertero, majorem ad huc gratiam, quam filiis suis præstare solet inveniam. En vobis duo deserti incolæ, duo Eremitæ, nempe S. Joannes Baptista, cujus hodie solemnem diem celebramus, & alter Ivanus Boëmicus Eremita, cujus etiam commemoratio venerabilis hodierna die occurrit. Quantam gratiam in suo deserto uterque ipsorum acceperit, vultis nosse? Attendite.

Num. 11. *vers.* 6.

Psal. 104 *vers.* 39.

I. Ordinarium id est Auditores, quod præstantissimis quoque viris primordia vitæ suæ, factaque puerilia ruborem aliqualem adferre soleant, cujus exemplum patet in Sancto Paulo Apostolo, qui sic ait. *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir,*

I. Cor. 13. *vers.* 11.

vir, evacuavi quæ erant parvuli. Sic excellentes viri primordia sua erubescunt ob oculos ponere: verùm pueri Joannis primordia, quod trimus desertum petiverit, asperam è camelorum pilis vestem portaverit, loco ciborum & cupediarum locustis melleque silvestri victitaverit, (hæc inquam quæ bubulcos, simplicesque homines sapiunt) non aliquem rubórem sed gloriam Joanni pepererunt. Ecce enim Christus Dominus laudaturus ipsum coram turbis, nullam mentionem fecit tot prodigiorum in nativitate sua patratorum, nullam officii, quod baptizando homines, quin & ipsum Christum gloriosè exercuit, nullam suæ prædicationis, in qua cum non solum plebejis sed militibus quin & ipsi Herodi Regi veritatem dixerit, incurrit ejusdem carceres & vincula, in solum desertum se convertens, ex eo quod ipsum inhabitaverit, summum eidem præconium concinnavit. Et quid magni est, habitare in deserto, quod locus est ferarum potius quam hominum civilium? Sed verba Jeremiæ Prophetæ, assumpta à me pro themate concionis, facile responsum subministrabunt, nempe ideo ipsum laudasse ex inhabitatione deserti, quoniam *invenit gratiam in deserto.* Sed qualem gratiam? Manifestum unicuique esse potest deserta loca incommode valde inhabitari solere ab hominibus, ibi enim nulla fere necessaria quæ corpori vitæque humanæ inservire valerent inveniri possunt, ibi tot difficultates aëris subeundæ, tot æstus solis tolerandi, & quod amplius est tot tentationes Diaboli superandæ. Quam primum Christus desertum petiit, statim eum invenit Diabolus ut tentaret, & quidem Christus tentationem vicit, sed homo ut in deserto tam feliciter victor evadat, *rara avis in terris*: non gratis scribitur in vita Sancti Antonii Magni Eremitæ, nempe dum existeret in deserto, per totum locum illum, retia Diabali extensa conspexisse, ibi enim variis tentationum modis homines infestare solet, ut sibi captivos reddat. *Matth. 4. v. 1.*

Osea. 9. v. 10. Legimus hæc verba in Osea Propheta. *Quasi uvas in deserto inveni Israël, quasi prima poma ficulneæ vidi patres eorum.* S. Cyrillus Alexandrinus hæc verba explicans, illa intelligit de populo Judaico, illiusque primo patre Abraam, quem (Deus collegit ex medio Idololatriæ, tanquam siquis ficum vel vitem inveniens in deserto, uvam seu pomum sibi decerperet, id enim rari aliquid esset: per desertum ergo intelligitur terra peccatorum, in qua hic Sanctus vir degebat, eratque inter ipsos tanquam inter deserti, silvarumque arbores ficulnea: Verba sunt autoris. *Rara res & difficilis inventu bonus in solitudine, inventus tamen ab eo qui omnia videt semel desideratissimus, & ut decerperetur gratissimus fuit. Deus inquam invenire dicitur Abraam, inter Chaldæos idololatras, quasi botrum, & præcocem in deserto ficum.* S. Cyrillus Alexandrinus.

Quid his verbis Sancti Patris clarius esse potest? Longum esset recensere tot Anachoretas; quorum quidem aliqui imò plurimi, sanctam vitam duxerunt in eremo, uti primus Paulus eremita, Sanctus Antonius, Palemon, Pachomius, cæterique, sed multi etiam numerantur qui eremo relicta ad seculum redierunt, qui verò remanserunt, de unoquoque talium dici potest *Invenit gratiam in deserto.*

II. E numero similium poterat computari illa Agar ancilla: hæc enim cum expulsa è domo à Sara Domina sua, erraret in solitudine Bersabeë, videretque quod aqua ad bibendum in utre consumpta esset, nolens videre mortem pueri, siti tabescenti, *abiit posito puero subter unam arborem, & flens sedit è regione procul, quantum potest arcus jacere.* At exaudivit Deus lamentabilem vocem pueri, misit enim Angelum suum qui ei fontem de quo biberet, utremque impleret demonstravit. E numero eorundem Sanctus Elias Propheta recenseri potest: hic enim cum fugiens furores & comminationes Jezabel Reginæ venisset in desertum, iterque unius diei confeciisset, sedens subter unam juniperum *petivit animæ suæ ut moreretur. Petivit mori (ait venerabilis Hugo Cardinalis) non ex desiderio sed ex tædio quia vitæ tam laboriosæ mors præferenda sibi videbatur, sed sic invenit gratiam in deserto.* Cum enim obdormisset sub umbra ejusdem juniperi, ecce tibi adest Angelus Domini, qui dormientem excitavit, timentem confortavit, & famescentem pane subcinericio saturavit. Magna fuit hæc utraq; gratia, sed major adhuc erat S. Joannis Baptistæ, illa enim gratia erat corporalis, in aqua & pane exhibita, hæc vero altera non tantum corporalis quod etiam S. Joanni vestimentum & alimentum in deserto providerit, sed magis spiritualis, quia cum triennis eremum ingressus esset, nihilominus, non tanquam puer seu tyro sed tanquã miles veteranus contra hostes suos divinâ protectus gratiâ depugnavit. *Gen. 21. v. 16.* *3. Reg. 19. v. 5.*

III. Non vobis in præsenti reticebo Davidis ausum, qui inermis ausus est inire certamen & conserere manus cum bellicosissimo gigante: is ut persuaderet Regi, quod in se uno totam Israëlis adversus Philistæos collocet causam, nihil aliud adduxit in medium, nisi puerities suæ facta: ait enim. *Pascebat servus tuus patris sui gregem & veniebat leo vel ursus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos & percutiebam, eruebamque de ore eorum.* Hæc David ostendit à se puero, peracta in deserto facinora, tales pueritiæ suæ ludos in medio protulit, quorum meminit Ecclesiasticus dicens. *Cum leonibus lusit quasi cum agnis & in ursis similiter fecit, sicut in agnis ovium in adolescentia sua.* His auditis Rex annuit, & Davidi difficillimi belli fortunam credidit. Sed dubitare licet cur Rex sapiens tantam rem puerilibus credidit facinoribus? Respondet D. Augustinus dicens. *Intellexit Rex cum videret audentem puerum, aliquid in eo divinitatis esse, nec illum tenera ætate sine divino instinctu talia posse præsumere.* Notandum illud, quod ubi pueriles Davidis ausus notavit Rex, statim intellexit, *aliquid in eo divinitatis esse*, non enim potest non sapere divinam manum, quod pueritia tantas exerat virtutes, & adeo præcox ætas exhibeat tam maturos fructus.

1. *Reg.* 17. *v.* 34.

Eccles. 47. *v.* 3.

IV. Idem de S. Joanne sentiendum est, cum enim secundam ætatem vitæ suæ vix attigisset, in deserto manens, super aspidem & basiliscum ambulavit, leonem & draconem conculcavit, multaque aliqua facinora præclarissima, (quæ nec matura cujusdam herois ætas attigisset,) ille in sua pueritia celebravit. Unde hæc & tanta juvenis ille eremita Sanctus inquam Joannes Baptista poterat in deserto? Causa hæc est præ manibus, quia *invenit gratiam in deserto*, quia non solum in eo erat aliquid divinitatis, quin tota manus Domini erat cum illo. Moyses in durissimum Pharaonem serpentes immisit, similiter & magi fecerunt, aquas in sanguinem vertit, & ranarum incredibilem multitudinem excitavit, idem & magi præstiterunt. Tertio accedit Moyses ad miracula, & ingentem cyniphum exercitum erexit, qui vexarent Pharaonem & Ægyptum: ad similia & magi accesserunt sed frustra, quia id facere non potuerunt, unde dixerunt ad Pharaonem *Digitus Dei est hic.* Quod magna animalia Regna devastent, virtutis potest esse creatæ: verum quod cyniphis parvus aculeus, armatos Reges molestet, quis non videat id opus esse divinæ manus? Potest equidem latere manus divina in magnorum virorum facinoribus: ast quod Joannes trimus desertum petat, lacte relicto, virtutem bibat, & aëreas conculcet potestates, hinc signum est non solum digitum sed integram manum divinam fuisse cum Joanne: liceat igitur mihi de ipso repetere *invenit gratiam in deserto.*

Jerem. 31. *v.* 2.

Exod. 8. *v.* 19.

V. Et quia omne bonum, communicativum sui est, quam ille gratiam invenit in deserto, talem etiam communicavit & cæteris, sed quia omnes qui Sancti Joannis Baptistæ beneficia receperunt, recensere longum esset, unicus hujus nostræ Eremi incola nempe D. Ivanus Eremita Boëmiæ, nobis pro exemplo sufficiet. Hic cum sibi locum hunc quem digito demonstrare possum elegisset, molestissimis Dæmonum incursibus per biennium agitatus, eorumque infestatione fatigatus, mutaturus locum abibat: & ecce eunti S. Joannes Baptista factus obviam, quonam abiret interrogat: ille quod ipsa re ità fuit, fateri cœpit, se Dæmonum continuis vexationibus conturbari, ut nec consistere nec moram ferre queat. Hic Baptista Sanctus, rudem teneramque tyronis Christi militiam miseratus, offert sibi crucem, utque ad pristinum locum redeat eidem mandat, hanc sibi contra insultus Dæmonum profuturam dicens. Ita factum: cum enim in eodem loco commorantem rursus diris clamoribus minisque infestarent, ille uni ex ipsis teterriori in petra pertinaciter existenti in os, apertum ad se devorandum, injectâ cruce, & ipsum cum fragore petræ, cæterosque omnes pepulit. Sancte Joannes Baptista, qui inveniſti gratiam in deserto, eandem nobis tuis precibus impertire.

AMEN.

IN

IN COMMEMORATIONE D. IVANI, PRIMI EREMITÆ BOEMIÆ,

Concurrente cum celebri die S. Joannis Baptistæ;

SERMO PANEGYRICUS IV.

Vox Domini præparantis cervos. Psalm. 28. v. 9.

SErmonem hodie habiturus de voce clamantis in deserto, nempe de S. Joanne Baptista, cujus vocis echonem reddidit B. Ivanus, alter Eremita Boëmiæ, ad id propositum meum, per optimè mihi quadrant verba Psalmistæ dicentis: *Vox Domini præparantis cervos.* In quibus juxta sententiam Reverendissimi Bellarmini Cardinalis, canturus laudes vocis divinæ, per quam perficitur tabernaculum, non illud à Rege David consummatum, in quo Arcam Domini Jerosolymis collocaverat, sed longe perfectius, nempe S. Ecclesia, quæ est mater omnium filiorum Dei, invitat eosdem vocatos eadem voce cœlesti, ad reddendum Domino Deo laudis sacrificium dicens: *Afferte Domino gloriam & honorem.* Quam verò ob causam nos invitet, ad reddendam laudem Deo, & prædicandam ejusdem potentiam, eam assignat dicens, non semel sed toties, *Vox Domini super aquas.* Item, *Vox Domini in virtute.* Item, *Vox Domini in magnificentia.* Item, *Vox Domini confringentis cedros* Item, *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Item, *Vox Domini concutientis desertum.* Quid sibi vult, quod S. David toties ingeminet vocem Domini? Nonne dicere semel satis erat? Respondet Lyranus, ideo diversimodè repetitam fuisse à Psalmista, quia etiam diversos effectus potentiæ divinæ repræsentabat, nempe: *Vox Domini inter aquas*, repræsentabat illud, quando eunti populo Israelis per mare rubrum, inter media castra illius, & Ægyptiorum, divino jussu processerunt tonitrua, & fulgura, subvertentia rotas curruum Ægyptiorum: *Vox Domini in virtute*, repræsentabat clangorem tubæ, & sonitum maximum in monte Sinai factum, in quo dictabat Moysi decalogum, *Vox Domini in magnificentia*, repræsentabat præcepta sua magnifica, adeoque majestatis plena, ut populi hæc audientes dicerent, *Loquere tu nobis & audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* *Vox Domini confringentis cedros*, denotat majores illius populi, uti fuit Aaron cæterique murmuratores contra Moysen, quos Dominus per lepram aliisque plagis castigavit. *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, illud denotat, quando Aaron pro illa plaga sedanda obtulit, thymiana, & sic cessavit incendium. *Vox Domini concutientis desertum*, denotabat terræ motum, quando illa aperuit os suum, & deglutivit Chore, Dathan, & Abyron, nec non tabernacula eorum. Unde infert Lyranus: *Declarat David, quod Deo sit obediendum promptè, per multa exempla virtutis divinæ, cui nullus potest resistere.* At inter has voces Domini & effectus earum, non video suaviorem, quam eam ultimam, quam David producit dicens: *Vox Domini præparantis cervos* Hæc enim vox plena est mysteriis, & non solum voci clamantis in deserto, nempe S. Joanni Baptistæ, sed etiam Echoni illius, nempe D. Ivano Eremitæ correspondet. Quod in hac concione audietis.

Bellarm. in Psalm. *Ps. 28. v. 1.* *Lyran. in Psalm.* *Exod. 14. v. 22.* *Exod. 19. v. 19.* *Exod. 20. 19.* *Num. 12. v. 10.* *Num. 16. v. 46.* *Num. 26. v. 35.* *Lyran. ibid.*

I. Duæ hodie voces auribus nostris objiciuntur Auditores præstantissimi, nimirum una Joannis Bnptistæ: *Vox clamantis in deserto*, alia vero, *Vox Domini præparantis cervos*, 3. Unam audio præcursoris Domini, præparantis agnum ad victimam, dum diceret: *Ecce agnus Dei*, aliam audio ipsius Domini præparantis cervos. Quænam est hic æmulatio Auditores? Nam dum Joannes præparabat agnum qui est Christus Jesus, è contra ille præparabat cervum, qui erat *Ioannes prædi-*

Matth. 3. v. 3. *Ioan. 1. v. 29.*

eans in deserto. Quod autem ita sit, juxta duplicem sensum, tam literalem, simulque allegoricum, quàm etiam mysticum, possum id demonstrare. Nam quod concernit primum sensum. Hebræi ista verba Psalmistæ, nempe:
Lyranus. *Vox Domini præparantis cervos*, sic intelligunt.
Vox Domini occidentis cervos. Ubi Rabanus
Rabanus. juxta mentem Judæorum, sive potius, juxta eorundem fabulam exponit id, de tempore Messiæ, in cujus adventu somniant, se optimè habituros, omnibusque terræ bonis & delitiis fruituros, ad quorum placitum occidet Dominus cervos & alia animalia silvestria, illisque ad manducandum tanquam venator quidam præparabit. Et cum hoc figmentum futuram vitam astruat fore animalem, ego per istam occisionem cervi melius hic intelligo mortem S. Joannis Baptistæ, ut qui erat præcursor agni veri, nempe Christi Jesu in nativitate sua, etiam in figura cervi morientis, præ-
Hugo Card. curreret eum in morte sua. Quod si ad sensum mysticum transeamus, per cervum, hic ego S. Joannem Baptistam optimè possum concipere, idque ex multis causis. Primò: quia sicut cervus, in cursu est velocissimus, sic etiam dum S. Joannes Baptista clamaret in
Psalm. 147. v. 15. deserto, uti ait S. David, *Velociter currit sermo ejus*: & sicut cervi in proportione ad alia animalia, satis sunt audaces, ita de S. Joanne illud
Psalm. 104. v. 19. Psalmistæ dici potest. *Eloquium Domini inflammavit eum*, quod patet in illa concione sua, quam ad diversos status habuit: cum
Luc. 3. v. 9. enim clamaret in deserto. *Iam securis ad radicem posita est*, interrogarentque eum turbæ dicentes. Quid ergo faciemus? Ille respondebat dicens: *Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat.* Rursus cum interrogarent eum Publicani dicentes: *Magister quid faciemus*, respondebat eis, *nihil amplius quàm quod constitutum est vobis, faciatis.* Item cum ad eum venissent milites dicentes: *Quid faciemus & nos?* Ajebat ad illos. *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris.* Tandem concludit sacer Evangelista dicens: *Multa & alia exhortationis Evangelizabat populo.*

II. Sed si hæc populària deessent testimonia sufficeret nobis pro argumento magnanimitatis S. Joannis, illa heroica concio, quam ad Herodem Regem habuerat dicens: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Venerabilis *Marci 6. v. 19.*
Beda, egregium hac in parte S. Joanni Baptistæ dedit testimonium dicens: *Ioannes Baptista qui venit in spiritu & virtute Eliæ, eadem autoritate qua ille Achab corripuerat & Iezabel, arguit Herodem & Herodiadem,* *Beda.*
quod illicitas nuptias fecerint, & non liceat fratre vivente germano, illius uxorem ducere malens periclitari apud Regem, quam propter adulationem esse immemor præceptorum Dei. Similiter ea est natura cervorum, quod lutosa loca fastidiant, & appetant saltus per montosa loca: talis planè erat Joannes Baptista, quin hinc similis Dei filio apparuit, nam in hoc quod de ipso prophetaverat David dicens: *Exaltavit ut gigas ad currendam viam suam*, præventus fuit à Joanne, de quo *Psalm. 44. v. 26.* merito illud dici potest. *Ecce iste venit saltens in montibus, transiliens colles, similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum.* Joannes *Cant. 2. v. 8.*
enim Baptista post saltus illos primos, matris utero factos, magno orbis bono inter prærupta montium natus apparuit. Quod si altius adhuc ascendere velimus, nempe à litera ad spiritum, qui per montes perfectionem nostram denotat, excelsum sanè illius verticem S. Joannes calcavit, quia divina veritas ipsum non solum hominibus, sed ipsis quoque Angelis præ-
tulit dicens: *Hic est de quo scriptum est: ecce ego* *Matth. 11.*
mitto Angelum meum, ante faciem tuam qui præ- *v. 10.*
parabit viam tuam ante te.

III. Ea quoque est natura cervorum quod serpentes odio prosequantur, quorum investi- *Plinius l. 8.*
gant cavernas, nariumque spiritu extrahunt re- *c. 32.*
nitentes, quam quidem cervorum naturam, ad speciale mysterium trahit D. Augustinus dicens: *Serpentes necat cervus, & post serpentium* *D. Aug. Sup.*
interemptionem majore siti inardescit, peremptis *Ps. 41.*
serpentibus, ad fontes acrius currit: serpentes, vitia tua sunt, consume serpentes iniquitatis, tunc amplius desiderabis fontem veritatis. Tali cervo non absimilis erat S. Joannes Baptista, quod enim serpentes rationales nempe peccatores, odio habuerit, patet ex verbis ejusdem dicentis ad turbas: *Genimina viperarum, quis ostendit* *Luc. 3. v. 7.*
vobis fugere à ventura ira, facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Si quis interroget, cur S. Joannes has turbas compellaverit, genimina viperarum? Respondebit nobis Venerabilis Beda dicens: *Malæ soboles malorum parentum actio-* *Beda ibid.*
nes imitantes, genimina viperarum vocantur.

Tan-

Tandem sicut cervi fontibus delectantur : ita quoque & S. Joannes, more unius cervi generosi, præcurrens fontem verum Baptismi à Christo instituti, quo sanamur à veneno peccati, similiter, maculam ejusdem eluimus, ejusdem figuram quandam in Baptismo à se inchoato instituit, juxta illam comparationem
Ps. 41. v. 1. S. David dicentis : *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Unde ut ad propositum revertamur, ex hisce cervorum proprietatibus, quæ S. Joanni perbelle conveniunt, etiam hæc verba S. David, nempe: *Vox Domini præparantis cervos*, in sensu mystico eidem benè convenient.

IV. Quod si ad sensum literalem revertamur, tunc inveniemus in eodem maximam Dei providentiam qua servis suis solet prospicere, eosque non tantum in anima nempe spiritualibus cibis suæ gratiæ, sed corporalibus etiam
Deut. 8. v. 16. pascit nutritque Filios Israëlis cibavit manna
Daniel. 14. v. 36. in deserto. Danielem in lacu leonum sedentem, per Abacuc, prandio sibi misso satiavit.
3. Reg 17. v. 6. Eliam Thesbitem corvo cibum sibi in deserto ministrante, à fame liberavit. Sancto Joanni Baptistæ, locustas & mel silvestre subministravit in deserto, ut tali cibo uteretur. Et quod majus est. Cum Cervi tanquam silvestres & natura feri, hominibus non cohabitent, nisi planè asuefiant, sed per nemora camposque errare soleant, quod etiam voce Domini, præparentur ad escam hominibus. S. enim Ægidius
In vita ejusdem Cal. Sept. cum ad Beatum Cæsarium contendisset, & postea secessisset in eremum, ubi diutius herbarum radicibus victitabat, cerva statis ad eum horis veniens, & ubera porrigens, lacte eum pavit, quin insequentibus quodam die canibus Regiis, cum in antrum Ægidii confugisset locum Sancti prodidit, in quo extrui fecit monasterium.

V. In hoc etiam loco, in quo nunc præsentes estis, simile quid contigit Auditores. Locus enim hic, qui dedicatus est Sancto Joanni Baptistæ fuit quondam Divi Ivani habitatio, ubi dum in placido pacis otio, nempe in meditatione cœlesti, quadraginta ferè annos, soli Deo notus exegisset. *Vox Domini præparantis cervos*; cujus Imperio obediunt omnia, alumnam & nutricem cervam illi præparavit, quæ quindecim annis sui lactis copiam ei præberet, eumque nutriret. Sed *Ps. 54. v. 15.* quid novi? Deus noster optimus est paterfamilias, qui jactantibus in se curam suam, nusquam deest. Talis erat noster Eremita loci hujus incola, reliquit enim, non solum Regale solium, parentes, fratres, & amicos, sed insuper, ad nutum Dei vocantis, secutus exemplum Sancti Abraam Patriarchæ, qui ad mandatum ejusdem, de domo & cognatione sua egressus fuerat : hic etiam, ei non absimilis, reliquit paternam domum, & tam diu quæsivit locum quietis suæ, donec ipsi Dominus istum quem videtis, pro terra promissionis destinasset. Et verè terra fuit promissionis, quia manabat lacte unius cervæ, sibi ab ipso præparatæ. Quamobrem Charissimi audientes tot exempla, quæ testantur, supremum Æconomum, neminem deserere in se sperantem, prout curam habuit S. Joannis Baptistæ in eremo, & alterius Ivani in hoc deserto Boëmico, jactemus in ipsum cogitatum nostrum, & ipse nos enutriet, gratiâ & cœlesti gloriâ.

AMEN.

IN VENERABILEM MEMORIAM, CÆTERORUM REGNI BOEMIÆ PATRONORUM.

Nempe,

1. Joannis Eleemosynarii Nepomuceni, Martyris.
2. Sex Fratrum Martyrum, Viti, Joannis, Matthæi, Benedicti, Isaac, & Christini.
3. Hroznatæ, è familia Guttensteiniana oriundi,
4. Woizlavæ, Sororis eiusdem.
5. Miladæ, Sororis Boleslai pii Ducis.
6. Zdislavæ, è familia Baronum Berckarum oriundæ.
7. Agnetis, Primislai Regis Boemiæ filiæ.
6. Amabiliæ, Wenceslai Secundi filiæ.

Quorum nomina nec dum in albo Sanctorum recensentur. Extant autem in libro vitæ.

UNICUS SERMO PANEGYRICUS.

Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & vivent nomina eorum in aternum, Eccles. 44. v. 14.

Curtius. XErxi quondam in Græciam sua castra moventi integer fluvius ob multitudinem militum dum ex eo biberent, sufficere non poterat: at meo judicio si quis hodie torrente Ciceronianæ eloquentiæ ad humectandam linguam suam uti vellet, quâ laudes Venerabilium & Illustrium Patronorum (quos tellus Boëma Sanctorum ferax protulit) decantare possit, eum inquam torrentem quamvis sit amplissimus, minimè sufficturum. *Psal. 67. v. 36.* Cum enim mirabilis dicatur Deus in Sanctis *Hugo Card.* suis: mirabilis inquam in prædestinandis, vocandis, justificandis, & magnificandis: juxta illud S. Pauli Doctoris Gentium. *Quos Deus prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & magnificavit.* Quid ergo dicemus ad hæc? Ait Reverendissimus Hugo Cardinalis. Certè si eloquentissimus Cicero aut Demosthenes seu quispiam Gentilium Oratorum, hæc Sanctorum magnalia sua lingua perstringere vellet, in ipso verborum suorum limine stare cogeretur: nec enim illuc progredi posset, *ubi altitudo divitiarum sapientiæ* *Ad Rom. 8. v. 30.* *Hugo Card.* *Ad Rom. 11. v. 33.*

pientia & scientia Dei, cujus judicia sunt incomprehensibilia, & investigabiles via ejus, omnem gressum inhibet. At verò longè alia ratio est Christianorum Oratorum, hi enim imbuti sacra fide, non demirari tantum, sed etiam magnificentiam dare noverunt Deo nostro, & quem spiritu admirari, etiam ore laudare solent in Sanctis ejus. Sed unum est, quod difficile arduumque mihi videtur Auditores. Rex Alexander Magnus, cum præteriens quandam statuam, vidisset sudore madentem, summè mirabatur, convocatisque suis sapientibus mysterium rei exquirebat, ubi unus ex illis sic ait: *O Rex Alexander multis Oratoribus & Historicis facta tua heroica sudorem causabunt, nam quicunque illa lingua seu calamo decantare volent, id sine magno labore efficere haud poterunt.* Si illud Alexandri prodigium tale Oratoribus & Historicis prognosticon portendebat, quid mihi futurum est Auditores? si unus homo tot personis, tantæ molis fieri debuerat, quid de multis dicam? quorum quilibet effætam Alexandri gloriam, sanctæ vitæ gestorumque suorum fama obumbravit? Licet ergo impar sim tanto oneri, timeamque staturæ meæ interioris sudorem non exilem, animat tamen me illorum multiplex numerus, ut si tot tantisque pro dignitate illorum & vestra expectatione Panegyris mea non sufficiet, id vestra suppleat humanitas, meque de tot personis unica loquentem lingua animo benevolo audire patiatur.

Psal. 144. v. 10.

Plutarch. de Vir. Illustr.

In serie atque numero quem hisce Venerabilibus Patronis, pia Boëmia ordinavit, primò occurrit mihi Venerabilis Martyr Joannes Eleemosynarius Patria Nepomucenus, Cathedralis Ecclesiæ S. Viti in arce Pragensi Canonicus, Reginæ Joanne Wenceslai Pigri conjugis, confessarius. Qui cum sigillum ejusdem confessionis impio Regi propalare nollet, variis primò quæstionibus suppositus, quin etiam nefaria manu carnificis attrectatus, & tetro in carcere flammis ustulatus, mori potius, quàm sacrilegus arcani pœnitentiæ proditor esse, audirique voluit. Unde cum ignis Elemento superari, & ad frangendum sigillum cogi non posset, à Phalaride illo Lucemburgico in Moldanam fluvium de ponte projici jussus fuit, qui innocentem quidem recepit Martyrem, sed innocentiam ejusdem (luminaribus facibusque cœlestibus præbens locum, quæ in eodem flumine cadaver submersi demonstrabant) æternitati commendavit. Imperatores Regesque mundiales habent sua præmia, nempe arma diversa, & insignia, quibus emeritos milites honorare solent: nostra quoque mater Ecclesia orbis Christiani Regina, non est parcior in suis muneribus, quin majora Regiis insignia suis Sanctis conferre novit. Sed quodnam Venerabilis Joannes promerebitur? Legimus in Annalibus Boëmorum, magnum quoddam prælium inter Uladislaum Boëmiæ Ducem, & Stephanum Ungariæ Regem (fraude cujusdam Ungari qui utriusque partis exercitum falsis dubiæ fidei rumoribus imbuerat) excitatum fuisse, ubi dum utrique sibi non fidentes ad arma concurrissent, Boëmis impressione Ungarorum terga vertentibus, miles quidam molitor suos commilitones ne fugerent, animavit & tanto spiritus impetu in hostes irruit, eos cœdendo, vulnerando, occidendo, ut cæteris quoque ad renovandam pugnam animum restitueret, & insignis victoriæ Autor fieret. Cui Princeps ad se vocato cum manum salutatricem in signum gratiæ exporrigeret, & ille vicissim suam offerre vellet, videns ex tribus digitis abscissis, sanguine cruentatam eosdemque per albam tunicam suam ducens, ut cruorem abstergeret, tres in eadem lineas exaravit. Interroganti ergo Principi Sobeslaum fratrem suum, quonam ipsum pro tam heroico certamine præmio & insigni honoraret? Respondit frater. Et quonam alio, quàm eo ipso, quod sibi in veste sua fecit? Laurea Martyribus à Sancta Matre Ecclesia dari solet. Jam ego nostrum Martyrem Nepomucenum præter lauream etiam aureo pœnitentiæ sigillo, & illibatis Principis Apostolorum Petri clavibus decorandum esse censeo, quarum gratia tantam laudem promeruit, ut dum propter inviolatam hujus sigilli fidem conservandam Martyr occubuit, tantum præconii promeruit, ac si pro ipsa Christi fide moreretur. Refert Plutarchus in vita magni Alexandri, quod cum magnus ille orbis Imperator die quodam scriberet literas aliquas magni momenti, & statum Imperii concernentes, accessisse ad illum Ephæstionem sibi familiarissimum & totum quod scribebat inspexisse

Hageeius pag. 165.

Plutarch.

xisse atque legisse. Sed quid Alexander ? Sigillum quo literas communivit ori ejusdem apposuit, insinuans, ut sicut secretum suum in literis absconditum & sigillo observatum esset, ita quoque in pectore Ephæstionis maneret clausum, ne ulli ipsum revelaret. Inter secreta quæ Deus custodiri jubet, est sigillum sacræ pœnitentiæ, quod à Confessariis tam arctè custodiri debet, ut neque propter conservandam vitam propriam, aut alterius cujuspiam, neque ob immania tormenta, neque ob gravissima damna, neque propter vitandam mortem atrocissimam, neque tandem propter ullam rationem propalari & communicari possit. Cujus ratio est ; quia tunc Pœnitentiarius agit personam Dei, cui soli secreta humani cordis patere debent. Isaias vice quadam manifestare nolens locum, in quo viderat Deum sedentem sic ait : *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum :* sed quid sequitur ? Mox mittitur Seraphinus ad ipsum, qui habens calculum in forcipe eodem sigilli loco usus fuit, quo os ejus clauderet & muniret, ut de ipso testatur dicens : *Volavit ad me unus Seraphin, & in manu ejus calculus & tetigit os meum.* Sufficit tibi ô Isaia, quod videris quendam gloriæ radium, sed nulla ratione volo eum manifestari aliis. Unde alia quadam vice, interrogatus de cœlesti gloria, aliud non respondit nisi hoc ingeminans. *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Eodem modo sufficere debet Confessario, quod in sacramento pœnitentiæ agat personam Dei, unde etiam æquum est, ut secreta ejusdem custodiat, nec ulli manifestare præsumat, sed illud solum dicat *secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Et certè videtur mihi castus ille Joseph Confessariorum figuram expressisse : hic enim eum diffamatus & injuria affectus fuisset à Putiphari Domina sua eò quod libidini illius nullo modo consentire vellet, potius elegit carceres & vincula quam peccatum illius propalaret. Eodem modo & Confessarii, figuram innocentis Joseph, & exemplum Venerabilis Joannis Martyris imitari debent, qui potius supplicia ignis & aquæ subiit, elegitque mori, quam arcana conscientiæ ipsum Deum concernentia cuipiam revelaret. Pythagoræ quædam una ex virginibus præclara celebratur memoria, cujus meminit Sanctus Ambrosius : quod cum à Tyranno quodam cogeretur secretum quodpiam prodere, ne quid in se ad extorquendam confessionem vel tormentis liceret, morsu linguam abscidisse, ut qui interrogandi finem non faciebat, non haberet quem interrogaret. Erat quidem hæc magna atque laudabilis fœminæ virtus, sed quantò melior illa est, quæ non necessitate, sed libertate metiri solet, tantò major in Venerabili Joanne Pœnitentiario innotuit : hic enim cum retineret usum loquendi, non cessit tormentis carnificis ut loqui & sacramentum prodere cogeretur. Sed non miror tantam hujus heroici animi constantiam, non parvi etenim momenti res ipsa extitit, quam tuebatur : siquidem sigillum pœnitentiæ est unum ex illis septem signaculis, quæ olim Sancto Joanni Apostolo in visione ostensa erant. Est unum candelabrum aureum è septem aliis ab eodem Apostolo visis. Est una lampas, è septem lampadibus quæ illuminat abscondita tenebrarum. Et tandem est unus thesaurus pretiosus quem majori vigilantia custodiri decet, quàm olim vellus illud aureum à Draconibus vigilibus custoditum fuerit. Est thesaurus quidam ingens, sed absconditus in agro Ecclesiæ, qui teste Divo Gregorio ideo absconditur, ut servetur. Quin omni thesauro potior. auro enim & argento sanitas non emitur, at sacramentum pœnitentiæ ob id à Deo institutum est, ut confitentes peccata nostra infirmitates tametsi enormes & gravissimas evadamus, nec non medicinam efficacem quin ipsam salutem animæ per sanctam confessionem assequamur, quam Divus Isidorus pulchrè elogio commendat dicens : *Confessio sanat, confessio justificat, confessio veniam peccati donat, omnis spes in confessione consistit, in confessione locus misericordiæ est, nulla tam gravis est culpa quæ per confessionem non habeat veniam.* Cum ergo pœnitentia tantus sit thesaurus animæ, non etiam mirum est quod magna oris custodia conservetur. Sanctus Martyr Laurentius non tantum propter fidem Christi Domini sed etiam propter thesauros Ecclesiæ, quos profanas manus diripere non permisit, crudelem quidem sed non minùs lauda-

Isaiæ 6. v. 1.

Isaiæ 24. v. 16.

Gen. 39. v. 10.

S. Ambr.

Apoc. 5. v. 1.

Apoc. 4 v. 5.

S. Gregor. Hom. 11.

D. Isidor.

laudabilem mortem oppetiit : non minori quin ampliori adhuc dignus est memoriâ Venerabilis Joannes Martyr : quia pro custodia thesauri non materialis, sed mystici tot horrenda tormenta sustinuit & per Martyrium mortem oppetiit, tandemque mersus in flumine lauream Martyribus debitam, à Deo promeruit. O felix Boëmia ! quæ tanti filii mater extitisti : Sed num quid in solo Joanne Nepomuceno gloriatur ? Minimè vero, ut enim taceam illos gigantes spirituales quì publico præconio in Ecclesia Sancta celebrantur, nempè Sanctus Adalbertus Pontifex, Sanctus Vitus Martyr, Sanctus Wenceslaus Princeps, Sanctus Sigismundus Martyr, Sanctus Procopius Abbas, Sancta Ludmilla Vidua, Beatus Ivanus Eremita Primus : habet etiam quoque alios filios, & filias, non solùm generis celsitudine, sed etiam vitæ sanctitate conspicuos. Inprimis sex illi Martyres, nempe Vitus, Joannes, Matthæus, Benedictus, Isaac, & Christianus licet Polonia oriundi, nihilominùs in hanc Boëmiæ Patriam una cum corpore Sancti Adalberti Pontificis & Martyris translati, hujusque Patriæ filii adoptivi facti, quantis virtutibus claruerint quis effari potest ? quibus olus pro lauticiis, idque rarissimè, panis rarò, pisces nunquam, legumen duntaxat in Paschate, aqua ad certum pondus in usu fuit: vestes asperrimæ quibus tegerentur, lectulus erat petra, lachrymæ panes die ac nocte, dum recordarentur universi populi peccatorum, cæteras excellentes virtutes ipsorum, silentio prætereo, cum & ipsi silentii cultores eximii fuerint : sed vel illud commemorandum venit, qualiter à latronibus crudeliter cruciati & occisi fuerint. Cum enim Mesko Dux Poloniæ, motus ipsorum sanctitate, seque ipsum commendans illorum precibus, misisset illis Marchas centum (quas illi tanquam salutis suæ obstacula rursus remiserunt) illi prædones de talibus donis edocti, speque auri consequendi impetu in ipsos facto, crudeli martyrio affecerunt. Illustris aut potius Beatus à nobis conseri debet Hroznata è familia Guttensteiniana oriundus, non solùm virtutibus, sed etiam prodigiis conspicuus. Cum enim eum enixa mater mortuum invenisset, ad preces Sanctissimæ Virginis Mariæ confugiens, ejusdem meritis precibusque vitam illi obtinuit. Idem cum matre in curru nectus & in curia suorum sub rotam decidens damni nihil sentiens. Cracoviæ pietati literisque studens cum balneandi gratia Vistulam fluvium ingressus in eoque submersus esset, vivus tandem inventus erat, qui uti ipsemet referebat, pulcherrimæ Virginis auxilio manu se ipsum sustentantis salvatus fuit. Hic licet Primislao Principi charus esset, mundi tamen honores respuens, peregrinationem Jerosolymitanam sibi proposuit, sed procellas maris perhorrescens, Romamque veniens, à summo Pontifice votum illud suum in aliquid aliud commutari petiit, qui admonitus ut monasterium Ordinis Divi Norberti religiosis fratribus extrueret, cum domum rediisset, monasterium Teplicense condidit & dotavit : in quo Abbas existens & in officio suo multa passus, tandemque ob patrimonium Dei & insatiabilem auri famem à vicinis captus, & in arcem Kunsperg ductus fuit, ubi jam mortuus servo suo se ostendit, eique non secus atque alter Angelus Petro in carcere posito demandavit, ut eo loco illo prosiliens, mortem suam confratribus nunciaret, & ad justa sepulturæ sibi persolvenda hortaretur. Quo facto fratres religiosi quamvis iniquo pretio corpus redemerunt, illùdque Teplæ sepeliverunt : quo tempore lampas vitrea accensa decidit, nihil damni passa, pluraque alia mirabilia contigerunt. Non minori sanctitatis fama claruit Woizlana ejusdem soror ; quæ monasterium Choteszovienſe Virginibus sacris ejusdem ordinis ædificavit, in eoque usque ad mortem piissimè vixit. Venerabilem Virginem Miladam rosæ è sentibus natæ comparare licet : hæc enim quamvis Boleslai sævi fratricidæ filia fuerit, nihilominus impietatem patris devitans, atque Pii Boleslai fratris sui incumbens vestigiis, tot tantisque virtutibus claruit ut summus Pontifex fama ejus motus, non solùm ei habitum Divi Benedicti contulit, sed etiam baculo cæterisque indultis pastoralibus exornatam in arce Pragensi monasterii Sancti Georgii Primam Abbatissam fecit. Venerabilem Virginem

Zdislavam è familia Baronum Berkarum magis ſtupere, quàm laudibus prædicare cogor, hæc enim virilem Sancti Joannis Baptiſtæ accipiens animum, ſeptennis ingreſſa eſt ſolitudinem, ubi procul à conſpectu hominum, ſed propinquior Deo vivens, multis aſperitatibus corpus ſuum caſtigavit, tantæ porrò miſericordiæ in pauperes, ut pedum ipſorum ſordes laverit, & vulnera ſanioſa linxerit. Obtenda tandem licentia à marito ingreſſa eſt Ordinem prædicatorum, atque in duriſſimis laboribus vitam finiens & in oppido Jablonæ condita multis miraculis claruit. Venerabilem Agnetem virginem Primislai Regis Boëmiæ filiam, qui Sanctæ Virgini Marthæ comparaverit non errabit: verè enim in piis operibus illam exprimebat. Sicut & virgo Amabilia Secundi Wladislai filia verè Deo amabilis, magna vitæ ſanctimonia enituit. Horum omnium corpora in pace ſepulta ſunt, ſed vivent nomina eorum internum.

A M E N.

SERMONES PANEGYRICI, DE NONNULLIS S. PATRONIS ARCHIDIÆCESIS PRAGENSIS.

SERMONES
PANEGYRICI
DE NOMINE
S. PATRONIS
ARCHIEPISCOPALIS
MAGUNTIA

IN FESTO SS. FABIANI ET SEBASTIANI MARTYRUM,

CONCIO I.

Descendens Iesus de monte, stetit in loco campestri.
Lucæ 6. v. 17.

REfert Herodotus de Xerxe Persarum Monarcha potentissimo, quod dum pugnaturus contra Græcos tam in terra, quam etiam in mari, numerosissimum exercitum eduxisset, in quo saltem pugnatorum virorum, erant duodecies centena millia, incensum fuisse desiderio, ut totum illum populum tam in terra, quam in mari simul videre posset, unde ascendit montem Abydum, ex quo utrumque exercitum conspexit. Herodotus. Sed quam melius fecisset, si relicto illo spectaculo potius Duces suos (qui ibidem aderant secum præsentes) nempe Mardonium, Artabanum, cæterosque, admonuisset, & qualiter se in castris, habere deberent instruxisset; quam benè fecisset, si potius unâ cum Ducibus de monte illo descendisset, & castris appropinquans, milites suâ præsenriâ animasset, & ad bellum fortiter ineundem incitasset, sane non tam cito populum illum, una cum victoria amisisset. Monarcha non Persarum, sed totius orbis, Christus Dominus, longe aliter se habuit, Beda in 6. Luc. hic enim in montem ascenderat, non eo fine, ut lustraret suum quoque exercitum, nempe multitudinem illam copiosam, quæ ab omni Judæa & Jerusalem, & maritima, & Tyro, & Sidone, cæterisque locis satis remotis ad ipsum convenerat, sed ut delectis primum Ducibus hujus multitudinis, nempe duodecim Apostolis, iisque bene instructis, & informatis, qualiter se gerere, suumque munus Apostolicum obire possent, tandem postquam suum finivit sermonem (quem juxta Sanctum Matthæum Evangelistam in eodem monte habuerat) uti deinde ait Sanctus Lucas. Luc. 6. v. 17. *Descendens Iesus de monte stetit in loco campestri.* Sed quid Christo Domino opus fuit, quod descendens de monte in loco illo campestri constiterit? Duo sui milites, nempe Sanctus Fabianus & Sebastianus, quorum hodie annuam memoriam celebramus, relationem nobis facient, ad quam excipiendam accommodate aures vestras.

I. Duæ sunt res in hoc themate hodierni Evangelii, quarum ab hisce duobus Regis Christi militibus nempe à Sancto Fabiano & Sebastiano nobis ratio reddenda est. Prima, Cur Christus de monte descenderit, secunda vero, cur steterit in loco campestri: sane quod concernit primum punctum, tam S. Fabianus, quam etiam Sebastianus cum responsis suis præsto nobis adesse possunt, qui ad quæsitum descensus Domini, non tam verbis & oratione quam exemplis vitæ suæ, nobis responsa ferunt, dum utrique per descensum Domini, humilitatem ejusdem non solum intellexerunt, sed in se ipsis ad vivum expresserunt. Et primo quidem S. Fabianus. Hic enim quantæ humilitatis fuerit cum proverbio dicatur, quod honor sequentem se fugiat, fugientem vero sequatur, patet ex indicio columbæ Sanctum Fabianum nullos curasse honores, nullas dignitates, sed dum eas refugeret, Deo ita ordinante, non simplex sed summa dignitas, illius tamen qui ait. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde*, Matth. 11. v. 29. ipsum insecuta fuit. Cum enim post mortem summi Pontificis antecessoris sui, clerus & populus pro alio deligendo convenissent, & ipse de quodam loco rediens, electores illos pertranssiret, ecce columba candida super caput ejus de cœlo descendit, eumque tali judicio dignum hac sede Apostolica demonstravit. Hoc igitur cuncti admirantes, quamvis reluctantem, in summum Pontificem elegerunt. Jam vero quod concernit S. Sebastianum, huic nihil magis fuit cordi quam Christi Domini humilitas, licet enim in aula Diocletiani Imperatoris primus fuerit, & primæ cohortis principatum ab illo sibi oblatum habuerit, nihilominus Hist. Lom.

minus sub illo habitu militari, conservabat & tegebat humilitatem Christianam, & in hoc solum habitum illum deferebat, ut ipse Christianissimus existens in corde, animas Christianorum, quas in tormentis pro Christo susceptis videbat deficere, confortaret. Et cur milites Christi eam virtutem humilitatis, quæ per descensum Domini de monte significatur, non amarent, cum ipsimet Imperatori Deo tam multum placuerit.

II. Æternum patris verbum, nempe unigenitus Dei filius, antequam adhuc homo factus esset, summè hoc descensu delectabatur. Cum enim omne leve tendat sursum, sicut grave deorsum teste Aristotele, & experientia ipsa magistra, illa scala quam in somnis viderat S. Jacob Patriarcha per quam Angeli descendebant, certè non fuit necessaria propter ascensum Angelorum, quia sunt Spiritus subtilissimi & levissimi qui ascensu non egent, unde quod mali Angeli sint detrusi in infernum præter id quod ejusdem igne crucientur, id etiam ipsis grave molestumque est, quod contra ordinem naturæ suæ, cui nihil à Deo demptum est, tam infimo loco alligati maneant, pondere ipso peccati illos in tali centro detinente, unde magis veritati consonum est, illam scalam potius descensui Angelorum deserviſſe, qui figura fuit unigeniti Dei filii. *Qui propter nos & propter nostram salutem descendit de cœlis.* Quod eodem modo sentit Hugo Cardinalis dicens: *Et verbum caro factum est, ecce descensus.* Hinc quandocunque Dominus existens in monte Synai, vocabat ad se Moysen Patriarcham, non diu ipsum ibidem manere permittebat, quin ideo ascensum permittebat, ut in descensu ejusdem delectationem se habere ostenderet, quin imo ipsemet Deus recreationem quandam in descensu habens, toties ad populum Israëlis descendebat. Inprimis Exod. 3 protestatur coram Moyse cui apparuerat in Nube dicens, se propter liberationem Israëlis descendisse: *Descendi ut liberem eum.* Item Exodi 19. sic habet textus: *Totus mons fumigabat, eò quod descendisset Dominus super eum.* Item Numer. 11. *Descendit Dominus per nubem.* Item sequenti capite: *Descendit Dominus in columna nubis.* Et hunc descensum, figuram fuisse humilitatis, quam Dominus adhuc in cœlesti manens gloria, & divinâ majestate sua adamaverat, patet ex eo; cum enim homo factus esset, nihil ipsi gratius fuit humilitate. Hinc veniens Jericho, dum aspexisset, Zachæum in arbore Sicomorum (quam ascenderat ut illum videre posset, quia statura pusillus erat) non passus est ipsum diu ibidem manere, dicens, *Zachæe festinans descende.* Quasi diceret, hæc arbor est imago & typus illius alterius paradisi, quæ decepit hominem per superbiam, dum ei diceret serpens ille callidus: *Eritis sicut Dii.* Itaque Zachæe festinans *descende*, per humilitatem, *quia in domo tua oportet me manere*: unde D. Laurent. Novariensis: *Descendit confestim de arbore jam verbo Domini emendatior, aspectus enim Domini emendavit prædonem.*

III. Præterea descendit Christus de monte, quia licet in alto manere posset, cum senatoribus terræ, quia tamen nunquam obliviscitur eorum quæ inferius sunt, ideo descendit. Hinc Psaltes: *Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra.* In altis habitat in monte, sed quia humilia respicit, ideo, *Descendens de monte stetit in loco campestri.* Non sic homo, qui cum in sublimi se videt elevatum, etiam suos non agnoscit. Sic pincernæ contigerat, qui Josephi manentis in eodem carcere oblitus fuit. Non sic Deus. Præterea descendit postquam ascenderat, ut nos doceat, sic locum altum possidere, ut sciamus etiam descendere, agnoscentes vilitatem nostram. Quando te in sublimi statu videris constitutum, ne obliviscaris tui, sed memento verborum David Regis dicentis: *Ego autem sum vermis & non homo.* Ille ego, qui Dux, qui Rex, qui Propheta, qui dives, qui fortis, vermis sum & non homo. Constitutus in alto es? Dives es? Magistratum geris? Vis his uti in bonum tuum? Descende: *Sede in pulvere filia Babylonis.* Sic descendit de solio suo Rex Ninive, & non periit. Ne dicas cum Pharaone. *Quis est Dominus ut audiam vocem ejus; nescio Dominum.* Ne cum eodem submergaris in profundum. Nabuchodonozor dum descendit ad bestiam, nempe dum agnovit quidnam esset, tunc securè ascendit in Regnum. Hæc Christus ut nos doceat, descendit de monte.

IV. Altera quæstio sequitur hujusmodi. Cur Christus Dominus postquam descendit de monte, in loco campestri steterit? Ratio, prima hæc est, ut se ostenderet esse Dominum non solum montium, sed etiam locorum campestrium,

Aristot. *Gen. 28. v. 13.* *Symb. Nic.* *Hugo Card. in 28. c. Gen.* *Exod. 3. v. 8.* *Exod. 19. v. 28.* *Num. 11. v. 2.* *Num. 12. v. 5.* *Luc. 19. v. 5.* *Gen. 3. v. 5.* *D. Laur. Novar.* *Ps. 112. v. 5.* *Gen. 40. v. 20.* *Ps. 21. v. 7.* *Isaiæ 47. v. 1.* *Gen. 5. v. 29.* *Daniel 4. v. 30.*

pestrium. Legimus in 3. libro Regum. Qualiter
1. Reg. 20. v. 23. superbus Rex Syriæ Benadab, dum assumptis secum triginta duobus Regibus, pugnaret contra Samariam & filios Israëlis, Achab Rex Israël egressus cum paucis eum superaverit, & Syriam magna plaga percusserit, sed cum Rex Benadab sequenti anno bellum restaurasset, idque consilio servorum suorum dicentium. *Dii montium sunt dii eorum, ideo superaverunt nos, sed melius est ut pugnemus contra eos in campestribus, & obtinebimus eos.* Deus talem detractionem punire volens, mandavit Prophetæ qui diceret Israëli. *Quia dixerunt Syri, Deus montium est Dominus, & non est Deus vallium, dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua: & scietis quia ego sum Dominus.* Factum ita. Ego autem redeundo ad propositum meum, per montes intelligo perfectos viros, quales erant Apostoli Domini, qui in montem cum Christo ascenderunt, sed hi pauci numero: per loca campestria, intelligo homines debiles & imperfectiores, quales erant in illa planitie: ut ergo Christus Dominus se ostenderet Deum montium, prædicabat illis in monte de quibus dicitur: *Ego dixi Dii estis,* ut se etiam ostenderet Deum vallium, & locorum campestrium, ad hoc impellente ipsum charitate maximâ. *Descendens de monte stetit in loco campestri*, qua de re, sic ait D. Ambrosius. *Hoc ostendit summam in homines charitatem, & suavitatem dum descendit, facilem nobis præbens cœli viam, nec arduæ, & sublimia exegit.*

Psal. 81. v. 6.

S. Ambr.

V. Jam non immerito Christus Dominus de se ipso ait in Canticis: *Ego flos campi.* Et licet hujus loci sacri textus, varii dentur sensus & interpretationes. Nam S. Ambrosius quærens, cur potius non comparetur alicui excelsæ arbori? sic respondet: *Flos odorem suum succisus reservat, & contritus accumulat.* S. Bernardus non minùs pulchram assignat rationem dicens: *Flos est campi & lilium convallium, quia absque humana industria producitur, & est corona humilium.* At S. Chrysologus proposito meo satisfaciat, dum ait ideo Christum flori campestri comparari, quia nullo sepimento clauditur, sed patet omnibus, ut plenitudinis suæ gratiæ, omnes participes esse possint. Imitabatur similitudinem hujus floris S. Joannes Baptista, quia ut ait S. Lucas Evangelista, militibus, publicanis, & cunctis hominibus facilem viam ostendebat ad salutem consequendam. Eodem modo S. Paulus Apostolus: hic enim conjugatis, virginibus, viduis, dominis, servis, & cunctis tandem hominibus, in suo statu præscripsit viam benè vivendi. Tales denique erant S. Fabianus & Sebastianus Martyres, hi enim studiosissime invigilabant, saluti suorum & proximorum; at nunc jam præmio fruuntur sempiterno.

Cant. 2. v. 1.

S. Ambr. l. 2. de Sp S. c. 5.

S. Bern. in Cant.

Chrys. in serm.

Luc. 3. v. 5.

Ad Eph. 5. v. 2.

AMEN.

IN FESTO SS. FABIANI ET SEBASTIANI MARTYRIS, CONCIO II.

Beati eritis cum vos oderint homines. Lucæ 6. v. 22.

AGnosco ex themate hodierni Evangelii (quod in laudem Sanctorum Martyrum Fabiani & Sebastiani quorum hodie annuam memoriam celebramus insumere cuperem) Christum Dominum in hoc mundo Generalis militiæ & peritissimi quidem, egisse officium: cum enim haberet tantam populi multitudinem quæ ad ipsum undique confluxerat, suæ militiæ nomen dare cupiens; ille ut inprimis provideret sibi de Ducibus & officialibus
Luca 6. v. 17. ascendit in montem, ibidemque per totam noctem orationi vacans, duodecim elegit qui huic tam copioso exercitui præesse possent. Quod cum bene ordinasset, & ad finem deduxisset, tandem descendens de eodem monte, stetit in loco campestri. Quid autem ibi egerit Venerabilis Beda respondet dicens: *Turbas docturus ad campestria rediit.* Optima ratio: solent quippe peritissimi Duces belli, educere milites suos in campum, ubi bene lustrentur, & quomodo armis suis uti debeant, exerceantur. Sic Cyrus Lydorum Persarumque Rex fecisse legitur: hic enim dum Astyagi patruo suo ob factam sibi injuriam

Ven. Beda.

bellum

bellum inferre vellet, coacto exercitu, & collectis militibus, antequam cum illis aggrederetur hostem suum, priùs ipsos duxit ad silvam, & ligna obviasque arbores securibus cædere jussit, & tandem vesperi labore fessos, dum lauto epulo recreasset, interrogavit quid magis placeret, sectio arborum, an verò comestio? Quibus secundum magis laudantibus, respondit, si sic in Regno Astyagis epulari velitis, priùs vobis labor pugnæ, strenuè ineundus erit. Simile quid fecit Christus Jesus, hic enim cum descendisset de monte & stetisset in loco campestri, prius illi multitudini tanquam Cyrus suis militibus labores quos subire deberent exposuit, postmodum autem lautum beatitudinis epulum exhibuit dicens: *Beati eritis cum vos oderint homines*, & paulò post ait: *Gaudete in illa die & exultate, ecce enim merces vestra multa est in cœlo.* Quemadmodum autem Cyri milites fortiter pugnarunt cum Cambyse, & totam certaminis molem fortiter tolerarunt, victoriamque obtinuerunt: ita quoque Christi Domini milites nempe Sancti Martyres, quàm strenuè cum hostibus suis, æternæ mercedis intuitu pugnare soleant exemplo Sanctorum Fabiani & Sebastiani Christi militum patebit nobis.

Herodot.

Luc. 6. v. 22.

I. Ad risum viderentur alicui illa verba S. Job dicentis: *Militia est vita hominis super terram*, dum enim vitam illius legimus, nusquam certasse ipsum cum aliquo invenimus, nusquam gestasse gladium, aut aliqua arma offensiva reperimus, quin imò dum cunctis bonis spoliatus, filiisque & filiabus suis privatus, nec non ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem capitis afflictus esset, loco campi & areæ, in qua depugnaret, elegit sibi sterquilinium in quo sedens, *testa saniem radebat*. Sed S. Augustinus magnus Doctor Ecclesiæ Christi Domini, vult ut talem risum in seriam veritatem convertamus: hic enim per illam S. Jobi militiam, intelligit tentationem suam quam sustinuit, unde dum dixisset: *Militia est vita hominis super terram*, ille hæc verba vertit taliter. *Nunquid non tentatio est vita humana super terram*: Et hanc tentationem vocat studium certaminis, ubi vincit homo, vel vincitur. Talem militiam S. Job exercuit, quia eum bis impetitus esset ab hoste suo Satana, primò per spoliationem bonorum omnium, & per oppressionem filiorum filiarumque suarum, talem assultum sustinuit, & superavit dicens: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Secundò cum percussus ulcere pessimo, ab uxore vexaretur, ut Domino malediceret, etiam hunc assultum delusit dicens: *Quasi una de stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus?* Talisque militia est communis omnibus Christi fidelibus, non uni enim sed cunctis dicitur: *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* E numero talium generosorum pugilum, erant hi duo SS. Martyres quorum hodie memoriam celebramus, nempe Fabianus & Sebastianus servi Dei. Quod concernit primum nempe S. Pontificem Fabianum, hic egregiam habuit occasionem militandi & cum hostibus Christianæ fidei depugnandi, tunc enim electus erat in Pontificem, quando erant tempora difficillima, rerum ingens perturbatio & mira undique persecutio, ut intelligamus eum ad laborem, ad defensionem fidei Christianæ, ad tuendam sanctam Ecclesiam, suo sanguine & martyrio, fuisse creatum, ut esset simul & Pontifex & Martyr Christi. Sub hoc Pontifice adversus Privatum hæreticum Concilium nonaginta Episcoporum in Africa celebratum fuit, ubi illorum sententia damnatum communione sanctæ Ecclesiæ privavit, ejusque errores suismet literis insigniter sugillavit. Hic idem S. Pontifex Origenem Romam venientem & suam causam dicentem audivit, & licet ille præclara multa scripserit, illa tamen quæ fidei sanctæ contraria videbantur, autoritate Apostolica reprobavit, & tandem, multis rebus in Ecclesia Christi Domini præclarissime gestis, sub ingressu Decii Imperatoris, & persecutione ejus in Christianos grassante, martyrio coronatus, æternæ beatitudinis copiosam mercedem recepit.

Iob. 7. v. 1.

Iob. 2. v. 7.

S. August. in Iob.

Iob. 1. v. 21.

2. Tim. v. 5.

Iulius Capitol.

S. Cypr.

Thren. 3. v. 12.

II. Quod concernit spiritualem militiam S. Sebastiani Martyris, id certum est inter cæteros pugiles Christi Domini, ipsum multos impetus & gravissimos quidem fretum spe divinæ mercedis sustinuisse & feliciter superasse: magnum erat certamen illud dum tam copiosè sagittas incorpore suo excipiebat, poteratque dicere illa verba Jeremiæ Prophetæ; *Posuit me quasi signum ad sagittam*: sed ego præfero sagittis, illud unicum, quod blanda Cæsarei favoris jacula, sciverit refellere seu retundere. Cum enim Cæsar pro explorato haberet ipsum

esse

esse Christianum & servum Dei, multisque verborum blanditiis, favorum & numerum promissionibus ad idola gentilium revocare conaretur, nihil efficere potuit, quia Sebastianus maluit esse odio apud Imperatorem, quam è gratia Dei excidere, juxta illud: *Beati eritis cum vos oderint homines.* Constans est Sanctorum Patrum doctrina, prosperitatem maximam esse verè virtutis probationem, per quam, qualis quisq; sit, dignoscitur: sic enim S. Anselmus ait: *Tribulatio probat unam patientiam prosperitas vero virtutes omnes examinat.* In prosperitate, excellentia humilitatis agnoscitur, quia nihil magis animum hominis incitat ad superbiam, quàm felicitas: in prosperitate perfectio charitatis elucet, quia qui prosperitate fruitur, parvi æstimat proximum, existimans se ipsum sibi sufficere: in prosperitate singulariter eminet virtus mansuetudinis, quia qui felix est & omnium rerum abundat copiâ, nullum sibi parem æstimans, ad vindictam pronus efficitur: & tandem si omnes virtutes pensaverimus, id comperiemus in prosperitate, quod sola & unica, omnibus se opponere videatur: unde bene ajebat Boëtius. *Felix fortuna, à vero homines devios blanditiis trahit.* Sed elegantius adhuc ait S. Bernardus dicens: *Multo plures prosperitatis fallacia, quam adversitatis flagella dejiciunt.* Unde S. Sebastianus magno dignus est encomio, quia pluris fecit divinam gratiam, quàm favores Imperatoris, quos ipsi propter ejurandam fidem Christianam offerebat.

S. *Ansel.*

Boëtius de Consol.

S. Bern.

III. Sanctus Augustinus ponderans illam petitionem Elisæi Prophetæ, qua rogavit Eliam dum per turbinem levaretur in cœlum dicens: *Fiat in me Spiritus tuus duplex*: quærit rationem cur tam magnam rem & inusitatam petierit? Cum n. Christus dixit: *Non est discipulus super Magistrum* luculenter patet quod Eliseus Magistrum suum Eliam præire & superare contenderit, nonne uno spiritu & una virtute Magistri sui contentus esse poterat? Sed appositè patrocinatur S. Doctor huic petitioni Elisæi Prophetæ dicens: *Elisæus, cum magno honore, & seculi dignitate virtutem & prophetia donum habuit, &c.* Prævidebat Elisæus spiritu Prophetico, periculum quod sibi imminebat, ob applausum mundi, ob gratiam Principum Regumque ob tot miracula patrata, in multiplicatione olei per quod uni pauperculæ fœminæ succursum fecit, in resuscitatione unius Sunamitis filii, in tot consiliis quæ Magnatibus dabat, illisque multa secreta revelabat, hinc igitur ille Propheta in tanta prosperitate timens naufragium ne illum demergeret, postulavit à Magistro suo duplicatum spiritum, quò præmunitus, omnes afflatus superbiæ vitare posset: quo non indiguit Elias, licet enim fuisset Propheta perillustris, & magnus etiam miraculorum patrator, quod in descensu ignis de cœlo demonstravit, quia tamen raro inter homines conversabatur & sæpius solus delitescere solebat, ad id præsentia Dei roborabatur in adversis, ob id sufficiebat ei simplex spiritus: at Elisæus qui magna prosperitate & gratia Principum utebatur, duplici spiritu indigebat.

Matth 10. *vers.* 24.

S. Aug. l. 2. de mir. c. 6.

4. *Reg.* 4. *vers.* 6. 7.

3. *Reg.* 18. *vers.* 38.

3. *Reg.* 19. *vers.* 20.

IV. Regius Propheta David commemorãs diversas tentationes Diaboli quas ille injicit justis hominibus describit illum sub typo sagittarii dicens: *A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & Dæmonio meridiano.* Iuratus iste humani generis hostis dexterrimus est sagittarius, & habet multiplices sagittas quasdam, quas emittit de die, quasdam in meridie, quasdam noctu & in tenebris ejaculatur. Instruit, præmunitque S. David, justum divino auxilio, & protectione, contra istas sagittas, volantes tam de die quam etiam de nocte, quod eum proteget à sagitta volante in die, item à sagitta volante in meridie, nec non à sagitta volante in tenebris sive nocturna. De sagitta volante in die, hæc ait S Bernardus. *Hæc sagitta vana est gloria, quam oportet cavere ferventiores, ne deserant scutum veritatis.* Eruditus autem Pater Diodorus, per sagittam utramque nempe diei, & meridiei, intelligit binam tentationem Diabolicam, qui nobis per fallacem & inanem spem mundanæ gloriæ, non semel sed bis insidiatur, ut decipiat: unde prætactus Autor sic ait: *Satan cum falsa spe perstringit animam.* Sed cur David bis meminit sagittarum de die, semel verò noctis? Serena dies, est symbolum felicitatis, sicut adversitas noctis: hæc simplici tantum sagittæ comparatur, prosperitas verò duabus, quia non apparet tantum robur Christiani fidelis in tolerantia afflictionum & adversitatum, quantum in prosperitate mundi temperanter sufferenda, ne propter eam homo superbiat & intumescat.

Ps. 90. *v.* 6.

S. Bern. Abbas.

Diodorus

VI. Unde patet majoris esse perfectionis

hominem, qui in prosperitate à Deo non avertitur, quàm qui in adversitate ab eodem non deficit. Et hinc maximā atq; immortalem laudem S. Sebastianus promeruit cum enim hic in chlamyde militari ageret Christianū, binas sagittas nempe diei & meridiei Satanas in ipsum jacebat, procurando ipsi magnos favores, & honores apud Cęsarem, sic sanctum militem configere & vulnerare cupiens, sed nihil efficere potuit, dignitates enim mundi hujus, Sanctus hic flocci fecit. Tum quid Diabolus, tetendit arcum, & sagittam nocturnam jecit in ipsum, nempe incitavit Imperatorem contra sanctum militem ut illum sagittari juberet. At ille repellendo sagittas favoris, & felicitatis mundanæ, potius susćepit tela tyranni, & spernens illius gratiam, promissa munifica, maluit in proposito fidei permanere, quam promissis ipsius obtemperare, non timuit ipsius odium quia noverat sibi esse utilius sua gratia, juxta verba Christi Domini. *Beati estis cum vos oderint homines.* Hujus beatitudinis gratia hi duo sancti Martyres nempe Fabianus & Sebastianus, mundi Principum, hic Diocletiani, & alter Decii indignationem neglexerunt, & contra favores mundi fortiter depugnarunt, quia sciebant reservatam sibi esse mercedem copiosam, qua nunc perfruuntur in cœlis.

Luc.6. vers.22.

AMEN.

IN FESTO SS. FABIANI ET SEBASTIANI MARTYRUM, CONCIO III.

Exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum. Ps.63.v.4.5.

MOs est antiquis Oratoribus, ut si quempiam illustrem virum præconio quodam honorare velint, etiam laudis materiam talem inquirant, quæ illi personæ convenire possit. Sic Ecclesiasticus laudare volens, sanctos illos patres, & antiqui testamenti Patriarchas, nec non inclytos Reges, Ducesque Israëlis, unumquemque ex illis juxta statum suum prædicavit, jam à dignitate Prophetarum, à musica, à carminibus scripturarum, à fide & levitate, à fortitudine & sapientia, quin imò ut has similesq; virtutes ipsorum, eò melius laudibus suis exaltaret, usus fuit pleriśque symbolis & figuris, quibus Heroes illos illustres comparabat. Unde Auditores mei præstantissimi, dum & ego cogitarem, ubinam quærenda mihi esset materia, quæ pro laudibus Sanctorum Fabiani & Sebastiani Martyrum, quorum hodie annum memoriam celebramus ex æquo mihi sufficeret, non potuit mihi melior occurrere quam ex hisce verbis S. Regis David. *Exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.* Cum enim pateat in vita S. Fabiani quod pro fide Christi Jesu gladio sit decollatus: alter verò S. Sebastianus, sagittis confossus fuerit, & in hoc themate tam gladii, quam etiam arcus & sagittarum mentio habeatur, hinc ipsum mihi oportunum arbitrans, ex eodem aliquid de gladio S. Fabiani, reliquum autem de sagittis S. Sebastiani audiemus.

Eccles.44. vers.6.7.

1. Quod concernit Sanctum Fabianum Pontificem maximum & Martyrem Domini, non miror illum gladio periisse: ait enim Christus apud D. Matthæum Evangelistam. *Omnes qui acceperunt gladium, gladio peribunt.* Sed quid Domine! nonne tu præceperas Petro, ut vendita tunica gladium sibi compararet? Ad quem usum alias fuisset, nisi pro illo casu infelici, dum te Judæorum milites orantem in horto comprehenderunt, dum te loris vinxerunt, & sic ad tribunal ipsorum captivum duxerunt, ut te eodem gladio defenderet? & ecce dum suo fungitur officio, & ferit Malchum, ejusque abscindit auriculam, tu ipsum increpas dicens: *Converte gladium tuum, in locum suum, omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* S. Ambrosius cum magno zelo stat pro parte Christi dicens: *In Evangelii libris aperta & evidens sententia est; reconde gladium tuum, omnis enim qui gladio percusserit, gladio ferietur.* Et deinde prolatis verbis Domini statuit suam sententiam in hæc verba dicens:

Matth. 26. vers.52.

S. Ambr.

cens : *Quis latro detestabilior? Quàm persecutor, qui venerat ut Christum occideret? Sed noluit se Christus persecutorum defendi vulnere, qui voluit suo vulnere omnes sanare.* Et hoc fundamento, dum me converto ad S. Fabianum, illud noto, quod cum sub Decio Imperatore gladio occubuerit, consequenter & ipsum, gladio usum fuisse. Ita est Auditores. Sanctus Fabianus, Fabii Romani filius portavit gladium, sed non ita temerè, uti nunc pueri decennales faciunt, qui accingentes sibi gladios, eos trahunt per terram, quia statura sua sunt majores, nec scitur, utrum portent, gladios, an ab illis portentur ipsi; ille sumpsit gladium jussu Spiritus Sancti sibi dicentis : Accingere gladio tuo super femur tuum potentissimè; sicuti etiam S. Sebastiano suo commilitoni ait: *Psal. 44. v. 6. Sagittæ tuæ acutæ populi sub te cadent.* Et quemadmodum Imperatores, Reges, & Principes mundi, volentes emeritos quosdam equestri dignitate honorare, feriunt ipsum leviter gladio & eodem præcingi facientes, honore equestri gaudere jubent : eodem modo Imperator Christus Jesus, S. Fabianum servum suum emeritum, in altiorem honoris gradum evehere volens, accinxit ipsum gladio non materiali sed spirituali, deditque potestatem ut ipso liberè uteretur. Iste verò gladius triplex fuit, primus Ecclesiasticæ potestatis, juxta illud : *Ecce duo gladii hic*; quia evectus fuit in sedem *Luc. 22. vers. 38.* S. Petri Apostolicam, ut quidquid solveret aut ligaret super terram, solutum esset aut ligatum. Secundus, est verbi divini, juxta illud : *Vivus* *Ad Hebr. 4. vers. 12.* *est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Tertius est martyrii & tribulationis juxta illud quod de Joseph Patriarcha *Psal. 104. vers. 18.* scribitur. *Ferrum pertransit animam ejus.* Quia multas tribulationes sustinuit à suis fratribus, qui cogitantes eum occidere per invidiam, in cisternam posuerunt, postea, Ægyptiis vendiderunt, quorum in terra, multo tempore propter injustas Putipharis impudicæ calumnias, in carcere detentus fuit. Simile testimonium habemus Luc. 2. cap. qui in persona Simeonis de B. V. Maria sic ait : *Luca 2. vers. 35.* *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

II. Hoc triplici gladio S. Fabianus utebatur, primo autoritatis, & officii Apostolici, quia fidem Christi tanquam pugil strenuus defendebat & modis omnibus promovebat. Primum patet ex eo. Quia cum Novatianus Ecclesiæ Romanæ Presbyter (qui Episcopatum sedemq ejusdem ambiebat) videns Fabianum electum, hæreticus factus esset, atq; lapsis spem veniæ denegando, tali errore fideles Christi interficere conaretur, mox S. Fabianus, in urbe Romana, quadraginta Episcoporum Concilium convocavit, in quo reprobata illa hæresi, statuerunt & decreto sanciverunt, lapsis, & peccatoribus quibuscunque, spem veniæ à Deo misericorditer dari, modò per pœnitentiam ad ipsum revertantur, juxta illud Isaiæ Prophetæ : *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas & revertatur ad Dominum & miserebitur ejus.* Quod verò concernit aliud, nempe promotionem Sanctæ Ecclesiæ, S. Damasus Papa, tale de ipso profert testimonium. Quod tam sollicitus fuerit pro decore S. Ecclesiæ, ut per omnes regiones miserit septem Diaconos & eis alios septem Subdiaconos addiderit, qui omnium Martyrum gesta colligerent, unde si in aliquo sanctorum in hoc præsenti impletur illud Psalmistæ, quod S. Fabianus ore suo dicere poterat *Domine dilexi decorem domus tuæ.* Alter gladius quo S. Fabianus utebatur, est verbum Dei, juxta illud D. Pauli dicentis : *Galeam salutis assumite, & gladium spiritus quod est verbum Dei.* Hic enim S. Pontifex, non solum divinum verbum ferventer prædicavit, sed etiam non immemor officii sui ad quod tenebatur, nec non D. Pauli quemlibet prædicatorem monentis : *Argue, obsecra increpa, in omni patientia & doctrina*; hoc inquam præceptum Apostolicum egregiè practicavit. Cum enim Philippus Imperator quodam peccato gravatus, solemnitati Paschali simulque communioni interesse vellet; S. Fabianus ipsum intrepidus accessit, verbis ardentibus admonuit, nec quousque confiteretur, inter cæteros fideles Christi stare permisit, eoque generoso facto, verba illa de se dici promeruit : *In diebus suis non timuit Principem.* Tertius tandem gladius erat martyrii, quia ob fidem Christi Jesu ejusq; prædicationem, jussu Decii Cæsaris, capitis obtruncatione certamen suum consummavit, gladium portavit, gladio quoque periit, sed quomodo periit, qui tanquam victor gloriosus, non laureâ, sed aureâ coronâ redimitus triumphat.

Psal. 25. v. 8. *Ad Eph. 6. vers. 17.* *2. Tim. 4. vers. 2.* *Eccl. 48. vers. 20.*

III. Jam à gladio S. Fabiani, ad sagittas S. Sebastiani divertamus. Quamvis iste S. chlamidem

midem militarem portaverit, quia tamen plurimos gentiles ad fidem Christi convertit, & nutantes in eadem confirmavit, multosque ad martyrii coronam subeundam animavit, latere non potuit: cum ergo Diocletianus Imperator à Christianitate in qua diu latuerat eum revocare non posset, jussit illum in medio campi ligari ad arborem, & quasi in signum à militibus sagittari: dum ergo Sanctus iste miles sagittis configeretur, illa verba Regis David dicere poterat. *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi.* Ps. 37. v. 3. Sed quid ais Sancte miles? David hæc verba dicens, intelligebat ea de sagittis sibi à Deo missis, ergo & tu sagittas tuas Deo attribues? Vides jussu Imperatoris ab ejusdem militibus sagittas ad te dirigi & emitti, & tamen ad Deum clamas: *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi.* Si sagittæ illæ tyranni tui fuerunt, quomodo illas sagittas Dei nominas? Ideo sane, quia probe noverat, principalem earundem auctorem fuisse Deum, Imperatorem autem unà cum ministris suis Dei solum ministros: testem hujus discursus habeo D. Vincentium Ferrerium dicentem. *Imperator & alii sagittantes, solum fuerunt ministri.* S. Vincen. Ferr. Serm. Solet Deus hominibus impiis, eorumque crudelitatis instrumentis taliter uti, sicuti aurifiber suis operariis, cæterisque instrumentis quibus ad vas quoddam aurum seu argenteum faciendum & exornandum indiget. Est Deus instar aurifabri qui ad electos fabricandos, limandos & exornandos loco carbonum ignitorum, mallei, cæterorumque instrumentorum fabrilium, utitur tyrannis crudelibus. Guiliel. Paris. de Mor. c. 3. Et quamvis teste S. Vincentio Ferrerio S. Sebastianus tale fuit vas de quo illud Ecclesiastici dici posset. *Quasi vas auri solidum*: Eccles. 50. vers. 10. nihilominus ut magis limaretur, & poliretur, majoremque splendorem acquireret, Deus illud vas aureum, manibus inimicorum suorum, tot sagittarum adhibitis instrumentis elaborare voluit.

IV. Legimus de Sancto Job Patriarcha, qui fuit verum ac vivum speculum patientiæ, Deum percussisse ipsum ulcere pessimo à planta pedis usque ad caput. Job. 2. v. 8. Quærit igitur D. Chrysostomus; cur Dominus Deus noster qui aliàs vocatur à Sancto David, *Miserator & misericors, patiens, & multæ misericordiæ*; Ps. 85. v. 15. tam crudeliter in ipsum sævierit, cur in ipso tot vulnera multiplicaverit, ut in unum quasi vulnus à capite ad pedes redactus videretur? Et respondet idem S. Doctor, id ideo factum fuisse, ut in omnibus corporis partibus coronaretur. Verba sunt illius. *Percussit eum ulcere pessimo, à pedibus usque ad caput, quo totus per totum corpus ac membra coronatus appareat.* S. Chrys. Hom. 4. Jam si nunc post perceptam hanc S. Chrysostomi doctrinam, à me quoque petieritis rationem, cur Deus Sebastianum in omnibus corporis sui partibus tot vulneribus affici voluerit, mox respondebo. *Quo totus per totum corpus ac membra, coronatus appareat.* Et quia omnis corona pulchrior apparet, si multis gemmis, & lapidibus pretiosis hinc inde distinctis exornetur, hinc illa in corpore S. Sebastiani vulnera, nihil aliud erant, quam gemmæ, carbunculi, & lapides pretiosi. S. Chrysostomus in sua Homilia de septem Machabæis martyribus idem testatur dicens. Pretiosa sunt corpora martyrum, quoniam plagas pro Domino susceperunt, & sicut corona regalis undique decorata, fulgores & radios emittit: ita & Sanctorum corpora, sicut pretiosis lapidibus acceptis pro Christo vulneribus distincta, omnium Regum diademate pretiosiora redduntur. S. Chrys.

V. Si Divo Sebastiano Martyri majorem adhuc pulchritudinem favere volumus, id fiet tunc si ipsum pulchritudini Christi Jesu assimilaverimus, quæ à Sancto Rege David ita extollitur. *Speciosus forma præ filiis hominum*: Ps. 44. v. 3. super quæ verba Hugo Cardinalis sic ait: *Signum est suæ pulchritudinis quod in eum Angeli desiderant prospicere: est enim pulcher, secundum divinitatem & humanitatem*: Hugo Card. ibidem. quam pulchritudinem in transfiguratione sua demonstravit, ubi resplenduit facies ejus sicut sol, & vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix. Matth. 17. vers. 2. Jam vero quid S. Bernardus Senensis de Sanctis Dei censeat, audiamus. *Magnum præconium est justorum, conformes fieri imaginis filii Dei, & portare insignia Christi, quæ sunt tribulationes & adversa.* S. Bernar. Sen. Tom. 1. cap. 1. Si igitur omnes Sancti Martyres communiter honore illo perfruuntur, ut Christo similes reddantur, jam S. Sebastianus erit ipsi similior, quia sagittis, tanquam scalpellis & dolabris quibusdam expolitus, imaginem Christi Jesu, qui vulneratus est propter iniquitates nostras, in corpore suo repræsentat, nunc autem fruitur gloria sempiterna.

AMEN.

IN

IN FESTO SS. FABIANI ET SEBASTIANI MARTYRUM, CONCIO IV.

Sancti per fidem vicerunt Regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones. Ad Hebr. 11. v. 33.

SEneca licet gentilis Philosophus, optime tamen protulit dicens: *Spes præmii solatium est laboris.* At id enim orator arat & seminat, ut manipulos colligat, mercator ideo subit & tolerat diversa maris pericula, ut merces acquirat pretiosas, milites ideò pugnant in campo, ut victoriam assequantur, & spoliis hostium suorum ditentur. Habemus hujus exemplum in libro 1. Regum. Cum Gigas quidam Philistæus Goliath nomine in campum contra exercitium Israëlis descenderet & unum de viris ad singulare certamen provocaret, audiens David quendam dicentem in castris Regis Saul verba talia. *Virum qui percusserit, ditabit eum Rex divitiis magnis, & filiam suam dabit ei, & domum patris ejus faciet absque tributo in Israel.* Complacens sibi in tali promisso à Rege proposito, mox descendit in arenam, & cum gigante decertavit, eumque sua funda prostravit. Jam hic si me interrogaveritis Auditores mei, cur in Ecclesia Christi Domini tot inveniantur Sancti Martyres qui pro ejusdem confessione, tot & tanta tormenta tolerunt; uti enim ait S. Paulus Apostolus; *Alii ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt*, eam dabo rationem, quia unusquisque illorum audiebat sibi dici à Domino & Rege universi Christo: *Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Et quia hodierni SS. Martyres Fabianus & Sebastianus (quorum hic solemnem memoriam colimus) tale promissum acceperunt, non est mirum quod tam fortiter in suo certamine se gesserint, quia etiam promissionem suam adepti sunt. Quod utrumque vobis, nempe pugna ipsorum & corona in hac concione patebit.

Libro 2. de mor.

Arist. 4. Ethic.

1. Reg. 17. vers. 25.

Ad Heb. 11. vers. 36.

Apoc. 2. vers. 10.

I. Commune tritumque illud est Auditores, quod ubi est major pugna, ibi quoque sollennior est victoria, & triumphus glorioſior, hinc ille fœminæ civitatis Jerusalem volentes gratulari Sauli victoriam, partam in bello cum Philistæis habito, illi obtulerunt *mille*, at egregio illi bellatori David, *decem millia.* Cur plus huic quam ipsemet Regi? quia hic decertans cum Goliath gigante Philistæo, in majori erat rerum discrimine, quia unicus inermis, cum fortissimo & veterano milite depugnabat, quem totus exercitus Israëlis formidabat. Hinc cum difficiliorem pugnam habuerit, ea propter etiam major victoria & solennior triumphus, nempe decem millium percussorum ei imputatus fuit. Quia uti ait Venerabilis Hugo Cardinalis: *In uno dejecto omnes in fugam misit.* Quod etiam hodierna die sancta Ecclesia mater nostra, multum lætetur, solenniter celebrando triumphum glorioſum sanctorum pugilum Fabiani & Sebastiani, non est mirum Auditores mei, maximam enim in certamine suo difficultatem uterque expertus fuit. Et quidem quod concernit S. Fabianum, habuit Tyrannum illum Decium, qui volens abolere fidem Christi, & regionem Christianam penitus extirpare, nec non fidelem Christi populum ad impium idolorum cultum adducere, multis torturis cogebat fideles, ut leges sibi à Christo datas desererent, & gentiles acceptarent; at quemadmodum in antiqua lege Judæorum, vexante Judæos Rege Antiocho, inventus fuit Matthatias, qui Regis voluntati restitit, nec ut faceret quidquam contra paternas leges obedire voluit, dicens illud. *Et si omnes gentes Regi Antiocho obediunt, ego & filii mei, & fratres mei, obediemus legi patrum nostrorum.* Sic Beatus Fabianus Regi Decio non consensit, qui eum sacrificare idolis cogebat, sed fidem Christi Jesu ab Apostolis, sanctisque Patribus susceptam usque ad mortem defendit. De unicorni ajunt naturales Philosophi, quod cornu tam acutum validumque habeat, ut quidquid impetit, illud perforet aut transfodiat, item quod non timeat Elephantem maximum ani-

1. Reg. 18. vers. 7.

Hugo Card. ibidem.

1. Mach. 2. vers. 19.

midem militarem portaverit, quia tamen plurimos gentiles ad fidem Christi convertit, & nutantes in eadem confirmavit, multosque ad martyrii coronam subeundam animavit, latere non potuit: cum ergo Diocletianus Imperator à Christianitate in qua diu latuerat eum revocare non posset, jussit illum in medio campi ligari ad arborem, & quasi in signum à militibus sagittari: dum ergo Sanctus iste miles sagittis configeretur, illa verba Regis David dicere poterat. *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi.* Ps. 37. v. 3. Sed quid ais Sancte miles? David hæc verba dicens, intelligebat ea de sagittis sibi à Deo missis, ergo & tu sagittas tuas Deo attribues? Vides jussu Imperatoris ab ejusdem militibus sagittas ad te dirigi & emitti, & tamen ad Deum clamas: *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi.* Si sagittæ illæ tyranni tui fuerunt, quomodo illas sagittas Dei nominas? Ideo sane, quia probe noverat, principalem earundem autorem fuisse Deum, Imperatorem autem unà cum ministris suis Dei solum minstros: testem hujus discursus habeo D. Vincentium Ferrerium dicentem. *Imperator & alii sagittantes, solum fuerunt minstri.* S. Vincen. Ferr. Serm. Solet Deus hominibus impiis, eorumque crudelitatis instrumentis taliter uti, sicuti aurifiber suis operariis, cæterisque instrumentis quibus ad vas quoddam aurum seu argenteum faciendum & exornandum indiget. Guiliel. Paris. de Mor. c. 3. Est Deus instar aurifabri qui ad electos fabricandos, limandos & exornandos loco carbonum ignitorum, mallei, cæterorumque instrumentorum fabrilium, utitur tyrannis crudelibus. Eccles. 50. vers. 10. Et quamvis teste S. Vincentio Ferrerio S. Sebastianus tale fuit vas de quo illud Ecclesiastici dici posset. *Quasi vas auri solidum*: nihilominus ut magis limaretur, & poliretur, majoremque splendorem acquireret, Deus illud vas aureum, manibus inimicorum suorum, tot sagittarum adhibitis instrumentis elaborare voluit.

IV. Legimus de Sancto Job Patriarcha qui fuit verum ac vivum speculum patientiæ, Deum percussisse ipsum ulcere pessimo à planta pedis usque ad caput. Job. 2. v. 8. Quærit igitur D. Chrysostomus; cur Dominus Deus noster qui aliàs vocatur à Sancto David, *Miserator & misericors, patiens, & multæ misericordiæ*; Ps. 85. v. 15. tam crudeliter in ipsum sævierit, cur in ipso tot vulnera multiplicaverit, ut in unum quasi vulnus à capite ad pedes redactus videretur? Et respondet idem S. Doctor, id ideo factum fuisse, ut in omnibus corporis partibus coronaretur. Verba sunt illius. *Percussit eum ulcere pessimo, à pedibus usque ad caput, quo totus per totum corpus ac membra coronatus appareat.* Jam si nunc post perceptam hanc S. Chrysostomi doctrinam, à me quoque petieritis rationem, cur Deus Sebastianum in omnibus corporis sui partibus tot vulneribus affici voluerit, mox respondebo. *Quo totus per totum corpus ac membra, coronatus appareat.* Et quia omnis corona pulchrior apparet, si multis gemmis, & lapidibus pretiosis hinc inde distinctis exornetur, hinc illa in corpore S. Sebastiani vulnera, nihil aliud erant, quam gemmæ, carbunculi, & lapides pretiosi. S. Chrysostomus in sua Homilia de septem Machabæis martyribus idem testatur dicens. Pretiosa sunt corpora martyrum, quoniam plagas pro Domino susceperunt, & sicut corona regalis undique decorata, fulgores & radios emittit: ita & Sanctorum corpora, sicut pretiosis lapidibus acceptis pro Christo vulneribus distincta, omnium Regum diademate pretiosiora redduntur. & Chrys. Hom. 4. S. Chrys.

V. Si Divo Sebastiano Martyri majorem adhuc pulchritudinem favere volumus, id fiet tunc si ipsum pulchritudini Christi Jesu assimilaverimus, quæ à Sancto Rege David ita extollitur. *Speciosus forma præ filiis hominum:* Ps. 44. v. 3. super quæ verba Hugo Cardinalis sic ait: *Signum est suæ pulchritudinis quod in eum Angeli desiderant prospicere: est enim pulcher, secundum divinitatem & humanitatem*: quam pulchritudinem in transfiguratione sua demonstravit, ubi resplenduit facies ejus sicut sol, & vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix. Hugo Card. ibidem. Jam vero quid S. Bernardus Senensis de Sanctis Dei censeat, audiamus. *Magnum præconium est justorum, conformes fieri imaginis filii Dei, & portare insignia Christi, quæ sunt tribulationes & adversa.* Matth. 17. vers. 2. S. Bernar. Sen. Tom. 1. cap. 1. Si igitur omnes Sancti Martyres communiter honore illo perfruuntur, ut Christo similes reddantur, jam S. Sebastianus erit ipsi similior, quia sagittis, tanquam scalpellis & dolabris quibusdam expolitus, imaginem Christi Jesu, qui vulneratus est propter iniquitates nostras, in corpore suo repræsentat, nunc autem fruitur gloria sempiterna.

AMEN.

IN

IN FESTO SS. FABIANI ET SEBASTIANI MARTYRUM, CONCIO IV.

Sancti per fidem vicerunt Regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones. Ad Hebr. 11. v. 33.

Libro 2. de mor. SEneca licet gentilis Philosophus, optime tamen protulit dicens: *Spes præmii solatium est laboris.* At id enim orator arat & seminat, ut manipulos colligat, mercator ideo subit & tolerat diversa maris pericula, ut merces acquirat pretiosas, milites ideò pugnant in campo, ut victoriam assequantur, & spoliis hostium suorum ditentur. Habemus hujus exemplum in libro 1. Regum. Cum Gigas quidam Philistæus Goliath nomine in campum contra exercitium Israëlis descenderet & unum de viris ad singulare certamen provocaret, audiens David quendam dicentem in castris Regis Saul verba talia. *Virum qui percusserit, ditabit eum Rex divitiis magnis, & filiam suam dabit ei, & domum patris ejus faciet absque tributo in Israel.* Complacens sibi in tali promisso à Rege proposito, mox descendit in arenam, & cum gigante decertavit, eumque sua funda prostravit. Jam hic si me interrogaveritis Auditores mei, cur in Ecclesia Christi Domini tot inveniantur Sancti Martyres qui pro ejusdem confessione, tot & tanta tormenta tolerunt; uti enim ait S Paulus Apostolus; *Alii ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt*, eam dabo rationem, quia unusquisque illorum audiebat sibi dici à Domino & Rege universi Christo: *Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Et quia hodierni SS. Martyres Fabianus & Sebastianus (quorum hic solemnem memoriam colimus) tale promissum acceperunt, non est mirum quod tam fortiter in suo certamine se gesserint, quia etiam promissionem suam adepti sunt. Quod utrumque vobis, nempe pugna ipsorum & corona in hac concione patebit.

Ariſt 4. Ethic. 1. Reg. 17. verſ. 25. Ad Heb. 11. verſ. 36. Apoc. 2. verſ. 10.

I. Commune tritumque illud est Auditores, quod ubi est major pugna, ibi quoque sollennior est victoria, & triumphus glorioſior, hinc ille fœminæ civitatis Jerusalem volentes gratulari Sauli victoriam, partam in bello cum Philistæis habito, illi obtulerunt *mille*, at egregio illi bellatori David, *decem millia*. Cur plus huic quam ipsemet Regi? quia hic decertans cum Goliath gigante Philistæo, in majori erat rerum discrimine, quia unicus inermis, cum fortissimo & veterano milite depugnabat, quem totus exercitus Israëlis formidabat. Hinc cum difficiliorem pugnam habuerit, ea propter etiam major victoria & solennior triumphus, nempe decem millium percussorum ei imputatus fuit. Quia uti ait Venerabilis Hugo Cardinalis: *In uno dejecto omnes in fugam misit.* Quod etiam hodierna die sancta Ecclesia mater nostra, multum lætetur, solenniter celebrando triumphum glorioſum sanctorum pugilum Fabiani & Sebastiani, non est mirum Auditores mei, maximam enim in certamine suo difficultatem uterque expertus fuit. Et quidem quod concernit S. Fabianum, habuit Tyrannum illum Decium, qui volens abolere fidem Christi, & regionem Christianam penitus extirpare, nec non fidelem Christi populum ad impium idolorum cultum adducere, multis torturis cogebat fideles, ut leges sibi à Christo datas desererent, & gentiles acceptarent; at quemadmodum in antiqua lege Judæorum, vexante Judæos Rege Antiocho, inventus fuit Matthatias, qui Regis voluntati restitit, nec ut faceret quidquam contra paternas leges obedire voluit, dicens illud. *Et si omnes gentes Regi Antiocho obediunt, ego & filii mei, & fratres mei, obediemus legi patrum nostrorum.* Sic Beatus Fabianus Regi Decio non consensit, qui eum sacrificare idolis cogebat, sed fidem Christi Jesu ab Apostolis, sanctisque Patribus susceptam usque ad mortem defendit. De unicorni ajunt naturales Philosophi, quod cornu tam acutum validumque habeat, ut quidquid impetit, illud perforet aut transfodiat, item quod non timeat Elephantem maximum ani-

1. Reg. 18. verſ. 7. Hugo Card. ibidem. 1. Mach. 2. verſ. 19.

mal sed sæpe cum eo certamen habeat : sic & Sanctus Fabianus , præditus cornu potestatis Apostolicæ , nulli unquam cessit , quin eodem inimicos Christi ventilavit , neque à pugna destitit , donec cursum illius consummaret. Jam vero quod concernit Sanctum Sebastianum , sicut erat miles conditione seculari, quia sub Diocletiano Imperatore præclarissimus habitus , militiæ mundanæ suum nomen addixerat , in qua primos honores , & officia habuerat, nihilominus , mulitiæ quoque Christi sacra exercitia ad quæ aspirante sua gratia vocatus erat , minime negligebat , nam hoc ipso contentus quod sub Christo duce militaret , plures quoque commilitones suos nempe Marcum & Marcellianum , similiter patrem & matrem illorum cum multis aliis, quos ad fidem converterat , sub nomine ipsius militare fecit.

II Sanctus Fabianus Pontifex & miles egregius Christi plurimas certaminis sui difficultates pertulit ut audistis , sed non pauciores neq; minores aut leviores Sanctus Sebastianus : & certe si alicui sanctorum , tunc magis proprie verba Sancti Pauli Apostoli huic Sancto Martyri convenient ubi sic protestatur. *Quis nos separabit à Charitate Christi* ? & deinde sibimet ipsi respondet dicens. *Certus sum quod neque mors neque vita.* Nullus est atracior tyrannus , qui magis torqueat vitam hominis, quam ipse timor imminentis mortis , magisq; affligit timor belli propter mortem quæ ibidem expectatur , quam ipsum bellum : unde Seneca. *Pejor est bello , timor ipse belli.* Et si ad sacram scripturam recurrerimus , plura exempla in ea reperiemus. Inprimis occurrit mihi Cain fratricida , hic cum post mortem Abelis, profugus fuisset super terram, gravissime illum torquebat metus mortis, &pejor hic, ipsa morte videbatur , hoc sonant illa sua verba quæ ad Deum protulerat *Omnis qui invenerit occidet me.* Id est primus qui mihi occurrerit interficiet me. Sed quid Dominus ? sic ei respondit. *Nequaquam ita fiet, sed omnis qui occiderit Cain septuplum punietur. Posuitque Dominus in Cain signum, ut non interficeret eum omnis qui invenisset eum* Ac si diceretur ipsi. Mori cupiebas ? nequaquam desiderio tuo satis fiet, ut enim mors à te elongetur , ponam signum super te , cujus aspectu nullus audeat effundere tuum sanguinem : si quis vero huic signo non obediverit , septies punietur. Quærit hic S. Ambrosius Cur Dominus non statim executus fuit vindictam in Cain propter mortē Abel fratris sui , cur eum statim non occidit, cur vitam pro vita non accepit , sed potius vitam illi prorogavit ? Et respondet dicens. *Mors enim una est & in fine istius vitæ, quæ simul ut venit , omnes corporis dolores , auferre non augere consuevit : metus vero , qui hanc vitam viventibus, frequenter ingruunt , mœstitiæ , dolores, gemitus , diversique cruciatus plurimas etiam mortes generi humano inferunt , ut ista mors remedium esse videatur non pœna.* Cain ergo tristior videbatur metus mortis, ipsa morte.

III. Hinc colligitur , quam crudele fuerit tormentum, quod Sanctus Sebastianus pertulit in sagittis quibus confixus erat , non tantum propter dolores quos in illis perpessus erat, quosque solent Oratores Evangelici hodierno die summopere extollere , utentes quidam ad hoc autoritate Ecclesiastici dicentis. *Sagitta infixa femori carnis , sive verbum in corde stulti :* nempe quod sicuti sagittæ ictus, ita quoque verbum stulti dolorem pariat : sed etiam propter ambiguitatem & incertitudinem , qua illas expectabat , nesciens quænam illarum, esset ipsi allatura mortem , & cum essent tot numero velut imber quidam copiosus , tot etiam formidines mortis secum adferebant : nihilominus Sanctus Martyr Christi tantæ erat animositatis & fortitudinis , ut videns illos sagittarios , ad se vibrantes jacula, nullo tamen modo à charitate Christi dimoveri potuerit, quinimo ad quamlibet sagittam acceptam in suo corpore , ac si post quemlibet ictum mori pro Christo cuperet , hæc verba repetebat : *Quis nos separabit à charitate Christi :* Non certe tanta crudelitas Cæsaris , non sagittarum tam numerosa ejaculatio , nullus planè mortis timor: *Certus sum quod neq; mors neque vita.* Sed quid mirum? Dicebat quondam D. Augustinus de innocentibus. *Prophanus hostis, nunquam tantum prodesse potisset obsequio quantum profuit odio.* Certe ego de S. Sebastiano Martyre , simile quid possum dicere , illud inquam quod Diocletianus tyrannus, plus ei profuerit odio ad gloriam, quam favore suo ad amissionem illius.

IV. Vultis aliquid audire de gloria illius? Ne etiam alteri fiet injuria , audiamus de utroque. Certè magna est gloria Sancti Fabiani Ponti-

Rom 8. v 35.

Senec in Thyeste.

Genes. 4. vers. 14.

S. Ambr. lib. 2. de Cain cap. 10.

Eccles. 19. vers. 12.

S. Augustin. serm. de innocent.

Pontificis, quod licet illo tempore regeret Ecclesiam Christi Domini, quando diluvium & inundatio quædam sub Decio Cæsare videbatur exorta fuisse, ille nihilominus judicio columbæ quæ arcam Noë ramum Olivæ virentis attulerat confortatus, nusquam animo concidebat, sed in majoribus difficultatibus eo animosior & constantior reddebatur: nam quocunq; modo poterat, Ecclesiæ religionem propagabat, & uti cessante diluvio egressus Noë in altari extructo victimas Domino immolabat, ita quoq; S. hic Antistes idem faciebat, sepulchra sanctorum Martyrum, quæ in cryptis arenariis subtus terram latebant erigebat, & erectis desuper ædificiis clariora reddebat. Ecce quomodo in difficillimis temporibus officio suo non defuit? De S. Sebastiano quid dicam? Singulare certè illud fuit, quod bis martyr exciterit. Cum enim tot sagittis perforatus factus alter Heticius pro mortuo relictus fuisset, ac tandem mirabiliter à Deo persanatus esset, possetq; jam post expletum martyrium aulam tyranni declinare, noluit, sed iterum Cæsari obviam factus, eum rursus impietatis redarguit: admiratus Imperator videre vivum, quem crediderat mortuum, novo incensus furore, eum tam diu cœdi jussit donec totum sanguinem effunderet & animam Deo redderet.

Genesis 8. vers. 11.

V. Jam audistis de certamine utriusque, de mercede quoq; illorum aliquid accipite. Dicebat Jesus ad Apostolos suos, tunc ipsis gaudendum esse & exultandum, dum illis odirent homines. *Ecce enim* (inquid) *merces vestra copiosa est in cœlis.* Sicut tale promissum adimplevit SS. Apostolis, ita etiam hisce duobus SS. Martyribus. Imprimis, quia duorum simul sancta Ecclesia una die celebrat memoriam, non solùm ob eam causam, quod unus consequeretur martyrium alterius, sed vel ideo, ut hinc pateret unâ eademque aureola martyrii utrumque gaudere. Magnam S. Fabianus consecutus est mercedem sibi à Christo promissâ, copiosam similiter & S. Sebastianus. En jam benè verificatur dictum illud S. Pauli Apostoli. *Quem diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit.* S. Thomas Aquinas Doctor Anglicus explicans eundem locum ibidem docet, flagella esse singulare judicium amoris & desiderii, quo Deus sollicitè quærit salutem nostram: unde ait: *Et ideo qui non flagellantur non sunt de numero filiorum.* Felix ergo & Beata sors illorum Christianorum, qui gladios, & sagittas tribulationum, quas immittit Deus non exhorrescunt, quia literas tutelares, seu salvum conductum secum portant, hisce verbis exaratum. *Beati eritis cum vos oderint homines* Inter quales beatos, sunt SS. Martyres Fabianus & Sebastianus, qui per fidem vicerunt Regna, operati sunt Justitiam, adepti sunt repromissiones, in Christo Jesu Domino nostro.

Luc. 6. v. 35.

Ad Heb. 12. vers. 6.

S. Thom. Aqu. ibid.

AMEN.

IN FESTO S. JOSEPH SPONSI BEATÆ VIRGINIS MARIÆ, CONCIO I.

Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph.
Matth. 1. v. 18.

SIcuti in commendationem Beatissimæ Virginis Mariæ, non multa ponuntur verba in sacro hodierno Evangelio, eodem modo in laudes Sancti Joseph novæ legis Patriarchæ: sed si hujus parvitatis spectes proportionem, in eadem immensam abyssum laudum invenies. Sicuti enim satis superque satis dictum putarunt Evangelistæ, dum eam Dei Matrem appellarunt: ita quoque ut merita Sancti Joseph commendarent, satis dictum ab ipsis erat, cum eum sponsum Mariæ, virum ejusdem & parentem Christi Jesu nominarunt. Et sicuti prior ille Joseph Sancti Jacob Patriarchæ filius, tunc vel maximè à Pharaone Ægyptio se exaltatum invenit, quando *vertit nomen ejus & vocavit eum lingua Ægyptiaca, Salvatorem mundi?* Eodem modo alter Sanctus Joseph non potuit ad altiorem honoris gradum ascendere, quam dum talibus titulis ab Evangelistis honoretur, quos ego si in laudem ipsius convertero, mihi & vobis satisfiet.

Gen. 41. vers. 45.

I. Magnus

I. Magnus ille totius Orbis Monarcha Alexander, qui non solum arma tractabat, sed etiam interdum historiarum lectione occupabatur, illorum Heroum encomia vel maximè approbabat, quorum vitam & acta heroica Homer⁹ Poëta famosissimos decantabat. Hinc laudum Sanctissimi Ioseph sumo initium, quantum hic præ cæteris laude dignior, quem non Homerus aut humanæ historiæ, sed ipsummet Evangelium, dictatum à spiritu Sancto decantavit: Sed audiamus laudes Evangelistæ Matthæi, ita ait: *Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph.* Inter tabernaculi opera, dictum fuerat Moysi: Duos Cherubin aureos & productiles facies ex utraque parte Oraculi, respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatorium. Per hoc tabernalum, optimè intelligo Christum Iesum: *Ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris.* Duo Cherubin sunt Maria & Ioseph, qui se mutuò respiciunt summa dilectione, juxta illud. *Ego dilecto meo & ad me conversio ejus.* Medius eorum Christus est, quem simul & incessanter aspiciunt. Felix profectò & felicissimus vir mulieris tantæ, erat in templo locus sanctissimus qui vocabatur SANCTA SANCTORUM, erat alius qui sancta dicebatur, erat & tertius vulgaris templi locus in quem etiam Ethnici ingredi poterant, in superiorem Israelitæ, sed in sancta sanctorum, solus summus Sacerdos semel in anno. Hoc ergo templum denotat Ecclesiam DEI, cujus exterior pars peccatores sunt, justi sunt pars interior. Sed Maria est sancta sanctorum, soli Christo Domino servata, qui in illam intrare potuit. Iuxa illud Ezechielis: *Porta hæc clausa erit Principi, id est soli Deo reservata.* Hæc igitur Orientalis porta, cum testante sacro Evangelio sancto Ioseph custodienda committatur, Cogitate quantum hic dignitatis & per consequens quantum laudis sibi acceserit.

Exod. 25. vers. 18.

Ioan. 2. vers. 25. Cant 7. vers. 10.

Ezech. 44. vers. 2.

II. Sanctus Jacob Patriarcha, dum inter cæteros natos suos, Joseph filio suo benedixit, in illa benedictione sua filium accrescentem nominavit, & decorum aspectu. Verba sunt sacri textus. *Filius accrescens Ioseph & decorus aspectu*, filiæ discurrerunt per murum sed exasperaverunt eum, & jurgati sunt invideruntque illi habentes jacula. Talis Iacob benedictio, quid aliud erat, quam figura quædam quæ Ioseph nostrum potiori jure videtur respicere: si enim ille Iacob Patriarchæ filius vocatus fuerat filius accrescens, iste titulus cui magis convenit quam nostro Sancto Ioseph: nam cum filius accrescens Hebræo idiomate arbor appelletur, quænam pulchrior dari potest Sancto Ioseph, de quo Sanctus David Prophetiam tulisse videbatur dicens: *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum quod fructum dabit in tempore suo, & folium non defluet.* Mirabilis plane Sanctus Ioseph arbor secus gratiarum aquas plantata, & irrigua, ut non timeat ullum æstum arbor sub cujus umbra quiescunt Iesus & Maria, multo pretiosior quam Danielis arbor maxima sub qua bestia terræ erant, sed sub Ioseph umbra, Iesus & Maria: decorus aspectu prior Ioseph fuit, sed pulchrior Ioseph noster omni ornatur virtute sub hac arbore Iesus & Maria sunt, sub illius tutela custodiaque quiescunt. Et sicuti Cherubin deputatus à Deo fuerat ut custodiret paradisum; non secus Sanctus Ioseph ut custodiret cœlestes Paradisos Iesum & Mariam.

Gen. 49. vers. 22.

Psal. 1. v. 3

Dan. 4. v. 9.

III. Ioseph antiqui testamenti Patriarcha summo honore à Pharaone Ægypti Rege habitus fuerat, at noster Ioseph quanto majori ab ipso Deo: in supremum primi Ioseph honorem dicitur. *Tulit Pharao annulum de manu sua, & dedit eum in manum Ioseph vestivitque eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit.* dixitque eum Salvatorem mundi, & præcepit omnes genu flectere ante ipsum, quia industria ejus panis servatus est in Ægypto: verius multò noster Ioseph Salvator mundi dicetur, quam alter: ille enim panem servavit in Ægypto, sed noster in Ægypto eodem, panem de cœlo verum mundo universo custodivit Fidelis planè servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Sed quæ familia ejus? Utique Maria & Iesus. Annulus qui nostro Ioseph datur, Christus Dominus est, annulus inquam est, in quo principium fini, & primum ultimo conjunctum est, dum *verbum caro factum est & habitavit in nobis.* Annulus hic aureus est, aurum verò humanitas est, quæ ex purissimis visceribus terræ nostræ Mariæ virginis opere Spiritus Sancti educta fuit, pretiosissimus hujus annuli lapillus est sua divinitas: sicuti enim lapillus annulo conjungitur, ut illi inseparabiliter adhæreat, multò majori seu strictiori modo conjuncta est divinitas humanitati suæ quę nusquam potest separari. Ecce quam pulchrum annulum obtinuit,

Genes 41. vers. 42.

Matth 2. vers. 15.

Ioannis 1. vers. 14.

noster

noster Joseph, sed quoties eum portavit in manibus suis? Torquem auream tunc accepit, dum Christi infantis brachia portavit in collo suo. Stola byssina justitia est, de qua in Evangelio commendatur. Quod vir justus esset, id est, omni virtute ornatus.

IV. Si de Sancto Joseph plura laudum argumenta quæritis, sacri Evangelistæ suppeditabunt materiam. Et quid nam est in mundo excellentius? Quam illud officium quod Sancto Joseph cœlitus injunctum erat, ut esset pro viro castissimæ Virgini Mariæ & filio ejusdem pro patre? Tanta hæc officia sunt, ut oculus continuò turbetur coram tanta celsitudine. Prima ergo Josephi est celsitudo, quod vir Mariæ nominetur. Quanta sit Mariæ sublimitas, nec dici, sed neque excogitari potest. Sed cum caput mulieris vir sit; Caput Mariæ Joseph est. Qualis hic homo est qui caput esse meruit? Tanquam capiti Maria obediebat, tanquam capiti revelationes ad eum fiebant de fuga in Ægyptum & de reditu, & quoniam caput erat Sanctissimæ Virginis officio tantum, sed non eminentia gratiarum & donorum cœlestium, quibus Beatissima Mater Christi omnes excellit creaturas. Hinc quoque meritorum Sancti Josephi gloria magna elucescit. Sicut enim Sanctissimæ Virginis Mariæ excellentia & dignitas ineffabilis est ex eo, quod sit propinquissima DEO, tanquam mater ejus & ob id supra omnes creaturas excellentius participet de thesauris & domis cœlestibus: sic etiam & Sanctissimus Joseph eadem deinde dona gratiarum participat à Sanctissima Virgine Maria, tanquam ipsi propinquior, sicut enim omnia quæ DEI sunt, Mariæ sunt, quia Mater & Sponsa DEI est, ita omnia quæ Mariæ sunt; Josephi sunt; quia vir ejus est: mira profecto catena quæ tres hos ligat, & in unum connectit, DEUM, Mariam, Joseph, ut quidquid uni eorum tribuitur, & alteri tribuatur.

V. Alterum quod dignitatem Sancti Joseph maximè ostendit, illud est, quod sit parens Christi Jesu. Sic enim habemus Lucæ 2. *Ego & pater tuus dolentes quærebamus te.* Fuit quidem pater putativus, quia illum aluit, & in manibus suis portavit, sed nunquid id parum est? Oza quia tetigit umbram ejus, nempe Arcam, corruit & expiravit. Hic autem ex contactu Christi fit vegetior. Magna fuit laus Simeonis semel Christum in ulnas suas accepisse: qualis ergo erit Josephi, toties portasse in manibus suis. Sed quid amplius dicam? Quod etiam ipsemet tanquam pater nomen ei imposuerit. Legimus enim Matthæi 1. capite. Angelum à Deo missum qui confortaret illum ne trepidaret accipere Mariam in conjugem, id etiam dixisse: *Pariet enim filium & vocabis nomen ejus Iesum.* Magna erat nostri parentis Adam dignitas quod ei Deus postquam jam creaverat omnia, licentiam dederit nomina imponendi animantibus. Quantò igitur erit amplior Sanctus Joseph, qui non animantibus, non hominibus, sed filio Dei, facto homini nomen suum imposuit. Quale nomen? coram quo omne genu flectitur cœlestium terrestrium & infernorum. Facilè ex his colligimus Auditores, quod cum Sanctissimus ille Patriarcha tot prærogativas habeat, sit quoque magnus & acceptus coram Deo. Quamobrem patrocinium ejus imploremus, ut apud filium suum tanquam putativus & legalis Pater intercedat nobisque impetret gratiam & gloriam. AMEN.

Ephes. 1. v. 21.

2. Reg. 6. v. 7.

Luca 2. v. 28.

Matth. 1. v. 20. 21.

Gen. 2. v. 20.

IN FESTO S. JOSEPH SPONSI BEATÆ VIRGINIS MARIÆ, CONCIO II.

Ioseph fili David noli timere. Matth. 1. v. 20.

FIdeles Christi Domini Auditores, si in tali loco hodie mihi prædicandum esset, ubi solis sacrarum scripturarum testimoniis, humanæ verò rationi nulla fides datur, tacendum mihi potius, quàm aliquid loquendum esset. Hodie enim annuam recolimus celebritatem illius Sancti Patriarchæ, nempe justi Joseph Sponsi Beatæ Virginis Mariæ, cujus ego laudes si prædicare voluero, magis innitendum erit rationi & humano discursui, quam sacræ scri-

pturæ testimoniis. At cum me in ea urbe perorare videam, quæ semper fuit & est Catholica, in ea urbe quæ honori sanctissimæ Virginis Mariæ tantum defert, ut si nulla etiam de ipsa sacræ scripturæ extarent loca, ipsam nihilominus honorare non desisteret, sponso ejusdem idem facturam non dubito. Cur de laudibus sanctissimæ Virginis Mariæ sacri Evangelistæ tam parcè scripserint, respondent Sancti Patres, ut nobis eam liberiùs & prolixiùs laudandi ex eo solo quia filii Dei Mater est, majorem campum darent. Sanctus igitur Joseph cum ejusdem sponsus fuerit, ex eo solo quia sponsus erat tantæ Virginis, celeberrima laudum suarum testimonia demonstrabo.

I. Mirum fortasse alicui videretur, cur Angelus Domini, (videns Josephum trepidare, atque à castissima Virgine Maria occultè abire velle ignarum mysterii quia de Spiritu Sancto concepisset) instructurus eum de eodem vocaverit filium David dicens: *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Istam quidem quæstionem solvit Divus Bernardus dum ait: *Ipse namque est quem tanquam alterum David Dominus invenit secundum cor suum.* D. Bern. Sed hic nec dum est finis quæstionis, adhuc enim restat inquirendum, Quid significet ut alterum David? Respondet ergo Divus Chrysostomus his verbis, *inveni David filium Iesse.* S. Chrys. Quorum quidem verborum iste est sensus: Saul Rex Israëlis postquam fuit prævaricatus mandatum Domini, tunc Deus promissurus Israëli de alio Rege, qui loco hujus succedere posset, examinavit cunctos filios Israelis, è quorum numero tam magno, in nullo sibi ita complacuit sicut in Davide filio Jesse, prout ipsemet hujus rei testimonium producit Ps. 88. scribens in persona Domini. *Inveni David servum meum oleo sancto unxi eum.* Ps. 88. v. 21. Eodem quoque modo eligendus erat Beatissimæ Virgini Mariæ sponsus, secundum cor Dei: lustravit ergo Deus omnes filios hominum & examinavit an aliquis hoc fastigio dignus reperiri posset. Ab Adam usque ad præsens tunc tempus omnes recensuit, sed neminem invenire potuit. Quod non obscurè advertit Sanctus David Psalmo 32. *De cœlo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum,* Ps. 32. v. 13. ut videat *si est*; Tandem dum veniisset ad Joseph, ejusque merita; castitatem, & vitæ sanctimoniam comprobasset, eum castissimæ Sponsæ Mariæ, in sponsum talibus verbis assignavit. *Inveni Ioseph filium David, virum secundum Cor meum.*

II. Talem discursum meum insigni quadam figurâ confirmat Doctor Rupertus quæ describitur Gen. c. 28 nempe de scala illa mystica, quæ Jacob Patriarchæ in aperto aëre dormienti in somnis ostensa fuit, & Dominus erat innixus scalæ: in qua visione prædictus Doctor notat tale mysterium. Descendit Dei verbum, sponsam in mundo quæsiturus, & dignatione non necessitate voluit in peregrinationibus suis opera uti Joseph, cui tanquam scalæ innitebatur. Castissimam Virginem sibi elegit Mariam, pro matre, sed non sine Josephi auxilio, ut dum ipsi desponsatur, virginalis ejus puritas absconda-tur, lateatque mysterium. Sub Augusto Cæsare volebat describi in Bethleem, innixus fuit scalæ nempe usus fuit Josephi auxilio, qui comitaretur ipsum: fuga capessenda erat in Ægyptum propter Herodis Regis sævitiam, innixus fuit scalæ, nempe usus fuit Josephi auxilio qui ei in via ministraret. Verba sunt Autoris libro 1. in Gen. c. 22 *Nonne scala innixus est Dominus cum hujus paterna ope & pia vectatione indigens uteretur, Deus & homo factus de loco ad locum fugiens, Herode persequente.* Gen. 28. v. 13. Rupertus.

III. Idem Autor promovet hunc conceptum, sed alio modo: fuit olim mos in Ecclesia & nunc adhuc servatur in certis Religionibus seu Ordinibus, ut ipsa nocte nativitatis Christi decantatis solenniter matutinis ante primam Missam & Laudes cantetur Evangelium Liber Generationis Jesu Christi filii David. Quænam hæc cæremonia? Decantare Evangelium sine Missa illud præcedente? Respondeo id fieri non solum in honorem Christi nati ejusque matris castissimæ Virginis Mariæ, sed etiam ideo, ut in nativitate Dei hominisque, etiam sponsus matris suæ nempe Sanctus Patriarcha Joseph honoretur. Liber Generationis est scala Jacob, gradus autem hujus scalæ sunt tot Reges, tot Patriarchæ, tot Duces per quos tanquam per gradus, filius Dei descendit homo factus, hoc est Abraam genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob &c. Ecce quot Reges, quot Patriarchæ, tot gradus istius scalæ, nec dum tamen Dominus illi inniti volebat, donec perventum fuisset ad Mariam & Joseph, ad Mariam inquam tanquam naturalem veramque matrem: ad Joseph autem, tanquam ad sponsum Virginis, simulque matris filii Dei, quem tanquam

quam Pater in diligentia & solicitudine quasi tutor pupillum sibi concreditum protegeret, & custodiret. Non ego loquor sed nominatus Doctor, qui Joseph nominat supremum scalæ gradum dicens: Cui videlicet Joseph, supremo scalæ gradui Dominus parvulus innixus est? An non illi beato innixus est: Quando pupillus in hoc sæculo, id est absque carnali patronatus solatio, ejus cum puerpura matre sustentari dignatus est.

IV. Quia igitur filius Dei Christus Jesus Sanctum Joseph Patriarcham sibi elegit pro patre, suæ verò castissimæ matri pro sponso; sibi pro tutore Virgini sanctissimæ pro custode, hinc summa prærogativa patet hujus Sancti Viri: sic enim docet Sanctus Thomas Aquinas tertia Parte, Quæstione 27. Articulo 4. quia illos quos Deus ad aliquid elegit, ita præparat ac disponit ut ad quod eliguntur, inveniantur idonei, atqui hic Sanctus Patriarcha electus fuit ad hoc supremæ dignitatis mysterium, ut foret sponsus matris Dei, defensor & custos virginei pudoris ejus nutritius Principis Cœlorum, & Pater ejus putativus in terris. Cogitate ergo quæ & quantæ fuerint sanctitatis illius prærogativæ, quos Sanctus Evangelista non quidem enumerat, sed valde prudenter unico termino comprehendit ita scribens. Joseph cum esset vir justus. Ubi Sanctus Chrysostomus Homilia 22. in Genesin tale fert judicium hujus nomen justus consuevimus dicere de his, qui omnigenam exercent virtutem justus enim hac appellatione omnem virtutem complectitur.

S. Thom. 3. P. Q. 27. Art. 4.

D. Chrys.

V. Coronemus hanc doctrinam insigni quodam acumine Hugonis Cardinalis, qui accurate perpendens intima secreta hujus nominis Joseph, asserit illud magnum denotare mysterium ad declarandum autem quale id sit arcanum, observat Sanctus Bernardus, quatuor in sacris scripturis reperiri viros illustres, qui hoc nomine claruerunt. Primus fuit Patriarcha Joseph, filius Jacob. Secundus Joseph, sponsus Beatæ Virginis. Tertius Joseph ab Arimathia, & tandem quartus. Joseph, justus, uti ex Actis Apostolorum constat. Primus præcessit Christum Dominum tanquam symbolum & figura. Secundus fuit tutor & nutritius Christi. Tertius sepelivit Christum, quartus autem resurrectionis ejusdem testis fuit. In primo emicuit prudentia, quia prudentissime & verissime arcana Pharaonis explicuit & revelavit. In secundo floruit temperantia, quia cum sponsa sua Beatissima Virgine Maria castissimus & continuus erat. In tertio viguit fortitudo; quia audacter à Pilato petiit corpus Jesu sepeliendum. In quarto autem eluxit justitia, ob quam justus nominatur. Ex quibus Hugo Cardinalis talem infert consequentiam. Tale igitur debuit habere nomen Sponsus Virginis, in quo inveniretur mysterium omnis virtutis. Decuit etenim ut sponsus tam præclaræ virginis omnes virtutes cardinales complecteretur, nempe prudentiam fortitudinem, temperantiam, & justitiam. Et idcirco doctissimi illi & Sancti Patres Ordinis Prædicatorum, nempe Albertus Magnus, & Antonius Archiepiscopus Florentinus in illis verbis Evangelistæ. *Joseph cum esset vir justus*, adverterunt nomen illud *vir*, non denotare ætatem aut sexum, sed virtutem omnigenam. Fuit Sanctus *Joseph vir* propter constantiam fidelitatis quæ pertinet ad justitiam, propter virtutem castitatis quæ spectat ad temperantiam, propter excellentiam discretionis quæ pertinet ad prudentiam, & propter constantiam in operando, quam virtus fortitudinis complectitur. Et sic vir hic (dicit Sanctus Florentinus) dicitur à virtute; quia excellenter habuit virtutes cardinales, atque ideo vocatur Joseph sive augmentum; quas in quatuor personis hoc nomine insignitis excellentiori modo possidebat. Fuit quippe necessarium, ut quia futurus erat sponsus Reginæ omnium virtutum, ut omnibus & ipse virtutibus ornaretur. Sed non miror quod tantis virtutibus, tot prærogativis & gratiis abundaverit, si enim illud verum est, quod ait Sanctus Thomas. Ex propinquitate ad gratiæ fontem, ampliorem gratiam redundare. Cum Sanctus Joseph proximus fuerit fonti gratiarum Christo Jesu, cui multo tempore adhæsit eique ministravit, non est mirum quod tot copiosis rivulis gratiarum fuerit ab eodem honoratus. Ut ergo Sanctum Joseph imitemur, ad Christum fontem accedamus, Sanctæ Mariæ matri ejus servitia nostra præsentemus, nec non tanti Sancti patrocinium invocemus, ut qui fuit Christi nutritius, suæ matris Sponsus, dignetur nobis esse patronus nunc & in hora mortis nostræ.

Albertus Magnus.

S. Anton. Archiep. Florent.

S. Bern.

A M E N.

IN FESTO S. JOSEPH SPONSI BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ, CONCIO III.

Iacob genuit Ioseph Virum Mariæ, de qua natus est Iesus qui vocatur Christus. Matth. 1. v. 16.

FAmosi Oratores, dum aliquem è Magnatibus laudare volunt glorioſe, plurima conquirunt argumenta quæ pro materia orationis ipſorum deſervire poſſunt. Ego hodie in præſentia veſtra Auditores mei, laudare intendo Sanctum Joſephum novi Teſtamenti Patriarcham, ſed undenam inchoabo? num ab eo capite, quod ab illuſtri Regis David familia deſcenderit? aut forte hinc, quod eximia ſanctitate (Deipara excepta) reliquos omnes Sanctos ſuperaverit? aut forte hinc, quod contemplatione divinorum, ſanctorum plurimos nempe Abraamum Patriarcham qui ob conſiderationem promiſſorum Dei terram ſuam dereliquit? Jacobum qui in mirabilem extaſim raptus vidit ſcalam à cœlo prominentem, terramque tangentem? Samuelem quem Deus dormientem ad ſe vocabat? Davidem, qui divinorum arcanorum aſſiduus ſcrutator fuit? D. Magdalenam quæ ſecus pedes Domini verbum illius audiebat, ejuſque contemplationi vacabat? Joannem qui ſupra pectus Domini requieſcens, cœleſtia contemplabatur arcana? Paulum qui uſque ad tertium cœlum raptus audivit, *quæ non licet homini loqui*? & tandem Apoſtolos qui à Chriſto edocti in oratione & meditatione cœleſtium permanebant? cæteroſque Sanctos Dei, S. Joſeph tanto ſua contemplatione excellebat, quanto ſe amplius præſente Chriſto Jeſu, cum Beatiſſima Virgine Maria, per triginta annos continuo exercebat? Certè non ſunt hæc exigua laudum ſuarum argumenta, at ego imitari ſtudens illum oratorem, qui deprædicare volens Philippum Regem Macedonum præteritis cæteris ſuis virtutibus, id ſibi dixiſſe ſufficiebat, quod filium habuerit Alexandrum. Eodem modo & mihi ſufficiet, ſi illud ſolum dixero S. Joſeph Patriarcham fuiſſe virum Mariæ Virginis *de qua natus eſt Ieſus qui vocatur Chriſtus*. Quapropter ego huic themati inſiſtens, conabor talia producere laudum S. Joſeph argumenta, quæ vos ad devotionem Beatiſſimæ Virginis & ad venerationem ſponſo ſuo Sancto Joſeph exhibendam inducat.

Gen. 12. v. 4. *Gen. 28. v. 13.* *1. Reg. 3. v. 15.* *2 Cor. 12. v. 3.* *Plutarch.* *Matth. 1. v. 16.*

I. Auditores mei, vultis Beatiſſimæ Virgini Mariæ grata atque accepta præſtare obſequia, eique placere? Inter obſequia eidem præſtanda nullum majoris momenti eſſe reor, quam ſi ſponſum ejus chariſſimum S. Joſephum ſingulari cultu proſequamur, id enim Chriſto Domino ejuſque matri gratiſſimum fore, ex multiplici capite mihi perſuadeo, tum ideo, quia & ipſi nos exemplo ſuo docuere, qui S. Joſephum tanquam caput ſuæ familiæ coluerunt. Etenim Chriſtus ut ait S. Lucas; *Subditus erat illis*. Beatiſſima autem Virgo Maria, cum ejus conjunx fuerit, vir autem teſte D. Paulo, caput ſit mulieris, manifeſtum eſt ſe ei ſubjeciſſe, & ſic Regem Chriſtum, cum Regina matre ſua varia obſequia D. Joſepho, ob hanc cauſam exhibuiſſe ut & nos, ipſorum exemplo ſpiritualia noſtra ſervitia eidem offeramus. Nec dubium quidem, rem acceptiſſimam nos facere Dei filio, quando Patrem ejus putativum honoramus, qui enim honorat Patrem, honorat filium, qui ſponſum diligit, eique munera offert, ſponſam quoque gaudiis afficit. Unde ait quidam autor doctus Iſolanus 3. parte cap. 4. *Gratiſſimum Deo, non veremur dicere, ſi quiſpiam votis ſanctum imploraverit Ioſeph, taliaque vota Deo fore gratiſſima, nec non & Regina Angelorum.* Deinde qui honorat D. Joſeph illum invocando, ſuamque interceſſionem implorando, perfecte implet conſilium S. Job dicentis. *Voca ſi eſt, qui tibi reſpondeat, & ad aliquem ſanctorum convertere*: & quis quæſo Joſepho ſanctior, qui propter vitæ ſuæ caſtitatem Chriſti Jeſu pater legalis, & genitricis ſuæ ſponſus fieri meruit? Legimus in antiquo teſtamento, omnes incolas Ægypti Sancto illi Joſeph Patriarchæ, multa obſequia præſtitiſſe, coram quo genua flectebant,

Iſolanus. *Iob. 5. v. 1.* *Gen 41. v. 43.*

ctebant, eique variis modis famulabantur si quis, cur id fecerint, scire velit, non aliam causam inveniet, nisi eam, quod per eam reverentiam Josepho factam, Regi quoque Ægyptio, placere studuerint: eodem plane modo possum dicere quod si qui S. Josephum venerantur, non possunt non placere Christo Domino, ejusque Matri Sanctissimæ: Accedit & illud, quod quidem omnibus Sanctis Dei, qui pro nobis orant in cœlis, data est facultas precandi, sed S. Josepho data est amplior auctoritas impetrandi, & (tanquam Patri) amplius à Deo collata quam antiquo Patriarchæ Joseph, Rex Pharao contulerat, ut non immerito exclamet S. Chrysostomus dicens. O *beatum virum Ioseph, cui contigit, talis filii esse nutritium.* Filii Regum quid non faciunt pro suis nutritiis? Audistis aliquando de scala Jacob per quam Angeli descendebant & ascendebant, tanquam parati ad vota nostra cœlesti Patri perferenda? Videte nunc mirabiliorem scalam, quam sit commodissima ad impetranda à Deo Charismata; scala autem hæc est, quæ ascendit à Josepho ad Virginem, à Virgine ad Christum, à Christo ad Patrem. Christus ostendit Patri plagas & vulnera, mater filio pectus, & ubera, Joseph autem tam filio quam matri, callos manuum quibus illos sustentabat, quos *pavit, in innocentia cordis sui, & in intellectibus manuum suarum deduxit eos.*

S. Chrysost. de Virgin. M. & Ioſ.

Gen. 28. v. 13.

Psal. 77. v. 72.

II. Recenset sacer textus Gen. 49. c. quod S. Jacob Patriarcha videns se brevi moriturum, filios suos convocasset, eisque Paternam benedictionem largiretur, inter cæteros veniens ad filium suum Joseph, sic ipsum allocutus erat: *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens & decorus aspectu.* Hæc verba S. Jacob Patriarchæ, cui magis conveniunt, quam D. Josepho novæ legis? ille sane est accrescens filius, tot enim donis à Deo cumulatus erat, ut ea recensere longum foret: cæteris SS suis, multa quidem munera Dominus cœli, terræque contulit, sed ex parte tantum aliqua, S. Joanni Baptistæ præbuerat se videndum; unde gloriabatur se agnum Dei digito demonstrasse dicens. *Ecce agnus Dei*: at gloriosior S. Joseph comparuit, quia ipsum frequenter portavit & brachiis suis amplexus fuit. S. Joannes Evangelista magnum ejusdem favorem expertus fuit, quia ut ait Evangelista. *Recubuit in cœna super pectus ejus*: at plus gloriabitur S. Joseph eo quod sæpissime ipsummet Christum supra pectus suum tenuerit & in sinu suo reposuerit. Prodit S. Thomas Apostolus & ait digito suo se tetigisse apertum Christi latus, at S. Joseph non semel, sed plerumque Sanctissimum Domini Jesu tetigit corpus. Maria Magdalena plurimum habuit gaudii, quod sacros Domini pedes osculata fuerit, S. Joseph majus habuit gaudium, dum non solum Domini pedes, sed Christi subinde corpus osculatus fuit. S. Petrus Apostolus electus fuit in Pastorem gregis Jesu Christi, at S. Joseph assumptus fuit in custodem & nutritium ipsiusmet Jesu Christi, cui se totum, filiali affectu tradidit, per multos annos, gubernandum, nutriendum, ac paternis officiis pertractandum. O mira S. Joseph merita, quæ totus admiratur orbis. Hucusque miramur Josue magni Ducis facinus, quod cum depugnans usque ad vesperum cum hostibus Dei, illud verbum protulisset dicens. *Sol contra Gabaonne movearis*: mox steterit vocique suæ obediverit. Quomodo non magis mirandum est, quod sol justitiæ Christus Jesus ad vocem & jussionem S. Joseph steterit, dicente Sancto Luca. *Et erat subditus illis.*

Gen. 49. v. 22.

Ioan. 1. v. 29.

Ioſ. 10. v. 12.

Luca 2. v. 51.

III. Quod S. Joseph fuerit accrescens filius ex hoc sequenti conceptu probe percipimus: dignum est magna admiratione, quod cum tot Apostolos Christus Dominus conscripserit, nullum penitus habuerit, qui hoc nomine Josephi vocaretur. Quin dicam aliquid amplius, mortuo illo pessimo proditore Juda, convenerunt Apostoli ut unum ipsius loco in Apostolatum substituerent, itaque ut dicitur in Actis Apostolorum. *Statuerunt duos, Ioseph qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est justus, & Matthiam*: & quid sequitur? *Cecidit sors super Matthiam & annumeratus est undecim Apostolis.* Ambos hic Candidatos videamus. Primus nempe Joseph habuit nobile testimonium, nempe quod fuerit justus appellatus: deinde, ambo scilicet Joseph, & Matthias, erant Christi Discipuli, ambo servi Dei, ad id Joseph ab Apostolis primus erat nominatus, & talis juxta Juristas, posterius nominatis præferri solet, cur igitur Matthias & non potius Joseph qui fuit justus, electus fuit in Apostolum? Miratur id D. Laurentius Justinianus dicens: *Quis non prætulisset ex his Ioseph justum cognomento, & vita, & tamen aliter judicavit omnipotens, cujus judicia longe ab humanis dissimilia sunt.* Sed respondet Isolanus dicens: *Amicos Christus vocavit*

Act. 1. v. 26.

Tiraq. lib. de Iur.

D. Laurent. Iuſtinian.

Apostolos, Ioſephum patrem ipſe Deus & homo nominabat. Ex quibus verbis hæc ratio eruitur: amplioris eſt dignitatis nomen Patris quam Amici, cum igitur S. Joſeph fuerit legalis pater Domini, pluris eum faciens quam amicos Apoſtolos, juxta illud, *Vos amici mei eſtis*, ob reverentiam ipſius noluit, etiam nomen ſuum habere inter ipſos. Ex quo facile colligemus noſtro beato Joſeph merito convenire verba illa S. Jacob Patriarchæ. *Filius accreſcens Ioſeph*: ſiquidem multum augmenti accipit à Domino Deo, & ſicuti viri nobiles prohibere ſolent, ne quiſpiam alienæ familiæ arma ſua deferat, aut majorum ſuorum cognomine appelletur; ut ajunt Bartholus & Caſſianus Jutiſtæ: ita & B. Joſeph omnium nobiliſſimus & ex regali David progenie deſcendens, jure poterat impedire, ne quiſpiam ſuo nomine inſigniretur: quod ſi ille qui Chriſti corpus ſepeliverat Joſeph eſt appellatus, divino conſilio factum puta; quia ſicut Joſeph noſter corpus Chriſti ventis ſolebat tangere, ita etiam decuit, ut corpus mortui alter ejuſdem nominis Joſeph ab Arimathia ſepeliret.

Ioan. 15. v. 14.

Bartholus Tract de inſigniis. Caſſianus in Cath. Eccleſ. mundi.

Matth. 27. v. 60.

IV. Videbitur fortaſſe cuipiam fruſtra me à nobilitate generis, D. Joſephi præconia quærere. Cum D Paulus dicat: *Non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi nobiles, ſed ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus.* Sed ego reſpondeo; ibi Doctorem gentium locutum fuiſſe de Apoſtolis quos oportebat eſſe ſimplices, ut quia per ipſos convertendus erat totus orbis, id non ſuæ ſapientiæ, aut nobilitati, ſed potius divinæ potentiæ adſcriberent. Cæterum quod concernit ortum Chriſti ſecundum carnem; ita conveniebat ut Rex Regum à nobili perſona nutriretur & educaretur. Etenim ſi generis nobilitas nihili facienda eſſet, neque ad Dei obſequium deſervire poſſet, ſed neque divina eloquia toties illam commendarent. Legimus autem Deuter. 1. cap. populo Dei Moyſen dixiſſe. *Tollite de tribus veſtris ſapientes & nobiles & conſtituam eos Principes, tribunos & centuriones.* Similiter Eccleſiaſtici c. 10. dicitur. *Beata terra cujus Rex Nobilis eſt*, & tandem legimus Tobiæ 5. cap quod cum ſenex Tobias, nactus Angelum Domini, & putans eſſe hominem, & aliquem tabellarium, eum interrogaſſet, de quanam domo aut tribu eſſet, illeque reſpondiſſet dicens: *Ego ſum Azarias Ananiæ magni filius. Tunc Tobias dixit: ex magno genere tu es.* Unde tunc magna confidentia filium ſuum ducendum ei commiſit dicens: *Bene ambuletis & ſit Dominus in itinere veſtro.* Cum ergo nobilitas bonis adjuncta moribus atque virtutibus tam multum æſtimetur, hinc non eſt mirum unigenitum Dei filium Chriſtum Dominum, ipſum ſibi elegiſſe in patrem putativum.

1. Cor. 1. v. 26.

Deut. 1. v. 15.

Eccleſ. 10. v. 17.

Tob. 5. v. 18.

V. Jam tandem ut intelligatis qualis nam S. Joſeph, Chriſti Jeſu pater fuerit, notate primum triplicem Chriſti nativitatem, quam Gerſon autor egregius Sermone de Nativitate Mariæ Conſideratione 4. enarrat, nempe unam fuiſſe æternalem, ad quam neque S Joſeph neque S. V. Maria pertinuit: aliam corporalem quæ fuit ex Maria V. & in hac quidem nativitate, ſola Virgo obſequium ſuum præbuit; nihilominus, quia juxta legem veterem ſubjacebat S. Joſepho jure matrimoniali, hinc ille Chriſti Jeſu tanquam proprii filii pater appellari meruit, quod aperte teſtatur D. Auguſtinus dicens: *Non opinione ſola, ſed quadam ex parte veritatis, Ioſephi filius eſſet Ieſus, quippe qui Mariæ veriſſimus filius.* Ad extremum quod concernit tertiam Chriſti nativitarem, nempe ſpiritualem, notandum eſt, quod Chriſtus Dominus non naſcitur in anima quæ virum non habet: unde legimus Joan 4. Chriſtum Samaritanæ dixiſſe: *Voca virum tuum*, ſciebat quidem illam virum non habere, ſed per id innuebat, in illa anima quæ eſſet ſine viro, nempe ſine virili propoſito cavendi à peccatis Chriſtum naſci non poſſe; Cum igitur S. Joſeph, ab utero matris ſuæ ſanctificatus filium Dei in mente ſua conceperit, & eundem ſemper ſpiritualiter in corde foverit, manifeſtum eſt, non ſolum Patrem Chriſti legalem ſed etiam ſpiritualem extitiſſe Quam ob rem Auditores, Cum ex tot diſcurſibus meis ſumma S. Joſeph præconia perceperimus, & quantum poſſit apud unigenitum Dei filium, audiverimus, ejus nos patrocinio commendemus nunc & in hora mortis noſtræ.

AMEN.

Gerſon. Serm. de Nat. B. V. M. Conſid. 4.

S. Auguſt. lib. 2. de Conſ. Evang. c. 1.

Ioan 4. v. 16.

IN

IN FESTO S. JOSEPH, SPONSI B. V. MARIÆ, CONCIO IV.

Ioseph vir justus. Matth. 1. v. 19.

Ps. 76. v. 36. QUemadmodum omnipotens Dominus mirabilis est in operibus suis ita quoque mirabilis est in Sanctis suis, uti id ipsum ait S. David Psal. 67. sicuti enim insigne opus suum eluxit, quando animam corpori desponsavit per naturam, ita nunc adhuc apparet insignius, quando in hac via mortalitatis nostræ, animam nostram sibi desponsare per fidem & charitatem, in patria vero cœlesti per gloriam. Non minus excellens est illa desponsatio, verbi divini cum carne, seu divinitatis cum humanitate, similiter Christi Domini cum Ecclesia, cujus mysterium considerans S. Paulus in matrimonio, magnum appellat sacramentum, dicens: Ephes 5. v. 32. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Sed inter hos desponsationis modos, verè est etiam mirabilis despōsatio Mariæ & Joseph, ut teste Sancto Ignatio Martyre per talem desponsationem, S. Ignatius Martyr. *Partus ejus cælaretur Diabolo*, & uterque Deum & hominem haberent in filium, coram quo omnia contremiscunt. *Gloriosa mater quæ talem filium peperit, gloriosus pater, talis filii, cujus vultum Angeli prospicere desiderant*, gloriosus inquam, qui cum tali virgine, (quæ extitit mater unigeniti filii Dei) desponsatus erat: & quoniam Sancta Ecclesia Catholica huic beato sponso hodierna die festum dedicavit, de vita nec non ejus laudibus aliquid audiemus.

I. Dum ego cogitarem Auditores, quonam præconio S. Joseph honorarem, ex improviso magnam laudum suarum materiam adinveni, posset enim prædicari, vel à laudibus B. Virginis Mariæ, vel à Genealogia perillustri, vel à Nativitate Christi Jesu: à laudibus inquam B. Virginis, quia illius sponsus, & tutor erat; à Genealogia, quia filius David nuncupatus fuit ab Angelo; à Nativitate Christi, quia pater & nutritius ejus vocabatur. Hinc multa sunt quæ S. Patres Ecclesiæ in laudem suam deferunt. Alii asserunt eum non secus ac Jeremiam, vel Joannem Baptistam in utero fuisse sanctificatum, quod non videtur improbabile, in tanto viro, quem ad talia munia Deus creaverat, quod nunquam peccatum mortale commiserit, & sicut Deus V. B. Mariam, dignam effecit ut fieret mater filii sui, ita quoq; & illum dignū fecit, ut tantæ matris sponsus, tantiq; filii Pater foret. Sicut enim quondam cum servus Abraæ missus ad quærendum uxorem amantissimo filio sui Domini Isaac, prius oravit Dominum, ut conjecturis certis disceret misericordiam, quam faceret cum Abraam in eligenda uxore filii sui, quam ordinante Domino ille accepisset Isaac: ita quoque cum Deus S. Virgini sponsum providere decrevisset, Josephi sanctitatem perspectam habuit, ut esset adjutorium simile sibi.

II. Legimus in sacra pagina S. Joseph Patriarcham hæc verba dixisse. *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua, nec quidquam est quod non in mea sit potestate.* Gen. 39. v. 9. Venerab. Hugo Cardinalis explicans capitulum Geneſis 39. ita habet. *Putiphar, omnia dimiserat in custodia Ioseph & dispositione*: Magna debuit fuisse Josephi Patriarchæ non solum prudentia, sed etiam pura fidelitas, cui totam domus suæ custodiam Princeps ille commiserat, sed nunquid non major erit, nostri Patriarchæ S. Joseph? ita sane, de quo illud dici potest: *Fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* Matth. 24. v. 52. Fidelis sane servus, & prudens, quem constituit Dominus suæ matris solatium, suæ carnis nutritium, solum denique in terris magni solatii coadjutorem fidelissimum, quem tanquam alterum David, Dominus invenit secundum cor suum, cui tuto committeret secretissimum atque sacratissimum sui cordis arcanum, cui tanquam alteri David, *incerta & occulta sapientiæ suæ manifestavit*, Ps 50. v. 8. cui ut ait S. Lucas, *datum est non solum videre & audire, quod multis Prophetis & Regibus negatum fuit, sed etiam portare, ducere, amplecti, custodire & nutrire filium Dei incarnatum.* Luc. 10. v. 25. Innumera sunt quæ

Deus

Deus contulit Abraæ beneficia, quem ita magnificabant Judæi, ut hanc ingentem crederent excellentiam, quod is illorum esset origo, à quo progeniti fuissent, id sibi sufficere arbitrabantur, ut honorarentur ab omnibus, ut Deum haberent propitium, qui Deus Abraam dicebatur, quod talem haberent Patriarcham, quem Deus speciali sua providentia, ad novum sanctitatis statum evocavit. Cum enim adolescens adhuc esset & inter Chaldæos idololatras viveret, inter quos vita ejus virtuosa periclitari potuisset, multis pollicitationibus inde eductus est, audiens illud: *Faciam te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum & eris benedictus.* Item accepit legem circumcisionis ad remedium culpæ originalis, Angelis colloquebatur, cui secreta sua aperiebat Deus, eique plurima contulit beneficia, quia is ipse erat, cui incarnationis verbi, prima promissio facta fuit in quo benedicendæ forent omnes gentes. At cum S. Joseph, ultimus fuerit in serie generationis suæ, quidquid de illo cogitaveris, ejus merita non adæquat. Abraam sanctus fuit, quia in eo cœlestis hæc tela humanitatis Christi Domini ordiri cœpit, ille exultabat ut videret diem Christi, & futurum considerans lætabatur, at ultimus ampliorem habuit ansam gaudii, qui non solum oculis fidei, sed ipsis carnalibus diem Christi vidit, eumque manibus suis contrectavit.

Gen. 12, v. 2.

III. Cum servus Abrahæ perrexisset in Mesopotamiam uti habemus Gen. 24. ad quærendum uxorem Isaac, plurima munera tulit secum: cum ergo Rebeccam in sponsam illius accepisset, prolatis vasis aureis & argenteis, nec non vestibus pretiosis, dedit ea Rebeccæ pro munere, quin imò & fratribus ejus, & matri dona obtulit, indignum reputans, quod solam puellam ditaret, & qui tam lætus proficiscebatur ad propria, non communicaret dona fratribus quoque & cognatis illius sponsæ: sic habet sacer textus. *Prolatis vasis argenteis & aureis ac vestibus, dedit ea Rebeccæ pro munere, fratribus quoque ejus & matri dona obtulit.* Eodem modo cum humanæ naturæ, in utero virginis desponsatus fuit filius Dei, quando M. Virginem sibi in matrem simul & sponsam accepit, magnificentissima dona illi collata fuêre, illi vestes pulcherrimæ, illi vasa aurea sunt data, quæ quidem munera non materialia, sed his pretiosiora nempe spiritualia censenda sunt, per quæ dectus Hugo explicans istud sacri textus capitulum, virtutum copiam & gratiarum cœlestium abundantiam intelligit. Talibus donis B. V. Maria in die desponsationis suæ exornata fuit. Sed sicuti servus Abraami non soli Rebeccæ sponsæ Domini sui, sed etiam fratribus & cognatis suis munera obtulit, ita quoque non est dubitandum, imò credendum est, in die desponsationis Christi, & in die lætitiæ cordis sui, etiam cognatis illustria dona fuisse data. Cumque Joseph sponsi & cognati gauderet titulo, postquam B. V. M. plurimis donis honorata fuit, munificentissimus Dominus qui ad ditandos homines venit, ille inquam qui dives est in misericordia, etiam ipsum licet non æqualibus, maximis tamen affecit muneribus, ut & tantæ matris sponsus, & tanti filii nutritius esse mereretur. O quantos tunc profectus habuit, cum non solùm videret filium Dei, matremque suam, neque solùm audiret utrumque, sed quod multis gratiarum donis præventus esset, ut dignus efficeretur, qui ista videret & audiret, nec solùm qui videret & audiret, sed qui per desponsationem suam amicus & domesticus Christi fieri mereretur.

Hugo Card.

IV. Si hoc beneficium Deus præstitisset Joseph, ut in servum daretur V. Mariæ, illud non parvum, sed ingens esset. Rex David uti habetur 1. Reg. c. 25. Expedivit honoratam legationem ad Abigail, ut illam acciperet in uxorem, sed quid illa? semetipsam offerebat in ancillam, ut lavaret pedes servorum suorum. S. Joannis Evang. maximus erat honor, quod moribundus in cruce Dominus, matrem suam virginem, virgini commendavit. Ex qua hora accepit eam discipulus in suam curam, ut ei serviret; quanto ergo honore affectum putamus S. Joseph, dum in sponsum electus erat? Præterea ex consortio Joseph cum Maria, quantos putamus profectus emersisse? scilicet dum viderat natum infantem in stabulo, Angelos adorantes & concinnentes illi, pastores adorantes, Magos procidentes, & infantis majestatem admirantes, opera quæ vidit in templo, quæ in Ægypto, quæ in domo, fluvius Dorix fœcundavit cœlestem hunc paradisum hominis, S. Joseph ad eum modum, quo Virgo Sacra fœcundata fuit, quamvis non ad æqualitatem. Ex collocutione Moyses cum Angelo, tanta claritate in facie resplendebat, ut non possent filii Israël in ipsum

1. Reg. 25, v. 41.

Exod. 24. & 34. v. 24.

inten-

intendere, quanta ergo luce perfusum putem, S. Joseph, qui unigenitum filium Dei tot annis in domo habuit? Teste David, Sanctus efficitur, qui cum Sancto conversatur, & S. Joseph cum eo conversabatur qui fuit origo sanctitatis, illi virgini adhærebat, quæ fuit speculum sine macula; hujus igitur societatis maximum habebat emolumentum.

V. Tandem magnum virtutum S. Joseph argumentum est, quod in Evangelio hidierno vir justus nuncupetur. *Ioseph autem cum esset vir justus.* Nam secundum Aristotelem, Justitia omnem virtutem comprehendit, & justus in scripturis perfectus, & omnibus virtutibus intelligitur: unde ad Noe dixit Dominus. *Te vidi justum coram me in generatione hac*, & Christus hoc nomine justi exprimitur. Unde Stephanus ait de Judeis Actor. 7. quod occiderunt Prophetas, qui prænunciabant de adventu justi, nempe Messiæ. Non sine causa & mysterio, vocatus est S. iste Patriarcha Jacob, nempe Domini augmentum, duplici enim nomine auxit eum Dominus, quantum augeri potuit; Primum quidem in eo, quod fuit electus in sponsum S. Virginis Deiparę. Deinde auctus fuit in eo, quod Pater Christi, filii Mariæ Virginis ac conjugis suæ habitus est, atq; eo dono nihil excellentius esse potuit, ut Christus Jesus, filius ejus putaretur. Quemadmodum enim racemus vitis naturam nescienti quæ ulmo sustentatur, ut fructus ulmi existimari possit, ab eo quasi parente profectus putatur. Sic Christus Jesus, qui solius V. Mariæ erat filius, Josephi tamen (cui illa nupserat, cuiq; ut viro sponsa nitebatur) filius est existimatus. Magna & ex eo S. Joseph elucet gloria; quia ille qui Virginis Christi pater est habitus, ipse quoq; mente & corpore virgo fuit. Patet id ex verbis D. Anselmi dicentis de Virgine Sacratissima. *Decens erat, ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, illa niteret.* S. Anselm. Si in beatissima matre Christi tantus erat nitor sanctitatis, conveniens quoq; fuit ut & S. Joseph ea prærogativa polleret, qui Christi parens & Sanctissimæ matris maritus existimandus erat. Quod concernit alias virtutes: Fuit inprimis fidelis in custodiendo tantum thesaurum sibi commissum, Christum scilicet & matrem ejus. Fuit etiam prudens, qualem Dominus poscit in Evangelio dicens: *Fidelis servus & prudens.* Matth. 24. vers. 45. Prudens fuit in persecutione Herodis fugienda, prudens quoque fuit, in reducendo ipsum ex Ægypto, quin prudentior antiquo Joseph, qui frumentum pro futuris sterilitatis annis providè conservavit: nam hic verum frumenti granum, quo omnes beati & justi satiantur tam sibi, quam toti mundo conservavit. Fuit fortis & patiens in cruce cum Christo Jesu & Maria perferenda. Fuit obediens, tum Deo in præceptis legis; nam ascendebat ad certa festa more Judæorum: tum etiam Cæsari proficiscendo in Bethlehem cum sponsa sua ut profiteretur. Cum ergo tot tantisque virtutibus fuerit ornatus, meritò à S. Matthæo Evangelista hoc illi eloquium attribuitur. *Ioseph vir justus.* Felix Boemia quæ tantum S. in Patronum suum delegisti. Atqui nos feliciores erimus, si hujus Sancti Patroni nostri virtutes sacras fuerimus imitati: sic enim perveniemus ad desponsationem divinæ charitatis & postmodum gloriæ sempiternæ.

AMEN

Gen. 7. v. 1.

Actor. 7. vers. 52.

IN FESTO S. GEORGII MARTYRIS, CONCIO I.

Palmes non potest facere fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic & vos, nisi in me manseritis. Joan. 15. v. 4.

QUàm gloriosus extiterit in vita & post mortem suam Sanctus Georgius Martyr Christi, quivis nostrum id percipiet, qui illustrium suorum facinorum quæ in vita gessit notitiam habet. David Isai filius, magnam promeruit laudem; quia occiso gigante Philisthæo, totum Israelem à periculo liberavit: non minorem Sanctus Georgius, quia uti in vita sua legitur existens tribunus militum insignia edidit facinora, quorum è numero sin-

gulare illud refertur. Quod cum transiret in provincia Libyæ urbem Lysiam, & unicam Regis filiam extra civitatem stantem, lugentemque deprehenderet, causa fletus sui bene cognita, quod consumptis & devoratis tot filiis & filiabus civitatis à Dracone, qui in vicino stagno morabatur, ipsa quoque sorte ad se veniente eandem mortem expectabat; Sanctus miles eam consolari cœpit, & in nomine Christi juvaturum promisit, quod & fecit. Nam dum inter loquendum, Draconem caput de lacu levantem conspiceret, conscenso equo, & cruce sancta munitus, Draconem impetiit, eumque sua lancea vulneravit, & ad terram dejecit. Parum est hoc quod fecit sanctus miles Georgius, quia non tantum hunc, sed magis venenosum draconem infernalis inquam stagni superavit. dum pro fide Christi Jesu mortem subire voluit. Unde in hac concione declarabo Sanctum Georgium militem generosum, non à militia sua corporali, neq; à tot factis suis heroicis, sed ab eo solo, quia Christi vestigia per Martyrum imitatus fuit, summos laudum titulos in Ecclesia Sancta meruisse.

I. Laudum Sancti Georgii Martyris, majus argumentum habere nequeo quàm ex hodierno Evangelio, nempe quod fuerit palmes veræ vitis, nempe Christi Jesu: unde sicut palmes tunc fructificat, quando in vite manet, sic etiam Sanctus Georgius miles Domini, quandoquidem mansit in Christo tanquam in vite, ab eodem quoque maxima laudum præconia participat. Palmes etenim & vitis, ejusdem sunt naturæ, ejusdemque substantiæ. Vultis jam scire in quonam Christi Jesu gloria singulariter effulserit? forte dicetis, in eo, quod quinque panibus tot millia hominum satiaverit, aut quod in Cana Galilææ vinum ex aqua fecerit, aut quod tot infirmos curaverit, aut quod Lazarum cæterosque mortuos suscitaverit. Minime verò, sed in quo? in sola morte, idq; ignominiosa, nempe crucis. Non creditis? pensate illa verba Sancti Matthæi Evangelistæ c. 24. *Vbi fuerit corpus ibi congregabuntur & Aquilæ* Doctores Ecclesiæ ajunt, hæc verba Christum Dominum de se ipso locutum fuisse. Quid igitur? Audite Auditores horum verborum textum antecedentem: ait ibi Christus Dominus: *Sicut fulgur exit ab oriente, & paret usque in occidentem, ita erit & adventus filii hominum.* Corruscanti fulguri, recte Jesus comparatur, quia hic est *Lux vera quæ illuminat hominem.* Sed quod vocetur cadaver, hoc non capio. Quid n. id sibi vult, quod dum de secundo suo adventu loquitur, qui erit splendidus, glorioſus, & terribilis, cadaveris quoque mentionem faciat dicens: *Vbi fuerit corpus ibi congregabuntur & Aquilæ.* Cur non magis se solem exorientem dicit? Scimus n. quod aquilæ pullorum suorum virtutem ad radios suos probare soleant. Cur dissimulata majestate, & gloria, se tunc cadaver dicit? an hoc cadaveris nomen aliquam importat majestatem & gloriam? an forte è contrario ut sub cadaveris cinere gloriarum suarum abscondat divitias? minime verò; sed ut majores ostendat. In morte n. Christi Jesu quidquid gloriæ maximum est, totum ibi invenitur. Observate diligenter verba S. Pauli dicentis: *Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum.* Hæc verba S. Paulus scribit primâ Epistolâ Corinth. cap. 2. & in eadem cap. 15. hæc alia ponit: *Tradidi vobis imprimis, quod & accepi, quoniam Christus mortuus est, pro peccatis nostris & quia sepultus & quia resurrexit tertia die.* His verbis ita positis, quæstionem facit D. Augustinus. Cur Paulus dicit se solum scire Jesum crucifixum, cum etiam sciat Jesum resurgentem, imò uti ad Rom. scribit 8 cap. etiam ad dextram Patris sedentem. Prædicas ô Paule Jesum à mortis tenebris glorioſum prodeuntem, prædicas ejusdem ascensum in cœlum triumphalem, prædicas ejusdem sublimen simul cum patre consessum. Cur ergo dicis te solum scire crucifixum? Sane ideò, quia in sola Christi morte omnes comprehenduntur tituli gloriarum, in sola ejus morte, omnis nostra sublimitas omnis honor & universa excellentia. Unde S. Doctor Augustinus, ad eandem quæstionem respondens, ita ait: *Sciant in Christo crucifixo multa discere homines.* Unum dicit crucifixum Paulus, sed in uno crucifixo innumeræ ejus adiscuntur gloriæ.

1 Cor. 15. vers. 2.

S. August. 1. de Fide & operibus cap. 10.

Matth. 24. vers. 28.

II. Sanctus Propheta Isaias, enarrans cap. 9 vaticinium suum, ita ait de Nativitate simulque imperio Christi Domini: *Factus est principatus super Humerum ejus.* Quæ verba perpendens antiquus Ecclesiæ D. Tertullianus, miratur id, quod unigenitus Dei filius sublimitatem gloriæ suæ, seu majestatem suam divinam, in humero collocaverit. Rex Asverus

Isaiæ. 9. v. 6.

osten-

ostendere volens divitias gloriæ suæ, id fecit in sumptuosissimo convivii apparatu. Rex Salomon similiter gloriam regni sui collocavit in throno aureo. Ezechias idem fecit, sed in ostentatione suarum divitiarum totiusque pretiosæ supellectilis domus suæ, quam Legatis Babylone ad se missis demonstravit. At Christus Jesus Rex cœli & terræ, per quid principatum suum manifestat? *Factus est principatus super humerum ejus.* Non in auro, seu argento, non in throno, seu supellectile pretiosa, sed in humero quo crucem (in qua mori debuit mortemq; subivit) sustinebat: ita sentit præfatus autor, ait enim: *Christus Iesus novam gloriam, potestatem, & sublimitatem suam, in humero extulit, crucem scilicet.* Hæc una quidquid gloriæ & sublimitatis excogitari potest, in Jesu ostendit, adeo, ut quot sunt in corpore ejus vulnera, tot sint cantantium chori qui suis vocibus, lætisque hymnis glorioſas ejus victorias celebrant.

Tertullian. ib. contra Iudith.

III. De glorioso Rege Salomone dicitur 3. Reg. 4. *Locutus est Salomon tria millia parabolas, & fuerunt carmina ejus quinq; millia, & disputavit super lignis à cedro.* Quis non miretur sapientissimum Salomonem tot fecisse parabolas, & tot carmina conscripsisse? Sed considera illa verba, *Disputavit super lignis*; tunc cessabit admiratio, hinc enim intelliges quod Rex ille sapiens non à monte Parnasso, aut à Deabus Heliconiadis, non ab Homero aut Virgilio, hæc carmina sibi comparaverit, sed à ligno in quo Christus pependit, ad id omnia illa carmina referuntur; quot enim vulnera in cruce sua Christus pertulit, tot sunt carmina gloriam ejusdem ligni decantantia. Pulcherrime hac de re scribit Petrus Damianus libro 7. Epistola ea: *Fuerunt Carmina Salomonis quinque millia, quia quinque sunt vulnera Dominici corporis, quibus per universum orbem triumphalis ejus victoria prædicatur.* Christus Jesus in ligno crucis existens quinque vulnera accepit, hæc ergo Spiritus S. per quinq; millia carminum decantavit. En quanta mortis Domini gloria. De Samsone illo fortissimo scribitur, plures morientem occidisse, quam viventem: id ipsum de morte Christi Jesu dicere non dubito, majorem in morte, quàm in vita gloriam sibi peperisse.

3. Reg. 4. vers. 32.

Petrus Damianus.

IV. Legimus Matth 21. cap. Christum Dominum præteriisse quondam arborem fici, quæ quidem pulchra erat, virentia habens folia, sed cum nullos fructus in illa arbore inveniſſet, maledixit ei, & statim exaruit: hoc Christi factum insolens alicui videri posset, quod ficui maledixerit Jesus, eamque infrugiferam reddiderit, quam excusat S. Marcus Evangelista cap. 11. nempe nondum tunc tempus fuisse ficorum. Cur itaque illi maledixit? Ad id eleganter respondet D. Isidorus dicens: Hanc transgressionis arborem esse cujus etiam foliis ad corpus tegendum, hi qui mandatum violarunt usi sunt, ac proinde Christus hoc ei imprecatus est, ut ne post hac fructum peccati causam ferret: fructus hujus arboris primum hominem sua nobilitate quam habuit in paradiso spoliavit, ideo tali fuit mulctata maledictione. Sed contrarium invenio apud Lucam capite 19. Dives ille Zachæus sed staturâ parvus, videre cupiens Jesum deambulantem in Jericho, ascendit in arborem sycomorum. Si hasce duas arbores examinare velimus, inveniemus primam fuisse arborem bonam & genuinam, alteram verò fuisse sylvestrem & infœcundam. Cur igitur non potius huic maledixit? Respondet D. Ambrosius præstantiorem ficu apparuisse sycomorum, quia non pomum sed hominem Christo exhibuit, quem ubi conspexit, tam multum sibi in illo complauit, ut etiam consortium sui, unamque cohabitationem secum mox appetierit: *Zachæe festinans descende, quia in domo tua oportet me manere.* Et unde hæc sylvestris ficus exhibuit talem hominem Jesu? audite responsum Divi Ambrosii dicentis: *Zachæus in sycomoro, novum videlicet novi temporis pomum. Ad hoc enim Christus advenit, ut ex ligno, non poma, sed homines nascerentur.* Elegit sibi Christus arborem in qua suspensus moreretur, ideo conspicatus Zachæum arbori inhærere, non potuit ejus amore non affici, tanquam qui gloriam crucis suæ in se demonstraret.

D. Isidorus.

Luc. 19. v. 4.

S. Ambros. supra Luc.

Matth. 21. vers. 19.

V. Si ergo Christus Jesus qui est vitis vera, ita est e cruce glorioſus, Sancti Martyres, qui sunt ejusdem vitis palmites, quomodo non erunt glorioſi? de quibus Psalmista ait: *Pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Inter cæteros, quantæ sit gloriæ, felicissimus Christi præliator, S. Georgius, id demonstrat D. Ambrosius dicens: *Georgius fidelissimus Christi miles, dum Christianitatis professio silentio tegeretur solus inter Christicolas,*

ſticolas, Dei filium eſt confeſſus. Scribunt Hiſtorici de Codro Rege Athenienſium ultimo, quod cum haberet grave prælium, cum Dorienſibus, cognitare ex Apollinis Oraculo, ſic fore victrices Athenas, ſi eo prælio ipſe moreretur, mox habitu ſuo immutato, in medium hoſtium ſe injecit, ſuaque morte civitatem ab hoſtibus liberavit. Huic animoſe Regi inclytum ſanctumque Georgium ego comparare queo, cum enim in partibus Libyæ fides Chriſti Jeſu gravem ſub Diocletiano perſecutionem pateretur, Sanctus Georgius tactus dolore cordis, atque intrinſecus divina revelatione monitus, omnia quæ habebat diſperſit pauperibus, militarem abjecit habitum, Chriſtianum induit, & ſe occidendum pro Chriſti fide libenter obtulit, ſicq; poſt carceres, verbera, rotam gladiis armatam, & alia tormenta, per ſanguinem migravit ad Chriſtum, factus toti orienti & occidenti variis miraculis clariſſimus, quin à Regibus ſæpiſſime in bellis invocatus, & inſuper in Romana Eccleſia quem pro ſingulari Patrono veneratur, acceptiſſimus, denique in cœleſti ſede glorioſus, ubi tanquam palmes adjunctus viti ſuæ Chriſto Domino, lætatur cum omnibus Sanctis in ſæcula ſæculorum.

AMEN.

IN FESTO S. GEORGII MARTYRIS,

CONCIO II.

Omnem qui fert fructum purgabit eum, ut fructum plus afferat.

Joannis 15. verſ. 2.

SEmper quidem ſplendida & glorioſa eſt Sanctorum memoria, Martyrum, Auditores, juxta illud: *Pretioſa eſt in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.* At inter cæteros, ſingulare aliquid video, quod in Sancto Georgio celebratur: cum enim cæteri Martyres unico Martyrii genere contenti fuerint. Sicuti Stephanus, lapidatione, Laurentius craticula igne ſuccenſa, Vincentius aculei extenſione, & totius corporis laceratione, Catharina rota, gladiis acutis circumſepta, Hypolitus tractu equorum indomitorum per plateas, Paulus gladio, hęc inquam, & plura alia Martyrii genera ſolus Georgius tanquam verus Jeſu Chriſti miles fortiter ſuperavit. Sed quid miramur, tanta fuiſſe paſſum? palmes erat veræ vitis Georgius, meritò ergo tanta paſſus fuit, cum Chriſtum Jeſum in hodierno Evangelio ſic dicentem audiamus: *Omnem qui fert fructum, purgabit eum ut fructum plus afferat.* Quæ verba ſacri Evangelii non ſolum pro gloria hodierni Sancti Martyris, ſed etiam pro conſolatione afflictorum pertractabo.

Pſ. 115. v. 15

1. Non ſolemus vitio vertere hortulanis, quod luxuriantes palmites, cultro ſuo abſcindant, ille enim bene novit, vulnera illa, non obeſſe, ſed prodeſſe viti, adeo ut vulneris beneficio, unde certa videatur ſterilitas, largi ſoleant fructus pullulare. Quod hortulani cultor præſtat in vitibus, hoc etiam divinus gladius in animis noſtris præſtare ſolet. Dum enim electi qui viti Chriſto uniti ſunt, ſterilitate virtutum, multitudine verò abundant vitiorum, accedit cœleſtis hortulani falx, qua dum inutiles palmites in anima præſcinduntur, mox novi fructus incipiunt apparere, & ubi ante peccatum regnabat, jam regnat totus Chriſtianæ redemptionis fructus. Nota eſt vobis illa magnifica ſtatua Regis Babylonici, quæ ex auro argento, ære, ferroque conſtabat, hanc percuſſit lapis abſciſſus ſine manibus, nempe Jeſus naſcens ex virgine. Et quid in illa percuſſione apparuit? numquid ſola, auri argentique perditio? abſit; imò dum caput aureum percutitur, ſtatim ibi mons magnus apparere incipit, qui terram fructibus replet & cœleſtia regna donat hominibus: ait enim ſacer textus. *Lapis autem qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt mons magnus, & implevit univerſam terram.* Quid eſt, quod ubi percuſſit lapis, ſtatim mons magnus apparuit? Rem tetigit Theodoretus ſic dicens: *Cum ferreum regnum imbecilliter affectum fuerit, tunc apparebit lapis ſine manibus excuſſus, & in nihilum omnia rediget, regnumque ſempiternum iis qui eo digni fuerint præbebit.* Neſcit divinus agricola abſcindere palmites

Daniel 2. vrſ. 34.

Theodor. hic

mites, non novit inferre vulnera, nisi ut inde uberiores fructus proveniant, comminuit aureum caput, sed mox deinde in montem fructuosum, sive in paradisum cœlestem convertitur.

II. Pulcherrima fuit ille arbor, quæ Regi eidem in visione ostensa erat. Videbat arborem in medio terræ, cujus altitudo erat nimia, folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius, & esca universorum in ea, quis non oblectaretur tam pulchræ arboris visione? Sed ecce vocis, cœlestis Agricolæ vox adversus arborem, nimia altitudine exaltatam. *Succidite arborem & præcidite ramos ejus. Excutite folia ejus, dispergite fructus ejus, fugiant bestiæ, quæ subter eam sunt, & volucres de ramis ejus.* Dan. 4. vers. 11. Quem hic putatis agricolam, qui ad perdendam festinat tam pulchram & fructuosam arborem? Sed audite ulterius quid dicat. *Verum tamen germen radicum ejus in terra sinite.* Ecce simul mandat scindi arborem, & una eademque vice radicem protegit, & quænam hæc radicis protectio? Sanctus Daniel Propheta ita istum locum interpretatur. *Quod autem præcepit ut relinqueretur germen radicum ejus, id est arboris, Regnum tuum tibi manebit postquam cognoveris potestatem esse cœlestem.* Præcidebatur quidem arbor, sed simul servabatur in radice spes cœlestis Regni per cognitionem Dei acquirenda: non scindit ergo divinus agricola, vitis suæ palmites ut destruat, sed ut ablatis sterilibus, elegantior fructus proveniat, qui autem hanc præcisionem nusquam experitur, & momentaneo hujus mundi viore delectatur, tandem decidet in æternum ignem. Quo circa solebat dicere D. Cæsareus Arelatensis. *Quomodo qui vitem suam uno anno putare noluerit, ipso anno abundantius exhibebit & postea sine fructu sterilis permanebit, sic qui malas cogitationes, & mala desideria non tollit de anima sua, videtur afferre fructum de rapinis & fraudibus in anno vitæ suæ, quo vivit in hoc mundo, sed postea remanebit sterilis in æternum.* D. Cæsar Hom. 20. Utilis ergo est succisio, quam interdum Deus permittit. Quæ enim vites non putantur, etiamsi in uno anno fructibus abundent, altero steriles remanebunt, sic & homines qui nullam scisionem sentiunt, & lætantur in voluptatibus hujus vitæ, postmodum interminabilem incurrent miseriam.

III. Nec solum peccatores, sed etiam perfecti & sancti viri, indigent tali falce Domini Agricolæ: non enim ideo scindit palmitem, ut perdat vitem, sed ut purget, quatenus fructus plus afferat; nullus autem homo dum est in hac vita, tanta pollet sanctitate & puritate, ut purgatione non egeat. Vocabatur quondam sponsa à dilecto suo, ut stanti ad ostium aperiret. Sed vocanti respondet illa *Exui me tunicâ mea, quomodo induar illa? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Cant. 5. v. 3. Sed cur timet amatrix Dei, inquinare pedes, quibus currat ad excipiendum Deum? in via quâ itur ad Deum, potest quis inquinari? Resumit eandem quæstionem D. Augustinus, & simul ad eandem dicens: O *admirabile sacramentum, ô grande mysterium, ergone times inquinare pedes, veniendo ad eum qui discipulorum pedes lavit? Timet certè, quia per terram venit.* D. August. Tract 57. Dum enim in hac terra ambulant viri justi, etsi toto conatu ad Deum currant, eas tamen maculas incurrunt, quæ inscisionem & purgationem requirant. Unde Ecclesiastes. *Sunt justi quibus mala proveniunt, quasi opera fecerint impiorum.* Eccles. 8. vers. 14. Nequeunt justi id evitare, quin non aliquid admittant, quod putatione, quod cultro cœlestis agricolæ non egeat.

IV. Non est justus qui in aliquo non offendat, & qui non egeat scissione & purgatione aliqua, quam sanè dat Dominus, vel pœnam inspirans voluntariam, vel inferens mala: unde pulchrè observat Theophylactus verba Sancti Lucæ, scripta de divite Epulone & Lazaro. *Memento fili quod recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala.* Luc. 16. vers. 25. Quærit enim prædictus autor, cur dicatur Lazarus recepisse mala. Cujus verba sunt hæc: *Recipere de his dicere solemus qui suscipiunt, quod eis debebatur. Fortassis autem Lazarus unum vel duo mala commiserat, & propterea dolorem illum sustinens, dignam factis mercedem accipit.* Justus equidem erat Lazarus, & sicut vitis abundans, in lateribus domus divitis positus, præclaras animi sui virtutes ostendebat, sed dum adhuc in terra degeret aliquas contraxerat maculas, pro quibus sapiens agricola infectiones dolorum, & paupertatis ei intulerat, ut ablatis vitiosis in fœcundiores exaltari posset. Unde meritò monebat D. Clemens Alexandrinus. *Planta cœlestis cum sit homo, ut cœlestes virtutum fructus ferat, inutiles virtutum stolones pœnitentiæ ferro circumcidat.* S. Clemens Alexand.

V. Beatus Georgius Martyr Christi, sciebat

se fuisse plantulam divini agricolæ, noverat se fructiverũ fuisse palmitem veræ vitis, ideo non fugiebat cultrum hortensem, sed præscindi ab eodẽ cupiebat: ut enim inveniret ansam martyrii, videns à Deciano Præside Christianos torqueri crudeliter, miles Christi omnibus bonis suis in usus pauperum distributis, militarem habitum deposuit, Christianum contrà assumpsit, atq; sic ad Præsidem illum accedens omnes Deos gentium dæmonia exclamavit. Cum autem Præses illum in fide constantissimum reperiisset, nec ullo modo ad se inclinare posset, primò durissimè cœdi, deinde in equuleo levari, & membratim corpus ejus ungulis laniari, appositis insuper ad latera ejus facibus, patentibus viscerum rimis, sale plagas ejus fricari fecit, & sic in carcerem trudi: ubi autem sequenti die sanum aspexisset, magum advocavit, qui magiam Georgii arte sua superaret; ille verò bis venenum pessimum vino miscuit, quod Sanctus signo crucis facto, sine læsione sui degustavit. Post hæc Georgium fecit in rota ligari, gladiis acutis undique circumdata, sed statim oratione sua hoc tam terribile instrumentum confractum fuit. Deinde cum oratione fusa idola contrivit, jussus fuit poni in sartaginem pice & sulphure liquefactis plenam, sed Angelus Domini de cœlo descendit & sartaginem tepefecit. Tandem sequenti die misso fræno in ore ejus, per totam civitatem tractus, & ultimo decollatus Martyrii palmam cœlum victor intulit gloriosis. Quamobrem Auditores, cum & nos simus palmites vitis veræ, nempe Jesu Christi Domini nostri, imitemur constantiam in fide S. Georgii Martyris, nullas pro eo passiones formidemus, ut in hac vita putati & purgati, nostræ viti Christo Jesu uniri valeamus in gloria cœlesti. AMEN.

IN FESTO S. GEORGII MARTYRIS, CONCIO III.

Hic vir bellator est, ab adolescentia sua. 1. Reg. 17. v. 33.

EA consuetudo tam apud nos, quàm in aliis locis inolevit, ut si videat quispiam alterum, equo insulsè insidentem & ineptè equitantem, per lusum dicere ipsum consuevisse. Sanctus Georgius equitat pro censu capessendo. At iste jocus, jam nobis vertitur in serium. Hodierna enim die festivum diem celebramus unius generosi equitis, & Athletæ fortissimi Sancti Georgii Martyris, qui usq; in hodiernum diem, à sculptoribus, & pictoribus effingitur equo insidens, non solùm hanc ob causam, quod militiã exercuerit ejusq; tribunus fuerit, multaque heroica facinora ediderit, sed vel maximè ideo, quia ab adolescentia sua, Christianæ militiæ, nomine suo dato, Christo Domino Generali suo ad mortem usq; serviverit. Saul Rex Israelis, audito verbo David, quod cum gigante Philisthæo singulari certamine pugnare vellet, hunc in modum ipsum allocutus erat. Tu non vales resistere huic Philistæo, qui tu adhuc puer es; *Hic autem vir bellator est ab adolescentia sua.* Quid? quod tantũ solam exercitationem bellicam cui Goliath, ab adolescẽtia sua assueverat, Davidi puero Rex proponebat? Cur non potius staturam suam horribilem, aut arma fortissima, quibus instructus erat? Cur non vires roburque maximum? Sed solam bellandi consuetudinem? Respondet S. Pater Ambrosius hanc pluris fecisse Regem, quàm alia Quia consuetudine longa, tam in bono, quam in malo, nulla vis fortior esse potest. Quia ergo S. Georgius ab adolescentia sua fuit verus miles Christi Jesu, meritò ego dicturus aliquid in laudem suam, id thema assumpsi. *Hic vir bellator est ab adolescentia sua*: quænam hæc S. Georgii militis Domini bella fuerint quæ gessit, in hac concione enarrabo.

S. Ambr. in 1. Psal.

1. *Reg. 17. vers 33.*

I. Plurimos tam in antiquo testamento, quam in historiis gentilium milites invenio, qui ob strenuè navatam operam suam in cellis, hucusq; in memoria habentur, & summis laudibus celebrantur. In antiquo testamento celebratur Josue talibus verbis: *Omnes bellando cepit*, pugnando cum hostibus populi Domini. Omnes Civitates & terras gentilium, nec non Reges eorum, expugnvit cepitque. In majorem gloriam ejusdem Principis Josue, Reges quos devicit, recensentur in sequenti capitulo

Iosue. 11. vers. 23.

pitulo hiſce verbis. *Omnes Reges triginta unus.* Inſolitum fuit Samſonis robur, quia una mandibula aſini mille Philiſtæos profligavit, & cum ab hoſtibus ſuis Philiſtæis captus atque in civitate Gaza clauſus eſſet, portas ejuſdem cum poſtibus ſuis & ſera ſuſtulit, atque in uno montis vertice collocavit. Stupenda fuit fortitudo David, qui exiſtens adhuc in ſua pueritia, atque paſcens oves patris ſui Iſai, ab urſis & leonibus oves defendebat, easque faucibus eorum eruens, ipſos dilacerabat, ſed tunc adhuc enituit glorioſior, cum fortiſſimum Goliath interfecit, ſibique eam cantilenam à cuneo filiarum Ieroſolymæ decantari promeruit. *Saul percuſſit mille & David decem millia.* Magnarum erit virium Eleazar unus de Principibus Regis David, quia cum ei inſtaret prælium cum Philiſtæis, tam diu percutiebat ipſos donec deficeret manus ejus & obrigeſceret cum gladio. Fortis erat Ibiſai frater Joab, qui contra trecentos haſtam ſuam levavit, eosque percuſſit. Fortis erat Bananias filius Jojudæ qui percuſſit virum Ægyptiũ miræ magnitudinis, nec non aliquot leones interfecit. Plurimi etiam glorioſi heroes in hiſtoriis diverſis recenſentur: Qualis erat ille Xerxes Rex Perſarum qui decies centena millia ſuorum militum, produxerat in aciem contra Græcorum gentem. Magnas Pompejus, cæterique Romani Principes, & Duces exercituum, qui armis & conſilio, plurima Regna imperio ſuo ſubjugarunt. Magnus Alexander, qui innumeros Reges Marte vicit, de tot Regnis debellatis triumphavit, magnamque orbis partem ſui juris fecit. Atqui hic non eſt mei propoſiti recenſere vires corporis admirandas, quibus prænominati heroes claruerunt, non eorum victorias bello partas, non triumphos eorum celebratos, non gigantes, urſos, leonesque ab iis interfectos: ſi enim hæc à propoſito mihi dicenda forent, tunc tali ipſorum facinori ſimilem invenirem in præclaro heroe S. Georgio, qui etiam dicitur Draconem miræ magnitudinis occidiſſe, & civitem Silenam à periculo liberaſſe, qui totam terram Palæſtinorum debellavit, totque alia bella feliciter geſſit & confecit: ſed alia bella mihi ſunt enarranda, non inquam mundialia ſed ſpiritualia, quæ S. Georgius Chriſti miles fortiter ſubivit, & feliciter conſummavit.

Iſua. 12. verſ. 24.

1. Reg 17. verſ. 35.

1. Reg. 18. verſ. 7.

1. Reg. 24. verſ. 17.

Herodotus.

II. Multa bella ſpiritualia geſſit ſanctus miles Georgius, quia multos hoſtes habuit, tres exercitus erant, cum quibus ipſi prælian-dum erat. Primus hoſtis erat caro, cum ſuo cuneo nempe cum ſuis concupiſcentiis, alter erat mundus, & tertius tandem Diabolus, ſuis cum ſequacibus. Quid igitur fecit Sanctus Georgius? Contra tres exercitus, triplicia quoque aſſumpſit arma. Contra Diabolum, fidem: contra mundum, ſpem, quæ nos à mundo revocat, & cœleſtem promittit civitatem: contra carnem, charitatem Dei puriſſimam, quæ homini Deo inamorato, omnem carnis concupiſcentiam uti ſtercora repræſentat. Ad talem armaturam, & nos invitamur exemplo Sancti Georgii, ille etenim cum in Cappadocia, ex præclaris & nobilibus parentibus ortus eſſet, ſtatim à teneris, fidem Chriſti Domini amplexus, eadem contra Diabolum dimicavit. Cum ad mundum natus eſſet, ut ejuſdem honores titulosque capeſſeret, omnibus ſuis rebus in pauperes erogatis, atque habitu militari depoſito; Chriſtianum aſſumpſit, & in eodem ſub Duce Regeque ſuo Chriſto, fideliſſimè militavit: de certamine quod cum carne habuit, non eſt multum dicendum, qui enim tantam copiam ſanguinis ex carne ſua per Martyrium ſibi extrahi fecit, hinc demonſtravit ſe fuiſſe é numero illorum, *qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Ioan. I. v. 13.

III. Lubet audire exemplum Sancti Georgii Martyris, lubeat quoque ipſum ſequi, iidem hoſtes noſtri ſunt, qui olim fuerant Sancti Georgii. Vultis eos vincere? audite conſilium Sancti Pauli Apoſtoli dicentis. *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias Diaboli:* inſidiatur Diabolus per ſuas tentationes, inſidiatur per divitias & delicias mundi inſidiatur per concupiſcentiam carnis, mille modos habet, quibus nos impetit, itaque non ſufficit nobis, unum genus ſeu inſtrumentum armorum, ſed diverſa eſſe debent. Habemus ſcriptum Exod. 17. Quod cum populo Iſraelis in eundum prælium foret cum populo Amalech, tunc Moyſes aſcendit in montem ut oraret Dominum, unde & textus ait. *Cumq; levaret Moyſes manus, vincebat Iſrael; ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalech.* Quærit hic D. Georgius, quisnam hic S. Patriarchæ Moyſes novus pugnandi modus fuerit, quod ut vinceret Joſue inimicos populi Dei, ipſe aſcende-

Epheſ. 6. verſ. 11.

Exodi 17. verſ. 11.

ſcenderet in montem & oraret; nunquid milites pugnant cum hoſtibus ſuis oratione, & non potius armis? Reſpondet idem Sanctus Pater dicens in hunc modum, arma ibi diverſa fuiſſe neceſſaria, non ſolum inquam gladium aut ſcutum ſed etiam orationem. Amalech enim deſignat voluptatem mundi & carnis concupiſcentiam, unde ut ii hoſtes ſuperentur, non ſolùm gladius quo abſcindatur voluptas & concupiſcentia carnis, ſed etiam oratio eſt neceſſaria. Verba ſunt ſancti Doctoris, *Qui contra vitia pugnare volunt, vincere nequeunt, ſi non cæteris virtutibus muniantur.*

S Greg. in 1. Reg. 15.

IV. Habemus ſcriptum Cant. 4. *Collum tuum ſicut David turris, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*: ad quid uni virgini aut ſponſæ, tot propugnacula, tot turres, tot clypei & tanta fortium armatura? Audite quid dicat Chriſtus Dominus, Luc. 11. cap. *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſſidet.* Ecce hic unum ſufficit atrium, unus tantum armatus, qui illud cuſtodiat, ad quid igitur ſponſæ illi aſſimilatæ turri Davidicæ, tot propugnacula? tot clypei & omnis armatura fortium? Reſpondet ad id Gillibertus Abbas, aſſignans magnam differentiam inter bona opera, & inter peccata, per quæ tentamur à Diabolo, carne, & mundo: pro cuſtodia bonorum operum ſeu virtutum, ſufficit unum atrium clauſum nempe humilitas, quæ eſt cuſtos virtutum: at vitia diverſa, pluribus egent propugnaculis, & magna armatura fortium, unde præfatus autor ait. *Sponſa hoc non contenta, etiam propugnacula adjungit, ut ſublimis & ſecura ſit habitatio.* Ubi pugnandum eſt contra peccata, parum ſecurus eris, niſi multa arma tecum habeas. Ad idem refertur illud, Cant. 3. *En lectulum Salomonis ſeptuaginta ambiunt ex fortiſſimis Iſrael, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi*: ad quid tot armati ad cuſtodiam unius lectuli? Reſpondet idem autor, Serm. 16. *Uberior hic commoratur cuſtodia, quia uberior eſt gratia lectuli, quàm atrii & ſponſa ſollicitudo major, quàm poſſeſſionis.* Ubi quippe agitur de ſponſa, ne ſuccumbat hoſti ſuo, ſpolietur caſtitate, & ſuccumbat peccato luxuriæ, adhibenda eſt cura de omnigenis armis, ne inermis ſuperetur. Sponſa hæc, anima eſt uniuscujusque fidelis, hæc igitur ne ab hoſtibus ſuperetur, & ad vincula peccatorum pertahatur, induere debet armaturam Dei, ut poſſit ſtare adverſus inſidias Diaboli.

Cant. 4. verſ. 4.

Luc. 11. verſ. 21.

Abbas Gillbert. ſerm. 26. in Cant.

Gilliber. ſerm. 16.

V. Tandem hiſce armis ſpiritualibus, qualiter uti queamus, ex quadam hiſtoria antiqui teſtamenti documentum capiemus. Legimus Joſuæ cap. 8. quod cum filii Iſraelis, unà cum Duce ſuo Joſue, ſecunda vice acceſſiſſent urbem Hai, ut illam oppugnarent, miro uſi ſunt ſtratagemate: poſuit enim Joſue triginta millia virorum fortium poſt civitatem, ſe ipſo autem unà cum exercitu fugere finxit. Quos cum viri urbis Hai putantes fugere inſecuti fuiſſent, ab Iſraelitis iterum verſis, fugere verſus civitatem compulſi ſunt: ſed dum occupatam ab his qui egreſſi erant ex inſidiis, & incenſam vidiſſent, redacti ad anguſtias, univerſi percuſſi fuerunt, ita ut ne unus quidem ex habitatoribus urbis Hai remaneret. Inſignis Doctor Origenes, ponderans iſtam hiſtoriam, illud advertit, notatque, quod populus Iſraelis univerſos incolas urbis Hai interfecerit, & nec unum quidem vivere permiſerit. Per Hai, intelligit chaos infernale, per incolas ejusdem, nequam ſpiritus hoſtes noſtros, quos quidem hoſtes, quamvis ſecundùm ſubſtantiam eorum, interficere non poſſimus, ſpiritus enim ſunt, qui mori nequeunt, nihilominus tamen, cum armis hiſce ſpiritualibus, peccata noſtra mactamus, & annullamus per pœnitentiam, per fidem, ſpem, & charitatem, tunc etiam Diabolicam virtutem interficimus. Quod quidem eò faciliùs præſtare poterimus, ſi in Sancto Georgio inclyto Chriſti Domini milite, has virtutes tanquam in ſpeculo intuentes, easdem imitari ſtuduerimus, tunc diem ipſius feſtum verè celebrabimus, & devictis noſtris adverſariis, hîc in ſpe, futurum verò in altera Patria, cum eodem Sancto Patrono noſtro gaudebimus & lætabimur in ſempiternum,

Joſuæ 8. v. 19. 20.

Origenes Homilia 8. in Joſua

AMEN.

IN FESTO S. GEORGII MARTYRIS, CONCIO IV.

Bonus miles Iesu Christi. 2. Timoth. 2. v. 3.

SUmmæ exemplar patientiæ Sanctus Job Patriarcha, non parvam habuit praxim militiæ spiritualis, de qua tulit hoc testimonium. *Militia est vita hominis super terram*: illi enim qui vocantur ad statum militarem, etiamsi sunt personæ supremæ dignitatis, nempe Comites, seu Principes, dum jam sunt in militia constituti, non debent esse delicati, sed laboriosi, ita hi qui Christi militiam profitentur, laboriosè decertare debent, ut palmam victoriæ obtinere queant. Legimus 1. Reg. 17. David filium Isai fuisse pulchrum & delicatum adolescentem, nihilominus dum illi cum gigante Philistæo decertandum erat, virilem induit fortitudinem, atque animosè pro populo Dei depugnavit. In militia Christi Domini, alter erat David. Sanctus Martyr Georgius, qui non solùm à virili fortitudine collaudatur, nempe quod draconem interfecerit, sed etiam quod omnes boni militis conditiones Duci suo Christo servaverit. Strenuè enim decertavit, hostis spiritualibus viriliter restitit, suoque Domino fideliter militavit. Quæ tria qualiter Sanctus Georgius confecerit, hac in concione demonstrabo.

1 *Reg.* 17. *v.* 36.

I. Sanctum Georgium fuisse militem Christi, laboriosum, strenuum, & fidelem, sicuti non est dubium, ita neque est mirum. Dum enim in aliquo exercitu invenitur Rex seu Generalis strenuus & laboriosus, milites quoque sui eundem imitari conantur. Quod Alexander Magnus in brevi temporis spatio, nempe in duodecim annis, totum fere orbem subjugaverit, notant Historici, id non numerositate militum, sed virtute eorundem fuisse factum; quam exemplo Regis sui (qui ad omnia etiam difficilia subeunda, paratus & expeditus erat) fuerant assecuti: grave illud bellum erat, quod Dux ille Gedeon cum numerosissimo Madianitarum exercitu inire debuerat; quod tamen felicissimè expedivit, & de hostibus suis solemnem victoriam reportavit, cujus causam assignat sacer textus Judicum 7. cap. verbis talibus, quæ ille ad suos milites protulerat dicens. *Quid me facere videritis & vos facite.* Ego ingrediar partem castrorum & quid fecero, sectamini, Rex noster Christus Jesus quantos qualesque pro salute nostra labores sustinuit, id testatur Sanctus David Psalmo 87. *Pauper sum ego & in laboribus à juventute mea*, nam cum fuisset genitus, reclinatus fuit in præsepio, & pannis asperis involutus, uti habetur, Lucæ 2. in juventute prædicavit & summam servavit paupertatem, uti dicitur Matthæi 8. cap. *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Sanctus igitur Georgius, cum semet ipsum composuisset, ad exemplar Generalis, nempe Christi Jesu, non est mirum quod in militia spirituali tantos progressus fecerit, ut non solùm fidem Jesu Christi Judici Daciano præsentatus liberè prædicaverit, sed publicè in ejusdem præsentia, omnes Deos gentium, Dæmonia esse dixerit.

Iudic. 7. *v.* 17.

Psal. 87. *v.* 16.

Matth. 8. *v.* 20.

II. In magna antiquitus æstimatione erat scutum militare: unde Romæ, & Athenis, solebant illud reponere in Theatris seu locis publicis, & si illud tangebatur aut percutiebatur hasta vel lancea, illico ei cujus erat scutum ad certamen prodeundum erat. Apud Hebræos tantæ erat æstimationis, ut etiam sacro oleo quo Reges inungi solent in ungeretur. Unde illud 2. Reg. 1. *Abjectus est clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo.* Insuper in præliis magna habebatur cura clypei. Hinc multi pro illius consecutione inter se decertabant, & propterea Græca illa mulier, filium suum ad bellum expediens, dansque eidem scutum militare, sic dicebat, uti Plutarchus ait; *Aut in hoc aut cum hoc*: forti patientiæ scuto munitus erat Sanctus Georgius, ideoque triplex bellum quod illi erat, cum mundo Sathana & carne, feliciter

2. *Reg.* 1. *v.* 21.

Plutarch.

confecit: cum enim in civitate Mytilena à cunctis in honore haberetur, atque tribuni officio fungeretur, omnia sua pauperibus distribuit, militarem habitum deposuit, Christianum assumpsit, seque fidei & patientiæ scuto ita communivit, ut neque blanditiis neque cruciatibus à fide Christi, & via veritatis abduci potuerit.

III. Constans est Sanctorum Patrum doctrina, prosperitatem maximam esse veræ virtutis probationem, per quam qualis quisque sit, dignoscitur: quod eleganter expressit Divus Anselmus, dicens: *Tribulatio probat unam patientiam, prosperitas verò virtutes omnes examinat.* In prosperitate probatur virtus humilitatis; quia nihil efficaciùs excitat ad fastum & superbiam quam prosperitas. Probatur virtus charitatis, quia divites, & prosperi in hoc mundo, magno perdendi eam periculo exponuntur. Et in summa prosperitas hominis, omnes virtutes examinat. Unde Sanctus Bernardus ait. *Multò plures prosperitatis fallacia, quam adversitatis flagella dejiciunt.* Quam sententiam Sanctus Augustinus conceptu suo confirmat. Ponderans enim illam Elisæi petitionem, quâ rogavit Eliam dum per turbinem levaretur in cœlum *Fiat in me spiritus tuus duplex*: tunc Sanctus Doctor Sancto Prophetæ hæc verba objicit. Quænam vir Dei hæc inusitata tua postulatio: an forsitan magistrum tuum Eliam præire & superare præsumis, dum non vis contentari uno spiritu magistri tui sed postulas duplicem? Sed appositè respondet S. Doctor pro Propheta ejusdemque petitionem convenientem fuisse his verbis demonstrat: Elisæus meritò Spiritum Eliæ in se duplicari petiit, qui cum esset Propheta, seculi quoque dignitate præeminebat & prosperitate mundi utebatur. Porrò Elias cum fuerit profugus in montibus & speluncis degens, non sibi imminebat tantum periculum, de quo sibi Elisæus metuebat, & ob id duplicem à Deo Spiritum reposcebat.

D. Ansel.

S. August.

IV. Benadab Rex Assyriæ, iniverat semel certamen cum Israelitis sed mala fortuna, quia cladem accepit, & victus extitit: videntes ergo id Assyrii pudore confusi adierunt Regem eique dixerunt: *Dii montium sunt Dii eorum, ideo superaverunt nos, sed melius est ut pugnemus contra ipsos in campestribus & obtinebimus eos.* Ac si dicerent, non in montibus, sed in vallibus instauranda est pugna & certo certius vincemus. Vitriacus autor discutiens hoc dictum Assyriorum, insignem suggerit discursum dicens: Hisce Assyriis similes esse dæmones hostes nostros; quos enim non possunt vincere per adversitatem, tentant vincere per prosperitatem. Quam diu David fugiebat Saulem Regem, quamdiu in sylvis latitabat, immunis erat à peccato, quamprimum verò ingressus fuit solatium domus suæ mox peccatum commisit. Quod ergo non potuit adversitas, id fecit prosperitas. Sanctus Martyr Georgius expertus fuit easdem hostis sui insidias, cum enim stetisset coram Damiciano, eidemque fidem Christianam prædicasset, ille è contra magna dona, & dignitates Sancto viro promittebat & offerebat, modo fidem Christi abnegaret, sed cum in eadem constantissimum reperisset, eumque ad se nullis blanditiis & promissis inclinare posset, Sanctum Dei servum diversis crudelitatis suæ modis excruciatum, tandem ipsum decollari præcepit. Quod quidem martyrium antequam subiisset, oravit Dominum & voce sibi de cœlo lapsa, ab eodem impetravit, ut quicunque ejus implorarent auxilium petitionis suæ consequerentur affectum. Summa sane gratiæ divinæ dignatio, quâ servum suum Georgium honoravit, cui non obfuit nobilitas, neque militia, quo minus serviret Deo, eidemque vere militaret.

3. Reg. 20. v. 23.

Vitriacus.

V. Interpretes sacrarum scripturarum curiosius inquirunt illum locum Exod 16. ubi scribitur quod Deus daturus manna Hebræis in deserto, ita disposuerit, ne panis ille cœlicus intra tentoria eorum decideret, sed foris extra castra colligeretur, mane quoque ros, jacuit per circuitum. Videtur sane quod convenientius fuisset si Deus pluisset intra ipsa septa castrorum, ubi quisque facilius collegisset sibi necessaria, neque coacti fuissent exire è tentoriis suis ad victum colligendum. Varias hujus rei assignant rationes, sed inter cæteros Abbas Rupertus ad nostrum propositum respondet dicens: *De castris illis exeundum tibi est, quicunque hoc minutum colligere contendis.* Quo pacto denotabat Deus, quod populus ad capessenda divina beneficia, in illo pane cœlesti adumbrata, necessario exire deberet è castris, quasi acies militaris redderet indignos divinis favoribus. At ego contrarium adverto in Sancto Milite Georgio: hic enim sicuti officio suo militari conscientiæ suæ minimè nocuit, ita in spirituali tantum profecit, ut recte possit dici;

Exod. 16. v. 4.

Rupertus.

Bonus

Bonus miles Jesu Christi. Eja ergo charissimi, scientes statum nostræ militiæ spiritualis, depugnemus hic cum hostibus nostris alacriter, pugnam præclari militis Sancti Georgii imitemur, ut hic gratiâ Domini, postmodum vero æternâ gloriâ cum illo coronari mereamur. AMEN.

IN FESTO S. LEOPOLDI CONFESSORIS ET PRINCIPIS AUSTRIÆ,

CONCIO I.

Princeps Dei es apud nos. Gen. 23. v. 6.

Leopuldus Princeps Austriæ.

HOdierna die, quâ gloriosa Austria solemni ritu celebrat, annuam Sancti Principis Leopoldi memoriam, possum eandem Provinciam cæterarum orbis partium Reginam nominare, Auditores Præstantissimi. Hodie enim impletur illud vaticinium Isaiæ dicentis: *Dicam Aquiloni da: & Austro, noli prohibere, affer filios meos de longinquo.* Dico eam Prophetiam impletam fuisse in S. Leopoldo Austriæ Principe, quem inter hujus orbis filios Auster protulit feliciter. Hodie impletur desiderium sponsæ illius mysticæ dicentis. *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum & fluent aromata illius.* Inconstans aliqualiter mihi videris ô sponso, quia duos ventos evocas, & invitas ad hortum tuum, nempe ventum Aquilonis, & Australem. Num ignoras ingenium Aquilonis? qui dum perflat vehementius, omnia subvertit impetu suo: ut quid igitur duplicem flatum desideras? Sed Hugo Cardinalis pulcherrime respondet, hucusque loci duos assignat sensus, dicens. *Primo sponsam desiderare flatum Aquilonis vehementem, & Austri placidum. Quia non minus in adversitate, quam in prosperitate proficit Ecclesia.* Secundo hæc verba sponsæ explicans, in persona ejusdem dicit. *surge Aquilo:* id est recede: ne horti mei pulchritudinem & flores amittam. *Et veni Auster:* nempe prosperitas, vel gratia Spiritus Sancti. *Perfla hortum meum ut flores emittat pulchre redolentes.* Non est ea sponsa fraudata à desiderio suo, flante enim Australi vento Sancti Spiritus florem pulcherrimum, & suave olentem quem hortus suus protulit, hodie præsentat nobis, nempe Sanctum Leopoldum Austriæ Principem, cujus sanctitatis fragrantia adeo invaluit, ut etiam in Boëmiam exsuflaverit, quæ ipsum similiter pro Patrono suo veneratur. Et quia hic Sanctus pluribus titulis ab Ecclesia Sancta honoratur, nempe titulo Principis, titulo Pii, titulo filii Sancti Petri, nunc penes primum manebo nempe Principis Austriæ, & quidquid ex ipso delibavero, Auditoribus meis præsentabo.

Isaiæ 43. v. 6.

Cant. 4. v. 16.

Hugo Card. in Cant.

I. Vereor Auditores mei præstantissimi, utrum promisso meo stare possim & stando penes Thema concionis meæ nempe, *Princeps Dei es apud nos:* ex eodem laudes tanto Principe dignas deducere & contexere valeam. Hæc enim verba superius dicta nempe, *Princeps Dei es apud nos:* scripta sunt de S. Abraam Patriarcha, & quidem ex hac causa. Cum iste Patriarcha hospitans in terra Chanaan inter filios Heth, mortuam uxorem suam sepelire vellet, peteretque ab illis jus sepulturæ sibi dari pro justo pretio: responderunt filii Heth dicentes. *Audi nos Domine: Princeps Dei es apud nos; in electis sepulchris nostri sepeli mortuum tuum.* Notum est communiter S. Abraam Patriarcham, non fuisse Principem, quia priores illi Patres à primo parente descendentes, vel agrorum cultores fuerunt ut Cain & Noe: vel ovium pastores, ut Abel & Abraam. Est quidē verum etiam Davidē pastorem fuisse, sed postquàm in regnū assumptus fuit, non amplius pastorale officium exercebat. Unde cū Abraam Patriarcha uti & cæteri, pastor ovium fuerit, & primò Joseph S. Jacobi

Gen. 23. v. 6.

Gen. 9. v. 20.

2. Reg. 7. v. 69.

Patriarchæ filius administrando regnum Ægypti, nomine & re ipsa Princeps fuerit, juxta illud dictum Pharaonis: *Ecce constitui te super universam terram Ægypti*: Non video quomodo Sanctum Leopoldum Austriæ Principem Serenissimum, cum uno pastore conferre valeam. Sed venerabilis Hugo Cardinalis explicans istum locum, nempe Princeps Dei es apud nos, *id est magnus & honorabilis quia Deus tecum est*; addit mihi animum & audaciam conferendi unum cum altero. Qui enim magni & honorabiles, nisi Principes? Si Sanctus Abraam Patriarcha magnus erat & honorabilis, igitur & Princeps, & quidem Princeps Dei. Et deinde cui melius comparabitur Princeps Austriæ quàm uni magno & honorabili viro, qui etiam in terra Australi suam habitationem habuit? Legimus quippe Genes. 20. cap. S. Abraam Patriarcham peregrinatum fuisse in Gerara, in qua terra mandatum acceperat à Deo quatenus filium suum Isaac immolaret: eaterra Australis, & in ipsa immolatio Isaaci, quid aliud erat, quàm quædam figura plena mysteriis, Sanctum Leopoldum repræsentans? Imitatus ille certè fuit Principem Dei Abraamum, quia in terra australi id est existens Princeps Austriæ, licet tot curis Principatus sui intricatus esset, nihilominus se ipsum obtulit Domino in holocaustum, cujus amore ardebat incessanter.

Gen. 41. v. 41.

Hugo Card. in Genes.

Gen. 20. v. 6.

Gen. 22. v. 3.

II. Sed quid mirum Sanctum Leopoldum Principem, suum cor à primo juventutis flore obtulisse Domino? Siquidem Sanctis moribus & virtutibus Abraami Patriarchæ, plagæ australis incolæ consueverat: Unde etiam titulum promeruit non tantum Principis, quo antea exornatus erat, sed etiam Principis Dei: qui titulus, quo mundialibus Principibus rarior, eo Sancto Leopoldo erit illustrior. Jam audistis causam cur Sanctus Abraam dictus fuerit Princeps Dei, nempe quia vestigia divina fecerunt ipsum honorabilem, quæ ille sequebatur. Sed quænam illa? divina attributa sive proprietates ignoratis? S. Moyses Dux Israëlis id nobis enarrat dicens: *Dominator Domine Deus, misericors & clemens, patiens, & multæ miserationis ac verax.* Simile testimonium de Domino Deo in novo testamento habemus, ubi S. Paulus ait: *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei.* Hæc divina vestigia S. Patriarcha Abraam imitari studebat, quia tres Angelos in specie peregrinorum ad se venientes excepit humanissime & apud eosdem intercessit pro civitate Sodomorum, ne interiret. Hæ virtutes decent veros Principes, & quia illas Sanctus Leopoldus per diversa opera pietatis & misericordiæ studiosissime practicavit, dignus fuit qui diceretur *Princeps DEI.*

Exod. 34. v. 6.

Tit. 3. v. 4.

Gen. 18. v. 23.

III. Item, Deus quem Moyses veracem nominat, non solum simplex est naturaliter, quia materialem aliquam admixtionem non admittit, sed etiam moraliter, quia nullus in ipso dolus reperiri potest juxta illud: *Justus Dominus & justitias dilexit.* S. Abraam Patriarcha ejusdem simplicitatis cultor erat eximius. Inprimis enim promittenti sibi Domino benedictionem seminis, dum jam grandævus esset; *Credidit Deo & reputatum est illi ad Justitiam.* Similiter quando seipsum à Loth filio fratris sui separabat, offerendo illi patrem Regionis quæ placeret, ibidem magnum specimen pietatis & simplicitatis exhibuit. Et tandem dum Deus juberet Isaac filium suum immolari sibi, non se aliquo modo excusavit, non obtulit copiam gregis pro vita filii; sed in simplicitate cordis jussa exequi properavit. Unde cum tot tantisque virtutibus floruisset, merito à filiis Heth Princeps Dei nominatus erat.

Ps. 10. v. 8.

Gen. 15. v. 6.

IV. Sed non minor etiam extitit divina liberalitas erga ipsum, qui non voluit ut iste titulus tam præclarus terminaretur cum vita sua, sed ut amplius etiam in sua progenie extenderetur, & in tota familia remaneret. Patet hoc in S. Jacobo Patriarcha nepote suo: hic enim dum regrediens è Mesopotamia domum suam cum magna substantia, occurrisset Angelo, & cum illo strenuam luctam habuisset, & victor extitisset, idem Angelus nomen illius permutavit dicens: *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israël.* Ad quid hæc nominis permutatio? Sane non ob alium finem, nisi ut excellentia Principis Dei nempe Abraæ transiret ad nepotem, siquidem S. Hieronymus istum terminum Israël pro eodem habet qui in latino idiomate est Princeps Dei. Non absimilis hisce Patriarchis S. Leopoldus extiterat, vere Princeps Dei, & Israëlita in quo dolus non fuit: Et hinc certe factum est, ut Sanctus iste Princeps Austriæ, factus per virtutes sacras Princeps Dei, hunc titulum divino Numine

Gen. 32. v. 28.

S. Hieron. in l. de loan.

mine ita ſtabiliverit, ut etiam hac ætate noſtra ex domo Auſtriaca Sereniſſimi & Invictiſſimi Principes Dei prodire non ceſſent Nec mirum; quia innocentia & ſimplicitas Regum & Imperatorum thronos ſtabiliunt.

V. Sæpe ſæpius videmus Reges & Principes vellus aureum ſeu Agnellum portare è collo dependentem. Ad quid tam exile animal, cur non potius auream aliquam, leonem, vel aliquid ſimile generoſum? Sed ego reſpondeo, Principes Dei non decere aliud portare præterquàm Agnum Dei, illum inquam agnum, cui S. Joann. Evangeliſta occiſo, non timorem ſed fortitudinem, virtutem, gloriam, & imperium attribuebat dicens: *Et omnem creaturam quæ in cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra & quæ ſunt in eo, omnes audivi dicentes: ſedenti in throno & Agno benedictio & honor, & gloria.* Dicitur leo Rex eſſe omnium animalium; At agnus innocens totius univerſi: cujus innocentiam & ſimplicitatem quandoquidem S. Leopoldus ſecutus fuerit, merito ex Principe terræ factus Princeps Dei, regnat cum eodem in æternum.

Apoc. 5. v. 13.

AMEN.

IN FESTO S. LEOPOLDI CONFESSORIS ET PRINCIPIS AUSTRIÆ,

CONCIO II.

Verbum mihi ad te ô Princeps. 4. Reg. 9. v. 5.

Leopoldus Pius.

4. Reg. 9. v. 5.

LEgimus in libro 4. Regum, diſcipulum Elizæi Prophetæ miſſum ad Jehu unum ex Principibus exercitus, ut ipſum inungeret in Regem Iſraëlis, dum ad illum veniſſet, ita fuiſſe allocutum. *Verbum mihi ad te ô Princeps.* Et ego hodierna die verbum ad te habeo, ô Sancte Princeps Leopolde: non ideo, ut tibi Regiam unctionem impertiar, quia juxta verba Davidica. *Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*, id eſt uti explicat Hugo Cardinalis: unxit te præ cæteris Sanctis ſuis plenitudine gratiarum, ex qua oritur lætitia. Sed ut te interrogem. Cur tibi complacuit ut vocareris, & etiam nunc voceris ab omnibus Leopoldus Pius? Nunquid fuiſſet titulus excellentior, dici: Leopoldus Magnus; quam Pius? Sic olim antiqui illi Monarchæ vocabantur, nempe Alexander Magnus, Pompejus Magnus, Antiochus Magnus; idque ideo, quia magnas res glorioſe obibant. Alexander enim magnam orbis partem unico exercitu Macedonico ſubjugavit. Pompejus, de tot Regnis & provinciis Romano Imperio per bella ſubactis, toties Romæ triumphavit. Antiochus tot Reges vicit, eorumque ſpoliis ſua regna ditavit. Et ne videar in comparatione talium virorum eò quod gentiles fuerint, ab æquo deviare, etiam inter Principes Chriſtianos, pleroſque inveniemus qui Magni vocabulo utebantur. Ut erat Conſtantinus Magnus, Carolus Magnus, cæteriqueDynaſtæ quos prætereo. At ego non expecto aliquod reſponſum ex ore Sancti Principis Leopoldi, ſed quod ille reſponderet, id ipſum & ego in hac concione propalabo & probabo: Excellentiſſimum eſſe titulum Sancti Leopoldi, nempe Principem pium appellari: quin imò eo ipſo quod pius nominetur, conſequenter etiam & magnum dici debere.

Pſal. 44. v. 8.

Hugo Card.

I. Quamvis Princeps Leopoldus plurimos habuerit titulos excellentes, quibus Principes uti ſolent, nihilominus hic unicus titulus, quo Leopoldus Pius compellatur inter cæteros videtur mihi eſſe excellentior: pro teſte hujus rei habeo Theodoſium Imperatorem. Hic enim quamvis juxta ſtatus ſui conditionem throniq; Imperialis Majeſtatem, potentiſſimi & invictiſſimi, aliisque titulis honoratiſſimis uteretur, nihilominus præ omnibus aliis, pius Imperator

videri & vocari ſtudebat, quia ille omnem Chriſtiani hominis felicitatem ponebat in pietate: eamque teſte Nicephoro moriens filio ſuo commendabat. Eandem virtutem Carolus Magnus magni faciebat, & quâ ab infantia imbutus fuerat, ſanctiſſimè excolebat; quia Eccleſiam mane & veſperi, item nocturnis horis impigre frequentabat, conabaturque magnopere, ut omnia quæ in ea gerebantur, cum maxima fierent honeſtate, ædituos creberrimè commonens, ne quid indecens in illa fieri permitterent: ſacrorum vaſorum ex auro & argento, veſtimentorumque ſacerdotalium tantam comparavit copiam, ut nemo in miniſterio habitum privatum habere permitteretur, legendi ſacras ſcripturas alioſque libros orthodoxos, nec non pſallendi ſtudioſiſſimus erat, & ut compendio dicam, nihil eorum quæ ad pietatem pertinere videbat, omittere voluit. Ante iſtum Principem non minori Sanctus Dux Wenceslaus præiebat pietate: hic enim ab avia Ludmilla fœmina Sanctiſſima, piè educatus, in eadem pietatis virtute, mirificè ſe exercere ſatagebat, orphanis, viduis & egenis tanta charitate ſubveniendo, ut propriis humeris aliquando ligna indigentibus noctu comportavit, pauperibus humandis frequenter adfuerit, captivos liberaverit, eoſque pecuniis & conſilio ſæpiſſime conſolatus fuerit. Quanta porrò religione Sacerdotes DEI veneratus fuerit, in miniſterio ſuo quæ ad uſum Sacrificii ſolent adhiberi, nempe lignorum ſectio, hoſtiarum pinſio, uvarum vini expreſſio, pro teſte eſſe poſſunt. Hæc licet vilia à quibuſdam viderentur, quantum tamen DEUS pium Principem honoraverit ex eo patet, quod euntem ad Comitia Imperatoris duo Angeli comitati fuerint, quod Imperator videns brachiis ſuis excepit Principem, eumque Regiis inſignibus decoravit, majorem enim in pio quam in ſereniſſimo Principe, majeſtatem vidit.

Nicephorus lib. 13. c. 1.

II. Hinc patet titulum Sancti Leopoldi Principis, nempe *Leopoldus Pius* ſummæ eſſe excellentiæ & majeſtatis. An verò ſeu quibus mediis illum promeruerit! attendamus. Hic terminus *Pietas* dupliciter accipitur. Primò pro religione, quæ in ſe omne opus bonum complectitur & à qua juxta Divum Auguſtinum, verax DEI cultus & omnia rectè vivendi officia emanant. Secundo, *Pietas* accipitur pro virtute ſpeciali, quâ parentes tanquam vitæ & educationis autores colimus, juxta illud Exod. 20. *Honora patrem & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus DEVS tuus dabit tibi.* Si in hoc ſenſu ſtando, ſcire velimus utrum Sanctus Leopoldus huic pietati ſtuduerit, id omnino ita eſſe inveniemus: nam in primo ætatis ſuæ flore, & in progreſſu ejuſdem parentes ſuos coluit, à quibus etiam ea concepit virtutum ſemina, quæ in ſingularem vitæ ſuæ ſanctitatem excreverunt. Et quia promiſſi divini parentes honorantibus oblati, memor erat, fructu ejuſdem non caruit: nam poſt defunctum patrem accepto Principatu Auſtriæ, eum annis quadraginta laudabiliter ſancteque gubernavit.

D. Auguſt. Epiſt. 52. S. Thom. 2. 2. Q. 101.

Exod. 20. v. 12.

III. Jam ſi pietam pro religione ſumamus, in hac Sanctus Leopoldus toto vitæ ſuæ tempore mirifice ſe exercuit. Nam relucebant in adoleſcentia cum timore DEI, ſumma vitæ integritas, continentia, & humilitas: in ætate verò proviectiori juſtitia, miſericordia, ſapientia, & religionis cultus præcipuus: tandem in Principatus ſolio conſtitutus, pietatis & miſericordiæ munera diligenter obibat, inopes fovebat, oppreſſos ſublevabat, & laſſos roborabat, cæteraque charitatis officia adeo exercebat, ut illud Sancti Job Patriarchæ dicere potuerit. *Oculus fuit cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, & cauſam quam neſciebam diligentiſſimè inveſtigabam.* In Clerum quàm beneficus fuerit, teſtantur id duo monaſteria celeberrima, nempe clauſtrum Neoburgenſe, & S. Crucis in valle nemoroſa, quæ conſtruxit, & ampliſſimè dotavit; nec non Melitenſe magnis ſumptibus & cenſibus illuſtravit.

Iob. 29. v. 15. 16.

IV. Puto vos percepiſſe excellentiam tituli S. Leopoldi Principis, nempe *Leopoldus Pius*. Sed quia pius: num etiam magnus? omnino! Quod probo authoritate Sancti Pauli, pietatem taliter deſcribentis. *Eſt autem quæſtus magnus pietas cum ſufficientia.* Unde infero: ſi pietas eſt quæſtus magnus, igitur magnum parit non ſolum titulum, ſed etiam vitulum id eſt fructum, qui hanc virtutem conſequitur. Sed quinam ille? Reſpondet Sanctus Paulus eadem Epiſtol. 4. c. dicens: *Pietas ad omnia utilis eſt, habens promiſſionem vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* Patet id exemplo Sanctorum Patriarcharum veteris teſtamenti, nempe Abraami, Iſaaci, cæterorumque quibus ob ipſorum pietatem remunerandam, quæ DEUS promiſit, hæc & adim-

1. Tim. 6. v. 6.

1. Tim. 4. v. 8.

Gen. 21. v. 1. adimplevit, uti patet Genes. 21. cap. *Visitavit autem Dominus Saram sicut promiserat, & implevit quæ locutus est.*

Hugo Card. V. Hugo Cardinalis plures hujus virtutis fructus enumerat, nempe pietatem saluti omnium studere, esseque vitam omnium actionum, quemadmodum anima est vita hominis. Unde Hugo de Sancto Victore expendens illa

S. Paulus 1. Tim. 4. v. 8. verba Apostoli; *Exercitatio corporalis ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis est*;

Hugo de S. Vict. ita ait: Exercitatio corporalis inchoat cum tempore, sed finitur cum tempore; pietas quoque inchoat cum tempore: Sed non finitur cum tempore. Quàm pulchre; Utinam id Principes mundiales intelligerent. Habent hi exercitationem plurimam corporalem, ædificant civitates, stabiliunt regna, erigunt provincias, bella movent, ut amplient terras suas: sed quid tunc? hæc exercitatio incipit cum tempore, & finit cum tempore. At exercitatio pietatis, incipit cum tempore, sed non finitur cum tempore. Nam summus Judex Christus Principibus ante se constitutis, non dicet quot provincias rexerint, sed illud solum. *Esurivi & dedistis mihi manducare, sitivi & dedistis mihi bibere, hospes eram & collegistis me.* His inquam dicet: *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum.* Et quia S. Leopoldus talis erat, quia *Leopoldus Pius.* Nunc magnus est in regno cœlorum.

Matth. 25. v. 43. 44.

A M E N.

IN FESTO S. LEOPOLDI CONFESSORIS ET PRINCIPIS AUSTRIÆ,

CONCIO III.

Post aurum non abiit. Eccles. 31. v. 8.

Leopoldus fidelis servus & prudens.

VEreor Auditores mei, ne in hac hodierna die, quæ non solum in Austria sed etiam in universa Romana Ecclesia Sancto Leopoldo Principi & Confessori Domini, dicata est, loco præconii aliquam injuriam ipsi comparem, dum ex eo themate; Quod post aurum non abierit; fidelem & prudentem servum Dei fuisse probare intendo. Quid enim? Ergone qui Princeps, ille & servus censeri debet? Qualis nam iste titulus quem affingo? nempe Leopoldus, fideles servus, & prudens. Videamus ne à vero deflexerim, tantoque Principi injuria à me inferatur. Invenio in Evangelio hodierno, quo Sancta Mater Ecclesia hoc in festo utitur, hominem quendam nobilem peregte proficisci volentem, vocasse servos suos, & ex illis unicuique unam minam ad negotiandum tradidisse; & cum reversus esset, eum qui ex una mina sibi data decem lucratus fuerat, supra decem civitates constituisse, qui verò quinque, etiam totidem civitates obtulisse, & tandem omnes qui benè negotiati fuerant collaudasse. Sanctus Leopoldus Princeps, à consortio servorum talium non abhorrebat, quia etiam habuit suam minam ab eodem nobili sibi ad negotiandum traditam: & cum ita sit: ejusdem nobilis fuisse servum nemo negare potest: ait enim sacer textus. *Qui accipit mutuum servus est.* Sed quid tum? Nunquid Abraam magnus erat? & tamen se servum DEI nominabat dicens: *Ne transeas servum tuum.* Job erat magnus inter orientales, & tamen Dominus DEUS vocabat servum suum, dicens ad Satan: *Nunquid considerasti servum meum Iob?* David erat Rex super Judam & Israëlem, & tamen ait ad Dominum. *Servus tuus ego sum.* In laudem ergo cedit Sancto Leopoldo Principi quod sit fidelis servus & prudens. Sic enim erit anima CHRISTI, juxta illud Ecclesiastici. *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua.* Sed in quonam eluxit fidelitas Sancti Leopoldi Principis? in hac concione audietis.

Prov. 22. v. 7. Gen 18. v. 3. Iob. 2. v. 3. Psal. 118. v. 125. Eccles. 33. v. 31.

I. Quem

I. Quemadmodum apud gentiles antiquos, nihil erat servitute ignobilius, ita apud veros Christianos, nihil eadem est nobilius, & quo plures ministrandi occasiones dantur, eò major servitutis excellentia comprobatur. Quemadmodum enim dicente Domino; *Nemo potest duobus Dominis servire*; multis præstare ministeria arduum est: ita iisdem bene ministrare, divinum est. Noverat id per optime Isaias Propheta, qui postulabat à DEO ut ei ostenderet aliquem adeo justum & sapientem qui multis bene inservire posset, dicens: *Velit Dominus auferre laborem animæ ejus, ostendere ei lumen & formare intelligentiam, justificare justum bene servientem multis.* Sed quis est adeo justus & sapiens qui multis bene serviat? Respondet Divus Cyrillus Alexandrinus dicens: *Justus bene serviens multis non alius quispiam intelligi potest, præter Dominum nostrum IESVM CHRISTVM.* Verissimum sane testimonium: fundatur enim in altero Apocalypsis capite 5. In quo tot nationes id uni CHRISTO acceptum referebant, dicentes: *Redemisti nos in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & natione, & fecisti nos DEO nostro regnum.* Quàm bonus servus; cui non obfuerunt tot diversitates Dominorum, in diversa sæpius abeuntium; tot contrarietates morum, tot differentiæ linguarum; ad summam confusionem potiùs, quàm ullam informationem tendentes: Sed per omnes transiens commodè illis ministravit; sicque universis morem gessit, ut in unum simul regnum traheret. Quod miratus eruditus ille Rupertus Abbas, in ipsum Apocalypsis locum pulchre protulit, quæ optime his convenire, adeoque hic memorari digna mihi visa sunt. *Ex hoc* (ait) *homines multum à semetipsis dissentiunt, quod multarum tribuum, dissonantium linguarum, dissimilium populorum & diversarum sint nationum: Sed tu redemisti nos DEO, ut faceres DEI filios, ut filios DEI, qui erant dispersi, congregares in unum.* Quemadmodum ergo solus JESUS per obsequium multorum, plurimum quoque inclaruit, sic & hi, qui ipsum imitantur in obsequio aliis exhibendo, non possunt non clarere. E numero talium fuit hic Sanctus noster, Confessor & Austriæ Princeps, Leopoldus: hic enim licet post mortem patris sui Principatus regimine diversimodè impediretur; nihilominus id unicum seriò affectabat, ut ad similitudinem DOMINI, omnibus sufficienter inservire & prodesse posset. Testantur id eleëmosynæ suæ munificæ, templa plurima DEO erecta, & splendidis ornata muneribus; quorum catalogum quendam subnectere, nostri jam non est instituti: testatur sua larga manus qua pauperibus liberaliter succurrebat, lassos roborabat, oppressos sublevabat, totusque cæteris in quovis casu prodesse cupiebat, ut in se exemplar CHRISTI, DOMINI ac Salvatoris nostri, nobis abundanter ministrantis, mirum in modum exprimeret.

Matth. 6. v. 24.

Isaiæ 54. v. 29.

In Isai. lib. 5. Tom 1. c 53.

Apocal 5. v. 9.

Luc. 17. v. 10.

Rupertus in Apocal.

II. Alia, & major quidem, Sancti Leopolidi Principis excellentia, ex eo comprobatur: quod fuerit servus fidelis, & prudens, quia per id nominum divinorum attingit excellentiam. Audite, quid hac de re dicat Divus Cyrillus Jerosolymitanus. *Quemadmodum DEVS bonus & justus vocatur, & omnipotens, & opifex universorum, sic & fidelis: cogita ergo in quantam proveheris dignitatem, cum divinæ eris particeps appellationis.* Summa est hominis sublimitas qua se extollit, cum sic vitam suam instituit, ut operibus virtutum inveniatur correspondens alicui nomini proprio divinitatis. Unde Divus Synesius libro de Regno; sic summam Imperatoris sui exaltationem animabat, dicens: *Summi Regis amicus est, qui hic eadem cum illo appellatione gaudet.* Cum sic homo vixerit, ut in operibus talis inveniatur, qui divini alicujus cognominis virtutem vere exprimat, tunc in summi DEI amicitiam se reputet cooptatum, inque summum jam & perfectissimum beatitudinis gradum sic collocatum esse. In numero talium Sanctus utique Leopoldus censeri debet; hic enim talentum sibi à Domino concreditum fidelissime præ aliis administravit.

Cyrillus Catechis 5.

Synesius.

III. De Moyse scribitur Numerorum 12. Quod tam laudabile à DEO ministerii sui acceperit testimonium, ut ab eodem fidelissimus servus nuncupatus fuerit hisce verbis: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad eum. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquar ei.* Quænam hæc Sancti Moysis Patriarchæ fidelitas fuerit, Hugo Cardinalis, referens

Num. 12. v. 6. 7.

Hugo Card. se in lib. Num.

contra ipsum vehementer : ita & tu fecisti, abscondisti enim in turri thesaurum Domini : Sed deceptus es in tua malitia, disposuit enim Deus alia media quibus ex hoc talento suo , largas usuras reciperet. Audite quales! Impius parens curavit in illa turri fieri balneum pro filia , & in eo duas fenestras, quibus lumen exciperetur. Barbara verò absente patre tertiam addi fenestram & latum pavimentum crucis imagine ornari jussit, reversus pater de tertia fenestra interrogat. Virgo occasionem nacta , de Sacro Sanctæ Trinitatis mysterio multa coram Patre aperte disserit , & ad ejusdem fidem suscipiendam adhortatur. Videte quales usuras hoc talentum protulit. Commodissimum id fuit balneum Sanctæ Barbaræ in quo , non corpus sed animam per fidem Sanctæ Trinitatis abluit : eoque modo tantam pulchritudinem acquisivit, ut jam non de Rachele sola , sed æquius de S. Virgine Barbara dici possit. *Puella decora, virgoque pulcherrima.*

Dan. 13. vers. 31. IV. Nescio quam ob causam scriptura sacra Danielis 13. cap. extollat pulchritudinem Susannæ Matronæ pudicissimæ , hisce verbis : *Erat delicata nimis, & pulchra facie* : num forte ideo , quia sæpe sæpius ingrediebatur hortum suum , ibique lavabat corpus suum? non ; sed quia lavando corpus , laverit simul & animum concupiscentiæ duorum seniorum nullo modo consentire volens. Multa quoq; balnea experta fuerat peccatrix illa Magdalena : sed nullum erat felicius quàm illud ultimum ; quando Jesus æternus amor lachrymis ejusdem lavit cor animæ pœnitentis. Illa enim priora balnea munditiam & pulchritudinem præstabant corpori, istud vero animæ. Sicuti ergo beata Virgo, & Martyr Barbara pulchra fuit virginitate, ita in balneo patris sui pulchrior effecta fide Christiana , sed omnium pulcherrima facta est per martyrium: per illud enim aggregata est illi agmini, de quo habemus in Apoc. *Laverunt stolas suas & candidas eas fecerunt in sanguine agni.*

Apocal. 7. vers. 14.

Pars III.

Cum enim Dioscorus nullis rationibus Sacram Virginem ad culturam idolorū adducere posset, eam provinciæ Præsidi tradidit, à quo cum variis tormentis excruciata fuisset , tandem quod ultimum erat crudelitatis , à patre impietatis furore amente capite truncata, glorioſum sui maryrii agonem consummavit.

V. Vindictam sumpsisse de filia visus sibi fuit iniquus pater, at nunquam ei melius prodesse potuit quam impia manu sua & mucrone sanguineo. De Domitiano Imperatore refert Suetonius , quod in theatris & publicis spectaculis ubi alii antiquiores Imperatores nummos variasque monetas inter populum effundebant , ipse certas quasdam virgulas proijcere solebat, quas aliqui quidem nihili faciebant, sed qui prudentiores erant, accipiebant , & quia in illis virgulis inclusæ erant chartulæ , in quibus varia dona aurea vel argentea adnotata fuêre. Hæc omnia ab Imperatoris thesaurario post exhibitionem virgulæ obtinebantur. Talis virgula martyrio, quin omni tribulationi comparari potest : hæc enim extrinsecus vilis apparet, sed iis tantum qui ejus valorem ignorant : habent enim certam & infallibilem arrham æternæ beatitudinis , videtur desuper virgula simplex, sed intus latent thesauri , auri & argenti, juxta testimonium S. Petri Apostoli Epist. 1. c. 1. *Vt probatio fidei vestra multo pretiosior auro quod per ignem probatur, inveniatur.* Hoc auro emicuit S. Barbara ; & quia ex auro conflantur thesauri ; sicuti hæc Virgo beatissima in turri fuit recondita ; ita ejusdem anima, prædives tot vitutibus , deducta est ad illam excelsam turrim cœlestis Jerusalem, in qua lætatur cum sponso suo Christo ; & juxta privilegium sibi datum, eorum qui se illi commendant agit memoriam , ne sine pœnitentia & viatico S. Eucharistiæ decedant. Sed his muniti , solvantur à corpore , & vitam percipiant sempiternam.

1. Petr. 1. vers. 7.

AMEN.

IN FESTO S. BARBARÆ VIRGINIS ET MARTYRIS,

CONCIO III.

Sicut lilium inter ſpinas. Cant. 2. v. 1.

HI qui ducti deſiderio videndi aliquid novi, peragrant terras, & diverſas viſitant provincias, ſi habeant in via hortum alicujus Regis aut Principis magnificum, eumque cum ſua vel commendantis hujus horti facultae ingrediuntur, multa habent quæ in illo demirentur: imprimis objiciuntur obtutibus ipſorum arcus affabre per modum portarum ex pario lapide facti, in quorum obeliſcis, exciſæ apparent ſtatuæ Heroum illuſtrium, nempe Herculis, Ulyſſis, Priami, Mezentii, Turni, cæterorumque virorum fortium: pergunt ulterius, & ipſam diſpoſitionem terræ conſiderant, vident tot anfractus & labyrinthos magis ad ſpectandum, quàm explorandum factos, quos aquæ ductus & fontanæ mirabili artificio excogitatæ ſubſequuntur, in medio unius fontanæ ſtat agnus Alabaſtrinus, è cujus pectore aqua proſiliens, jucundum præbet ſpectaculum, è Regione videre eſt pellicanum ita artificioſè poſitum ut roſtro ſuo educens aquas è viſceribus ſuis, ſuper eaſdem ferri videatur. Progrediuntur ulterius, intuentur duodecim leones ex horrificis flammeis oculis ſuis ſcintillas quaſdam ejaculantes & ex faucibus abundantiam aquarum cum impetu eructantes quæ impetuoſo motu ſuo guttatim diviſæ in rorem quendam finiant; tandem hi peregrini convertunt aliò oculos ſuos, vident circumcirca arborum ordines elegantes, & in medio earundem latiſſimam florum varietatem, nempe cariophylas purpureo colore rubricantes, violas, narciſſoſque cœleſtem effingentes, cæteroſque diverſarum ſpecierum flores, non ſolum variis coloribus oculos, ſed etiam nares, ſuaviſſimo odore oblectantes: tandem convertuntur ad partem oculi, & ecce tibi lilia candidiſſima, & odorem quendam cæteris ſuaviorem exhalantia. An non egregius hortus qui hæc habet? per hunc ego intelligo Sanctam Eccleſiam Catholicam, in qua loco Heroum antiquorum, accipio Sanctos Patres, & Patriarchas antiqui teſtamenti. Per labyrinthos, Sanctos Prophetas, idque ob anfractus & difficultates quæ in ſuis Prophetiis continentur. Per agnum aquæ ductum promoventem S. Joannem Baptiſtam, qui Chriſtum Jeſum verum Agnum Dei, digito ſuo demonſtravit. Per pellicanum, ipſum Chriſtum Jeſum, qui nos proprio ſuo ſanguine lavit à peccatis noſtris. per flores coloris purpurei, S. Martyres, coloris cœrulei, ſeu cœleſtis, Sanctos Confeſſores, & tandem per lilia S. Virgines, quarum candore Angelico, & odore mirifico, nihil ſpectatu excellentius inveniri poteſt. Sed expectate Auditores, ego præter hæc lilia, excellentius adhuc lilium invenio. Quodnam illud? *Lilium inter ſpinas.* Sed quod nam illud? S. Barbaram Virginem & Martyrem intelligo, quod lilium ubi bene luſtraveritis nihil eò gratioſius, in hoc horto Chriſti invenire poteritis.

I. Forte aliqui veſtrum maxime mirabuntur, quod ego laudes D. Barbaræ decantare cupiens, hoc thema aſſumpſerim. *Sicut lilium inter ſpinas.* Quia hoc noſtro ſeculo, aut in noſtris hiſce Regionibus, non videmus lilia inter ſpinas, ſed bene roſas alioſque flores hujus modi, qui inter ſpinas naſcuntur. Sed advertite & notate, quidnam Deus primo parenti noſtro dixerit poſt peccatum, ratione terræ, quæ ipſi colenda fuit. *Spinas & tribulos germinabit tibi.* Non eſt credibile, quod tunc ſolas ſpinas terra ediderit, aliàs n. defectu cæterarum ſpecierum, mundus eſſet imperfectus: erant ergo tunc, tam lilia, quàm cæteri flores, ſed ſicut Loth juſtus degebat inter peſſimos incolas Sodomæ civitatis; ita quoque poſt peccatum Adæ, lilia cæterique flores terræ erant inter ſpinas. Nunc

Gen. 3. v. 8.

Gen. 19. verſ. 13. 14.

Nunc jam non videmus oderiferum lilium inter ſpinas. Quare? ſcitis quid faciant hortulani? purgant diligenter hortos ſuos, herbas inutiles extrahunt, ſpinaſque evellunt; Chriſtus Jeſus egit in hoc mundo officium hortulani, quia igitur ligone crucis ſuæ ſpinas peccati radicitus evulſit, non jam amplius hort⁹ noſter ſpiritualis, ſpinas primi peccati timere debet, ne ab illis lilia lædantur, dantur tamen aliæ ſpinæ, nempe errores Gentilium, Hæreticorum, & infidelium, qui pluribus & acutiſſimis ſpinis hortum Domini impleverunt. Lilium noſtrum, nempe S. Virgo Barbara, inter tales ſpinas inventa fuit, ut de ea vere dici poſſit. *Sicut lilium inter ſpinas*; eique quadrant verba Hugonis Cardinalis, hunc locum Canticorum explicantis, ubi ait. *Sicut lilium ſuum candorem retinet inter ſpinas, & quanto magis ab ipſis pungitur, majorem reddit odorem, ſic eſt ſponſa inter hæreticos converſans.* Tale fuit lilium S. Barbara, inter ſpinas exortum fuit, quia Parens ſuus Dioſcorus cum eſſet gentilis, ideoque plurimis errorum & infidelitatis ſuæ ſpinis abundaſſet, nihilominus tam pulchrum lilium produxit in horto Domini, quod per puncturas ſpinarum Patris ſui, non ſolum aliquam læſionem accepit, quin majorem virtutum odorem exhalavit. Eſt commune & quaſi innatum hominibus ut ſequantur conſuetudinem, moreſque eorum, cum quibus converſantur. Dum Jonas fugeret à facie Domini atque eodem navigante, maxima in mari tempeſtas fuiſſet exorta, nautæ timentes ſibi de periculo, fecerunt ſortes invicem, ut ſcirent quare hoc malum illis acciderit, tandem dum vidiſſent, cecidiſſe ſortem ſuper Jonam, interrogaverunt eum, dicentes. *Quæ eſt terra tua? vel ex quo populo tu es?* Quærit hic Theodoretus cur naturæ illi à Jona quæſierint, cujuſnam eſſet nationis & terræ? & reſpondet dicens. *Vt ex communibus gentis ſtudiis, hominis vitam agnoſcerent.* Efficax ſane eſt argumentum ad cognoſcendum mores, noſſe ſuam patriam, & populum cum quo converſari conſuevit, quia communiter ex converſatione bona vel mala, etiam mores ejuſmodi imbuuntur.

Hugo Card.

Iona 1. v. 9.

Theodor. in Ionam.

II. Graviſſimi Authores nempe Abulenſis & Oleaſter quærunt quænam cauſa fuerit, quod S. Abraam Patriarcha, volens Iſaac, tanquam unico ſuo filio & futuro hæredi ſuo proſpicere de uxore, tot circumſtantiis uſus fuerit, non ſatis enim illi erat vocaſſe ad ſe ſervum unum de majoribus prudentiorem & fidelem, qui id probe exequeretur, ſed quod etiam eum ſpeciali juramenti modo obſtringeret, ut nihil de mandato ſuo prætermitteret. Habetur enim Gen. 24. Quod cum eſſet ſenex, dierumq; multorum, vocato ad ſe ſervo ſeniori, eidem dixiſſe. *Pone manum tuam, ſubter fœmur meum, ut adjurem te per Deum cœli & terræ.* Quænam in re Abraam adjuraverit Eliezer ſervum ſuum; ſacer textus eam fuiſſe narrat. Ne acciperet filio ſuo uxorem, de filiabus Chananæorum; ſed ut ad terram proficiſceretur, in qua illa antea habitabat, ad inde uxorem filio ſuo Iſaac acciperet. Servus accepto mandato ſui Domini, & præmiſſa conditione poſuit manum ſub fœmore Abraam & juravit illi ſuper hoc ſermone. Acceptiſq; decem Camelis, de grege Domini ſui & ex omnibus bonis ſuis perrexit ad Meſopotamiam. Ponderans Abulenſis tantam S. Patriarchæ ſollicitudinē, ne de Chananæorum Patria, filio ſuo uxor acciperetur, adinvenit eam rationem dicens: *Quia Chananæi Idololatræ erant, & timebat Abraam, ne pertraherent Iſaac ad idololatriam.* Prudenter timuit Sanctus Senex, ne filius ſuus Iſaac duceret Cananęam in uxorem, ne per commixtionem ſanguinis, ipſe vel nepotes ſui Idololatriam incurrerent, *malum enim* (ut ait proverbium) *exemplum & perverſa ſocietas, facile quempiam inficere poteſt.* Idem ſentit Oleaſter nempe, ideo Abraam noluiſſe ex Cananæis uxorem dare ſuo filio. *Ne daret juveni occaſionem adorandi & colendi idola.*

Gen. 24. verſ. 2.

Abulenſ. in Gen.

Oleaſter in Gen.

III Dum ego conſidero illam peregrinationem S. Jacobi Patriarchæ extra Canaan in Ægyptum, duo ibi loca ſacri textus ſibi contraria invenio. Nam Gen. cap. 45. ſcribitur, qualiter (audiens filium ſuum Ioſeph vivere, atque etiam primum locum poſt Regem Pharaonem habere in Ægypto) properaverit ad iter capeſſendum dicens: *Sufficit mihi ſi adhuc filius meus Ioſeph vivit: vadam & videbo eum, antequam moriar.* Iam verò ſequenti capite habetur. Quod dum profectus eſſet, cum omnibus quæ habebat, venienſque ad puteum juramenti plurimas victimas obtuliſſet Deo; Dominum ipſe dixiſſe: *Noli timere ſed deſcende in Ægyptum.* Nunquid non videtis apertè duo contraria ſibi? ibi lætus proficiſcitur, ibi nulla

Gen. 45. verſ. 28.

mora interposita properat, & ecce audit Dominum sibi dicentem. *Noli timere descende in Ægyptum.* Qui cum tanta resolutione properat, nunquid timet? ad quem igitur finem S. Jacob confortabatur à domino, qui absque ullo timore videbatur? sed respondet eminentissimus Thomas Cajetanus, Sanctum Jacobum Patriarcham revera tunc timuisse, suique metus fuisse pro evidenti signo illa sacrificia, quæ hac de causa obtulerat Deo, ut eum in via sua, & ingressu in Ægyptum prosperaret, seque talis animi fuisse, patet ex responso Domini, se illum alloquentis. *Noli timere sed descende in Ægyptum.* Sed quid nam Jacob timendum erat? nonne ille est, qui luctam fecit cum Angelo? nunquid ille est quem cum Laban persequebatur eidem nullatenus nocere potuit? cui Esau frater suus sibi offensus, cum quadringentis viris occurrit, ei tamen nocere non potuit? sic ergo ait Cajetanus. *Timuit corruptissimos mores Ægyptiorum.* Bene timuit, quia in societate peccatorum, virtus bonorum periclitari solet.

Gen. 46. vers. 3. 4.

Gen. 32. vers. 25.

Gen. 31. v. 6.

Cajet. in c. 46. Gen.

I. V. S. Chrysostomus explicans Historiam I. Jacobi veniensque ad illa verba. *Vir erat in terra Hus nomine Iob*; miratur & ponderat simul singularitatem quandam hujus sententiæ. *Vir erat in terra Hus.* Cur sacer Textus S. Iob appellat virum, nunquid solus fuit ille vir & non alii? Imprimis igitur S. Doctor observat illam terram in aqua S. Patriarcha oriundus erat fuisse terram Esau, cujus Sanctus Iob abnepos fuerat, & post prorumpit in has voces dicens: *Vir erat in terra Hus, ex qua tantus fructus floruit, verè mireris, qualesq; rosas in medio spinarum germinarunt*; merito ergo Sanctus Episcopus nominavit virum in terra Hus, qui manebat inter homines impios, sicut rosa vel lilium inter spinas. Quemadmodum n. candidissium lilium, sicut pulcherrima rosa, apparet gratissima inter spinas sic anima justi inter gentem peccatricem & perversam. Testatur id venerabilis Hugo Cardinalis dicens: *Anima inter aculeos carnalium concupiscentiarum integra, inter pungentes sollicitudines illæsa, inter malignantes bona, inter dissidentes pacifica, quid aliud est quam lilium inter spinas.*

Iob. 1. v. 1.

D. Chrys. Hom. 2. in Iob.

Hugo in Cant. 2.

V. Tale fuit lilium S. Virgo Barbara, fuit inter spinas, quarum natura est pungere & lacerare, quia gentili patre nata, inter gentiles crevit, inter gentiles fuit, *sicut lilium inter spinas*, placet intueri proximam spinam hujus pulcherrimi lilii, ea spina fuit suus Pater Dioscorus. Hic enim cum per fenestram tertiam quam S. Virgo in turri sibi pro custodia facta addi fecerat, compertum haberet, illam esse Christianam, cum ad errores suæ patriæ inducere non posset, eam Præsidi Provinciæ tradit cruciandam, quot ibi spinis lilium hoc pulcherrimum laceratur, verbera quæ à nervis bubulis pertulit, vulnera, quæ testulis præacutis præfricabantur in corpore, quis numerare queat? licet hic verbis Divi Bernardi Abbadis Divam Virginem alloqui. *O candens lilium, O delicate flos, vide quomodo cautè ambules inter spinas.* Quomodo durities spinarum hunc delicatum florem, non dilaceravit & contrivit? Quomodo blanda hujus lilii mollities, non solùm spinis blanditiarum, quibus pater suus florem hunc confodere & convellere nitebatur, sed neq; tot cruciatuum aculeis superare non potuit? Tam fortis est Auditores, cœlestis gratia, quæ sexum fœmineum, etiam ipsis viris fortiorem reddit: confirmat hoc idem Sanctus Abbas dicens: *Versari in his & minimè lædi, divinæ potentiæ est, non virtutis humanæ.* Tunc autem enititur divina potentia, dum clausa in carcere clarissima luce simulq; jucundissima Christi Domini præsentia honorata, & ad reliquos spinarum aculeos tolerandos confirmata fuit. Nec vano eventu: postquam enim educta è carcere, Præsidi iterum sisteretur, & constantior in fide Christi appareret, ferreis ungulis dilaniata, facibus ardentibus admotis ad lacerata excruciata & exusta, malleis ferreis contusa in capite, mamillarum abscisione deturpata & afflicta, & direptis vestibus per plateas & loca publica tracta, tandem ab amente suo patre truncata capite, glorioſum agonem martyrii consummavit, *& sicut lilium inter spinas*, dum ab iisdem vulneratur, odorem spirat suavissium. Sic S. Virgo Barbara superatis spinis sui martyrii, duplicem exhalat odorem, nempe inperterritæ confessionis fidei Christianæ, nec non Angelicæ castitatis. Hanc ergo rogemus hodie ut quæ resulget cœlesti gloria, nobis in terris impetret gratiam Jesu Christi Salvatoris nostris.

S. Bern. in Cant.

S. Bern. loco ut supra.

AMEN.

IN

IN FESTO S. BARBARÆ VIRGINIS ET MARTYRIS,

CONCIO IV.

Laudent eam in portis opera ejus. Proverb. 31. v. 31.

QUemadmodum S. Spiritus cum Proverbiorum 31. capite plurimis argumentis & rationibus demonstrasset, ob quas fortis illa mulier, plurimas quoque laudes promeruit, nempe quod pretium & mercedem suam, procul in ultimis finibus quæsierit, lanam & linum manuum suarum consilio operata fuerit, *quasi navis institoris de longé panem suum portaverit*, agrum emerit, & vineam plantaverit, manum suam inopi aperuerit, domesticos suos duplicibus vestiverit, panem ociosa non comederit, tandem ut cæteras ejusdem virtutes præteream, omnes laudes ejus unico quasi verbo absolvere volens, ita ait: *Laudent eam in portis opera ejus.* Eodem modo & mihi faciendum esse video Auditores. Cum enim plurimas virtutes, donaque tam naturæ, quàm gratiæ, quibus Sanctam Virginem Barbaram præpotens Deus decoravit, præ oculis habeam, naturæ inquam, quia licet è gentili patre nata fuerit, nihilominus rosæ inter spinas ortæ pulchritudinem, non solum decore corporis, sed quod amplius est, animæ superavit: gratiæ verò, quia à Deo Autore gratiæ, innumeris donis cumulata fuit. Cum inquam sufficere nequeam, quatenus omnes suas virtutes, donaque cœlestia singulariter enumerare valeam, illud mihi sufficere arbitror, ut quod sacer textus de forti illa muliere protulit, id ipsum & ego de Sancta Barbara Virgine repetam, dicens: *Laudent eam in portis opera ejus.* Sed quænam sunt illa opera laudem D. Virgini allaturæ? In hac concione audiemus.

I. Quod non soli viri (quorum nomen ipsum virtutem denotat & fortitudinem) heroica facinora edant, sed etiam sexus imbecillior, nempe fœminæ; aliquot exemplis id demonstrare possum. Inprimis Æneas summis laudibus celebrat Elisam Beli Tyriorum Regis filiam, quæ alio nomine Dido appellatur, quod delata in quandam Africæ partem, tantum sibi terræ impetraverit, quantum taurino corio posset circumdari, & cum incolæ illius gentis viderent ipsam, quod tam exiguum spatium petierit, illa dissecto corio in partes tenuissimas satis amplum illius terræ spatium complexa illo corio, in eodem urbem, arcemq; nominatissimam quæ Carthago nuncupatur, fuitque semper æmula urbis Romæ, condidit. Non minùs erat mulier heroica, Semiramis Regina Assyriorum Nini Regis uxor, hæc enim cum intelligeret quod Assyrii, imperium Reginarum ægrè ferant, mortuo marito suo, mortem illius multò tempore cœlavit, sicque dissimulato illius obitu, personam ejus assumpsit, donec Ninus filio adolesceret, Regnoq; administrando aptus fieret. Hujus summam fortitudinem & audaciam Plutarchus admiratur. Hæc enim cum aliquando circa cultum corporis occupata esset, & nunciaretur ei Babylonem defeciisse, soluta adhuc altera parte crinium, protinus ad eam expugnandam cucurrisse, nec prius decorem capillorum in ordinem redigisse, quam tantam urbem in suam potestatem restituisset. De ea scribitur, quod totam Babylonem muro lateritio cinxerit, & subactis vicinis, Regni sui, terminos latissime propagaverit. Denique Artemisia Mausoli Cariæ Regis uxor, egregium pudicis matronis, reliquit exemplum, sic enim illa virum suum adamasse perhibetur, ut mortui cineres vino commixtos bibere non dubitaverit, ejusque memoriæ, tam splendidum sepulchrum erexerit, ut magnifica omnia monumenta, ad hoc primo ipsius opere Mausolea nuncupentur. Sed hæc tria, ob quæ tres illæ Reginæ magnificè prædicantur; nempe Dido propter urbem Carthaginensem à se conditam; Semiramis ob muros, quibus Babyonem cinxerat; Artemisia ob Mausoleum seu sepulchrum quod in signum amoris defuncto Regi suo erexerat, opera quidem sunt præstantia. Sed si cum una turri à Di-

Æneas lib. 1 14.

Plutarch.

Plinius lib. 25. cap. 7.

va Virgine Barbara renovata & miro artificio exornata comparentur, parvæ æstimationis vel nullius erunt. Vultis aliquid discere de ista turri? attendite.

II. Dioscorus vir nobilis sed gentilis pater erat Sanctæ Barbaræ, hic cum filiam suam videret esse pulcherrimam, eam in alta & munita turri custodiendam inclusit, in qua ut commodius virgo habitare posset, jussit in eadem turri fieri balneum, nec non fenestras duas, quibus lumen exciperetur, facta pater ea loci provisione suæ filiæ, ipse quidem recessit, sed qui virgini inservirent ordinavit. Sancta Virgo Barbara videns abesse patrem, novas cogitationes molitur, secumque agit, quonam meliori modo illam turrim exornaret, & reformaret Legimus in sacro codice. Sanctum Moysen Patriarcham, dum facere deberet quædam vasa in usum tabernaculi fœderis, ad id eguisse opera & auxilio Beseleel Magistri tabernaculi, & Oliab socii ejus. Similiter Rex Salomon, cogitans ædificare Domum Domino, misit ad Hiram Regem Tyri servos suos, à quo non tantum ligna pretiosa compararet, sed etiam plurimos magistros in arte ædificandi præstantissimos conduceret. Sancta Virgo Barbara, cupiens illam prælatam turrim consecrare Domino Deo suo, non indiguit ullo architecto, ipsam qui doceret, qualiter illa turris instituenda & reformanda foret. Spiritum Sanctum pro magistro ipsam habuisse constat, hic enim suggessit virgini, ut duabus fenestris tertiam addi curaret, quod quidem festinanter fecit, & insuper ipsum labri pavimentum, crucis imagine ornari jussit. O præclaram inventionem Divæ Virginis, præclaram dico, quin immortali memoria dignam. Multa ædificia admirabili arte à quibusdam hominibus exstructa fuisse legimus, sed tanquam fabrili manu facta, non solùm in nihilum redacta sunt, sed ne dicam ulla jam ipsorum exstare vestigia, quin & ipsam illorum memoriam abolitam esse, sola turris Sanctæ Barbaræ superat adamantem, quæ hucusque durat, & durabit in æternum. *Quia in memoria æterna erunt justi.*

Exod. 31. *vers.* 7.

3. *Reg* 5. *vers* 5. 6.

Ps 111. *v.* 7.

III. Ut vobis hujus turris non solum pulchritudo, sed etiam firmitudo pateat, exploremus quasdam turres, an forte aliqua turri nostræ similis inveniri poterit. Imprimis occurrit nobis turris illa altissima, quam filii Adam eo fine ædificarunt, ut culmen illius cœlos ascenderet. Quanam intentione aggressi fuerint illi primi homines tantum opus, respondet Venerabilis Hugo Cardinalis id attentasse propter diluvium mundi, ante ipsos factum, ut si adhuc alia vice venire deberet, illud evadere possent. Sed Sanctus Augustinus reprehendit illorum cogitationem dicens: *Hi se hoc posse crediderunt, nimiùm stulta audacia & impietas reprehenditur.* Habetur quoque mentio Judicum 9. cap. turris cujusdam in oppido Thebes sitæ, de qua sic habet historia. *Erat autem turris excelsa in media civitate.* Similiter habetur memoria Oziæ Regis Israëlis 2. Paral. cap 26. ipsum multas turres ædificasse, in Jerusalem, item firmasse plurimas, & extruxisse alias in solitudine. Sed ut ad gentilium quoque historiam veniamus. Rex Ptolomæus in Insula Pharo prope Alexandriam tam excellentem turrim ædificavit, & ex tam pellucido lapide, ut tota turris non solùm exterius lumen reciperet, quin etiam ipsum lumen quod interiùs erat, radiaret exterius sicut fit in vitro. Hæ turres cum suis Autoribus erant olim laudabiles. Sed nulla earum turri S. Virginis Barbaræ comparanda. Non turris Babel; quia cœlum attingere non potuit, hæc autem attigit ipsum & solium sanctissimæ Trinitatis. Non turris Sichem, neque turres Oriæ Regis, quia hæ omnes perierunt, hæc autem si loquamur spiritualiter, hucusque perseverat. Non turris lucida Ptolomæi Regis, quia hæc non à sole corporeo, sed ab ipso Deo vero sole lumen cœleste excepit.

Hugo in Genesin.

S. Aug. in c. 11. *Gen.*

Iud. 9. *v.* 51.

2. *Paral.* 6. *vers.* 7.

IV. In usu habent homines, quod urbibus, domibusque suis certas notas & insignia apponere soleant, nam aliqua parte civitatis habet pictum elephantem, aliqua leonem, aliqua aquilam, aliaque genus similia id in domibus certa signa per quæ una domus dignosci possit ab altera, nempe unicornu, arietis stellæ, solis, aliaque id genus applicari solent, & quo nobiliores urbes, domus, aut palatia esse solent, quoque illustriora insignia habere consueverunt. Si se res ita habet, quid nam turri Sanctæ Barbaræ nobilius esse potest? Nihil certè: non turris Babel, non turris Sichem non turris Oziæ Regis, non turris Ptolomæi, non denique Salomonis, omniumque Regum arces & palatia; illa enim si aliquibus notis exornata manent, illæ notæ nunquam adæquabunt hæc insignia, quibus turris Sanctæ

Barbaræ

Barbaræ Virginis eſt illuſtrata; ſed quænam illa? numquid illæ tres feneſtrę erant notæ ignobiles? minimè verò; quia ab ipſa ſanctiſſima Trinitate exaratæ, in cujus honorem tot feneſtras numero fieri procuravit: non fecit tres feneſtras ut eò majus lumen ſolis reciperet, ſed ut ipſa Virgo ſacra à lumine ſanctiſſimæ Trinitatis ſignaretur. Et quid dico de cruce Sanctiſſima Jeſu Chriſti in pavimento exarata? glorientur homines hujus mundi, quod in ſuis palatiis habeant parietes aureos, aut ſmaragdinos, & pavimentum pretioſo lapide ſtratum, me exemplo Sanctæ Barbaræ Virginis non decet gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti.

V. Adhuc mihi reſtat una turris, nempe turris David de qua habetur Cant. 4. *ſicut turris David collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex illa.* Quid ſibi hoc vult? tot propugnacula in turri David, & nulla in ipſis alia armorum proviſio, niſi ſoli clypei? Divus Ambroſius tali turri comparat animam juſti, per clypeos autem intelligit patientiam: ſicuti enim clypei habent ſe tantum defenſivè quia excipiunt quidem jacula, ſed ab illis defendunt corpus hominis: ita viri ſancti patientiam habent pro clypeis, qua excipiunt jacula perſecutionum, taliter tamen, quod animę ſeu ſpiritui minimè nocere poſſint. E numero talium fuit Sancta Virgo Barbara, fuit ſicut turris David, mille clypeis circumdata, cum enim mille modos martyrii pro fide Chriſti ſubierit omnes hos clypeo patientiæ ſuæ ſuperavit. Quamobrem Auditores mei exploratas habentes notas hujus turris fortiſſimæ, nempe Sanctæ Virginis & Martyris Barbaræ, ad ipſam confugiamus, ut per præſidium precum & interceſſionis ſuæ, gratiam à Chriſto Domino aſſequamur, & ſuperatis hujus vitæ adverſitatibus ad æternam gloriam pervenire meriamur.

A M E N.

Cant. 4. vers. 4.

S. Ambroſ.

FINIS.

INDEX LOCORUM E SA-
cra Scriptura utriusque Testamenti.

Vbi Litera prima F. denotat Festum. Secunda C. Concionem. Tertia E. Exordium, sive P. Punctum.

Genesis.

Cap. 1. v. 2. *Terra erat inanis & vacua.* in Festo Annunciationis B. V. c. 2. p. 1.

v. 21. *Vidit Deus quod esset bonum.* in Festo S. Rosarii c. 4. p. 4.

v. 31. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* in Festo Concept. B. V. c. 1. p. 2.

Cap. 2. v. 8. *Plantaverat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis.* in Festo Concept. B. V. c. 2. p. 1.

v. 10. *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum.* in Festo Annunciationis B. V. M. c. 1. p. 1.

v. 7. *Formavit Dominus Deus hominē de limo terræ.* in Festo Concept. V. M. c. 5. p. 1.

v. 2. *Et requievit die septimo ab omni opere quod patrarat.* in Festo Præsent. B. V. M. c. 1. p. 1.

Cap 3. v 5. *Eritis sicut Dii.* in Festo SS. Fabiani & Sebastiani Mart. c 1. p. 2.

v. 6 *Vidit iterum mulier quod bonum esset lignum ad vescendum & pulchrum oculis aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius & comedit.* in Festo S. Ludmillæ. c. 4 p. 3.

v. 17. *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea.* in Festo S. Procop. Abb. c 1. p. 2.

v. 18 *Spinas & tribulos germinabit tibi.* in F. S. Barbaræ V. & Mart. c. 3. p. 1.

Cap. 4. v. 4 5. *Respexit Dominus ad Abel & ad munera eius. Ad Cain vero & ad munera eius non respexit.* in Festo Præsent. B. V. M. c. 2. p. 4.

v. 14. *Omnis qui invenerit me occidet me,* in Festo SS. Fabiani & Sebastiani M. c. 4. p. 2.

Cap. 6. v. 12. *Omnis quippe caro corruperat viam suam.* in Festo Annunt. B. V. M. c. 3. p. 1.

Cap. 7. v. 1. *Te vidi justum coram me in generatione hac.* in Festo S. Joseph Sponsi B. V. c. 4. p. 5.

Cap. 12. v. 1 *Egredere de domo tua & de omni cognatione tua.* in Festo Præsent. B. V. M. c. 2. in exord. item in Festo S. Viti Mart. c. 3 in exordio.

v. 2. *Faciam te in gentem magnam & benedicam tibi.* in Festo S. Josep c. 4. p. 2.

v. 4 *Septuaginta quinq; annorum erat Abraam cum egrederetur de Aran.* in F. S. Procopii Abb. c. 2. p. 1.

Cap. 15 v. 1. *Factus est sermo Domini ad Abraam dicens per visionem.* in Festo S. Adalberti M. c. 3. p. 1.

v. 5. *Suspice cœlum & numera stellas si potes, sic erit semen tuum.* in Festo S. Sigismundi M. c. 2 p. 1. item. in Festo SS. Cyrilli & Methudii. c. 1. p. 1.

v. 6. *Credidit Abraam Deo & reputatum est illi ad justitiam.* in Festo S. Leopoldi c. 1. p. 3.

Cap. 17. v. 6. *Faciam te crescere vehementissime & ponam te in gentibus, Regesque ex*

te egredientur. in F. S. Sigism. M. c. 2. p. 1.

Cap. 18. v. 3. *Ne transeas servum tuum.* in Festo S. Leopoldi Confess. c. 3. in exord.

Cap. 21. v. 1. *Visitavit autem Dominus Saram sicut promiserat, & implevit qua locutus est.* in Festo S. Leopoldi Conf. c. 2. p. 4.

Cap. 22. v. 9. *Cumque alligasset Isaac filium suũ, posuit illum in altare super struem lignorum.* in Festo S. Procopii Abb. c. 2. p. 4.

v. 13. *Quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & veluti arenam quæ est in littore maris.* in Festo S. Sigismundi Mart. c. 2. p. 1.

Cap. 23. v. 6. *Audi nos Domine, Princeps Dei es apud nos; in electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum.* in Festo S. Leopoldi Confess. c. 1. p. 1.

v. 10. *In possessionem sepulchri.* in Festo S. Procopii Abb. c. 2. p. 2.

Cap. 24. v. 2. *Pone manum tuam subter fœmur meum ut adjurem te per Deum cœli & terræ.* in Festo S. Barbaræ V. & Mart. c. 3. p. 2.

v. 16. *Puella decora nimis virgoque pulcherrima & incognita viro* in Festo S. Barbaræ V. & M. c. 2. in exord.

v. 28. *Cucurrit puella & nunciavit in domo matris suæ omnia quæ audierat.* in Festo Annunciat. B. V. M. c. 2. in exord.

Cap. 25. v. 23. *Duæ gentes sunt in utero tuo.* in Festo Præsent. B. V. M. c. 2. p. 3.

v. 9. *Flevit eum Ægyptus septuaginta diebus.* in F. S. Ludmillæ M. c. 2. p. 3.

Cap. 27. v. 4. *Fac mihi inde pulmentum sicut velle me nosti, & benedicat tibi anima mea.* in Festo Purificat. B. V. M. c. 2. p. 5.

v. 28. *Det tibi Deus de rore cœli abundantiã frumenti vini & olei.* in Festo Concept. B. V. M. c. 4. p. 2.

Cap. 28. v. 17. *Non est hic aliud nisi domus Dei.* in Festo Præsentationis B. V. Mariæ, c. 3. in exordio.

v. 20. *Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum.* in Festo S. Sigismundi M. c. 3. p. 3.

Cap. 29. v. 32. *Vidit Dominus humilitatem meam, nunc amabit me vir meus.* in Festo Annunt. B. V. c. 5. p. 5.

Cap. 30. v. 27. *Experimento didici quia benedixerit mihi Deus propter te.* in Festo Visitat. B. V. M. c. 3. in exord.

Cap. 32. v. 2. *Castra Dei sunt hæc.* in Festo Visitat. B. V. M. c. 2. p. 4.

v. 24. *Ecce vir luctabatur cum eo usque mane.* in Festo S. Rosarii c. 2. p. 2. item. in Festo S. Wenceslai Mart. c. 2 p. 1. item. in Festo S. Procopii Abb. c. 4. p. 5.

v. 10. *In baculo meo transivi Iordanem istum.* in F. S. Viti M. c. 4. p. 4.

v. 28. *Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis.* in Festo S. Procopii Abb. c. 1. p. 1.

v. 28. *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum sed Israel.* in Festo S. Leopoldi Conf. c. 1. p. 4.

Cap. 33. v. 11. *Esto mihi propitius, & suscipe benedictionem quam attuli tibi, & quam donavit mihi Dominus tribuens omnia.* in Festo Concept. B. V. M. c. 4. p. 2.

Cap. 34. v. 1. *Egressa est autem Dyna filia Lyæ ut videret mulieres regionis illius.* in F. S. Barbaræ, V. & M. c. 2. p. 1.

Cap. 39. v. 5. *Benedixit Dominus domui Ægypti propter Ioseph.* in Festo Visitat. B. V. M. c. 3. in exord.

Cap. 41. v. 42. *Tulitque annulum de manu suâ & dedit eum in manu ejus vestivitque eum stolâ Byssinâ & collo torquem aureum circumponit.* in Festo S. Ludmillæ. c. 3. in exord.

v. 45. *Vertit nomen ejus & vocavit eum lingua Ægyptiaca, Salvatorem mundi.* in F. S. Josephi Sponsi B. V. M. c. 1. in exord.

v. 41. *Ecce constitui te super universam terrã Ægypti.* in F. S. Leopold. Conf. c. 1. p. 1.

Cap. 46. v. 30. *Iam latus moriar, quia vidi faciẽ tuam.* in F. Purific. B. V. M. c. 5. p. 5.

Cap. 48. v. 22. *Do tibi unã partem extra fratres tuos quam tuli de manu Amorrei in gladio & arcu meo.* in F. Visit. B. V. M. c. 4. p. 1.

Cap. 50. v. 23. *Post mortem meam Deus visitabit vos & ascendere faciet de terra ista.* in F. Visitat. B. V. M. c. 3. p. 2.

Exodus.

Cap. 3. v. 3. *Vadam & videbo visionem hanc magnã* in F. Concept. B. V. M. c. 3. p. 1.

v. 5. *Solve calceamenta de pedibus tuis.* in F. Visitat. B. V. M. c. 3. p. 2.

v. 8. *Deſcendi ut liberem eum.* in Feſto SS. Fabiani & Sebaſtiani M. c. 1. p. 2.

Cap. 8. v. 19. *Digitus Dei eſt hic.* in Feſto Viſitat. B. V. M. c. 3. p. 4.

Cap. 17. v. 9. *Ego ſtabo in vertice collis habens virgam Dei in manu mea.* in Feſto S. Roſarii. c. 1. p. 2.

Cap. 19. v. 18. *Totus mons fumigabat, eo quod deſcendiſſet Dominus ſuper eum.* in F. SS. Fabian. & Sebaſt. M. c. 1. p. 2.

Cap. 20. v. 25. *Quod ſit altare lapideũ feceritis, non ædificabis illud de ſectis lapidibus.* in F. Annunc. B. V. M. c. 3. p. 3.

v. 19. *Loquere tu nobis & audiemus, non loquatur nobis Dominus ne forte moriamur.* in Commem. V. Ivani. c. 4. in exord.

Cap. 25. v. 20. *Vtrumque latus propitiatorii tegant, expandentes alas & operientes oraculum, reſpiciantque ſe mutuo verſis vultibus.* in F. Annunc. B. V. M. c. 3. in exord.

v. 35. *Sint ſpherulæ ſub duobus calamis.* in F. SS. Cyrilli & Methudii Conf. c. 3. p. 4.

v. 40. *Inſpice & fac ſecundũ exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt.* in F. SS. Cyrilli & Methudii. Conf. c. 2. p. 3.

Cap. 32. v. 7. *Deſcende, peccavit populus tuus quem duxiſti de terra Ægypti.* in F. S. Procopii Abb. c. 3. p. 2.

v. 13. *Recordare Abraam, Iſaac, & Iacob ſervorũ tuorum.* in F. S. Roſarii c. 4. p. 5.

Cap. 34. v. 20. *Primogenitũ aſinæ mutabis ove.* in Feſto Præſent. B V. M. c. 2. p. 4.

Cap. 40. v. 34. *Operiit nubēs tabernaculũ teſtimonii & gloria Domini implevit illud.* in Feſto Purificat. B. V. M. c 1. in exord.

Leviticus.

Cap. 3. v. 1. *Si de bobus voluerit offerre marem ſive fœminam, immaculatam offerret Domino.* in Feſto Præſent. B V. M. c. 2. p. 4.

Cap. 12. v. 2. *Mulier ſi ſuscepto ſemine peperit maſculum, immunda erit ſeptem diebus.* in Feſto Purificat. B. V. M. c. 1. p. 1.

Cap. 16. v. 4. *Accingetur zona linea.* in Feſto S. Cyrilli & Methudii Conf. c. 1. p. 4.

Numeri.

Cap. 10. v. 35. *Surge Domine & diſſipentur inimici tui.* in Feſto Viſitat. B. V. M. c. 2 p. 3.

Cap. 11. v. 25. *Deſcendit Dominus per nubem.* in F. SS. Fabian. & Sebaſt. M. c. 1. p. 2.

Cap. 12. v. 5. *Deſcendit Dominus in columna nubis.* in Feſto SS. Fabiani & Sebaſtiani M. c. 1. p. 2.

Cap. 13. v. 24. *Porta eos in ſinu tuo.* in Feſto Viſitat. B. V. M. c. 3. p. 5.

Cap. 24. v. 17. *Orietur ſtella ex Iacob.* in Feſto Concept. B. V. M. c. 1. p. 4.

v. 5. *Quam pulchra tabernacula tua Iacob.* in Feſto S. Roſarii c. 3. p. 3.

Cap. 28. v. 3. *Hæc ſunt ſacrificia quæ offerre debetis, agnos agniculos immaculatos duos, quotidie in holocauſtum ſempiternum.* in Feſto Purificat. B. V. M. c. 3. p. 4.

Deuteronomii.

Cap. 32. v. 1. *Audite cœli quæ loquor; audiat terra verba oris mei.* in Feſto S. Roſarii. c. 3. in exord.

Cap. 33 v. 24. *Vt ſanguinem uvæ biberent meraciſſimum.* in F. S. Sigism. M. c. 2. p. 4.

v. 25. *Ferrum & æs calceamentum ejus.* in Feſto Viſitat. B. V. M c. 3. p. 2.

Cap. 34. v. 12. *Magnaque mirabilia fecit Moyſes coram univerſo Iſrael.* in Feſto S. Procop. Abb. c. 1. in exord.

Joſue.

Cap. 10 v. 12. *Sol contra Gabaon ne movearis.* in Feſto S. Joſeph. c. 3. p. 2.

Cap. 11. v. 23. *Omnes bellando cepit.* in Feſto S. Georgii Mart. c. 3. p. 1.

Cap. 12. v. 24. *Omnes Reges triginta.* in Feſto S. Georgii Mart. c. 3. p. 1.

Cap. 22. v. 10. *Ruben, Gad, & Manaſſe ædificaverunt juxta Iordanem altare infinitæ magnitudinis.* in Feſto Concept. B. V. M. c. 3. p 1.

Judicum.

Cap 3. v. 20. *Verbum Rex habeo ad te.* in Feſto S. Sigismundi Mart. c. 1. p. 1.

Cap. 7. v. 17. *Quod me facere videritis hoc facite Ingrediar partem castrorum & quod fecero sectamini.* in Festo S. Sigismundi Mart. c. 1. p. 3.

Cap. 9. v. 51. *Erat autem turris excelsa in media civitate.* in Festo S. Barbaræ Virg. & Mart. c. 4 p. 3.

I. Regum.

Cap. 1. v. 20. *Concepit Anna & peperit filium, & vocavit nomen eius Samuel.* in Festo Præsent. B. V. c. 1. p. 4.

Cap. 2. v. 1. *Exultavit cor meum in Domino, & exaltatum est cor meum in Deo meo.* in Festo Præsent B. V. M. c. 1. p. 4.

Cap. 3. v. 6. *Ecce ego quia vocasti me.* in Festo Annunciat. B. V. M. c. 5. p. 1.

v. 1. *Non erat visio manifesta.* in Festo S. Adalb. M. c 3. p 1.

Cap. 12. v. 1. *Ecce audivi vocem vestram, juxta omnia quæ locuti istis ad me, & constituti super vos Regem, & nunc Rex graditur ante vos.* in Festo S. Sigismundi c. 1. in exordio.

Cap. 14. v. 18. *Applica mihi arcam.* in Festo Visitationis B. V. M. c. 2. p. 3.

Cap. 17. v. 39. *Cœpit tentare, si armatus posset incedere: dixitq; ad Saul; non possum sic incedere, quia non usum habeo.* in Festo S. Procopii Abb. c. 4. in exord.

Cap. 18. v. 9. *Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat David à die illa & deinceps.* in Festo S. Viti M. c. 2 p. 3.

Cap. 19. v. 1. *Locutus est Saul ad Ionatham filium suum & ad omnes servos suos ut occiderent David.* in Festo S. Viti c. 2. p. 3.

Cap. 25. v. 1. *Congregatus est universus Israel, & planxerunt eum nimis.* in Festo S. Ludmillæ. c. 2. p. 3.

v. 27. *Suscipe benedictionem hanc quam attulit ancilla tua tibi Domino meo.* in Concept. B. V. M. c. 4. p. 2.

v. 41. *Ecce famula tua sit in ancillam ut lavet pedes servorum Domini mei.* in Festo Annunciat. B. V. M. c. 5. p. 1.

2. Regum.

2 Cap. 3. v. 21. *Exorsit hastam de manu Ægypti & interfecit eam cum hasta.* in Festo S. Wenceslai. c. 2. in exordio.

3. Regum.

Cap. 2. v. 26. *Equidem vir mortis es, sed hodie te non interficiam quia portasti arcam Domini.* in Festo Visitat. B. V. M. c. 2. p. 3.

Cap. 5. v. 17. *Præcepitque Rex, ut tollerent lapides pretiosos in fundamentum templi & quadrarent eos.* in Festo Concept. B. V. M. c. 3. p. 4.

Cap. 6. v 22. *Nihil erat in templo quod non auro tegeretur.* in Concept. B. V. M. c. 5. p. 2.

Cap. 7. v. 19. *Positusque est thronus matri Regis quæ sedit ad dextram eius* in F. Assumpt. B. V. c. 1. p. 4. item. in Festo S. Sigism. Mart. c. 1. p. 1.

Cap 8. v. 27. *Si cœlum & cœli cœlorum te capere non possunt, quantò magis domus hæc quam ædificavi.* in Festo Præsent. B. V. M. c. 3. p. 5.

Cap. 10. v. 20. *Non est factum tale opus in universis Regnis.* in Festo S. Sigismundi Mart. c. 1. in exordio.

4. Regum.

Cap. 2. v. 19. *Ecce habitatio civitatis hujus optima est, sicut tu ipse Domine prospicis, sed aquæ pessimæ sunt & terra sterilis.* in Festo S. Rosarii c. 4. in exordio.

Cap. 5. v. 15. *Putabam quod egrederetur ad me.* in Festo Visitationis B. V. Mariæ. c. 3. p. 1.

Cap. 7. v. 11. *Hæc dies boni nuncii est, si tacuerimus & noluerimus nunciare usque mane, sceleris arguemur.* in Festo Annunciat. B. V. M. in exord.

Cap. 9. v. 5. *Verbum mihi ad te o Princeps,* in Festo S. Leopoldi Confessoris, c. 2. in exordio.

Cap. 13. v. 20. *Mortuum prophetavit corpus ejus.* in Festo S. Viti M. c. 2. in exordio.

1. Paralipomenon.

Cap. 12. v. 35. *Ecce ego in paupertate mea præparavi*

vi impensas domus Domini auri talenta centum millia, argenti mille millia talentorum, æris, & ferri non est pondus. in F. S. Mariæ ad Nives. c. 1. p. 3.

v. 2. *Opus namque grande est neque enim homini præparatur tabernaculum sed Deo.* in Festo S. Mariæ ad Nives. c. 1. p. 3.

Cap. 29. v. 2. *Opus grande est neque enim homini præparatur habitaculum sed Deo* in Festo Concept. B. V. M. c. 1. in exordio.

v. 11. *Cuncta quæ in cœlo sunt, & in terra tua sunt, tuum Domine Regnum & tu es super omnes Principes, tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* in Festo Præsent. B. V. M. c. 4. p. 2.

2. Paralipomenon.

Cap. 2. v. 5. *Domus quam ædificare cupio magna est, magnus est enim Deus noster super omnes Deos.* in Concept. B. V. M. c. 3. p. 1.

Cap. 7. v. 5. *Dedicavit domum Dei Rex & universus populus.* in Festo Præsent. B. V. M. c. 3. in exordio.

Cap. 18. v. 9 *Porro Rex Israel & Iosaphat Rex Iuda uterque sedebant in solio suo vestiti cultu regio.* in Festo S. Sigismundi Mart. c. 1. p 1.

3. Esdræ.

Cap. 4. v. 33. *Et tunc Rex & purpurati intuebantur in alterutrum.* in Festo S. Sigismundi Mart. c. 4. p. 4.

Tobiæ.

Cap. 4. v. 6. *Omnibus diebus vitæ tuæ habeto Deum im mente & cave ne aliquando peccato consentias & prætermittas præcepta Dei nostri.* in Festo Præsent. B. V. M. c. 4. p. 5.

Cap. 5 v. 11. *Gaudium tibi sit semper.* in Festo Visitat. B. V. M. c. 1. p. 5.

Judith.

Cap. 5. v. 26. *Et factum est cum cessasset loqui Achion verba hæc, irati sunt omnes magnates Holophernis & cogitabant interficere eum.* in Festo S. Sigismundi Mart. c. 4. p. 3.

Cap. 10. v. 4. *Cui etiam Dominus contulit splendorem, quoniam omnis ista compositio, non ex libidine sed ex virtute pendebat.* in Festo S. Ludmillæ. c. 2. in exordio.

Cap. 12. v. 12. *Non vereatur bona puella introire ad Dominum meum.* in Festo Annunc. B. V. M. c. 2. p. 3.

Cap. 13. v. 26. *Benedicta tua filia à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram.* in Concept. B. V. M. c. 4. p. 1.

Cap. 16. v. 11. *Sandalia rapuerunt animã ejus.* in Festo Annunc. B. V. M. c. 5. p. 5.

v. 11. *Sandalia rapuerunt oculos ejus.* in Festo Purificat. B. V. M. c. 3. p. 2.

v. 11. *Sandalia raperunt animam ejus.* in Festo S. Mariæ ad Nives. c. 2. p. 1.

Hester.

Cap. 2. v. 15. *Erat formosa valde & incredibili pulchritudine omnium oculis gratiosa.* in Festo Concept. B. V. M. c. 5. p. 5.

v. 18. *Dedit requiem universis Provinciis & dona largitus est juxta magnificentiam Principalem.* in Festo Assumpt. B. V. M. c. 4. in exordio.

Cap. 15. v. 12. *Ego sum frater tuus noli metuere non morieris, non enim pro te sed pro omnibus hæc lex constituta est.* in Festo Concept. B. V. M. c. 5. p. 5.

v. 8. *Ipsa autem colore roseo multum perfusa.* in F. S. Rosarii. c. 4. p. 3.

Job.

Cap. 1. v. 3. *Erat vir ille magnus inter Orientales.* in Festo S. Wenceslai. c. 4. p. 4.

Cap. 1. v. 5. *Ne forte peccaverint filii mei.* in Festo Præsent. B. V. M. c. 4. p. 5.

v 10. *Nonne tu vallasti eum ac domum ejus universamque substantiam per circuitum.* in Festo S. Sigismundi M. c. 3. p. 4.

v. 21. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* in Festo S S. Fabiani & Sebastiani Mart. c. 2. p. 1.

v. 1. *Vir erat in terra Hus nomine Iob.* in F. S. Barbaræ Virginis & Martyris. c. 3, p. 4.

Cap. 2. v. 8. *Testa saniem radebat sedens in sterquilinio.* in Festo S. Procop. c. 4. p. 1.

v. 3. *Nunquid considerasti servum meum Iob.* in F. S. Leopoldi Conf. c. 3. in exord.

Cap. 5. v. 1. *Voca si est, qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum convertere.* in F. S. Joseph Sponsi B. V. M. c. 3. p. 1.

Cap. 7. v. 1. *Militia est vita hominis super terram* in Festo SS. Fabiani & Sebast. M. c. 2. p. 1.

Cap. 15. v. 18. *Sapientes confitentur & non abscondunt Patres suos quibus solis data est terra.* in Festo S. Leopoldi Conf. c. 3. p. 5.

Cap. 29. v. 15. *Oculus fui cæco & pes claudo. Pater eram pauperum & causam quam nesciebam diligentissime investigabam.* in Festo S. Leopoldi Conf. c. 2. p. 3.

Psalterium.

Psal. 10. v. 8. *Iustus Dominus & Iustitias dilexit.* in Festo S. Leopoldi Conf. c. 1. p. 3.

Psal. 15. v. 5. *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei.*

Psal. 16. v. 3. *Igne me examinasti.* in Festo Concept B. V. M. c. 6. p 1.

Psal. 18. v. 1. *Cœli enarrant gloriam Dei.* in Festo S. Procopii Abb. c. 1. p. 1.

v. 6. *Sponsus procedens de thalamo suo.* in Festo S. Ludmillæ. c. 2 p. 1.

Psal 21. v. 7. *Ego autem sum vermis & non homo.* in Festo SS. Fab. & Sebast. M. c. 1. p 3.

Psal. 25. v. 8. *Domine dilexi decorem domus tuæ.* in Festo SS. Fab. & Sebast. M. c. 3. p. 2.

Psal. 18. v. 1. *Cœli enarrant gloriam Dei* in Festo S. Mariæ ad Nives c. 4. p. 2.

Psal. 35. v. 10. *in lumine tuo videbimus lumen.* in Festo Visitat. B. V. M. c 1 p 5.

Psal 37. v. 3. *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi.* in Festo SS. Fab & Sebast M. c 3. p. 3.

Psal. 39. v. 9. *In capite libri scriptum est de me.* in Festo Nativitat. B. V. M. c. 2. p. 1.

Psal. 44. v. 10. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato.* in Concept. B. V. M. c. 6. p. 4.

v. 11. *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam.* in Festo Præsentat. B. V. M. c. 2. in exordio.

v. 14. *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus.* in Festo Purificat. B. V. M. c. 2. p. 2.

v. 10. *Circumdata varietate.* in Festo S. Mariæ ad Nives. c. 4. p. 2.

v. 11. *Audi filia & vide & inclina aurem tuam & obliviscere populum tuum & domum Patris tui & concupiscet Rex decorem tuum.* in Festo S. Viti M. cap. 3. pag. 2.

v. 17. *In omnem terram exivit sonus eorum & in fines orbis terræ verba eorum.* in Festo SS. Cirilli & Methudii c. 2. p. 1.

v. 6. *Sagittæ tuæ acutæ; populi sub te cadent.* in Festo SS. Fabiani & Sebastiani M. cap. 3. p. 1.

v. 3. *Speciosus forma præ filiis hominum.* in Festo SS. Fabiani & Sebastiani Mart. c. 3. p. 5.

v. 8. *Vnxit te Deus Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* in Festo S. Leopold Confessor. c. 2. in exordio.

Psal. 45. v. 5. *Sanctificavit tabernaculum suum altissimus.* in Festo Purificat. B. V. M. c. 1. in exord.

Psal. 50. v. 9. *Lavabis me & super nivem dealbabor.* in Festo S. Mariæ ad Nives. c. 2. p. 3. item. in Festo S. Mariæ ad Nives. c. 4. p. 4.

Psal. 6. v. 36. *Mirabilis Deus in Sanctis suis.* in Festo S. Procopii Abbatis. c. 1. in exordio.

Psal. 67. v 21. *Dominus salvos faciendi, & Domini Domini exitus mortis.* in Festo Visitat. B. V. M. c. 4. p. 1.

v. 15. *Nive dealbabuntur.* in Festo S. Mariæ ad Nives. c. 3. in exord.

v 36. *Mirabilis Deus in sanctis suis* in Festo S. Viti M. c. 1. p. 5.

Psal. 68. v. 1. *Salvum me fac Deus quoniam intraverunt aquæ usq; ad animam meam.* in F. Concept. B. V. M. c. 1. p. 3. item. in Festo Concept. B. V. M. c. 6. p. 3.

Psal. 70. v. 7. *Tanquam prodigium factus sum multis.* in Festo Visitationis B. V. M. c. 3. p. 3.

Psal. 81. v. 6 *Ego dixi Dii estis.* in Festo SS. Fab. & Sebast. M. c. 1. p 4.

Psal. 83. v. 1. *Ascensiones disposuit in corde suo.* in Festo Præsent. B. V. M c. 2 p. 3.

v. 4. *Passer invenit sibi domum, & turtur nidum, ubi reponat pullos suos.* in Festo S. Ludmillæ. c. 3. p. 3.

Psal. 85. v. 15. *Miserator & misericors Dominus patiens & multæ misericordiæ.* in Festo SS. Fabiani & Sebastiani M. c. 3. p. 4.

Psal. 86. v. 3. *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei.* in Festo Concept. B. V. M. item. in F. Purif. B. V. c. 2. p. 4.

v. 1. *Fundamenta ejus in montibus Sanctis.* in Festo Præsent. B. V. M. c. 3 p. 2.

Psal. 88. v. 30. *Et ponam thronum ejus sicut dies cœli.* in Festo Concept. B. V. M. c. 2 p. 2.

Psal. 90. v. 11. *Angelis suis mandavit de te ut custodiant te in omnibus viis tuis.* in Festo Visitat. B. V. M. c. 2. p. 4

Psal. 92. v. 1. *Dominus regnavit, decorem indutus est.* in Festo Nativit. B. V. M. c. 2. p. 1.

v. 5. *Domum tuam Domine decet sanctitudo.* in Festo Præsent. B. V. M. c. 1. p. 5.

Psal. 101. 18. *Quia prospexit de excelso Sancto suo Dominus de cœlo in terram aspexit.* in F. S. Mariæ ad Nives c. 4. p. 2.

Psal. 103. v. 3. *Extendens cœlum sicut pellem.* in Festo S. Procopii Abb. c. 1. p. 1.

Psal. 104. v. 18. *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus.* in Festo Annunc. B. V. M. c. 5. p. 5.

v 18. *Ferrum pertransiit animam ejus.* in Festo SS. Fabiani & Sebastiani Mart. c. 3. pag. 1.

Psal. 106. v. 35. *Posuit desertum in stagno aquarum & terram sine aqua in exitus aquarum.* in Festo S. Rosarii. c. 3. p. 3.

Psal. 108. v. 18. *Dilexit maledictionem & veniet ei.* in Festo Præsent. B. V. M. c. 3. p. 3.

v. 19. *Fiat ei sicut vestimentum, quo operitur, & sicut Zona qua semper præcingitur.* in F. SS. Cyrilli & Methudii. c. 1. p. 1.

Psal. 111. v. 13. *Gloria & divitiæ in domo ejus.* in F. S. Leopoldi Conf. c. 3. p. 5.

v 7. *In memoria æterna erunt justi.* in Festo S. Barbaræ V. & M. c. 4. p. 2.

Psal. 112. v. 41. *Excelsus super omnes gentes Dominus & super cœlos gloria ejus.* in Festo Annunt. B. V. M. c. 4. p. 3.

v. 5. *Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra.* in Festo SS. Fabian. & Sebast. M. c. 1. p. 3.

Psal. 113. v. 1. *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* in Festo SS. Cyrilli & Methudii M. c. 2. p. 1.

Psal. 115. v. 15. *Pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* in Festo S. Georgii M. c. 2. in exord.

Psal. 127. v. 3. *Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.* in Festo SS. Cyrilli & Methudii c. 4 in exord.

Psal. 136. v. 1. *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus dum recordaremur tui Syon* in Festo S. Ludmillæ c. 2 p. 1.

Psal. 143. v. 11 *Quorum filii sicut novellæ plantationes, in juventute sua filiæ eorum compositæ circumornatæ ut similitudo templi.* in Festo Præsent. B. V. M. c. 4 p. 3.

Psal. 150 v. 1. *Laudate Dominum in Sanctis ejus, laudate eum in firmamento virtutis ejus.* in Festo Concept. B. V. M. c. 3. p. 5.

Proverbia.

Cap. 4. v. 16. *Stultus homo despicit matrem suam.* in Festo Annunc. B. V. Mariæ. cap. 2. p. 4.

Cap. 8. v. 23. *Ab æterno & ex antiquis ordinata sum.* in Festo Concept. B. V. M. c. 2. p. 1.

v. 29. *Legem ponebat aquis ne transirent fines suos.* in Festo Sigismundi M. c. 4. in exordio.

Cap 9. v. 1. *Sapientia ædificavit sibi domum.* in F. Præsent. B. V. M. c. 3. p. 4.

Cap. 11 v. 2. *Ubi est humilitas ibi & sapientia.* in Festo Annunc. B. V. Mariæ. cap. 3. pag. 4.

Cap. 22. v. 7. *Qui accipit mutuum, servus est.* in Festo S. Leopoldi Confessoris. c. 3. in exordio.

Cap. 30. v. 19. *Viam colubri super terram.* in Festo Sancti Leopoldi Confessoris. c. 4. p. 1.

Cap 31. v. 29. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* in Festo Præsent. B. V. M. c. 1. p. 1.

Cantica.

Cap. 1. v. 14. *Ecce tu pulchra es amica mea.* in Concep. B. V. M. c. 1. p. 5.

Oculi

v. 14. *Oculi eius ſicut columbæ, ſuper rivos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ.* in Feſto Annunt. B. V. M. c. 4. p. 2.
v. 9. *Collum tuum ſicut, monilia.* in F. Annunt. B. V. M. c. 5. p. 5.
v. 9. *Genæ tuæ ſicut turturis.* in Feſto S. Ludmillæ c. 3 p. 3.
v. 12 *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* in F. Purificat. B. V. M. c. 2. p. 1.
v. 17. *Exui me tunica mea.* in Feſto S. Georgii M. c. 2. p. 3.
Cap. 2. v. 13. *Vineæ florentes dederunt odorem ſuum.* in Feſto Præſent. B. V. M. c. 1. p. 2.
v. 10. *Surge, propera amica mea, columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* in Feſto Purificat. B. V. M. c. 1. p. 1.
v. 4. *Ordinavit in me charitatem.* in Feſto S. Viti Mart. c. 3. p. 2
v. 8. *Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiens colles: ſimilis eſt dilectus meus capreæ, hinuloq; cervorum.* in Commem. D. Ivani. c. 4. p 2.
v. 1. *Ego flos campi.* in Feſto SS. Fabiani & Sebaſtiani M. c. 1. p. 5.
Cap. 3. v. 6. *Aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris & univerſi pulveris pigmentarii.* in Feſto Nativit. B. V. M. c 1 p. 2.
v. 6. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris & univerſi pulveris pigmentarii.* in Feſto Præſent. B. V. M. c. 2. in exordio.
v. 11. *Egredimini & videte filiæ Syon, Regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater ſua.* in Feſto Annunt. B. V. M. c. 2. p. 5.
Cap. 4. v. 1. *Abſque eo quod intrinſecus latet.* in Feſto Concept. B. V. M. c. 4. p. 4.
v. 12. *Hortus meus concluſus ſoror mea ſponſa.* in Feſto Annunt B. V. M c. 1. in exord.
v. 7. *Tota pulchra eſt amica mea.* in Feſto Annunt. B. V. M c. 5. p. 5.
v 15. *Puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* in Feſto Viſit. B. V. c. 1. p. 2.
v. 15. *Fons hortorum.* in Feſto Aſſumpt. B. V. M. c. 4. p. 2.
v. 13 *Emiſſiones tuæ paradiſus.* in Feſto Aſſumpt. B. V. M. c. 4. p. 2.
v. 11. *Odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris.* in Feſto Sancti Procopii Abb. c. 3. p. 4.
v. 10. *Duo ubera tua ſunt duo hinnuli.* in Feſto SS. Cyrilli & Methudii M. c. 1. in exord.
v. 4. *Sicut turris David collum tuum.* in Feſto S. Ludmillæ. c. 3. p. 4.
Cap. 5. v. 1. *Bibite & inebriamini chariſſimi* in Feſto S. Sigismundi M. c. 2. p. 4.
Cap. 6. v. 1. *Deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatiũ ut ibi paſcatur in hortis & lilia colligat.* in Feſto S. Viti M c. 3. p. 2.
v. 9. *Pulchra ut luna, electa ut ſol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata.* in Feſto Concept. B. V. M. c. 5 p. 1.
v. 8. *Viderunt eam filiæ Syon & beatiſſimam prædicaverunt, & reginæ laudaverunt eam.* in Feſto Nativit. B. V. M. c. 3. p. 1.
v. 9. *Sicut aurora conſurgens.* in Feſto Aſſumpt. B. V. M. c. 4. p. 4.
v. 9. *Pulchra ut luna* in Feſto Annunt. B. V. M. c. 4 p. 1.
v. 9. *Quæ eſt iſta quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens* in Feſto Viſit B. V. M. c. 4. p. 1.
v. 8. *Una eſt columba mea, formoſa mea, immaculata mea.* in Feſto Concept. B. V. M. c. 1. p. 4.
Cap. 7. v. 10. *Ego dilecto meo, & ad me converſio ejus.* in Feſto S. Joſeph. c. 1. p. 1.
v. 1. *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filiæ Principis* in Feſto Purif. B. V. M. c. 3. p. 2.
Cap. 8. v. 6. *Fortis eſt ut mors dilectio.* in Feſto S. Mariæ ad Nives. c. 3. p. 2. item, in Feſto S. Roſarii c. 4. p. 3.
v. 5. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum.* in F. Annunt. B. V. M. c. 4. p. 5. item, in Feſto Aſſumpt. B. V. M. c. 4. in exord.

Sapientia.

Cap. 7. v. 11. *Venerunt mihi omnia bona cum illa.* in Feſto Conceptionis. B. V. Mariæ. c. 1. p. 5.
v. 26. *Candor eſt lucis æternæ.* in Feſto S. Mariæ ad Nives. c. 3. p. 5.
Cap. 14. v. 7. *Benedictum lignum per quod fit juſtitia.* in Feſto Sanctæ Ludmillæ. c. 3. p. 5.

Eccle-

Ecclesiastes.

Cap. 8. v. 14. *Sunt justi quibus mala proveniunt quasi opera fecerint impiorum.* in Festo S. Georgii M. c. 2. p. 3.

Cap. 10. v. 17. *Beata terra cujus Rex nobilis est.* in Festo S. Joseph. c. 3. p. 4.

v. 16. *Va tibi terra cujus Rex puer est.* in F. S. Sigismundi M. c. 3. p. 4.

Ecclesiasticus.

Cap. 7. v. 26. *Filia tibi sunt serva corpus earum.* in Festo S. Barbaræ V. & M. c. 2. p. 1.

Cap. 11. v. 10. *Si dives fueris, non eris immunis à delicto.* in Festo S. Sigism. M. c. 3. p. 4.

Cap. 19. v. 12. *Sagitta infixa fœmori carnis: sic verbum in corde stulti.* in Festo SS. Fabian. & Sebast. M. c. 4. p. 3.

Cap. 22 v. 10 *Supra mortuum plora, defecit enim lux ejus.* in F. S. Ludmillæ c. 2 p. 3.

Cap. 24. v. 18. *Quasi palma, exaltata sum in Cades.* in F. Concept. B. V. M. c. 2. p. 3.

v. 12. *Qui creavit me requievit in tabernaculo meo.* in F. Concept. B. V. c. 3. in exord.

v. 26. *Transite ad me omnes qui concupiscitis me.* in Festo Nativit. B. V. c. 3. p. 1.

v. 41. *Sicuti aqua ductus exivi de paradiso.* in Festo Nativit. B. V. c. 3. p. 2.

v. 42. *Rigabo hortum meum plantationum.* in Festo Visit. B. V. M. c. 4 p. 1.

v. 25. *In me omnis gratia vitæ & veritatis,* in Festo Nativit. M. V c. 4. p. 1. item in Festo Præsent. B. V. M. c. 3. p. 2.

v. 23. *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.* in Festo Præsentat. B. V. M. c. 1. p. 2. item, in Festo Annunc. B. V. M. c. 4. p. 5. item. in Festo Mariæ ad Nives c. 1. p. 5.

v. 18. *Ego quasi plantatio rosæ in Iericho.* in Festo S. Rosarii c. 4. p. 3.

Cap. 26. v. 21. *Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bona species in ornamentum domus suæ* in Festo Assumpt. B. V. c 4 p. 1.

Cap. 31. v. 10. *Potuit transgredi & non est transgressus.* in Festo S. Wenceslai M. c. 1 p. 2.

Cap. 33. v. 31. *Si est tibi servus fidelis sit tibi quasi anima tua.* in F. S. Leopoldi Confess. c. 3. in exordio.

Cap. 34. v. 1. *Vbi sunt multa somnia plurima sunt vanitates.* in F. S. Adalberti Mart. c. 3. p. 5.

v. 17. *Timentis Deum beata est anima.* in F. S. Procopii Abb. c. 1. p. 1.

Cap 40. v. 17. *Gratia sicut paradisus.* in Festo Annunc. B. V. M. c. 1. p. 3.

Cap. 43. v. 4. *Sol exurens montes radios igneos insufflans.* in Festo Visitat. B. V. Mariæ c. 4. p. 1.

v. 3. *Vos admirabile opus excelsi.* in Festo Concept. B. V. M. c. 1. in exord.

v. 1. *Altitudinis firmamentum pulchritudo ejus species cœli in visione gloriæ.* in Festo Concept. B. V. M. c. 5. p. 1.

v. 12. *Vide arcum & benedic eum qui fecit eum.* in Festo Visit. B. V. Mariæ c. 4. p. 1.

Cap. 44. v. 1. *Laudemus viros glorioſos & parētes nostros.* in F. S. Cyrill. & Methud. c. 2. p. 2.

Cap. 45. v. 1. *Dilectus Deo & hominibus.* in F. S. Procopii Abb. c. 2. in exord.

Cap. 48. v. 14. *Mortuum prophetavit corpus ejus.* in Festo S. Viti M. c. 2. in exord.

v. 13. *In diebus suis non pertimuit Principem.* in F. SS. Fabiani & Sebast Mart c. 3. p. 2.

Cap. 50. v. 10. *Quasi vas auri solidum,* in F. SS. Fab & Sebast. M. c. 3. p. 3.

Isaias.

Cap. 1. v. 2. *Requiescet super eum Spiritus Domini.* in F. Visitat. B. V. c. 4. p. 3.

Cap. 2. v. 2. *Erit præparatus mons domus Domini in vertice montium.* in Festo S. M. ad Nives c. 4. p. 1.

Cap. 6 v. 1. *Vidi Dominum sedentem super solio excelsum.* in Festo S. Ludmillæ c 2. p. 1.

Cap. 9. v. 6 *Parvulus natus est nobis & filius datus est nobis.* in F. Visit. B. V. c. 4. p. 3.

Cap. 14 v. 13. *Sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium similis ero Altissimo.* in F. Annunc. B V. M c. 3. p. 2.

Cap. 31. v. 16. *Novum fecit Dominus super terram.* in Festo Purificat B. V. M. c. 1. p. 1.

Cap. 35. v. 2. *Gloria Libani data est ei.* in Festo S. M. ad Nives. item in F. Præsent. B. V. c. 4. in exord. itē in F. An. B. V. c. 4. p. 3.

Cap. 43. v. 6. *Dicam aquiloni da: & austro noli prohibere affer filios meos de longinquo.* in F. S. Leopoldi Conf. c. 1 in exord.

Cap. 47. v. 1. *Sede in pulvere filia Babylonis.* in

Festo SS. Fab. & Sebast. M. c. 1. p. 3.

Cap. 49. v. 1. *Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.* in Festo Visit. B. V. c. 3. p. 1.

Cap. 54. v. 1. *Lauda sterilis quæ non paris.* in F. S. Wenceslai M. c. 3. p. 3.

v. 29. *Velit Dominus aufferre laborem animæ ejus, ostendere ei lumen & formare intelligentiam, justificare justum bene servientem multis.* in Festo S. Leopoldi Confess. c. 3. p. 1.

Cap. 55. v. 7. *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas & revertatur ad Dominum & miserebitur ejus.* in F. SS. Fabiani & Sebastiani M. c. 3. p. 2.

Cap. 60. v. 1. *Surge illuminare Ierusalem, quia venit lumẽ tuum, & gloria Domini super te orta est.* in F. Purific. B. V. M. c. 2. p. 4.

Cap. 62. v. 1. *Propter Syon non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus & Salvator ejus ut lampades accendatur.* in F. S. Barbaræ V. & M. c. 1. in exordio.

Jeremias.

Cap. 1. v. 6. *Domine nescio loqui.* in Festo Assumpt. B. V. M. c. 1. p. 1.

v. 12. *Vidi visiones Dei.* in Festo S. Adalberti Episc. & M. c. 3. p. 1.

Cap. 4. v. 10. *Heu heu heu Domine Deus, ergone decepisti populũ istum Ierusalem dicens pax erit vobis? & ecce gladius pervenit usque ad animam.* in Festo S. Viti M. c. 1. p. 2.

Cap. 27. v. 12. *Diem hominis non desideravi, tu scis.* in Festo Concept. B. V. M. c. 2. p. 2.

Cap. 31. v. 22. *Fœmina circumdabit virum.* in Festo Præsent. B. V. M. c. 3. p. 5.

Cap. 59. v. 2. *Peccata vestra diviserunt inter vos & Deum.* in Festo Annunc. B. V. Mariæ c. 3. p. 1.

Ezechiel.

Cap. 17. v. 3. *Aquila grandis magnarum alarũ, longo membrorum ductu venit ad Libanum & bibit medullam cedri & transportavit eam in terram Chanaam, in urbem negotiatorum posuit illam.* in Festo S. Ludmillæ M. c. 1. p. 1.

Cap. 25. v. 15. *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* in Festo Nativitat. B. V. Mariæ. c. 2 p. 3.

Cap. 41. v. 23. *Duo ostia erant in templo.* in F. SS. Cyrilli & Methudii. Mart. c. 1. in exordio.

Cap. 44. v. 2. *Porta hæc clausa erit Principi, id est soli Deo reservata.* in Festo S. Joseph. Sponsi. B. V. c. 1. p. 1.

Daniel.

Cap. 4. v. 11. *Succidite arborem & praciditeramos ejus, excutite folia ejus & dispergite fructus ejus, fugiant bestiæ quæ subter eam sunt & volucres de ramis ejus.* in Festo S. Georgii M. c. 2. p. 2.

Cap. 5. v. 29. *Tunc jubente Rege indutus est Daniel purpurâ & circumdata est torques aurea collo ejus.* in Festo S. Ludmillæ c. 5. in exordio.

Cap. 13. v. 3. *Erat delicata nimis & pulchra facie.* in F. S. Barbaræ V. & M. c. 2. p. 1.

Oseas.

Cap. 13. v. 14. *Ero mors tua inferne.* in Festo S. Procopii Abb. c. 1. p. 4.

Jonas.

Cap. 1. v. 12. *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis.* in Festo Annunc. B. V. M. c. 3. p. 4.

Michæas.

Cap. 6. v. 14. *Humiliatio tua in medio tui.* in Festo Annunc. B. V. M. c. 5. p. 5.

Zacharias.

Cap. 9. v. 1. *Germinans Virgines.* in F. Præsent. B. V. Mariæ c. 3. p. 1.

v 11. *Tu quoque in sanguine testamenti eduxisti vinctos de lacu in quo non erat aqua.* in Festo S. Procopii Abb. c. 1. p. 1.

Mala-

Malachias.

Cap. 3. v. 1. *Ecce ego mitto Angelum meum & præparabit viam ante faciem meam.* in F. Visitat. B. V. M. c. 4. p. 3.

1. Machabæorum.

Cap. 2. v. 19. *Etsi omnes gentes Regi Antiocho obediunt, ego & filii mei obediemus legi patrum nostrorum.* in Festo SS. Fabian. & Sebast. M. c. 4 p. 1.

Matthæus.

Cap. 2. v. 7. *Tu qui venturus es an alium expectamus.* in F. Visitat. B. V. M. c. 4. p 4.

Cap. 3. v. 11. *Cujus non sum dignus calceamenta portare.* in F. Visitat. B. V. M. c. 3. p. 2.

v. 2. *Pœnitentiam agite.* in Festo Visitat. B. V. M. c. 4. p. 3.

Cap. 4. v. 23. *Circumibat Iesus totam Galilæam docens in Synagogis eorum & prædicans Evangelium Regni, & sanans omnem languorem & omnem infirmitatem in populo* in Festo S. Procopii Abb. c. 4. p. 4. item in Festo S. Ludmillæ c. 4. p. 1.

Cap. 5. v. 45. *Solem suum facit oriri super bonos & malos.* in Nativit. B. V. M. c. 3. p. 3.

v. 16. *Sic luceat lux vestra, ut videant opera vestra bona.* in Festo Purificat B. V. M. c. 3. p. 5.

v. 17. *Non veni solvere legem sed adimplere.* in Festo SS. Cyrilli & Methudii. c. 3. in exordio.

Cap. 6. v. 16. *Cum jejunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* in Festo S. Ludmillæ c. 2. p. 1.

v. 24. *Nemo potest duobus Dominis servire* in F. S. Leopoldi Conf. c. 3. p. 1.

Cap. 8. v. 25. *Domine salva nos perimus.* in F. S. Viti M. c. 4 p. 1.

Cap. 10. v. 21. *Tradet autem frater fratrem in mortem & pater filium.* in Festo S. Viti M. c. 2. p. 4.

v. 7. *Euntes prædicate dicentes, quia appropinquavit regnum cœlorum.* in Festo S. Procopii Abb c. 3. p. 1.

v. 34. *Non veni mittere pacem sed gladium.* in Festo S. Procopii Abb. c. 4. in exordio.

v. 24. *Non est discipulus supra magistrum.* in Festo SS. Fab. & Sebast. M. c. 2. p. 3.

Cap. 11. v. 29. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* in Festo SS. Fab. & Sebast. M. c. 1. p. 1.

Cap. 13. v. 3. *Exiit qui seminat.* in Festo S. Mariæ ad Nives c. 3. p. 1.

v. 43. *Iusti fulgebunt sicut sol in Regno patris eorum.* in Festo SS. Cyrilli & Methudii M. c. 2. in exord.

Cap. 16. v. 19. *Tibi dabo claves Regni cœlorum.* in Festo S. Sigismundi M. c. 3. p. 1.

Cap. 17. v. 2. *Resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt sicut nix.* in Festo S. Mariæ ad Nives. c. 3. p. 1.

v. 4. *Domine si vis faciamus hic tria tabernacula.* in F. S. Ludmillæ M. c. 1. p. 5.

Cap. 19. v. 27. *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te.* in Festo S. Viti M. c. 3. in exordio. in F. S. Procopii Abbatis. c. 2. p. 1.

v. 21. *Vade, vende quæ habes & da pauperibus.* in Festo S. Sigismundi M. c. 3. p. 3.

Cap. 21. v. 5. *Rex tuus venit tibi.* in Festo S. Sigismundi c. 1. p. 1.

Cap. 22. v. 12. *Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem.* in Festo S. Ludmillæ. c. 2. p. 2.

Cap. 24. v. 30. *Tunc parebit signum filii hominis.* in Festo S. Ludmillæ c 3. p. 5.

v 45. *Fidelis servus & prudens.* in Festo S. Josephi Sponsi B. V. M. c. 4. p. 5.

Cap. 25. v. 41. *Amen amen dico vobis nescio vos.* in Nativit. B. V. M. c 3. p. 5.

v. 42. *Esurivi & dedistis mihi manducare, sitivi & dedistis mihi bibere, hospes eram & collegistis me.* in Festo S. Leopoldi Confess. c. 2 p. 5.

v. 8. *Date nobis de oleo vestro quia lampades nostræ extinguntur.* in Festo S. Barbaræ V. & M. c. 1. p. 2.

Cap. 26. v. 56 *Discipuli omnes relicto eo fugerunt.* in F. S. Viti M. c. 4. p. 2.

v. 52. *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribũt.* in F. SS. Fab. & Sebast. M. c. 3 p. 1.

Marcus.

Cap. 1. v. 6. *Zona pellicea circa lumbos eius.* in F. SS. Cyrilli & Methudii M. c. 1. p. 3.

Cap. 2. v. 19. *Nunquid possunt filii nuptiarum, quãdiu sponsus cũ illis est jejunare? quanto tempore habent secum sponsum non possunt jejunare.* in F. S. Lud c. 2 p. 2.

Cap. 6. v. 18 *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* in Commem. D. Ivani serm. 4 p. 2.

Cap. 8. v. 24. *Video homines velut arbores ambulantes.* in Festo S. Sigism. M. c. 2 p. 2.

Cap 16. v. 15. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* in F. SS. Cyrilli & Methudii c. 3. p. 4.

Lucas.

Cap. 1. v. 28. *Ave gratia plena Dominus tecũ benedicta tu inter mulieres.* in F. Annunc. B. V. c. 1 in exord.

v. 49. *Fecit mihi magna qui potens est & sanctũ nomẽ eius.* in F. Annunc. B. V. c. 1. p. 4.

v. 48. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* in F. Annunc. B. V. c 4. p. 1 item in F. Purific. B. V. c. 2. p. 2

v. 31. *Concipies in utero & paries filium & vocabitur nomen eius Iesus.* in F. Visit. B. V. c. 1. in exord.

v. 38. *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundũ verbum tuum.* in F. Visit. B. V. c. 1 p. 1.

v. 20. *Eo quod non credidisti verbis meis, eris tacens usque ad diem nativitatis ejus.* in Festo Visitat. B. V. c. 1. p. 3.

v. 36. *Hic mensis est sextus illi.* in F. Visit. B. V. c. 1 p. 4.

v. 68. *Benedictus Dominus Deus Israel quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ.* in F. Visit. B. V. c. 3. p. 2.

v. 41. *Replebitur Spiritu Sancto adhuc ex utero matris suæ.* in F. Visit. B. V. c. 4. p. 1.

v. 14. *Ioannes est nomen ejus.* in Festo Visit. B. V. c. 4. p. 3.

v. 38. *Fiat mihi secundum verbum tuum.* in Festo S. Mariæ ad Nives. c. 3. p. 4.

v. 33. *Quomodo fiet istud quoniam virũ non cognosco.* in F. S. Wenceslai M. c. 3. p. 1.

Cap. 2. v. 14. *Gloria in excelsis Deo.* in Festo Annunc. B. V. c. 2. p. 4.

v. 22. *Tulerunt Iesum in Ierusalem.* in Festo Purificat. B. V. M. c. 2. p. 2.

v. 35. *Tuam ipsius animam gladius pertransibit.* in Festo Purificat. B. V. M. c. 1. p. 4.

v. 51. *Descendit cum eis & venit Nazareth, & erat subditus illis.* in F. S. Viti M. c. 3. p. 1.

Cap. 3. v. 7. *Genimina viperarũ quis ostendit vobis fugere à ventura ira, facite ergo fructus dignos pœnitentiâ.* in Comm. D. Ivani. serm. 4. p. 3.

Cap. 4. v. 24. *Nemo Propheta acceptus est in patria sua.* in F. S. Adalberti M. c. 1. p. 4.

Cap. 5. v. 34. *Nunquid potestis filios sponsi dum cum illis est sponsus facere jejunare.* in F. S. Ludmillæ. c. 2. p. 1.

Cap. 6. v. 23. *Gaudete in illa die & exultate ecce enim merces vestra multa est in cœlo.* in F. SS. Fab. & Sebast. c. 2. in exord.

v. 17. *Descendens Iesus de monte stetit in loco campestri.* in F. SS. Fab. & Sebast. M. c. 1. in exord.

v. 22. *Beati estis cum vos oderint homines.* in F. SS. Fab. & Sebast. M. c. 2. p. 5.

v. 35. *Ecce enĩ (inquit) merces vestra copiosa est in cœlis.* in F. SS. Fab. & Sebast. M. c. 4. p. 5.

Cap. 7. v. 13. *Misericordia motus super eã dixit illi, noli flere.* in F. S. Ludmillæ c. 2. p. 3.

Cap. 8. v. 22. *Ascendens Iesus in naviculã transfretavit.* in F. S. Rosarii c. 2. in exord.

v. 1. *Iter faciebat per civitates & castella prædicans & Evangelizans Regnum Dei.* in F. S. Ludmillæ c. 4. p. 1.

Cap. 9. v. 58. *Vulpes foveas habent & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* in F. S. Adalb. Pont. & M. c. 1. in exordio.

Cap. 10. v. 30. *Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho & incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum & plagis impositis abierunt semivivo relicto.* in F. SS. Cyrilli & Methudii c. 4 p. 1.

Cap. 11. v. 27. *Beatus venter qui te portavit.* in Concept. B. V. M. c. 4. p. 4. item in Festo Præs. B. V. c. 4. in exord.

v. 15. *In Beelzebub Principe Dæmoniorũ ejicit Dæmonia.* in F. S. Mar. ad Niv. c. 2. in ex.

v. 21. *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet.* in F. S. Georgii M. c. 3. p. 4.

Cap. 15. v. 5. *Nisi pœnitentiã egeritis omnes simul peribitis.* in F. Visit. B. V. M. c. 4. p. 3.

Cap. 14. v 11. *Qui se humiliat exaltabitur.* in F. Annunc. B. V. M. c. 4. p. 1. item in F. SS. Cyrilli & Methudii. c. 2. p. 2.

v. 30. *Hic homo cœpit ædificare & non potuit consũmare.* in F. S. Sigism. M. c. 3. in exord.

Cap. 16. v. 25. *Memento fili quod recepisti bona in vita tua & Lazarus similiter mala.* in F. S. Georgii M. c. 2. p. 4.

Cap. 19. v. 13. *Negotiamini dum venio.* in F. S. Ludmillæ M. c. 1. p. 1. item, in F. S. Barb. V. & M. c. 2 p 3.

Cap. 21. v. 9. *Cum audieritis prælia, & seditiones nolite terreri, oportet primum hæc fieri sed nondũ statim finis.* in F. S. Viti. c. 1. p. 1.

Cap. 22. v. 38. *Ecce duo gladii hic.* in F. SS. Fab. & Sebast. M. c. 3. p. 1.

Cap. 23. v. 33. *Crucifixerunt Iesum & latrones unum à dextris & alterum à sinistris.* in Festo S. Viti M. c. 4. p. 5.

v. 43. *Hodie mecum eris in paradiso.* in Festo S. Sigismundi M. c. 3. p. 1.

Joannes.

Cap. 1. v. 5. *Fuit homo missus à Deo.* in F. Visit. B. V. c. 4. p. 3.

v. 29. *Ecce agnus Dei ecce qui tollit peccata mundi.* in F. Visit. B. V. M. c. 3. p. 4.

v. 9. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominẽ venientẽ in hunc mundũ.* in F. Visit. B. V. c. 4. p. 4. itẽ in F. S. Wencesl. c. 4. p. 1.

v. 11. *In propria venit & sui eum non receperunt.* in F. S. Viti M. c. 1. p. 4. item in F. S. Ludmillæ. c. 2. p. 1.

v. 17. *Lex & figura per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum.* in F. S. Procopii Abb. c. 1. in exord.

v. 47. *Ecce vere Israelita in quo dolus non est.* in F. S. Wenceslai M. c. 2. p. 4.

v. 14. *Verbum caro factum est & habitavit in nobis.* in F. S. Joseph. Sponsi B. V. c. 1 p. 3. item in F. S. Barbaræ V. & M. c. 1. in exord.

Cap. 2. v. 11. *Hoc fecit initium signorũ Iesus in Cana Galilææ.* in F. S. Procopii Abb. c. 1. p. 3.

v. 16. *Nolite facere domũ patris mei domũ negotiationis.* in F. S. Ludmill. M. c. 1 in exord

v. 25. *Ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris.* in F. S. Joseph Sponsi B. V. c. 1. p. 1.

Cap. 3. v. 14. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, sic exaltari oportet filium hominis.* in F. S. Leopoldi Conf. c. 4. p. 1.

Cap. 4. v. 13. *Qui biberit ex aqua quã ego dabo ei, non sitiet in æternũ, sed aqua quã ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitã æternam.* in Festo Annunc. B. V. c. 1. p. 1.

v. 17. *Voca virum tuum.* in F. S. Joseph Sponsi. B. V. M. c. 3. p. 5.

Cap. 5. v. 35. *Ille erat lucerna ardens & lucens.* in F. Visit. B. V. c. 4. p. 1.

v. 22. *Pater non judicat quenquã sed omne judiciũ dedit filio suo.* in F. Assumpt. B. V. c. 1. p. 5.

Cap. 6. v. 16. *Non licet tibi habere uxorem fratris tui Philippi.* in Festo Visit. B. V. c. 3 p. 3.

v. 68. *Nunquid & vos vultis abire.* in Festo S. Procopii Abb. c. 3. p. 1.

Cap. 8. v. 31. *Si manseritis in sermone meo vere discipuli mei eritis & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* in F. S. Procopii c. 3. in exord.

Cap. 9. v. 28. *Nos Moysis discipuli sumus.* in F. S. Procopii Abb. c. 1. in exord.

Cap. 10. v. 41. *Ioannes Baptista signum fecit nullum.* in F. Visit. B. V. c. 3. p. 3.

v. 11. *Ego sum Pastor bonus.* in Festo S. Mariæ ad Nives. c. 3. p. 1.

Cap. 11. v. 47. *Quid facimus? quia hic homo multa signa facit.* in F. S Viti c. 2. p. 4.

v. 38. *Erat autem spelunca & lapis superpositus erat ei.* in F. S. Procop. Abb. c. 2. p. 4.

Cap. 12. v. 35. *Ambulate dum lucem habetis.* in F. Purificat. B. V. c. 2. p. 4.

Cap. 13. v. 16. *Non est servus major Domino suo si me persecuti sunt & vos persequentur.* in F. S. Adalberti c. 1. in exord.

Cap. 14. v. 12. *Qui verã habet charitatẽ, ille non diligit verbo & lingua, sed opere & veritate.* in F. S. Barbaræ V. & M. c. 2. p. 5.

Cap. 15. v. 14. *Vos amici mei estis.* in F. S. Joseph Sponsi. B. V. c. 3. p. 3.

Cap. 16. v. 33. *Hæc locutus sum vobis ut in me pacem habeatis.* in F. S. Viti M. c. 1. p. 4.

Cap. 19. v. 7. *Secundum legem debet mori quia filium Dei se fecit.* in F. SS. Cyrill & Methudii c. 3. in exord.

Cap. 20. v. 27. *Infer digitum tuum huc & vide manus meas.* in F. Visit. B. V. c. 3. p. 4.

Ad Romanos.

Cap. 7. v. 25. *Gratia Dei per Iesum Christum.* in F. Annunc. B. V. c. 1.

Cap. 8. v. 38. *Certus sum, quod neq; mors neq; vita* in F. SS. Fab & Sebast. M. c. 4. p. 2.

Cap. 13. v. 12 *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* in F. Nativit. B. V. c. 4 p. 5.

Ad Corinhtios I.

Cap. 3. v. 1. 2. *Tanquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi non escam.* in F. SS. Cyrilli & Methudii M. c. 1. in exord.

Cap. 9. v. 22. *Factus sum infirmis infirmus ut infirmos lucri facerem omnibus omnia factus sum ut omnes facerem salvos.* in F. SS. Cyrilli & Methudii. c. 2. p. 5.

Cap. 13. v. 5. *Charitas non irritat nec irritatur.* in Festo S. Barbaræ V. & M. c. 1. p. 5.

v. 3. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* in Festo S. Barbaræ. V. & M. c. 1. p. 5.

Ad Corinthios 2.

Cap 5. v 19. *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum & posuit in nobis verbum reconciliationis.* in F. S. Viti M. c. 1. p. 1.

Cap. 9. v. 7. *Hilarem datorem diligit Deus.* in F. Præsent. B. V. M. c. 2. p. 1.

Cap. 12 v. 3. *Scio hominem quoniam raptus est in paradisum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* in F. Annunc. B. V. c. 1. p. 4.

Ad Galatas.

Cap. 3. v. 13. *Maledictus qui pendit in ligno.* in F. S. Ludmillæ c. 3. p. 5.

Cap. 5. v. 17. *Caro enim concupiscit adversus spiritum.* in F. S. Wenceslai M. c. 2. p. 2.

Ad Ephesios.

Cap. 1. v. 9. *Vt notum faceret nobis sacramentū voluntatis suæ secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt in ipso.* in Festo Annunc. B. V. M. c. 2. p. 1.

Cap. 5. v. 32. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* in F. S. Josephi Sponsi. B. V. M. c. 4. in exordio.

Cap. 6. v. 15. *Calceati pedes in præparationem Evangelii pacis.* in Festo Visitat. B. V. M. c. 3. p. 2.

v. 17. *Galeam salutis assumite & gladium spiritus quod est verbum Dei.* in F. SS. Fab. & Sebast. M. c. 3. p. 2.

v. 11. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli.* in F. S. Georgii M. c. 3. p. 3.

Ad Timotheum.

Cap. 1. v. 14. *Ignorans feci.* in Festo Præsent. B. V. M. c. 3. p. 3.

2. Ep. Cap. 2. *Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* in F. SS. Fab. & Sebast. M. c. 3. p. 2.

Cap. 4. v. 8. *Pietas ad omnia utilis est, habens promissionem vitæ quæ nunc est & futuræ.* in F. S. Leopoldi Conf. c. 2. p. 4.

1. Ep. Cap. 2. *Non in tortis crinibus aut auro aut margaritis vel veste pretiosa sed, quod decet mulieres.* in F. S. Ludmillæ. c. 2. in exord.

Cap. 6. v. 6. *Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia.* in Festo S. Leopoldi Confessoris c. 2. p. 4.

Ad Titum.

Cap. 3. v. 4. *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei.* in F. S. Leopoldi Conf. c. 1. p. 2.

Ad Hebræos.

Cap. 4. v. 12. *Vivus est sermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti.* in F. SS. Fab. & Sebast. M. c. 3. p. 1.

Cap. 9. v. 24. *Introivit semel in sancta æterna redemptione inventa.* in F. Purificat. B. V. M. c. 1. p. 5.

Cap. 10. v. 38. *Nam justus ex fide vivit.* in F. Annunc. B. V. M. c. 1. p. 2.

Cap. 11. v. 17. *Fide obtulit Abraam Isaac, arbitrans quia à mortuis suscitare eum est potens Deus.* in Festo S. Procopii Abb. c. 2. p. 4.

v. 36. *Alii ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt.* in Festo SS. Fab. & Sebast. M. c. 4. in exord.

Cap. 13. v. 7. *Mementote præpositorum vestrorum, quorum intuentes exitum conversationis imitamini fidem.* in Festo SS. Cyrilli & Methudii c. 2. p. 4.

Epistola Jacobi.

Cap. 1. v. 17. *Omne datum desursum est.* in F. S. Rosarii. c. 1. p. 3.

Petri.

Ep. 1. Cap. 1. v 13. *Succincti lumbos mentis vestræ sobrii perfecti sperate in eam, quæ affertur vobis gratiam in revelationem Iesu Christi.* in Festo SS. Cyrilli & Methudii. c. 1. p. 4.

Cap. 2. v. 24. *Qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum.* in Festo Visit. B. V. M. c. 2. p. 2.

Cap. 4. v. 8. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* in Festo S. Barbaræ V. & M. c. 1. p. 5.

Cap. 5. v. 8. *Circuit quærens quem devoret.* in Festo Visitationis B. V. M. c. 3. p. 1. item in Festo S. Wenceslai M. c. 2. p. 2.

Ep. 1. Cap. 1. v. 7. *Vt probatio fidei vestræ multo pretiosior auro quod per ignem probatur, inveniatur.* in F. S. Barb. V. & M. c. 2. p. 5.

Apocalypsis.

Cap. 1. v. 13. *Vidi similem filio hominis præcinctum ad mamillas zonâ aureâ.* in Festo SS. Cyrilli & Methudii. M. c. 1. p. 4.

Cap. 2. v. 10. *Esto fidelis usque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ.* in F. SS. Fab. & Sebast. M. c. 4. in exordio.

Cap. 4. v. 4. *Circumamicti vestibus albis.* in F. S. M. ad Nives c. 3. in exord.

Cap. 5. v. 6. *Sto ad ostium & pulso.* in F. Visitat. B. V. M. c. 3. p. 1.

v. 13. *Et omnem creaturam quæ in cœlo est & super terram, & sub terra, & quæ sunt in ea, omnes audivi dicentes: sedenti in throno & agno benedictio, & honor & gloria.* in F. S. Leopoldi Conf. c. 1. p. 5.

v. 9. *Redemisti nos in sanguine tuo ex omni tribu & lingua & natione & fecisti nos Deo nostro regnũ.* in F. S. Leo. Con c. 3. p. 1.

Cap. 7. v. 14. *Isti venerunt ex magna tribulatione & laverunt stolas suas in sanguine agni.* in Festo S. Viti M. c. 4. p. 4. item in Festo S. Barbaræ V. & M. c. 2. p. 4.

Cap. 12. v. 1. *Mulier amicta sole & luna sub pedibus ejus.* in Concept. B. V. M. c. 2. p. 4. item in F. Assumpt. B. V. M. c. 4. p. 1.

v. 1. *Signum magnum apparuit in cœlo.* in F. Concept. B. V. M. c. 3. p. 1. item in F. Nativit. B. V. M. c. 3. p. 3. item in Festo Purificat. B. V. M. c. 3. p. 3.

v. 1. *Signum magnum apparuit in cœlo; mulier amicta sole & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim, in utero habens.* in F. Annunc. B. V. M. c. 4. in exord.

Cap. 21. v. 23. *Civitas quæ sole non eget.* in F. Præsent. B. V. M. c. 3. p. 1.

FINIS.

INDEX MATERIARUM NOTABILIUM,

Quæ in hoc Tomo continentur.

Litera F. denotat Feſtum. C. Concionem. P. Punctum.

A.

Adventus Sanctorum ad alienas domus fortunatus. in Feſto Viſit. B. V. M. c. 2. p. 1. & ſeq.

Adulatorum mendacia primum in aulis Regū & Principum locum habent. in Feſto Sigismundi. c. 4. p. 1.

Alexander Magnus amans erat hiſtoriarum Homeri. in Feſto S. Joſeph Sponſi. B. V. c. 1. p. 1.

Anima hominis eſt templum Dei. in Feſto Præſent. B. V. Mariæ. c. 1. in exord.

Animatum templum eſt Deipara virgo. in F. Concept. B. V. M. c. 1. in exord.

Aquæ ductui Deipara virgo comparatur. in Feſto Nativit. B. V. c. 3. p. 2.

Aſſumptionis Deiparæ virginis excellentia variis ſignis illuſtratur. in Feſto Aſſumpt. B. V. c. 2. p. 1. & ſequent. item in C. ſequentibus.

Arcæ veteris teſtamenti Deipara virgo comparatur. in Feſto Viſit. B. V. M. c. 2. p. 1. & ſeq.

Auroræ effectus deſcribuntur. in Feſto Nativit. B. V. c. 4. p. 5.

Aurora eſt typus Deiparæ Virginis. in Feſto Nativit. B. V. M. c. 4. p. 1. & ſequent.

Aurifaber eſt typus Dei Sanctos ſuos igne tribulationum excoquentis. in Feſto Sanctorum Fabiani & Sebaſtiani. c. 3. p. 3. & 4.

B.

Benedicta tu in mulieribus. in Feſto Concept. B. V. M. c. 4. puncto. 1. & ſequent.

Bellandi modus duplex. in Feſto SS. Roſarii. c. 2. p. 1. 2. & 3.

Bibliothecæ Conſtantinopolitanæ elogium. in Feſto Nativitatis B. V. Mariæ. c. 2. p. 2.

Bonorum Sancti Adalberti diviſio qualis. in Feſto Sancti Adalberti. c. 2. p. 3.

Bonorum Paſtorum præſtantia. in Feſto Sancti Adalberti Martyris. c. 4. p. 1. & ſequent.

C.

Cadaveris nomen quid in Chriſto deſignet. in Feſto S. Georgii Martyr. c. 1. p. 1.

Calceamenta Moyſis ſoluta quid deſignent. in Feſto Viſitationis B. V. Mariæ. c. 3. p. 2.

Calceamentorum Deiparæ Virginis pulchritudo. in Feſto Præſentat. B. V. c. 3. p. 2.

Ceremoniæ quæ in candelis benedicendis adhibentur quid designent. in Festo Præsentationis. B. V. Mariæ c. 2. p. 2. & 3.

Celsitudo Deiparæ Virginis Viti comparatur. in Festo Annunc. B. V. Mariæ. c. 4. p. 5.

Civitas Dei est Virgo Deipara. in Festo Concept. B. V. M. c. 1. in exord.

Conceptionis Mariæ Virginis diu desiderata dies. in Festo Concept. B. V. M. c. 1. p. 1. & seq.

Coronarum pro diversitate meritorum distributio. in Festo S. Sigismundi M. c. 3. p. 1.

Christus Dominus officium egit Generalis peritissimi. in Festo SS. Fab. & Sebast. M. c. 2. in exord.

Clypei in turri David dispositi quid denotent. in Festo S. Barbaræ. c. 4. p. 5.

Crux Christi omni fideli est accipienda. in Festo Sancti Viti Mart. c. 4. p. 1. & sequent.

Crucis Domini portandæ occasio nusquam deest. in Festo S. Viti M. c. 4. p. 5.

D.

Deus simplex est & nullius doli capax. in Festo S. Leopoldi Conf. c. 1. p. 3.

Descensus Domini de monte humilitatem sonat. in Festo SS. Fab. & Sebast. M. c. 1. p. 1. & 2.

Descensus Domini de monte rationes. in F. SS. Fabiani & Sebast. Mart. c. 1. p. 3.

Divina secreta majoribus sanctis revelantur. in Festo S. Adalberti Mart. c. 3. p. 1.

Domus Dei præstantissima est virgo Deipara. in Festo Præsentat. B. V. M. c. 3. p. 1. & seq.

Domesticos à suis odio haberi nihil novi. in Festo S. Viti Mart. c. 2. p. 1. 2. & sequent.

Dona Dei Virgini Mariæ collata quæ & quanta. in Festo Concept. B. V. M. c. 4. p. 3. 4. 5.

Duo Cherubin sanctuarii quidnam denotent. in Festo Annunc. B. V. M. c. 3. in exordio.

Duo Cherubin aurei quidnam denotent. in F. Joseph. c. 1. p. 1.

Duplex status Austri & Aquilonis quid denotet. in Festo Sancti Leopoldi Conf. c. 1. in exordio.

E.

Encœnia quidnam denotent. in Festo Præsentat. B. V. M. c. 3. in exordio.

Epitheta pleraque Deiparæ V. M. in Festo Concept. B. V. M. c. 3. p. 1.

Excellentia Jesu in quonam vel maxime. enituerit. in Festo S. Georgii Mart. c. 1. p. 1.

F.

Falce divinâ eget tam peccator quam justus in Festo Sancti Georgii Martyris. c. 2 p. 4.

Ferculo Salomonis Deipara virgo comparatur. in Festo Visitationis B. V. Mariæ c. 1. p. 1.

Festinatio B. V. Mariæ Elizaheth invisentis expenditur. in Festo Visit. B. V. M. c. 1. p. 2. & 3.

Festum luminum seu candelarum quidnam denotet. in Festo Præsentat. B. V. M. c. 3. p. 4. & 5.

Figuræ conceptionem B. V. Mariæ denotantes. in Festo Concept. B. V. c. 1. p. 3. 4. & 5.

Firmamentum est typus B. V. M. in Festo Concept. B. V. M. c. 3. p. 5.

Formositas Deiparæ quanta. in Festo Concept. B. V. M. c. 2. p. 5.

Fortitudo non solum viris sed etiam fœminis adscribitur. in Festo Sanctæ Barbaræ. c. 4. p. 1.

Foribus domuum præfigi solent insignia. in F. S. Barbaræ. c. 4. p. 4.

Fumus odorem spirans quidnam denotet. in Festo Conceptionis B. V. Mariæ. c. 3. p. 3.

Fundamenta templi Salomonis, symbolum fuerunt Deiparæ Virg. in Festo Concept. B. V. c. 3. p. 4.

G.

Gaudia vera ad solos justos pertinent. in Festo Visitat. B. V. Mariæ. c. 1. p. 4. & 5.

Gladius à Christo in mundum missus quid designet. in Festo S. Viti M. c. 1. p. 1. & sequent.

Gladius est triplex. in Festo SS. Fabiani & Sebastiani. c. 3. p. 2. & 3.

Gloria filiorum patres eorum. in Festo SS. Cyrilli & Methudii. c. 3. in exord.

Gloria Christi Domini à morte splendidior. in Festo S. Georgii Mart. c. 1. p. 1.

Gratia Christi excitans est cordis humani malleus. in Festo Visit B. V. M. c. 5. p. 1.

H.

Helenæ formositas typus Deiparæ Virginis. in Festo Concept. B. V. Mariæ c. 5. in exord.

Hortus conclusus est Virgo Beatissima. in F. Præsent. B. V. M. c. 1. p. 5.

Hortorum artificiata expenduntur. in Festo S. Barbaræ c. 3. in exord.

Hortulanus est typus Dei purgantis palmites suos. in Festo S. Georgii M. c. 2. p. 1. & seq.

Humilitas est vicina sapientiæ. in Festo Annunc. B. V. M. c. 3. p. 4.

Humilitas B. Virginis quam profunda. in Festo Annunc. B. V. c. 5. p. 4.

Humilitas Deiparæ quantum Deo grata fuerit. in Festo Annunc. B. V. Mariæ c. 5. p. 5.

Humilitas Deiparæ virginis portam cœli aperuit. in Festo Annunc. B. V. Mariæ c. 4. inexord.

Humilitas Deiparæ Virginis ipsis quoque Angelis admirationi fuit. in Festo Annunc. Beatæ Virg. Mariæ. c. 4. p. 1. & sequent.

Humilitatis stupenda exempla in Purificatione Deiparæ elucescunt. in Festo Purificat. B. V. c. 5. p. 1. & sequent.

I.

Incarnatio Domini cur tam diu dilata. in Festo Annunc. B. V. M. c. 3. p. 1. & sequent.

Infantiles anni Deiparæ Virginis exemplo sunt juventuti. in Festo Præsent. B. V. c. 2. p. 1.

Inservire saluti publicæ aliorum, majus est quam propriæ. in Festo S. Procopii Abb. c. 3. p. 2. & seq.

Joseph Deiparæ Sponsus cum altero Joseph antiquæ legis comparatur. in Festo S. Joseph Sponsi Deiparæ V. c. 1 p. 1. & sequent.

Joseph cur ab Angelo filius David appellatus. in Festo S. Joseph. Sponsi Deiparæ V. c. 2. p. 1. & sequent.

Justorum hostes sunt tres præcipui. in Festo Sancti Wenceslai Mart. c. 2. p. 2. & sequent.

Justus de una virtute procedit in aliam. in Festo Sancti Wenceslai Mart. c. 4. p. 1.

Justi homines luci comparantur. in Festo SS. Cyrilli & Methudii. c. 2. in exordio.

Justorum arma quibus depugnare solent. in Festo Sancti Procopii Abb. c. 4. p. 1. & sequent.

L.

Laborandum prius quam epulandum. in Festo SS. Fabiani & Sebastiani Mart. c. 2. in exord.

Lampades quædam ardentes & non consumptæ. in Festo Sanctæ Barbaræ M. c. 1. p. 1.

Legationes magnæ solemniter fieri consueverunt. in Festo Annunc. B. V. c. 2. p. 2.

Liber mysticus est Deipara Virgo Maria. in Festo Nativitat. B. V. Mariæ c. 1. p. 1. & sequent.

Liber Deiparæ Virginis omni errore carens. in Festo Nativ. B. V. c. 2. p. 5.

Librorum inventores laude digni. in Festo Nativ. B. V. c. 1. in exord.

Libri antiquitus quales fuerint. in Festo Nativit. B. V. c. 2. p. 1.

Limus terræ cunctorum est hominum materia. in Festo Concept. B. V. M. c. 5. p. 1.

Lilium inter ſpinas quid denotet. in Feſto S. Barbaæ. c. 3. p. 1.
Luna ſignum eſt celeritatis. in Feſto Præſent. B. V. c. 2. p. 2.
Lucernæ Sanctorum ſunt exempla ipſorum. in Feſto SS. Cyrilli & Methudii. c. 1. p. 5.

M.

Maria Deiparæ nomen expenditur. in Feſto Annunc. B. V. c. 1. p. 3.
Maria Virgo Jeſeu perſimilis. in Feſto Viſit. B. V. c. 4. p. 5.
Maria Virgo eſt templum animatum filii Dei. in Feſto Sanctæ Mariç ad Nives. c. 1. p. 3.
Maria Virgo ſoli comparatur. in Feſto Aſſumpt. B. V. c. 5. p. 1. & 2.
Maria Virgo cœlo ſtellato aſſimilatur. in Feſto Sanctæ Mariæ ad Nives. c. 4. p. 2.
Maria Virgo viſitans Elizabeth auroræ comparatur. in Feſto Viſitat. B. V. M. c. 4. p. 1.
Matres honorandæ à filiis. in Feſto Annunc. B. V. c. 2. p. 4.
Martyres Chriſti à cruce glorioſi. in Feſto S. Georgii M. c. 1. p. 5.
Mariam cur Marthæ Deus prætulerit. in Feſto Aſſumpt. B. V. Mariæ. c. 1. p. 2. & 3.
Manna cur foris extra caſtra pluebat. in Feſto Sancti Georgii Martyris. c. 4. p. 5.
Mirabilia Deus per ſanctos operatur. in Feſto Sancti Procopii Abb. c. 1. p. 1. & ſequent.
Miſericordiæ quanta ſit præſtantia. in Feſto SS. Cyrilli & Methudii. c. 4. p. 2.
Militia noſtra quænam ſit. in Feſto SS. Fabiani & Sebaſtiani Mart. c. 2. p. 1. & 2.
Militia ſpiritualis expenditur. in Feſto Sancti Georgii Martyris. concio. 3. puncto. 4. & 5.
Milites fortes recenſentur. in Feſto S. Georgii M. c. 3. p. 1.
Militare ſcutum apud antiquos multæ æſtimationis fuit. in Feſto S. Georgii. M. c. 4. p. 2.
Mulier amicta ſole & luna ſub pedibus ejus quidnam denotet. in Feſto Concept. B. V. c. 2. p. 4. item in Feſto Nat. B. V. c. 3. p. 3. item in Feſto Annunc. B. V. in exordio. item in Puriſicat. B. V. c. 3. p. 3.
Mulieris Evangelicæ eloquentia commendatur. in Feſto S. Mariæ ad Nives c. 4. p. 1.
Mundus hic eſt Bibliotheca quædam maxima. in F. Nativit. B. V. c. 1. in exord.
Munera quænam ſint grata Deo. in Feſto Puriſicat. B. V. c. 2. p. 5.

N.

Natalitia hominum qualiter ab Aſtrologis cenſurentur. in Feſto Viſit. B. V. c. 4. in exordio.
Negotiatores myſtici, mundanis comparantur. in Feſto Sanctæ Ludmillæ. M. c. 1. p. 2.
Nix eſt typus Deiparæ Virginis. in Feſto S. Mariæ ad Nives. c. 1. p. 4. & 5. item c. 2. p. 1. & ſeq.
Nobilitas bonis juncta moribus æſtimari ſolet. in Feſto S. Joſeph. c. 3. p. 4.
Nova Chriſti gloria ex cruce. in Feſto S. Georgii M. c. 1. p. 2. & ſequent.
Nota boni Principis. in Feſto S. Wenceslai M. c. 1. p. 1. & ſeq.
Nuncia læta non cœlanda. in Feſto Annunc. B. V. c. 2. in exord.

O.

Oblationi Jephte Deipara vrigo comparatur. in Feſto Præſentat. B. V. Mariæ. c. 4. p. 1.
Obediendum eſt parentibus. in Feſto S. Viti M. c. 3. p. 1.
Odor ſuave olens inviſus eſt ſerpentibus. in Feſto Præſentationis Beatæ Virg. c. 1. p. 2.
Olivæ binæ in hortulo Boëmiæ. in Feſto SS. Cyrilli & Methudii. c. 4. p. 1.
Olei virtutes. in Feſto S. Barbaræ. V. & M. c. 1. p. 5.

Ornatus cœlorum typus est pulchritudinis Marianæ. in Festo Concept. B. V. Mariæ c. 5. p. 1.

P.

Parentes Deo vocanti sunt postponendi. in Festo Sancti Viti Mart. c. 3 p. 2. & sequent.

Parentes sperationem filiorum non semper graviter ferre debent. in Festo S. Viti M. c. 3. p. 5.

Parentibus documentum à Deipara Virgine. in Festo Præsentat. B. V. Mariæ. c. 4. p. 3. 4. 5.

Paradisus cœlestis est Deipara Virgo Maria. in Festo Annunc. B. V. M. c. 1. p. 1. & sequent.

Paradisus terrestris est Mariani corporis typus. in Festo Concept. B. V. Mariæ. c. 2. p. 1.

Paradisus duo continet singularia. in Festo Concept. B. V. M. c. 6. p. 3.

Palma & rosa symbolum Deiparæ Virginis. in Festo Concept. B. V. M. c. 2. p. 3.

Palmites veræ vitis id est Christi Domini sunt Sancti ejus. in Festo S. Adalberti M. c. 2. p. 1.

Perfectio humana, est imperfectio apud Deum in Festo Purificat. B. V. Mariæ. c. 4. p. 4.

Peccata actualia ad tria capita referuntur. in Festo Præsentationis B. V. Mariæ c. 3. p. 3.

Præsentia Christi Jesu grata fuit discipulis. in Festo S. Procopii Abb. c. 3 p. 1.

Pœna sequitur culpam. in Festo S. Leopoldi Conf. c. 4. p. 2. & 3.

Pietatis fructus. in Festo Sancti Leopoldi c. 2. p. 5.

Princeps qui pius hic & magnus. in Festo Sancti Leopoldi Confessoris. c. 2. p. 1. & sequent.

Prosperitas nimia est veræ virtutis probatio. in Festo Sancti Georgii Martyr. c. 4. p. 3.

Purificationis Deiparæ Virginis mysteria. in Festo Purificat. B. V. Mariæ. c. 1. p. 1. & sequent.

Purificationis castissimæ Virginis variæ causæ demonstrantur. in Festo Purificat. B. V. M. c. 2. p. 1 & seq. item. c. 3. p. 3. item. c. 4. p. 1. & sequent.

Pulchritudinem totius universi superat Deipara Virgo. in Festo Conceptionis B. V. M. c. 5. p. 1. & seq.

Q.

Quatuor illustres hujus nominis Joseph. in F. S. Joseph. c. 2. p. 5.

Quemadmodum Deus mirabibilis in operibus suis, ita & in sanctis. in Festo S. Joseph. c. 4. in exord.

Quivis homo eget scissione & purgatione divina. in Festo S. Georgii Mart. c. 2. p. 3. 4. 5.

Quinque virginum fatuarum notatur imprudentia. in Festo Nativitatis B. V. M. c. 3. p. 5.

Quò pugna est atrocior eò victoria clarior. in Festo Sanctorum Fabiani & Sebastiani. c. 4. p. 1.

R.

Reges decet mentis constantia. in Festo Sancti Sigismundi Martyris. c. 1. p. 4.

Requiēs divina diei septimæ quidnam sibi velit. in Festo Præsentat. B. V. Mariæ. c. 1. p. 1.

Rosarii sacratissimi quot & quanti fructus. in Festo Sanctissimi Rosarii. c. 3. p. 1. & sequent.

Rosarium Sanctissimæ Virginis in libro vitæ primum locum obtinet. in Festo Sacratissimi Rosarii. c. 1. p. 1. & sequent.

Rosæ Jerichuntinæ Deipara similis. in Festo Sacratissimi Rosarii. c. 4. p. 3.

Roma est pulchrarum rerum conservatorium. in Festo Conceptionis B. V. Mariæ. c. 6. p. 5.

S.

Sancti viri cur sint in terris prædicandi. in Festo SS. Cyrilli & Methudii. c. 2. p. 1. 2. & 3.

Scala Jacob est typus Genealogiæ Domini. in Festo Sancti Joseph. c. 2. p. 3.

Septima creationis die, de vespere & manè cur nulla fiat mentio. in Festo Concept. B. V. M. c. 2. p. 3.

Septem sigilla quid denotent. in Festo Nativitatis Beatæ Virginis Mariæ c. 2. p. 4.

Serpentes fugiunt odorem vinearum. in Festo Præsentat. B. V. Mariæ. c. 1. p. 2.

Servitus Christianorum est vera nobilitas. in Festo S. Leopoldi Conf. c. 3. p. 1. & sequent.

Similitudo inter Joannem Baptistam & Christum Dominum. in Festo Visitat. B. V. M. c. 4. p. 3. & 4.

Similis quærit sibi similem. in Festo Visitationis Beatæ Virg. Mariæ. c. 4. p. 2. & 3.

Signa pro verbis antiquis in usu. in Festo Sancti Wenceslai Mart. c. 4. p. 1.

Simplicitas Apostolorum convertit totum orbem. in Festo Sancti Josephi. c. 3. p. 4.

Soli Deipara Virgo comparatur. in Festo Nativitatis Beatæ Virg. Mariæ. c. 3. p. 3.

Somnia non semper esse vera. in Festo S. Adalberti. c. 3. p. 5.

Solem cur Christus elegit sibi pro habitaculo. in Festo S. Wenceslai Mart. c. 4. p. 2.

Spes cœlestis vitæ & sanguis fidei. in Festo S. Ludmillæ. c. 1. p. 3.

Spes præmii solatium est laboris. in Festo SS. Fabiani & Sebastiani. c. 4. in exordio.

Statio Christi in loco campestri. in Festo SS. Fabiani & Sebastiani. c. 1. p. 4. & 5.

Sublimitas Deiparæ Virginis in quonam constiterit. in Festo Assumpt. B. V. M. c. 1. p. 4. & 5.

Superbia multum invisa Deo. in Festo Annunc. B. V. M. c. 3. p. 1. & 3.

T.

Tabernaculum vetus est typus Deiparæ virginis. in Festo Concept. B. V. M. c. 3. in exord. item in Festo Purificat. c. 1. in exordio item in Festo Assumpt. in exordio.

Templa Romana pluribus Diis dedicata. in Festo Nativit. B. V. Mariæ c. 4. in exordio.

Tentationes Diaboli multiplices. in Festo SS. Fabiani & Sebastiani. c. 2. p. 4. & 5.

Tres pastores celeberrimi numerantur. in Festo Sancti Adalberti Mart. c. 4. p. 1.

Tria difficilia Salomonis. in Festo S. Leopoldi Conf. c. 4. p. 1.

Thronus verbi incarnati est virgo Deipara. in Festo Concept. Beatæ Virg. Mariæ. c. 2. p. 2.

Thronus est proprium insigne Regiæ Majestatis. in Festo S. Sigismundi Confess. c. 1. in exord.

Turrium quarundam narratio texitur. in Festo S. Barbaræ c. 4. p. 3.

V.

Veritas in aulis exosa. in Festo S. Sigismundi c. 4. p. 2. 3. & sequent.

Vestimentum Deiparæ Virginis est nive candidius. in Festo S. Mariæ ad Nives c. 3. p. 1. & seq.

Vellus aureum symbolum est Deiparæ virginis. in Festo Concept. c. 6. p. 2.

Visionum divinarum diversi modi numerantur. in Festo S. Adalbert. Mart. c. 3. p. 3.

Virginalis sterilitas est summa fœcunditas. in Festo Sancti Wenceslai. c. 3. p. 1. & sequent.

Viduitatis vestem exuere quid denotet. in Festo S. Ludmillæ. c. 2. & sequent.

Vir magis dicitur à virtute quam virili ætate. in Festo Sancti Joseph. c. 2. p. 5.

Vocis prolatæ ab ore hominis varia signa dantur. in Festo Assumpt. B. V. Mariæ. c. 2. p. 1.

X.

Xerxis lachrymæ viso numeroso exercitu. in Festo SS. Fab. & Sebast. M. c. 1. in exordio.

Z.

Zeuxis artificium in Helena depingenda. in Festo Concept. B. V. M. c. 5. in exordio.

Zeuxis artificium in Junone pingenda. in Festo SS. Cyrilli & Methudii. c. 2. p. 4.

Zonâ esse præcinctum quid denotet. in Festo SS. Cyrilli & Methudii. c. 1. p. 2. 3. & 4.

FINIS.

PARADISUS CONCIONATORUM TETRALOGIÆ MYSTICÆ,

Sive

Quatuor Sermonum Prædicabilium,

interdum verò plurium,

TOMUS QUARTUS.

In quo

Sanctorum Patronorum & Fundatorum, sive Instauratorum aut Propagatorum Sacrorum Ordinum Regularium,

QUATUOR PANEGYRICI SEU PLURES RECENSENTUR.

Quos decantavit linguâ & calamo

Fr. RAPHAEL DELAMINETZ,
Prædicator Generalis, Prior Conventus Pilsnensis,
Ordinis Prædicatorum, in Provincia
Boëmiæ.

Eoque sequuntur Ordine quem sequens Tabella indicat.

ASCHAFFENBURGI,
Sumptibus JOANNIS ARNOLDI CHOLINI.

M DC LXVII.

TABELLA

Patronorum, Fundatorum, sive Instauratorum & Propagatorum, Sacrorum Ordinum Regularium.

1. *S. Paulus primus Eremita, Fundator Ordinis suimet nominis.*
2. *S. Antonius veteris Monachorum Instituti Fundator.*
3. *S Basilius Magnus, Ordinis sui nominis Fundator.*
4. *S. Augustinus Episc. & D. Eccles. Canonicorum Regularium, nec non Eremitarum Fundator.*
5. *S. Benedictus Abbas, Ordinis sui nominis Fundator.*
6. *S Romualdus Abbas, Ordinis Camalduensium Fundator.*
7. *S. Bruno Confessor, Ordinis Carthusianorum Fundator.*
8. *S. Bernardus Abbas, Ordinis Cistercienſium Propagator.*
9. *S. Norbertus Abbas, Ordinis Præmonstratenſium Fundator.*
10. *S. Dominicus Confessor, Ordinis Prædicatorum Fundator.*
11. *S. Franciscus Confessor, Ordinis Minorum Fundator.*
12. *S. Elias Propheta, Ordinis Carmelitarum Patronus.*
13. *S. Mater Theresia, Ordinis Carmelitarum Reformatrix.*
14. *S. Raymundus Confessor, Ordinis Prædicatorum; B. V. Mariæ de mercede redemptionis Captivorum Fundator.*
15. *S. Franciscus de Paula, Ordinis Paulinorum Fundator.*
16. *S. Ignatius Confessor, Societatis Iesu Fundator.*
17. *S. Philippus Nerius, Congregationis Oratorii Fundator.*
18. *S. Ioannes de Deo, Ordinis Fratrum Misericordiæ Fundator.*

NOTA.

Dantur præterea complures Sacri Ordines Regularium, quos Laurentius Beyerlinck Magni Theatri vitæ humanæ Tomo Sexto (sub titulo Religio) copiosè enumerat: Sed quia Fundatores seu Propagatores ipsorum, nec dum sunt à Sacra Romana Ecclesia pro sanctis publicati, & quorundam exacta ac sufficiens notitia non habetur, ea propter mentio illorum prærermittitur.

Laudemus Viros Glorioſos.

Eccleſiaſtici 44. Cap.

PUblica dum Græcis fierent convivia priſcis
Miſcebant pariter cum genio, ingenium.
Nam dum convivas geniali ſede locatos
Tractarent, lautis exciperentque cibis.
Heroum ſimulacra depicta ſuorum
Moris erat menſis exhibuiſſe ſuis.
Ut ſicut hi patriam geſtis ornando coruſcis
Haud decus exiguum promeruere ſibi:
Sic & ii ſimili ducti Virtutis amore
Ipſorum cuperent inclyta facta ſequi.
Non deſunt noſtris convivia plurima menſis,
Myſtica quæ nobis dextera ferre ſolet.
Nec deſunt exempla Patrum, quos jure beatos
Virtutum titulis inclyta geſta ſonant.
Non inciſa quidem ferro, ſeu picta colore
Zeuxis, ſed calamo qui ſua geſta notat.
Dumque tuis ſpectanda oculis proponit, id ipſum
Autoris dextram prodit, & ingenium;
Qui tibi non Decios, Turnos, ſævoſque Nerones
Profert, quos feritas extulit atque furor:
Aſt hos; qui Chriſti veſtigia ſacra ſecuti,
Exemplis monſtrant, hæc imitanda tibi.

Applaudebat Operi

Novitiatus Pragenſis S. Ægidii, Ord.
Prædicatorum.

INDEX THEMATUM.

In festo S. Pauli Primi Eremitæ, Ordinis sui Nominis Fundatoris.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.

Exiit primo mane conducere operarios. Matth 20. v. 1. p. 1

Thema Sermonis 2.

In protectione Dei cœli commorabitur. Psalm. 90. v. 1. p. 3

Thema Sermonis 3.

Cervis præcepi ut pascant te. 3. Reg. 17. v. 4. p. 6

Thema Sermonis 4.

Induit se loricam sicut Gigas. 1. Mach 3. p 9

In festo S. Antonii, Veteris Monachorum instituti Fundatoris.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.

Dilectus Deo, & hominibus. Eccles 45. v. 1 p. 11

Thema Sermonis 2.

De fructu manuum suarum plantavit vineam. Prov. 31. v. 46. p. 14

Thema Sermonis 3.

Certamen fortè dedit illi ut vinceret. Sap. 10. v. 20. p. 16

Thema Sermonis 4.

Ex Ægypto vocavi filium meum. Ose. 11. v. 1. p. 19.

In Festo S. Basilii Magni, Ordinis sui nominis Fundatoris.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.

Munimenta Saxorum sublimitas ejus. Isaiæ 33. v. 16. p. 21.

Thema Sermonis 2.

Non est inventus similis illi in gloria. Eccl. 44. v. 20. p. 23.

Thema Sermonis 3.

In diebus peccatorum, corroboravit pietatem. Eccl. 49. v. 4. p. 26.

Thema Sermonis 4.

Lux Dei vestigium ejus est. Eccl. 50. v. 31. p. 28.

In festo S. Augustini, Episcopi & Ecclesiæ Doctoris, nec non Fundatoris Canonicorum, Regularium & Eremitarum.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.

Vos estis Lux mundi Matth. 5. v. 14. p. 31.

Thema Sermonis 2.

Vos estis Lux mundi. Matth. 5. v. 14. p. 33.

Thema Sermonis 3.

Quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei. Eccl. 50. v. 7. p. 36.

Thema Sermonis 4.

In diebus ipsius emanaverunt putei aquarum, & quasi mare adimpleti sunt, supra modum. Eccl. 50. v. 3. p. 39.

In festo S. Benedicti, Abbatis, Ordinis sui nominis Fundatoris.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.

Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ. Isaiæ 49 v. 23. p. 41

Thema Sermonis 2.

Mirificavit Dominus sanctum suum. Psalm. 4. v. 4. p. 44

Thema Sermonis 3.

Vidi visiones Dei. Ezech. 1. v. 2. p. 46

Thema Sermonis 4.

Vos qui reliquistis omnia, sedebitis super sedes. Matth. 19. v. 28. p. 49

In Festo Romualdi Abbatis, Ordinis Camalduensium Fundatoris.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Germinaverunt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum. Joel. 2. v. 22. p. 51.
Thema Sermonis 2.
Magna erit gloria domus istius novissima, plus quàm prima. Aggæi. 2. v. 10. p. 53.
Thema Sermonis 3.
Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te. Matth. 19. v. 27. p. 57.
Thema Sermonis 4.
Quid ergo erit nobis? Matth. 18. v. 27. p. 58.

In Festo S. Brunonis Confessoris, Ordinis Carthusianorum Fundatoris.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Dixi custodiam vias meas. Ps. 38. v. 1. p. 60.
Thema Sermonis 2.
In silentio & spe erit fortitudo tua. Isa. 30. v. 15. p. 63.
Thema Sermonis 3.
Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Luc. 12. v. 35. p. 65.
Thema Sermonis 4.
Vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando revertatur à nuptiis. Luc. 12. v. 36. p. 67.

In Festo S. Bernardi Abbatis, Ordinis Cistercienſium Propagatoris.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Volavit ad me unus de Seraphim. Isa. 6. vers. 6. pap. 69.
Thema Sermonis 2.
Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu. Gen. 49. v. 22. p. 72.
Thema Sermonis 3.
Bibens vinum inebriatus est. Gen. 9. v. 21. p. 74.
Thema Sermonis 4.
Germinabit sicut lilium, & erumpit radix ejus, ut Libani, ibunt rami ejus. Oseæ. 14. v. 6. 77.

In Festo S. Norberti Pontificis, Ordinis Præmonſtratenſium Fundatoris.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Magnificavit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstra placavit, Eccles. 45. v. 2. p. 79.
Thema Sermonis 2.
Qui vicerit sic vestietur albis, Apoc. 3. v. 5. p. 82.
Thema Sermonis 3.
Candidiores Nazarei ejus Nive. Thren. 4. v. 7. p. 84.
Thema Sermonis 4.
In monte Syon erit salvatio, & ibi Sanctus, Abdias Propheta, v. 17. p. 87.

In Festo S. Dominici Confessoris, Ordinis Prædicatorum Fundatoris.

Sermones 8.

Thema Sermonis 1.
Vos estis lux mundi. Matth. 5. v. 14. p. 90.
Thema Sermonis 2.
Vos estis lux mundi. Matth. 5. v. 14. p. 92.
Thema Sermonis 3.
Hic magnus vocabitur in regno cœlorum, Matth. 5. v. 19. p. 95.
Thema Sermonis 4.
Collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubim, Gen. 3. v. 24. p. 97.
Thema Sermonis 5.
In vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroboravit templum. Eccl. 50. v. 1. p. 100.
Thema Sermonis 6.
Laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset. Luc. 16. v. 8. p. 102.

Thema Sermonis 7.
Quasi sol refulgens, sic ipse effulsit in templo Dei. Eccl. 50. v. 7. p. 106
Thema Sermonis 8.
Et quis potest similiter gloriari tibi. Eccles. 48. vers. 4. p. 109

In festo S. Francisci Confessoris, Ordinis, Minorum Fundatoris.

Sermones 5.

Thema Sermonis 1.
Confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Matthæi 11. v. 25. p. 111
Thema Sermonis 2.
Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Matthæi 11. vers. 25. p. 114
Thema Sermonis 3.
Discite à me quia mitis sum & humilis corde Matth. 11. v. 29. p. 116.
Thema Sermonis 4.
Species quarti similis filio Dei. Dan. 3. v. 93. p. 119
Thema Sermonis 5.
Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. ad Gal. 6. v. 14. p. 21.

In festo Eliæ Prophetæ, Ordinis Carmelitarum Fundatoris.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Surrexit Elias Propheta, quasi ignis. Eccles. 48. vers. 1. p. 125
Thema Sermonis 2.
Amplificatus est Elias in mirabilibus suis. Eccles. 48. v. 4. p. 127
Thema Sermonis 3.
Elias dum zelat zelum, receptus est in cœlum. Machab. 2. v. 58. p. 130
Thema Sermonis 4.
Elias homo erat similis nobis. Jacob. Apost. cap. 5. v. 17. p. 132

In festo S. Theresiæ, novæ Reformatricis, Carmelitani Ordinis Discalceatorum Fundatricis.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Supra modum mater mirabilis, & bonorum memoria digna. 2. Mach. 7. v. 20. p. 134
Thema Sermonis 2.
Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est. Lucæ primo vers. 48. p. 137
Thema Sermonis 3.
Mulierum fortem quis inveniet? procul & de ultimis finibus pretium ejus. Proverb. 31. vers. 10. p. 139
Thema Sermonis 4.
Novo bella elegit Dominus. Iudic. 5. v. 8. p. 142

In festo S. Raymundi Confessoris, Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Fundatoris.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Exaudivit pauperes Dominus, & vinctos suos non despexit. Ps. 68. v. 34. p. 145
Thema Sermonis 2.
Duplicia reddam tibi. Zach. 9. v. 12. p. 147
Thema Sermonis 3.
Homo qui jucundatur in filiis vivens. Ecclesiast. 25. v. 10. p. 150
Thema Sermonis 4.
Genuit filium ad imaginem, & similitudinem suam. Gen. 5. v. 3. p. 153

In Festo S. Franciſci de Paula Confeſſoris, Ordinis Paulinorum Fundatoris.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Minimus erit in mille, & parvulus in gentem fortiſſimam, Iſaiæ 60. v. 22. p. 155.
Thema Sermonis 2.
Iam non eſt ſervus ſed filius. Ad Galatas 4. verſ. 7. p. 158
Thema Sermonis 3.
Magnus vocabitur in regno cœlorum. Matthæi 5. v. 19. p. 160
Thema Sermonis 4.
Vade & accipe librum apertum de manu Angeli ſtantis ſupra mare & ſuper terram. Apocal 10. v. 8. p. 162

In feſto S. Ignatii Confeſſoris, Societatis Ieſu Fundatoris.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Fidelis Deus ſuper quem vocati eſtis, in ſocietatem filii ejus Ieſu Chriſti. 1. Corinth. 1. verſ. 9. p. 165
Thema Sermonis 2.
Quaſi ignis effulgens, & thus ardens in igne. Eccl. 50. v. 9. p. 167.
Thema Sermonis 3.
Purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum Malach. 3. v. 3. p. 170
Thema Sermonis 4.
Manus tua fortis. & brachium tuum extentum ubique. 3. Reg 8. v. 41. p. 172

S. In feſto S. Philippi Nerii Confeſſoris, Congregationis Oratorii Fundatoris.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Domus mea domus Orationis vocatur. Iſaiæ 56. verſ. 7. p. 175
Thema Sermonis 2.
Dilataſti cubile tuum. Iſaiæ 57. v. 8. p. 178
Thema Sermonis 3.
Magnificatus eſt uſque in ſublime. 2. Paral. 17. verſ. 12. p. 180
Thema Sermonis 4.
Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus. Pſalm. 138. verſ. 12. p. 182

In Feſto S. Ioannis De Deo, Patris Pauperum & Fundatoris Ordinis fratrum Miſericordiæ.

Sermones 4.

Thema Sermonis 1.
Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Matth. 5. v. 7. p. 175
Thema Sermonis 2.
Circa illum Corona fratrum. Eccleſiaſtici 50. verſ. 13. p. 188
Thema Sermonis 3.
Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. 1. Cor. 1. v. 21. p. 191
Thema Sermonis 4.
Memoriale tuum in generationem & generationem. Pſal. 101. v. 13. p. 194

FINIS.

IN FESTO S. PAULI PRIMI
Eremitæ, Ordinis sui nominis Fundatoris.

CONCIO I.

Exiit primo mane conducere operarios. Matth. 20. v. 1.

EX primis operariis quos Paterfamilias universi, nempè unigenitus Dei filius Christus Jesus, exiens summo manè, conduxit in vineam suã, proponit nobis hodie S. mater Ecclesia, memoram laudabilem S. Pauli primi Eremitæ. Hic enim cum imitatus fuisset S. Abraam magni Patriarchæ vestigia, qui egressus de terra cognationis suæ, nec non domo suâ paternâ, perrexit ad terram alienam, & in tabernaculis habitavit expectãs promissionem Dei. S. quoq; Paulus primus Eremita, spretâ similiter conversatione mundi, ædibusque paternis derelictis, in vastissimam se conferens solitudinem, non in tabernaculis, sed quod plus est, in antris & speluncis Eremi habitavit, quia inquam sua vocatione similis extitit Abraamo in honore quoque sibi à Deo collato, sancto eidem Patriarchæ, haud dispar apparuit. Ut sicuti Abraam Patriarcha meruit dici essèque primus pater multarum gentium, eodem modo & S. Paulus pro primo Eremita, & magno patre eremicolarum, sive sanctorum illorum Patrum in Eremo degentium, habeatur. Dum illi Ammonitæ contra populum Israelis castra posuissent, carentes suo Duce, qui illos in certamine antecederet, in castris suis proclamarunt. *Qui primus ex nobis, contra filios Ammon cœperit dimicare, erit Dux populi Galaad.* Inventus est Jephte vir fortissimus qui ab illis acceptatus pro Duce, fortissimè & felicissime cum adversariis conflixit. Idem & ego de S. Paulo primo Eremita proferre possum, siquidem primus Eremum petiit, primus cum hoste salutis humanæ depugnavit, cæterosque commilitones suos, nempè fratres in Christo adunatos, sanctos illos Eremicolas, artem cum tali hoste pugnandi docuit; siquidem in illa Eremi vinea primus erat operarius. Primo inquam mane conductus à Patrefamilias, non immerito quoque ab Ordine suo, pro Patriarcha habetur, & primus ex illis honoratur, quos cœlestis Paterfamilias, exiit primo mane conducere operarios. Quænam hujus Sancti Fundatoris prima operatio, quisnam labor fuerit in hac concione audietis.

Gen. 12. v. 4.

Gen. 17. v. 5.

Iud. 10. v. 18.

I. Si vellem hic examinare horas omnes, quibus hic paterfamilias vocavit operarios in vineam suam, tunc omnes hi operarii Sancto Paulo primo Eremitæ, primum quoque honoris gradum facile concederent: Si enim hic per operarios, velimus intelligere sacros Ordines, eorumque fundatores, cum quidam illorum horâ tertiâ, quidem sextâ aliqui nonâ, plerique etiam undecimâ in hanc fructiferam vineam Domini vocati & conducti fuerint: Sanctus vero Paulus primus Eremita pro operario primo mane conducto habeatur, hinc etjam ordine temporis cæteros anteiret. Sed quia singuli hi operarii ex eodem denario conducti erant, & æqualiter omnes unum præmium acceperunt, & insuper in fine parabolæ dici sibi audierunt. *Erunt primi novissimi & novissimi primi:* hinc jam non desumam laudum materiam pro Sancto Paulo primo Eremita, ex prioritate temporis, sed potius suæ voluntatis, qua Sanctus Paulus ita promptè ferebatur in Deum, ut à nullo se in servitio & amore divino prævenirì pateretur, quin in illa eremo manens, de nulla alia re erat sollicitus, nisi de hoc, ut in prima illa vocationis suæ occasione

Matt. 20. v. 16.

ad possessionem divinarum gratiarum pertingeret, nec immeritò: Sanctus Paulus Apostolus ad Hebræos scribens 2. cap. atque de Hierosolyma cœlesti tractans, vocavit illam *Ecclesiam primitivorum*. Per quos primitivos os aurem Chrysostomi, spiritus beatorum intelligit, qui felici illa civitate glorioſi fruuntur & gaudent: ait enim, *Primitivos autem quos dixit? fideles videlicet & spiritus perfectorum*. Sed undè motus est Apostolus, ut beatos illos spiritus primitivos appellaret? Hæc fuit ratio visu meo, quia hi sancti qui jam in cœlo sunt, quamdiu in hac vita erant, in omnibus salutis suæ negotiis semper fuerunt primi, hoc est solliciti atque agiles. Primi in eleëmosynis erogandis, primi in condonandis injuriis, primi in fuga peccati, primi in executione præceptorum Dei, primi denique in cunctis operibus Christianis, nunquam inter pigros fuêre, aut in numero postremorum undè per hanc prioritatem, regno cœlorum dignos se reddiderunt, & ob id vocantur *Ecclesia primitivorum*.

Hebr. 2. v. 40. 12. S. Chrys. ibid.

II. E numero talium Ecclesiæ cœlestis primitivorum, habemus pro exemplo S. Paulum primum Eremitam, quo & nos ad sequelam similem incitati, in causa salutis nostræ semper primi, id est agiles & solliciti esse studeamus. Hic etenim fidelis Christi operarius, quem S. Hieronymus Eremitarum autorem & Magistrum vocat, apud inferiorem Thebaidem natus, cum in quinto decimo ætatis suæ anno, orbatus esset parentibus, quo tempore gentilis furor Decii Imperatoris in Ecclesiam & milites Christi maximo furore sæviebat, Sanctus iste, ut se ejusdem Ecclesiæ Christianæ primitivum esse demonstraret, tum declinandæ causa persecutionis, tũ etiam liberius Deo inserviendi, in juvenili illa ætate in eremum vastissimam se contulit, ubi ut soli Deo vacare posset, nec amplius auram mundanam persentiret, quæ ipsum in operatione salutis suæ distrahere, atque impedire posset, in quadam spelunca sexaginta annis hominibus ignotus permansit. Sed nunquid ibi quodam torpebat ocio, & vacabat desidiæ? minimè verò, quin imò, ne aliquo negligentiæ nævo notaretur, vel in numero postremorum poneretur, in omni virtutum exercitio primus erat, ut evitaret peccatum, fugit primus in eremum, ut per jejunia carnem suam maceraret, primus se contulit in eremum, ut consortia hominum evitaret, non enim ignorabat quanta peccatorum seges ex non nullorum hominum consortijs crescere posset, ut igitur hunc periculosum scopulum evitaret, contentus cœlestium primitivorum societate, cum solo Deo conversari posset, in speluncam se abdidit, pulchrum sane ac divinum documentum Christi fidelibus, ut si Ecclesiæ cœlestis primitivorum societate potiri velint, cum sancto Paulo primo Eremita, inter primos operarios esse conantur.

S. Hier. in vita.

III. Glorioſus Martyr S. Thomas Archiepiscopus Canthuariensis, in quadam Epistola quam ad regem Angliæ scripserat, pulchrum movet dubium, videlicet. Qui fiat quod cum Deus, ob Salomnis peccata decem regni sui partes, ab ejusdem hæredibus sustulerit, easdemque alterius cujusdam Regis subdiderit imperio, non idem propter Davidis peccata se facturum decreverit? Cur soli Salomoni dictum fuit; *Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, & præcepta mea quæ mandavi tibi, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud servo tuo Davidi*, ne vel minimum quid ex hisce verbis dictum fuit, nunquam illi ejusmodi comminationis fuerant intentatæ, aut castigati illius posteri, & tamen clarissimum est, æque ac Salomonem peccatis obnoxium fuisse? Respondet igitur S. hic Archiepiscopus, non ob aliud Regem Salomonem, gratia, Davidi concessa fuisse, indignum, quam. *Quia non quæsivit subito post delictum placere Dominum*. Quia Salomon post peccatum commissum, ad postulandam veniam, & placandam iram Dei, non fuit festivus atque sollicitus, ideo Deus, ob hunc neglectæ conversionis defectum, filiis suis integram Regni sui possessionem permittere noluit. David verò è contra: quia ne unam quidem horam post peccatum pœnitere distulit, hanc gratiam promeruit quæ Salomoni ob dilatam pœnitentiam denegata fuit. Qua in re perspicuè videtur, iis solum divinas concedi gratias qui exemplo S. Pauli primi Eremitæ, cæterorumque sanctorum Ecclesiæ cœlestis primitivorum, in negotio salutis suæ primi cum Davide & non postremi cum Salomone inveniri studeant, nempè, qui per viam pœnitentiæ & virtutum, ad gratiam Dei festinant venire contendunt

3. Reg. 11. v. 11.

S. Thom. Cant. apud Bar.

IV. Via ad cœlestem gloriam per quam ad conse-

consequendum æternæ beatitudinis bravium currendum est, à Sancto Paulo Apostolo in Epistola prima ad Corinthios vocata est stadium, qui sic ait: *Nescitis quod hi, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium*? Cur illam viam ad certandum in cursu destinatam, stadium appellavit? Sicuti enim Philippus Rex Macedonis, simili lusu oblectatus, ad quem filium quoq; suum magnum Alexandrum invitabat, eum inquam locum certaminis, ludum Olympiacum nominavit, sic etiam & Sanctus Paulus Apostolus, loco stadii aliud quodpiam vocabulum accepisse poterat, nempè circuli sivè spatii, aut alio simili uti poterat. Sanctus Bruno, hunc scripturæ locum explicans, declarat quid sit stadium dicitque. *Stadium dicitur spatium ducentorum viginti quinque passuum, quantum, Hercules uno anhelitu cucurrit, & non respiravit.* Unde colligitur Apostolum, dum viam quæ ducit ad cœlestem illum lusum olimpiacum stadium vocat, significare voluisse, quod quisquis tandem, cœlestis gloriæ bravium assequi desiderat, cum tanta velocitate currere debeat, ut ne uno quidem puncto seu momento, ad respirandum subsistat. Talis fuit S. Paulus primus Eremita quin imò in hoc passu cursus sui, Hercule fortior & agilior apparuit.

1. *Cor.* 9. *v.* 24.

S. Bruno ibidem.

V. Morsquæ est ultima omnium rerum linea: cursus seu vitæ suæ meta fuit, de qua id narrat S. Hieronymus, quod dum tali cursu vitæ suæ consummato, properaret ad præmium, & coronam cœlestem, visus fuerit inter Angelorum choros, inter Propheratum, & Apostolorum cœtus ad cœlum ascendere. Hic comitatus animam S. Pauli ad cœlum deducens quidnam significet, scire vultis? De Angelis quidem notum est juxta testimonium Sancti Pauli Apostoli administratorios esse spiritus, & ita agiles ut à Davide Rege sub typo ventorum describantur, ubi ait: *Qui ambulas super pennas ventorum.* Quod vero concernit Sanctos Dei neque ipsi pigriores erant, dum in terris degerent, velocissimè enim currentes per viam mandatorum Dei, pervenerunt feliciter ad metam suam, nempè ad *Ecclesiam primitivorum.* Et quoniam Sanctus Paulus primus Eremita, eodem modo sicut & illi bonum certamen certavit, cursum consummavit, fidem servavit, quia in via currenda mandatorum Dei eandum velocitatem servavit, ideò non immeritò ab iisdem cum honore maximo & lætitia beatorum, ad cœlestem gloriam deductus fuit, ubi primus noster Eremita cum primitivis cœlestis Ecclesiæ lætatur in æternum Amen.

Ad Heb. 5.

Ps. 103. *v.* 3.

IN FESTO S. PAULI PRIMI Eremitæ.

CONCIO II.

In protectione DEI cœli commorabitur. Psalmo 90. v. 1.

VErba thematis hujus quæ assumpsi ad decantandas laudes, Sancti Pauli primi Eremitæ, & Ordinis sui antiquitate clari fundatoris, viderentur aliquibus vestrum esse extra propositum Auditores præstantissimi, cum enim illa non iis quadrare, qui jam facti cœlicolæ, & cives Sanctorum, qui jam sunt extra omne periculum, qui jam omni securitate potiuntur, sunt enim in cœlesti gloriâ, nec amplius in aliquas insidias labi possunt, nullâ quoque protectione egere: sed nos peregrinos & viatores, qui degentes in hoc mundo, expositi sumus mille periculis, quibus hæc nostra peregrentio scatet: id gravissimi Autores locique hujus expositores testantur & docent, uti Bellarminus & Hugo S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui concorditer in hunc sensum ajunt. His verbis Sancti David promitti per Spiritum Sanctum auxilium, iis nunquam defuturum, qui verè spem suam in Deo repositam habent. Cum ergò Sanctus Paulus primus Eremita, non jam amplius, sit in via, sed in patria, non jam in eo

inanem suam operam in expugnatione urbis quatuor septimanis impensam, & ad id maximam suorum stragem, præmissis civitati minis cum exercitu retro cessit: eodē modo & Mullerus expugnationis suæ per tormenta, ignes, cuniculos, & assultus factæ, nullum effectum quin potius ingentem sui exercitus stragem comperiens, primam obsidionem solvit.

V. Putabat Pilsna post tantum obsidionis laborem, se quiete potituram, sed aliter evenit: nam rursus Anno 1433. à Thaboritis, Wiclephistis, nec non Orphanis, (tunc è Prussico bello cum camelo quem secum duxerant redeuntibus) oppugnata fuit: sed vano hostium eventu. Postquam enim Heroes Pilsnensium in securos irruissent, maximâ strage editâ, ipsum camelum in urbem reduxerunt. Mullerus similiter, tum à Rege Suecorum, tum ab Officialibus, per cavellum objurgatus, quod tantus Dux unam caveam seu Gallinarium expugnare nequiret, conjunctis viribus cum Comite Wrzchovvetz & Sandonio ad oppugnationem monasterii rediit; sed cum quantâ spe venerat cum tantâ ignominiâ (trecentis suorum cœsis; nec non à Diva Virgine, Sanctoque paulo primo Eremita & Ordinis hujus Patriarcha, in visione perterritus) cum festinatione repedavit. Post illam Pilsnensium victoriam ipsum quoque urbis nomen, suis hostibus invisum erat, nam Pilsenam pro amaro absynthio reputabant: Suecorum verò milites clari montis monasterium in tantum abhorrebant, ut ad imprecandum satis videretur; Apage Czestochovium Et quia nullus labor sine præmio, Pilsnenses quidem camelum suum captivum, inter insignia civitatis cum multis Regum & Imperatorum gratiis receperunt, à sede verò Apostolica, non solum plura insignia (nempè Angelum, crucem, claveſq;) sed indultum speciale, ut Dominica post Festum S. Stanislai, novum Festum quotannis celebrare possint. At Claromontani non solum à Rege & Principibus collaudati; sed & ipsum cœnobium, à sua Regia Majest Mons victoriæ est appellatū En quam verum Jsaiæ vaticinium. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquila.* Completum in spe & ipsa re uttiusque victoriæ, completum in aquilis, una Austriæ, altera Poloniæ, quarum una favet Pilsnæ victrici, altera claro monti triumphanti. Sed nunquid semel? Non: sed semel pro semper. Nam uti Pilsna victrix, sic etiam mons victoriæ, cum Ordine suo, in protectione Dei cœli commorabitur. Amen.

IN FESTO S. PAULI PRIMI Eremitæ,

CONCIO III.

Corvis præcepi ut pascant te. 3. Reg. 17. v. 4.

QUaliter olim Deus in antiquo testamento, cum Sancto Elia Propheta, maximo honoris sui zelatore processerat; non dispari modo in novo testamento, cum S Paulo primo Eremita ipsum egisse invenimus. Quemadmodum enim Elias Propheta, videns Regis Achab summam impietatem, quod non solum à vero Deo, Dominoque suo recesserit, suorumque antecessorum Idola colentium, nō solum vestigia secutus fuerit, sed eos majori adhuc sua nequitia superaverit. *Irritans Dominum Deum Israel, supra omnes Reges Israel, qui fuerunt ante eum*: ob id ad nutum Dei recedens de loco suo, in quo habitabat, Regno Israelis maledictione data, ejusque terræ, rore cœlii seu pluviâ subtractâ, abiit contra Orientem, & abscondit se in torrente Carith, ubi juxta sermonem Domini, aquam ex torrente bibit, & à corvis pascebatur. Eodem modo & Sanctus Paulus primus Eremita, cum animadvertisset maximam Decii Imperatoris impietatem, honorem Christi Jesu ejusque sacram fidem crudeli immanitate persequentis, execrans ejus malitiam, Deoque liberius inservire cupiens, abiit in eremum, seque in quandam speluncam abdidit, ubi centū ac tredecim

3. Reg. 17. v. 22.

annos

annos agens, à corvo certo tempore panem sibi ministrante alebatur. Cur Deus hujus Sancti Pauli primi Eremitæ cæterorumque servorum suorum corvorum ministerio fami subvenire dignatus fuerit; probabiles rationes in hac concione demonstrabo.

I. In utroque testamento invenio Dominum Deum per diversos ministros suos, humano usui alimenta submini strasse. Inprimis nostris parentibus primis, fructus paradisi per semetipsum obtulit ad vescendum dicens: *Ex omni ligno paradisi comede, de lingno autem scientiæ boni & mali ne comedas.* Et quia præceptum Domini transgressi sunt, ejecti sunt extra Paradisum voluptatis in terram, in qua ex sudore vultus sui panem manducarent. Ut tamen specimen providentiæ, suæque bonitatis ostendere dignaretur, interdum non expectatâ curâ hominis, quâ sibi de alimento consulere posset, succurrit famescenti. Cujus rei insigne exstat exemplum Exodi cap. 16. ubi sacer textus narrat. Quod cum filii Israelis in solitudinem inter Elim & Sina pervenissent, & fame pressi, aut sanè Ægyptiacas ollas carnium affectantes contra Mosen & Aaron murmurassent, Dominus eis coturnices dedit, nec non manna quo per quadraginta annos, usi sunt in deserto. Elias Propheta, cum evitare volens indignationem jezabel Reginæ, quæ illi ob Pseudoprophetas suos (quos ille interemerat) mortem minabatur, facto itinere unius diei in deserto venisset ulterius & sedisset subter unam juniperum, ibidemque obdormisset, Angelus Domini posito ad caput suum panesubcinericio, tetigit eum dicens: *Surge & comede.* Finita refectione sua postquam rursus abdormivit reversus est Angelus secundò, eodemque modo sicuti antea admonet ad sumendum cibum, ob itineris sui longitudinem. *Qui cum surrexisset, comedit & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus; usque ad montem* D E I *Oreb.* Alter Angelus simile quoddam servitium præstitit Sancto Danieli Prophetæ, qui cum ob destructa Babyloniorum idola in speluncam leonum dejectus esset, ne famulus Dei, quem feræ rabidissimæ, tangere non potuerant, à fame periret, per eundem Angelum providit ei Dominus Deus de prandio: dum enim Abucuc existens in Judæa portaret cibum messoribus, apprehensus est crinibus ab Angelo & ut ait textus historiæ: *Posuit eum in Babylone super lacum.* In novo quoque testamento habentur exempla similia. Dicit enim Marulus libro 4. capite 2. Quod dum S. Lupo Senonum Archiepiscopo cum suis hospitibus mensæ accubanti vinum defecisset, omnes jussit sperare in Domino, vix dum sermonem finierat, cum nunciatum est, cados vini plenos ante januam stare, ipso qui attulerat incognito. Neque inter convivas dubitatum est, quin à Deo missi fuissent. Simile quid legitur in vita Sancti Patris Dominici. Hic enim dum cum 40. fratribus tempore refectionis mensæ assedisset, in qua nihil aliud nisi modicum panis fuisset, fratres bono esse animo, panemque in partes frangere jussit. Et ecce duo juvenes, ejusdem habitus formæque consimiles refectorium intrarunt, palliorum sinus, qui à collo dependebant plenos panibus deferentes. Non erat dubium eos fuisse Angelos, quos DEUS propter cibandos homines destinabat, ut non solum in spiritualibus rebus sed etiam corporalibus ministerio eorum uterentur.

II. Quod Sancti Angeli ministrent hominibus, nihil novi, quia teste S. Paulo Apostolo, sunt administratorii spiritus missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, illi sunt custodes nostri, qui pro fide certantes tuentur, peregrinos à periculis liberant, iter nostrum dirigunt, & ut confirmem ante dicta, esurientibus auxiliantur, quod patet exemplo S. Tobiæ junioris, qui dum non aliud expectaret, ad fluvium Tygris, quàm mortem à grandi pisce, qui in lavantem insiluerat, quem inquam metuebat, pro cibo accepit, nec pro cibo tantum, sed etiam pro medicina cœci patris sui: sed illud mihi mirandum venit, quod cum Deus tales ministros tot habeat dicente sacro textu. *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* (Pensate quantam habeat Deus in aula sua cœlesti ministrorum multitudinem: ait enim Beatus Hieronymus talem numerum in sacro textu poni *Non quod ministrorum Dei numerus definitus sit, sed quia majorem multitudinem humanus sermo explicare nequit.*) Nihilominus tamen ad pleraq; hominum ministeria, præcipue ad cibos comparandos & adferendos, adhibet quoq; animalia ratione carentia. Politianus ait Jovem à capra fuisse educatum? cujus hæc sunt verba:

Daniel. 14. v. 35.

Marul. l. 4. cap. 2.

Ex Legen. Sanctor.

Ad Hebr. 1. v. 4.

Tob. 6. v. 3. 4. 5.

Daniel. 7. v. 10.

S. Hieron. in Dan.

Politian. in Nutricia.

Cretam

Gen. 2. v. 16.

Exodi 16. v. 13.

3. Reg. 19. v. 8.

Creta a fertur in Ida
Capra Iovem pueum fidis aluisse papillis.

Ælian. de reb. variis. Romulus & Rhemus primi Romanæ urbis fundatores à lupa educati fuisse feruntur. Alexander Priami filius à vulpe. Sed ut fabulosa relinquamus, & certiori testimonio innitamur, tale nobis præbet S. Egidius Abbas, qui diutius habitans in eremo quadam, cerva lac præbente nutritus est, & tandem à sequentibus cervam venatoribus deprehensus, Regem Galliæ impulit, ut in eodem loco monasterium extrui pateretur, cujus ille quamvis invitus administrationem suscepit.

Marulus lib. 4. c. 7.

III. Inter hæc & similia jumenta, dantur quoque volatilia, quæ ad divinum imperium ministrant hominibus, eosque pascunt. Nam Heliæ Prophetæ, post quadraginta dierum jejunium, corvus panem divinitus attulit. In nova lege Erasmus Episcopus, Diocletiani Cæsaris persecutionem fugiens, in monte Libano à corvis pascebatur, Blasius Sebastæ Episcopus, cum eodem Diocletiano fidem Christi persequente, ejusque Ecclesiam devastante, deserti loca petiisset, ab avibus pascebatur, donec tandem inventus, in Christi confessione vitam finiret. Et ultimo S. Paulus primus Eremita, spelunca habens in inferiore Thebade Ægypti Eremo, cum ab initio palmarum fructibus victitasset, deinde dimidiato pane quem illi corvus adferebat quotidie pascebatur. Sed cur tali nempe corvi ministerio Sanctum Paulum primum Eremitam cæterosque honoravit: Primam hujus rationem sumemus ex libro Geneseos, in quo fit mentio de corvo quod emissus ex Arca Noe, amplius non sit reversus ad ipsam: ubi quærit D. Augustinus hujus rei causam, statimque dat rationem talem, cum enim avis illa, ex una parte mirum in modum rapax sit & avara, undè quidquid videt furatur, & abscondit, ex altera verò vita vivat longissima, trecentis enim supervivit annis, & nihilominus defectum cibi semper formidat, ideo licet totus mundus cadaveribus plenus esset, sibi tamen illa pro exiguo reputans, & deinde metuens, ne alii illa devorarent, reverti ad arcam noluit, ut ergo Deus doceret homines, quatenus spem ponerent in ipso, per talem avem Eliæ, nec non Paulo primo Eremitæ ministrari escam voluit. Hinc ait Tertullianus,

Marulus lib. 4. c. 2.

Genesis 8. v. 6.

S. Aug. hic.

Fides famem non timet. Didicit non respicere vitam, quanto magis victum. Tertull.

IV. Ad secundam rationem assignandam, Venerabilis Hugo Cardinalis sternit mihi viâ, qui explicans illa verba sacri textus dicentis ad Eliam, *Corvis præcepi ut pascant te*, sic ait; *Corvi sunt seculares, qui de Eleemosynis suis præcipiuntur à Domino pascere claustrales.* Nimis audax hujus Doctoris ea explicatio, in qua viris secularibus titulum corvi attribuit. An fortè ideo, quia corvi ex natura sua sunt rapaces, qui Episcopatus, Abbatias, Monasteria, & in summa Ecclesiastica bona, in Germania, Anglia, Boëmia cæterisque orbis partibus rapuerunt, & etiam nunc expilare non cessant? Id ego non dico, quin assero hanc explicationem à Venerabili Hugone in favorem status Politici prolatam esse. Quasi seculares illi sint, quorum aliqui avaritia laborantes, licet ex se Religiosos vitos non libenter pascant, attamen cum Dominus ab his qui in sortem hæreditatis suæ electi sunt, omnem abstulerit temporalis vitæ sollicitudinem, ideo ex præcepto divino id facere tenentur dicente Deo. *Corvis præcepi ut pascant te.* Esto quod corvi sint ad prædam & rapinam nati, esto quod ungues suos ad capiendum relaxent, ad dandum vero contrahant, nihilominus ex eorum dato, juxta verba Regis David, *Edent pauperes & saturabuntur.* Pauper erat Elias, & tota Israële tamescente, & ipse inopiâ panis laborabat. Sed quid Dominus? *Corvis præcepi ut pascant te.* Pauper erat Paulus Eremita, in spelunca latitans, & omnibus vivendi mediis destitutus, nec tamen fefellit ipsum praxis Prophetæ Regii dicentis: *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* Sicut enim Sancto Paulo Eremitæ corvus ministrabat panem, ita & Ordini suo sancto, non jam ab uno sed à pluribus ministratur.

Hugo Card. in 3. Reg. 17.

V. Qualiter id probem audite. Habet hic Ordo in Regno Poloniæ Monasterium in claro monte situm & (ob imaginem B. M. Virginis à Sancto Luca depictam ad quam plurima vota fiunt) opulentum. Nam præter ea quæ tempore tumultùm bellicorum, alio avexerat conservanda, habebat quoque magnam argenti copiam ex iisdem votis conflatam, & non procul in stagno limoso immersam. Et dum Anno Domini 1655. corvi aquilonares in Poloniam advolassent, ejusque

Quar-

Quartianis militibus ſibi junctis, ſacrum hoc Monaſterium (in quo multa ſe ſpolia acceptu-ros ſperabant) oppugnaturi invaſiſſent, non ſolum illud tot tormentis, tantiſque viribus expugnare nequiverunt, ſed illudmet argentum, à Quartianis (dum piſcari volentes aquis ſtagnum denudaſſent) inventum, ab iisdem quoque ſacro loco reſtitutum eſt & transmiſſum. En quam verum verbum Domini; *Corvis præcepi ut paſcant te.* O Deus miſericors qui ſervum tuum Paulum primum Eremitam paviſti corvi miniſterio, nobiſque non denegas vitæ noſtræ neceſſaria, paſce noſtras animas tua gratia donisque cœleſtibus, & da æternam vitam. Amen.

IN FESTO S. PAULI
Primi Eremitæ,
CONCIO IV.

Induit ſe loricam ſicut gigas. 1. Machab. 3. v. 3.

INter diverſa belli inſtrumenta, quæ in armamentariis Regum, & Principum ad armanda ſuorum militum corpora conſervari ſolent, non poſtremum locum habent loricæ, his enim ne quidem emiſſa jacula pugnatori nocere valeant, pectus muniri ſolet. Hinc habetur in primo libro Regum, quod ille Goliath Philiſtæus, quamvis fuerit Gigas robuſtiſſimus & exercitatus bellator ab adoleſcentia ſua, nihilominus inerme corpus ſuum Iſraëlitis quos ad certamen provocabat, concredere nolens, uti ait Hiſtoria. *Lorica hamata utebatur.* Eodem modo Rex Saul Iſraëlis, cum Davidem eidem giganti opponere vellet ad certamen, noluit nudum dimittere, ſed atteſtante quoq; ſacro textu, *veſtivit eum lorica.* Non minus Rex Ozias, pro forti Heroë ætate ſua fuit habitus, quia inter cætera arma belli, quibus milites ſuos inſtruebat, etiam loricas multas habuerat, quibus corpora ipſorum tutari poſſent. Et tandem habemus ſcriptum, in libro 1. Machabæorum de fortiſſimo Principe Juda, qui cum Appollonio pugnam initurus, *Induit ſe loricam ſicut gigas.* Sed fortè dicetis Auditores, quid hoc eſt ad præſens inſtitutum noſtrum? Numquid Sanctus Paulus primus Eremita cujus hodie ſolemnem memoriam recolimus, fuit aliquis gigas, aut aliqua lorica munitus in pectore? Reſpondeo fuiſſe gigantem in ſuis filiis qui Anno Domini 1655. novam gigantomachiam contra ſanctam imaginem Deiparæ Virginis à S. Luca depictam & in claro monte Czeſtochovienſi, per Suecos, cæterosque hæreticos excitatam repreſſerunt, Mullerum exercitus Suecici Præfectum, & oppugnationis ducem, à monaſterio fugaverunt, & huc uſque memoria tam claræ victoriæ, ope Dei, ſuæque matris ſanctiſſimæ, nec non Divi Pauli Fundatoris ſui patrocinio partæ & obtentæ perennat. Fuit etiam gigas in ſeipſo, & chamatam portavit loricam. Quæ duo in hoc Panegyrico ſuo, vobis aſpirante divino flamine demonſtrabo.

1. Reg. 17. v. 5.

Ibidem. v. 38.

1. Mach. 3. v. 3.

I. Avidi ut opinor eſtis Auditores mei videre gigantem loricatum, à me vobis exhiberi promiſſum. Hic certè eſt Sanctus Paulus primus Eremita, cui hæc verba à Duce Machabæo mutuata præſentare non dubito dicens: *Induit ſe loricam ſicut gigas.* Dubitatis? Non putetis Auditores, me illum cenſere in numero primorum illorum gigantum, qui quondam erant ſuper terram, ſed jam nunc teſte S. Job, *gemunt ſub aquis* de quibus etiam habemus ſcriptum in Proverbiis Salomonis. *Vir qui erraverit in via doctrinæ in cœtu gigantium commorabitur.* Quæ verba explicans Venerabilis Hugo Cardinalis, per ſimiles gigantes intelligit ſuperbos & inflatos homines, & honorum ambitioſos, è numero inquam talium gigantium non fuit Sanctus Paulus primus Eremita, ſed eorum *qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt, & ſequuntur agnum quocunque erit.* Fortè ſumetis aliquot

1. Mach. 3. v. 3.

Iob. 26. v. 5.

Prov. 21. v. 16.

Apoc. 14. v. 4.

aliquot ſcandalum Auditores. Memini quoddam dictum verſum eſſe in proverbium. *Num & Saul inter Prophetas?* Et vos forte inferetis. Et quid habet gigas loricatus cum agno? Multum equidem: iſte enim agnus quem ſequuntur virgines in albis veſtibus, non agnus tantum ſed & gigas eſt. Agnus quidem eſt ſed ipſo Atlante (qui dicitur humeris ſuis ſuſtinere mundum,) multò fortior: nam de illo Sanctus Joannes ait: *Ecce agnus Dei; ecce qui tollit peccata mundi.* Agnus inquam ille eſt, de quo Iſaias ait: *Factus eſt principatus ſuper humerum ejus.* Agnus eſt ſimulque gigas, de quo Rex David in Spiritu DEI prophetavit dicens: *Exultavit ut gigas ad currendam viam ſuam.* Quæ verba licet aliqui interpretes hujus loci intelligant de ſole, eique nomen gigantis attribuant, quod ſine fatigatione aliqua, quin ſumma cum celeritate, decurrat viam cœli prope immenſurabilem. Alii tamen per hunc gigantem unigenitum Dei filium accipiunt, qui exultavit ut gigas ad currendam viam ſuam, nempe hilariter & cum gaudio cucurrit (per incarnationem) viam hujus vitæ humanæ, & paſſionis ſuæ per quam nobis pararet viam ad Regnum cœlorum, qui alias nobis primi noſtri parentes per ſuam inobedientiam clauſerant. Sic ſentit Hugo Cardinalis, cui correſpondet Joannes de Turre Gremata dicens de Chriſto Jeſu. *Latus ſpirituali lætitia, ut gigas fortiſſimus, & cæteros homines inſuperabili virtute tranſcendens, feſtinavit ad currendam viam, quam ſuſcepit pro redemptione humani generis factus homo.* Quia ergo teſte Sancto Joanne Apoſtolo & Evangeliſta; *Talem charitatem dedit nobis pater, ut filii Dei nominemur & ſimus.* Cum S. Paulus primus Eremita ſacra fideliſſimè veſtigia Chriſti Domini qui eſt gigas geminæ ſubſtantiæ, ſecutus fuerit, ob id bina ratione nempe filiationis & ſequelæ, titulum gigantis promeruit.

1. Reg. 10. v. 11.
Ioan. 1. v. 29.
Eſaiæ 9. v. 6.
Pſ. 18. v. 6
Bellarm. in Pſalm.
Hugo Card.
Turre Cremata.
Ep. Ioa. 3. v. 9.

II. Vultis, ut in ſequela Chriſti hujus veri gigantis, oſtendam vobis ſtaturam & formam Sancti Pauli giganteam. Legimus Num. 13. de illis exploratoribus, à Moyſe Duce Iſraëlis ad terram promiſſionis miſſis, ut eam exploraturi aſcenderent, quod cum poſt quadraginta dies omnem terræ illius regionem circuiſſent, tandem reverſi ad Moyſen, fructus quidem terræ laudaverunt dicentes: *Venimus ad terram ad quam miſiſtis nos, quæ revera fluit lacte & melle, ut ex fructibus his cognoſci poteſt.* Sed deinde dum ad aliam narrationem veniendum erat, qualeſnam terra illa viros habeat? Puſillanimes & imbelles ſe oſtenderunt, totumque vulgus murmurare fecerunt, detrahentes terræ & dicentes: *Populus quem aſpeximus procera ſtatura eſt. Ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enach de genere giganteo, quibus comparati, quaſi locuſtæ videbamur.* Hos mericuloſos exploratores relinquamus, & alios à Joſue miſſos videamus. Erant hi duo quos Joſue miſerat dicens: *Ite & conſiderate terram, urbemque Iericho*: juxta mandatum fecerunt, reverſi autem ad Joſue ſic ajunt. *Tradidit Dominus omnem terram hanc in manus noſtras, & timore proſtrati ſunt cuncti habitatores ejus.* Jam componamus hic exploratores hos & illos inter ſe, quid eſt quod primi inferiores ſe reputabant ad homines illos, quaſi locuſtas ad gigantes? Quid autem, quod ſecundi ſe gigantibus ſuperiores dicant & non locuſtas? Hæc eſt ratio quam tradit Maſius in Joſue fatus. *Quia illi nulla paſſi pericula memorantur, quæ iſtos præſentiſſima circumvallarunt.* Primi à Moyſe miſſi, totam Regionem circuierunt, & neminem hoſtem invenerunt, ſed potius delicias in fructibus terræ & botris vinearum deguſtarunt, ideo inferiores erant mundo, ut locuſta gigante, ſed alii quia ad mortem quærebantur, beneficioque lini & feneſtræ è qua emiſſi erant extremum periculum vitæ deguſtarunt, & incredibiles miſerias, ac calimitates devorarunt, ideo hoſtes ſuos locuſtas, ſe autem gigantes illis ſuperiores æſtimarunt.

Num. 13. v. 28.
Ioſ. 2. v. 1.
Maſius in Ioſue.

III. Nunquam maxima pericula, vitæque diſcrimina ob Deum æquo ac patienti animo tolerata, juſtos viros deprimunt ſed extollunt, adeoque ſuperiores faciunt, ut inde quaſi debellatores ſuorum hoſtium poſſint prædicari. Qui fluxis mundi bonis gaudent, hi ſunt locuſtæ & non gigantes, ſunt enim inferiores mundo, ut inferior eſt locuſta gigante: aſt qui perſecutionem patiuntur mundialem, & in ea gigantis ſui veri, nempe Chriſti Domini ſectantur veſtigia, hi giganteâ menſurâ metiuntur, mundo enim ſuperiores manent, & de ipſo triumphant. Talis erat Sanctus Paulus primus Eremita, hic

hic enim in quinto decimo ætatis suæ anno amissis parentibus, mundo quoque valedixit. *Matth.4. v.11.* De Christo Jesu apud Matthæum legimus, ductum fuisse à Spiritu in desertum, ut tentaretur à Diabolo. Cur in desertum? Nonne glorioſius erat Christo Domino in urbe, vel oppido cum hoste suo congredi? Respondet ad id S. Chrysostomus dicens: *Dæmon tum maximè aliquos aggreditur, cum solos viderit, atque ab aliis segregatos.* *S. Chrys. Hom.13. in Matt.* Verè protulit S. Chrysostomus, legimus enim apud Sophronium, etiam quendam Dæmonem cum Abbate Theodosio certamen fecisse in solitudine, seque ei in magnitudine unius Æthiopis plusquam gigantis, nempe capite nubes penetrantis ostendisse. Imitatur ille Goliath gigantem Philistæum, qui veniens ad castra Israëlis, solus cum solo pugnare voluit, sed tandem sub manu Davidis succubuit. *Prat. Sp. cap.66.* Eodem modo S. Paulus primus Eremita, ductus est à Spiritu divino in desertum Ægypti, ut ibidem inveniret eum Diabolus, sed quemadmodum Christus Jesus armatus jejunio, hostem suum prostravit, sic & Sanctus Paulus, tot ejusdem tentationibus impetitus de ipso glorioſam tulit victoriam, & laurum æternæ beatitudinis promeruit.

IV. Quæretis: quibus mediis? Quoniam *Induit se loricam, sicut gigas.* Sed quænam illa? Materialis quidem fuit illa tunica ex palmarum foliis contexta & ideo chamata quia neque confutilis, neque ex molli panno facta, tanti nihilominus erat pretii, ut Sanctus Antonius, tali vestitu, tantum diebus solemnibus Paschæ & Pentecostes quoad vixit, usus fuerit. At ego sub hac veste (quam mihi pro lorica duco) aliquid aliud invenio: erat quidem ex palmarum foliis, sed circulis ferreis, vel ipsa quoque chalybe fortior, & giganti infernali atrocior: dumcunque enim Sanctus Paulus Eremita hanc vestem tam asperam induebat, quasi gigas quidam loricatus antagoniſtam suum magno terrore consternabat. Cæteras austeritates S. Pauli, quibus se ipsum macerabat, & per eas giganti suo Christo se conformare satagebat prætereo, quoniam adhuc alteram loricam video, in qua Sanctus Paulus primus Eremita tanquam gigas apparuit.

V. Quænam illa? hæc, quam omnes Christiani contra tela Diaboli evitanda & avertenda debent induere, de qua Sanctus Paulus Apostolus scribens ad Ephesios ita ait: *State succincti lumbos vestros in veritate & induti loricam justitiæ.* *Ad Eph.6 v.14.* Et quia lorica ex pluribus constat particulis ferri, sibi coadunatis, justitia quoque est virtutum Regina, includens in se omnes alias, ideo idem Sanctus Apostolus in alia Epistola ad Thessalonicenses scripta, per hanc loricam intelligit fidem, & charitatem dicens: *Nos autem qui diei sumus, sobrii simus, induti loricam fidei & charitatis.* *Ad Thess. 1.5. v.8.* Quæ verba explicans Venerabilis Hugo Cardinalis. Cur per loricam intelligatur fides, hanc assignat rationem. *Quia sicut lorica contexitur ex pluribus maculis, quæ cum simul conjunctæ sunt totum corpus custodiunt, sic fides diversos habet articulos qui cum conjunctim creduntur, totum corpus seu congeriem bonorum operum custodiūt.* *Hugo hic.* Cur verò intelligatur charitas? *Quia totum corpus vestit, & operit multitudinem peccatorū.* *1.Pet.4. v.1.* Hisce igitur præclaris virtutibus vestitus Sanctus Paulus primus Eremita. *Induit se loricam sicut gigas*, & in hac cum omnibus fidelibus Christi Militibus in cœlesti patria in curru triumphali nunc triumphat, simulq; cum illis lauro beatitudinis semper virente est coronatus. Amen.

IN FESTO S. ANTONII
Veteris Monachorum instituti Fundatoris.
CONCIO I.

Dilectus DEO, & hominibus. Eccles. 45. v. 1.

MAgna certè est ea laus Sancti Moysis Patriarchæ, ubi dicit Spiritus Sanctus eum dilectum fuisse DEO & hominibus. aperte enim ait Christus Dominus dicens: *Nemo potest duobus Dominis servire, aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, aut unum sustinebit,* *Matth.6. v.24.*

& alterum contemnet. Quod est idem dictu
Chrysost. Hom. 16. sicuti explicat S. Chrysostomus dicens: *Qui duos Dominos habet, necesse est ut unum amet, & alterum odiat, unum contemnat, & alteri obediat.* Idem ait & S. Paulus in Epistola ad Ga-
Ad Gal. 6 v. 7. latas. *Si hominibus placerem, servus Christi non essem*: cujus sententiæ Sancti Pauli, Venerabilis Hugo Cardinalis, eam assignat ratio-
Hugo in Epist ad Galat. nem dicens: *Quia qui placet mundo, displicet DEO, & qui placet DEO, displicet mundo.* Quod cum ita sit, quæ debuit fuisse conditio morum, virtutumque S. Moysis Patriarchæ, quod fuerit dilectus Deo & hominibus? Cornelius à Lapide, explicans istum locum Eccle-
Sirus. siastici, sic illum invertit juxta Sirum. *Dilectus coram DEO, & etiam in oculis hominum Moyses.* Unde autem hæc ipsi gratia accesserit,
Cornel. quod non solam à Deo, sed etiam ab hominibus dilectus fuerit, idem Autor ex alio sacri
Num. 12. v. 3. textus loco causam assignat dicens: *Moyses enim erat vir mitissimus, super omnes homines, qui morabantur in terra.* Ex quo prænominatus Autor infert. Dilectum facere DEO, amorem Dei, obedientiam, orationem, & contemplationem. Proximo autem dilectum facere, amorem proximi, ejusdem curam &
Exod 19. v. 3. 4. beneficentiam, quæ duo Moyses habuit, quia in monte cum Deo loquebatur, & in castris, populum legem Dei edocebat. Quod Spiritus Sanctus in lege scripta de Moyse protulerat, id ipsum & ego in lege gratiæ de Sancto Antonio possum dicere *Dilectus DEO & hominibus.* Moyses Patriarcha habuit causas, duplicis suæ dilectionis & quas S. Antonius? Audite me narrantem.

I. Quas virtutes habuit S. Moyses Patriarcha, quibus utramque dilectionem promeruit eas quoque habuisse S. Antonium, nullum est dubium. Ast ego præter ista aliquid singulare invenio in S. Antonio, per quod sibi dilectionem duplicem, nempe Dei & proximi comparavit. Et quidnam illud? Divus Chrysostomus, his verbis illius laudes prædicat.
S. Chrys. *Considerate virum, per cunctorum usque hodie ora volitantem, quem Apostolorum simillimum Ægyptus protulit, beatum dico, & magnum illum, de quo sæpe audistis Antonium.* Cur S. Antonium Apostolorum simillimum ait? Perpendite illa Domini. *Hoc est præceptum meum,*
Ioan. 15. v. 12. *ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Quid clarius quid divinius? Suum Dominus vocat præceptum charitatis, in quo est duplex dilectio, Dei & proximi. Ut nos diligamus proximos, & ab iis invicem diligamur, ob id meminit dilectionis suæ? *sicut dilexi vos.* Sed paulo inferius quid ait? *Hæc mando vobis ut diligatis invicem, si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.* Benè Domine, cum mihi offeras dilectionem tuam, fiam ergo *Dilectus DEO.* Sed si mundus odio me habebit, quomodo fiam. *Dilectus DEO & hominibus?* Pulchrè respondet Dominus dicens: *Majorem hac dilectione nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Cur inde extollit Dominus charitatis opus, quod animam suam ponat quis pro amicis suis, cur etiam non dicit expressius pro inimicis suis? Apostolica planè instructio. Qui mundi hujus bona contemnit, ut etiam & ipsam vitam despiciat, tali nullus restat inimicus, omnes hic amici, omnes fratres, omnes proximi, talis non potest esse nisi dilectus Deo, & hominibus. Quando mittebat Dominus discipulos suos ad prædicandum mundo uti habetur Matth. 10. Cur eis præcepit, ne aliquid secum *Matth. 10. v. 9.* acciperent? *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Cur negat hæc, quæ sunt ad vitam sustentandam omnino necessaria? vel ad minus cur virgam ferre prohibet, qua sustentamur? Pulchre respondet. Divus Ambrosius dicens: *Dominus misit discipulos sine auro, sine argento, sine pecunia, & sine virga, id est ut incentiva litis, & instrumenta eriperet ultionis.* In virga ultionis instrumentum designatur. Qui igitur talium nihil portat, neminem habet inimicum sed est dilectus Deo & hominibus.
S. Amb. Lib. de Ios. c. 13.

II. Redemptor noster Christus Jesus, quot habuit inimicos & adversarios, qui ipsum calumniabantur, quin imò persecutores, & maleficos qui vitam eidem eripere conabantur? sed postquam positurus animam suam, ascendit crucem, quid fit? omnes admisit in amicitiam, id enim testantur verba ejusdem apud Sanctum Lucam dicentis: *Pater ignosce illis*: jam ex tum nullos habuit inimicos, ut ex verbis suis patet. Cur tam citò, eos quos hostes ante expertus fuerat admisit in amicitiam? Respondeo, quia tunc renunciaverit omnibus vitæ bonis, & moriens renunciabat vitæ,
Luca 23. v. 34.

ex

ex quo reputat omnes pro amicis. Qua de re pulchre discurrit Divus Petrus Damianus dicens: *Pater, inquit, ignosce quia nesciunt, quid faciunt. Non potuit esse inefficax oratio moriens: unde & inimicorum numerositas ad numerum amicorum transivit.* Res valde mira, quam hic Sanctus Pater recensèt, nempe; *Inimicorum numerositas ad numerum amicorum transivit.* Quali medio? Num forte Christus Dominus sigillatim unicuique deprecatus, ab unoquoque veniam postulavit, & sic omnes sibi fecit amicos? Si quispiam odium & rancorem accipiat adversus alterum, quàm sit difficile reconciliari ei, patet hę exemplo Davidis, hic quoties fugiebat Saulem sibi offensum, cum illum posset occidere, ex humilitate sic faciebat, quatenus iram illius sedare posset, & tamen ad veniam suam pervenire nequivit: quid si tot simul habuisset inimicos? Christus cum tot habuisset adversarios, ecce tibi quasi in momento, omnes facti sunt amici. Quid causæ? Ubi enim sic omnia mundialia despiciuntur, ut etiam renunciemus vitæ, animamque ponamus, exinde non manet inimicus, sed omnes transeunt in fratres & amicos.

D. Petrus Dam. Ser. de S. Step.

1. Reg. 22. v. 6.

Act. 6. v. 7. 8. 9.

III Sanctus Protomartyr Stephanus fide gratia & Spiritu plenus cum electus esset, ad sublimem gradum, ut cum cæteris septem viris adscitis in Diaconos, altari divino assisteret; suumque officium non solum cum summâ dexteritate administraret, sed illud insuper plenus gratia & fortitudine, signis & portentis illustraret invidentes illi quidam de synagogis tantam DEI gratiam, congregati simul surrexerunt, ut cum illo disputarent, sed cum ejus sapientiæ & spiritui qui loquebatur, resistere non possent, falsam calumniam ipsi imposuerunt, ac si aliquid in Moysen & DEUM blasphemiæ protulisset. Quid fit? rapitur ad tribunal, in quo nihil aliud videt nisi accusatores, nullum amicum, nullum patronum, nullum procuratorem, nisi lictores, & carnifices, se ad occidendum. Quid interea Stephanus? Ait textus sacer: *Viri fratres & patres audite.* Sancte Stephane, non advertis tuas insidias, quod te supplantare velint. Cur igitur fratres vocas? hi ne sunt tui amici, qui te volunt perimere? Num ignoras; quod in illorum sacrilegis manibus, animam tuam sis positurus? Imo scivit & ideo fratres & amicos compellavit: ait enim Divus Nyssenus. *Illi quidem ad eadem spectabant, hic vero tanquam fratres salutabat.* Sed hunc spiritum suppeditavit sibi non solum omnium bonorum contemptus, sed etiam ipsius vitæ quæ carior est omni substantia mundiali unde in iisdem Actibus Apostolorum non immeritò dicitur. *Viderunt faciem ejus, quasi faciem Angeli*, quia dum se ab hoc mundo expedit, factus est: *Dilectus DEO & hominibus.*

Act. 7. v. 27.

D. Greg. Nyssen. Orat. de S. Steph.

Act. 6. v. 15.

IV. Egregius Sancti Stephani protomartyris, imitator erat Sanctus Abbas Antonius: hic enim (uti testatur Sanctus Athanasius) licet nihil magis exoptasset quàm, ut pro fide Christi sanguinem & vitam denique ipsam profundere, & numero Sanctorum Martyrum associari posset. Unde cum Maximilianus Imperator Christianos occideret, ipse martyres sequebatur, iisque se immiscebat, ut cum eis martyr fieri mereretur, & vehementer tristabatur, eò quod sibi martyrium subeundi commoditas non daretur, non tamen ob id separatus est, à dilectis Deo, quin illis aggregatus, quia cum non posset mori in corpore per abnegationem sui, mortuus erat in mente omnia mundi hujus bona despiciens. Cum enim esset annorum viginti, & audiret legi in Ecclesia. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Omnia sua vendens pauperibus erogavit, per quod factus est *dilectus DEO*, qui est in pauperibus.

S. Athan.

Matt. 19. v. 21.

V. Fortè me interrogabitis, an etiam *dilectus fuerit hominibus*? In primis possem illud dicere, quomodo hominibus dilectus esse potuit, qui eorum conversationem fugiens & evitans, potiùs elegit habitare cum feris in eremo? Postquam enim sua omnia dispersit, deditque pauperibus, statim secessit in eremum & solitariam vitam duxit, sed tamen ajo, etiam tunc dilectum fuisse hominibus cum in eremo habitaret, idque non à personis vulgaribus, sed à supremis hujus mundi Magnatibus, siquidem Constantinus Magnus Imperator, per literas suas ipsum salutavent, ejus precibus se ipsum una cum filiis commendans; similiter vir Sanctus Antonius literis suis spiritualibus illi responderit, admonens ipsum sui officii, ut DEUM cœli terræque pro vero Rege agnoscat, pietatem amet, & regnans in terris, aspiret per bona opera ad cœlestia.

Sed quid mirum quod ille qui fuit dilectus DEO, fuerit quoque hominibus? Quamobrem Auditores mei, cum sanctus iste, magnus inquam Antonius fuerit *Dilectus DEO* & hominibus ob eam causam, quia omnia quæ habuit vendidit deditque pauperibus, imitemur ejusdem exemplum ejusque vestigiis insistamus, ut hujus binæ dilectionis facti participes, efficiamur hæredes vitæ æternæ. Amen.

IN FESTO S. ANTONII Eremitæ.

CONCIO II.

De fructu manuum suarum plantavit vineam.
Proverb. 31. v. 16.

QUemadmodum primus post diluvium mundi, Noë Patriarcha, hucusque versatur in memoria hominum, eò quod primus plantaverit vineam: ita quoque magnus Pater S. Antonius, alter quoque novi testamenti Noë dici posset, ob hæc verba laudibus plena, quæ ipsi attribui dicens: *De fructu manuum suarum plantavit vineam.* Quia inter fructus præstantissimos, nec non hortos peramœnos in quibus nasci solent, vineæ primum locum habere videntur. Hinc illa sponsa mystica, magno studio ferebatur invisandi vineam eamque lustrandi. Nam sic ait: *Mane egrediamur in campum, videamus, si vinea nostra florutt, si flores fructus parturiunt.* Non satis erat sibi videre flores, quin etiam fructus, talibus enim nihil præstantius dari potest juxta illud. *Vinum moderatè potatum, est sanitas corporis & animæ.* Hinc cum ligna sibi vellent Regem instituere, & invitarent vitem ad sedem Regiam, respondit taliter. *Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum & homines, & inter cætera ligna promoveri?* Etiamsi hujus Apologi sensum mysticum ad partem seponamus, id verum est, vinum cæteris rebus præstare. Unde unus è cubicularibus tribus Darii Regis tale eidem dedit encomium. *Prævalet vinum omnibus hominibus, qui bibunt illud.* Naboth ille Israëlites, in tantum magni faciebat vineam suam, ut eam Regi Achab nec vendere, neque commutare voluerit. Evangelicus ille Paterfamilias, exiit primo mane conducere operarios in vineam suam ejusque culturam tanti fecit, ut non solum primis operariis, sed extremis quoque idem pretium dari præceperit. Hinc & ex aliis multis sacræ scripturæ locis præstantia vineæ comprobatur. Unde magnam hodie laudum materiam compararet sibi S. Antonius, si ei hæc verba à me proposita convenirent. Sed quomodo id fieri poterit? Qui enim legit vitam S. Antonii, eum Ægyptium fuisse natione inveniet, de Ægypto verò testatur David dicens: *Vineam de Ægypto transtuliſti.* Et deinde cum loca eremi, sint deserta & inculta, qualis vinea à S. Antonio ibidem plantari poterat? Ego nihilominus, his objectionibus non obstantibus ostendam vobis vineam præstantissimam, quam de fructu manuum suarum S. Antonius plantaverat.

Gen. 9. v. 24.

Cant. 7. v. 12.

Eccl. 31. v. 36.

Iud. 9. v. 6.

2. Esdr. 3. v. 13.

4. Reg. 21. v. 19.

Matth. 20. v. 1.

Ps. 79. v. 9

I. Inprimis antequam accedam ad statum concionis meæ, ad primam objectionem respondeo taliter illa verba S. David, non intelligi de materiali vinea Ægyptiorum, quibus abundant, sed mystica, nempe populo Judæorum, quem Deus transtulit de servitute Ægyptica, & in terram promissionis introduxit. Quod verò concernit deserta Eremi loca in quibus habitavit S. Antonius, licet nihil esset contra situm loci, nasci ibidem vinum fierique vineas si colerentur, vel etiam per ipsam DEI potentiam quæ in locis illis aridis & desertis pro quibusdam Eremitis dactylos, palmas, ficusque crescere fecit; ego tamen cum non è cultura talium vinearum, sed longè præstantiori Sancto Vinitori nostro Antonio encomium parare velim, ad aliam vineam me confero. Quidam Sancti Patres & Doctores Ecclesiæ explicantes illam parabolam Domini de patrefamilias, qui exiit primo mane

Turrecremata in Psal.

condu-

conducere operarios in vineam suam, per illam vineam, res diversas intelligunt. Sanctus Gregorius Papa per ipsam intelligit universalem Ecclesiam, nempe plebem fidelium, ad quam erudiendam cœlestis hic paterfamilias operarios nempe prædicatores conducere & mittere non desistit. Huic ergo explicationi inhærendo, quam pulchra hic de vinea Sancti Antonii ab eodem plantata in Ægypto dicenda veniunt, planè ipsa DEI providentia, ad plantandam talem vineam sanctum hunc operarium tunc destinavit: cum detestanda ac pernicioſa dixissem potius diabolica ista Arriana lues pervaserat orientem: eodem enim tempore ad capiendas vulpes, quæ moliuntur vineas, fixa fuerunt pastorum tabernacula, in quibus ii degentes, illud unanimiter opus agebant, ut ibi in hoc mundo per sentinam hæresium, nec non peccatorum abundabat delictum, ibi quoque suis orationibus, psalteriis, jejuniis cæterisque sacris virtutibus, amputarentur peregrini hæresium & vitiorum surculi, & tandem in hac vinea Domini, ejusdem quoque gratia abundaret.

S. Greg. Papa. Hom. 19.

II. Lego in quibusdam libris, in locis plerisque vites tantæ esse magnitudinis, ut cæteris arboribus in crassitie coæquari possint. Strabo ait in regione Margiana caudicem vitium tantæ esse magnitudinis & amplitudinis, ut bini homines junctis manibus stipitem complecti nequeant. Imo Plinius memorat, se vidisse in urbe Populonia ex unius vitis stipite confectum Jovis simulachrum, perseverasse multis ævis incorruptum. Et his facilè fides adhiberi potest, quandoquidem exploratores à Moyse missi in terram Chanaan, absciderant palmitem cum uva sua, quem portaverant in vecte duo viri, ea quæ dixi nihil sunt in comparatione vineæ Sancti Antonii, de cujus vite, palmes unicus in tantum excrevit, ut nedum in Palestinam Syriam, Asiam minorem, Cappadociam, Pontum, Armeniam, Mesopotamiam, Boreales Regiones, sed in Bassos & Dacos extenderetur. Inde quoque tanquam fœcundæ propagines propullularunt, Hilarion, Macharius, Joannes, Ammon, Pachomius, in quibus sunt innovata antiqua miracula Prophetarum, & Apostolorum: horum omnium Sanctorum filii, sicut palmites adeo creverunt, ut & patres populorum effici mererentur. Nam (uti ait D. Athanasius) ii cœnobitæ populis præficiebantur, adversus Arrianos Hæreticos, & Meletianos schismaticos, quos cæteris moribus & vitâ præstare noscebant. Quorum nonnulli, ut ora nostra vivido fructus sui sapore condirent, ipsi quoque ut botri vineæ, sub torcularibus premi, & pro Christo pati non formidarunt. Quare nedum ficus protulit grossos suos, dum Ægyptus, & Thebaida Martyres præmisit ad regnum, sed & vineæ florentes dederunt odorem suum, quando ut ait Divus Bernardus, adhuc in cordibus fidelium, effusi ejus sanguinis, recenti memoria hanc vitam eligentibus, paupertatem spiritus sectantibus, in spiritualibus exercitiis zelantibus, deserta repleta sunt. O vineam illustrem, cui flos opus, odor opinio, fructus martyrium.

Strabo. Lib. 2.

Plinius Lib. 4.

Num 13. v. 24.

D. Athã. Ep. ad Drac.

Idem Apol pro fuga sua.

D. Bern. ad fratrẽ de Monte Dei c. 1.

III. Sanctus Joannes Chrysostomus per vineam ejusdem Patrisfamilias intelligit sacras virtutes dicens: *Quæ est vinea DEI? Ioan.* Et pauca post, sibimetipsi respondet taliter. *Vinea justitia est, in qua diversæ species justitiarum positæ sunt quasi vites; puta, mansuetudo, castitas, patientia, cæteraque innumerabilia bona, quæ generaliter justitia appellantur.* Si igitur huic alteri Sancti Chrysostomi sententiæ insistemus, multò jam convenientius Sancto Antonio hæc verba tribuemus. *De fructu manuum suarum plantavit vineam.* Hic enim tot vites in sua vinea reperiemus, quot virtutes in ipso numeramus. Ea est una vitis proprietas quod sustentacula recipiat iisque se alligari patiatur: hæc proprietas obedientiam denotat, quæ in Sancto Antonio tanta fuit, ut cum ingressus Ecclesiam ex Evangelio audivisset legi; *Si vis perfectus esse vade, & vende omnia quæ habes & da pauperibus*, tanquam ea sibi dicta essent, sic Christo Domino obtemperandum existimavit. Itaque venditâ re familiari, pecuniam omnem pauperibus distribuit, quibus solutus impedimentis, soli DEO (tanquam vitis palo) inhærens, cœlestis vitæ genus in terris colere instituit. Et quia vitis, mutatione eget, se eidem similem S. Antonius demonstravit, non solùm enim omnem mundi substantiam à se resecavit, sed ut omnem prorsus occasionem aliquid possidendi evitaret, eremum ingressus est, & mullorum annorum serie in illa vitam suam in maxima asperitate, frigore & æstu traduxit.

S. Chrys. in c. 20. Ioan.

Luc. 18. v. 22.

IV. De

Plinius Lib. 17. c. 24.

IV. De vite refert Plinius, quod tam sit excellentis naturæ, ut quasi sensum quendam, & olfactum habere videatur, odit enim sive non patitur raphanum & omne olus, ni procul absit. Ea proprietas vitis optimè quadrat

S. Athan.

Sancto Antonio: de eo enim refert S. Athanasius, quod ab hæreticorum & schismaticorum hominum, maximè verò Arianorum congressu, & colloquio, sic abhorrebat, ut ne prope quidem ad eos accedendum diceret. Sed quod mireris in vite illud est, quod cum extrinsecè inter omnia ligna despectior videatur, nam lignum ipsius est hispidum & curvum, nihilominus tamen succum reddit tam elegantem & suavem, ut moderate sumptus diversos effectus causet in homine, quia vinum eorpus nutrit, roborat, & augmentat, intellectum illuminat, cor lætificat, dolorem & tristitiam obliviscí facit, & audaciam nec non fortitudinem reddit in homine. Talis prima vitis fuit Christus Jesus, hæc enim de

Isaiæ 53. v. 2.

ipso ait Isaias Propheta. *Vidimus eum, & non erat ei aspectus, neque decor, unde nec reputavimus eum, sed revera livore ejus sanati sumus.* Duo hic insinuat Propheta, primo vilem conditionem vitis, & deinde fructus ab illa provenientes, nempe mustum uvæ suæ salubernimum. *Cujus livore sanati sumus.*

V. Altera vitis huic similis fuit S. Antonius, quia in virtute humilitatis, quæ hominem ad extra, despicabilem vilemque repræsentat, mirifice se ipsum exercebat, ad cujus amorem, per hanc occasionem venerat, cum quadam vice, in spiritu raptus esset, totum mundum laqueis se invicem connectentibus plenum vidit, & exclamans ait: *O quis istos evadet laqueos!* & audivit; *Humilitas*: tali igitur responso accepto, humilitate & despectu sui nihil carius habuit, sed sicut in hac parte imitabatur vitem asperam & incultam, sic in altera parte exprimebat in se ejusdem fructus suavissimos, siquidem iste sanctus, virtuti humilitati sacræ alias quoque plures annexas habuit, quarum exemplari fructu totus orbis Christianus oblectatur. Adeo quippe S. Antonius virtutum amore ferebatur, ut quemcunque videret aliqua virtutis laude excellentem, illum imitari studeret. Nihil eo continentius, nihil vigilantius erat. Patientia, mansuetudine, misericordia, superabat omnes. Humi cubabat & sæpissimè in orarione pernoctabat. Jejunium autem adeo coluit, ut salem tantum ad panem adhiberet, sitim verò aqua extingueret. Numquid igitur verè dixi. *De fructu manuum suarum plantavit vineam.* Nunc jam tanquam bonus operarius de accepto denario diurno lætatur in cœlis, & fruitur in omnem æternitatem. Amen.

IN FESTO S. ANTONII Eremitæ.

CONCIO III.

Certamen forte dedit illi ut vinceret. Sap. 10. v. 21.

2. Reg. 11. v. 15.

LEgimus 2. Reg. c. 11. David Regem destinasse Uriam ad certamen nimis forte: cum enim misisset Joab Ducem exercitus sui, & servos suos cum eo, & universum Israël, ut vastarent filios Amon, urbemque Rabba obsiderent, de Uria hæc ordinavit in Epistola sua scribens. *Ponite Uriam ex adverso belli, ubi fortissimum est prælium.* Summus totius universi Monarcha Deus, habens plurima bella cum suis adversariis & rebellibus, mittit quoque servos suos ad certamen, sed valde disparí ratione. Rex etenim David, obtulerat Uriæ certamen fortissimum, non tamen eo animo ut vinceret, sed potius ut percussus interiret, mandaverat quippe Duci suo Joab, ut ipsum derelinqueret, nullasque periclitanti de salute sua suppetias daret, dicens: *derelinquite eum, ut percussus intereat.* E contra verò DEUS, quamvis servis suis fortia certamina offerat, ut prælientur cum carne, mundo, & Diabolo, (qui pejus adhuc animam hominis veste cœlestis gratiæ spoliare solent, quam Amon servos David spoliaverit,) non tamen eos deserit, ut intereant, sed potius ut hostes suos vincere queant,

ibid. v. 15.

2. Reg. 10. v. 4.

queant, præbet auxilium, vireſque ſuppeditat. Patet hoc in Sancto Antonio egregio bellatore, cui verè illud quadrat. *Certamen forte dedit illi.* Non quidem eo fine ut ab hoſte ſuperaretur, ſed ut eum vincerer. Quodnam illud S. Antonii certamen & quæ celebris victoria fuerit, in hac concione declarabo.

I. Quiſquis legit vitam Sancti Antonii, in eadem inveniet, magnum hunc pugnatorem è numero illorum fuiſſe, de quibus ait Sanctus Paulus ſcribens ad Epheſios 6. capite. *Induite vos armaturam Dei &c. Quoniam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus Principes, & poteſtates, adverſus mundi Rectores.* Ob quam cauſam S. Paulus eximit Epheſios à colluctatione cum carne & ſanguine, & non niſi cohortatur ad illam alteram quæ fit cum Diabolo? Nonne caro rebellat adverſus ſpiritum? Nonne ait idem Apoſtolus ad Gal. 5. 9. *Qui ſunt Chriſti: carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis?* Cur ergo Galatis indicitur bellū adverſus carnem, Epheſiis autem, prorſus hoc bellum cum carne & ſanguine eripitur? R. ad id D. Anſelmus dicens: *Galatis minus perfectis, indixit aliud bellū, quod eſt adverſus carnem & ſanguinem, Epheſiis verò quaſi jam ſpiritualibus, & concupiſcentia carnis prævalentibus, atque perſecutionem foris pro juſtitia ſuſtinentibus dicit. Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus Principes.* Ex quibus verbis intelligimus, illū non debere admitti ad certamen cum Diabolo ineundum, cui poſſet adhuc eſſe conflictus cum carne & ſanguine: vincat prius omnes carnis concupiſcentias, vincat naturā, qui cum mundo & Diabolo parat confligere, res enim eſt omni periculo plena, & maximè tibi imputandum, ſi cum egeas gladio adverſus carnem, velis cum aliis hoſtibus concurrere: accipe pulchram ſimilitudinem. Exercebatur quodam loco pilarum luſus, pila hinc inde jactabatur pro ludentium dexteritate, juxta erat tonſor, novacula radens hominis cujuſpiam de ſubbarba pilos. Quid tunc? jactata pila novaculam percutit, illam miſeri hominis guturi infligit. Quis dabit pœnas? an tonſor malè providus? an qui jactavit pilam? Neuter, ſed ſibi malū imputet, qui cum novacula ad guttur, voluit eſſe inter jactatas pilas. Præclare lex ait. *Nec illud male dicatur, ſi in loco periculoſo ſellam habenti, tonſori ſe quis commiſerit, ipſum de ſe queri debere.* Sic prorſus qui adhuc ſub gladio eſt, ut cum carne confligat, ſibi imputet ruinam, niſi caveat fallaces mundialiū bonorum pilas: at qui nihil habet quod ipſum impediat, hic adhibito ſibi divino Numine, cum Principibus tenebratum nempe Dæmonibus ſecurum certamen inire poteſt. S. Job Patriarcha ſit nobis pro exemplo: nonne acre illud certamen erat, quod cum Satan habuerat? & tamen glorioſam tulit victoriā, vultis cauſam: in quo Diabolus ſibi promittebat victoriam, nempe ſuo illi antagoniſtæ omnem ſubſtantiā auferendo, & ipſum inſuper gravi ſanie à planta pedis usque ad verticem ejus convulnerando, per id ſe victum invenit: fortis enim ille athleta cum videret in illa amiſſione bonorum ſuorum, ſe ex peditiorem eſſe ad illud certamē cum Diabolo ineundum, ſimo pro arena ſeu ſpatio pugnæ ſibi deſtinato, viriliter decertavit. & glorioſe de hoſte ſuo triumphavit. S. Antonius ut etiam oſtenderet ſe è numero illorū extitiſſe, quorum colluctatio non eſt cum carne & ſanguine, ſed cum Principibus tenebrarum, eodem ſtratagemate uſus erat, ne enim aliquid eſſet, quod ipſum in certamine impedire poſſet, totā re familiari venditā & pecuniā pauperibus diſtributā, in deſertum tanquam ad locum ſibi ad certamen deſtitutum maximo gaudio ac lætitia properavit.

II. Jam ipſum certamen ſpectate. Quadam vice dum ſpiritum fornicationis, virtute Dei ſuperaſſet & à Deo poſtulaſſet, ut Dæmonem per hoc peccatum juvenibus inſidiantem videre poſſet, in ſpecie nigri pueri ante eū proſtratus apparuit, & ſe ab eo victum confeſſus eſt. Alia vice, dum in quodam tumulo latitaret ingens multitudo & quaſi integra quædam legio Dæmonum, eum adeo laceravit, tot inquam vulnera ei inflixi, ut miniſter ejus quaſi mortuum propriis humeris aſportaret. Cumq; eum omnes qui convenerant, quaſi mortuum deplorarent, ſubito Antonius reviviſcit, & à miniſtro ad prædictum locum certaminis, ſe deportari juſſit. Qui cum ibi ex dolore vulnerum proſtratus jaceret, tamen ex virtute animi ad conflictum Dæmones excitabat. Quidnam hic proloquar de tanta fortitudine & conſtantia S. Antonii? Eſt quidem verum Auditores S. illum Jobum Patriarcham multis à ſuo adverſario affectum fuiſſe malis, quia *percuſſit Iob ulcere peſſimo, à planta pedis uſque ad verticem ejus.* nihilominus ſi numerum attenda-

Ephes. 6. v. 10.

Gal. 5. v. 24.

D. Anſelmus Hic.

Melaſſ ad leg. Aquil.

Iob. 2. v. 6. 7. 8.

Iob. 2. v. 7.

mus, ibi unus tantum erat quitot dolores Sancto Jobo intulerat, at Sanctus Antonius non solum una vice sed toties, nec solum ab uno sed à plurimis Dæmonibus infestari solebat, cui in variis ferarum formis ac speciebus apparebant, eumque dentibus, cornibus, & unguibus crudelissimè lacerabant. Unde Sancto huic pugili tantum robur accessit, ut hæc tam constanti animo perferre posset, sed notate quandam doctrinam Philosophorum, quam & ipsi Theologi admittunt, nempe singulas cœli sphæras ab aliqua intelligentia gubernari & moveri. Postquam enim Deus, solem, lunam, aliasque stellas fecit, mox quamlibet suo Angelo, qui illam deinceps moveret consignavit. Quod si quæras, unde fit, quod Angeli vastissimas sphæras illas, incessanter & sine requie moventes ex tali labore defatigati nusquam fuerint? tunc ad id respondetur communiter, nempe virtutem in corpore fatigari, at Angeli cum sint à corpore separati, ideo operando non lassantur ac debilitantur. Idem ergo & de S. Antonio dicemus, nempe ob id eo certamine Dæmonum lassari non potuisse; quia licet in humana carne fuerit, spiritus tamen suus liber erat qui ipsum ad tanta certamina movebat.

III. Fortissima quædam civitas mihi videtur esse hic Athleta noster S. Antonius, civitas inquam non intus solum, sed etiam foris continuo obsessa & impugnata. Foris illum cingebant, omnes exercitus inferni, qui violentiis inauditis, illum semper intercipere tendebant. Semetipsum verò intus, continuis jejuniis, assiduisque vigiliis habebat. Interque hæc omnia vultum semper jucundum, lætum & tranquillum, quasi inter gaudia & mundi delicias continuò enutritus fuisset exhibebat, uti testatur Joannes Gerson sermone 2. dicens? *Faciem habebat dulcem, plenam spei, & jucunditatis*, ec. Et quis hæc non miretur? Pugnator quilibet, dum à tot hostibus impetitur, quibus exhaustus fame debet resistere, numquid tripudiat? Nonne potius est sollicitus ut tanto certamini par esse possit? Qualiter igitur Sanctus Antonius, tot extra periculis circum ventus, intus autem tot laboribus fatigatus exultabat? cutid fecerit, præbent mihi responsumista verba, nempe *Certamen forte dedit illi ut vinceret*

Ioannes Gerson. serm. 2.

IV. Quid verius? Qui certamina inire volunt, curam sui corporis habere debent, ne ab hoste lædantur, ut cum eodem fortiter pugnent, & tandem ut vincant. Sed quibus armis? Talia in veniuntur in turri David Regis, cui collum sponsæ, Spiritus Sanctus assimilat dicens: *Collum tuum sicut turris David mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Mirum Sanè maximum est quod illa turris David dicatur fuisse bene munita, & instructa omni armatura fortium, & tamen præter clypeos, nihil aliud habuerit, & illi soli clypei dicantur esse *omnis armatura fortium?* Si ibi fuit omnis armatura fortium, ergo debebant ibi adesse, lanceæ, gladii, glandes, tormenta bellica cæteraque id genus Martis instrumenta? Non: sed mille clypei, & hi, omnis armatura fortium; ergo pro defensione hujus turris, talia arma sufficiunt? sic respondet gravissimus Autor Pagninus, qui per clypeos qui se tantum defensivè habent, intelligit patientiam eamque sufficere dicit ad obtinendam de suo hoste victoriam. Patet hoc in Sancto Antonio: hic enim non aliis decertabat armis, nisi solâ patientiâ, & tamen ea sola non solum fugabat ac prostrabat inimicos suos, sed etiam Christum Jesum ad spectaculum provocabat.

Hugo, Card.

Cant. 4. v. 4.

V. Cum quippè depugnasset cum Dæmonibus qui illum diversis doloribus afflixerant, in loco hujus certaminis mirabilis splendor apparuit, in quo Antonius Christum Dominum adesse intelligens ait: *Vbi eras bone Iesu? Vbi eras? Quare à principio non fuisti hic, ut me adjuvares, & vulnera mea sanares?* Cui Dominus respondit dicens *Antoni hic eram, sed expectabam videre certamen tuum, nunc autem quia viriliter dimicasti, in toto orbe te faciam nominari.* Sistamus hic parumper Auditores, atque consideremus & nos certamen Antonii: qualiter ergo dimicavit, percussus, laniatus, tortusque à Dæmonibus quid fecit? quo se defendit? nullo sanè alio instrumento, nisi solo clypeo patientiæ, humilitatis, cæterarumque virtutum quibus ut sol lucidissimus micabat. Nec mirum quod talibus armit vicerit. Talia enim omnibus nobis proponit S. Paulus dicens: *Induite vos armaturâ Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli.* Quamobrem Auditores, si volumus fieri milites Christi & sub vexillo suo, pretioso suo sanguine ab infernali hoste in

Pagninus in Cant.

ara

ara crucis depertato pugnare, imitemur certamen Sancti Patris Antonii, ejus arma, nempe, patientiam humilitati adjunctam induamus ut eandem cornam victoriæ quâ ipsum victor Christus cornovit, accipere mereamur. AMEN.

IN FESTO S. ANTONII

Eremitiæ.

Ad Eph. 6 v. 11.

CONCIO IV.

Ex Ægypto vocavi filium meum. Osee II. v. 1.

MAgnum illud erat beneficium erga populum Israëlis, quod non solum eum per Moysen Principem (uti habetur Exodi 4. capite) ex Ægypto eduxerit, & in terram promissionis per Josue introduxerit, sed etiam eum nomine sui filii honoraverit dicens: *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Et quamvis Venerabilis Hugo Cardinalis, hanc Prophetiam Osee in Christo Jesu adimpletam fuisse dicat, vel tunc, quando defuncto Herode revocatus fuerat ab Angelo ad terram Israëlis, aut etiam tunc, quando eum ut idem Autor dicit, *in ascensione ad suam dexteram collocavit.* Hanc tamen Prophetiam etiam in sanctis hominibus tanquam membris Christi, toties adimplere videmus, quos Deus ex Ægypto hujus mundi evocans, transfert ad terram viventium, nempe ad conversationem Angelorum, & post hanc vitam ad patriam promissionis æternæ. Inter cæteros sanctos, maxime ea prophetia, adimpleta fuisse visa est in Sancto Antonio Patriarcha: hic enim cum natione esset Ægyptius, re ipsa Ægyptum incolebat, & in ejusdem eremo, majorem vitæ suæ in maxima asperitate in frigore inæstu in fame & siti partem consumpsit: attamen dum in eadem Ægypto commoraretur, simul etiam evocabatur à Domino ad conversationem Angelorum, adeo ut uno, eodemque tempore, & incola mundi, & civis beatorum sanctorumque Dei dici meretetur, illudque ei bene serviat quod scribitur Ecclesiastici 31. cap. *Exaltasti super terram habitationem meam.* Quod an verum sit in hac concione audiemus.

Exod. 4. v. 20.

Hugo Card. in Oseam.

I. Legimus inprimis de S. Antonio, quod existens annorum viginti, dum audisset hæc verba legi in Evangelio; *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia qua habes & da pauperibus*; omnia vendiderit quæ habebat, & pauperibus erogaverit. Quidnam hic putatis movisse Antonium ad opus istud quod fecerat omnia dispertiendo, & seipsum, de pauperando? Certè nihil aliud, quàm ut in terra habitatans, cœli quoq; habitatione simul gaudere posset. Noverat quippe simile quidpiam dictum cuidam juveni à Christo hisce verbis. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia qua habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo.* Ut igitur hunc divinum thesaurum habere posset in cœlis, distribuit omnia quæ habebat pauperibus: & cum alibi dicatur à Domino; *Vbi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit,* sequitur profectoquod quãdiu S. Antonius vixerit in terra, simul etiam in cœlo fuerit: in terra quidem corpore, in cœlo autem corde, juxta inquam thesaurum suum. Quod si doctrinã Christi Domini quoddam vinum inebrians hominem esse dixerimus, uti volunt Origenes, Hieronymus, Augustinus & Ambrosius; hinc sequetur, S. Antonium simul in terra fuisse & in cœlo. Inter alios effectus vini, est hic quod mentem hominis quodammodo à corpore abstrahat, & dum incendit hominem tunc globo è tormento emisso & pulveribus accenso similis esse videatur, qui licet in se gravis sit, tamen volat in altum, & per multa aeris spatia celerrimè currit. Hinc unus ex cubicularijs, Regis Darii, omnibus rebus vinum prævalere dixit. Cũ igitur S. Antonius audiens illa Christi Domini verba, *Si vis perfectus esse vade, & vende omnia qua habes & da pauperibus*; quasi vinum quoddam degustasset, quid fecit? Subito à terra in cœlum animam suam extulit, ut Joannes Gerson optimè hac de re discurrit dicens: *Antonius ad unam Evangelici vini praguſtationem, ad unam ut dicitur guttam; Si vis perfectus esse vade, & vende omnia qua habes & da pauperibus, protinus à terrenis ad spiritualia deductus est sedẽsq; in solitudine levavit se supra se.* Ea est differentia inter vinũ materiale & spirituale, quod primũ exhilarat hominem, & etiam sitim extinguit, secundum vero exhilarat

Eccl. 31. v. 35.

Matt. 19. v. 20.

quidem hominem pluſquam illud materiale, ſed ſitim non extinguit, quin majorem cauſat: talem ſitim patiebatur S. Antonius. Cum enim audiſſet, Alexandriæ tot quotide Chriſtianos fideles, pro fide Chriſti occidi, ſitiens & ipſe effuſionem ſui ſanguinis pro Chriſto Domino, mox eremum deſeruit, ut cum iiſdem martyribus vitam ac ſanguinem funderet, ſed cum Dominus talem ſuum calicem illi propinare nollet, vehementi dolore eſt impletus, videns quod ipſum pro alio majori ſuo ſervitio vinũ reſervaret: teſtatur id D. Athaniſius dicens? *Contriſtabatur, quia volenti pati pro nomine Chriſti martyrium non dabatur.* Ferventiſſimũ profecto Chriſti amatorem Antonius ſe in hoc deſiderio eſſe probavit. numquid enim ſcitis quod *majorem charitatem nemo habet, ut animam ſuam ponat pro amicis ſuis?* Quia ergo animamagis eſt ubi amat, quam ubi animat, neceſſario dicere debemus. Antonium dum in terris vixit etiamfuiſſe in cœlo: nam ſic ait Auguſtinus. *Stansin terra, in cœlo es ſi diligis Deum.*

D. Athan

Ionan. 15. v. 13.

S. Aug. ſuper Pſ. 65.

II. Complures Sancti Antonii imagines videntur, ignis flammam in manu ſancti viri depictam habentes. Quidnam hic ignis denotat? ſanè nihil melius quam ſanctam ejuſdem animam, juxta illud Regis David *Anima mea in manibus meis ſemper*: hæc enim ſub ignis typo proponitur, eò quod amore divino accenſa, flammæ ignis ſimilis erat. Et ſicut ignis tali ſemper impetu cœlum verſus continuò tendit, ut nulla ſit violentia, quæ impedire illum aut retardare poſſit: ita ſancta illa & beata Antonii anima, continuò omnique hora cœlum verſus volabat, ut cum Chriſto conjungeretur. Antiqui Poëtæ amori duas alas fabuloſè affingunt: vultis ut ego in flammante Antonii anima, amore divino æſtuante veras oſtendam? jejunium & oratio, hæ duæ erant alæ S. Antonii quæ ipſum in cœlum ſublevabant: quod attinet jejunium, nullum eſt dubium eſſe illud unam alam ſurſum homines ſublevantem. Chriſtus Dominus de excellentiis Joannis Baptiſtæ præcurſoris ſui loquens, dicit de illa verba illa Malachiæ Prophetæ. Hic eſt de quo dictum eſt. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam.* Cum Joannes verus homo fuerit, cur Chriſtus Dominus Angelum appellavit? Reſpondet Titus Boſtrenſis dicens: *Angelum appellat hominem, non quia natura eſſet Angelus homo enim naturaliter erat, ſed quia exercebat opus Angeli*; ſed quodnam illud? id quod S. Matthæus Evangeliſta recenſet dicens: *Venit Ioannes neque manducans neque bibens:* Quia vita ejus continuum erat jejunium, ideo pro ala quadam illo uſus evolavit ad conſortium Angelorum. Altera S. Antonii ala fuit oratio: de quo ait S. Athanaſius quod in oratione ſæpiſſimè pernoctaverit: cum ergo iſte ſanctus talibus pennis armatus fuerit, quid mirum ſi corpus in terra relinquens, animo in cœlos evolabat.

Matth. v. 10.

Titus Boſtr. ex Cath. S. Thom. Matt. 11. v. 18.

III. Scimus peroptimè, Angelos eſſe ſpiritus cœleſtes, nec aliqua corpora habere uti nos, quæro igitur, cur more noſtro, nempe in corpore humano pinguntur; forte dicetis, id eſſe ideo, quod ſub alia figura tales ſubſtantiæ, quæ ſunt inviſibiles depingi nequeant: quare non? cum ſint tot figuræ viſibiles, nempe lux, venti, nubes, & alia emblemata his ſimilia, quæ Angelorum naturam & officia exprimunt? Hugo de Sancto Victore, talem hujus rei rationem aſſignat dicens: *Propter hoc in forma humana Angelus deſcribitur, qui homo quantò minus ſenſu viget, ubi à beſtiis ſuperatur, tantò potentior eſt ratione, & libertate naturalis arbitrii, ubi Angelis aſſimilatur.* Quibus verbis innuitur, quod homo qui per rationem & liberum arbittrium ſcit corpori ſuo dominari illudque ſubdere ſpiritui, qui novit illud jejuciis, cæteriſque exercitiis ſpiritualibus mortificare, talis ſit velut quaſi Angelus quidam in terra. Angeli ergo depicti in humano corpore, talium hominum figuram repræſentant. E numero ſimilium Angelorum fuit Beatus Antonius, ille enim vivens in hoc mundo, ita ſenſus ſuos moderabat, motus corporis refrænabat, & rationi ſubeſſe cogebat, ut non ſolum hoc nomine Antonius, ſe dignum fuiſſe probaverit, quod ſignificat ratione obvians; ſed verè in humano corpore Angelus quidam fuerit, nam in Gallicano Breviario tale de ſe ipſo habet teſtimonium. *Cœleſtem ducens vitam Angelum non Eremitam prætendebat moribus.* Si igitur S. Antonius in humano corpore fuit Angelus, quis prohibebit ipſum in terris, unaque in cœlis converſari potuiſſe.

Hugo de S. Victore libro 10.

Gallican. Breviar.

IV. Vultis in Sancto Antonio videre plures notas Angeli? & quis virtutes illus Angelicas enarrare ſufficiat? Quamprimum vale-

valedicens mundo, ad Eremum venit semper in virtutibus crescebat, erat quædam apis Angelica, inquit S. Athanasius, quæ inter solitaria illa loca discurrens à quovis quem divino servitio deditum, videbat. studium virtutis & sanctitatem ediscebat, audite verba Autoris.

S. Athan. *Proprias singulorum gratias hauriebat, hujus continentiam, jucunditatem illius sectabatur, istius levitatem, illius vigilantiam, alterius patientiam, alterius mansuetudinem prædicabat sicque universis virtutum partibus irrigatus, ad sedem propriam regrediebatur.* Hinc videre licet, qualiter Antonius paulatim relicto mundo in altum volaverit, ut cœli incola fieret. Omnes hosce gradus quibus ad cœlum itur relinquo, sed solam D. Antonii humilitatem satis demirari non possum: hic enim jam moriturus, præcepit suis discipulis, ut corpus suum in loco humili, & mundo incognito sepelirent, ne ullum post mortem honorem acciperet. Vultis scire quid sit humilitas? Est scala Jacob per quam Angeli descendebant & ascendebant: vultis scire quid sit humilitas? Respondet vobis Joannes Climacus dicens: *Humilitas cœleste est instrumentum quod ex abyssopeccatorum, animã in cœlum levat.* Cum ergo hac polluerit S. Antonius cur non traxisset animam suam inter Angelos.

Elborẽsis Tom. 2. Gen. 28. v. 12.

Climatus gradu 35.

V, Tandem ut ultimatè verbis meis satis faciam ubi dixi, *Ex Ægypto vocavi filium meum*; duo hic dicere possum. Primum illud quod S. Antonius degens in Ægypto, fuerit etiam in societate Angelorum, secundum hoc, quod evocatus ex Ægypto, translatus fuerit ad sedes Angelorum. Quod concernit primum punctum. Referunt Historiographi, Christum infantem in Ægypti Regno una cum S. Josepho & sanctissima matre sua, septem annis fuisse commorum. Et quia divina præsentia, maximorum beneficiorum causa esse solet & origo, scire ab iisdem cuperem, quodnam beneficium Dei filius per tantam annorum moram Egypto contulerit? Respondet Paschasius, maximum hinc beneficium Ægyptum consecutum fuisse. Ex hac nam que tot annorum Christi præsentia, Ægyptus factus est paradisus, nam tot postmodum inhabitata Angelis, quot in ea Anachoretæ vitam traduxerunt solitariam. Quod cum ita sit, dicere audacter potero, S. Antonium quamdiu in eremo illius Ægypti manserit, corpore simul & corde habitatorium fuisse paradisi, Si enim ipse à S. Paulo primo Eremita (quem salutatum iverat) reversus dixerat. *Vidi Paulum in paradiso*, cur non alius quispiam de illo dicere possit? Vidi Antonium in paradiso. Quod concernit secundum punctum; tunc evocatus ex Ægypto fuit dum post mortem suam receptus est in paradisum cœlestem, & ibidem suis piis precibus pro nobis apud illum qui ipsũ ex Ægypto vocavit intercedit. Amen.

Paschasi 9. in 2. c. Matth.

INFESTO S. BASILII MAGNI,

Ordinis sui Nominis Instituoris,

CONCIO I.

Munimenta saxorum sublimitas ejus. Isaiæ 33. v. 16.

TAnta erat magnificentia & sublimitas præclari illius templi à Salomone Rege, magnis impensis, longo tempore, latomorum & fabrorum frequentia Ierosolymis excitati, ut non dubitaverit S. Isaia Propheta, dare ipsi hoc elogium; *Munimenta saxorum sublimitas ejus.* Quæ verba quod de illo ædificio intelligantur, patet ex Lyrano dicente: *Salomon enim ædificavit templa in monte Moria, de lapidibus magnis & pretiosis.* Sed non desunt alii Doctores & Patres S. Ecclesiæ, qui hæc verba Prophetæ, intelligant de templo spirituali, quod est quilibet fidelis Christianus, à petra quæ est Christus Dominus excisus, & in ædificium Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ collocatus. S. Paulus multis suis in Epistolis evidenter hac de re testatur, & inter alias, 2. ad Corinth, 6. sic ait: *Vos estis templum*

3. Reg. 5. v. 13, 14.

Lyran. in Isaiam.

S. Paul. 2. Cor. 6. v. 16.

Hugo Card. in Ep. Paul.

plum Dei vivi, ſicut dicit Deus ; quoniam inhabitabo in illis, & ambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus. Quæ Verba S. Pauli explicans Venerabilis Hugo Cardinalis, ait vetitatem illorum, dependere à Levitici 26. Capite ; ubi Deus loquitur:

Lev. 16. v 11.

Ponam tabernaculum meum in medio veſtri, & ambulabo in medio veſtri, & ero veſter DEVS

Ezec. 37. v. 26.

Simile quid habetur apud Ezechielem Prophetam dicentem. *Fundabo eos. & multiplicabo, & dabo ſanctionem meam, in medio eorum in ſempiternum ; & erit tabernaculum meum.*

Didym 9.

Quæ verba perpendens Didymus autor Eccleſiaſticus, ita ait: *Altus in altis habitat, omnis natura creaturarum rationiabilium ; domus dicitur Salvatoris.* Cum ergo ita ſit ego eadem ratione, per munimenta ſaxorum, ſacrum Ordinem Sancti Baſilii Magni, quem non ſolum in oriente ſed etiam in aliis mundi partibus propagavit, poſſum accipere. Sed numquid S. Baſilius munimenta ſaxorum, nempè hujus Ordinis, ſublimavit. an illa ipſum? in hac concione audiemus.

I. Notate inprimis Auditores mei, quod non ſine ratione per munimenta ſaxorum Ordinem Sancti Baſilii intelligam : habeo enim hujus mei propoſiti duas cauſas. Prima illa ſit, quod iſte Ordo primo ſuo tempore ſaxorum duritiei & aſperitati ſimillimus fuerit: ſi quidem tunc antiqui illi Patres, & ſancti Eremitæ, eligentes pro ſalute ſuarum animarum ſolitudines & eremitoria ; Domino quidem in timore filiali ſerviebant: carnem ſuam jejuniis, vigiliis, cæteriſque aſperitatibus macerantes; cum Satan hoſte humani generis viriliter depugnantes, quorum vivendi rationem S. Hieronymus ſic deſcribit, Quod

In vita S. Hieron.

languentes illi Eremitæ aqua frigida utantur, & coctum aliquid accepiſſe luxuria ſit. Sed quia ſectantes eam vitæ auſteritatem, ſimiles videbantur fuiſſe diſperſis lapidibus Sanctuarii,

Thren. 4.

quos S. Jeremias deplorabat. Hinc S. Baſilius, uti refert Gregorius Nazianzenus ; *Pietatis gymnaſia & monaſteria extruxit* ; quæ per univerſam Cappadociam, Pontum, minorem Armeniam, Paphlagoniam, cæteraſque orientales mundi partes, longè lateque propagavit, & homines procul à communi vivendi ratione ſegregatos, in honorificum ordinem redegit, & ſalutaribus præceptis inſtituit.

Qua de re ſummus Pontifex Gregorius Decimus Tertius in Bulla ſua Pontificia teſtatur dicens: *Monarchorum cœnobia haud procul ab iis qui in hominum ſocietate vivunt, ædificari juſſit. Nec oratio ſeparavit, ut ex propinquitate, cum opus charitatis expoſceret, adeſſe poſſent, neque rurſus eorum actio, per tumultus, inanis efficeretur, & alter alterum hoc modo juvare poſſet.* Pane in eo generoſo facto S. Baſilius Chriſtum Dominum imitatus fuit: ſicut enim ille, uti teſtatur S. Joannes Evangeliſta, mortem elegit ;

Ioan. 11. v. 57.

Vt filios Dei qui erant diſperſi, congregaret in unum: ita & S. Baſilius mortem laboribus, qui mortificant hominem, præveniens, omni ſtudio in id incumbebat, ut illa ſaxorum munimenta, lapides illos ſanctuarii, diſperſos per eremum vaſtiſſimam, in unum colligeret, ex eiſque fructuoſum ſacræ Eccleſiæ proximorumque ſaluti conventum perficeret.

II. Amplius audite: ſacrum iſtum Ordinem munimenta ſaxorum appellavi, ob materiæ duritiem, id eſt, ob aſperitatem vitæ quam ſancti illi in ſolitudinibus exercebant, teſte S. Paulo:

Hebr. 11. v. 38.

In ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, in cavernis terræ: et Magni Baſilii ſummum artificium admiremini, quod in conjunctione talium ſaxorum ad ſpirituale ædificium collectorum demonſtravit. De templo

3. Reg. 6. v. 7.

Salomonis ait ſacer textus. *Domus cum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata eſt, & malleus & ſecuris, & omne ferramentum, non ſunt audita in domo cum ædificaretur.* Nihil

Hugo Card.

novi, ait Hugo; cum jam antea lapides illi fuerint dolati extra Jerulem ſed quod, in aſpero, duroque ſervorum Domini ſtatu, dum dolantur, nullum murmur, nulluſque ſonitus audiatur; quin ſummum ſilentium, & dulcedo quietis appareat, illud eſt quid mirabilius. Unde ſumma dignus laude S. Præſul Baſilius : ille enim munimenta ſaxorum ſuorum ita attemperare noverat, ut in compactione ipſorum, nullum ſonitum audiverit, quin imò per modũ fugentis mel de petra oleumq; de ſaxo duriſſimo unicam dulcedinem animi inter aſperitates obſervantiæ Chriſtianæ expertus fuerit. Digna quoq; maxima laude illa munimenta ſaxorũ: ſic enim dicebat de illis Abbas Gillibertus. Bo-

Gillib. ſerm. 26. in Cant.

na ſunt munimenta ſaxorum; ſi tamen talia ſint, de quorum poſſit duritia, & mel & oleum elici.

III. Dulciſſimum mel oleumq; perſuave ſaxe Baſiliani fluxerunt. Hæc enim doctiſſimus

M. Grav. in voce Tur.

M. Gra-

M. Gravina de ipsis testatur. *Horum munus; nunc sacras evolvere paginas, nunc fidei mysteria religiosè rimari, nunc Christi Domini revolvere labores, & cruciatus, nunc inextinguibilem ignem, & immortalem vermem attendere.* Nonne hic petram videtis? sed vultis quoque manans de eadem mel & oleum intueri? Ait idem autor. *Nunc ad beatorum gloriam, mentis aciem dirigendo, pra dulcedine Dei, & amore domus ejus, in dulcissimas lachrymas solvi.* Quid hoc melle dulcius, oleoque savius? Jam audi quæso, quid de hisce petris Divus Bernhardus sentiat, dicens? *Experto crede; aliquid amplius invenies in silvis quàm in libris. An non putas posse te fugere mel de petra, oleumq; de saxo durissimo?* Fallitur qui putat, religiosorum petram, nempe vitam arduam & operosam, totam esse felleam, & amoram: manat etiam melle illa durities, & sæpe de petra melle suaviantur, qui asperitatem Christi amplectuntur. In Proverbiis c. 6. dicitur. *Vade ad formicam ò piger* In Vaticanis vero codicibus septuaginta legunt: *Vade ad apem, & vide quomodo operaria est.* Quænam hic commixtio? Cur formicæ operibus apum operationes immiscentur? Pulchrè respondet Divus Ephrem dicens: *Post formicam apis. Acerbitatem enim laboris, dulcedo quietis excipit, & asperitatem vitæ, gaudium. Ni viles formicarum instar extiterimus, ut apes non erimus industrii.* Nullus labor est sine dulcedine; sed qui cum formica non laborat, fructus apis non percipiet, non suget mel de petra.

D. Bernard. Ep. 106.

Prov. 6. v. 6.

D. Ephrem in Ascetico.

IV. Alia ratio, cur per munimenta saxea Ordinem S. Basilii Magni accipiam, est hæc. Quia sicut lapides petrosi, & bene compaginati, sunt solidi & firmissimi, quos edax tempus non consumit: sic & Ordo Sancti Basilii, quamvis senilem ætatem habere videatur; multas enim numerat annorum centurias, nihilominus solidior est saxorum munimentis, quin ipsomet adamante invincibilis. Quid enim? Putasne eum ita consenuisse, ut nec vestigia Basiliani Ordinis appareant? minimè verò: nam & nunc flores suos pullulat, non solum in Asia, Palestina, Thracia, Græcia cæterisque orientis partibus; sed etiam per occidentem plureſque mundi partes, virtutem, doctrinæ, pietatisque suæ fama volat.

Greg. Nazianz.

V. Hinc jam ignoro, quid hic è duobus à me propositis statuere debeam: nempe; An S. Basilius ab Ordine suo, an verò suus Ordo ab illo honorem, nomenque suum habeat. Utrumque si dixero, non errabo. Quod enim S. Basilius in munimentis saxorum, filiis inquam sui Ordinis, sublimis extiterit, eisque decorem magnum attulerit, id jam nunc ipsimet patri suo refarciunt; quia hac etiam ætate nostra fructificantes in Ecclesia Domini, complent in se ipsis illam Prophetiam Isaiæ dicentis: *Ab oriente adducam semen tuum, & ab occidente congregabo te.* Hic enim quid aliud videtur nobis Sanct. Basilius, quàm fulgur quoddam, de quo habemus Matth. 24. *Sicut fulgur exit ab oriente & paret usque in occidentem.* Quæ verba licet de adventu Domini intelligantur, possunt tamen & de servo suo dici S. Basilio: ille etenim non solum in oriente, sed etiam in occidente, in suis filiis apparuit; qui patris sui & Patriarchæ sequentes vestigia, ex oriente in occidentem veniunt. Quorum religio florat adhuc, non solum in Hispaniis, sed etiam in cæteris Europæ locis, ad laudem Dei omnipotentis & utilitatem Ecclesiæ suæ sanctæ, Amem,

Isaiæ 43. v. 19.

Matt. 24. v. 27.

INFESTOS. BASILII
Magni,
CONCIO II.

Non est inventus similis illi in gloria. Eccles. 44. v. 20.

CErtamen quoddam hodiè mihi est subeundum Auditores. Cum enim Sanctum Basilium Magnum, tam sublimibus verbis celebrare velim, dicens: *Non est inventus similis illi*

milis illi in gloria. Quot hic putatis mihi ituros obviam, mecumque ob tale thema contentionem habituros, quod ipso Sanctum Basilium omnibus aliis præferre videar? Et ne illos hic enumerem, satis haberem ad agendum cum Sancto Abraam Patriarcha. Illum etenim unicum Spiritus Sanctus hoc elogio insignivit. Tum quia DEUS, cum illo, suisque posteris iniit singulare pactum, eique novam dedit legem circumcisionis; tum quia eximia fide & sanctitate præpollebat, quâ factus, dictusque est pater gentium; tum denique, quia DEUS eidem promisit, quod ex posteris suis CHRISTUS nasceretur. Unde sequitur quod cum uni alienam laudem attribuo, alterius competentiæ injuriam & præjudicium inferam. Sed parumper Auditores: excusatio enim mea adest præ foribus. Si ille Theodoricus Rex Gothorum, Sancto Episcopo Ticinensi, nempe Epiphanio, tale dedit elogium dicens: *Eece hominem, cujus totus oriens similem non habet; quem vidisse præmium; cumque habitare securitas.* Si Rabbi Josepb, discipulo suo Eliezer, tale quoque præconium fecit, dicens: *Eliezer filius Hircani talis est, tamque cognita, & perspecta virtutis, ut de eo libere affirmare possim: etsi omnes sapientes Israel, in una bilance statere ponerentur ipsum solum in altera positum, æquilibrum sapientiæ facturum.* Si tandem Alexander Alensis discipulo suo, Sancto Bonaventuræ, tale dedit testimonium dicens: *Vere Israelita, in quo Adam peccasse non videtur*; Cur etiam de Sancto Basilio Episcopo, viro verè magno, eadem verba dicere mihi non liceat? Quin imò dico: *Non est inventus similis illi in gloria.* Quod ne gratis vobis dicere videar; ad audienda hujus sententiæ argumenta, aures vestras benevolas exhibete.

Gen. 17. v. 4.

Ennodius in vita.

Apopht. Hebr. eor.

Alex. Alens.

I. Si hoc ob ista verba in laudem Sancti Basilii Episcopi à me prolata, cum ipso Abraam Patriarcha cæterisque ejusdem agnominis consortibus, mihi in agone contendendum esset, adhuc ejusdem partes confidenter agere vellem dicens? *Non est inventus similis illi in gloria.* Quid enim? De Abraam Patriarcha scribitur Ecclesiastici cap. 44. *Abraam Pater magnus.* Eundem titulum & ille promeruit: vocatur enim Magnus Basilius. Cur Abraam in sacro textu vocetur magnus, Hugo Cardinalis adducit quasdam rationes. Quarum primum eam ponit dicens: *Magnus dicitur divitiarum & possessionum magnitudine*; juxta illud Gen. 13. *Erat autem dives valde in possessione auri & argenti*; Si agitur de auro & argento materiali, nulla ipsius inopia Sanctus Basilius laborabat; erat enim filius parentum nobilium & divitum; sed in virtutibus auro carioribus erat locupletior; quia hæ solæ hominem ditari atque ornare possunt. Vultis scire rationem; Cur hoc in loco historiæ sacræ, Sanctus Abraam Patriarcha, dives opum dictus fuerit? In eodem capite de ipso, & Loth, itineris sui (ex Ægypto revertentis) comite, sic ait: *Erat substantia eorum multa, & nequibant habitare communiter.* Ubi ait Divus Chrysostomus. *Vide quod faculatum multitudo, concordiam impedit, cognationis vinculum dirimit.* Feliciorem ergo dixero Sanctum Basilium: hic enim, dum Athenis habitans, cum Gregorio Nazianzeno, literis, moribusque honestis daret operam, tam arcto sanctoque amoris vinculo illi conjunctus manst, ut nollo modo ab invicem separari potuerint. Reliquæ Hugonis rationes ob quas Sanctum Abraam, magnum scriptura nominat, sunt hæ. Quia fuit magnus autoritate, tanquam Patriarcha. Magnus fide & obedientia. Qui credidit DEO & reputatum est illi ad justitiam. Magnus significatione; quia in immolatione filii, gessit typum omnium Patrum fidelium, in hoc; quod tres vidit & unum adoravit; hinc inquam Abraam Patrem mangum extitisse; *cui non est inventus similis in gloria.*

Ecel. 44. v. 20.

Hugo in Ecclesiast

Gen. 13. v. 2.

D. Chrys.

Hugo Card. ut super.

Gen. 22. v. 17.

II Quid si hæc omnia in Sancto Basilio fuisse ostendero? Fuit Abraam Patriarcha; ist est pater multitudinis, eodem modo & Sanctus Basilius fuit Patriarcha, Patrum plurimorum, quibus tot extructis monasteriis, & solitariæ atque actuosæ vitæ, simus conjunctis utilitatibus, verus eorundem institutum primus temperavit, eorumque numerum in tantum multiplicavit: ut pia illa Abraami benedicto in illo completa esse videatur, juxta illam prophetiam Isaiæ dicentis: *Affer filios meos de longinquo & filias meas ab extremis terræ.* Nam uti ait Magister Gravina: *Floret adhuc institutum Basiliana religionis in Hispania, & in Italia; Messana, Crypta Ferrata, Neapoli quoque in Ecclesia Sancti Agrippini; in Mona-*

Gen. 18. v. 3.

Esaiæ 43. v. 6.

Monasteriis Sanctorum Nicardi, & Martiani; in regione Albina Sancti Gaudiosi, & S. Spiritus. Quod autem Sanctimoniales attinet, harum institutum extat in Ecclesia S. Gregorii Episcopi Armeni; item S. Mariæ de Auguone, nec non S. Marcellini: quos omnes cænobitas, & sanctimoniales, Divi Basilii regulas professos, testantur autores fide digni. Taceo de aliis mundi partibus ad orientem sitis; nempè de Græcia, Armenia, Russia, cæterisque tertis, in quibus nihil viget florentius, Ordine S. Basilii sextus utriusque.

III. Idem autor, nempè Venerabilis Hugo Cardinalis ait, Sanctum Abraam Patriarcham, magnum fuisse fide & obedientia. Et ubi major fides quam in Sancto Basilio? De virture fidei dixit quondam Christus quod montes transferat. Habemus enim scriptum Matth. 17. Quod cum Christus ejecisset quoddam Dæmonium ab homine, & discipuli sui ab eo quæsierint; cur idem præstare non potuerint; illum respondisse; *Propter incredulitatem vestram*: & mox subintulisse; *Amen dico vobis si habueritis fidem, sicut granum synapis, dicetis monti huic, transi hinc; & transibit: & nihil impossibile erit vobis.* Id ipsum est quod practicavit Sanctus Basilius, loco argumenti audite exemplum. Dum Arriani tempore Valentis Imperatoris, Ecclesiam quandam Catholicis eripere conarentur, & S. Basilius fortiter apud Imperatorem resisteret, partesque Catholicorum fortissime ut egregium Christi militem decet, defenderet, acceptâ ab eodem licentiâ, ut utriusque partis arbitrium ageret, & ei quæ esset illa Ecclesia dignior, jus illius attribueret. Abiens ille accersivit, coram se, tam Arrianos, quàm etiam Catholicos, eisque mandavit ut Ecclesiam clauderent, clausam propriis sigillis signarent, & abirent, se interim utrique parti orationes imponere, ut orationibus incumbant; quos orantes Dominus exaudiet, templique valvas aperiet, hos ejusdem jus & possessionem accepturos. Utrinque disceditur, portæ Ecclesiæ sigillis munitæ, beneque occlusæ relinquuntur; Arriani post expletas orationes triduanas, ad portas conveniunt, sed tantum fit, quod tempore Eliæ Prophetæ Prophetis Baal contigerat. Tandem S. Basilius processione Catholicorum ordinatâ, venit ad Ecclesiam, factâque oratione lenique ictu baculi sui pastoralis, postquam illa verba Psalmistæ protulit; *Tollite portas Principes vestras & elevamini portæ æternales*; continuo apertæ sunt, fideique obedientiam præstiterunt.

Matt. 17. v. 19.

Amphil. Episc.

3. Reg. 16. v. 3.

Psal. 23. v. 7.

IV. Quod amplius Hugo Cardinalis ait, nempe Sanctum Abraam Patriarcham propter immolationem filii sui Isaac, magnum extitisse; hic quidem actus fuit heroicus, sed materialis tantum & figuralis, in qua oblatione accepit Deus voluntatem pro facto, & quæ figurabat oblationem unigeniti filii Dei, juxta illud: *Sic Deus delexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Quæ verba sacri Evangelii ponderans D. Chrysostomus sic ait: *Nemo unquam pro filio tantam præ se tulit charitatem; quantam pro servis, & ingratis servis Deus.* Vestigium hujus charitatis divinæ qualiter expresserit S. Basilius, audite. Antequam vir Dei migraret è corpore, vocavit ad se Judæum quendam Josephum nomine in arte medicinali valde peritum qui adveniens, ejusque pulsum tangens, & ex tactu, mortem in januis esse cognoscens, dixit familiæ. Quæ ad sepulturam necessaria sunt præparate, quia continuo morietur. Id Basilius audiens dixit ei. Nescis quid dicis. Cui Joseph. Crede Domine, quia Sol cum sole occidet hodie. Quid (inquit Basilius) si in crastinum supervixero facies? Et Joseph ait. Si tam diu tu supervixeris, ego moriar. Moriaris peccato vivas autem Deo, inquit Sanctus Præsul, & ille, Scio quid dicis, & si usque ad illam horam supervixeris, faciam quod hortaris. Tunc S. Basilius, non secus atque alter Ezechias, fusis ad Christum precibus impetravit à Deo vitæ suæ inducias ad crastinum. Quod Joseph videns, stupensque in Christum in ipso memento credidit, Sanctus vero Basilius licet imbecillis, tamen è suo lectulo surgens, propriis manibus eum baptizavit, ubi & peccatum in Judæo jugulavit, & animam Deo lucratus est, Nonne hæc vera & magna fuit oblatio? Magnus igitur est S. Basilius: *Non est inventus similis illi in gloria.*

Ioann. 3. v. 16.

S. Chrys. Hom. 26. in Ioann.

4. Reg. 20. v. 5.

V. Ultimum quod ait Hugo de magnitudine Abraam, ex eo provenire quia omnium fidelium expressit in se figuram, in hoc quod tres viros ad se venientes conspiciens unum verò adorans, arcanum Sanctissimæ Tinitatis demonstrasse visus fuerit. Sanctus Basilius pro fide Sanctissimæ Trinitatis acer-

rimè decertavit, quia Patrem, Filium, & Spir. Sanctum ejusdem essentiæ, Majestatisque esse docuit, & errori Arrianæq; obluctans perfidię filium patri consubstantialem esse, viriliter defendit. Magnus igitur Basilius: *Non est inventus similis illi in gloria.* Sed ut certamen hoc finiamus, propono vobis verba ipsius S. Basilii dicentis: *Magnus revera erat Abraam: Sic enim erat magnus, quia se cinerem terramque nominabat.* Et tu Sancte eodem modo magnus extitisti, quia cum fuisses Præsul amplissimus, & humilis extiteras, & ipsam humilitatem docuisti, per quam factus es magnus & elevatus in Regno cœlorum, Amen.

S. Basili. in Gen. cap. 18.

INFESTO S. BASILII Magni,

CONCIO III.

In diebus peccatorum corroboravit pietatem
Eccl. 49. v. 4.

QUam pulchro præconio Spiritus Sanctus Josiam Regem extulerit, patet ex iis verbis sacri textus: *Memoria Iosiæ in compositione odoris facta opus pigmentarii.* Quasi diceret; prout explicat Cornelius à Lapide. Memoria Josiæ, est instar compositionis odoriferæ, hoc est, suavissima & tam Deo, Angelisque, quam & ipsis hominibus gratissima Ubi alludit sacer textus ad thymiama, quod (uti habetur in Exodo) ex commixtione quatuor aromatum fiebat, nempè ex stacte, onycha galbano, & thure, sic enim memoria, & fama, pii, sanctique viri, qualis erat Josias, conflatur ex diverso virtutum odore, præsertim verò per virtutes quatuor, quæ aromata illa repræsentant. Stacte enim repræsentat mortificationem, onycha, castitatem, galbanum charitatem, thus religionem & orationem, quæ inquam virtutes in illo Rege inveniebantur. Et quia Thymiama maximè notat pietatem Josiæ, quam promoverat, auferendo aruspices, & idololatras, nec non templa & altaria, à Salomone, Achas, Manasse, & Jeroboam idolis fabricata, cultumque veri Dei instituit uti habetur fusius 4. Reg. capite. 23. ea propter in celebrem talium gestorum ipsius memoriam, his insuper verbis prædicatur. *In diebus peccatorum corroboravit pietatem.* Cum Sanctus Petrus 1. Epistola 2. capite regale sacerdotium esse dicat; non sine ratione & ego prætactas Josiæ laudes in Sanctum Basilium Episcopum verè magnum transferre possum idem de ipso dicens: *In diebus peccatorum, corroboravit pietatem,* Quod an re ipsa ita sit, in hac concione demonstrabo.

Eccl. 49. v. 1.

Cornelius à Lapide in Eccles.

Exod. 30. v. 34.

4 Reg. 23. v. 4.

1. Petri 2. v. 5.

I. Sive thymiama cui Josias comparatur sumamus, pro compositione odorum, nempe pro aggregato & summa virtutum, sive etiam pro pietate, quæ etiam cæteras virtutes in se complectitur, tale thymiama duplici jure debetur Sancto Basilio; primo quia sanctitatis, secundo quia doctrinæ suæ odore suavissimo, fideles Christi recreabat. Quod concernit primum thymiama, nempe sanctam vitam Magni Basilii, illa non melius percipietur, quàm ex virtutibus. Sic enim ait Divus Gregorius. *Thymiama ex aromatibus componimus, cum in altari boni operis, virtutum multiplicitate redolemus.* Audistis quæ sint thymiamatis ingredientiæ; & quas virtutes denotent: quæramus eas in Sancto Basilio. Primò quod concernit castitatem mentis & corporis, eam virtutem, Sanctus Basilius mirificè custodivit, quam enim à nativitate secum tulit, quam ab infantia habuit, quam in juventute, bonis moribus, & literarum studio Athenis studens pulcherrimo decore exornavit, eam ad mortem usque perpetuò coluit: & quia proverbio dicitur; *Sine Cerere & Bacchofriget Venus;* ut eadem castitas sibi semper non solum in corpore sed etiam in mente cōstaret integerri-

D. Greg. Lib. 1. Mor. c. 39.

Apoph. Sapient.

ma,

ma, tantis jejuniis corpus suum mortificabat, ut tantum spiritu vivens, nulla præter ossa & pellē parte corporis constare videretur. Quod attinet actus Sancti Basilii ex charitate proce-
D. Thom. cedentes, cum hi juxta sententiam Divi Tho-
Q. 31. 32. mæ Aquinatis sint duplices, nempe, interni,
& 33. qui sunt, pax mentis, gaudium, & misericordia. Externi verò similiter tres, beneficentia, eleëmosyna, & correctio fraterna, hos omnes Sanctus Pontifex in scrinio cordis sui ita reclusos habuit, non ut laterent tantum, sicut thesauri avarorum in cistis absconditi, sed ut omnibus paterent, & proximorum commodis inservirent: una misericordia de numero actuum interiorum, & eleëmosyna de numero actuum exteriorum sit nobis pro
Gen. 41. exemplo. Factus Episcopus Cæsareæ, dum vi-
v. 52. deret illam regionem gravi fame devastari, ut opem ferret indigentibus, frumenta non ut Joseph divendebat, sed gratis erogabat, & cum & hæc non sufficerent, totum patrimonium suum vendidit, & pretium in pauperes distraxit.

II. Quoad alias duas virtutes nempè orationem & religionem, hæ proprium & naturalem locum suum in Sancto Basilio habuerunt. Nam de oratione sua tale producunt te-
S. Gregor. stimonium duo Sancti Patres Gregorius in-
& Ephr. quam Nazianzenus, nec non Ephrem Syrus: *In oratione assiduus, in ea sæpe totam noctem consumebat.* Sed quid tam Sancti viri orationes exploramus? Quid solem de die quærimus? Quantæ virtutis fuerint id potius inquiramus, hac de re si quid sciendi, studium in vobis est, hoc exemplo patebit. Vir quidem Venerabilis nomine Eradius, unicam habebat filiam quam Domino consecrare disponebat, sed Diabolus ille humani generis juratus inimicus, hoc parentis propositum impedire volens, unum de servis prædicti Eradii, in amorem puellæ plurimum inflammavit. Verum cum id impossibile videretur ipsi, ut servus tam nobilis puellæ accessu potiretur, Dæmonum auxilium imploravit, deductus ergo à quodam malefico, ad aliquod gentilis monumentum, invenit Principem tenebrarum nempè Dæmonem, vallatum multitudine Dæmoniorum, coram quo cum abnegasset Christum Jesum, & exhibita Diabolo propriâ sua syngraphâ, perfectum eidem fecisset homagium, continuò ille accersivit malignos spiritus, qui erant super fornicationem: Qui accedentes ad Virginem, cor ejus ita accenderunt in amorem juvenis, ut se morituram putaret, nisi ei jungeretur. Quod cum factum esset, & illa jam manens in matrimonio, advertisset suum maritum templa, cruces, totamque religionem Christianam devitare, cognitâ rei causâ, cucurrit illa ad Sanctum Basilium, remque totam cum lachrymis enarravit, opem à sancto Præsule efflagitans. Sanctus ergo Pater, accersito ad se homine, ait: Vis fili reverti ad Dominum? Qui ait. Domine non valeo, quia Dominum abnegavi, & abnegationis scriptum Diabolo dedi. Non sit tibi curæ (ait Sanctus Basilius) benignus & misericors enim Dominus est, qui & te pœnitentem in gratiam suam iterum suscipiet. Apprehendens ergo illum signum Sanctæ Crucis in fronte ejus fecit, & per tres dies eum recluſit, pro quo cum orasset continnò, tantum suæ preces apud Deum valuerunt, ut non solum eum à potestate Dæmonum eripuerit, sed etiam ad schedam sibi restituendam, iisdem precibus ipsos compulerit.

III. Et quia religio in duplici sensu ac-
S. Augu. cipitur, quædam pro virtute sive cultu Dei,
l. de Quæ- per quem separati à peccato, unimur eidem,
tit. animæ talisque religio ab ipso Deo emanavit, qui nos ideo creavit, ut ipsum solum veneremur: alia verò sumitur, pro peculiari vitæ formula, quam homo religiosus libera sua voluntate profitetur, & per quam divino obsequio mancipatur; utriusque hujus religionis Sanctum Basilium summè studiosum fuisse constat. Quod enim concernit Dei honorem, ejusque cultum, quantus ejusdem zelator fuerit, id testatur Historia tripartita. Quod
Hist. trip. cum Valens Imperator, & Arrianæ hæresis fautor multa sibi promitteret, si impietati suæ contra honorum Dei consentiret, Sanctum eidem respondisse. Pueris ista conveniunt: nam qui divinis saginantur eloquiis, corrumpere de divinis dogmatibus nec unam syllabam patiuntur. Quod concernit normam vivendi religiosam, quamvis ad Episcopalem dignitatem à Deo destinatus fuerit, tamen si tunc Sanctum Præsulem videre licuisset, verum religiosum, talem inquam qui humi cubabat qui in oratione erat assiduus, qui jejunio, & vigiliis corpus macerabat, sub pallio Episcopali conspexisses.

Minimè quoque ab eo ſtatu eximendus, ſub cujus regula totus oriens militavit, exceptis quibuſdam Eremitis, & Anachoretis, qui ab Elia cæteriſque Prophetis bene pieque vivendi normam acceperunt.

IV. Si ergo ob tales virtutes Joſiæ Regi, adjudicata fuit mira odoris compoſitio, jam multò ſuavius redolet in Sancto Baſilio. Demum quod ait ſacer textus, de Joſia dicens: *In diebus peccatorum, corroboravit pietatem*; eam ſententiam taliter explicat Hugo Cardinalis. *In hoc laudandus eſt, quia in diebus malis bonus fuit.* Vera planè ſententia: ſi enim cum bono converſeris, facile & ipſe, in bonitate exemplo altererius proficere poteris; juxta illud Pſalmiſtæ: *Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocento innocens eris.* Sed ſicut hæc propoſitio Sancti Regis, vera eſt, ita & hæc altera; *Cum perverſo perverteris.* Sicuti ergo Rex Joſias ſummam laudem promeruit quia inter impios idololatras habitans, non modo ſe in partes eorum non immiſcuit ſed etiam eam ipſorum impietatem expugnavit, & in diebus peccatorum corroboravit pietatem; eandem laudem promeruit & Sanctus Baſilius.

Hugo in Eccleſiaſt.

Pſal. 16. v. 26.

V. Cum enim ſuo tempore hæreſis Arianorum graſſaretur, cujus perfidiam & ipſemet Imperator tuebatur & fovebat, & (quia juxta dictum *Regis ad exemplum totus componitur orbis*) plurimi in Oriente eandem impietatem ſectarentur, unigenitum Dei filium non eſſe conſubſtantialem Patri ſed ipſo minorem aſſerentes. Primus erat S. Baſilius, qui ſe Imperatori appoſuit ejuſque impiam perfidiam erroremque condemnavit: minatur illi exilium, quin imò Sanctum Baſilium proſcribere volens, ponit ſe in ſella Regia, & arripit calamum, ſed quid fit? Sella frangitur, & à tribus calamis nullus atramentum reddit; & cum nihilominus perſiſteret, ipſius dextera, diſſolutis nervis tota contremuit, quibus commotus chartam utraque manu conſcidit. Quàm benè igitur Sancto Baſilio hæc verba conveniunt. *In diebus peccatorum corroboravit pietatem.* Quodnam gravius peccatum eſſe poteſt, quam tale, quod divinam Majeſtatem lædit & imminuit? quia igitur S. Baſilius in eo abolendo ſummam adhibuit operam, nunc jam præmio divinitatis, quam fortiſſime ſemper defendit, honoratus, exultat in cœlis. Amen.

Ex Nyſſen & alio Autor.

IN FESTO S. BASILII Magni,

CONCIO IV.

Lux Dei, veſtigium ejus eſt. Eccleſ. 50. v. 31.

Exod. 13. v. 21.

FElix erat in antiqua lege populus ille Iſraëlis, quia (uti habemus Exod. 13.) dum filii Iſraëlis, proficiſcerentur de terra Ægypti, & ſervitute Pharaonis, uti ait ſacer textus: *Dominus præcedebat eos, ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in colũna ignis.* Ad quid eſſet illa duplex columna; aperit id nobis clariſſime nobis ſenſum, Rex David in Pſalmo ſuo centeſimo quarto dicens: *Expandit nubem in protectionem eorum & ignem ut luceret eis per noctem.* Eodem modo celebris autor Cornelius à Lapide, explicans hæc verba Eccleſiaſtici quæ jam protuli, nempè; *Lux Dei veſtigium ejus eſt*; dicit hic Siracidẽ, ſive Spiritum Sanctum per ſuum os, alluſionem facere, ad eandem columnam ignis & lucis, quæ quaſi dux vitæ, Hebræos præceſſit in deſerto, eoſq; duxit ad terrã pomiſſionis: quâcunq; enim illa præcedebat, illat ſoquebantur Hebræi, ibiq? veſtigia ſua collocabant. Eadem de cauſa Abraæ apparuit lampas in caligine, tranſiens inter diviſiones victimarum, lampas enim tranſiens, repræſentabat Deum, qui Hebræis, quaſi in tenebris Ægypti oberrantibus præbebat facem, ut tutò exirent. Unde tunc illi populo, fuit lux Dei veſtigium ejus. Felicior ſane in nova lege longe eſt populus Chriſtianus, huic enim Divina Majeſtas demonſtrans viãad

Pſ. 104. v. 39.

Cornelius à Lap. in Eccleſ.

Gen. 15. v. 17.

virtutem

tem & per eam ad terram promissionis æternæ, prælucet ei non in columna ignis sed suæ gratiæ cœlestis, per quam illustrat mentes fidelium, ne in hac terra Ægypti & peregrinationis suæ, declinent à recto itinere; sed ut in luce Dei vestigio suo posito, securè incedant, & ad beatam metam perveniant. E talium numero habemus S. Basilium, de quo illud profero; ***Lux Dei vestigium ejus,*** Quale autem in hac luce Dei vestigum sive gressum suum posuerit, hac in concione demonstrabo.

I Cum Christus Dominus de se ipso dicat; *Ego sum lux mundi*; ambulare in luce, nihil aliud erit, nisi sequi vestigia ejus. Testatur id evidenter S. Joannes Evangelista dicens: ***Si in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus ad invicem.*** Quæ verba explicans Venerabilis Beda sic ait: ***Ambulant justi in luce, cum virtutum operibus servientes ad meliora proficiunt.*** Hoc igitur fundamento posito, ad S. Basilium accedamus. Ambulavit inprimis in luce Christi, per semitam castitatis. Quantum enim aliquis habet castitatis, tantùm etiam lucis & claritatis. Quod patet ex iis verbis Christi Domini dicentis: ***Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.*** Et quænam est necessitas, ad portandam lucem lumbos præcingere? nonne etiam absque cingulo illam quispiam portare posset? Ut responsum percipiatis, audite primum illud canticum Debboræ sic psallentis: ***Qui ascenditis super nitentes asinos, & sedetis in judicio, & ambulatis in via, loquimini.*** Origenes Doctor, hic intelligit per asinos nitentes, asinas refulgentes. Quid habet splendor cum asinis? Audio inter stellas cœli arietem, audio taurum, audio aquilam, imò audio cancrum, & scorpium, at asinos ab omni splendore semper cognovi alienos. Unde igitur asinis advenit splendor? Sanè quod brutum & animale asinisque simile in homine est, si castitatis cingulo arctetur, non potest non mirum in modum fulgere, & splendescere. Quo circa ait Origenes Hom. 6. Cum jumentum hoc, id est corpus meum, sub jugo venerit verbi Dei, tunc vehiculum corporis mei resplendere incipiet, & asina hæc, id est caro mea tunc refulgere dicetur, cum castitatis ac pudicitiæ, fuerit splendore decorata. Nihil deforme esse potest, quod ornatur baltheo castitatis, quod non rutilet hominum cœlestium novis splendoribus. E numero talium fuit S. Basilius: hic enim à prima ætate sua accepto baltheo castitatis, eodemque præcinctus, tam feliciter in luce Christi ambulavit, ut nusquam ab ejusdem tramite deflexerit.

II. Et quia castitas est amina & comes sapientiæ, quæ est ***candor lucis æterna***; per eam inquam sapientiam evectus Cæsareæ in Episcopum quid non fecit? non stetit in una claritate, sed vestigio lucis Christi ad aliam contendebat. Scitis quid dicere velim? non fuit contentus similis esse Angelo in puritate, sed potius elegit vestigium lucis Dominicæ, quod ii sequi solent, qui non sistunt in uno calle virtutis, sed eunt de virtute in virtutem. Sciebat illud, quod dixerat S. Paulus 2. ad Corinth. 3. c. ***Nos verò omnes revelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur á claritate in claritatem.*** Non putarunt Sancti Apostoli sibi licitum, permanere in prima sua claritate, quin ab una ad aliam festinarent. Ea enim teste Gregorio Nysseno divina est lux, is est justitiæ solis radius, ut semper ad majora impellat animos, qui dum luce Dei suffunduntur, nesciunt sistere, sed feliciter contendunt à claritate in claritatem. Habebat S. Basilius tres illos orientis magos suis præ oculis, qui licet stellarum essent observatores, non putarunt sibi sufficere, in aspectu unius, & consideratione quam viderunt, sed ab ea una claritate stellæ, ad alteram solis, pergendum sibi putarunt. Sic enim dicebant, Matth. 2. ***Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? vidimus enim stellam ejus in oriente & venimus adorare eum.*** Venimus ajt, non hæsimus in stellæ contemplatione. Sed diceret aliquis cur illi Magi, qui fuerant egregii syderum scrutatores, sine uno verbo qui erant sapientes & Astrologi, non potius videntes stellam substiterunt, ut eam (quæ nova fuit) contemplari possent commodius? Expendite illud. ***Vidimus stellam ejus.*** Hoc est, vidimus stellam non unam ex illis, quas contemplari solemus, sed stellam novam ac talem, quæ nos non permittit subsistere. Cum enim sit signum divini solis recens orientis, urget nos, ut eamus à claritate in claritatem, à stella ad adverum solem Pulchre id expressit D. Chrysologus dicens:

Ioan. 8. v. 12.

1. Ioan. 1. v. 7.

Beda in Ioan.

Luca 12. v. 35.

Iudic. 5. v. 10.

Orig. in lib. Iud. Hom. 6.

Sap. 7. v. 26.

2. Cor. 3. v. 18.

Greg. Nyss. Hom. 5.

Matth. 2. v. 2.

D. Chry-

Tenuiter micans ſtella aſuefacit ad lucem, & gradatim pertrahit ad ipſum fontem luminis. Eodem modo & S. Baſilius non ſatis habuit in luce caſtitatis, quin etiam ad aliam properaret: ſed quænam illa? hæc de qua Chriſtus ait? *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona.* Matth. 5. v. 16.

III. Et quænam illa? Nihil hic dico de jejuniis Sancti Baſilii quibus indies magis magisque macerabat corpus ſuum, nihil de eleëmoſynis & charitate egenis exhibita, ob quam patrimonium ſuum vendidit, & pretium erogavit, nihil de ſtrato ſuo nobili, quod non abſimile fuit ſtrato Martini Turonenſis, qui in terra cubabat, de cæteris ſuis virtutibus nihil dicam ſed ſi vultis ſcire, an verum in luce Domini veſtigium poſuerit, unicum exemplum audite S. Ephrem in extaſi poſitus vidit columnam ignis, cujus caput uſque ad cœlum pertingebat & deſuper, vocẽ audivit dicentẽ. *Talis eſt magnus Baſilius qualis hæc columna ignis quam cernis.* Veniens itaque ille in civitatem ut tantum virum videre poſſet, cum vidiſſet eum indutum ſtolâ candidâ cum Cleticis venerabiliter procedentem, ait intra ſe; ut video in vanum laboravi: iſte enim in tali ſtatu, non poteſt eſſe quem vidi. Siquidem nos portamus pondus diei & æſtus, & tamen nihil tale conſecuti ſumus. Et hic, cum in tali honore poſitus ſit, columna ignis eſt? Itaque Baſilius, in ſpiritu iſta videns, fecit eum ad ſe introduci. Qui cum veniſſet, vidit linguam igneam per os ejus loquentem, & obſtupefactus ait: *vere magnus Baſilius, verè columna ignis Baſilius*: Ecce Auditores! columna ignis, nonne eſt clariſſimæ lucis vivum & omnibus intuendum veſtigium? S. Severus Sulp.

IV. Veſpertino tempore dum ſol occidit, & ſtellæ apparere incipiunt, tum dum eſt cœlum ſerenum, videmus in illo quendam circulum, qui ab Aſtrologis Galaxias dicitur; Ovidius autem viam lacteam hiſce verſibus nominavit:

Eſt via ſublimis cœlo manifeſta ſereno
Lactea nomen habet candore notabilis ipſo.

Talis cœli locus, accepit nomen viæ lacteæ: fabulantur enim Poëtæ quod dum Jupiter, ad ubera Junonis dormientis Herculem admiſiſſet, ut hinc immortalitatem aſſequi poſſet, eã excitatam ipſum rejeciſſe, & hinc è lacte qui è ſuis uberibus ſparſus erat, viam talem in cœlo apparuiſſe. Sed Albertus Magnus ait; circulum illum videri album propter ſtellarum multitudinem, quæ ſibi juncta & inſuper à ſole illuminatæ, lumen illud oblongum efficiunt. S. Doctores, qui in luce Dei nempè in Chriſto ſole juſtitiæ, greſſus ſuos ponunt, hi per tales ſtellas intelliguntur, de quibus dicitur in Prophetia Danielis: *Qui Docti fuerint fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* E talium ſtellarum numero fuiſſe S. Baſilium, teſtantur milleni libri qui à nobis tractantur, & cum profectu leguntur. Quid miramur? *Lux Dei veſtigium ejus eſt.* B. Albertus Magnus in Meteoru. Dan. 12. v. 3.

V. Et tandem, quando fortius in luce Dei pedem ſuum fixerat, quàm tunc, dum Valentis Imperatoris perfidiã abjurgaſſet? Undehuic Sancto tanta audacia tanta fortitudo tantaque animi alacritas, vultis causã? volebat terere veſtigium lucis Dominicæ, volebat ſequi crucem Chriſti, & quia id ipſi denegatum erat, ad minus in ſuis diſcipulis, illis inquam religioſis quos inſtituerat, ſuum quoque deſiderium fuit adimpletum. Ut enim taceam S. illum Martyrem Anaſtaſium, ſui inſtituti Alumnum, inumeros alios poſt ſe reliquit, quorum multa centena, nullo reſpectu habito ætatis, ſexus, ſeu conditionis, ſub crudeliſſimo illo Tyranno ne dicam furia Valente Imperatore pro Chriſto pati meruerunt. Et cum Chriſtus Dominus nos invitet quodam in loco Evangelii, ut in luce ambulemus, exemplo itaque Baſilii ponamus greſſus noſtros in luce Dei, ut ad illam ſempiternam lucem pervenire mereamur. Naxian. Ioan. 12. v. 35.

AMEN.

IN

IN FESTO S. AUGUSTINI

Episcopi, & Eccl. Doctoris, Fundatoris Canonicorum Regular. & Eremitar:

CONCIO I.

Vos estis lux mundi. Matth. 5. v. 14.

SI me interrogeris Auditores gratiosi, quænam fuerit gloriosa sanctaq; illa civitas, quã S. Joannes Evangelista se vidisse asserebat dicens: *Vidi civitatem sanctam Ierusalem novam descendentem de cœlo*: ego sanè sine ulla cunctatione respondebo; per illam civitatem Ecclesiam S. intelligi, hæc enim tam est similis illi cœlesti, ut non solum de cœlo descendisse, sed unum quid cum illa esse videatur. Hinc eximius Doct. S. August. cujus hodie memoriam celebramus, explicans illa verba Exod. 25. ubi Deus dicebat Moysi taliter; *Fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*: docet ea verba fuisse cœlestis Patris ad filium, eidem dicentis, quatenus in terra Ecclesiam construeret, ad similitudinem illius, quam viderat in cœlo. Tanta quippe est similitudo inter unam & alteram, ut sicut in castris militaribus, licet alii depugnent cum hoste, alii verò spolia colligant, unus tamen exercitus esse dicitur, sic etiam de Ecclesia militante & triumphante, sentiendum venit, licet una ambulet in fide, alia vero quiscat in specie, una tamen est eademque. Et sicut in cœlo dantur spiritualia luminaria, à quibus cæteri illuminantur, ita & in Ecclesia Christi his similia inveniuntur, è quorum medio unum hodie luminare nobis proponitur nempe S. Augustinus magnus D. Ecclesiæ, unus ex illis de quibus Christus ait. *Vos estis lux mundi.* Aperite ergo oculos, ut luminaris hujus lucidissimũ fulgorẽ videatis

Apoc. 21. v. 10.

Exod. 25. v. 8.

2. Aug. hic.

S. Dionys. de Cœl. Hierach.

I. Gloriosus Rex Salomon tanti faciebat sapientiam, ut quasi injuriam ipsi inferre visus, si compararet eam regnis, divitiis, lapidi pretioso, auro, argentoque, tandem de illa tale judicium protulerit. *Super salutem & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius.* Quid ais Rex Salomon, itaque sunt tibi vilia Regna, divitiæ, pretiosi lapides, aurum & argentum, ut his prætermissis soli lumini conferre volueris sapientiam? Sed Rex sapiens non aberravit, nam etiam Prophetam Danielem ejusdem sententiæ habuit, qui ait: *Qui docti fuerint, fulgebunt, quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiã erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Nec immerito hæc prærogativa datur sapientiæ. Si enim luci, eò quod tenebras materiales dispergat, & illuminet aẽrem, tantũ honoris tribuitur, quanto pluris æstimationis erit sapientia quæ tenebras mentis dispellit, & humanum intellectum mirum in modum illuminat. Hac ergo cum S. Augustinus egregie prç ditus fuerit, lucem istam corporalem longè excelluit Audite quale det S. Augustino testimonium Avicenna, licet ethnicus, dum ait: *Scientiam Augustino cœlum dedit, & super omnes homines, & quantum dare potuit illi concessit.* Sed amplius, habemus testimonium ex ipsius mer S. Augustini ore veridico, qui commemorata sacra historia de Abraam Patriarcha de quo dicunt Hebrei tria ipsũ nomina habuisse, sub diversis temporibus. Primo vocatum fuisse Illam, cum degeret in Chaldæa in domo patris sui, quod idem sonat, quod excelsus: Deinde postquam descendit ad Chanaan, vocatus fuit Abraam, quod interpretatur Pater excelsus, & tandem post circumcisionem expletam, dictus fuit Abraam id est Pater multarũ gentium: eodem modo S. Doctor de semetipso ait coram suis Auditoribus, nempe primò se vocatum fuisse excelsum Philosophum & à Romanis cedri odoriferi nomine insignitum. Deinde postquam vita & exempla S. Patrũ, Pauli, Antonii, & Simpliciani, & insuper ipsa quoq; divina vocatio, in virum alterum, ipsum immutavit, tunc jam vocatum fuisse Patrem excelsum. Tandẽ, postquã cum fratrib⁹ religiosis venit in Affricã

Sapient. v. 10.

Daniel. 12. v. 3.

Avicenna.

factus

factus ibidem Episcopus, tunc à S. Ecclesia vocatum fuisse, excelsum Patrem, multarum gentium. Fuit ergo S. Doctor Augustinus lux Ecclesiæ, quia quasi sol refulgens, sic ille refulsit in templo Dei.

II. Sed num semper fuit lux? imò aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino Augustini humilis Confessio, manifestat, quænam tenebræ illæ fuerint, in quibus ille aliquando versabatur. Et certè si eam audiverimus quam protulit in libro Confess. pro sui Confusione, & cœlestis medici gloria? vel ob eam ipsam, simillimum Apostolis meritò dicimus. Sicuti enim S. Apostoli suos defectus humanos ob virtutem humilitatis, & majorem Dei gloriam solebant appellare, uti fecerat S. Matth. Evang. qui se publicanum nominavit. Id S. Paulus Apost. qui se persecutorem fuisse Eccl. Christi prodidit: sic etiam S. Augustinus eorundem exemplum hoc in passu immitatus fuit. Placet audire humillimam eam suam Confessionem? *Quoties* (ait) *videns me peccatis victum, suspirabam, vocabat me Deus & respondebam ei: Expecta me modicum; at illud modicum in longum protendebatur.* Noverat Dæmon, se habere captivum inclytum, ideo sollicitè eum custodiebat. Sed tandem audita Antonii magni conversatione ait ad socios: *Surgunt indocti, & rapiunt cœlum; nos vero cum nostris scientiis mergimur in profundum.* Ingressus ergo hortum sub ficu se prostravit, ut dici ei possit, quod Nathanaeli; *Vidi te sub ficu:* ibi, clamavit ad Dominum, pectus suum tundens, illud Regii Propheræ ingeminans. *Vsquequo Domine oblivisceris me in finem; usquequo avertis faciem tuam à me; usquequo exaltabitur inimicus meus super me? respice & exaudi me Domine Deus.* Dumque in similibus precibus perseveraret, venit ad eum carnalis cogitatio, *quid facis ô Augustine, in æternum delicias à te separas?* cum ergo sic anxius esset, audivit vocem dicentem sibi: *Tolle, lege,* & aperto libro, offendit locum illum S. Pauli: *Non in commessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, sed induimini Dominum nostrum Iesum.* Hoc audito verbo, descendit in ejus animam lux, viditq; per gratiam Dei se liberari à tenebris, facileq: ei id omne esse, quod difficile videbatur.

S. Augus. in libr. Confess.

Ioan. 1. v. 49.

Psal. 12. v. 1.

Rom. 13. v. 13.

III. Latuit aliquamdiu lux Augustini in densa errorum caligine, sed sicuti jucundior post nebula phœbus; eodem modo dicendum de S. Augustino, qui susceptâ fide & sacro Baptismo, mox sapientiæ suæ radios diffundere cœpit; ut sicuti mundus sole, jta Eccl. Christiana S. Augustini luce resplenderet. Et cui jam hic S. Augustinum assimilem? num Prophetæ? Plus quam Prophetæ, Magnum quidem donū Prophetiæ; Sed ego dico; unicuique Doctori majus lumen esse necessariū ad veritatem dicendā & ostendendam, quàm Prophtæ ad prædicenda futura. Nec vero, id gratis dicere videar audite, meum argumentum. Fugiens David, Saulem furentem, Sacerdotem Achimelech adiit, consulturus eum de felici eventu rerum, & ut sacerdotem ad consultationem facilius allicere posset, fugam celavit dicens: *Rex præcepit mihi sermonem & dixit; nemo sciat rem.* Ubi valde mirandum est, quod David vir alias tam excellenti ne dicam divina sapientia ac prudentia à Deo donatus, sic studuerit adventus sui causam celare Sacerdoti, à quo de eventu rei futuro se certiorem fore sperabat. Cur non verebatur convincia fallacia, à qua sperabat futurorum notitiam? An putabat Achimelechum posse præscire futura, suum verò mendacium non posse cognoscere? Pulchrè respondet Abulensis dicens: *David satis putarat, quod quanquam mentiretur, & consuleret Achimelech Dominum pro eo; non posset cognoscere ex responsione Dei, an mentiebatur.* Longe quippe majus lumen requiritur ad discernendam veritatem, errorum, hæresiumque tenebris obnubilatam, quam ad futura prophetanda. Cum ergo S. Augustinus veritatem Doctrinæ Jesu Christi docuerit, eo tempore, quo Manichæorum hæresis lumini veritatis, tenebris suis contraibat, quas S. Augustinus lumine suo dispellere conabatur; hinc liquet ipsismet Prophetis longè majorem extitisse.

1. Reg. 22. v. 1.

Abul. q.

IV. Unde sicut hominibus generosis, insigna stemmataque à Regibus dari solent, quæ testimonium præbent præclaris eorundē virtutibus, sic & S. Augustino duo data sunt insignia, mysterio plena. Primum est, quod Ecclesiam manu gestet Ofelicem gerulum: cum nemo Sanctorum tam solertem illius, præter illum curam habuerit. Sanctos illos Patres Dominicum & Franciscum, legimus Basilicam Lateranensem casui proximā brachiis suis sustentasse: magna ac prædicabilis virtus tantorum Atlantum, qui tantum pondus sustinere potuerunt. At non minor S. Augustini,

qui

qui manibus suis gestabat Ecclesiam Christi, tanquam si opus suum esset. Non ego id asse-
S. Hieron. Epiph. ad Aug. ro, sed habeo pro teste S. Hieronymum, qui S. Augustinum, Christianæ fidei conditorem vocat; & quid excellentius ac præclarius dici potest? Quod enim S. Paulus Christo attribuit vocans Autorem fidei & consummatorem JESUM, hoc nomen inclytum Au-
Heb. 12. v. 2. gustino tribuitur. Nec immerito, ille enim
S. Bern. super Cant. hic est, qui Ecclesiam Christi à tot tyrannis obsessam liberavit, ille eandem ab hæreticis vindicavit, ut malleus hæreticorum merito nuncupetur.

V. Aliud insigne S. Augustini est cor sagittis transfixum: sed quisnam suum cor sagittavit? Audite dicentem: *Sagittaveras tu Domine cor meum charitate tuâ.* Hinc jam concurrit certamine singulari noster Augusti-
Cant. 4. v. 9. nus cum sponso illo cœlesti qui ait: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa.* Amor unius oculi, sponsi cor vulneravit, sed quanta charitas fuit Augustini? Attendite quid loquar. Post SS. Apostolos, nullus inventus erat qui Augustinum sapientiâ superaret, sed quid tum? tanta in ipso erat charitas, ut suam sapientiam superaret. Sed quonam modo charitas sapientiam Augustini superavit? Audite loquentem DEO suo in hunc modum. *Ita te Domine amo ut si ego DEUS essem & tu Augustinus, te ego DEUM facerem, & me redderem Augustinum.* Mirabilis vis charitatis. Sed interrogo ego te Augustine: si tu DEUS esses, nonne te agnoscerem, & videns in te bonitatem infinitam, nonne eam super omnia diligeres? quomodo ergo aliam super te diligere posses? Hoc penitus impossibile esset; similiter impossibile esset, si tu DEUS esses, alteri divinitatem concedere, & à se abdicare. En quomodo amor vicit sapientiam. Hunc & nos Auditores imitemur: Obsecrantes Dominum ut transfigat cor nostrum dulcedine amoris sui, quatenus per ipsam, ad dulcedinem gloriæ sempiternæ pervenire valeamus.

Amen.

IN FESTO AUGUSTINI Episcopi.

CONCIO II.

Vos estis lux mundi. Matth. 5. v. 14.

SAnctus Joannes Chrysostomus dicturus laudes S. Pauli Apostoli, sic exorsus fuit:
S. Chrys. Hom. 8. de laud. S. Paul. *Sapè fulgido cœli globo, delectatus oculus ad spectaculum oppositi è regione luminis, sese violenter intendit; & licet sentiat aciem suam imparem esse radiorum certamini, desiderio tamen illius pulcherrimi luminis intuendi, libenter inaccessibili radiantis orbis reluctatur coruscо.* Tale quidpiam & ego reperior: dum enim coruscum S. Augustini lumen intueri cupio, contra importabiles solis radios, contentiosa subire cogor certamina. Sol quidam est Augustinus, qui fulgentibus vitæ, & doctrinæ suæ radiis, totum mundum illuminavit & hodiedum sua doctrina ad posteros translata illustrat & illustrabit, usque ad consummationem seculi. Certamina mihi igitur sunt subeunda, sed quæ vobis futura sint ut spero gratissima.

I. Estis forte avidi Auditores mei, spectare certamen meum, non in armis materialibus, sed in armis spiritualibus, nempe in gladio Spiritus consistit, quem S. Paulus gladium verbi vocat. Audistis dictum à Domino. *Vos estis lux mundi.* Sed apud Lucam quid ait? *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio* Doctores Sanctos orbis lucem compellat, eosque faces, super Ecclesiæ candelabra positas esse dixit: nonne hæc inter se depugnant. *Vos estis lux mundi, & Lucerna super candelabrum?* Exonerent etiam in hac pugna tormenta sua, Philosophi. Lux abstracta forma est, nullis arctata limitibus, quin infinitatem quandam præ se ferens. Lucerna, partem tantum lucis hujus infinitæ contraxit: & facis exiguâ materie circumscribitur, fumum emittit, umbram corporis non abhorret,

Ad Eph. 6 v. 17. Luc. 11. v. 33.

sed necessariò admittit. Quî ergo fieri poterit, esse lucem Doctores absque omni fumo? & simul esse faces, luminosas quidem sed fumigantes? nitentes, sed umbrosas? excellentes, sed finitas? Hæc inter se pugnare, quis non videat? sed antequam hæc duo pugnantia reconciliem, attendite: Deum illum Pharaonis, Moysen dico, sic DEUS allocutus fuit. *Aaron & filios ejus unges, caro hominis non ungetur.* Eo inquam unguento pretioso, quod jussu divino confectum erat. Ecce aperta pugna. Si Aaron & filii ejus ungendi sunt, quomodo caro hominis ungenda non erat? si caro hominis ungi prohibetur, quomodo pater cum filio præcipiebatur inungi? Item Spiritus eorum ungi non poterat, sed sola caro; unctionis compos erat: necessum igitur erat, ut caro hominis ungeretur. Magister quidam Hebræus, quem illi Chabinum Archadonem vocant, argutè hanc contrarietatem conciliat dicens: *Dum Iehova præcipit Aaron, & filios ejus ungere, simulq; prohibet, ne ulla hominis caro inungatur, officij sui vult eos admonitos.* Ac si diceret: carne quidem & spiritu compacti sunt, sed ea officii dignitate donantur, in qua solo spiritu noverint esse vivendum; in carne viventes, non secundum carnem ambulantes. Corpus habere, naturæ erat, sed umbra carere peccati & scandali, officii dignitas exigebat. Ungatur igitur Aaron, & filii ejus, & caro hominis non ungatur: quia puros in vita, & doctrina spiritus esse debere monebat. Hinc facile in veram coibunt pacem, lux & lucerna, inter quæ duo pugnam conspiciebamus. Lucerna quidem sunt Doctores eximii, lumen à divina luce participant, faces sunt, concreta lumina & finita fatemur, lux tamen abstracta dicuntur. *Vos estis lux mundi*: quia eos officii sui vult Christus admonitos, ita scilicet esse lucernas, faces & lumina concreta, ut in lucendo, vita, doctrina, & exemplo, lux abstracta videantur. Luceant sine umbra, illuminent absque fumo. Quod & Christus apertè demonstravit, dum lucendi modum præscribit dicens: *Sic luceat lux vestra, non ut lucerna, non ut concretum; sed luceat lux* ut abstractum, quod lychno, corpore, umbra, fumoque caret. Hinc Abacuc intonuit dicens: *Splendor ejus ut lux erit.* Ac si diceret; concretum, ut abstractum, limitatum, ut illimitatum; finitum, ut infinitum: lucerna, ut lux.

Exod. 30. *v.* 30, 31.

Chabinus Archad. hic.

2. *Cor.* 10. *v* 3.

Abacuc. 3. *v.* 4.

II. Lucerna erat S. Augustinus, etiam ante annum ætatis suæ trigesimum tertium, quo divina metamorphosi sacris undis Mediolani accensus à S. Ambrosio, fuit mutatus in lucem, tanto enim in errorum tenebris ingenii lumine pollebat, ut Divus Albertus Magnus dixerit. *Fecisse naturam, extremum effectum suæ potentiæ, dum Augustinianum creavit ingenium.* Deum totius eloquentiæ Secundinus Manichæus Aurelium vocabat; ex ore inimico, vis veritatis extorsit encomium. Quid plura? ipsi veritatis columnæ inconcussæ sanctæ inquam Ecclesiæ, Augustini perspicacita timorem incussit, dum in precibus quas litanias vocamus, apponi jussit. A Logica Augustini, libera nos Domine; ac si tanta esset intellectus sui potentia, cui sola posset divina resistere. Nec mirum; nam æternæ luci non absimilis, nullo opitulante Magistro, scientiarum ima, summaque lustrabat, & aliis clara, aperta, illustrata tradebat. Lucebat igitur Augustini lucerna adhuc in tenebris. *Lux in tenebris lucet*: & dum fide quæ donum DEI liberum est, careret, perspicaci lumine illam quæritabat: non esse veras quæ circumferebantur Religiones assequebatur. Catholicam attingere non valens, inquietus tamen intellectus assequi nitebatur: at quando placuit illi, qui ab utero matris Monicæ, ipsum segregaverat, ut jam non lucerna fumigans, & umbrosa, sed lux clarissima efficeretur, Mediolani Baptizatus est. O tunc felicem baptismatis fontem, qui velut sacra illa, & divina arca, duobus Cherubinis, qui scientiam denotant, nempe Ambrosio & Augustino honoraris. Itur ad gratiarum actiones: Sanctus Ambrosius pro tanto thesauro acquisito, gratias DEO referens, incipit primum Cantici versum componere: *Te DEVM laudamus, te Dominum confitemur*; sequitur Augustinus & ait: *Te æternum Patrem, omnis terra veneratur: sicque alterutro spiritu jubilante*, non Ecclesiæ militanti solum, sed etiam triumphanti, ea carmina composuere decantanda. Qualis igitur, quantaque futura erat lux ista Augustini, cujus vix natæ radiis terræ cœlique cives congaudent. Exuit veterem hominem in fonte Aurelius, exuit etiam unà secularia vestimenta, post decantatas quas retulimus laudes, & interius albam tunicam, exterius nigram, cingulo lato ex corio præcinctam S. Ambrosii manibus induit,

Div. Alb. Magn.

Secund. Manich.

Lux in Ioan. 1. v. 4.

Hymn. S. Ambr. & S. Aug.

duit, ut vitæ puritatem, candoremq; receptum ater habitus custodiret.

III. Maximè id mirum est, quod eodem nascantur tempore pater & filius primogenitus. Vos inquam ô genuinæ & primogenitæ proles Augustini, religiosa vestra, non vestis tantum, sed & doctrinæ puritas, & vitæ candor, & rigorosa austeritas, ab ipso baptismi fonte originem ducunt, consecrataque DEO, hucusque perseverant. Successit secunda & natu minor proles Canonicorum Regularium, multos post annos, quando Hyponensem Ecclesiam ducens Augustinus divinæ fœcunditatis suę fructiferum ac viride germen protulit; & id quidem mirum in modum crevit; sed multò feracius primum, nempe Eremitarum; teste Gazelino hisce verbis: *Nulla civitas, populus nullus, nulla eremus, angulus nullus erat, qui perfectissimis Monachis & Monialibus Augustiniani eremitorii non repleretur*; loquitur de Anglia & Hybernia. Quid de aliis orbis terrarum partibus dicam? Sanè mirabili eremiticæ virtutis potentia effectum est, ut (quod contradictionem videtur implicare) civitates ipsæ eremus, & cives perfecti essent Eremitæ. Quinquagenarium numerum excedunt religiosæ familiæ, quæ Augustinianæ regulæ subscribentes, jactabundæ in Domino, Avum habere Augustinum, & te matrem gloriantur. Unde si alicui sanctorum Patrum, quadrat illud Christi verbum, *Magnus vocabitur*; id proprie quadrabit Sancto Patri Augustino. Magnus erat, quia tot Religionum Pater; magnus Pater; quia in Christo JESU supra numerum stellarum filios propagavit. Magnus erat, quia (uti refert Cassiodorus) *tanto doctrinæ fulgore certabat, tanta divinarum rationum efficacia; ut nec reluctari quidem ei possent hæretici, aut valerent.* Magnus igitur Pater Augustinus, quia magnus hæreticorum osor, interemptor & triumphator erat.

Luc. 1. v. 32.

Cassiodor.

IV. Luminare majus prædicavi Augustinum, non igitur lucente ipso, lucebunt cætera? Respondet Divus Cyprianus. *Sileant Doctores omnes, ubi os melliflui aperitur Augustini.* Sanctus Gregorius scribens Præfecto cuidam Africæ, ita fatur. *Opuscula Augustini compatriotæ nostri legito, & respectu illius similaginis, nostrum furfurem non quæratis.* Cajus Cæsaraugustanus Archiepiscopus, dum in Vaticano opera Gregorii Magni scrutaretur, quidnam viderit vel audiverit etiam vos audite. Insistebam (inquit) vigiliis, & orationibus, ut revelatione divina scirem, quod humana opera assequi non valebam, cum repente conspicio templum cœli lumine coruscare, & è sepulchro Sanctorum Apostolorum duos Pontifices nimio fulgore ornatos prodire: primum perterruit me Majestas illa insolita, sed Divus Gregorius ad me appropinquans, me confortavit, designans locum in quo opera sua in Job conscripta servarentur: tandem dum animosior factus, ex devota curiositate ab eo expeterem, ut mihi Divum Augustinum demonstraret, id mihi respondit. *Augustinum virum excellentissimum, de quo quæris, altior eum continet locus.* Hic mihi modo Divum Gregorium alloqui liceat. Cur nunc sibi eum præfert, quem antea vocabat suum compatriotam? Facilis est responsio. Dum viveret videbat eum in ænigmate, sed dum beatum in cœlis intueretur, vidit majoris luminis excellentiam, adeoque jam non concivem suum sed virum excellentissimum nominavit.

D. Cypr.

S. Gregor. Papa.

Cajus Cæsaraug.

V, Non minus & hoc elegans est eminentiæ Sancti Augustini testimonium. Religiosa quædam persona dum in Hybernia sacris contemplationibus vacaret in extasim rapta, cœlo sibi patefacto, multorum beatorum vidit gloriam, cumque Augustini videndi teneretur desiderio, vox quædam è turba illa gloriosa erupit dicens: *Augustinus in altissimis residet disputans de beatissima Trinitate.* Ac si apertè dictum esset: non altus, non altior beatitudinis locus continet Augustinum, sed altissimus, sacræque Trinitati vicinus: ibi magnus Aurelius, vir sedis aureæ, aurea sedet in sede altissima, fruens dulcedine Sanctissimæ Trinitatis cujus majestatem & honorem coram hæreticis defendebat. Pius dixero, tanta Augustini animam pollere excellentia, ut agilitatis dotem, quæ solis corporibus post resurrectionem competit, mortali & non resumpto cordi suo communicasse videatur. Equidem dum altari imponitur, ipso Trinitatis, vel S. Augustini Festo, toto eo tempore, quo præfatio divinæ Triadis ab eodem composita dicitur, illud inquam suum cor, divinæ agilitatis motibus exultat, & cum illud canticum

Sanctus S. S. quod idemmet Autor post Baptismum suum composuit, trina vice repetitur, idem cor agili saltu suo, salutare seu prædicare videtur Sanctissimam Trinitatem. O mirabile sacramentum, quod sub speciebus cadaveris vitam continet! O carnem, non carnem sed spiritum, O mortuum, non mortuum sed vivum. Taceo alia innumera miracula sancti Patris, sunt enim sole clariora. At te verò O Sancte Pater, vocem meam converto, orans ut qui vicinus assistis Sanctissimæ Trinitati, apud eandem filiorum tuorum patronus existas.

Amen.

IN FESTO S. AUGUSTINI Episcopi.

CONCIO III.

Quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo DEI.
Eccles. 50. vers. 7.

QUicunque pulchritudinem Ecclesiæ S. quæ est Sponsa Christi considerat, aliud de ipsa nequit dicere, nisi illa verba Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea & macula non est in te.* Hæc enim verba de illa dici testantur SS. Patres Ecclesiæ, sacrarumque scripturarum interpretes. Sed quid mirum pulchram esse, cum illam tot ornamentis DEUS condecoraverit. S. Joannes Evangelista ait Apoc. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.* Hæc verba de S. Ecclesia intelligi, nemo est qui dubitet, cum ipsemet Christus Dominus, tale illi dederit testimonium: *Vos estis lux mundi.* Quasi diceret; vos estis lumen Ecclesiæ, quæ in hoc mundo, propter vos, adeo clara refulget, ut solis, lunæ, stellarumque amictu ornata esse videatur. Et cum in numero eorum, qui Ecclesiam Christi tam splendidam fecerunt, primi sint Apostoli, tum deinde Doctores, de quibus testatur Daniel Propheta dicens: *Qui erudiunt multos, fulgebunt quasi stella in perpetuas æternitates.* Solus Augustinus inter tot stellas, meritò sol est nominandus: hic enim post Apostolos, neminem habuit, qui tanto lumine, S. Ecclesiam decoraverit, ut meritò de ipso dici possit. *Quasi sol refulgens, sic ille effulsit in domo DEI.* Hoc autem quod verum sit in hac concione demonstrabo,

Cant. 4. v. 7.

Apoc. 12. v. 1.

Matth. 5. v. 14.

Dan. 12. v. 3.

I. Non puto hic aliquem reperiri, qui D. Augustino maximo Doctori S. Ecclesiæ, in contrarium eat, eique hoc nomen solis minus convenire dicat. Quia si juxta Platonis sententiam sic dicentis: *Cum ratione, imposita sunt rebus nomina, tum apud Græcos, tum apud Barbaros*; nemo antiquorum gestare audebat quidpiam nomen præclarum, nisi illud virtutibus comprobaret, multo magis apud nos Christianos, id practicari debet. De Alexandro Magno refert Plutarchus, quod cum in militem quendam ignavum incidisset, eumque interrogans quonam nomine vocaretur ille respondisset, se dici Alexandrum: Regem cum indignatione dixisse. Cum ita segnis & inops animi sis, cur te finis tali nomine appellari: Dignus fuit miles ille tali objurgatione Alexandri Magni: cum enim ejusdem nomine vocaretur, neque tamen virtutes illius Heroicas imitari vellet, turpe, & deforme erat nomen suum talibus moribus contrarium. Sic enim ait Cassiodorus. *Nimis absurdum est portare nomen alienum, & aliud dici, quam possit in moribus inveniri.* Quod cum ita sit, non est putandum hoc nomen Augustinus, hodierno S. Doctori Ecclesiæ S. gratis esse datum, quia id nomen, nempe Augustinus juxta historiam Lombardicam, idem est quod præclarus; id est, *Præ omnibus clarus.* Taliter ergo dictus fuit, ut per tale nomen suum significetur, eum futurum adeo clarum, ut quævis

Plato.

Cassiodor.

alia

alia luminaria præcelleret, haud secus ut sol quidam, qui suo fulgidissimo lumine cuncta alia superat luminaria. Quod patet ex dictis Pierii. Sicut enim ille ait. Quod, *nisi sol esset, neque luna, neque stellæ ullæ perspicuæ essent; ut doctrina est Astronomorum, ut res ipsa indicant:* sic etiamsi per stellas, & lunam Doctores Ecclesiæ intelligamus, omnibus illis S. Augustinum, tanquam solem præferre possum. hi enim splendorem doctrinæ suæ ab ipso mutuarunt. B. Thomas à Villa Nova, clarissimis verbis id testatur dicens: *A sole omnia nostra lucent, ab Augustino qui post ipsum fuerunt Doctores, lumen sapientiæ accipiunt:* ipse verò cum cæteris lumen suum communicet, *quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo DEI.*

II. Singulare & illud est Creatoris donum, soli Augustino communicatum, ut licet ille omnium luminum fons atque origo existat, unde cuncta luminaria resplendent, ipsemet tamen lumen suum, à nullo alio luminari, quam ab ipso creatore suo participet. Cur factum esse existimatis, quod summo justitiæ sole, in morte sua obscurato confestim sol & cum sole luna, & omnes pariter stellæ obfuscatæ fuerint: ideo sanè, quia sicuti stellæ & luna, à sole hoc cœleste lumen suum participant, ita quoque deficiente supremo sole, nempe Christo JESU in cruce moriente, tam sol, quam etiam cætera luminaria, æquum erat obscurari. Observavit eandem rationem Petrus Damianus dicens: *Caligaverunt oculi Domini, & illa luminaria magna, quæ illuminant orbem ad horam extincta sunt.* Cum igitur Sanctus Augustinus, illud sapientiæ atque Ecclesiæ lumen, quo cæteros Doctores, tanquam stellas illustravit, à summo DEO traxerit, teste D. Thoma à Nova Villa, ubi ait: *Lucem à nullo hominum sed à solo DEO accepit*: quis illum inter Sanctos Doctores veluti solem quendam inter stellas negabit? Verè sol fuit: *Quasi sol refulgens, sic ille effulsit.* Refert Diogenes, solem ex mari esse productum, & in cœlum translatum. Si ergo quisquam hujus Philosophi opinionem tenere vellet, nempe solem ex aquis marinis productum esse tenens, per solem autem Sanctum Augustinum intelligeret, utpote qui erat filius multarum lachrymarum, Monicæ matris suæ quem lachrymando quotidie ad Christianam veritatem reduxit, quis jam solem hunc neget, ex mari magno ortum? Ortus fuit ex mari magno lachrymarum noster sol, nempe Sanctus Pater Augustinus, & tandem translatus in cœlum, mirificum splendorem edit. *Quasi sol refulgens, sic ille effulsit.*

III. Beata Monica bis Sanctum Augustinum genuit, primò in mundi hujus lucem, postea verò ad æternam illam lucem cœli, semel ex utero, & semel ex oculis, prius genuit peccatorem, & postea sanctum, semel hominem, demum verò Angelum, primò mortalem, deinceps divinum. Multum quidem Sanctus Augustinus, sanctæ matri suæ pro prima generatione debet, quia ipsum edidit in mundum, sed pro secunda multò ampliùs, quod enim hominem genuerit, illud est commune parentibus, sed plus ei proderat secunda generatio, quæ jam non per uterum, sed per oculos, facta fuit, dum pro ipso semper copiosissimum lachrymarum imbrem nocte dieque effundiret, & omni hora DEUM exoraret, quatenus filium suum illuminare dignaretur, unde facile cognoscere licet, quantum Augustino, devotam, sanctamque matrem habuisse profuerit, cujus precibus devotus, & Sanctus evasit. Cujus sanctam vitam si peccatrici lingua mea laudare incipiam, meritò ipsum cor Ecclesiæ Sanctæ nuncupabo. Si enim cor à cura nomen habet uti placet S. Isidoro, quisnam post Sanctos Apostolos Ecclesiæ tantam curam habuit, quantam Augustinus? Et si juxta Aristotelem, à corde venæ prodeunt, unde per totum corpus sanguis diffunditur, certè ab Augustino, velut à corde & fonte scaturiunt dogmata fidei Catholicæ, indeque se in omnia membra Ecclesiastica diffundunt, adeo, ut omnes & singuli Doctores, suos se discipulos esse glorientur. Quod si cor secundum Hallicarnassæum radix est animæ, quis non dicat Augustinum cor esse Ecclesiæ? Dabit nobis rationem Divus Thomas à Villa Nova; qui sic ait: *Autore & Magistro Augustino, ita omnia sunt lucida, ut errare non possit, nisi qui velit ex industria allucinari.* Cum igitur Ecclesia Christi, quoddam cœlum sit, teste S. Gregorio qui ait: *Regnum cœlorum præsentis temporis Ecclesia dicitur.* Certè eo ipso, quod S. Augustinus cor est Ecclesiæ, cor etiam cœli nominabitur; quia teste Macrobio, *Solem Physiti cor cœli vocaverunt.* Quam feliciter igitur revertor ad

Pierius. *B. Thom. à Villa Nova.* *Petrus Dam. ser. de Exalt. Domini.* *Diogenes in Xen. Cynico.* *S. Isidor.* *Hallicar.* *S. Gregor. Hom. 12.* *Macrob. l. 1. c. 20.*

hæc verba ; *Quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo DEI.*

IV. Cum tam magnus sit solis globus, ut sicut videtur Anaximandro Philosopho, terræ quantitatem vigesies septies superet, tamen cum tanta velocitate movetur, ut in unica horula, tot conficiat milliarium milliones. Id forsan videbitur quibusdam impossibile, sed viri docti hæc benè norunt, neque enim sagitta, quantumvis fortiter ejaculata, neque globus sclopeti violenti igne ejectus, solis velocitatem assequi valent. Unde si Divum Augustinum solem fuisse probare vellem, vel per hanc rationem id deducerem, nempè quod tantam librorum copiam, summa velocitate manus suæ ediderit, tamque velociter sua doctrina Ecclesiam DEI dotaverit, ut cum sole certasse videatur : quia quot S. Doctor libros edidit, testante D. Thoma de Villa Nova ; *Vix diuturna hominis vita sufficit ad ipsos perlegendos.* Quidam Romanorum Principum, ob celerem felicitatem, quam in devincendis hostibus expertus fuerat, hoc elogio solebat gloriari : *Veni, vidi, vici.* At princeps Doctorum, magis jam poterit gloriari, quia non cum unius hominis, sed cum solis velocitate ausus contendere fuit. Sed quid mirum ? cum & ipse fuerit sol : nam *quasi sol refulgens sic ille effulsit in templo DEI.*

Anaximander.

V. Aliqui gentilium antiquorum, lupum soli consecrare consueverunt, forte ideo secundum aliquos, ut per hoc innuerent, quod sicut lupus, terræ animantia rapit & devorat, ita quoque sol velut lupus quidam cœlestis, omnes terræ humores rapit ad se, eosque consumit. At juxta sententiam aliorum, ideo id faciebant ut per hoc solaris oculi vim & virtutem innuerent, cui nihil occultum esse potest. De natura enim lupi scribit Plinius, quod acutissimos habeat oculos, ut inter ipsas quoque densissimas noctis tenebras perfectissimè videat. Sed quo fine hæc adduco ? non alio sanè, quàm hoc, cum S. Augustinus Doctor Ecclesiæ tam perspicaci ingenio fuerit, ut penitissima quæq; penetraverit, lucidissimo soli hinc proprie comparari poterit. Unde Pius Secundus Pontifex maximus, de S. Augustino, veluti de sole locutus fuit, talia de ipso recensens encomia : *Quem nihil obscurum latuit, cui omnia clarent.* Voluit carmine illo dicere Vates hic Apostolicus, Sanctum Augustinum tam perspicacis fuisse ingenii tamque acuti intellectus, ut nihil latebrarum & difficultatum in obscurissimis quoque materiis dari potuerit, quas subtilis oculus Augustini perlustrare nequiret. Et quid profundius Sanctissimæ Trinitatis mysterio esse potuit, quod S Paulus Apostolus. Altitudinem divitiarum sapientiæ & scientiæ DEI nuncupaverit? nihilominus tanta gratia hic S. Doctor erat præditus, ut non solum eam profunditatem mensus fuerit, sed etiam cæteris Doctoribus veridicis doctrinæ suæ sententiis, quasi pontem quendam extruxerit, in quo figere pedes suos securè possint, nec aliquem casum vereantur. Jam verò ut ad illam antiquorum consuetudinem accedamus, qui lupum soli consecrabant, scire vos existimo, qui S. Doctoris vitam legistis, quod perfidi hæretici, Diabolico in Sanctum Augustinum furore acti, ipsum lupum appellare passim consueverint, atque publice dixerint, illos non peccare, qui Augustinum tanquam noxium lupum occiderint. Lupus equidem Augastinus erat, non quod aliena raperet, ut hi perfidi affirmabant, sed quia quasi lupus oculis erat præditus, ob ingens & perspicax intellectus sui acumen, quo consilia hæreticorum, eorumque fallacias detegebat, non absimilis illi magno Prophetæ Elizæo fuit. Sicuti enim ille Regis Syriæ pugnantis contra Israel insidias detegebat, uti habetur 4. Reg. 6. c. non aliter S. Doctor Augustinus fallaces hæreticorum insidias, detegebat & dissipabat : sed quid mirum : Solis oculos habebat, quia sol quidam fulgentissimus erat. *Quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo DEI.* Quamobrem Auditores charissimi, Soli justitiæ, Christo inquam Domino, summas referamus laudes, eique reddamus grates, qui huic magno Ecclesiæ sanctæ luminari, nempe S. Patri Augustino, tantam infudit suæ gratiæ claritatem, per quam non solum ad notitiam Divinæ voluntatis suæ duci, sed etiam sua Sancta intercessione ad æternæ vitæ lumen, pervenire valeamus. Amen.

4. *Reg* 9.

IN

IN FESTO S. AUGUSTINI Episcopi.

CONCIO IV.

In diebus ipsius emanaverunt putei aquarum, & quasi mare adimpleti sunt supra modum. Eccles. 50. v. 3.

QUandoquidem laude, quæ est virtutis præmium, nihil glorioſius ſublimiuſque dari poſſit, merito ſacer textus inter tot heroës celeberrimos, qui in antiquo teſtamento ætate ſua floruerunt, magni unius Sacerdotis, nomine Simonis Oniæ filii, mentionem faciens, hoc ipſum prædicat teſtimonio dicens: *In diebus ipſius emanaverunt putei aquarum, & quaſi mare, adimpleti ſunt ſupra modum.* Cum enim 2. Paral. 32. v. 2. 5. Rex Ezechias inaudiſſet de imminente obſidione urbis Jeroſolymæ à Sennacherib Aſſyriorum exercitus Principe, reſtauratis ejusdem muris & turribus, è fonte Gyon introduxit aquas in civitatem per canales ſubterraneos, fecitque eas ſcaturire in piſcina interiori grandi, quam ædificavit in medio urbis, atque ad eam fabricavit puteum, ut totam irrigaret civitatem, ne populus in obſidione poſitus, aquæ inopia laboraret. Sed cum labente tempore, iidem canales quin & putei ipſi fuiſſent obturati, ipſe deinde refectis ex ære canalibus, tot tantiſque expenſis aquæductus rurſus reparari fecit, ut ob aquarum abundantiam quoddam quaſi mare fuiſſe viderentur. Ob tale igitur factum, verbis ſupra dictis celebratus fuit. Majori ego præconio dignum in nova lege Sacerdotem invenio, Sanctum inquam Auguſtinum, quia in diebus illius emanaverunt putei aquarum non ſimplicium, ſed viventium & quaſi mare adimpleti ſunt ſupra modum. Auditores mei ſi attenti fueritis, mirabilium hic fontium & puteorum S. Auguſtinum patratorem audietis.

I. Non eſt adeo magna differentia inter fontes & puteos; quia utrobique ſolent eſſe aquæ vivæ & mundæ, ſed illa tantum, quod fontes in ſuperficiem terræ ſponte erumpant, uti de primo fonte habetur teſtimonium, Gen. 2. v. 6. Gen. c. 2. hiſce verbis. *Fons aſcendebat è terra, irrigans univerſam ſuperficiem terræ.* Item habetur libri ejusdem c. 16. alia mentio, de quodam fonte, in ſolitudine Sur nuncupata. Et tandem Exod. 17. eſt alia, dum Moyſes jurgante populo propter aquam qua carebant in deſerto, ex mandato Domini petram Oreb percuſſiſſet, ex qua fons aquarum, tam copioſus erupit: ut toto populo & jumentis eorum, ad ardentiſſimam ſitim qua in deſerto miſerandum in modum cruciabatur extinguendam abunde ſufficeret. At putei, illi vocantur, qui primùm labore magno fodiuntur, & ſatis profunde excavantur, donec in eis fontes aquæ vivæ reperiantur, qui priùs erant occulti. E numero talium primus mihi occurrit in antiquo teſtamento Geneſis cap. 26. in quo talis hiſtoria continetur. Sanctus Iſaac Patriarcha, cum haberet magnam poſſeſſionem armentorum, tantam incurrit invidiam Paleſtinorum inter quos habitabat, ut unà congregati omnes puteos, quos foderant ſervi patris illius Abraham, obſtruxerint implentes humo, cumque alia quoque vice tentaſſet, & illi ſimiliter feciſſent, tandem accinxit ſe ad alios fodiendos quatuor, quos totidem nominibus compellavit. Primum puteum (ob jurgium quod erat ex parte Paleſtinorum, & alia ex parte ſua exortum) appellavit *Calumniam*; ſecundum, pro quo etiam rixati fuerunt, vocavit *inimicitias*; tertium pro quo non contenderunt, vocavit *Latitudo*, & tandem quartum fodiens: vocavit eum, *Abundantia*. Ut ergo ad primum redeam, per fontem, ſapientia ſive ſcientia intelligitur, juxta illud Proverb. cap. 18. *Torrens redundans, fons ſapientiæ.* Et quia ſapientia & ſcientia eſt duplex, una infuſa & altera acquiſita, primam fonti qui ſponte ea rumpit, ſecundam vero puteo, qui primò magno labore eget, antequam venas aquarum eructet, meritò comparare poſſem. Hoc ergo ſuppoſito, quod concernit S. Iſaac Patriarchā, abſque

Gen. 16. v. 14. Exod. 17. v. 6. Gen. 26. v. 15. 16. 17. Prov. 18. v. 4.

absque omni injuria, magnum Patrem Augustinum illi prætulero, idque ob eam rationem, quia S. Pater Isaac abundabat quidem fontium copia, sed summo labore acquisita, debebat enim primò fodere puteos, antequam ad fontem aquæ vivæ perveniret: è contra vero S. Pater Augustinus, aquarum sponte erumpentium ingenti copia abundabat: intelligite quid dicam.

II. S. Augustinus aquarum sponte erumpentium copia abundabat, quia in omni scientia absque aliquo Præceptore excellebat; adeo ut ætate juvenili, summus philosophus & rethor eloquentissimus haberetur: nam libros Aristotelis, & omnes alios artium liberalium, quousque legere potuit, per se ipsum didicit, & nemine tradente intellexit; uti de se ipso testatur dicens: *Quidquid est de arte, loquendi & differendi, quidquid de dimensionibus figurarum, & de musicis & de numeris, sine magna difficultate, nullo hominum tradente intellexi.* Non carebat effectu suo, tale testimonium; qui enim nullius Magistri erat discipulus, ipse apud Carthaginem, functus officio Magistri, multis annis Rhetoricam docuit, deinde Romam veniens ibidem multos sibi congregavit: unde à Præfecto Symmacho ad instantiam civitatis Mediolanensis quæ hujus artis Doctorem expetebat, ibidem destinatus, tanquam fons aquam ebulliens, ingenii doctrinæque suæ fluenta eructabat. Sed ea vis aquarum non diu stare potuit, tandem desiit, suis enim privata meatibus, lutoque terrenarum contagionum fonte obturato, randem deperiit. Nactus enim Mediolani S. Præsulem Ambrosium contra Manichæorum hæresin, qua ille infectus erat, disputantem, eorumque errores sæpissimè in suis concionibus confutantem, ad id gratia DEI, quam Monica mater sua assiduis lachrymis postulabat, intus operante, ad eam mutationem devenit, ut jam nec in Rhetorica aut eloquentia Ciceronis, nec in Philosophia Aristotelis, ejusque syllogismis argutis & fallaciis sophisticis amplius sibi complaceret; sed id solum exoptaret, ut ductore aliquo rectam vivendi viam invenire posset; quam nactus per Simplicianum, cum quo persæpè conferebat, quisnam esset aptus modus vivendi ad ambulandum in via DEI; tandem insinuavit per litteras Sancto viro Ambrosio votum suum, ut moneret quid sibi de libris sanctis legendum esset, quo aptior fieret fidei Christianæ; ille jussit legi Isaiam Prophetam; cujus cum principium non intelligeret, totum illud tale esse arbitrans, legendum distulit quousque magis in scripturis versatus foret. Ne mirere O Sancte Pater Augustine! Codex Isaiæ puteus est: si vis fontem aquæ vivæ, primum tibi fodiendus erit.

In libro Confess.

III. Postquam Augustinus sacro Baptismatis fonte est ablutus susceptit mox in fide Catholica confirmatus, spem omnem quam habebat in seculo, dereliquit, scholisque secularibus quas regebat, renunciavit; sola enim sibi studii cœlestis cura fuit. Post mortem igitur matris suæ regressus ad patriam ad id unicum intendit animum, ut qui fontem scientiarum humanarum dereliquit, alium longè nobiliorem nempe divinarum scrutaretur, unde similis factus Isaac Patriarchæ, puteos spirituales fodiebat in quibus fontes aquæ vivæ inveniret. Accedit ad unum, & ecce jurgium & calumnia cum enim in negotio Magnatis cujusdam ad fidem Christianam convertendi, ad civitatem Hyponensem advenisset ibidemque habita facultate à Valerio Episcopo à quo ad culmen Sacerdotii erat evectus, verbum DEI prædicasset, eodem ferè tempore Fortunatus Hæresiarcha Manichæorum versutia plurimos seducebat, quam quidem Sanctus Augustinus gloriosè superavit, sed etiam multas calumnias pati debuit à pluribus, qui hujus fidei quam antea coluisset, desertorem, & fœdifragum nominarent, fodit alium puteum: & ecce inimicitiæ. Cum enim hæreticos, scriptis verbisque validissimè oppugnasset, in tantum odium erga ipsum exarserunt, ut publicè inter se prædicarent, occidendum esse, multaque eo fine struxerunt insidias ut quocunque modo vita eum possent privare, quas tamen ille divinâ providentiâ felicissimè evasit.

IV. Factus Pontifex Hypponensis tertium fodit puteum, cuidam enim Præposito suo, commissa præfectura rerum secularium, ipse totus se dedit contemplationi & studio sacrarum literarum. S. Isaac Patriarcha, tertio puteo quem foderat, indidit nomen latitudinis: at S. Augustinus longe latiorem puteum fodere conabatur. Cum civitas Hypponensis cujus S. Pater erat Episcopus, littori maris pulcherrime adjaceret

adjaceret illeque in consuetudine haberet post diurnum studium & laborem vespere deambulare ad littus maris, accitis secum quadam vice sociis, eisque ne meditationem suam colloquiis impedirent à longe ire jussis, solus hic antecedens, atque per littus deambulans, puerulum miræ pulchritudinis super littus maris sedentem invenit, cumque interrogasset puerum quidnam hic faceret, respondit dicens: volo hoc cochleari istud exhaurire mare, & huic fossæ infundere. Et quomodo (inquit Augustinus) hoc poteris? mare ingens est, cochlear quo hauris parvum est & fossa parvula in quam infundis. Et mox puer: possibilius mihi est hoc facere, quod intendo quàm te implere quod cogitas, qui incomprehensibile mysterium Sanctissimæ Trinitatis brevi volumine concludere meditaris. Quanta putei latitudo!

V. Impossibilis fuit Augustino ea putei latitudo, nihilominus pro posse suo tantum in eo fodiendo laboravit, ut de S. Trinitate, quindecim libros composuerit. Et tandem si quartum spectes puteum, illi non immerito nomen tribues Abundantia: maximus enim est librorum numerus quem iste sanctus ad Pastoros edidit, ut prius canescere quam omnia illius opera, à juventute tua perlegere? Autor quidam Gennadius librorum suorum ultra sexcenta nomina commemorat, & ea quidem solum, quorum poterat recordari. Et quis enumerare sufficeret, tot hortos vineasque spirituales, quas fluentis suis S. Augustinus irrigabat? Unde quæso tot Ordinum propagines prodierunt? ab hoc patrefamilias eandem irrigante præter Eremitas & Canonicos regulares, prodiit Ordo Præmonstratensis, Prædicatorum, Mercedis servorum, Jesuatorum B. Joannis Columbini, Eremitarum S. Hieronymi cæterique Ordines, in quibus tot martyres, tot confessores, tot tantique Doctores Ecclesiæ quorum numerus ad centum & undecim millia esse dicitur, sed certus sciri non potest. Taceo 36. Pontifices, trecentos Cardinales, Episcopos innumerabiles, sed revertens ad puteos Augustini istud addo: tempore quodam dum ejus sermones in Ecclesia ad matutinum legerentur, B. Bernardus vidit Augustinum Episcopum, de cujus ore tantus impetus aquarum exibat quod totam Ecclesiam inundabat. Nonne verum dixi! *In diebus ejus emanaverunt putei aquam & quasi mare adimpleti sunt supra modum.* Quamobrem gloria sit Sanctissimæ Trinitati, cujus Augustinus visione jam fruitur sempiterna. Amen.

Gennadius?

IN FESTO S. BENEDICTI
Abbatis, Ordinis sui nominis Fundatoris.

CONCIO I.

Reges nutrititi tui, & Reginæ nutrices tuæ. Isaiæ 49. vers. 23.

QUod non fuit auditum à seculo, ut Reges, qui ad publica Regnorum officia assumuntur, vilia nutricum opera, in alendis & nutriendis prolibus faciant; id in hodierna solemnitate, S. Patriarchæ Benedicti, à me propositum audistis hisce verbis. *Reges nutritii tui & Reginæ nutrices tuæ.* Sed quis mihi credet? Nusquam evenire solet, ut Reges nutriant? nam licet: in quibusdam regionibus, Reges muliebria officia exercebant, & è contrario Reginæ virilia, uti Amazones, quæ bellare, sui verò viri colum & fusum tractare solebant, nihilominus Reges Sardanapalo, & Heliogabalo similes, pati nesciunt. Rarò autem, ut Reginæ; nam vix Nobilissæ, ne dicam illæ, prolem suam, uberibus propriis nutrire solent. In antiquo testamento unam tantùm Reginam nutricem, invenio, nempe Regiam filiam Pharaonis, quæ Moysen infantem ad ripam fluminis, inventum in fiscella sibi

Herodot.

Exodi 2. v. 6.

sibi adferri jussit, sibi adaptavit, eumque (alienis tamen uberibus) nutriri fecit. Deinde juxta edictum Samuelis Reges à Regnis suis nutriri solent, quomodo ergo id stare poterit, ut dum ipsi nutriuntur, aliorum sint nutritii? Et tandem S. Patriarcha Benedictus, Nursiæ è nobilibus quidem parentibus natus erat, non tamen in domo Regum qui mollibus vestiuntur, itaque non video, qualiter thema meum deducam ad finem. Lyranus (ne in proposito meo succumbam) manum videtur dare, dicens ea verba Prophetæ intelligi de Regnis & Regibus, qui fidem Christianam suscipientes, pauperes pascebant. Ego nihilominus ô S. P. Benedicte, in meo proposito constans esse cupiens, quod antea dixi, idem & nunc repeto, & tam de te, quam etiam de Sanctissimo Ordine tuo dico: *Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ.* Vultis ut probem? Faciam. Vos loquentem, attentione vestra nutrite.

Lyranus.

I. Hæc verba Isaiæ Prophetæ, quæ ego hodie assumpsi pro themate, dedicanda Sanctissimo Patriarchæ Benedicto suoque inclyto Ordini dicens; *Reges nutritii tui & Reginæ nutrices tuæ.* Secundum sensum duplicem intelligi possunt; id est, uti ajunt docti viri; Activè & passivè. Sive igitur de S. Patriarcha Benedicto suoque ordine, ea primo modo intellexero, ita quod S. Pater Benedictus, tanquam alter Abraham, quot filios, & filias sui Ordinis in Christo genuit, tot produxit Reges nutritios, & Reginas nutrices, non errabo: Sive etiam, eadem verba secundo modo intellexero, ita quod S. Benedictum prolemque suam præclarissimam Reges, & Reginæ nutriverunt, etiam nec quidquam errabo: nam quod concernit primum sensum, quid impedit S. Abraham Patriarcham tot populorum Regumque patrem Regem dici? eodem pariter modo, quid impedit Sancto Patriarchæ Benedicto tot populorum nempe tot Ordinum patri, tot Regum spiritualium mystico genitori nomen Regis tribuere? Apparuit quondam DEUS Abrahæ dicens: *Ambula coram me, & esto perfectus, ponamque fœdus meum, inter me, & te, & multiplicabo te vehementer nimis.* Abraam audiens, tantum promissum DEI, quid fecit? *Cecidit pronus in faciem.* Sancte Patriarcha, habeo complacentiam summam in tali casu tuo: nam Heli pater Samuelis junior te uno anno, nempe existens annorum nonaginta octo, cecidit retrorsum, tu verò habens annos nonaginta novem, cum tanta dexteritate cecidisti, nempe pronus in faciem suam. Pulchra sanè figura S. Patriarchæ secundi, nempe S. Patris Benedicti: postquam enim apparuerat ei DEUS per inspirationem suam divinam, invitans eum ad perfectiorem vitæ gradum, dicens sibi in corde suo: *Ambula mecum, & esto perfectus, ponamque fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis.* Sanctus P. Benedictus, accepta hac interiore voce DEI, cecidit coram DEO, non inquam retrorsum, sed pronus in faciem, non retrorsum (uti ait Hugo Cardinalis) *nesciens quo caderet*; sed pronus cum D. Paulo, qui etiam eundem casum expertus, ait: *Quæ retrò sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis DEI in Christo* JESV.

Gen. 17. v. 1.

Ad Phil. 3 v. 13.

II. Sed revertamur ad S. Abraam Patriarcham, Ulterius ait scriptura *dixit ei DEVS*; Mirabile quid! Abraam cadens in terram, nihil loquitur, & DEUS respondet. Loquebatur Abraam corde, nempe prona voluntate, quam resignabat in manus DEI; ideo Dominus DEUS cordi suo respondit ore, dicens: *Faciam te crescere vehementissime & ponam in gentibus, Regesque ex te egredientur.* Sed numquid impleta fuit hæc DEI promissio? nam quo ad primum punctum illius, verum est, Abraham fuisse patrem multarum gentium, sed quinam sunt hi Reges quorum futurus pater habebatur? Respondet in eodem cap. Hugo Cardin. plurimos è lumbis Abrahæ Reges exiviſſe, & inter eos potiorem fuisse Davidem, Ezechiam & alios benè se, & subditos regentes. Eodem modo & ego dico, DEUM compleviſſe promissum suum secundum in S. Patriarcha Benedicto; nam ab ipso tot filii prodierunt, ut quod olim S. Isaias prophetabat dicens; *Ecce isti de longè venient, & ecce illi ab Aquilone, & mari, & isti de terra Australi*; id jam in filiis Sancti Benedicti impletum fuisse videamus. Relinquamus tot plagas orbis; sed vel ipsum occidentem videamus. Sed arenæ minuta, & pluviæ guttas dinumerare quis potest? Sed forte dicetis, ubinam Reges? En Sanctum Placidum, cum sociis Maurum, Gregorium, re & nomine magnum,

Isaiæ 49. v. 11.

Anselmum,

Anſelmum, Rupertum. Hi tibi videntur pauci? quotquot in Ordine S. Benedicti filios ſpirituales filiaſque numerare potes tot habes Reges & Reginas, ut certe in hac numeroſa ſancti patrisfamilia, illud impletum eſſe videatur, quod ait S. David: *Super ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea*, vel ut alii legunt; *Diadema meum*. Quia quot capita ſunt Benedictinorum, tot ſunt Diademata, quæ & illa coronant.

III. Nulli melius Regnum convenire poteſt, quam ei qui ejus ſtatum & qualitatem ſibi perfectam habet, at talis fuit S. Benedictus Patriarcha. Cum enim divino Spiritu plenus eſſet, pro explorando eventu rerum non indiguit Phitoniſſis uti Saul, neque Ephod ſacerdotali uti David, qui cum Amalechitas perſequi ſtatuiſſet eo, quod populum ſuum in Sicelech habitantem ſpoliaſſent, & cum ſpoliis aufugiſſent, ex divino oraculo ſcire cupiens, an illos latrunculos comprehenderet, dixit ad Abjathar ſacerdotem, *Applica ad me Ephod*. At S. Patriarcha ſine his, futura novit ſibi à DEO revelata, eaque aliis prædicebat. 1. *Reg.* 30. *v.* 8. Totila Rex Gothorum quadam vice, (exploraturus, an re ita eſſet) ſpatarium ſuum, Regio ornatu, & comitatu præmiſit, qui ſe Regem ſimularet. Quem ut ille vidit, *depone*, inquit, *fili, depone quod geris; nam tuum non eſt*. Sed & Totila ad eum accedens humi ſe proſtravit, quo increpato, prædixit maris transmiſſionem in urbem ejus, ſuamque mortem poſt novem annos ſecuturam. Hinc liquet S. Benedictum fuiſſe Regem opulentiſſimum, cui redditus perveniebant, è Regno Chriſti Domini, qui ait: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*. Et quia de talibus proventibus, hic & Ordo ſuus animas fidelium nutriunt, rectè igitur illi ſuoque Ordini hæc verba conveniunt: *Reges nutritii tui, & Regina nutrices tuæ*.

IV. Quod ſi hæc verba ſacri textus, taliter intelligere velimus ut in ſe ſunt. Nempè quod S. Benedictus, ſuusque ſacer Ordo Reges nutritios, & Reginas nutrices habuerit, neque id erit contra veritatem. Cum enim iſte Ordo hauſto ſemine à S. Patriarcha Benedicto, ſanctarum virtutum fama ubique præfulgeret, non ſolum Principum, ſed etiam Regum & Reginarum corda ad ſequelam ſui traxit, ut coronis ſceptriſque hujus mundi ſpretis, capita ſua regia jugo hujus Ordinis ſubmiſerint. Nam Lothorius Imperator Auguſtus & diverſarum nationum ſeptendecim Reges, Sancti Benedicti regulam profeſſi, perfectionis fructum in tempore ſuo reportarunt. Quid hic ii dicent, qui Regum & Principum umbras ſectantur, & in ſumptuoſis ſuis ædificiis, Imperatorum Regumque palatia exæquare, vel etiam ſuperare conantur: forte dicent; Sanctum hunc Ordinem, ex acceſſione tot Regum, & Reginarum, delicatam vitam ſectatum fuiſſe, cujus Reges nutritii & Reginæ nutrices erant: minimè verò: ſed quid? *S. Gregor. Magnus.*

V. Legimus Job tertio cap. de eodem, maximo deſiderio æſtuaſſe, ut requieſceret, *Cum Regibus & Principibus terræ qui ædificant ſibi ſolitudines*. Scio communem loci hujus expoſitionem, eſſe hanc, quod hic ſanctus vir, perpenſis vitæ hujus miſeriis, oſtenderit, ſe deſiderare ſepulchro jam contineri, quod intelligebat per ſolitudinem, ſicut notavit D. Auguſtinus, quia antiquitus ſepulchra Regum in ſolitudinibus, & montibus ædificari ſolebant uti teſtatur Lucanus dicens: *Fuit ingens monte ſub alto Regis Decerni, terreno ex aggere buſtum*. Verum ad propoſitum meum ego ſequor explicationem Cardinalis Vitriaci, qui per eam Regum ſolitudinem quid intelligat audite. *Sancti homines ædificans ſibi ſolitudines, qui nihil mundi hujus appetunt, ex tranſitoria cuncta deſpiciunt*. Et quibus hæc ſolitudo Regum magis convenit, quam Regibus hiſce ſolitariis nempe S. Regis ſui Benedicti filiis, qui eos exemplum ſuum imitari fecit. Ut quemadmodum ipſe dum viveret amans erat ſolitudinis, ita & ipſa monaſteria ſua ad eandem formam extruant, in quibus illo pane qui delicias præbet Regibus enutriti, nempe, jejunio & meditationibus ſpiritualibus, diu noctuque ei ſervire non ceſſant, Regi inquam Regum maximo, cujus hic nutriuntur gratia, & milleni perfruuntur gloria ſempiterna.

Iob. 3. *v.* 14. *S. Aug. Serm.* 48. *ad Fratr. in eremo. Lucanus Poeta. Vitriacus Card.*

Amen.

***

IN FESTO S. BENEDICTI Abbatis.

CONCIO II.

Mirificavit Dominus Sanctum suum. Psal. 4. v. 4.

PAtrator mirabilium DEUS, quamvis in creatione hujus universi, multa fecerit summa admiratione digna, quæ elucent inprimis in natura Angelorum, quæ sine discursu cuncta intelligit. Deinde in creatione cœlorum qui semper moventur & nunquam deficiunt. In sole qui gratioso lumine suo cunctam illustrat terram. In luna quæ spatiosissimum circulum suum per breve temporis spatium circuit. In stellis quæ in hæc inferiora suas virtutes influunt, in igne qui consumit omnia, & ipse non consumitur, in aëre, quo vivimus, in aqua maris, quæ cum sit altior terra, non transcendit fines suos, in terra, quæ conspersa varietate florum, & dives frugum, non solum oculos hominis exhilarat, sed etiam stomachum reficit & satiat. Nihilominus ipso homine nihil mirabilius video: non ideo solum, quia hæc omnia creaturæ mirabilia in ipso continentur; quia habet esse cum lapidibus, vivere cum plantis, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis: sed maximè ideo, quia cum post lapsum primi hominis, *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sint ab adolescentia sua*; plurimos tamen liceat invenire, qui gratia DEI adjuti, non solum sanctitate vitæ, sed etiam gloria miraculorum & prodigiorum floruerunt. E quorum numero, unus adest gloriosus Patriarcha S. Benedictus; qui cum in virtutibus, sanctitate, & prodigiis patrandis mirabilis extiterit, merito ei hæc verba Sancti David adscribuntur: *Mirificavit Dominus Sanctum suum.* Sed in quo? Hac de re erit discursus concionis meæ.

Gen. 8. v. 21.

I. Venerabilis Hugo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis explicans istum locum S. David, ait: hæc verba suæ Prophetiæ, nempe; *Mirificavit Dominus Sanctum suum*; de Christo Domino, qui est Sanctus Sanctorum, intelligi debere. Ipse enim ille est, quem DEUS Pater mirificavit, in conceptione; quia conceptus est de Spiritu Sancto. In nativitate; quia sicut radius solis sine cortuptione vitri, ex virgine purissima nasci dignatus est. In prædicatione; quia *Nunquam sic locutus est homo.* In passione & morte; quia elementa mutavit: ipso enim moriente, *Sol obscuratus est, & petræ scissæ sunt.* In resurrectione; quia clauso sepulchro exivit. In ascensione, quia cum glorioso triumpho ascendit ad cœlos. Propter hoc dicit Isaias: *Vocabitur nomen ejus admirabilis.* Cum tamen ea sit bonitas ejus, ut non solum in se, sed etiam in Sanctis suis velit esse mirabilis, Sancto Patriarchæ Benedicto tantam prodigiorum contulit gratiam, ut eadem verba, etiam in ipsum transferri possint. *Mirificavit Dominus Sanctum suum.* Inprimis mirabilis erat Sancti Benedicti conceptio: dum enim adhuc conclusus maneret in utero matris suæ, cantum edidisse auditus fuit. Et quid hoc mirabilius esse potest? Natura est infantum quod nascantur vagientes: cur verò id fiat; potest duplex dari ratio. Prima, quia dum nascimur in hunc mundum, qui totus in maligno positus est & plenus miseriis ac calamitatibus; tunc videmur intrare quoddam theatrum, in eo non comœdiam, læta denunciantem, sed potius funestam, & tristem mortis tragœdiam peracturi, ideo loco cujusdam prologi incipimus à vagitu. Aliam rationem assignant Theologi, nempè naturam hominis, deplorare sanguineis lachrymis infelicem lapsum primorum parentum, propter quem gratia DEI privati sumus. Unde autor quidam fic ait: *Clamat puer quod cognoscit se privari divino intuitu, propter carentiam Baptismi.* Jam verò cum Sanctus Benedictus nec dum in hanc lucem, sed adhuc existens in utero matris suę, loco ploratus, cantum ediderit. Cui jam ipsum comparabimus? Legitur de quodam Zoroastre, quod priusquam natus fuisset, non planctum sed risum edidisset, ille risus, verus fuerit, an Sardonius, non examino, sit fides penes Historicum: neque

Hugo in Psal. 4.

Luc. 23. 45.

Isaiæ 9. v. 6.

Autor floscul. Arist.

neque etiam id exemplum ad rem meam conducit, longe enim aliud est, ridere extra uterum matris suæ, ex quo jam prodiit; & cantare in utero matris suæ. Si ita est uti tradit Valder in Theatro Religionum, Sermone, de Sancto Benedicto, id erit ad meum propositum aptissimum: dicitur enim Proverbio:

Valder in Theatr. Ser. de S. Benedicto

Si vox est canta, si mollia brachia, salta.

Cantavit infans Benedictus in utero matris, Saltavit infans Joannes Baptista in utero matris: nonne hic *Mirificavit Dominus Sanctum suum?* ipsimet judicate; ego enim, ab hac prima ætate sua ad pueritiam Sancti Benedicti propero.

Luc. 1. v. 44.

II. Refert Solinus in Æthesia reperiri mulieres quæ semel tantum pariunt, quarum infantes, antequam adhuc ad ætatem suam perveniant, brevi canos acquirant. Confirmat idem Plinius, in Albania simile quid suo tempore contigisse. Sanctum Benedictum è talibus prodigiosis puerulis unum video: hic enim vix natus fuit, statim in illo canities, non ætatis quidem sive corporis, sed morum apparuit: nam testante S. Gregorio Magno; *Ab ipso pueritiæ tempore, cor gerens senile, ætatem moribus transibat.* Tempore justi Noë, multi erant per mundum homines, inter omnes tamen solus ille fuerat spectabilior; nam à S. Moyse, Geneseos sexto capite tale accepit testimonium: *Noë vir justus, & perfectus fuit in generationibus suis.* Quod testimonium, ad magnam & specialem illius Patriarchæ laudem colimat: nihil enim novi esse videtur, sanctum fieri inter Sanctos, dicente Psalmista; *Cum Sancto sanctus erit:* quia tunc unus alteri præbet exempla virtutum, jam ad bene pièque vivendum demonstrat, & sic unus ab altero, ad vitam virtuosam componitur: sed bonum fieri inter malos, & Sanctum inter impios, hic aliquid magni rarique videtur esse. Unde ait Sanctus Chrysostomus: *Propterea admirantur Abraham, propterea Loth, propterea Moysen, quod velut in profunda nocte stellæ apparebant, & tanquam rosa inter spinas, & oves inter lupos innumerabiles.* Magna inquam eorum sanctitas ex eo apparebat, quia inter tot homines facinorosos, quales ipsorum ætate erant, illi continuò justi erant. Si hæc dicuntur de Sanctis illis Noë, Abraam, Loth & Moyse, qui jam adulti erant, & usu rationis regebantur, quid jam nos dicemus de Sancto Benedicto, qui adhuc existens in ætate puerili, quæ non secus mollis cera, ad omnem formam facilis est sibi imprimendam, nihilominus juvenis Benedictus Romam studiorum causa missus, ubi in illa civitate ævo illo multa vigebant scelera, uti Sanctus Paulinus cuidam Romanionо hac de re scripserat:

Solin. c. 13

Plin.

S. Greg.

Gen. 6. v. 9.

S. Chrys. in Ps. 11.

S. Paulin.

Heu validos etiam vertere Roma potes.

Et ecce non validum sed tenerum juvenculum Sanctum inquam Benedictum, à recto tramitate cui firmissimè insistebat ad viam deviam & lubricam pertrahere non valuit: quid igitur dicendum est nisi illud; *Mirificavit Dominus Sanctum suum.*

III. Quia verò vulgo dicitur, *Gutta cavat lapidem non vi sed sæpè cadendo*, ne Sanctus juvenis à contagioso aliorum depravaretur consortio, maluit deserere studia litterarum quàm bonam vitam & puram conscientiam, unde Romam deserens patriam suam repetivit, in qua tamen non diu mansit. Cum enim revertentem nutrix sua cum gaudio excepisset eique coram omnibus miraculum quoddam in restauratione vasis à se fracti, & ab illo puerulo adhuc existente in integrum restituti commemorasset, seque ob id in omnium admiratione esse, atque ab omnibus laudari celebrarique videret, humanas laudes exosas habens, mundum reliquit seque in eremo occultavit. Sistamus hic parumper Auditores, & quid Rex David loquatur audiamus. *Tanquam prodigium factus sum multis*; Credo bene Rex fortissimè: tu enim ille es, qui leonem & ursum occidisti, tu ille es, qui gigantem Goliath sine armis prostrasti; tu ille es qui tot triumphos celebrasti. Sed quid ad hæc David? *Et tu adjutor fortis.* Videte fortem David, videte inclytum, videte gloriosum; non timuit ursos & leones, non timuit gigantes, non timuit unicus ducentos Philistinos; sed timet solam vanam gloriam dicens: *Et tu adjutor fortis.* Hæc enim hominem quantumvis fortem facile prosternere potest; ideoque David eam expavescens, auxilium DEI invocabat. Quid jam censebitis de S. Benedicto, qui cum gloriosus ex illo grandi miraculo esse posset, eam tamen gloriam contemsit & à se fugavit: nihil aliud certè dicendum est, nisi illud; *Mirificavit Dominus sanctum suum.*

IV. Sed quid fit cum Sancto juvene Benedicto? Merito illi quadrant illa verba Evangelii, quæ S. Matthæus de Christo adnotavit nempe; *ductus est in desertum, ut tentaretur à Diabolo.* Sicut enim Christum Dominum eo fine Sanctus Spiritus in desertum duxerat, ut dicente Sancto Gregorio Papa, *Hunc ad tentandum malignus spiritus inveniret*; eodem modo & S. Benedictus instinctu Spiritus Sancti ductus erat in desertum, ut ad majorem DEI gloriam, à Diabolo tentaretur. Sed quænam hæc fuit tentatio? magna satis & multum periculosa, talis inquam quæ fortissimos, sanctissimos, & sapientissimos viros, sibi subjugavit. Et quis Samsone fortior? Quis Davide Sanctior? Quis denique Salomone erat sapientior? & tamen omnes hosce vicit luxuria, turpiterque prostravit. Talis erat Diaboli tentatio, qua S. Benedictum in deserto oppugnabat; objicit ei speciem fœminæ, quam Romæ viderat, & animum carnemque suam libidinis stimulis exagitat. Sed quid Sanctus juvenis? Cuneum cuneo, stimulum stimulo explosit: sentiens enim tantam luctam in corde suo, uti ait S. Gregorius; *Exutus indumento, nudum se in spinarum aculeos projecit, totoq; ex eis corpore vulneratus exiit.* En quomodo lilium inter spinas triumphavit. *Mirificavit Dominus Sanctum suum.*

Matt. 4. v. 1.

S. Greg. ubi supra.

V. Quia verò inconveniens est lucernam ardentem & lucentem sub modio occultari, erumpente ex illius deserti latebris fama ejus sanctitatis, quidam è monasteriis ad ipsum venerunt seque illi instituendos tradiderunt, quorum vivendi licentia, cum ejus objurgationes ferre non possent, venenum in potione dare constituunt, quod & factum fuit, oblatum enim ab ipsis tale poculum S. Benedictus recepit. Sed quid putatis auditores, numquid S. Patriarcham dolus illorum latuit? minimè verò, quin ut refert S. Gregorius, læto vultu accepto poculo, capitulum convocavit, ibique vultu placido, & omnis perturbationis experte parricidas suos aspiciens, egregiam orationem ad ipsos habuit, in qua modum vivendi regularem, amorem Christi & cordis sinceritatem eis commendavit; tandem cum finita oratione poculum venenosum crucis signo signasset, vas confractum sua sponte dolum malignitatis prodidit. Quid hic dicemus Auditores. *Mirificavit Dominus Sanctum suum.* Mirificavit in vitâ sed multò magis post mortem, quia pallio ornatus pretiosissimo, & lampadibus fulgentibus circumdatus (uti uni in visione ostensum fuit) cœlos penetravit, ibique Ordinis sui agit negotia, ad laudem & honorem DEI, qui vivit æternùm. Amen.

IN FESTO S. BENEDICTI Abbatis.

CONCIO III.

Vidi visiones DEI. Ezech. 1. v. 2.

NOn sine causa in antiquo testamento S. Prophetæ vocabantur videntes: uti habemus 1. Reg. 9. *Qui Propheta dicitur hodie, vocabatur olim videns.* Quia (uti ait Glossa ordinaria) per Spiritum Domini prænoscunt futura: vel ideo; quia per visionem à DEO sibi communicatam, secretorum ejusdem redduntur participes. Omnes tamen tales Prophetas Ezechiel Propheta superare videtur, & quidem ideo, quia si plerique Patriarchæ & Prophetæ, visionem aliquam à DEO percipiebant, id vel rarò fiebat, sicut erat tempore Samuelis: uti habetur 1. Reg. 3. *In diebus illis non erat visio manifesta.* Sive etiam, non erat illa visio, multorum simul arcanorum DEI, sed successive plurium id est nunc unius, postmodum vero rei alterius. Excellens erat illa visio quam S. Moyses Patriarcha habuit in deserto: videns enim rubum, in quo erat Dominus, quod arderet & non combureretur, dicebat; *Vadam & videbo visionem hanc magnam*: Sed quamvis magna, unica tamen fuit. Visio Jacob Patriarchæ, dum viderat scalam à cœlo ad terram pertingentem cui Domi-

1. Reg. 9. v. 9. Glossa.

1. Reg. 3. v. 1.

Exod. 3. v. 3.

Dominus innitebatur, & per quam Angeli ascendebant & descendebant præclara fuit.
Gen. 28. Sed hæc etiam visio una fuit. Isaias vidit
v. 13. Dominum sedentem super solium, Jeremias, vidit virgam vigilantem, & ollam succensam,
Ierem. 1. sed illa visio Isaiæ una fuit, altera vero Jeremiæ,
v. 11. ad unum finem collimabat. His ergo omnibus solus Ezechiel Propheta palmam præferre videtur, dum ait, se vidisse non unam visionem. sed multas simul visiones DEI. At ut video, Propheta & simul Patriarcha Novi Testamenti Sanctus Benedictus, non solùm istos Prophetas quos citavi, sed ipsum etiam Ezechielem superavit, non tantum enim hic S. Pater, plurimas visiones habuit, sed quasi omnium visionum compendium sive in uno instanti, seu in brevissimo temporis spatio, à Deo sibi ostensum, perfectissimè fuit contemplatus. Quidnam tale fuerit, paucis perstringã.

I. Tametsi Deus in omnibus quæ creavit in terra operibus suis sit admirandus. Nihilominus in paradisi plantatione, præ omnibus aliis operibus suis, summè se exhibuit admirabilem. Quid enim mirabilius, quàm illud, quod hortũ quendam fecerit, qui licet constitutus sit in
V. Beda. terra nihilominus (uti Venerabili Bedæ placet) ad ipsum globum lunæ sublimatur, jam vero tot abundat deliciis, ut nihil sit desiderabile quod in ipso reperiri nequeat. Per diversas res creatas in quibus miramur Dei Creatoris potentiam, non aberrabo, si accepero, diversitatem
Cant. 6, sacrorum Ordinum, qui sicut castrorum acies
v. 9. ordinata, diversimodis à Domino Deo exornata donis & beneficiis, in admirationẽ sui multos rapiunt. At sicut omnibus creaturis excellit paradisus, ob quod locus voluptatis nuncupatur, ita etiam Ordo S. Benedicti præcedit cæ-
Trith. in teros, tempore & dignitate, adeo ut Joannes
Reg. D. Trithemius idem fateatur, dum scriberet in
Ben. Regulam S. Benedicti, dicens: *Si paradisus est in terra, aut in monasterio, aut in eremo est.* Amplior est paradiso Ordo S. Benedicti; tot enim in ipso plantavit S. Patriarcha Benedictus fructiferas ac fertiles arbores, quot sub ipsius vexillo militant religiones quæ ultra quatuordecim numerantur. Quod si igitur, ob paradisum plantatum, Deus illius plantator, adeo est admirabilis, cur D. Benedictus, non dicetur fuisse admirabilis, qui divina gratia adjutus, tot pro Dei gloria erexit paradisos? Et si sumus Romanæ Eccl. Pontifex, ideo vocatur Papa, id est Pater Patrum, quia in Domo DEI agit patrem familias. Est Pater Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum Episcoporũ, qui etiam patres sunt fidelium Christianorum. Majori ergo ratione S. Benedictus pater Patrum fuit, verùm etiam eorum, qui patres sunt Patrum, Pater extitit. Non enim duntaxat, Patriarcharum & Fundatorum Ordinum Religiosorum, sub ejus vexillo militantium Pater extitit; non solum centum octuaginta quinq; Cardinalium, mille quingentorum sexaginta quatuor Archiepiscoporum, ter millium quingentorum, & duodecim Episcoporum, nec non innumerabilium Abbatum Pater fuit; verum etiam octodecim summorum Pontificũ, qui Patres Patrum sunt, Pater dici meruit. Quod ergo olim de S. Abraham Patriarcha *Gen.* 17. dictum fuit, nempe; *Patrum multarum gen-* *v.* 7. *tium constitui te*; id de S. Patriarcha Benedicto, potiori jure dici debet.

II. Sed inter tot prærogativas, quibus Deus S. P. Benedictum honorare dignatus est, hæc una non minoris est excellentiæ, quod quadam vice in summa contemplatione de rebus divinis existenti, tantam DEUS visionis elevatæ contulerit gratiam, quod in unico ictu oculi, res omnes totius mũdi, visibilia & invisibilia, omniaq; illa, quæ cœlo, terra, sub terra, & inferno continentur viderit, testatur id Sanctus Vincentius dicens: *Vidit omnes Creaturas* *S. Vinc.* *mundi, non solum in genere, seu specie; sed etiam* *in Serm.* *in individuis.* Solinus autor quidam, summo- *de S. Be-* pere laudat certum quendam hominem, cui *nedict.* Strabo nomen erat, ut valde admirabilem, eo quod acutâ oculorum suorum acie tantùm valeret, ut centum, triginta quinque milliarium spatium, clarè perspicueque sine errore perspicere posset. Ipse namque Marsalæ (quæ urbs *Solin. c.* 5. quædam est Siciliæ) existens, naves quæ ex Carthaginensi portu solvebant, distinctè videre, sigillatimque numerare poterat. Si hic Strabo, ex eo stupendus erat, quia ea, quæ oculis nostris conspiciuntur, adeo procul perspicere valebat, quàm igitur stupendus debet esse S. Benedictus, qui ea quæ oculis nostris invisibilia sunt, nimirum ascendentes in cœlum animas, Angelosque in terram descendentes, & quod majus est, profundas etiã cordis humani cogitationes perspicere valebat? Et quia procul remota, non nisi in visione Divinæ essentiæ contueri poterat, uti ait Sanctus Gregorius;

Hæc

Hæc proculdubio cernere non poterat, nisi in DEI lumine, non per modum permanentis, sed transeuntis: hinc dicere licet, S. Benedictum adhuc in ea peregrinatione sua status cœlestis degustasse suavitatem, utpote cui DEUS ex particulari sua gratia, donoque novo, & insolito, tantas contulit gratias, aliis hominibus non facile concessas.

III. Mirabilis erat illa visio S. Pauli Apostoli, quando ad tertium usque cœlum raptus fuit, ibique divina vidit mysteria. Hinc
S. Hieron. S. Hieronymus ait, eum eo fine hoc nomen Pauli sortitum fuisse (quod idem est ac si diceres admirabilis) quia visio sua fuit admiranda, utpote, qui etiamnum viator existens, comprehensor fieri meruit. Nihilominus Sanctus Benedictus, in quodam ipsum superare videtur. Si quis enim interrogasset Sanctum Paulum Apostolum, jam post illum
Hugo Card. in raptum, quidnam viderit in illo tertio cœlo?
2 Cor. 12. Ille responderet: *Non licet homini loqui*;
v. 4. Quidnam viderit in paradiso? eodem modo diceret: *Non licet homini loqui.* Quis tibi ô S. Doctor, abstulit facultatem, ne pro ædificatione aliorum, hæc arcana DEI proferres? Forte non audes, vel non potes: ideo tibi non
S. Chrys. licet homini loqui. Respondet S. Chrysostomus, hæc verba intelligenda esse de hominibus carnalibus, quibus non licebat, de tam altis loqui mysteriis, quæ capere nequaquam possent. Excellit ergo mirum in modum Sanctus Pater Benedictus: ille etenim suam visionem, non solum narravit cæteris, verum etiam eodem tempore, quo hac clara DEI visione fruebatur, eandem fratri suo Servando Diacono communicare cupiens, eum ad se accersivit, qui si citiùs advenisset, forte particeps factus fuisset ejusdem visionis. Dicite Auditores mei, quales tunc S. Benedictus homines habuerit, carnales, an spirituales? quibus non solum visiones narrabat, sed etiam ad spectandas invitabat.

IV. Accedit & illud ad majorem laudem S. Benedicti; quia postquam facie ad faciem, clare vidisset divinam essentiam, non subito, (uti alias fieri necessum erat) separatus fuit à corpore, sed multis adhuc diebus in vivis manserit. Inclytus ille Dux Israëlis Gedeon, quàm primùm vidit Angelum Domini qui sibi apparuerat, expavens mortem, dixit: *Heu mihi Domine DEVS! quia vidi Angelum Domini facie ad faciem*; Undè debuerat ipsum idem Angelus DEI consolare dicens: *Ne timeas, non morieris*; Similiter Manne & uxor ejus, dum post consummatum sacrificium, vidissent Angelum Domini, ad cœlum in flamma ignis ascendentem, dixit Manne ad uxorem suam; *Morte moriemur, quia vidimus Dominum.* Felicior ergo S. Pater Benedictus, quia ipsummet DEUM viderat, & tamen mortem non expavit. Tametsi Patriarcha Jacob, DEUM adhuc vivens vidisse legatur, nec tamen uti timebat mortuus fuerit; unde & dixit Gen. 28. *Vidi DEVM, facie ad faciem, & salva facta est anima mea*: id tamen mirandum non est; quia uti ait Tertullianus, viderat DEUM non in specie propria sed alienata: at S. Benedictus, cum ipsum in specie sua viderit, nec tamen mortuus fuerit, summo pro cæteris hominibus privilegio, ornatum fuisse fatendum est.

Judic. 6. v. 22. *Judic. 13. v. 23.* *Gen. 28. v. 13.* *Tertul. adversus Praxeam*

V. Post eam visionem habuit S. Benedictus & aliam: postquam enim DEO placuit, eum de mundo tollere & translatum de mundo cœlestis illius visionis participem facere, non subitò rapuit ut Eliam, sed primò de futuro è carne exitu præmonuit, seque ut ad illud felicissimum iter disponeret, tempus & horam qua ipsi ex hac miserarum valle migrandum esset, indicavit. Unde S. Patriarcha *Gen. 49. v. 1.* Benedictus, ad similitudinem S. Jacob Patriarchæ qui ante obitum suum filios suos convocaverat, & ipse conventu fratrum suorum facto, eosdem præmonuit, quo die esset moriturus, in eo quoque Jacob Patriarcha felicior, quia ille moriturus in Ægypto, rogaverat Joseph filium suum, ut ossa sua secum in patriam apportaret. At S. Patriarcha Benedictus, locum sepulturæ suæ non solum propriis aspexit oculis, sed etiam sex diebus ante mortem suum sepulchrum sibi aperiri fecit, & tandem sexto die deferri voluit in Ecclesiam, ubi perceptâ Eucharistiâ, & sublatis in cœlum oculis, animam suam reddidit Creatori suo, & cœlesti illa visione quam in terris viderat, nunc fruitur gloriosus in cœlis.

Amen.

***

IN

IN FESTO S. BENEDICTI
Abbatis,
CONCIO IV.

Vos qui reliquistis omnia, sedebitis super sedes. Matth. 19. v. 28.

AD quosnam hæc Christi Domini verba pertineant, & quo motivo ipsius prolata sint, puto vos nosse Auditores: id est; quod cum Dominus contra divites multa locutus fuisset, nempe facilius esse camelum intrare perforamen acus quam divitem in Regnum cœlorum; & Petrus Apostolus, sumptâ ex iisdem verbis occasione, dixisset: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Jesum in remunerationem & præmium talis renunciationis, tam Petro, quam etiam cæteris Apostolis respondisse; *Vos qui reliquistis omnia & secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim.* Hæc verba quamvis ad Apostolos dicta sint, nihilominus ego mihi firmiter persuadeo, ea quoque singulariter ad Sanctum Benedictum, sacramque ejusdem familiam pertinere, quia in illa vel maximè viget perfecta sui abnegatio, omniumque rerum renunciatio, quas mundus habere potest. Neque etiam mirum est, sacrum ipsius Ordinem tantam remunerationem accepisse, quâ cæteros facile anteire videatur. Quod an ita sit, in hac concione quantum vires tempusque permittit paucis rationibus demonstrabo.

Matt. 19. v. 27.

I. Referunt plerique Historici Magnum Alexandrum Regem Macedonum, Xenocrati Philosopho, obtulisse quinquaginta talenta auri, ipsum vero tale munus respuisse. Hoc igitur factum utriusque Plutarchus considerans, prorumpit in has voces: *Xenocratem laudamus, quod dono missa ab Alexandro, quinquaginta talenta auri non acceperit; dantem non laudamus; an quia non à largiente; sed potius non accipiente, contemni pecuniam putamus?* Admirationem parit, quam maximam Philosophum non recipere pecunias, & non parit admirationem Regem illam dare? Revera magis facio dare, quam donatas recusare. Si autē vobis minus videretur, dare ex suis Regem, quam Philosophum non acceptare oblatum, id ideo erit, quia cuilibet patet, Principem tam potentem, etiam auro tali dato, remanere divitem, pauperem vero Philosophum illud non acceptando, manere absque sublevamine suæ paupertatis, eamque obrationem, egenum tantas divitias contemnendum existimatis plus fecisse. Attendite jam quod dico; in sacra Religione S. Benedicti fuit id, quod defuit Alexandro, ad superandam generositatem Philosophi: magis enim est relinquere omnia & nihil sibi retinere, cum discipulis Christi dicentibus; *Ecce nos reliquimus omnia*; quam abdicare quædam, & possidere aliqua. Unde S. Benedictus tam in seipso, quàm suis filiis superavit illum Philosophum: non satis enim illi erat contempsisse divitias, sed etiam locum desertum subiit, in quo nulla daretur occasio aliquid aliud habendi, quam ipsam egestatem: sed hanc ille, qui *pro nobis egenus factus est*; ita dulcoravit, & sapidam fecit, ut non solum vulgares homines, sed etiam magni Principes illam sectarentur. Sit nobis pro exemplo Imperator ille Lotarius, Ludovici Imperatoris nomine Pii filius: hic per quindecim annos, administravit Imperium totius occidentis, & ecce dum nemo sibi cogitare posset Principem tot annis, tam vastum Imperium gubernantem, cogitaturum de aliquo statu meliori, cum imperiali dignitate nihil sit in mundo sublimius: ecce tibi Princeps potentissimus, ad portam conventus Sancti Benedicti veniens, coronam & sceptrum Imperiale abdicavit, monasticum accepit habitum, seque imperiis seu regulæ Sancti Patris Benedicti mancipavit. Alius Imperator Hugo nomine, ejusdem vestigia est insecutus, qui cum viginti annorū spatio sceptrum Imperii ac diadema gestasset, eidem renunciavit, cunctas opes, quamvis ingentes,

Plutarch. de Fort. Alex.

amore Christi repudiavit, & egeni Christi sequens vestigia, in Burgundia Sancti Benedicti monasterium ingressus est. Eandem insecutus est semitam Imperator Adrianus, pluresque alii Imperatores, Duces, Marchiones, Comites, omnes cæteriq; nobiles Latini & Græci, quos, omnes enumerare arduum esset. Hic jam dico, & inquiro, utrum plus fecerint relinquendo omnia, ut fierent mendici, quam si abjicerent, & abdicarent multa & solum pauperes remanerent? omnino relinquendo omnia, ut egeni fierent: quia secundum Divum Thomam Doctorem Angelicum, *plus est egenum esse quàm pauperem.* Nam egenus dicitur ille, qui non solum parum habet, sed qui indiget seu eget; pauper vero ille est, qui parum habet.

S. Thom. in Ep. ad Cor.

II. De novo accipite, illud unicum totius mundi exemplum, S Petri Confessoris, quem postmodum Ecclesia albo sanctorum, uti confessorem adscripsit, quem sacrum Cardinalium collegium, vacante sede Apostolica, post obitum Nicolai Quarti, jussit perquiri in deserto Apuliæ, ubi repudiatis omnibus seculi dignitatibus, vitam solitariam agebat, neque ullum ambiens honoris locum. Domino Deo, quieta mente serviebat. Quem cum unanimi Spiritus Sancti voto Pontificem elegissent, tanquam dignum primi Petri successorem, suæ sedi præfecissent, ille quidem cum recusare non potuisset, onus illud summum sustinuit, sed expleto quinque mensium spatio pontificatum suum abdicavit. Et quamvis publicis precibus, nec non lachrymis rogantium sollicitaretur, ne id faceret, quin etiam Caroli Regis Neapolitani, cæterorumque Christianitatis Principum preces accederent eidem voto publico, nihilominus durior adamante, à suo proposito noluit dimoveri, sed quantocius sacra tiara deposita, ad pristinum locum suum convolavit, & in primæ suæ vocationis instituto, permanere maluit, quam vocari, Papa Cœlestinus Quintus. Phœnix mundi hoc exemplum mihi videtur esse, ut cum Pontificia dignitas, sit supremus apex inter honores Ordinum spiritualium, solus hic Sanctus Petrus. Confessor Domini, ab hoc summo apice ad vitam monasticam, tanquam ad perfectiorem statum properavit.

III. Sisto hic, quia hæc vobis exempla sufficiunt, tot Magnatum mundi hujus, qui regales thronos contempserunt: ut cœlestes acquirerent. De Pharaone Ægypti Rege extat scriptum Exodi 1. capite; quod cum vidisset filios Jacob in magnum populum excrevisse, & in terra sua valde multiplicatum esse, de oppressione illius cogitare cœpit, dicens ad optimates suos: *Venite sapienter opprimamus eos.* Sed quid causæ habuit, quæ ipsum ad eam tyrannidem impellebat; Nonne pacificè vixerunt in terra sua? ita quidem; timebat tamen hunc populum numerosum dicens: *Si ingruerit contra nos bellum, ne addatur inimicus nostris, expugnatisque nobis egrediatur de terra* Non videtur hic prima fronte sapienter Rex discurrisse, dum ajebat; *Ne expugnatis nobis egrediatur de terra.* Melius dixisset: populus hic crescit & nimis multiplicatur; timendum igitur est, ne nos debellet, & subjugato sibi Regno, nobis dominetur: quia exploratum est, cunctisque notum, quod victores non expugnent Regnum, aut urbem aliquam ad deserendam eam, sed ad occupandam; mox quippe captâ civitate reparant mœnia, faciunt propugnaaula, ut securè habitationi suæ prospiciant. Quid igitur dixit Pharao; *Expugnatisque nobis egrediatur de terra*? Respondet hic Rupertus Abbas. Per filios Israëlis intelligi homines justos, qui pugnant cum mundo: hi igitur licet expugnent regna mundana, ea tamen amore Dei deserunt: est enim apud illos, *Introductio melioris spei, per quam proximamus ad Deum*? Et in hoc sensu Venerabilis Rupertus locutum dicens Pharaonem, *Expugnatisque nobis egrediatur de terris*; addit hæc verba: *Quia cœlum eos expectat*; nempe tot Principes, Regesque mundi; qui abdicantes Regna sua, ingressi sunt Ordinem Sancti Benedicti; certò sibi persuadentes dici à Christo. *Qui secuti estis me, sedebitis super sedes*; super thronos inquam aureos in Regno Dei.

Exod. 1. v. 10.

ibid. v. 11.

Ad Heb. 7. v. 19.

Rupertus Abbas.

IV. Origenes magnus Pater ac lumen Ecclesiæ diligenter observat illud, quod Christus Dominus, alloquutus prædestinatos ad vitam æternam, nempe justos & sanctos, à dextris in extremo illo judicio collocatos, appellet benedictos Patris. Numquid non melius vocaret felices, vel dilectos. & electos? *Tunc dicet Rex his qui à dextris ejus erunt; Venite Benedicti*

Matt. 25. v. 34.

dicti Patris mei. Et deinde; cur vocat benedictos Patris? Respondet ergo Origenes dicens: *Vocat illos benedictos Patris, ut eminentia benedictionis eorum manifestaretur, qui benedicti sunt à Domino qui fecit cœlum & terram.* Idem Doctor in sequentibus verbis videtur inter benedictos dare differentiam dicens: *Forte quia sunt aliqui qui benedicti quidem sunt, non autem Patris.* Habet enim mundus suos benedictos, nimirum Principes & Magnates, quos mundus multi æstimat: at qui divinâ gratiâ illuminati, omnes benedictiones mundanas flocci faciunt, illi sunt verè benedicti patris, nempe Reges & Principes, facti filii sancti patris sui Benedicti.

Origenes Tract. 35. in Matth.

V. Merito quispiam cogitare posset cur Deus fecerit cœlos adeo magnos & amplos, cum in illis pauci habitatores sint futuri, dicente Domino: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Et iterum Matth. 7. *Angusta porta & arcta via est, qua ducit ad vitam & pauci sunt qui intrant per eam.* In quibus verbis manifestè patet ratio, cur tam pauci ad cœlum veniant; propter arctam viam: quod explicans Sanctus Chrysostomus sic ait: *Quoniam omnis justitia quidem introitus ad vitam æternam, angustus est homini viventi in carne, propter adversitatem naturæ carnalis* Verum tamen Auditores mei, cum ego venio ad illa verba Danielis Prophetæ, dicentis de Sanctis Angelis; *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* Deinde ad hæc alia: *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat*: & tandem dum me converto ad solum Ordinem Sancti Benedicti, in eoque triginta millia monasteriorum numero, in quo Ordine tot Sancti sunt, ut illi concessum sit; post festum omnium Sanctorum, sui quoque Ordinis Sanctorum memoriam celebrare: eorum inquam, qui cum Divo Paulo in carne ambulantes, non tamen secundum carnem militant. Cœli tam ampli non jam videbuntur, idque respectu tot Sanctorum Dei, nec non sacri hujus Ordinis filiorum; qui cum Patre suo Sancto Benedicto, æternâ perfruuntur gloriâ. Amen.

S. Chrys. in Matth.

Daniel. 7. v. 10.

Apocal. 7. v. 9.

2. Cor. 10. v. 3.

Matth. 7. v. 14.

IN FESTO S. ROMUALDI
Abbatis, Ordinis Camalduensium Fundatoris,
CONCIO I.

Germinaverunt speciosæ deserti, quia lignum attulit fructum suum,
Joel. 2. v. 22.

AUditores mei! Dubito valdè, utrum ego insistendo huic themati concionis meæ, quod assumpsi ex Joele Propheta, pro laudibus S. Patri Romualdo sacri Ordinis Camalduensium decantandis, expectationi vestræ satisfacere possim. Si enim me ad codicem sacrum contulero, exigua in eodem deserti præconia inveniam In primis abominabile erat desertum populo Israelis: sic enim dicebat ad Moysen & Aaron Duces suos: *Cur induxistis nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame?* Similiter Dominus Deus, cum decrevisset occidere & delere totam illam multitudinem, eo quod contra exploratores ad terram Chanaam missos, nempe Josue & Caleb murmuraverit, eosque lapidibus obruere voluerit, eidem populo, desertum pro supplicio deputavit dicens: *In solitudine hac jacebunt cadavera vestra.* Idem repetitur cap. 32. hisce verbis. *Iratus Dominus adversum Israel, circumduxit eum per desertum quadraginta annis, donec consumeretur universa generatio, quæ fecerat malum in conspectu ejus.* Ventus ille qui subverterat domum in qua filii Job cum filiabus ejusdem vescebantur, erat e regione deserti.

Exod. 16. v. 3.

Num. 14. v. 29.

Num. 32. v. 13.

Iob. 1. v. 19.

Angelus Raphael Dæmonium illud quod in domo Raguelis septem viros occiderat, in deserto religavit. Et ut plura relinquam testimonia antiqui testamenti, in novo adnotatur apud Matthæum Evangelistam, Christum Dominum ductum esse in desertum, tanquam locum omni solatio, & auxilio destitutum, ut tentaretur à Diabolo. Jam cogitate Auditores, quantum laudis S. Patriarcha Romualdus reportaverit, de quo, ejusdemque sacro Ordine illud protuli: *Germinaverunt speciosa deserti.* Quænam speciosa? Attendite & videbitis.

Tob. 8. v. 3.

Matt. 4. v. 1.

I. Licet Sanctus Joel Propheta in istis verbis suis per desertum intelligat terram Judæorum quæ ante adventum Regis Nabuchodonoxor, tanquam hortus quidam amœnissimus erat, post recessum verò suum, quando spoliavit civitates, populum accepit in captivitatem, aureum illud Ierosolymis templum denudavit, facta deinde fuit ut desertum. Si tamen egerint pœnitentiam de peccatis, denuo terram eorum quæ deserti speciem præferebat, ad pristinam fertilis horti formam redituram: ita locum hunc explicat Hugo Cardinalis juxta Historiam. At ego ut lineam propositi mei ulterius trahere valeam, peri stud desertum Camalduensis Ordinis solitudinem intelligo, cujus deserti tunc germinaverunt speciosa, quando lignum attulit fructum suum. Per lignum fructuosum accipite S. Romuldum Abbatem, primum hujus inclyti Ordinis fundatorem, qui in hoc deserto quemadmodum plantatus fuerit, quidquid hac de re legi in magno Theatro Humanæ vitæ, id refero. Sancto Romualdo ex Illustrissima Ducum familia nato, fuit Pater Sergius nomine, homo sæcularibus negotiis totus implicatus, qui propter rerum terrenarum possessionem, exorta cum propinquo quodam suo contentione, turpiter se homicidii crimine contaminaverat, ac filium etiam Romualdum ad ejusdem sceleris consensum vehementer alliciebat. At Romualdus quanquam tota mente, immane illud facinus detestatus fuisset, tamen quia corpore præsens erat, tantum ex admisso patris peccato, dolorem concepit, ut homicidarum instar, ad Classense monasterium, beati Apollinaris, quadraginta dierum luctu scelus tam horrendum expiatur us, se receperit. Ubi cum se totum ex animo, pœnitentiæ laborib⁹ daret mens ejus continuis fletibus emollita, suave Christi jugum appetere cœpit. Nec multo post monachorum pedibus provolutus, precibus & lachrymis, habitum monasticum extorsit, totoque triennio, admirabili vitæ austeritate, rebelles animi fluctus compescuit, unaque secum laxioris disciplinæ fratres ad arctiorem perfectionis viam tam verbo, quàm exemplo, commovebat.

Hugo Card. in Ioelem.

Laurent. Beyerlinck Theat. Hum. vit

P. Dami. in vita.

Item Platus Lib. 3. c. 36.

II. Ecce quam pulchre hic mihi occurrunt verba Regii Prophetæ dicentis: *Vox Domini concutientis desertum, & commovebit Dominus desertum Cades.* Quanta est virtus vocis Dominicæ, dum quempiam vocat ad pœnitentiam. Non putemus vocem Divinam esse similem alicui turbini: seu vento Boreali, qui dum ingruit, omnia secum rapit & penitus evertit. Vox quidem Domini confringit cedros & comminuit: sed id qualiter fiat, visio Eliæ Prophetæ nos edocebit. Postquam fugisset hic Propheta, furorem Jezabel reginæ & venisset in montem Dei Oreb, & enarrasset Domino qui sibi apparuit, zelum suum quo zelabat pro Domino Deo exercituum, mandavit illi Dominus, ut egrediens è spelunca, in monte staret coram se. Quo facto, transiit Dominus, & spiritus grandis, & fortis, subvertens montes, & conterens petras ante Dominum; post spiritum, venit commotio, post commotionem ignis. Sed quid ad id Propheta? Non (ait) in Spiritu Dominus, non in commotione, non in igne. Insonuit tandem Eliæ sibilus auræ tenuis, tunc primum Propheta Dominum fuisse intellexit: ait enim textus: *Quod cum audisset Elias, operuit vultum suum pallio. & egressus stetit in ostio speluncæ.* Videtur hic Elias non fuisse sibi præsens, ad quid enim fuerunt hæ negationes; non in spiritu, non in commotione, non in igne Dominus; quandoquidem transiens sic ei apparuerit? Sed notandum est Auditores, Deum esse similem speculo, quod faciem hominis qualis in se est, taliter quoque repræsentat. Cur Saulum, cum prope esset Damascum, prostravit in terram, ad similitudinem turbinis arbores confringentis? quia & ipse inflammatus atque incensus furiis properabat, ut si quos Christi fideles discipulos inveniret, vinctos perduceret in Jerusalem. Cuneus cuneo, vis vi repellitur. Quia verò S. Propheta Elias

Psal. 28. v. 7.

3. Reg. 19. v. 13.

tunc

tunc erat in afflictione; nec ampliori egebat spiritu, commotione & igne, sed consolatione, ideo in sibilo auræ tenuis adventum Domini recognovit.

III. Eodem modo mihi dicendum est de S. Romualdo Patriarcha. Commovit Dominus desertum Cades, tunc, quando sibi inspiravit salutarem vivendi modum, eoque direxit pedes suos, ut animæ suæ salutem inveniret. *Post ignem sibilus auræ tenuis.* Quando enim Dominus vult aliquid boni & salutaris, fideli servo suo inspirare, primò præmittit ignem amoris sui quo cor calefaciat & molle reddat, sicuti factum erat duobus illis discipulis euntibus in Emaus, & dicentibus; *Nonne cor nostrum ardens in nobis dum loqueretur in via.* Luca 24. v. 32.

Hunc ignem sequitur sibilus auræ tenuis. *In quo* (ait Hugo Card) *Dominus sibilum facit homini in corde; quando voluntatem volandi ad frugem melioris vitæ inspirat.* Illapsus hujus sibili in aures interiores Sancti Romualdi quã felix fuerit ex eo patet, quia frequenti allocutione cordis sui, commovit Dominus desertum Cades, Per desertum Venerabilis Hugo Cardinalis hominem intelligit, per vocem Domini, concutientis desertum, timorem salutarem qui tam altas in corde Sancti Patris Romualdi radices fecit, ut post habitum Sancti Benedicti quem in Classensi monasterio susceperat, tertio anno eremum adiens, cæterorum quoque corda eadē voce sibi firmiter impressa concuteret, & ad arctiorem vitæ formam revocaret. Hugo Card. in 3. Reg. 19. Hugo in Psal. 28.

IV. Iterum ergo repetere liceat verba eadem *Germinaverunt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum.* Decorat lignum, hortos & pomaria, sed faciens fructum; quod autem inutile seu aridum est, illud exscindi & in ignem projici debet. Legimus Matth. 21. cap. Christum Dominum quadam vice esuriisse, eumque transeundo vidisset fici arborem unam, secus viam, folia quidem habentem sed nullos fructus, ei arbori maledixit. Mirantur hic Patres Ecclesiæ; cur illi arbori Dominus maledixerit, quandoquidem juxta Evangelium S. Marci tempus ficuum necdum adveniisset: alii respondent propter lata folia sed inania illi maledixisse, quæ hypocrisin denotabant: sed D. Chrysostomus ad propositum meum ait, ideo nullum fructum tulisse; quia fuit secus viam: cujus verba hæc sunt: *Omnis arbor rationalis juxta viam posita, nunquam potest esse fructifera, id est, homo secundum mundum vivens, nunquam potest evadere à peccato, ut sit justus.* Cur Doctor auree? *Frequenter enim, transeuntes spiritus, ipsas gemmas justitiæ excutiunt, de ramis ejus, antequã aperiantur in floribus; interdum ipsos flores apertos excutiunt; interdũ etiã ipsa poma formata deponunt.* Matth. 7. v. 19. Mat 1b 21. v. 19. Marci 11. v. 13. S. Chrys. in Matth.

V. Felix ergo arbor nostra S. Romualdus, eaque ipsa ficulnea felicior, quia dum necdum adveniisset tempus fructuum, arbor illius atrulit fructum centesimum, sed quis ille? Quia arbor sua non fuit plantata secus viam sed secus decursus aquarum, nempe jugem lachrymarum fontem, & meditationem cœlestium, non potuit esse infructifera, quin imo ante tempus fronduit, floruit, & fructum dedit: antequam enim de immutatione habitus sui cogitaret centum cœnobia sub nigro Sancti Benedicti habitu, quem gerebat construxerat. Si hæc fecit adhuc intempestivè, quid feciisse putatis in tempore suo, dum Camalduensium Ordinem, in albo habitu qui sibi ostensus in nocturna visione fuerat instituit? Id tempus non patitur dicere neque copiosus laudum Sancti Patriarchæ Oceanus. Laudetur Deus in Sanctis suis, & per ipsorum merita nobis sit propitius. AMEN. Psal. 1. v. 3.

IN FESTOS ROMUALDI

Abbatis,

CONCIO II.

Magna erit gloria domus istius novissimæ, plus quàm primæ.

Aggæi 2. v. 10.

UTi ait Lyranus in explicatione hujus loci S. Aggæi Prophetæ, non alio motivo neque ad alium finem hæc verba protulerat, nisi ut populum Israelis, cum Zorobabel Principe

de captivitate Babylonica redierant, ad ædificandam novam domum, sive templum Domini animaret, felix illud futurum opus (tanquam Orator bonus) exagerans, eamque secundam domum, magis prima gloriosam prænuncians, dum diceret: *Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ.* Sed quomodo hæc Prophetæ admonitio vera fuit cum domus illa Dei, quam Salamo extruxerat Domino, multò fuisset amplior, & magnificentior, quam illa secunda fieri poterat: Respondeo cum prædicto Lyrano, & Hugone Cardinali, majorem secundæ domus gloriam non potuisse intelligi, de ædificio, ornamento, & divitiis; illa enim prima domus copioso auro abundabat, & in eadem arca Dei habitabat, non item in secunda & ideo in nullo potest dici gloria domus secundæ major gloriâ domus primæ, nisi ex hoc quod hæc domus posterior Christi tabernaculum denotabat, ob cujus præsentiam, domus hæc novissima in lege gratiæ, multò est glorioſior domo prima. Auditores mei, ego hic non assumo aliquod officium Aggæi Prophetæ, ille enim futura quæ videbat in spiritu prophetabat, at egò ex his quæ jam diu antehac acta sunt præsentem orationem facio. Videtur enim mihi Sanctus Romualdus Abbas alter fuisse Zorobabel, quin ipso multò felicior: ille enim Princeps unam tantum domum ædificavit, hic verò duas, unam inquam Cluniaco alteram vero Camaldulo fabricavit, & licet primam satis eleganter extruxerit, tamen de hac altera illud dicere possum cum propheta. *Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ.* Ob quam rationem id fecerit, paucis in medium producam,

I. Per primam domum S. Romualdi Patriarchæ, non intelligo ego hic domum suam gentilitiam; sic enim potius comparandus foret cum Sancto Abraamo Patriarcha, cui quondam Deus dixerat; *Egredere de domo patris tui*; quod & ipsa facere non distulit: sed huic similem, de qua habemus Geneſis 7. capite adnotatum hisce verbis; *Ingredere tu & omnis domus tua in arcam.* Suppositò quod hic non loquatur Dominus de domo materiali; quomodo enim hæc ingredi posset in arcam? sed per metaphoram, intellexisse per domum, omnem familiam Noë. Miror cur Deus generationem Noë Patriarchæ domum vocaverit. Solemus enim multiplicationem alicujus familiæ seu magni stemmatis vocare domum; sicuti in antiquo testamento citatur domus Abimelech, domus Israël, domus Saul deficiens, & nunc in frequenti ore, est inclyta domus Austriaca: per quas domos nihil aliud intelligitur, nisi familiæ vel stemmatis numerosa propagatio, quæ ideo domus dicitur; quia hæc materialiter etiam sumpta, multorum hominum est receptaculum. Jam vero de domo Noë, ita ait Sanctus Petrus Apostolus: *In arca pauci, id est octo animæ salvæ factæ sunt per aquam.* Sed facilis est responsio. Licet enim pauci fuerint, tamen quia ex illorum numero, totum genus humanum multiplicari debuerat, ideo, totius domus nomen acceperunt. Redeundo jam ad propositum, huic domui Noë Patriarchæ, primam Sancti Romualdi domum non sine ratione comparare possum. Sicuti enim principium domus Noë, fuit timor Domini, alias & ipsa corruisset per naufragium, ita hæc altera & numero prima, Sancti Patriarchæ Romualdi, à timore Domini incepta fuit.

Gen. 12. v. 1.

Geneſ. 7. v. 1.

Gen. 28. Pſ. 132. 3. Reg. 3.

1. Petri. 3. v. 20.

II. In Classensi primùm monasterio domus suæ fundamenta jecit Sanctus Romualdus, ad quod opus timor Domini ipsum pepulit: cum enim Ravennæ, ex illustrissima Ducum familia natus esset, non tam sui quam parentis causa (qui ut dilataret terminos bonorum suorum ob quasdam lites homicidium perpetraverat) in monasterium Classense pœnitentiæ causa secessit, & in eodem hortatu hominis religiosi, nec non nocturno in Ecclesia (sicut ille promiserat) Beati Apollinaris aspectu habitum Sancti Benedicti susceptit. Et quia tunc temporis Sanctus Marinus, ob religiosam vivendi disciplinam, in ore omnium celebris habebatur, ad ipsum se contulit, ut eo Magistro uteretur. Audistis domus Sancti Romualdi fundamentum? ad ipsum modum, quo illam ædificare cœpit accedamus. De illa cœlesti domo, cujus figura fuit civitas illa Jerusalē in hymno Romano, quem etiam cæteri sequuntur Ordines, tale invenio testimonium:

Tusionibus, pressuris,
Expoliti lapides
Suis coaptantur locis;
Per manus artificis

Dispo-

Disponuntur permansuri Sacris ædificiis

Beati lapides, qui sic dolantur, ut ad constituendam domum capaces & idonei reddantur. Sanctus Romualdus unus ex his esse voluit, quia dum cum eodem Sancto Marino alternis vicibus Psalmos recitans non satis expeditè verba pronunciaret, loco mallei virgam sustinuit, qua ad aurem toties verbaratus, cum adverteret se quasi auditum perdere, senem humiliter rogavit, ut deinceps ad dexteram auriculam percuteretur. Relinquo Historiam, quia ad mortalitatem propero.

III. Pensate Magistri artificium. Dum Sanctus Romualdus non satis expeditè legit, cur Sanctus ille non potius lignum expolivit, sed aurem castigavit? Numquid auris peccavit & non potius lingua, qua balbutivit? Notate mysterium. An ignoratis quod per aurem incipiat structura Domus Dei? Cur Christus prædicavit Evangelium, nisi ut homines audirent illud? sed ad quid hic auditus verbi Dei? Respondeo. Verbum Dei est quædam materia domus: verbi gratia; lapides ex quibus fit ædificium: quod probo ex eo loco Sancti Matthæi Evangelistæ; ubi cum Diabolus tentasset Dominum, ut ex lapidibus panes faceret, respondit; *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Ecce lapides, materiam domus, nempe verbum Dei vocat. Sed ubi latomi, qui excipiant tales lapides, ex quibus fiat ædificium? Ecce auris quâ dum Auditor excipit verbum Dei, illud subministrat structuræ ædificii quæ fit in corde. Hic jam non miror Christum Dominum, increpasse dilectum Apostolum suum Petrum, quod aurieulam Malchi amputasset, quin eam de terra levasse. locoque suo reposuisse & sanasse & quod majus est non aliud præter hoc fecisse miraculum, quoniam fides per quam extruitur domus Dei absque auditu esse non potest; juxta illud: *Fides est ex auditu.* Alio verò in loco ait S. Apostolus: *Hujus rei gratia flecto genua mea, ad patrem Domini nostri Iesu Christi, ut det vobis virtutem corroborari per spiritum ejus, in interiori homine Christum habitare, per fidem in cordibus vestris.*

Matth 4. v. 4.

Ioan. 18. v. 11.

Ad Rom. 10. v. 17.

Ad Eph. 3 v. 14.

IV. Itaque Sanctus Romualdus non gratis permisit sibi dolari aures, quia non solum ipse evasurus erat in domum Dei, sed etiam ad exemplar hujus, plures alias fabricaturus, ex quibus quamvis illa Cluniaci posita, summam gloriam mereatur (quot enim hic domos spirituales esse putatis, quibus centum monasteria S. Romualdo exstructa sufficere non poterant?) nihilominus dum ego ad aliam domum in Camaldulo à se fundatam & erectam oculos meos deflecto, rapitur aspectus meus pulchritudine, qua allecti tot homines non solum plebeji, sed etiam Reges & Principes coronas & insignia sua abjiciebant, & certatim confluebant, ut in hac Camalduensi domo habitare possent. Cui jam hic melius comparem S. Romualdum fundatorem hujus domus Camalduensis, quam sancto illi Jacob Patriarchæ. Hic enim cũ egressus fuisset paternam domum, & alteram inquireret, invenit longe meliorem quam vocavit domum Dei,

V. Legimus quippe Gen. 28. cap. quod dum itinerans obdormisset in quodam loco, se in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelosque Dei ascendentes & descendenes per eam. S. Pater Romualdus in similitudinem Jacob Patriarchæ, scalam è terra cœlum pertingentem, per quam homines in veste candida ascendebant & descendebant per visum conspexit, eoque Camalduenses fratres quorum instituti Autor fuit designari mirabiliter agnovit. Nec inanis erat ea visio sancti Patris, in tantũ enim Deus multiplicavit domum suam, ex qua prodierat Gregorius Nonus summus Pontifex; sed præter Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, totque Generales, sancti quoque & beati quadraginta & quinque numerentur, qui doctrina, & sanctitate vitæ domum hanc Camalduensem illustrarunt. Porrò ipse S. Romualdus attingens prope ætattem S. Jacob Patriarchæ, qui centum & triginta ætatis suæ annos, malos & breves nuncupavit, ille exactis suis centum & viginti feliciter obdormivit in domo, & relicta in mundo, domo sua à filiis suis propaganda, nunc lætatur habitans in domo Dei ad quam maximo semper desiderio anhelavit. AMEN.

Gen. 28. v. 13.

IN

IN FESTO S. ROMUALDI

Abbatis,

CONCIO III.

Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te.

Matth. 19. v. 27.

MUltos homines invenimus, qui non solum suam patriam, sed alia quoque quæ possidebant, reliquerunt. Primo ut scribit *Diodorus Lib. 4.* Diodorus, post mortem Herculis, filii ejus Heraclidæ dicti, cum in Trachina regione habitassent, metuentes Eristhei exercitum, cum quo, illos oppugnaturus advenerat, sponte ex patria sua recesserunt. Æneas cum Anchise patre, & Ascanio filio, patriam dereliquit, & per maria navigans, ad terram Latinorum devenit, teste *Sabellio Lib. 7.* Sabellio. Phocenses cum tot molestias ab Harpago Cyri Regis Duce (qui eos invadebat) pati cogerentur, tandem quietis desiderio, natale solum reliquerunt, ascensisque navibus Corsicam petierunt: & candentem ferri massam in mare demergentes, juramento confirmaruut, se non prius de repetenda patria cogitaturos, quàm Massa illa ferri supernataret: id testatur Herodotus libro primo. Sed exempla *Herodotus lib. 1.* gentilium relinquamus, cum similia Sanctorum Patrum habeamus. Abraabam Patriarcha ad mandatum Dei, exivit de terra, & *Gen. 12. v. 1.* cognatione sua, domoque patris sui, Jacob *Gen. 28. v. 2.* Patriarcha, paterna domo derelicta, versus Mesopotamiam direxit gressus suos, uno tantum contentus baculo quo transiret Jordanem. Similes Patriarchis antiqui testamenti, non defuerunt, Sancti Patres novæ legis. Inprimis enim hæc tam audax S. Petri protestatio, quid aliud insinuat, quàm ipsum non coactum aliquo casu vel metu, omnia sua reliquisse sed spontanee ut Christum Salvatorem suum sequeretur Cui quidem Sancto Apostolo, suorumque discipulorum collegio, similem fuisse S. Romualdum Ordinis Camalduensium Fundatorem, in hac concione demonstrabo.

I. Quæ verba Sanctus Petrus nomine cæterorum suorum condiscipulorum protulerat, ea hodie existimate proferre Sanctum Romualdum Abbatem suo, nec non filiorum suorum Camalduensium nomine dicentem. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Quid Sancte Pater reliquisti, edissere. Si scire cupitis? debebitis ipsum primò confrontare cum illo juveneEvangelico, statum cum statu, ætatem cũ ætate. Ait S. Matthæus Evangelista *Matt. 19. v. 21.* c. 19. Quendam adolescentẽ accessisse ad Dominum, & quid ipsi faciendum foret, ut vitam æternam consequi posset, interrogasse, Christum vero mandata divina illi proposuisse observanda, quæ cum à juventute se custodire affirmaret, ait illi Jesus: *Si vis perfectus esse vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo.* Quid ille? cum audisset hæc, omni mœrore plenus abijt, quia multas divitias ac thesauros possidebat Quod dum vidisset Dominus, discurrebat coram discipulis suis quam sit difficile divitem intrare in regnum cœlorum, quæ verba cum cæteri discipuli mirarentur, Petrus ait: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te; quid ergo erit nobis?* Sancte Petre, (dico tuâ venià) non habeo tecum quid agam. Hic enim fuit adolescens, tu jam senio gravabaris: hic juxta Evangelium S. Lucæ c. 18. fuit Princeps; tu piscator: hic *erat habens multas possessiones*, tu *Luc. 18. v. 23.* sola retia habuisti. Sed Sanctus Romualdus, hic bene cum illo certamen agere potest. Fuit enim tunc adolescens, dum ei divina dictabat inspiratio: *veni & sequere me*: ille fuit Princeps, hic etiam erat ex nobilissima Ducum familia: ille audiens sibi dici à Domino, quatenus omnia venderet, daretque pauperibus,

seque

seque sequeretur; *abiit tristis*. Curabiit tristis? numquid aliquis illi, de bonis suis quidquam surripuit? minime verò, sed quid? ait Sanctus
Marci 10. v. 22. Marcus. *Qui contristatus in verbo, abiit mœrens.* Vicisti Romualde, vicisti: ille enim contristatus fuit de verbo, tu verò dum te bonis paternis exuisti, domum patriam reliquisti, & ut pro patre tuo bonorum mundialium sectatore, pœnitentiam ageres, te in Classense monasterium recepisti, non tristabaris in verbo sicut ille adolescens, sed potius lætabaris in facto, dum pro palatio claustrum, & pro hortorum deliciis, desertum elegisti. Unde meritò potes dicere: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.*

II. Dignus laude Sanctus Romualdus: licet enim hæc verba ore non legatur protulisse, bene tamen corde protulit, quia omnia sua temporalia, Jubens pro Christo Domino à se abjecit & dereliquit, factus exemplar, non solum viris religiosis, sed etiam cunctis fidelibus Christianis, qui si Deo placere volunt, in lætitia illi servire debent, juxta illud; *servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*: offers aliquid Domino, eoque te ipsum privas, ob id non tristari, sed potius exultare debes, invisum enim Deo est, quidquid offers cum tristitia. Dum Abraam Patriarcha offere DEO debuerat filium suum Isaac, id ei non indicarit, sed interroganti de victima, respondit ei. Do-
Psal. 2. v. 11. Gene. 22. v. 8. D. Ephre. Orat. de Jona. minus *providebit sibi victimam*; Cur ita fecit? Respondet Divus Ephrem dicens. *Non revelavit mysterium Abraam, ne illo tristitia affecto, ipsius donum inquinaretur.* Quærit Divus Ambrosius. Cur parentes nostri post esum pomi vetiti, qui ipsis magnam attulerat melancholiam & cordis tristitiam, ad folia ficus confugerint; vel cur ex illa ficus non potius fructus sed folia quæ inania sunt collegerint? sacer quidem textus eam assignat rationem, nempe ut se operirent, sic enim ait: *Consuerunt folia*
Gen 3. v. 7. *ficus, & fecerunt sibi perizomata.* Sed prædictus Sanctus Præsul & Doctor Ecclesiæ, suppositis illis verbis Sancti Pauli ad Galatas capite 5. *Fructus spiritus est charitas, & gaudi-*
Gal. 5. v. 22. *um, pax, patientia, benignitas, modestia, continentia, dilectio.* His ergo verbis pro fundamento jactis, assignat hujus facti parentum
S. Ambr. Lib. de Parad. nostrorum eam rationem, dicens. *justus fructum eligit, folia peccator; non habebant ergo fructum; quia non habebant gaudium.* Tristitia ergo multum lædit officia nostra erga Deum, quin reddit inania, quia juxta S. Paulum *hilarem datorem diligit Deus.*
2. Cor. 9. v. 7.

III. Quia Christus Dominus talem invenerat Apostolum suum Sanctum Petrum, qui non solum omnia pro ipso reliquerat, sed etiam totum se ipsi tradiderat, an parum ipsum dilexerat? Inprimis fecit Principem Apostolorum, Clavigerum cœli, mysteriorum suorum principalem secretarium, & tandem primum ovium sive Ecclesiæ suæ pastorem; quanti æstimavit hilarem Petri paupertatem in qua ditiorem Cræso, Salomone, cæterisque locupletissimis Regibus, & Principibus demonstravit, ut sciant divites, ipsorum gazis, feliciorem esse pauperum inopiam, qui sua omnia Christo tradiderunt, & per hoc cœlestium bonorum dominantur. Sto penes exemplum Sancti Petri. Pergit hic quadam vice in templum ad ho-
Actor. 3. v. 6. ram orationis nonam, & obviat uni homini, qui à nativitate sua claudus erat, & bajulabatur ab aliis, quem ponebant quotidie ad portam templi, ut peteret eleemosynas ab introeuntibus in templum. Videns hic Petrum, rogat eleemosynam, sed quid ille? intuens in ipsum ait: *Argentum & aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do? in nomine IESV Nazarani surge & ambula.* Auri egenus, sed virtute dives, qui nec nummum poterat extrahere, pedem claudi extendit. Unde pul-
Chrom. Serm. 1. chrè Chromatius: o *verè beata paupertas, quæ cum nihil de mundi facultate habeat, tantùm de cœlo largitur, non dat quidem argentum, sed quod plus est, reddit corporis sanitatem.*

IV. Non inepte faciam, si Sancto Petro Apostolo, tot titulis, encomiis, & gratiis à Domino exornato, Divum Romualdum assimilem; in uno siquidem currunt stadio; dicentes: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te.* Coronavit Christus paupertatem Petri voluntariam, idem fecit cum paupertate Romuldi: illum fecit Principem Apostolorum; hunc Patriarcham multorum filiorum in spiritu: huic revelavit sua mysteria, similiter Divo Romualdo, cui in visione scalæ, Ordinis sui Camalduensis filios candidatos demonstravit: hunc ovium suarum pastorem instituit; Sanctum Romualdum centum monasteriorum saltem in Cluniaco erectorum ædilem fecit, exceptis his quæ in Ordine Camalduensi fabricavit.

V. Mirabilis fuit paupertas Sancti Romualdi, quæ tantum potuit, quin dico mirabilis paupertas quam ipsi Reges salutabant, & Principes terræ venerabantur, nec mirum: Ille Lazarus qui sedebat ad portam divitis, ad micas saltem attendebat, quæ cadebant de mensâ Principis. Est enim ira micas, omnis potestas possidentium aurum: verum à paupere CHRISTO, ab eo qui aurum spernit, suosque aulicos spernere docet, non micæ sperantur, sed thesauri gratiarum, talesque divitiæ, quæ in cœlesti arca reponuntur. Quod cum ita sit, quàm feliciter unà cum Sanctis Apostolis protulit Sanctus Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te.* Feliciter eadem verba Sanctus Romualdus, per centum & viginti annos ipso opere comprobavit: quem enim viventem plurimis CHRISTUS Dominus honoravit gratiis, cujus sanctitatem per odorem qui exhalabat è corpore suo, per multum temporis spatium demonstravit, hunc etiam post mortem variis illustravit miraculis, & in sede cœlestis gloriæ cum S. Apostolis residere fecit, Amen.

IN FESTO S. ROMUALDI Abbatis,

CONCIO IV.

Quid ergo erit nobis. Matth. 19. v. 27.

OBlivioſus mihi videtur Sanctus Petrus Apoſtolus, dum ex eo, quod omnia reliquerit & Chriſtum ſecutus fuerit, unâ cum cæteris, interrogat de præmio dicens: *Quid ergo erit nobis?* Revolvite quintum caput Sancti Matthæi Evangeliſtæ, & ibi invenietis, quadam vice Jeſum aſcendiſſe in montem, igitur & Petrus ibi erat. In iſto monte egregiam Dominus concionem fecit de octo beatitudinibus & primam de paupertate voluntaria pronuncians ſic ait. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Si ergo ibi audivit & bene percepit, quale futurum eſſet præmium voluntariæ paupertatis, ut quid hic interrogat. *Quid ergo erit nobis?* Niſi forte aliud eſſet, omnia ſua propter Deum relinquere, & aliud pauperem eſſe voluntariè, qua paupertate & ii gaudere poſſunt, qui etiamſi aliquid poſſident, & non ex toto ſeſe ſpolient, illud habent tanquam non habentes. Sed de Sancto Petro, non ſollicitor: nam ille accepit reſponſum: & ſatisfactionem ſuam à Domino dicente. *Vos qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim.* Major mihi cura eſt de Sancto Patre Romualdo, qui hodie cum filiis ſuis Camalduenſibus expoſtulat dicens: *Quid ergo erit nobis?* Unde quodnam præmium hic Sanctus Patriarcha receperit, in hac concione requiremus.

Matth. 5. v. 3.

I. Valde miror reſponſum Domini, quod ad interrogationem S. Petri dicentis: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Quid ergo erit nobis?* ait: *Vos qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim.* Per illas ſedes nihil aliud intelligitur niſi Regnum cœlorum. Sed attendite parumper. Refert S. Matthæus cap. 20. piam illam matrem nempe Iacobi & Joannis Salome dictam, acceſſiſſe ad Dominum & oraſſe dicentem. *Dic ut hi duo filii mei ſedeant, unus ad dexteram tuam & unus ad ſiniſtram, in Regno tuo.* Tunc quid Dominus? Sic reſpondit. *Sedere ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis.* Quid eſt hoc Domine? ibi ad interrogationem Petri, promittis ſedes duodecim, hic vel duas negas? Et deinde, ut quid Domine recurris ad Patrem tuum cœleſtem dicens: *Sedere ad dexteram aut ſiniſtram, non eſt meum dare vobis: ſed quibus paratum eſt à patre meo.* Hic enim ait Divus Chryſoſtomus. *Numquid non habebat poteſtatem, præſtare, cui volebat cum ſit ſcriptum: pater diligit filium, & omnia dedit in manum ejus?* Reſp. hic idem S. Doctor in hunc modum: Chriſtum Dominum in hoc reſponſo ſuo medium obſervaſſe; ita quod nec refutavit petitionem duorum diſcipulorum, ne illos

Matt. 20. v. 21.

D. Chryſ. in Matth. 20.

ne illos examinaret & pusillanimes faceret, quia de cætero difficulter aliquid peterent, quod se obtenturos non sperarent ; nec etiam petitionem eorum suscepisse, ne cæteros discipulos contristaret. Ideo non dixit : neque non sedebitis, ne duos confunderet. neque sedebitis ne cæteros irritaret. Sed quid: Illud dixit: *Non est meum dare vobis* ; *sed patris* : per quod verbum, ut ait Sanctus Pater, *Nullum ex eis turbavit, & omnes fecit sperare* : At ego ex discursu ejusdem Sancti patris Chrysostomi aliud responsum propositio meo correspondens produco. Ideo inquam hic denegasse Christum Dominum duobus discipulis suis, nempe Iocobo & Ioanni duas sedes in Regno suo cœlesti unam à dextris alteram à sinistris, quia hac vice nesciebant quid peterent, putantes Christum Dominum illico post resurrectionem regnaturum Volebant etiam cum ipso habere prima loca, sed qualiter, nesciebant, hæc enim non acquiruntur nisi per humilitatem dicente S. Chrysostomo : *Qui desiderat primatum cœlestem, sequatur humilitatem terrestrem.* Unde addidit Christus Dominus. *Non est meum dare vobis sed quibus paratum est à Patre meo.* Ac si dicere dignaretur: Ego, qui unum sum cum Patre, humiliavi memetipsum ; idque inter nos concluſimus, ne ullus ad cœlestem dignitatem exaltetur, nisi per humilitatem ; ideo cum inter nos nulla esse possit discrepantia, has sedes quas petitis, taliter dare vobis non est meum; sed sic, uti ordinatum est à Patre meo. Quod verò iisdem Apostolis; unâ cum S. Petro cæterisque, duodecim sedes tam liberaliter promiserit, id fuit propter abnegationem rerum suarum, & sequelam sui.

S. Chrys. ibid. paulo post.

II. Patet id ex responso Domini. Cum enim Petrus interrogaret. *Quid ergo erit nobis* ? Dominus respondit dicens : *Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim.* Quid hoc Domine ? Proverbio dicitur. Qualis interrogatio talis & responsio. Interrogatio quippe & responsio convenire debent. Propositio Petri hæc erat. *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumuste. Quid ergo erit nobis?* Christus autem Dominus primam partem præteriens, saltem ad secundam respondet dicens: *Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim.* Optime dictum à Domino. Unde ait Sanctus Hieronymus: *Non dixi qui reliquistis omnia ; hoc enim & Grates fecit Phisophus, & multi alii divitias contempserunt; sed qui secuti estis me, quod proprium, Apostolorum est atque credentium.* Unde patet solam & omnem perfectionem hominum fidelium, consistere in sequela Christi, nempe per humilitatem, paupertatem voluntariam, patientiam, cæteraſque virtutes, per quas discipuli sequebantur Magistrum suum Christum.

S. Hiero. in Matth.

III. Sanctus Romualdus Patriarcha & Fundator Ordinis Camalduensium, à calle Apostolico nusquam recessit, reliquit omnia quæ habebat & habere poterat, nam cum esset ex illustri Ducum familâ oriundus, contempsit stemma suum nobile, domum paternam, omnesque divitias cum jure hæreditatis suæ repudiavit. Non solum autem reliquit hæc omnia, sed etiam ut fidelis servus secutus est Christum. Quam primum enim intravit Classense monasterium, exactis in illo diebus quadraginta in pœnitentia, aliisque spiritualibus exercitiis, tandem etiam habitu Ordinis impetrato, primò humilitatem Christi maximè imitari cœpit, omnium se novissimum reputans Beati Marini effectus discipulus, mirificè se exercens in patientia, in orationibus & contemplationibus assiduus, vim lachrymarum profundens. & tandem ut eò perfectius Christum Dominum (qui pro nobis mortuus est) sequi posset, martyrii cupiditate flagravit, ob quam causam (licet irrito eventu) in Pannoniam se contulerat. Cum ergo omnia pro Christo reliquerit, eumque secutus fuerit, numquid etiam dicere poterit ; *Quid ergo erit nobis?*

IV. Meritò quidem. Siquidem habemus scriptum Genes. 15. c, Qualiter Abraam Patriarcha post illud factum, quando ad jussionem Divinam recesserat à domo & cognatione sua, postquam audivit sibi dici à Domino ; *Ego merces tua magna nimis* ; tunc ille ait ad Dominum, *Domine Deus ! quid dabis mihi ?* Idem videtur dixisse S. Abbas Romualdus. *Quid ergo erit nobis* ? Sed quod Deus promisit & implevit ipso facto in Abraam Patriarcha, quem multarum gentium futurum patrem promulgavit, eique dedit Isacc filium ; Hoc idem præstitit Sancto Patri Romualdo, quin adhuc plura. An parum est hoc, hunc Sanctum Patrem centum erexisse monasteria ; An parum est hoc vidisse in somnis scalam, à terra ad cœlum pertingentem per quam

Gen. 15. v. 1.

Gen. 18. v. 10.

Angeli aſcendebant, in cœlum, & rurſus in terram deſcendebant? Iſti ſanè Angeli, numeroſam filiorum ſuorum ſpiritualium nempe Camalduenſium ſeriem denotabant, qui Angelis futuri erant ſimiles, non ſolum albo habitu ſed etiam cæteris donis & virtutibus, nempe aſcenſu, per contemplationem cœleſtium, in deſcenſu verò per humilitatem.

Genſ. 28. v 13.

V. Et tandem & illud multum eſt tam longam ætatem Sancto Romualdo Patriarchæ Dominum Deum conceſſiſſe. De Abraamo dicitur Gen. 25. *Deficiens mortuus eſt in ſenectute bona, provectaque ætatis, & plenus dierum.* Diceret aliquis quænam fuit Abraami ſenectus bona, ſi fuit deficiens? Sed reſpondet Richardus Victorinus dicens. *Senectus bona. quando exterior ſenſus decreſcit, interior verò excreſcit: Senectus bona, quando eo ipſo interior, homo roboratur; quo exterior homo infirmatur.*

Gen. 25. v. 8.

Richard. vict.

Ecce tibi ætas ſenectutis, & plenitudo dierum, eſt infirmitatis labor. Labor inquam non ejus modi, qui hominem laſſum facit in via iniquitatis ſed virtutis. Et in hac parte ſuperavit Abraamum Patriarcham S. Romualdus. Abraam etenim cum egreſſus fuiſſet de terra & cognatione ſua erat annorum ſeptuaginta quinque. At S. Romualdus vigeſimum annum agens, paternam domum dereliquit, moxque incipiens conſtanti ac ferventi animo ſervire Deo, per integerrimos centum annos in ſervitio ejuſdem perduravit. *Mortuus eſt in ſenectute bona:* Sed non deficiens; quia vivit in filiis ſanctitate clariſſimis, de quibus Rabanus apud Hugonem dixiſſe videbatur: *Ipſa mors fuit eis ætas annoſa, quæ eis peperit vitam æternam;* quam & nobis per ſua merita, & interceſſionem Sancti Romualdi, favere dignetur Jeſus Chriſtus, qui vivit æternum. Amen.

Sap. 5. v. 7.

Geneſ 12. v. 4.

Rabanus

IN FESTO S. BRUNONIS

Confeſſoris, Ordinis Charthuſianorum Fundatoris,

CONCIO I.

Dixi, cuſtodiam vias meas. Pſalmo 38. v. 1.

NOn ſine ratione templum illud Jeroſolymitanum, poſtquam à Salomone Rege ædificatum fuit, mox etiam titulo domus Dei gaudere cœpit. Similiter & à Chriſto Domino domus Dei vocatum fuit, dum enim ejiceret ex eo vendentes columbas & ementes, tunc dicebat: *Scriptum eſt, domus mea, domus orationis vocabitur*: quemadmodum enim illud templum diverſas vias habebat juxta numerum portarum, nempe duodecim, quibus illud templum conſtabat, ita quoque illa pulcherrima, nempe cœleſtis domus, plurimas vias habet quibus itur ad ipſam. Pro primo teſte hujus veritatis habeo Sanctum Regem David, qui cum quadam vice ab hac domo Dei deviaſſet, & iterum à Nathan Propheta ad rectum tramitem per pœnitentiam reductus fuiſſet hæc verba protulerat: *Dixi, cuſtodiam vias meas*: quæ cum in plurali numero protulerit, multas ad eam domum vias eſſe patet. Alium teſtem habeo S. Patrem Auguſtinum Doctorem S. Eccleſiæ celeberrimum. Uti enim in libro confeſſionum de ſe ipſo ſcribit. Cum frequentibus Sancti Ambroſii Præſulis concionibus ab hæreſi Manichæorum ad quam deviaverat, ad veram Chriſti viam reductus eſſet, multum quidem ſibi ea placuit, ſed quia anguſta ſibi videbatur, ire per ipſam piguit, quid igitur accepit conſilii? immiſit Dominus in mentem ejus, ut ad Simplicianum (in quo lucebat gratia divina) pergeret. Ut ſibi actus ſuos conferenti ſecum, proferret, quis eſſet aptus modus vivendi, ad ambulandum in via Dei, in qua alius ſic, alius ſic ibat. Pluribus adhuc egetis teſtibus? Sanctus Bruno ſervus & confeſſor Chriſti, nec non

3. Reg. 8. v. 29.

Matt. 21. v 13.

2. Reg. 12. v. 13.

Lib. Confeſſionum

domus

domus Cartusiæ fundator celeberrimus, testis est omni exceptione dignus, quem hodie pro honore sui sacri Ordinis in persona Regis David produco dicentem: *Dixi, custoviam vias meas.* Quæ nam illæ fuerint; has hodierna concio vobis manifestas reddet.

I. Sapiens ille Rex Salomon, quamvis rerum multarum notitiam habuerit in cognitione, tamen quarundam viarum difficultatem & ignorantiam suam confiteri non erubuit dicens: *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro; viam aquilæ in cœlo, viam colubri super terram, viam navis in medio mari, & viam viri in adolescentia sua.* Si juxta literam hæc verba intelligere velimus, nihil erit novi Salomonem alias sapientissimum Regem ignorasse viam viri in adolescentia sua, hæc enim ætas est instabilis, & nullum tramitem certum habet. Quod concernit navim in medio mari, difficile est viam ejus nosse, quia dum navis sagittâ velocius currat, nulla viarum suarum vestigia relinquit. Similiter serpens, quandoquidem cum summa agilitate per terram super ventrem suum gradiatur, nulla quasi post se signa videri possunt, quorum intuitu, via illius deprehendi possit. Multominus dum volat aquila; aër enim est principium & terminus viæ suæ, qui ab oculo humano videri nequit. Jam verò si juxta sensum mysticum eadem Salomonis verba perpendamus, multò majorem difficultatem in illis reperiemus: & ascendendo ab ultima difficultate ad primam, via viri in adolescentia juxta Venerabilem Hugonem Cardinalem, valde captu est difficilis. *Quia ferè tota invium quid est, plenum periculis; in invio viam invenire, difficile est; in igne esse & non comburi, currere super aquam & non submergi.* Idem Autor per viam navis in medio mari, intelligit conversationem secularium in medio mundi, quam viam dicit se Salomon ignorare: quia quomodo, quis tot pericula mundi, tot laqueos, tot foveas, tot insidias evadere possit, nemo novit, nisi solus Deus. Via colubri super petram, est astutia Diaboli venenati super Sanctos, qui sunt firmi ut petra, & in petra Christo solidati, quos totis viribus conatur decipere, Hujus ergo colubri viam Salomon ait difficilem, quia quomodo tales pervertat Diabolus, omninò non videt, cum animus charitatem habens, fortior sit omni creaturâ. Via aquilæ in cœlo,

Prov. 30. v. 18. 19.

Hugo hic.

S. Augu.

sive significet gratiam Dei ad cor hominis descendentem, sive meditationem contemplantis cœlestia. Utrumque est cognitu difficile, gratia enim Dei ab oculo hominis corporali, videri nequit, nec etiâ homo scire potest, qualiter sensus humanus inveniat supernam illam veritatem quam contemplando assequi desiderat. Hæ sunt viæ quatuor, quæ Regi Salomoni difficiles & ignotæ videbantur.

II. At dum ego Sancti Brunonis servi Dei, & præclari Cistercienſium Ordinis Fundatoris laudabilem vitam speculari incipio omnes quidem viarum illarum proprietates invenio, ita tamen; ut quæ difficiles erant cognitu Salomoni, mihi faciles videantur. Inprimis quod concernit, viam viri in adolescentia sua. Sanctus Bruno Coloniæ Agrippinæ oriundus, talem viam primæ ætatis suæ ingressus fuit, quæ non solum hominum oculos latere poterat, quin imò plurimos in admirationem sui rapiebat: ab ipsis enim incunabulis, specimen futuræ sanctitatis præferens, & puerilia quæque (divinâ favente gratiâ) declinans, morum gravitate adeo excelluit, ut quantus vir futurus esset, facilè quivis indicare posset. De Samuele judice Israëlis norat facer textus 1. Regum 12. Quod cum ex mandato divino Saul in Regem constituisset, conversus ad populum hæc verba dixerit: *Conversatus coram vobis, ab adolescentia mea, usque adhanc diem, ecce præsto sum.* Unde tanta Samueli audacia quod postquam jam officium judicis à se resignasset, & publici regiminis administrationem exuisset, nihilominus non solum vitæ suæ tam privatæ quam etiam publicæ in officio, rationem proferre, sed etiam crimina populi in præsentia Regis propalare, & arguere ausus fuerit? Venerabilis Hugo Cardinalis, respondet se tutatum fuisse bona conscientia, ideo nequaquam populum illum formidasse. Sed cur principium orationis suæ fecit ab adolescentia? an non sufficiebat illa proponere, quæ in virilitate laudabiliter egit? Plus autoritatis sibi accedere visum erat, si non solum à virili ætate, sed etiam ab ipsa adolescentia, testimonium vitæ suæ daret, hæc enim illa est, de qua Deus tale dedit judicium dicens. *Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines. Sensus enim & cogitatio humani cordis, in malum prona sunt, ab adolescentia sua.* Quia ergo defectus adolescentiæ, per fragilitatem excusantur, quantam

1. Reg. 12. v. 2.

Hugo.

Gen. 8. v. 21.

am hæc adoleſcentia habebit laudem, quæ viam ſuam percurrit ſine labe.

III. Sancti Patriarchæ Brunonis talis erat via in adoleſcentia ſua, cujus curſu in timore Dei, & virtutum progreſſu lætanter expleto, ibat ad altiora, factus veluti *navis inſitoris de longè portans panem ſuum.* Nam à parentibus genere & virtute claris, Luteriam Pariſiorum miſſus, tantos in Philoſophia & Theologia progreſſus fecit, ut Doctoris ac Magiſtri munus in utraque facultate obtinuerit. Magnam certè hic habeo admirationis materiam; videre navim in medio mari ventis agitatam, & non periclitantem, eſt loco miraculi, nam & illud miraculi locum habuit, dum navicula Petri, maris fluctibus operiretur, non tamen periculum ſeu naufragium paſſa fuit, idem ergo & de navi Sancti Brunonis judico. Quid enim illud eſt quod Sanctus Paulus ait: *Scientia inflat?* Quales venti tam periculoſi, in mari mundi hujus dari poſſunt quam ſcientiæ, de qua habetur Eccleſ. cap. ultimo. *Colluctata eſt anima mea cum illa* Qui enim habet ſcientiam, facile ſicut navis quædam agitari poteſt flatum ſuperbiæ: at Sanctus Bruno Patriarcha, non ſolum evaſit jactantiæ omne periculum; ſed etiã in turbulento hujus orbis oceano tutus manſit, projecit enim anchoram humilitatis, eamq; in fundo cordis ſtare fecit, ductus hac occaſione.

Prov. 31. v. 14.

Matth. 8. v. 14. 1. ad Cor 8. v. 1.

IV. Erat quidam Doctor Pariſiis, qui in vita ſua, ab omnibus vir bonus habebatur, ſed cum poſt mortem ſuam, deductus fuiſſet ad Eccleſiam, ut jus funeris corpori ſuo redderetur, atque ex officio mortuorum, illud decantaretur; *Riſpondete mihi, quantas habeo iniquitates*; mortuus ex feretro proclamavit, Juſto Dei judicio, accuſatus, judicatus, & condemnatus ſum. Quâ voce perculſus S. Bruno, mox Eccleſiæ Rhemenſis canonicatu depoſito, cum ſex aliis familiaribus mundo renuncians, Sanctum Hugonem Epiſcopum Gratianopolitanum adiit. Qui cauſa eorum adventus cognita, eoſdemque intelligens eſſe, quos eadem nocte, velut ſeptẽ ſtellas, ad ſuos pedes corruentes in ſomnis viderat, montes ſuæ diæceſis aſperrimos, quos Carthuſianos appellant, illis conceſſit, quibus potitus Sanctus Bruno, Ordinem Carthuſienſium inſtituit.

Iob. 13. v. 22. 23.

V. Id ego dum conſidero, duplicem viam me inturi videor, nempe unam colubri & alteram aquilæ: viam colubri S. Bruno tunc inivit, cum imitatus ſerpentum prudentiam in S. Apoſtolis, quibus Chriſtus dixerat, *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*; à periculoſo mundi tramite declino vit viamque aquilæ amplexus eſt; de qua habemus Job capite 39. *Elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſuum. In petris manet, & in præruptis ſilicibus commoratur, atque in acceſſis rupibus.* Hoc ipſum eſt quod fecit Sanctus Bruno Patriarcha: in aſperrimis enim Carthuſiæ montibus, quaſi alter aquila nidum ſuum fecit, nempe Ordinis ſui fundamenta jecit. Et ſicut aquila de excelſis rupibus eſcam ſuam contemplatur. Eodem modo Sanctus Bruno, ingreſſus eam viam aquilæ, ſpirituali volatu ſuo, excelſiſſimos meditatonum divinaram conſcendit montes, ex quibus contemplatus eſcam ſuam, tantam alimoniæ ſpiritualis abundantiam reperit, non ſolum pullis ſuis, nempe ſacri hujus Ordinis filiis, ſed toti quoque Eccleſiæ Chriſtianæ, abunde ſufficere poſſet, tot enim Sanctus hic libros conſcripſit, eruditione & Spiritu Sancto plenos, ut hos legentibus, ſacietatem adferant & ſaporem: Quamvis autem huic ſancto viro, multi honores ſpirituales nempe Archiepiſcopatus, cæteræque dignitates offerentur, ille tamen omnibus poſpoſitis, ſoli Deo vacavit, atque ad mortem uſque in prima vocatione ſua Domino ſerviens, quatuor hiſce viis feliciter confectis: tandem ſolutus carnis onere, ex altiſſimis his Carthuſiæ montibus, *aſcendit in montem Domini*: ubi cum ſanctis ejuſdem incolis, vivit & regnat æternum. Amen.

Matt. 10. v. 16. Iob. 39. v. 27.

Pſal. 23. v. 3.

IN

IN FESTO S. BRUNONIS
Confessoris,
CONCIO II.

In silentio & in spe erit fortitudo tua. Isaiæ. 30. v. 15.

NOn scio quales mihi referetis gratias, vos Carthusiæ domus filii, qui non solum vestro Patri & Fundatori Sancto Brunoni, sed etiam præclarissimo vestro Ordini, talem præconii titulum præfigere præsumam *In silentio & spe erit fortitudo vestra.* Quæ enim reperiri potest fortitudo in spe & silentio? Spes quidem illa est, quæ non confundit, sed quid silentium habet cum fortitudine? Aut non potius clamor, quo exercitus in prælis, ut se confortent, ut i solent? Sic populo vociferante muri Jericho corruerunt. *Iosue 6. v. 5.* Eodem modo pugnantes filii Israëlis una cum Duce suo Gedeone cum Madianitis, cum in tribus personarent locis, & hydrias confregissent, stantes singuli in loco suo. *Judic. 7. v. 20.* *Clamaverunt, gladius Domini, & Gedeonis.* Similiter cum David de Philistæo gigante victoriam reportasset, ait textus: *1. Reg. 7. v. 52. v. 1.* *Consurgentes viri Israel & Iuda, vociferati sunt, & persecuti sunt Philistæos.* Et tandem incolæ civitatis Bethuliæ dū post decollatum Holophernem, Assyriorum exercitum fugere comperissent, ait Historia: *Iudith. 15. v. 3.* *Secuti sunt illos, descenderunt q; clangentes tubis & ululantes post ipsos.* Ex quibus exemplis facile colligitur clamorem potius, quam silentium esse signum fortitudinis. Ast ego cum in gratiam S. Patris Brunonis tale thema assumpserim, totam spiritualem fortitudinem in spe & silentio consistere, & per hæc duo Ordinem suum celeberrimum propagari demonstrabo.

I. Pythagoras Philosophus sua ætate famosus, Scholæ suæ fundavit principia in silentio. Quicunque enim illius discipulus fieri voluit, primum per septem annos præcepta & lectionem silentii discere debuit. Quid cogitatis Auditores? Nunquid taciturno huic sapienti comparabo S. Brunonem arctioris adhuc silentii fundatorem? Minimè verò: sed alicui digniori. Quamvis enim iste S. Patriarcha, silentium sibi, quoque sacro Ordini præfixerit, non tamen bovi aut animali irrationali simile, vel si exemplum alicujus hominis adducere velimus. Non illi muto, de quo sacer textus ait: *Erat Iesus ejiciens Dæmonium, & illud erat mutum.* *Luca. 11. v. 14.* Corenus Prædicator egregius examinans rationes ob quas Diabolus qui possederat hunc hominem mutum reddiderit, duas elegantes assignat. Primò (inquit) tanquam superbus, timuit Christi Domini imperium, ne si in illo homine voces querulosas, & clamores inconditos exerceret, silentium ipsi imponeret, sicut & & illi cui quadam vice dixerat; *Obmutesce:* *Luca 4. v 35.* itaque superbia sua consulente, anticipavit jussionem, Secundò ait. Noluisse Diabolum se manifestum in obsesso illo reddere, itaque ne per loquelam obsessi agnosceretur, mutum fecit. *Coren. in Dom 3. Quadr.* Sed hæ duæ rationes non habent locum in sancto Patre Brunone, silentii amatore, nec etiam in Ordine suo præclarissimo, non enim ideo ab ipso silentium colitur, ne Deo sibi jubenti, seu inspiranti respondere & obedire cogatur: neque ideo, ut rationem sui status occultaret, sed ut extrinseca lingua in ore per silentium attestata, eò liberius interiori uteretur. Quod S. Patriarchæ Brunoni tam feliciter successit, ut exteriorem linguam clausam habens, interioris facundia, Ciceronem, Demosthenem, cætrosque disertissimos Oratores superaverit.

II. Miramini? invito vos ad Auditorium Angelorum. Duo sacræ scripturæ loca de ipsis invenio, inprimis apud Prophetam Isaiam 6. capite; ubi sic ait de Sanctis Seraphinis: *Isaia 6. v 3.* *Clamabant alter ad alterum, & dicebant Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.* Alter locus habetur Apocalypsis 7. c. *Apoc. 7. v. 2.* ubi ait Sanctus Joannes Apostolus. Se vidisse alterum Angelū ascendentem ab ortu solis qui

clama-

clamavit voce magna quatuor Angelis. Scimus bene Angelos cum sint puri spiritus carere linguâ, cæterisque loquendi instrumentis: si ergo hisce carent quomodo ad similitudinem oratorum in rostris & pulpitis prædicantium clamare potuerunt? Sed notandum est juxta sententiam Divi Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici, aliorumque Patrum Sanctæ Ecclesiæ. Angelis loco linguæ, inditam esse à Deo virtutem, qua conceptus suos aliis eodem modo manifestant, sicut & nos verba nostra, quæ formamus in nostro intellectu, propter corpus hoc materiale & mortale, quo gravamur, verbis exterioribus, sive certis signis exprimere solemus, tunc ergo loquuntur Angeli dum suos conceptus aliis manifestant & communicant, & tunc clamabant illi Seraphin, sicuti & illi in Apocalypsi alter Angelus, quando juxta expositionem Venerabilis Bedæ, magno feruntur honoris Divini desiderio, eorumque quæ ipsum facere velle noverunt. Quod cum ita sit quanta hic erit pro Sancto Patriarcha Brunone suoque sacro Ordine laudis materia, qui enim compressis labiis, & tacente exteriori linguâ, per interiorem de Divinis rebus loquebatur, quem esse putabitis nisi unum ex Angelis, suumque sacrum Ordinem, candidum exercitum Angelorum;

Beda in Apocal.

III. Felicem silentii sui occasionem arripuit Sanctus Bruno Patriarcha. Viso uniusParisiensis Doctoris corpore, quod suis in exequiis dum humari deberet, exclamavit; *Iusto judicio Dei accusatus sum, judicatus. & condemnatus:* exterritus summopore clamore tam lamentabili ipse quoad viveret, elegit silentium. Quare? Notate Auditores mei mysterium! Ait quidam dignum memoria, magis cavendam esse propriam linguam, quam oculos hominum, in bonis operibus exhibendis. Ac si autor ille vellet dicere. Si in hac vita caute vis procedere, sic vive, ut homines bona opera tua in te videant, juxta illud Matthæi: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona*: non tamen audiant ex lingua propria. Bona erant opera Pharisæi, qui jejunavit bis de septimana, decimas dabat omnium quæ possidebat, & justitiam Dei adimplebat; sed quàm felicior fuisset, si hæc linguâ sua non prodidisset. Sic enim ait Divus Chrysostomus. *Grande malum est de se ipso aliquid grande dicere: Non enim est hoc secundum DEVM loqui, sed judicium est insaniæ.* Si juxta Divum Chrysostomum, judicium est insaniæ de se ipso loqui, quale judicium sapientiæ suæ protulit Sanctus Bruno Patriarcha, qui cum floreret tot virtutibus, ob quas ab omnibus suspiciebatur, nihilominus easdem silentio occultabat. Parum hic jam dixi, cum ipsum Angelis comparavi, nam ipsemet Christo Domino comparari potest.

Boeza Lib. 14. c. 4. Asceris mo. 19.

Matth. 5. v. 16.

S. Chrys. de Laud. S. Pauli.

IV. In quo? Quia fortis erat factus per silentium; & ejusdem tesseta fortitudinem suam demonstravit. Vultis ut probem? Audite. Cum Christus Dominus à Judæis captus, remissus esset à Pilato ad Herodem, ait Sanctus Lucas: *Interrogabat eum multis sermonibus, at ipse nihil illi respondebat.* Quid est hoc Domine, accusant te, & tu siles, interrogaris, & taces: Ignoras illud. *Qui tacet consentire videtur?* Sed pulchrè pro Christo respondet Divus Ambrosius dicens. *Non accusationem suam tacendo Dominus confirmabat, sed despiciebat non repellendo.* Planè idem fecit Dominus, quod aliquis fortis Rex & magnanimus. Aliquando populari indutus habitu, perambulat noctu civitatem, & venit ad vigilias, illi hominem non agnoscentes, in ipsum irruunt, sed quid ille, despicit illos, & ignotus strenuè se defendit. Ita & Christus, tacuit ad injurias, sed in ipso silentio suam fortitudinem demonstravit, quod nihil eas æstimaret. Idem & ego de Sancto Brunone suoque Ordine ajo: *In silentio & spe, erit fortitudo tua.*

Luc. 23. v. 9.

D. Ambr. Ser. 49.

V. Quid dicam amplius? Prosequitur ulterius Sanctus Lucas, & ait: *Spernit illum Herodes, & illusit indutum veste alba.* Videte vos filii Sancti Brunonis Patris vestri, an illam Christus Jesus per silentium acquisivit vobisq; donodedit. Sane è numero illarum animarum videmini esse, de quibus ait Sanct. Joannes in Apocalypsi. *Data sunt illis singula albæ stolæ.* Quæ verba explicans Venerabilis Beda ait: *Singulas modo albas habent animæ sanctorũ, de sua beata immortalitate gaudentes.* Sanctus Bruno vester Patriarcha glorioſus jam tali stola fulget incœlis, & vos ejusdem figurã gestatis in terris. Congratulatur itaq; vobis filiis in Christo natis Sancta mater Eccl. vobis precatur & exoptat, ut cæteros quoq; ipsius filios ad candorẽ hujus stolæ, externo virtutũ silentio invitetis, quatenus hoc armati, contra Diabolum dimicemus, & in eodem, Christum Dominum, qui est fortitudo nostra, invenire mereamur. Amen.

ibid. v. 11.

Beda in Apoc.

IN

IN FESTO S. BRUNONIS
Confessoris,
CONCIO III.

Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris
Luc. 12. v. 35.

NOn possum satis mirari Auditores mei, considerans ista duo, nempe ædificationem civitatis, turrisque Babel in campo Sennaar, & è contrario ædificationem domus Dei, sive templi Salomonis in civitate Ierosolyma consumati. Filii enim hominum à Noë procedentes, in prima illa ædificatione operis sui, propter confussionem linguarum defecerunt, ita quod ædificium turris suæ continuare nequiverunt, in secunda autem ædificatione, nempè templi Domini, non linguis, sed silentio agebatur: cum enim domus illa ædificaretur ait textus 3. Reg. 6. cap. *Malleus & securis, & omne ferramentum, non sunt audita in domo*; & tamen cum omni linguarum ac instrumentorum strepitu caruisset, tam pulchre exstructa fuit, ut omnibus regnis admirationi & venerationi foret. Huic ego domui comparare non dubito quin audeo celebertimam il. lam domum Cistercii: hanc enim cum Sanctus Bruno Christi Confessor, ejusdemque sacri Ordinis Fundator & Patriarcha ædificaret, *Malleus & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo*. Hic enim S. Pater, ad similitudinem [illegible] agri liberi, quo Dominus ait Job. 39. c. *Cui dedi in solitudine domum*: & Paulo post dicit: *Contemnit multitudinem civitatis, clamorem exactoris non audit*. Nactus quosdam montes Cisterciià conversatione humana segregatos, in iisdem, jecit fundamenta domus suæ, quam tam eleganter ædificavit & feliciter consumavit, ut pote, quæ filios sacri hujus Ordinis protulit, qui ad exemplar patris sui succincti lumbos, & lucernas ardentes in manibus suis deferentes, non secus atque illi milites Gedeonis confractis lagenis suis, exercitum Tartatorum, nec non hæreticorum expugnare non cessent. Quod an ita sit, in hac concione inquiremus.

Gen. 1. v. 14.

3. Reg. 6. v. 7.

Iob 39. v. 6. 7.

I. Planè mirabile mihi videtur illud Gedeonis Israelitarum Ducis stratagema, quod sibi cum Madianitarum exercitu numeroso pugnaturo Dominus ostenderat. Primò jussit populum duci ad aquas, ubi qui linguâ manuque lamberent aquas, eo: ad partem separaret, qui vero curvatis genibus biberent, etiam ad alteram. Hoc stratagema novum mihi videtur & militibus insolitum. Hi enim cum decertare debent, prius corpora sua bene curare solent. Sic fecit Cyrus Rex Persarum, qui priusquam in patruum suum Regem Lydorum exercitum suum emisisset prius illum, bene satiavit, potavitque sic Alexander suis militibus faciebat, & idem plerique in more positum habebant. Milites Gedeonis pugnaturi cum exercitu Madian, jubentur aquam bibere, esto quod aquam omnes biberint, sed cur non etiam in numerum cæterorum & illi admissi erant, qui flexo poplite, quasi majorem haustus copiam sumentes biberant? Alius modus bellandi quo Gedeon instructus erat à Domino, multò mihi est mirabilior, cum enim Madianitæ instructi essent armis variis, nempe, gladiis, clypeis, bipennibus, cæterisque instrumentis, ad quid illis à Gedeone lucernæ opponuntur? quis modus est, digladiandi lucerna cum ense? Sed si per talem pugnam Gedeonis; aliam nempe spiritualem intelligamus, quæ est contra carnem, mundum, & arma nequitiæ spiritualia, hic pro viribus recreandis haustus aquæ parcè sumendus est, hic milites Christi non sunt discingendi, ut supini bibant aquam, sed quid? potius lumbi sunt præcingendi. Quod dum

fit, rectè sequitur alterum Gedeonis stratagema, nempe concussio lagenarum, & ostensio lucernarum. Sic enim ait S. Bruno Homilia 5. de Confessoribus dicens: *Non possunt alii esse lucernæ ardentes, nisi qui lumbos præcinctos habent.* Cujus dicti sui eam assignat rationem. *Lucernæ quidem esse possunt, ardentes esse non possunt. Nisi enim ignis inferior extinguatur, superior lucere non potest* Sed ô Sancte Bruno, quæ ais, vis nobis tuo exemplo demonstrare? Audite.

S. Bruno Ser. 5.

II. A pueritia præcinctos lumbos habuit S. Bruno Patriarcha, quia continentiâ & castitate in tantum enitebat, ut dum adhuc juvenis existeret, vitæ Anachoreticæ pro futuro institutore, ab omnibus agnosceretur & haberetur: nec signa prænuncia, effectu suo diu caruerunt: perterritus enim horrenda Doctoris Parisiensis visione in corde suo exclamaverat cum David dicente. *Salvum me fac Deus; quoniam intraverunt aquæ usq; ad animam meam:* relicto ergo haustu supino aquarum mundi, alium arctiorem viam ingressus est, sicque præcinctus lumbos suos, ingressus montes Carthusios, ibidem prima fundamenta Ordinis sui jecit, & licet per aliquot annos Eremiticam vitam agens, lucernã in laguncula clausam, in manibus suis tenere visus fuerit, nihilominus tunc concussa visa fuit, cum Romam evocatus ab Urbano Secundo Pontifice, sanctam Christi Ecclesiam lucerna vitæ, doctrinæque suæ illuminare non cessaret, illud opere & re ipsa comprobans quod dicebat. *Qui lucerna ardens esse vult, lumbos præcingat, continentiam & castitatem custodiat*

Psal. 68. v. 1.

Serm. 5. De Conf.

III. Regem Salomonem, lectulo suo maximam adhibuisse custodiam dicitur Cant. 3. verbis talibus. *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios & ad bella doctissimi.* Quæ verba explicans Venerabilis Hugo Cardinalis, per istos sexaginta fortes, ad custodiam lectuli Salomonis, nempe Ecclesiæ Christi veri & pacifici Salomonis deputatos, intelligit prædicatores, fortes ad portandum onera totius Ecclesiæ, & expugnandum hostes ejus, qui vitæ perfectione & legis cognitione præditi esse debent. Omnes hi gladios in manibus tenere debent. Sed quinam illi? dixerat aliquando S. Lucas Evangelista. *Ecce duo gladii hic.* Horum ergo primus gladius est spiritualis doctrinæ. Cujus testimonium habeo ex Sancto Paulo dicente ad Ephesios c. 6. *Galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Hunc gladium manibus tenet, qui quod verbo docet opere implet. Secundus gladius, est gladius disciplinæ, quo caro latrocinans & pugnans adversus spiritum trucidanda est. Tali gladio utebatur S. Paulus Apostolus cujus verba refero. *Castigo corpus meum & in servitutem redigo.* Fortissimus è sexaginta fortibus miles, qui ad id domabat corpus suum, ut lectulum Salomonis, eo melius custodiret. Sed numquid è numero eorundem Sanctum Brunonem dixeris? ita sane; verba enim hujus Sancti sunt ipsissima: *Lectus Salomonis est Ecclesia: Unde illi bene præcincti sunt, qui superfemur suum, gladium habent: illum videlicet gladium quo castissima Iudith Holophernem interfecit.*

Cant. 3. v. 7.

Hugo Card. in Cant.

Luca 22. v. 10.

Eph. 6. v. 17.

1. Cor. 9. v. 27.

S. Bruno Serm. 7.

IV. Notate mysterium Auditores: Quid ais S. Patriarcha: ergo inter gladios sexaginta fortium, etiam recenses gladium Holophernis? Et quid hoc suo gladio spurcicius, quo tot hominum fudit sanguinem, nec non eodem gladio sanguinem filiorum Israelis fundere cupiebat? Ergo tu ô Sancte Pater, hoc gladio pro custodia lectuli Salomonis tui uteberis? Scio te præcinctos lumbos militari baltheo habuisse, nempe ut continentia & castitate præcinctus, munus tuæ custodiæ eo melius exequi posses, quid igitur tibi est cum gladio Holophernis, qui Judith illam castissimam viduam ad impudicitiam invitabat? Sit testis hujus rei Vagao cubicularius Principis, qui ita ad illam ait: *Non vereatur bona puella introire ad Dominum meum.* Sed jam intelligite sensum mysterii Sancti Patris Brunonis: ille dum mentionem faceret gladii Holophernis eumque adnumeraret gladiis sexaginta fortium, id non ex eo putavit, quod fuerit Holophernis, sed quia fuerit in manibus Judith castissimæ quo Holophernem interfecit.

Iudith. 12. v. 12.

V. Revertor ad lectulum Salomonis & hunc discursum facio. Ad lectulum suum sexaginta fortes adhibuit. Christus Dominus, ad atrium domus suæ unicum fortem. Sic enim ait S. Lucas: *Cum fortis armatus, custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet.* Hic ergo quæro: Quare pro custodia atrii. unus armatus constituitur, quod integræ possessionis & bonorum domus suæ initium repræsentabat, sed pro lectuli custodia sexaginta fortes,

Luca 11. v. 21.

ta fortes, & insuper gladios tenentes in manibus disponuntur ? Cur in lectulo major custodia, quàm in atrio ? Audite pulcherrimum responsum Gilliberti Abbatis, qui sic ait : *Verior est gratia lectuli quam atrii, & sponsæ sollicitudo major, quam possessionis.* Hanc ut custodiret S. Bruno, reliquit atrium, nempe magnam rei secularis possessionem, quia gratior ipsi fuerat Ecclesia sponsa Christi, quam atrium substantiæ secularis : unde factus Dux sexaginta fortium taliter lectulum Salomonis nempe Christi Domini (sponsæ suæ sanctæ Ecclesiæ curam habentis) custodivit ut pro stipendio laboris sui, una cum sacro cuneo sexaginta fortium, nempè Ordinis sui filiorum, non aliud mereatur, nisi (quam nunc possidet) mercedem sempiternam.

Gillib. Abb. in Cant. Serm. 16.

AMEN.

IN FESTO S. BRUNONIS
Confessoris,
CONCIO IV.

Vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur à nuptiis. Luc. 12. v. 36.

MOris inter homines esse solet, quod dum alicubi solemnes nuptiæ celebrantur, aliqui ex domibus exeant, & in plateas excurrant, ut sponsum & sponsam videant, qui vero sè domi continent, interrogare solent, de nomine & conditione utriusque. In hodierno S. Lucæ Evangelio, agitur mentio nuptiarum, & nos igitur interrogemus tam de sponso, quam de nuptiis. Venerabilis Beda explicans istum locum sacri Evangelii, ait. Hunc sponsum esse Christum Dominum, qui tunc ad nuptias abiit, quando resurgens à mortuis, ascendit in cœlum, ut sibi supernam Angelorum multitudinem (post laborem pro hisce nuptiis obeundis susceptum & exantlatum) copularet. Plane similis illi Jacob Patriarchæ qui pro utraque sponsa sua multis annis in Mesopotamia apud Laban inservivit. Similis itidem generoso David, qui ducenta Philisthinorum præputia Sauli numeravit, ut filia Regis potiretur. His vero finitis nuptiis, tunc sponsus noster revertitur, dum se nobis per judicium manifestat. Unde dicitur : *Vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando revertatur à nuptiis.* Et quamvis ista verba dicantur ad omnes filios sanctæ matris Ecclesiæ, nempe ut omnes parati simus ad adventum sponsi nostri, ut ei (dum pulsaverit) januam aperiamus, nihilominus id specialiter spectare ad sacrum Ordinem Carthusiensem ejusque Patriarcham S. Brunonem, in hac concione demonstrare conabor.

Ven. Beda in S. Luc.

Gen. 31. v. 13.

1. Reg. 18. v. 9.

I. Duo sunt quæ à nobis requirit sponsus noster Christus. Primum ut cum (donec revertatur à nuptiis) expectemus. Secundum autem, ut cum pulsaverit, confestim ei aperiamus. Quod concernit primum, nempe expectationem sponsi, in hoc puncto S. Bruno Patriarcha maximam laudem promeruit, hic enim cum horrendo illo Doctoris Parisiensis casu fuisset exterritus, eo quod in opinione hominum, haberetur pro probo & sancto viro, post mortem autem jacens in feretro, se à gratia summi sponsi excluſum, & ad æternum interitum condemnatum esse proclamasset, mox Sanctus Bruno honoribus cunctis posthabitis, properavit ad eremum, & cum aliquot sociis, delegit sibi Carthusii montes asperrimos, ibique extructa prima domo suæ familiæ in orationibus, meditionibus, jejuniis & silentio vigilabat, adventum sponsi diu multis suspiriis ac lachrymis ab ipso desideratum, expectando. Pulchrum factus exemplar omnibus hominibus, ut ejusdem vestigiis in-

hærentes, adventum Christi omnium judicis præstolentur. Sed qualiter? Diuturnis virtutibus, maturata expectatio, non solum Deo est gratissima, sed etiam hominibus multum utilis, & salutaris. Mirum illud est & notatu dignum quod Sanctus Paulus celeritatem fidei in tantum commendet dicens: *Credidit Abraam Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* Galat. 3. v. 6. Fidem Abraami celerem fuisse patet ex Genesis 15. cap. Ibi enim postquam illi Deus dixerat: *Numera stellas cœli si potes; sic erit semen tuum*: Mox sequitur. *Credidit Abraam Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* Gen. 15. v. 5. Jam verò S. Propheta Isaias: *Qui crediderit, non festinet.* Isaiæ 28. v. 16. Eritne sibi sacer textus contrarius? Minimè verò, non enim ea, prima verba Dei fuerunt, quæ Abraam ex ore ejus audiverat, sed multa alia præcesserunt, quibus confirmatus taliter Deo credidit, quod tam ipse quàm etiam facta uxor sua, eam fidem per longam expectationem excolerent, quod vel tunc maximè declararunt, quando senectus ipsa & longitudo temporis, & mortua pene membra, expectationi prolis intercludebant aditum, adhuc tamen in expectatione prolis erant. Egregia virtus fidei expectatio, nam Divus Zeno sic ait. *Ecce prima devotio; libenter excipere quod serò datur: nam etiam risit Sara, munus juventutis subiens in senecta.* Gen. 12. v. 7. 8. D. Zeno L. 2. Serme. 3.

II. Sanctus senex Simeon secutus fuerat Abraæ vestigia. Hic etenim quod illi sero dabatur, lætanter accepit. Desiderabat videre Messiam solem justitiæ, humanæ gentis Redemptorem, qui à longo tempore per S. Prophetas mundo promissus erat, sed Deus senis desiderium distulit, quia primum in senecta sua completum fuit, sed quid tum? Cum fœnore accepit quod optavit, quia non solum videre Jesum, sed etiam amplecti dignus erat. Diuturna fuit expectatio, magnum quoque erat gaudium, quia thesaurum mundi in ulnis suis gestare meruit. Unde Eusebius Emissenus, considerans illud suum canticum. *Nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace. Quia vederunt oculi mei salutare tuum*; simulque expendens animi sic expectantis constantiam, & meritum, ita ait: *Quem jam ætas de hoc sæculo exire cogebat, Dei responsio retinebat, mori cupiens, mori non poterat, dicens; Scio quia veniet; scio quia videbo eum.* Luc. 2. v. 29. Eusebius Emissen. En hic habes longum sæculum, ætatem languentem, vires deficientes, jamque quasi tædium vivendi pulsabat justi viri animam, ut exiret è corpore, nihilomnius una promissi divini expectatio sic eum consolidabat, ut hac confortatus, victor temporis, ætatis, & molestæ senectutis, quò serius venit, eo gratius accepit infantem.

III. S. Bruno Patriarcha, in simili expectatione multum se exercuit, etsi enim ad tempus evocatus fuisset ab Urbano Secundo, è spelunca suæ solitudinis, in qua per annos aliquot vigilias exercebat, Dominum, sponsumque suum expectando: nihilominus brevi post, repudiatis mundi honoribus, nec non Rhegiensi Archiepiscopatu recusato, rediit ad easdem vigilias, iterum enim eremum quandam apud Squillacum amore solitudinis petiit, in qua vigilantissimas agebat excubias, ut quacunque hora veniret Dominus, confestim pulsanti aperiret. Neque parum Deo placuit hæc S. Patris vigilia, prout enim dixerat de talibus. *Beati servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes.* Sic ejusdem suæ complacentiæ, notabile signum in Sancto Patre Brunone demonstravit. Inter plurima mirabilia, quæ patraverat S. Propheta Elizæus, hoc etiam infimum non erat. Quod cum Rex Syriæ pugnans cum populo Israëlis, in occulto quodam loco insidias posuisset, eas Sanctus Propheta detexerit, populumque suum à periculo hostium liberaverit. Simile quid de S. Brunone legimus. Hic enim cum ad fines Calabriæ in loco Solitario habitaret. Rogerius ejusdem terræ Comes, exercens in silvis venationem, per latratum canum, eum orantem in spelunca deprehendit, vidensque hominem esse sanctæ vitæ, tam ipsi, quàm suis sociis quos secum habebat, omnia vitæ necessaria subministrare non cessavit. Quid contigit? Cum ibidem Rogerius Capuam obsideret, eumque Sergius quidam, excubiarum Magister, prodere statuisset, S. Bruno adhuc in dicta eremo vivens, in somnis illi omnia aperiens, ab imminenti periculo ipsum liberavit. En præmium vigiliæ, ut qui cum quinque illis fatuis virginibus non obdormivit, per somnum quidem, sed vigilans, suum Mæcenatem, à fraude sibi strata præcavit. Luc. 12. v. 37. 4. Reg. 6. v. 9.

IV. Sed

IV. Sed hæc sinamus, & ad aliud punctum descendamus, quod à nobis fideles excubias agentibus, cœlestis sponsus requirit, illud est, ut cum venerit, confestim eidem aperiamus. Sed dum ego id considero, quod ait S. Lucas; *Vt cum venerit & pulsaverit confestim aperiant ei*, videtur mihi contra mundi consuetudinem & politicam totum esse contrarium. Quis enim vidit tales homines, qui Sponsum à nuptiis revertentem clauso expectent ostio? Sane nuptiarum tempore patent januæ, nemini aditus intercluditur, servique eo sunt intenti ut cum facibus exeant obviam sponso suo redeunti, alias ridiculum mundo spectaculum accideret, si sponsus à nuptiis veniens, magno amicorum comitatu cinctus, clausas suæ domus inveniret januas. Sed sciendum est Auditores, id quod est contra consuetudinem mundi, in cœlo accidisse Angelis, hi enim sponso suo, ânuptiis revertenti non prius portas cœli aperuerunt, quin primum audirent: *Aperite portas Principes vestras, & introibit Rex gloriæ*: Et ipsi discerent sponsi qualitatem dicentes; *Quis est iste Rex gloriæ?* tunc primum dum audissent, esse Dominum fortem, nempe Christum Jesum, ei portas aperuerunt. His & nos ait Nyssenus similes debemus, qui spiritum quemlibet, quo agimur, utrum ex Deo vel aliunde sit, examinare debeamus.

Luca 12. v.37.

Psal.23. v.7.

Nyssenus in S. Luc.

V. Talem spirituum censorem habemus præ oculis nostris Sanctum inquam Brunonem Patriarcham. Hic enim Rhemensis Ecclesiæ Canonicatu potitus, quamvis in tali statu, multum Deo suo placeret, nihilominus inquirens cum S. Paulo charismata meliora, S. Hugonem Episcopum Gratianopolitanum adiit, rogans ut sibi aliud vitæ institutum colere cupienti, pro ædificanda domo in montibus Carthusii locum concederet, sed nec minus idem Sanctus collator suus eorundem spirituum egregius censor fuit. Hic enim cognitâ S. Brunonis causâ expendensque illas septem stellas ante pedes suos (quas in somnis viderat) corruentes, per quas socii sui denotabantur, votis Sancti Patris facile annuit: unde Angelicam vitam in eremo illa cum suis sociis agere cœpit, omnes cum Sancto Patre manebant in vigiliis, illud Sancti Lucæ volventes in animo: *Vt cum venerit & pulsaverit confestim aperiant ei.* Sed Sancto Brunone Patre suo, ab Urbano Secundo summo Pontifice evocato, quis effari potest, quantus suos socios mœror invaserit. Mutavit igitur locum S. Bruno, sed non spiritum, assuetus enim in soliloquiis vacare Deo suo, recusatâ quoque Episcopali dignitate recepit se cum sociis in Calabriam, & in Turrensi solitudine aliquamdiu vitam egit. Donec Rogerius Comes Calabriæ ad visendum eum veniens, eidem de omnibus necessariis providisset, ibidemque magnificam Basilicam S. Mariæ, & S. Stephani erexisset. Quo in loco S. Bruno Domino serviens, tandem sentiens terminum vitæ suæ, fratribus ad se convocatis ultimum valedixit, plenusque miraculis, mortalem vitam cum immortali gloria commutavit. Amen.

1. Cor. 12. v.31.

Luc. 12. v.37.

IN FESTO S. BERNARDI
Abbatis, Ordinis Cisterciensium Propagatoris,
CONCIO I.

Volavit ad me unus de Seraphim. Isaiæ 6. v.6.

NIcolaus de Lyra explicans istum locum Isaiæ Prophetæ ait, istos Angelos quos Propheta viderat, non fuisse de superiori Hierarchia spirituum cœlestium, quæ dicitur Chorus Seraphim, quia isti semper adstant ante faciem Dei sui, sed fuisse de Angelis, qui mittuntur ad ministerium *propter eos*, (uti ait S Paulus) *qui hæreditatem capiunt salutis.* Dici vero Seraphim, ob eam rationem, quia ardent per incendium amoris divini. Cum ergo ita sit, ecce vobis novus Seraphim Auditores, Sanctus inquam Bernardus Abbas & sacri

Lyranus in Isaiam.

Hebr. 1. v.14.

sacri Ordinis Cistercien sium propagator, verus Seraphim, quoniam ardebat incessanter amore Dei, nec non desiderio salutis humanæ ardenter æstuabat, ad cujus laudes decantandas dum me præparo, timeo planè ne ob
Isaiæ 6. v. 5. imperfectionem linguæ meæ cum Sancto Propheta silere cogar, qui ait; *væ mihi quia tacui.* Sed jam ad me redeo, spemque meliorem concipio: sicuti enim ille Seraphim, postquam os Prophetæ calculo tetigerat, à peccato taciturnitatis purgatum reddidit, sic etiam alter Seraphim Sanctus inquam Bernardus, qui ardenti suæ charitatis calculo multorum
Psal. 67. v. 36. 1 corda tetigerat, & incenderat, hodierno suo patrocinio tanget linguam oris mei, ut de hac Seraphica ipsius excellentia, ad laudem Dei qui est mirabilis in Sanctis suis, & honorem sacri sui Ordinis cujus propagator erat, aliquid dignum proferre possim.

I. Sanctus Bernardus Doctor Ecclesiæ homo fuit sicut alii, & exiit in mundum homo sicuti alii, qui in Burgundia Castro Fontanis ex nobilibus nec non religiosis parentibus ortum habuit. Sed quid impedit fuisse haminem simulque Seraphinum? Cum homines vicarii sint Angelorum, quorum loca vacantia implere debent. Fuit homo Sanctus Bernardus, fuit simul & Seraphim, idque statim à principio nativitatis suæ, quod sic probo: cum Sanctum Bernardum mater sua adhuc gestaret in utero, vidit in somnis ha-
Ex Histo. Lombar. bere se in utero catellum, totum candidum, in dorso subrufum, & latrantem. Quod cum cuidam viro Dei exposuisset, ille Prophetica voce respondit. *Optimi catelli mater eris, qui domus Dei custos futurus, magnos contra inimicos ejusdem, dabit latratus, erit enim pradicator egregius, multos medicinalis lingua sua gratia curaturus.* Guilelmus Abbas dum conscriberet vitam Sancti Bernardi, eandem historiam nativitatis suæ
Guilelm. lib. 1 c. 1. confirmat dicens: *Cum Bernardum haberet in utero, catellum vidit candidum, in dorso subrufum* Explicatio hujus visionis jam est dicta, nempe fururum S. Bernardum custodem domus Dei. Si ita futurum erat, quid igitur fuit nisi Angelus unus ex his, quibus demandata est custodia domus Dei sive sanctæ Ecclesiæ, juxta vaticinium Isaiæ Pro-
Isaiæ 62. v. 6. phetæ cap. 62. *Super muros tuos Ierusalem, constitui custodes.* Per pulchram illam civitatem Ierusalem, Ecclesia Dei intelligitur, per custodes verò ejusdem, Hugo Cardinalis *Hugo. Cardinal.* Angelos intelligit. Quia ergo illa visio catelli symbolum erat futuri præconis verbi Dei, nec non custodis ejusdem sacræ domus, quis jam non videat Sanctum Bernardum, qui hæc officia excellenter subierat, fuisse Angelum, & quidem non simplicem, sed Seraphinum: dorsum enim illud catelli quod subrufum erat, nihil aliud designabat, quam ignem quendam Seraphicum, quo S. Bernardus inflammatus omnium hominum corda inflammabat ad amorem Dei, & contemptum seculi.

II. Progrediamur ab infantia S. Bernardi ad pueritiam, in illa planè Seraphinus apparuit. Cum enim adhuc puerulus esset, & gravi dolore capitis ægrotaret, venit ad se quædam mulierecula, quæ eundem dolorem suis carminibus mitigaret, sed quid ille? Cum indignatione nimia exclamans mulierem pepulit, cui extemplo misericordia Dei adfuit, qui continuo surrexit, seque ab infirmitate liberatum esse cognovit. Nonne hic ostendit se fuisse unum ex Angelis? Legite quid dicat sacer textus Num. 22, cap. Ibat ariolus sive Pseudopro- *Num. 22. v. 32.* pheta Balaam, intentaturus quædam carmina maledictionis in populum Israëlis: & quid fit? obviat ipsi Angelus Domini cum gladio evaginato, dicens: *Veni ut adversarer tibi, perversa enim est via tua mihique contraria* Non placebat Angelo Domini, ariolandi genus, quod Balaam facere intendebat, ideoque eidem dixerat. *Cave ne aliud quam præcepero tibi loquaris.* Eodem modo non placebant puerulo Bernardo, incantatricis mulieris carmina, quia fuit unus ex Angelis & quidem Seraphinis, qui jam juxta statum ætatis suæ, ardoris Seraphni primas scintillas demonstrabat.

III. Si hic parum dixi, sinite me progredi ulterius. In sacratissima Dominicæ nativitatis nocte, cum S. Bernardus adhuc puer existens, matutinale officium in Ecclesia expectaret, & quâ horâ noctis, Christus natus fuisset, scire cuperet, apparuit ei puerulus Jesus, quasi iterum, ante oculos suos nascens ex utero castissimæ matris suæ Mariæ. Unde quamdiu vixit hanc fuisse horam nativitatis Dominicæ semper putavit. Quid & vos putatis Auditores? ego puto vere tunc fuisse Angelum. Quare? interrogate S. Lucam Evangelistam, quid dicat de nativitate Domi-

nica;

nica; nempe pastoribus nocte ejusdem nativitatis Christi Domini vigilantibus apparuisse Angelum Domini, boni novi nuncium & dicentem. *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator.* Talis Angelus fuit S. Bernardus, qui nobis putativam quidem horam nativitatis Christi denunciavit, non tamen talem quæ credi nequeat, quia illam singulari miraculo approbavit. Sed parum dixi me hoc in passu vocasse Angelum, etiam tunc fuit Seraphinus. Forte dicetis id non potuisse fieri; cum Seraphin non deputentur neque mittantur ad humana salutis ministeria: sed quis audedit negare, tunc quando unigenitus Dei filius, in nativitate temporali humanam accepit carnem, præsentes non fuisse. Est verum, sit, quod Seraphini è cœlo ad terras non mittantur. Dixerat aliquis & verè: Cœlum est, ubi Deus est. Christus Jesus in mundo natus, Deus erat, igitur & mundus cœlum fuit. Si cœlum, cur non ibi comparuissent Seraphini ubi cœlum fuit? Et quid plura? Audite S. Lucæ testimonium. *Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, & dicentium. Gloria in excelsis Deo.* Si adfuit tunc multitudo militiæ cœlestis, quis negare poterit, fuisse ibi etiam supremi Ordinis Spiritus nempe Seraphinos? ubi enim est totus exercitus, ibi etiam & supremi Generales ejusdem adesse debent. Facilis itaque est conclusio S. Bernardus in nativitate Salvatoris Jesu comparuit, quia Seraphinus erat.

Luca 2. v 10.

Luca. 2. v. 13.

IV. Transeamus ad adolescentiam S. Bernardi: videns hostis animarum nostrarum, quod S. Bernardus pulcher & formosus corpore adolescens, sed pulchrior in anima pactū fecerit cum anima sua; nempe nolle ipsam aliqua immunditia corporali conspurcare, eique castitatis virgineæ propositum polliceri, actus invidia sibi solita multos eidem laqueos tentationis apposuit, & inter alia, fœminam quādam elegantem obtutibus suis præsentavit, in quam cum suos oculos juveniles defixisset, mox de facto erubescens, in semetipsum severissimus ultor extitit, nam in stagnum gelidarum aquarum insiliens, tamdiu ibidem permansit, donec pene exanimis effectus, per gratiam Dei, motum carnis repressisset. Audistisne aliquando Joannis cap. 5. Angelum Domini certo tempore ad piscinam probaticam descendisse, post cujus motionem sanabantur omnes, quicunque aliqua infirmitate tenebantur? En sanctum juvenem descendentem ad aquas, sed ex his exivit ut Angelus, quin ut Seraphinus, quia ardorem carnalem, sibi à Diabolo factum, ardore Seraphico divini amoris fugavit.

Ioan. 5. v. 4.

V. Non semel neque iterum, sed multis vicibus, ab inimico castitatis virgineæ S. Bernardus tentatus fuit. Sed ille quid fecit? timens sibi de jactura castitatis virgineæ, acquisivit Angelicam. Postquam enim mutavit Statum suum, atque Ordinem Cistercienſium intravit, ut in eo tanquam quodam firmissimo propugnaculo, eandem tutari posset, in eodem non solum evasit in Angelum, sed in ipsum Seraphinum. Inprimis producam vobis Angelum. An ignoratis, quanti sint Angeli Dei zelatores castitatis, cui insidiantur Diaboli? De illa Sara uxore Tobiæ junioris legite historiam, quid eidem Tobiæ dixerit Angelus Domini de tot amasiis, qui antequam ad copulam Saræ pervenerunt, inventi fuerant mortui: tentabatur quædam mulier, ab incubo Dæmone, eademque à S. Bernardo implorat auxilium, ille obtulit fœminæ suum baculum quem in lecto suo præcepit poni, sed cum Diabolus non ausus intrare cubiculum, à longè mulieri minas fecisset, tandem ipsum excommunicatione sua omnino fugavit. Ecce habetis Angelum, vultis Seraphinum? An putatis id fuisse factum absque fide & ardore charitatis? minimè verò. Charitas est ignis, ardens qui naturam Seraphinorum prodit, hac Sanctus Bernardus usque ad finem vitæ suæ æstuabat, hanc morti feliciter appropinquans adjunctam humilitati & patientiæ fratribus suis commendabat. Quod quidem sancti Patris testamentum, si & nos observaverimus eundem inter Seraphinos glorioſe commorantem videbimus,

Tob. 6. v. 16.

Amen.

IN

IN FESTO S. BERNARDI
Abbatis.

CONCIO II.

Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens & decorus aſpectu.
Gen. 49. v. 22.

MIrabimini forte Auditores mei, nec non vos Illuſtriſſimi Ordinis Ciſtercienſium filii venerabiles, quod ego hodierna die Sancto Bernardo Abbati & Eccleſiæ ſanctæ Doctori Clariſſimo, encomium aliquod ferre cupiens, non ſolum illud aliundè ſurripiam, ſed etiam, nomine ſuo præterito, alienum quoddam Joſephi Patriarchæ in medium producam. Magna videbatur injuria patri ſuo Jacob, dum ſervienti pro Rachel ſeptem annis, eamque pro uxore ſua ſe habere putanti, ſuppo. neretur Lya, unda juſtè conqueri videbatur dicens: *Quid eſt quod facere voluiſti, nonne pro* Gen. 29. v. 25. *Rachel ſervivi tibi, quare impoſuiſti mihi?* Non minor fortè injuria & vobis videbitur, dum ego S. Bernardum Patrem veſtrum prædicare cupiens, non ſuum ſed alterius nomen, in theatrum hujus mei Panegyrici producam, ſed ubi unum verbum audiveritis, ceſſabit admiratio. Sanctus ille adoleſcens Tobias quam primum venerat ad domum Raguelis, intuens ipſum dixit Annæ uxori ſuæ. *Quam ſimilis eſt juvenis* Tob. 7. v. 2. *iſte conſobrino meo.* Non minor erat ſimilitudo inter Sanctum Bernardum, & Joſeph Patriarcham, non ſolum in pulchritudine ac venuſtate corporis, animique ſed etiam in aliis dotibus præclariſſimis, ob quam cauſam è tali themate laudes Sancto Bernardo contexere & dedicare cupio. Vos autem attentos eſſe precor.

I. Sanctus Jacob Patriarcha habens duodecim filios eiſque paternam benedictionem ſuam elargiens, poſtquam venit ad filium ſuum Joſeph, hæc verba protulit. *Filius accre-* Gen. 49. v. 22. *ſcens Ioſeph, filius accreſcens, & decorus aſpectu* Quæ verba à Sancto Patriarcha mutuata, nulli melius quam Sancto Bernardo conveniunt: fuit enim ſacri Ordinis Ciſtercienſium filius, ſed non ſimplex, imo filius accreſcens quì præclariſſimi hujus Ordinis filius, ſimulque pater dici mereatur. Dico fuiſſe filium non ideo tantum, quia filiali & non ſervili amore dilexit Dominum & Salvatorem ſuum Jeſum, ſed etiam ideo, quia ſacræ domus Ciſtercienſis erat filius, quandoquidem à conſtitutione hujus præclari Ordinis durante jam per annos quindecim, eundem ingreſſus fuit, nihilominus, in primo illo ingreſſu ſuo non ſolum filium ſed ſimul quoque patrem ſui Ordinis ſe exhibuit, adeo ut illa Prophetia S. David dicentis, *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii*; *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram*; de hoc ſacro Ordine, nec non præclariſſimo illius filio Sancto Bernardo facta, & in eodem ipſius filio, impleta eſſe videatur. Sicuti enim inclyta domus Jacob multis erat exornata filiis, qui deinde in ampliſſimas tribus excreverunt, nihilominus unicus inter ipſos Joſeph hæc verba audire meruit. *Filius accreſcens. Ieſeph filius accreſcens, & decorus aſpectu,* ita quoque licet illuſtris illa domus Ciſtercienſis adhuc ante S. Bernardum, multis floreret filiis, de quibus illud dici poteſt. *Filii tui ſicut novella olivarum,* illi inquam filii quos Venerabilis vir Robertus planaverat in Ciſtercio, attamen inter omnes illos apparuit, *Filius accreſcens Ioſeph; filius accreſcens, & decorus aſpectu* nempe S. Bernardus Ordinis ſui propagator. Pervolvite totum caput Gen. ſupra recenſitum nempè quadrageſimum nonum, & quærite utrum S. Patriarcha Jacob, impertiens benedictionem ſuis filiis, illos eo nomine filiorum vocaverit, certè nihil ſimile invenietis, niſi illud unicum, quod dum ad Joſeph pervenerat, illum non ſemel, ſed bis filium vocaverit. *Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens.* Cur hic Pſal. 44. de v. 17. Pſal. 127. v. 3.

ſolus

solus filius, imo vero bis vocatur filius? Egregiè respondet doctissimus Cardinalis Cajetanus dicens: *Prius commendat Ioseph, de augmento conduplicando, filius accrescens eò quod excreverit sibi, & creverit domui universæ Iacob.* Solus Ioseph inter fratres filii nomen acquisivit, parenti æqualem, & condignam ostendit prolem, quia solus patrem, & totam familiam gloriâ superavit, illustravit, & auxit. Idem de Sancto Bernardo ego sentio, nempe ipsum unicum, non solum patrem suum, sed etiam universam domum Cistercien sem illustrasse & auxisse.

II. Somnia duo erant, quæ Joseph habuerat. Primo enim referebat dicens: *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum & stare.* Venerabilis Hugo Cardinalis, hoc somnium attribuit Christo Domino dicens: *Christus colligavit manipulos, quando discipulos congregavit.* Sed quid obest, si ego accrescenti Joseph nempe Sancto Bernardo tale somnium attribuero? Joseph Patriarcha putativè sive in somnis colligabat manipulos in agro, sed Divus Bernardus verè & realiter: quam primum enim inspiratione divina evocatus venit in agrum Domini, multos in eodem manipulos colligavit, ingrediens quippe sacrum Ordinem, amplius quam triginta socios, tanquam manipulos quosdam sacro religionis vinculo Domino colligavit, eidemque plures quin absque numero vi sermonis sui lucratus fuit. Unde referente Guilielmo, dum Sanctus Bernardus prædicaret, *Matres filios abscendebant, uxores detinebant maritos, amici amicos avertebant, quia voci ejus Spiritus Sanctus, tanta dabat vocem virtutis, ut vix aliquem aliquis teneret affectus.* Quam benè ei quadrat hoc somnium, qui dicente Hugone Cardinali, *quasivit manipulos vita aterna.*

Gen. 37. v. 7.

Hugo hic.

Guiliel. 3.

Hugo ibi.

III. Aliud somnium Patriarchæ Ioseph, fuit tale, nempe se vidisse, quasi sol, luna, & stellæ supplex adorassent eum. Movet hic quæstionem Venerabilis Hugo Cardinalis; utrum secundum literam tale somnium Joseph impletum fuerit. Iacob enim pater suus, qui denotatur per solem, quando venerat in Ægyptum non legitur ipsum adorasse, mater verò quæ per lunam, jam antea defuncta erat: respondet igitur prædictus Autor dicens: Quod *si ad allegoriam recurramus & pater adoravit in filiis qui Ioseph adoraverunt, & mater quæ defuncta erat.* At ego si ad moralem sensum descendero, cui melius, quam filio accrescenti nempe D. Bernardo hoc somnium applicabo? Si per solem intelligamus domus Cistercien sis excellentiam, quis in illa Divo Bernardo fuit splendidior? si per lunam, ejusdem Ordinis claritatem, quis Divo Bernardo clarior? Si per stellas numerositatem fratrum suorum in spiritu genitorum, qui fulgent tanquam stellæ in perpetuas æternitates, & quis inter illos Sancto Bernardo fulgentior? Vel sanè si per solem divites hujus mundi: per lunam famosos homines, & per stellas numero familiarum suarum glorioso velimus intelligere, in tali sensu fateri debebimus. Sanctum Bernardum à sole, luna, stellisque fuisse adoratum, cum enim mundani homines maximum illi honorem detulissent, ille è contrario, nullas eorundem divitias, gloriam, & potentiam respicere seu curare volebat.

Hugo in Gen. 37.

Daniel. 12 v. 3. 4.

IV. Unum è multis exemplum accipite, Quidam Dux Aquitaniæ, cum Eccles. Christi multas injurias irrogaret, Sanctusque Bernardus, ut ipsum reconciliaret legatione fungeretur, nec posset. Vir Dei ad altare celebraturus accessit, ipso Duce tanquam excommunicato præ foribus expectante. Cum igitur in sacra Missa, hæc verba nempe *Pax Domini* protulisset, corpore Dominico super patenam posito, secumque sublato, flammeis oculis & ignea facie foras egressus his verbis Comitem compellavit. *Rogavimus te, & sprevisti nos: ecce ad te processit virginis filius, qui est Dominus Ecclesia, quam tu persequeris.* Adest judex tuus, in cujus manibus illa anima tua deveniet. Numquid & ipsum sicut servos suos contemnis? resiste ei si vales Statim Dux obriguit, & membris dissolutis ad pedes ejus cecidit: quem vir sanctus calce pulsans, surgere jubet & Dei audire sententiam. Ille autem tremebundus surrexit, & quidquid vir sanctus præcipiebat protinus adimplevit. Nonne videtis in uno tam claro Principe solem, lunam, & stellas Sanctum Bernardum adorasse.

In Histor. Lombard.

V. Non est possibile me in tam brevi temporis spatio omnia Sancti Bernardi encomia proferre, neque enim themati concionis meæ satisfacere valeo. Duo erant quæ Sanctus

Jacob Patriarcha filio suo Joseph in testamento suo proposuerat, nempe augmentum dum diceret. *Filius accrescens Ioseph* & decoris præstantiam, dum diceret, *& decorus aspectu*, De decore Sancti Bernardi hic nihil audistis. Joseph Patriarcha dum esset juvenis, magnam tentationem, propter pulchritudinem suam ab uxore Putipharis pertulit : non unam sed plures Sanctus Bernardus habuit, sed præterita pulchritudine, dum ego ad aliam animæ suæ transeo, incredibili micantem splendore intuGen. 49. v. 22.

eor. Et ut brevibus dicam quod video. Natura & gratia, communem secum consensum, in ipso habere videbantur. Cum enim corpore pulcher existeret, pulchrior erat anima, *Cum exterius totus fuisset in laboribus, totus interius Deo vacabat.* Cum frequentibus jejuniis corpus suum extenuasset, semper tamen hilarem faciem, quia divina gratia saginatam præferebat. Quantū tunc hilarior, qui per talem Christi gratiam, adgloriam pervenit sempiternam, quâ fruitur cum omnibus beatis in cœlis Amē. Guiliel. 4.

IN FESTO S. BERNARDI
Abbatis,
CONCIO III.

Bibens vinum inebriatus est. Genes. 9. v. 21.

EXpectatis (ut puto) Auditores mei, ut dicam vobis quisnam ille sit de quo dicitur Gen. 9. *Bibens vinum inebriatus est.* Respondeo, in prima illa ætate mundi post diluvium, fuisse justum virum, & Patriarcham Noe, qui cum plantasset vineam, nec adhuc sciviſſet naturam vini, ideoque bibens illud, inebriatus est. Alium in secunda ætate nempe novæ legis seu gratiæ Divum Bernardum, qui immodicè sumpto vino, etiam inebriatus est. Primus ille Noe licet illo vino inebriatus fuisset, tamen à Doctoribus & Patribus Ecclesiæ excusatur à culpa. Nam Hugo Cardinalis ait, ideo inebriatum fuisse. *Quia nesciebat forte, vino posse inebriari*: at S. Bernardus cum bene nosset naturam vini, quis ergo ab ebrietate ipsum excusabit? Num quid parvum est vitium ebrietas? Nabal propter ebrietatem incurrit mentis inopiam, eo quod preces David repulisset, timensque ea quæ sibi narrabantur, mortem sibi causavit. Holophernes Dux exercitus Assyriorum *Nimia ebrietate sopitus* caput suum amisit, & deinde ebrietas in sacris scripturis nullam habet laudem, dicitur enim Proverb. 31. *Nullum secretum est ubi regnat ebrietas.* Unde cum hic propositum meum sit de ebrietate Divi Bernardi prædicandi, quam ipsi laudem comparabo? magnam sanè vobisque placituram.

Gen. 9. v. 21.

Hugo Card. in Gen. 9.

1. Reg. 1. v. 15. Iudith. 13. v. 3.

Prov. 31. v. 4.

I. Non putetis Auditores mei, Sanctum Bernardum fuisse è numero talium potatorum de quibus quidam Poeta ait. *Evacuant Cyathos, oreq; vina vomunt*: sed erat de tribu illorum, de quibus ait sacer textus Canticorum 5. *Bibite & inebriamini charissimi.* Quod concernit vinum materiale, in vineis plantari solitum, non sine ratione ad modetatū illius usum Sanctus Paulus Apostolus invitabat Eph. dicens, *Nolite inebriari vino in quo est luxuria*: quia teste S. Hier. *venter mero æstuans, de facili spumat in libidinē.* Cum igitur S. Bernardus Angelicam castitatē, totâ vitâ sua coluerit, eamque ad mortem suam conservaverit, quantæ putatis fuisse ipsum abstinentiæ. Sed vultisne scire genus illud vini, ab quod bibendum cum cæteris amicis à Spiritu Sancto invitabatur sic dicente. *Bibite & inebriamini charissimi.* Tale vinum duplex erat, primū fuit, maximæ charitatis qua inebriabatur propter salutem hominum, & aliud passionis Christi Jesu, ad cujus bibendum calicem Sanctus Pater Bernardus sæpè sæpius admitti solebat. Quod concernit vinū charitatis, quis potest linguâ effari quantum illo æstuaverit. Sed quid mirum! Sponsa illa mystica, quàm primum viderat se introductam esse à Rege in cellam vinariam, statim etiam sensit & agnovit ordinatam in se charitatem : sic enim ait. *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit*

Ephes. 5. v. 18. S. Hieron.

Cant. 5. v. 1.

navit in me charitatem. Quænam hæc est catena verborum : vel quid habet cella vinaria cum charitate? multum sanè. Cum enim dicat Philosophorum Princeps Aristoteles. *Aristot.* *Propter quod unumquodque tale, & illud magis.* Si illud vinum est ipsa charitas, hæc autem ordinata esse debet, juxta illud Christi Domini. *Matt. 22. v. 37.* *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut te ipsum:* merito Rex, postquã introduxit sponsam in cellam vinariam, ordinavit quoq; in ea charitatem. Sed quænam est hæc cella vinaria? Hugo Cardinalis multa per eam intelligit, & inter cætera, quod concernit meum propositum sic ait. *Hugo Card. in Gant.* *Cella vinaria potest intelligi claustralis conversatio.* Ad hanc igitur cellam vinariam S. Bernard. à Rege introductus quamprimũ gustavit vinum istud amoris Dei noluit illud solus bibere, quin etiãaliis propinaret. Unde quod aliquando Sancto Joseph Patriarchæ contigerat, id ipsum plane & Sancto Bernardo, ad hanc cellam vinariam introducto. *Gen. 44.* De Sancto Joseph legitur, Genesis cap. 44. quod cum fratres suos adhibuisset ad mensam suã, inebriati fuerint cum eo. Eodem modo & Sanctus Bernardus omnes fratres suos, patrem, sororem, quin plurimos quoque alios ad cellam hanc vinariam invitavit, *Cant. 5 v. 1.* dicens ad illos. *Bibite & inebriamini charissimi.*

II. Sed vultis nam scire quam multiplex vinum in illa cella vinaria fuerit ? Non est hæc cella simplicis hominis, sed Regis, in cellis autem Regum vinariis, diversa vina haberi solent. Talia vina enumerat Hugo dicens. Quoddam esse absynthium, in lugentibus peccata, quoddam aromaticũ, in suaviter contemplantibus, quoddam floratum in novitiis, & tandem rosaceum in perfectis, qui jam dissolvi cupiunt & esse cum Christo. De hisce vinis nullum fuit, quod Sanctus Bernardus non gustaverit. Si enim ad primum venerimus, hoc vinum omnibus hominibus commune est, non solũ peccatoribus, sed etiam quantumvis justis & timoratis. *Apocal. 2, v. 1.* Num aliquando in Apocalypsi legistis, Spiritum Sanctum Joanni Apostolo præcepisse, ut Angelo cuidam scriberet, eumque ad pœnitentiam hortaretur ? Legite libri illius cap. 2. ibi namq; sequentia verba reperietis. *Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe. Hæc dicit qui tenet septem stellas. Age pœnitentiam.* Et quid obsecro Angeli cum pœnitentia commune habent, quæ solis hominibus est necessaria ? Cur igitur Spiritus Sanctus Angelo pœnitentiam agere imperat ? Sciendum est, hic per Angelum istum, nequaquã intelligi aliquem è numero illo beatorum spirituum, qui cum æternâ perfruantur gloria, nulla amplius indigent pœnitentia, sed hic per Angelum intelligi omnem virũ sanctum, perfectum, in Christianis virtutibus consummatum, & velut in Angelum transformatum. Merito enim vir Sanctus vocatur Angelus, qui Angelicum gestat vultum dicente Paulo de Palatio. *Pii facies, facies est Angeli.* Huic igitur pœnitentia præcipitur, huic dicitur. *Age pœnitentiam.* Et merito quidem, quia adeo est Homini necessaria, ut quantumvis sit sanctus, & instar Angeli purus, attamen ut magis ac magis expurgetur, oculisque Domini gratus fiat, nullum est tempus, in quo, non egeat pœnitentia. Hæc scholæ Christianæ Philosophia tã est evidens, ut unus Sanctorum, nempe D. Augustinus dicere non dubitaverit. Neminem & si nullius sceleris sibi conscius sit, permittere debere, ut sine pœnitentia migret è vita. Cum igitur D. Bernardus, propter castitatem mentis & corporis, Angelo fuerit non absimilis, nullamque in anima sua maculam habuerit, quem expurgare deberet, nihilominus, ut purior indies evaderet, potavit hoc vinum absynthium, continua se pœnitentia affligendo, uti Guilielmus Abbas testatur dicens. *Vt semper splendidior esset & purior, quotidie in fornace prebabatur non ad pœnam pro crimine, sed ad gloriam, pro virtute.*

Paulus de Palatio c. 6. in Mate

S Aug. in vita sua.

Guilielm. Abb. L. 2.

III. Aromaticum vinum prætereo, quia omnes libri sui, pleni sunt tali musto, nempe contemplationibus & meditationibus arcanorum cœlestium. Floratum vinum oculos nostros oblectabit, dum viderimus qualiter D. Bernardus existens adhuc novitius in claustro suo, illud gustaverit. Finxerunt Poëtæ fabulam de Thyresia, nempe ideo cœcam factam fuisse, quod Minervam nudam aspexerit. Natalis Comes per Minervam intelligit sapientiam, eumq; nudam videre Minervam, & ob id cœcum fieri, qui perceptis fructibus sapientiæ, cætera omnia aspicere contemnit. Verba sunt autoris. *Thyresiam ideo cœcam fuisse dicunt, quod Minervam nudam vidisset, quia, qui dulcissimum sapientiæ fructũ gustaverit, aut lumen ejus perceperit, ad res cateras lubens cœcus efficitur* Si S. Bernardum benè attendatis, lumẽ oculorum habentem uti cæteri hominum,

Natalis Comes l. 4. Myth. c. 5.

in contuendis tamen hujus mundi rebus, ad similitudinem Thyresiæ, omnino fuisse cœcum videbitis. Integro anno in novitiatus sui cella permanebat, & tamen quale illius rectum fuerit ignorabat: noctes dieſque in Eccleſia tranſigebat, & tamen, tres feneſtras ipſam in fronte habentem ignorabat: integro die trans lacum quendam obequitans, eundem tamen veluti non viſum, minimè advertit. Alia vice jumento cuidam ſuperbis phaleris exornato inſidens, eaſdem phaleras minime conſideraverat. *Videns non videbat, audiens non audiebat, nil ſapiebat guſtanti*; ait Abbas Guilelmus. Nam & oleum per errorem ſibi aliquando oblatum bibit, & penitus ignoravit, niſi inuncta labia illum prodidiſſent. Et unde cœcitas iſta Bernardo accidit? Quod his dicitur proverbio, qui ſe inadvertenter habent, *Cœcus es vel ebrius*, id idem Hugo Cardinalis confirmat dicens. *Plures potationes faciunt ebrium, & oblitum ſui.* Cum ergo S. Bernardus de Scypho tali nempe Divinæ ſapientiæ ſæpius biberit, quid mirum ad cætera ipſum cœcum fuiſſe?

Guilelm. c. 4.

IV. Audiſtis de vino charitatis, diſtillato, in abſynthicum, aromaticum, & floratum, audite de altero, paſſionis Dominicæ, quod vinum eſt odoriferum & ſuave, quia roſaceum. Sed cum S Bernardus nullum pro Chriſto martyrium paſſus fuerit, quomodo vel quando tale vinum potavit: attendite. Cum quadam die, coram crucifixi imagine, in altiſſima contemplatione abſorptus ſtaret, Chriſtus brachia ſua à cruce miraculosè ſolvens, mira cum teneritudine illum amplexatus, uti Montalvus in Chronica ſua refert, etiam ad potum pretioſiſſimi ſui ſanguinis invitabat dicens: *Bibe Bernarde.* O quanta Jeſu gratia, qui S. Bernhardum ſocium tui calicis habere voluiſti. Seraphicus ille, ſanctusque Bonaventura, ſimilem gratiam expetebat, ſed impetrare eam non poterat dicens. *Tota die ac nocte affligo animam meam, petendo vulnera tua dulciſſima, eſuriendo potari de ſanguine tuo pretioſo, & vix unã guttam valeo impetrare.* At te ô S. Bernarde cum Chriſtus Dominus ad poculũ ſui pretioſi ſanguinis invitaverit, quis jam ignoret, quantum te amaverit, ſed numquid detrectavit potum Sanctus iſte; minimè verò. *Bibens vinum, inebriatus eſt.* Et in tantum quidem, ut in foſſam tanqum ebrius ceciderit. Sed in qualem foſſam; in eã quam Longinus ſua lancea in pectore Jeſu fecerat. Non per errorem ſeu caſum, ut contingit ebriis, ſed ſcienter, S. Bernardus in hanc foſſam prolapſus erat, uam ſic ait

Montalvus lib. 3. c. 50.

S. Bonav.

In hac foſſa me reconde.
Infer meum cor profunde.
Vbi latens incaleſcat.

V. Sed redde vicem Bernarde, & repropina tuo Domino, ille te amplexatus fuit, numquid tu eundem non amplexaberis, eo magis id teneris facere, cum ebrii ad amplexus & amores proni fiant & proclives, te ſanctus amor decet, quia tuum poculum quod biberas fuit roſaceum, ſpinis expreſſum, in torculari crucis eliquatum, ſymbolum caſtæ charitatis qua te dilexit Jeſum, amor tuus: S. Pater Bernardus non erat hac in re poſterior aut ſegnior, ſicut enim de David & Jonatha dicitur. *Anima Ionathæ conglutinata eſt animæ David, & dilexit eum Ionathas quaſi animam ſuam.* Eodem quin ampliori modo S. Bernardus ſe habuit, ut ſe amantem Jeſum, amplexibus cordis ſui redamaret, nihil aliud in votis ipſum habuiſſe, teſtantur illa verba ſua quibus orabat Dominum dicens. *Da cordi ſociari.* Ut hac ratione illi unitus, firmiterque adſtrictus, unum idemq; cum ipſo fieret. Inquit S. Apoſtolus ad Corin. *Qui adhæret Deo unus ſpiritus eſt.* Idem ait Leo Hebræus dicens. *Duo ſe mutuo diligentes amici, minimè duo ſunt exiſtimandi.* Cum ergo cor Sancti Bernardi, Chriſto Domino, connexum fuerit. Quid putatis, qnantum fuerit dilectus ab ipſo in terris. Sancte Bernarde Chriſto Salvatori noſtro chariſſime te rogamus, ut qui apud Chriſtum Jeſum magnam gratiam habuiſti in terris, noſter fideliſſimus Patronus ſis in cœlis,

1. Reg. 18. v. 1.

1. Cor. 6. v. 17.

Leo Heb. Dial. 3.

Amen,

IN

IN FESTO S. BERNARDI Abbatis.

CONCIO III.

Germinabit ſicut lilium, & erumpet radix ejus ut Libani, ibunt rami ejus. Oſeæ 14. v. 6.

QUæ olim Sanctus Vates Oſeas hoc capite quarto decimo vaticinabatur de populo Iſraelis, quod poſt illam captivitatem Babylonicam, & poſt reditum ad terram ſuam Iſraelis pulcherrimum germen ad ſimilitudinem lilii producere, & radix ejus ut Libani erumpere deberet; Nicolaus Lyranus intelligit de Chriſto Domino, qui ex utero Sanctiſſimæ virginis matris ſuæ prodiit, quaſi formoſum lilium, & juxta Divum Auguſtinum, tunc erupit radix ejus ut Libani, quando Apoſtolos, aliosque fideles divina vocatione ſua protulit, quorum rami per univerſum orbem extenduntur. At ego cum diligentius perſcrutarer terminos quosdam Venerabilis Hugonis Cardinalis, quibus utitur in expoſitione hujus loci, ubi per germen intelligit ſancta deſideria, per lilium, caſtas cogitationes, per radicem, humilitatem, quia uti ait Sanctus Hieronymus, *Arbor Libani, quantum in auras conſurgit vertice, tantum radicem in ima demergit*, & tandem per ramos, opera ſurſum per contemplationem elevata: hæc inquam expoſitio cum ſacrorum Ordinum Regularium ſtatum exprimere videatur, eo audacius ego, cum iiſdem verbis Prophetæ prodeo in arenam dicens: *Germinabit ſicut lilium, & erumpet radix ejus, ut Libani, ibunt rami ejus*, quæ verba quod nulli alteri melius quadrent, quam Sancto Bernardo huic pulcherrimo flori, nec non Ordini ſuo clariſſimo, id hac in concione demonſtrabo.

Lyranus in Oſeam.

S. Augu. in Pſalm.

Hugo Card. in in Oſeam

S. Hiero. in Oſeam.

I. Non aliter puto Auditores & vos ſacri Ordinis Ciſtercienſis filii præclariſſimi, quàm quod huic Patrono veſtro & etiam noſtro magnarum laudum argumentum ſim allaturus, dum ipſum inprimis formoſiſſimo huic flori lilio comparare incipio, quandoquidem illi, non ſimplices ſed maximi homines, quin ipſemet Servator noſter Chriſtus Jeſus unâ cum ſacratiſſima matre ſua aſſimilari ſoleant. Quod concernit Chriſtum Dominum, habemus teſtimonium Canticorum capite 2. ubi ſponſa cœleſtis ait. *Dilectus meus paſcitur inter lilia.* Eodem modo ſacratiſſima mater ſua eidem flori comparatur, nam in eodem capite ait ſacer textus. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Revertamur ad Chriſtum Jeſum. Non debet carere myſterio, quod ille cum floribus liliorum ſpecialem occupationem ſuam habuerit. Quia Canticorum 6. hæc de ipſo ſponſa narrat, vel potius ad interrogationem cujusdam reſpondet dicens: *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum, ad areolam aromatum, ut ibi paſcatur in hortis & lilia colligat.* Quid eſt, quod dilectus animæ noſtræ ita delectetur liliis, cur hic illa colligit, & prius ubi lilia florent ibidem paſci voluit? Quid magni habent lilia, quod ibi Deus ſuas dapes apponi fecerit, ubi illa viſuntur? facile reſolutionem habere poterimus, quam nobis ſuppeditat Pierius libro 55. dicens. *Eſt pulchritudinis ſignum lilium, ſive formam, ſive colores ejus contempleris.* En ratio obquam tam Chriſtus Jeſus, quàm etiam Beatiſſima Virgo Maria mater ſua, occupationem ſuam habebant cum liliis, quia illorum pulchritudine, quam ipſi amant, nihil formoſius. Hinc delicata illa urbs Perſarum, ob mitiſſimam cœli plagam, ob pulchritudinem, aliaſque amœnitates, Suſa cognominata fuit, quod nomen in lingua Perſica, lilium ſonat, volentes enim loci pulchritudinem deſignare, nomen à lilio deſumpſerunt. Non ſolum Perſarum Reges, ſed etiam poſt Imperatores magni, lilium in honore habuerunt, & illud in ſuis inſigniis

Cant. 2. v. 16.

Cant. 6. v. 2.

Pierius. Lib. 55.

Eſther. 1. v. 2.

cum inscriptione, bonæ spei, portaverunt, quin etiam in nummis insculpi fecerunt, sic enim idem Autor Pierius ait: *In nummo Imperatoris Alexandri, Pii, Augusti ab altera facie, Dea lilium dextra prætendit, cujus inscriptio est, spes publica.* Hinc sequitur, quod cum tot Reges, Monarchæ, & Imperatores, quin ipsemet Rex Regum Christus Jesus, nec non Beatissima Virgo Maria Regina mundi, tanto honore florem lilii prosecuti fuerunt, quantum jam accrescet encomii S. Bernardo, quem lilio, flori huic nobilissimo assimilo dicens: *Germinabit sicut lilium.*

Pierius ibidem.

Pineda.

II. Quod Pineda narrat, etiam coram vobis non tacebo, Magnificus Rex Salomon cum celebraret nuptias cum filia Pharaonis, ait iste Autor ipsum induisse vestes pretiosissimas liliorum effigie insignitas. Et quid tales vestes denotant, quam solemne illud Epithalamium Christi Domini & Ecclesiæ Sponsæ suæ? Hic sponsus glorioſus, ducturus in ascensione sua glorioſa, eam sponsam ad cœlestem civitatem, non alias vestes induere voluit quam liliatas, nempe gloriæ immortalis juxta illud. *Refloruit caro mea*: neque etiam in ea solemnitate sua, aulicos suos aliter incedere voluit, quam in iisdem vestibus liliatis, quod evidenter patet in historia Actuum Apostolorum: cum enim sic exornatus elevaretur in cœlum, discipuli verò ita glorioſe euntem intuerentur. *Ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis.* Qui apparuerant, hi fuerunt Angeli. Sed cur in vestibus albis; egregiè & ad propositum meum respondet Hugo Cardinalis, dicens: Astiterunt in albis vestibus, quia prospera nunciabant, & lætitiam Angelorum. de societare humanæ naturæ significabant. Albæ etiam vestes congruunt exaltationi. Glorioſus sponsus noster Christus Dominus sicuti in liliata toga cœlos conscenderat eademque Angelos suos vestiverat, ita etiam & nunc vult utomnes aulici servique sui eadem utantur veste liliata, juxta illud Apoc. 3. *Ambulabunt mecum in albis.* Sed nunquid omnes Domine? alii quoque colores ad quid deservirent? Audite respondentem sponsum. *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis.* Si ita est, nulli magis hæc liliata vestis conveniet, quam S. Bernardo, nam tale lilium, quod castitatem significat, in pugna quam tum carne sua gesserat: obtinuit pro præmio. Audite duella sua.

Psal. 27. v. 7.

Act. 1. v. 10.

Hugo in Act. Ap.

Apoc. 3. v. 4.

III. Antiquus impugnator castitatis Diabolus, instigavit puellam quandam formoſam quidem facie, sed mente impuram, quæ juvenem Bernardum infestaret, hæc ergo capta temporis commoditate, dum ingressa fuisset suum cubiculum, eumque ut secum peccaret, procacibus verbis, signis & amplexibus provocaret, Sanctus adolescens, tanta dexteritate evasit periculum, ut nullam ab hac animæ suæ, ne dicam corporis coinquinationem contraheret, quomodo autem illud evaserit, audite quid hac de re dicat Guilielmus Abbas conscriptor vitæ suæ. Cum in secretiori domus cubiculo, eum aggressa pertraheret ad peccatum, ille eam lenibus verbis demulcens, donec à manibus ejus & amplexibus delaberetur, fugit. Plane exempium Joseph Patriarchæ imitatus erat, qui prolatis hisce verbis aduxorem Putipharis, *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum*, aufugit ab ea. Obtenta hic victoria Sanctus Bernardus, aliud certamen habuit cum quadam matrona, in cujus domo cum ille hospitaretur, illa adolescentem aspectu decorum considerans, vehementer in concupiscentiam ejus exarsit. Cum autem ille seorsum lectum sibi sterni fecisset, ipsa impudenter & silenter de nocte surgens ad eum accessit. Quam ille sentiens protinus exclamavit. Latrones, Latrones. Ad hanc vocem mulier fugit, familia surgit, lucerna accenditur, latro quæritur sed minimè invenitur. Ad lectulos singuli redeunt, & quiescunt, sed non illa misera requiescit. Nam secundo & tertio ea mulier idem attentavit, & tandem bis quoque repetente juvene Latrones, Latrones, improba mulier repulsam passa, vix tandem metu, vel desperatione victa cessavit. Interrogantibus juvenem sequenti die sociis, cur toties latrones somniasset, respondit. Veraciter hac nocte insidias latronis perpressus fui, quia hospita thesarũ castitatis irrecuperabilem, auferre mihi conabatur.

Guillel. Abbas.

Gen. 39. v. 9.

IV. Cum igitur S. Bernardus ita diligenter custodierit thesaurum castitatis Angelicæ, verum se monstravit lilium forma lilii hæc est uti ait S. Ambrosius. Lilia exprimunt formam scyphi, intus in ipsis. Videntur esse quasi quædam gemmæ aureæ, quæ ut conserventur, neque ulli injuriæ pateant, à foliis istius floris, quasi vallo quodam sepiuntur. Sic & S. Ber-

S. Ambr.

S. Bernardus, qui sensus suos diligentissimè custodivit aurum lilii sui sic sepivit, ut non amplius hosti suo, ad surripiendum, vel labefactandum illud, pateret accessus. Sed dicam vobis quid mirabile. Flos lilii dicitur esse valde fœcundus. Si hic virginitatem denotat, quis eam fœcundam vidit? nisi forte in sola B. V. Maria, quæ fuit lilium sine macula, & tamen germinavit nobis Salvatorem, an forte S. Bernardus ejusdem stipitis erat lilium? Virgo fuit, & sacro Ordini suo, tot flores germinavit, ut & hi quoque similia liliorum germina edituri sint in futurum Verè itaque de illo dicitur. *Germinabit sicut lilium, & erumpit radix ejus ut Libani, ibunt rami ejus.*

V. Jam nullam hic patitur injuriam, inclytus Ordo Cisterciensium, germinavit ille formosissimum lilium S. Bernardum, sed ille mutuum suum, cum fœnore reddidit: quotquot enim hoc seculo sacri hujus Ordinis monasteria; tot libanos tot suave olentes hortos: quot in iisdem spirituales personas, tot lilia cernimus, quæ universo orbi spirant suavissimum odorem virtutum, & doctrinæ. Et quia S. Bernardus postquam cum quibusdam fratribus exivit è Cistercio, atque ab Abbate ejusdem loci factus. Abbas Clarevallensis ad domum eandem ædificandam destinantus fuit, nunquam cessabat ab opere, sed tanquam nodus plantationum Christi instaurator, totus die noctuque germinandis & multiplicandis liliis incumbebat. Volens ergo paterfamilias vineæ suæ, laborem ejus præmiare, quid putatis quam mercedem illi dedit? Dicetis; Regni cœlorum; sed quonam in loco cœlestis illius paradisi hoc lilium collocavit? utique ut merebatur, locum accepit sublimissimũ, nempe ad latus Beatissimæ Virginis, patronæ & Dominæ suæ singulariſſimæ, quod probatur ex visione illa Isaiæ, qui vidit excelsum solium & duos Seraphin stantes super illud, per unum, intelligo S. Joannem Apostolum, per alium S. Bernardum, quia cum ambo propter castitatem conservatam fuissent lilia rutilantia, non melius quam penes Deiparam virginem tanquam penes lilium collocati potuerunt, Faxit Deus ut & nos per intercessionem Sancti Bernardi, ad hunc cœlestem hortum admitti valeamus,

AMEN.

Isai. 6. v. 1. 2.

IN FESTO S. NORBERTI
Abbatis, Ordinis Præmonstratensium Fundatoris,
CONCIO I.

Magnificavit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstra placavit. Eccl. 45. v. 2.

QUicunq; considerare velit Dei providentiam, quâ mundum hunc (tanquam magnus paterfamilias domum saum) gubernare non desinit, eam singulariter inveniet, in gente Judæorum, quam enim ibi in electum populum segregavit, eidem quoq; in omni necessitate succurrere non cessavit. Erant filii Israël in captivitate Ægyptiaca, mox expedivit Moysen, qui eos de manu Pharaonis liberaret. Introducendi erant in terram promissionis, providit & destinavit illi Josue virum bellicosum, qui præirer, eosque ad ipsam introduceret. Instabant illis diversa bella adversariis, dedit illis judices, Ducesque generosos, nempe Judam, Simeonem, Gedeonem Jephte, Samsonem, & tandem Reges fortissimos. Quam ergo politiem exercuit DEUS in antiqua lege, hanc nunc in nova, ipsum exercere videmus. Siquidem Ecclesiam suam, pretioso sanguine suo fundatam & erectam, prædicatione Apostolica dilatatam, tanta sollicitudine gubernare non desinit, ut etiam à defensione ejusdem nusquam cesset. Insurrexerat à principio bellũ contra illam à Cerynthо, & Ebionitis, qui negabãt in Christo divinitatẽ, mox iis obviam misit dilectũ suum Joannem

Exod. 3. v. 17.

Iosua 1. v. 2.

Iud. 1. 6. 11. 13. v. 12.

Apostо-

Apostolum, qui primo capite sacri sui Evangelii (in principio erat verbum) hæresim ipsorum profligavit. Item vas electionis assumpsit Paulum Apostolum, qui de resurrectione mortuorum dubitantes verbis suis confutavit. Et tandem (ut paucis rem absolvam) Ecclesiæ suæ non solum præfecit summos Pastores, qui eam gubernarent, Doctores, qui eam à telis hæreticorum defenderent: sed etiam antiquos illos Patres & Patriarchas, qui in diversis orbis partibus collabentem instaurarent, mittere non cessavit. Sic misit Augustinum lumen Ecclesiæ, qui eam ab erroribus, Manichæorum, Donatistarum, Pelagianorum, aliorumque hæreticorum magna ex parte liberavit. Sic Benedictum, qui eandem in occidente sopore oppressam, suscitaret, & inter cæteros habemus hodie præ oculis nostris S. Norbertum Præsulem, & Ordinis Præmonstratensium Fundatorem, qui cum ætate sua, magnam opem eidem Ecclesiæ sanctæ attulerit, merito ipsum hoc elogio insignivi dicens. Magnificavit eum in timore inimicorum & in verbis suis monastra placavit. Id autem qualiter per ipsum actum fuerit, in hoc panegyrico suo audiemus.

Ioan. 1. v. 1.

I. Ea quidem verba quæ ego accepi pro themate concionis meæ, nec non laudum Sanctissimo Præsuli Norberto jure debitarum, deputata sunt à Spiritu Sancto, magno illi Patriarchæ Moysi Duciq; populi Israëlis, eo quod per ipsum, tot prodigia in Ægygto, & in deserto patrantem, Deus incusserit timorem Pharaoni. Ægyptiis, Amalechitis cæterisque Chananæis Hebræorum inimici, unde de ipso dicitur. *Magnificavit eum in timore inimicorum.* Aliud vero quod sequitur, nempe *& in verbis suis monstra placavit*, ideo ipsi adscribitur, quoniam illa signa & portenta scilicet plagas decem, quæ jussu Moysis totam Ægyptum occupaverant, uti erant, ranæ, ciniphes, locustæ grandines, tenebræ, cæteræque, eas cohibuit, & quiescere fecit, ut quemadmodum Moysi, glorioſum erat illas producere, & excitare, sic etiam sistere & inhibere. Nihilominus nullam fero Moysi injuriam, si talia verba ab ipso mutuavero. Eaque Sancto Præsuli Norberto, & Ordinis Præmonstratensium Patriarchæ præsentavero. Neque id sine fundamento facio Quia quemadmodum Moysen eodem modo Deus. *Magnificavit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstra placavit.* Ne autem solis verbis cum Moyse & Sancto Patriarcha Norberto vobis agere videar, rem ipsam aggredior. & S. Moysi Patriarchæ alterum Patriarcham nempe Præmonstratensium Ordin. Fundatorem S. inquam Norbertum similem ostendo taliter Moyses Patriarcha post suam nativitatem, in aula Regis Pharaonis educatus erat, S. Norbertus ex illustri Salicorum stemmate oriundus, in Imperatoria similiter aula versabatur, sed quemadmodum Moysen zelus populi sui ab aula Regia evocavit, ita quoque S. Norbertum adhuc juvenem, zelus salutis suæ, nec non proximorum suorum ab aula Imperatoria ad Ecclesiasticum Ordinem evocavit, in quo suæ aliorumque Christi fidelium saluti inserviret. Sacris ergo initiatus, rejectis mollibus ac splendidis vestibus, pellicea melote indutus, prædicationi verbi Dei se totum dedit. Moyses servus Dei pascebat oves in deserto, pascebat & S. Norbertus oves Christi, verbo Dei.

Exodi 2. v. 9.

II. Sed dum Moyses pascendo oves Sacerdotis Madian in deserto moraretur, quid ei contigerit audite. Apparuit ei Dominus Deus in flamma rubi, eique ad se vocato enarravit, quantis populus Israelis premeretur angustiis in Ægypto, quo finito sermone rursus ei proposuit. Se id officii ipsi imponere velle, quatenus pergeret ad Pharaonem, & de manu ejus populum suum erueret. Verba sunt Domini. *Veni & mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum filios Israel de Ægypto.* Eodem modo cum S. Norbetro egit Divina providentia. Cum enim ætate sua mundus variis hæresium erroribus implicatus jugo Diaboli premeretur, à Regina cœli Virgine Maria in somnis est admonitus, ipsum à filio suo Christo Jesu electum esse ad conflictum cum Tyranno fidelium animarum faciendum, unde prout militibus tessera bellica dari solet, eodem modo Dei Genitrix ad conducendos milites spirituales, eundem cohortata, locum (qui præmonstratus dicebatur) in quo conscribi debebant, designavit, & loco tesseræ bellicæ, candidissimum Ordinis sui habitum demonstravit: aderat quoque præsens S. Pater Augustinus, qui leges candidæ suæ militiæ competentes in visione exhibuit, & observandas dedit. Accepta ergo Regula salutaris hujus militiæ;

Cornel. à Lapide in Eccles.

Exodi. 3. v. 10.

militiæ, curat sanctus miles pulsari tympana, abdicatisque proventibus Ecclesiasticis, & patrimonio in pauperes erogato, nec non tredecim sociis sibi aggregatis Præmonstratensem Ordinem instituit.

III. Ea sacri hujus Ordinis institutio valde oportuna fuit Ecclesiæ laboranti: cum enim anno post Christum natum 1120. hæresis Adamitarum, & Sacramentariorum passim vagaretur. Dominus Deus & pater misericordiarum, alterum Moysen, nempe S. Norbertum excitavit, ut Moysi similis, & veluti novus quidam Alcides, novos milites in castra educeret, hostem imminentem gladio spiritus profligaret, & opere, nec non sermone se potentem exhiberet. Inter opera Moysis quæ in Ægypto patraverat, duo erant præcipua. Primum illud, quod Pharaoni cum tota aula sua magnum timorem incusserit. Alterum hoc. Quia monstra & prodigia non solum sciebat excitare & elicere, sed etiam eadem sedare & in nihilum vertere. Hæc duo glorioſum Patrem S. Norbertum Præsulem patrasse invenio. Quod enim concernit primum punctum: tanquam alter Pharao, prodit in scenam Tanchelinus, qui perversa hæresi Adamitarum, magnam terræ Belgicæ partem nempe Brabantiam sic infecit; ut pauci reperirentur, qui nefariam ejus sectam sequi nollent, eam enim vi armorum propagabat, ac Catholicos quovis modo persequebatur: quibus in partibus cum naviculâ S. Petri fluctuaret, esſetque magno periculo exposita, adnitente Dei gratia eam S. Norbertus ne mergeretur egregie juvit, nam Antuerpiam accersitus, eandem Tanchelini hæresim hac in urbe glorioſe profligavit.

IV. Noſtisne causam cur S. Præsul Norbertus pingatur in iconibus præferens sive manu tenens vas, vel prout vulgo dici solet monstrantiam cum sanctissimo sacramento? Strenuis militibus, qui se bene gesserunt in bello, loco præmii solent arma dari & insignia post victoriam. Anno eodem quo alter error grassabatur in mundo nempe ejusdem Tancheli-ni, qui non solum fovebat hæresim Adamiticam, sed etiam eam alteram quæ sacramenta à Christo instituta impugnabat, eaque secta Sacramentariorum vocabatur Ordo quoque S. Norberti feliciter inchoavit, juxta illum vulgatum versiculum.

Anno milleno centeno, bis quoque deno
Sub Patre Norberto fundatur canditus Ordo.

Quia ergo S. Pater Norbertus tanquam novus hujus candidæ militiæ Generalis, hostes suos devicit, sanctissimo sacramento debitum honorem restituit, ejusque devotionem mirifice inter Christi fideles per totam Germaniam propagavit, eapropter in signum triumphi & laudum suarum, hoc monile quod est pignus salutis nostræ gestat in manu sua.

V. Hæc spiritualis militiæ principia cum Sanctus Norbertus tam feliciter obiverit, quid tunc putabitis factum esse, quando Archiepiscopatus Magdeburgensis (licet invitus, & reluctans) suscepit insignia, Ecclesiasticæ disciplinæ quantus propagator erat. Necdum tunc omnino hæresis illa Tanchelini conquieverat, adhuc surculi pullulabant, quia hydra Diabolica si illi unum caput amputetur, decem alia novit exerere. Erant ergo ætate ejusdem aliqui qui cœlibatum oppugnabant, viam castitati occludebant, carni vero & sanguini latissimam præparabant. At S. Præsuli Norberto, non aliud è diametro fuit studium, non alia cura & sollicitudo, nisi ut Angelicæ castitatis partes tueretur, & cœlibatum, omni virium contentione defenderet. Quid mirum? qui fuit in toga sua candidus, in corde erat candidior. Utraque mundities, sibi familiaris erat, unus ex illorum numero extitit, de quibus habemus in Apocalypsi scriptum, *Ambulabunt mecum in albis.* Merito igitur, causam sibi familiarem defendebat, & nunc etiam eorum agit patrocinium qui sunt mundo corde: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Apoc. 3. v. 4.
Matth. 5. v. 8.

Amen.

IN FESTO S. NORBERTI
Abbatis,
CONCIO II.

Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis. Apoc. 3. v. 5.

AUditores præstantissimi. Si tantam haberem eloquentiam, quâ pollebat Orator ille præclarissimus Cicero, qua Plato, & Demosthenes cæterique facundia præcellentes, ex omnibus eorum linguis unam hodie facere, eamque in laudes Sancti Norberti Præsulis, nec non candidissimi Ordinis Præmonstratensium fundatoris convertere valerem. Sed dum fundamentum sive thema in quo oratio mea construi debet considero, de felici successu mei propositi valde dubito, de bravio enim & præmio quod debetur victoribus & triumphatoribus agendum mihi est. *Qui vicerit sic vestietur vestimentis albis.* Sed qualenam est militi præmium post victoriam vestiri togâ albâ, & non potius purpureâ? Rex Alexander Antiochi filius auxilio Jonathæ Principis inclyti & invicti post obtentam de Rege Demetrio hoste suo victoriam, non vestivit eum alba tunica, sed purpura: sic enim
1. *Mach.* hubemus 1. Machabæorum 10. capite. *Iussit*
10. v. 62. *Rex expoliari Ionatham vestimentis, & indui eum purpurâ.* Sic quoque Jonathas filius Regis Saul dum strenuum David post victoriam de Gigante Philistæo partam sua induit tunica, non putemus fuisse albam, sed potius purpuream, hac enim Reges uti solent; & eadem Romani illi Duces utebantur, dumcunque portas Romanas ingrediebantur cum triumpho. E contra vestem albam dari non in gloriam sed potius in contumeliam patet ex 23.
Luc. 23. v. 11. capite S. Lucæ, ubi ait de Christo Jesu, quod dum adductus fuisset ad Herodem ille verò ad interrogata sua nihil responderet, ait Sanctus Lucas. *Sprevit autem illum Herodes, cum exercitu suo & illusit indutum veste alba.* Quem actum Herodis considerans sapientissimus Magister Linguas in suo promptuario, sic ait. Id
Linguas in promp ideo factum fuisse, ut populus ille Judiacus illum explodere tanquam stultum, hac enim veste in antiqua lege fatuos induere solebant. Sed subsistite Auditores: non tantum alba veste, sed etiam purpura Christus Jesus indutus erat, uti testatur Sanctus Marcus Evangelista 15 cap. Aut ergo albo & rubro colore erat insignitus in honorem, aut in contumeliam, si in *Marci 15. v. 20.* contumeliam, tam albati quam purpurati erunt despicabiles: sed ego apud Venerabilem Bedam aliud invenio, sic enim ait: *Dilectus meus candidus & rubicundus, candidus actione, rubicundus sanguine.* En utraque vestis, nempe alba & purpurea honorem suum habet: ego tamen relinquo purpuram Regibus & Principibus, album verò vestimentum Sancte Patri Norberto in præmium victoriæ suæ, nec non Ordini candidissimo præsentabo. *V. Bedam in S. Luc.*

I. Est quidem verum Auditores, quod mundialibus pugnatoribus & victoribus purpura detur loco præmii, nam teste Livio apud Ro- *Livium.* manos solis concedebatur Magistratibus, & viris triumphantibus, nec non ob res præclarè gestas celebribus. Sed pugnatores, victoresque spirituales, non possunt meliùs præmiari, & honorari quam si albis vestimentis vestiantur. Vultis ut probem? Conferamus nos primum ad cœlestem militiam, cujus Generalis est ipse Deus. Quando Christus Dominus confecto bello suo quod in hoc mundo habuerat cum Diabolo, ascendens ad cœlum, iterum revertebatur ad cœlestem Patrem suũ, & Apostoli, qui convenerant ad montem oliveti sic ascendentem mirabantur, ait Sanctus Lucas in Actibus Apostolorum. *Cumque intuerentur in cœlum euntem illum: ecce duo viri* *Actuum 1. v. 10.* *astiterunt juxta illos in vestibus albis.* Nullum hic est dubium, per istos duos viros, Angelos intelligi, qui sic vocantur, & ita se videndos exhibent, propter magnam virtutem, & fortitudinem sibi à Deo Creatore suo inditam. Sed Venerabilis Beda illud miratur cur hi duo

Angeli

Angeli aſcendente Domino in cœlum cum triumpho, in albis veſtibus apparuerint, & cur non naſcente? Legimus enim Lucæ c. 2. Quo in nativitate Salvatoris, cum Angelo paſtoribus eandē nunciante, facta ſit multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum, ſed quale illorum veſtimentum fuerit, ibi nihil dicitur. Sed idem Venerabilis Pater S. Eccleſiæ, pulchre reſpondet dicens: *Ideo Domino aſcendente, in albis veſtibus Angeli apparent, qui nato Domino in albis veſtibus apparere non dicuntur, quia qui in nativitate ſua apparuit Deus humilis, in aſcenſione ſua oſtenſus eſt homo ſublimis.* Sed quid hoc ad Angelos quod Chriſto cum triumpho ad cœlos aſcendente in albis apparuerint? Reſpondeo, illos eſſe ſpiritus adminiſtratorios, & ſic perſonam illius victoris geſſiſſe, cui tunc in bravium ſui certaminis quod geſſit, præmium oſtenſum erat, quando uti ait S. Matthæius Evangeliſta; *Reſplenduit facies ejus ſicut ſol, veſtimenta autē facta ſunt alba ſicut nix.* Ecce quantæ æſtimationis ac pretii album veſtimentum, quod in transfiguratione Domini, pro animatione ad pugnam, Chriſto oblatum erat, cum quo glorioſe aſcendit in cœlum, cujus veſtimenti gloriam ut S. Angeli Apoſtolis exhiberent, *Aſſiterunt juxta illos in veſtibus albis.*

Luc. 2. v. 13.

Beda in Act. Ap.

Matt. 17. v. 2.

II. Ne verò putetis album vuſtimentum ob naturæ puritatem ſolis convenire Angelis, id etiam hominibus in præmium fuiſſe datum, probo ex illa viſione S. Joannis Evangeliſtæ, qui capite 4 Apocal. ait, ſe vidiſſe viginti quatuor ſeniorum totidem ſedilia in quibus ſedebant. Richardus Victor, quidnam per illos thronos intelligat verba illius manifeſtant: explicans enim iſtum locum ſacri textus ita ait: *Sedilia ſunt merita.* Sed ubi præmium? *Circumamicti veſtimentis albis.* De quibusdam aliis idem ait 3. dicens: *Ambulabunt mecum in albis quoniam digni ſunt.* Loquitur hic S. Apoſtolus, de quibuſdam Chriſtianis primitivis, qui in Sardis (qui locus Epiſcopatus honore in Aſia præcellebat) ad fidem Chriſti converſi, licet numero pauci fuerint, bonis tamen operibus, ſacriſque virtutibus ſic imbuti erant, ut Deo noti & familiares facti, albo veſtimento digni cenſerentur. Quade re Didacus Bæza diſcurſum faciens ita ait. *In paucis his tantus erat gloriæ ſplendor, ut candida ipſa ſalutis, amplius in ipſis candeſceret.* Hinc patet non ſolum veritas horum verborum quæ ſequuntur, nempe *Qui vicerit ſic veſtietur veſtimentis albis*, illis inquā veſtimentis, quæ non dantur vulgariter omnibus, ſed iis tantum: *quia digni ſunt.* Sed illud quoque alterum, S. Norbertum Præſulem & Patriarcham, non gratis ſeu caſu aliquo veſtimentis albis veſtitum fuiſſe. ſed ex ſpeciali meritorum ſuorum ratione; quia fuit de numero illorum, de quibus dicitur. *Ambulabunt mecum in albis quoniam digni ſunt.* Sed placet audire per quid Sanctus Præſul, hac alba veſte, dignum ſe reddiderit.

Apoc. 4. v. 4.

Richard. lib. 2. in Apoc. 1.

Beza lib. 14. c. 12.

III. Antiqui Romani pro qualitate meritorum, diverſa quoque præmia diſtribuere ſolebant. Imperatoribus enim, qui de hoſtibus ſuis triumphabant, coronam dabant triumphalem, qui ſe ab obſidione ſtrenuè liberarunt, his corona dabatur dicta obſidionalis, qui primi hoſtium muros aſcenderant; muralis: qui in prælio, contra hoſtes primus irruebat, caſtrenſis, qui primus hoſtium invadebat naves, huic dabatur navalis, & tandem qui civem aliquem à periculo mortis liberavit, ei dabatur civica; hic advertimus has coronas quas Romani heroibus ſuis generoſè decertantibus dabant, oblatas fuiſſe pro differentia meritorum loco præmii. De corona S. Norberti taceo, quia Dominus *Coronavit eum in vaſis virtutis.* Sed cur inſuper alba veſte ipſum honoraverit, hujus rei ratio mihi danda eſt. Dico igitur talem colorem promeruiſſe ſpecialiter ob hanc cauſam. Quærunt aliqui eruditi Autores, quidnam illa albedo, quam videmus in ſacra hoſtia, ſignificet; aliqui dicunt eam rationem eſſe, quia hic continetur in ipſa, *qui paſcitur inter lilia*: unde libro qui dicitur *Paradiſus Sanctorum*, qui dam ait: *Lilia diligit Euchariſtia in liliis moratur, in liliis invenitur.* Hinc de Sacerdote quodam refertur, quod cum ei divinitus hoſtia diſparuiſſet, diuq; eam quæſiviſſet, in uno lilio eam inveniſſe. Algerus lib. 2. de Sacramentis eam dat rationem. *In candido pane, conſecratur magis corpus Chriſti, quam in nigro, quia in eo nihil debet eſſe, quod ſumendi minuat deſiderium.* Divus Vincentius ita cenſet. *Corpus Chriſti in paſſione erat album ex ſanguinis effuſione, ideo hoſtia elevatur alba.* Ex quibus teſtimoniis patet, non incongruè album colorem quadrare ſacræ hoſtiæ. Quia ergo S Præſul Norbertus, propter tutandum honorem hujus ſacro-

Claud. in Paneg. Olibrii.

Eccl. 45. v. 9.

Cant. 2. v. 7.

Fidelis in Pſal. 22.

Alger. l. 2. de ſacr. Corp. Chriſti.

D. Vinc. ſerm. 2.

sanctæ & candidissimæ hostiæ, cum Sacramentariis ejusdem inimicis fortissimè decertavit, eosque gloriosissimè superavit, hancobrem juxta illud promissum divinum, *qui viceriť sic vestietur vestimentis albis*, jure merito tale eidem suoque sacro Ordini pro præmio & magno munere donatum fuit.

IV. Dum hanc sacri hujus Ordinis (ut vulgari utar termino) albam liberariam, ulterius considero, venit mihi in mentem aliquid altius. Quid illud? alumnos hujus Ordinis, hic in terris personam gerere Angelorum. Ad oculum vobis patet, quod Sacerdos quilibet, quando sacrosanctum Missæ sacrificium celebrare debet primo accipiat (tanquam aliquam galeam) album humerale, postmodum sumit vestem albam ex lino factam, quæ vulgariter Alba nominatur. Quærit ergo Pierius, quid sit mysterii in tali vestimento? & respondet dicens: *Ideo ministri Christi in albis vestibus ministrant, quia Angeli aterni Regis ministri, in albis apparebant.* Scitis bene Auditores mei, linum, sive telam varios colores, nempe rubeum, viridem, cœruleum, nigrum alioque recipere posse, ministri tamen Dei non nisi albo uti possunt, quia tunc personam agunt ministrorum Dei nempe Angelorum: horum ergo & vos candidati viri personam agitis, sed tunc magis proprie: si ad patrem vestrum attenderitis eum inspexeritis & id secundum exemplar illius feceritis. Hic enim S. Patriarcha, qui ob defensionem sanctissimi sacramenti albam vestem gestat, etiam illud Pierii ad reliquos ait: *Per albas vestes admonentur, ut Angelos Dei ministros, per munditiam in Christi servitio imitentur.*

Pierius lib. 55.

Idem supra.

V. Sanctissimus Norbertus non gratis portavit vestimentum album, quia munditia vitæque suæ sanctitate repræsentabat personam Angelorum. Angeli cum sint spiritus cœlestes, nullo cibo indigent. S. Norbertus quia existens vitæ Angelicæ, fuit quoque homo, ideo absq; cibo, cæterisq; corporis sui necessariis esse nõpotuit, sed ad minus in parsimonia cibi & austeritate vitæ, Angelos exprimebat, nam semel in die sub vesperam, solo cibo quadragesimali, & in hieme laceraveste utens, miræ austeritatis vitam egit. Sed quod illum similem Angelis reddit & illud est. Multæ censentur esse Angelorum myriades, juxta illud Apocal. 5. *Numerus eorum millia millium.* Et cum Venerabilis Beda explicans eam multitudinem Angelorum, per eam intelligit, uti ejus verba recito, *Innumera millia populorum ad Ecclesiam confluentium*; ego pariter de sacro hoc Ordine possum intelligere, siquidem primis ab ejus institutione 80. annis, tam latè excreverat, ut hoc in tempore supra mille & octingenta monasteria numerata fuerint, quæ ipsi Reges, & Principes variis in locis certatim extruxere, in quibus tam fœcunda Religiosorum germina graves historici fuisse testantur, ut unicum monasterium, mille subinde alumnos in castra Ecclesiæ eduxerit, nihilque frequentius olim fuerit, quam ut ducenti, trecenti & plures in singulis monasteriis invenirentur. Quid nunc dicam? loquantur oculi. Ob quod? sit Deus benedictus in secula. Amen.

Apoc. 5. v. 11.

V. Beda. in Apoc. 5.

IN FESTO S. NORBERTI
Abbatis.

CONCIO III.

Candidiores Nazaræi ejus nive. Thren 4. v. 7.

AUditores mei. Quicunque vestrum hoc thema concionis meæ hodiernæ ex 4. c. Threnorum S. Jeremiæ Prophetæ desumptum, & à me prolatum audistis, non Orationem Panegyricam sed potius sermonem quendam tragicum sive lamentationem à me expectabitis. Tragædiæ ea est conditio, quod incipiat à lætitia, & finiat in tristitia: hoc ipsum est in verbis à me prolatis. Dum enim ex integro vobis ea recenseo. *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Saphyro pulchriores*: quid in iis verbis, nisi

nisi omnia jucunda, lætaque recensentur, festivum sane sermonis principium, sed in quem finem desinit? *Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis.* Quæ verba explicans Lyranus, ea dicit pertinere ad Sacerdotes & Levitas antiqui testamenti, qui cum Divino cultui deputati essent lineis, & in tantum albis vestimentis in sacrificiis utebantur, ut candorem nivis quodammodo attingerent, sed dum in captivitate illa Babylonica existerent; *Denigrata est super carbones facies eorum, præ fame & miseria, & non sunt cogniti in plateis,* nempe ab aliis personis communibus distingui non poterant. Dum igitur ista sit thematis mei conditio, qualem hic panegyricum Sancto Præsuli Norberto, suoque præclaro Ordini quem fundavit, hodierna die præsentabo? Sed lætis estote animis, inprimis vos Venerabiles tanti Patris filii, quos hisce verbis compello, *Candidiores Nazarei ejus nive.* Taliter enim candorem vestri Ordinis extollere conabor, ut ab omni carbonum nigredine longe alienum & remotum probem. Unde in hac concione demonstrabo; Cur Ordo Præmonstratensis Candidissimus Ordo nominetur.

Thren. 4. v. 8.

Lyran. in Jerm.

I. Quod pressura famis, quam Hebræi Sacerdotes & Levitæ patiebantur in Babylone captivi, eorum vultus denigraverit id non miror; erant enim illorum filii, qui candidissimum manna fastidio habuerunt & ollas fumantium carnium affectarunt, magis sanè denigrari debuerunt cupediis Ierosolymiticis, quàm fame Babylonica, siquidem Sanctus Propheta Daniel manens unà cum tribus sociis in eadem captivitate, licet respuerint cibos Regios & solis leguminibus contenti fuerint, nihilominus testante sacro textu, *Post dies decem, apparuerunt vultus eorum, meliores, & corpulentiores, præ omnibus pueris qui vescebantur cibo regio.* Sanctus ergo Hieronymus, eas duas sententias explicans ad literam, per illam nigredinem Nazaræorum, qui antea candidiores nive extiterant, intelligit decorem prioris populi quem habebant in ornatu templi, conversum in carbonum nigredinem, eo quod omnis ille cultus divinus ab hostibus destructus & ad nihilum redactus fuerit. Sed admittendo etiam primam expositionem Lyrani, in qua per Nazaræos nive candidiores, accipit Judæorum Sacerdotes propter famem denigratos, hujus nos contrarium in nova lege invenimus, cujus filii à fame voluntaria, id est ab esurie justitiæ non nigrescunt, sed potius summum candorem & pulchritudinem gloriamque assequuntur. In cœlis nemo nigrorum visitur, omnes ibi sunt albati togam candidam præferentes, & quinam illi sunt? audite Christum dicentem. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam quoniam ipsi saturabuntur.* Eruditi autores Rupertus, & Maldonatus istum locum explicantes, eum probant non de spirituali virtutum fame, sed de materiali ciborum defectu deberi intelligi, quorum sententiam Bæza Ponferradiensis citat in hunc sensum, *Nimirum Beati illi qui esuriunt, & sitiunt, propter justitiam tuendam, penes quos tanta est justitiæ cura, ut nec in summa fame & penuria ejus leges contemnant.* Talium è numero Sanctus Norbertus Patriarcha fuit, sive enim hic per famem intelligamus justitiam, sive ipsam extrinsecam esuriem, harum virtutum, utraque in Sancto Patre enituit: quod enim concernit justitiam, eam incessanter esurivit, quod verò concernit ciborum parsimoniam, in ea ita mirifice se exercuit, ut dum adhuc existens presbyter Ecclesiasticus, ad observantiam jejunii nullis vinculis teneretur, nihilominus ab esu carnium abstinens solo quadragesimali cibo, idque semel in die sub vesperam uteretur. Sed quid tum? fames & tanta corporis maceratio, non denigravit ipsum, uti illos antiquæ legis Nazaræos, sed candidiorem nive fecit: in cujus signum, candido habitu à Beatissima Virgine Maria sibi demonstrato, aggregatis sibi tredecim sociis, sub regula Sancti Patris Augustini sacrum Ordinem instituit qui candidissimus nominatur.

Daniel. 1. v. 15.

S. Hiero. in Jerem.

Matt. 5. v. 6.

Rupertus Maldon.

Bezal. 14. v. 3.

II. Sed unde hic Ordo talem titulum sibi vendicat? Putabit forte aliquis vocare candidissimum ob candorem vestis, quam Beatissima Virgo Maria Sancto Norberto præsentavit, illeque filios suos in Spiritu Domini progenitos, eadem insignivit. Mihi talis denominatio non videretur sufficiens, dantur enim plerique Ordines albis vestimentis insigniti: uti est Ordo Sancti Pauli primi Eremitæ, item Ordo Carthusianorum, Camalduensium, Prædicatorum, Carmelitarum, Mercenariorum (ut plures præteream) qui tamen eo titulo non utuntur: ex alio ergo capite, hujus tituli ratio mihi quærenda

est. Legimus in Apocalypsi, Christum in nube candida sedentem apparuisse Sancto Joanni Apostolo: *Et vidi & ecce nubem candidam, & super nubem candidam similem filio hominis.* Quærit hic Divus Isidorus magnus Pater Sanctæ Ecclesiæ cur Christus Dominus in illa apparitione Apostoli, dicatur sedere super nubem candidam, & non super nubem albam? Et respondet idem Doctor dicens. *Inter album & candidum hoc interest, quod album naturale est, candidum verò cura facit.* Ex his verbis potest intelligi, inter album & candidum non magnam esse differentiam, cum hæc duo sint synonyma, quia verbi gratia, possumus vocare lilium album, seu candidum, tamen magis proprie debet dici album, quia sola naturâ est tale, juxta illud Matth. 6. *Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua, coopertus est sicut unum ex istis*: è diametro linteum, etiam potest dici album, quia sic patet oculis aspicientium, & tamen magis proprie debet dici candidum, quia labore humano & lotione reducitur ad candorem. Eodem modo possemus discurrere de præclarissimo Ordine Sancti Patris Norberti, albedine sui habitus nullus ipsum superat, sed tamen vocatur candidissimus, quia est ex illorum numero de quibus dicitur Apocalyp. 7. *Hi sunt qui laverunt stolas suas in sanguine agni.* Hi candidissimi sunt qui vestimenta sua lavent in sanguine agni, quia Sancti Patres Ecclesiæ Christi ita canunt. *Te Martyrum candidatus laudat exercitus.* Diceret forte aliquis, talem lotionem non valere pro candidissimo præmonstratensium Ordine, quia si tingas vestimentum in sanguine, potius extrahetur purpura, quàm candida. Sed audiant Auditores mei, quid hac de re sentiat Venerabilis Beda, qui explicans illum locum 6. Joannis Evangelistæ dicentis. *Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt stolas suas in sanguine agni*; ita discurrit. *Non de solis Martyribus dicit. Illi enim sanguine proprio lavantur, Ecclesiam autem totam sanguis Iesu Christi mundat ab omni delicto.* Sanguine Christi Jesu, non potest dari lotio pulchrior, qua uti possunt non solum Martyres Domini, sed teste eodem Venerabili Beda, *Etiam illi, qui inter adversa, fideles nominis ejus confessores existunt.*

Apoc. 14. v. 14. *D. Isid. de Differ. l. 1. c. 17.* *Matt. 6. v. 28* *Apoc. 7. v. 14.* *SS. Amb. & Aug. in Cant.* *Ven. Beda in Apoc.* *Beda ut supra.*

III. Et cui magis quadrat hæc censura, quam candidissimo huic Ordini. Dicat quivis quid velit, ego id pronuncio. Sanctum Patrem Norbertum, tunc Ordinis sui candidissimi fecisse exordium quando ex membris Christi Jesu, nempe, è suis fidelibus balneum sanguineum parabatur, siquidem suo tempore impia Tanchelini hæresis grassabatur, cujus sectatores, Adamitæ inquam & Sacramentarii, non solum publice impiissimos errores suos publice sparsimque seminabant, sed etiam bellagerendo cum Christi fidelibus, sanguinem eorum effundebat. At S. Norbertus, factus tanquam inclytus ille Ajoth Salvator dictus. *Qui utraque manu pro dextera utebatur,* in brevissimo tempore utramque hæresin profligavit, & licet decertans accerrimè, ad extrinsecam sanguinis Jesu lotionem (per quam efficimur candidi) non pervenerit, nihilominus, in pressura illa Christianorum quæ magnam Germaniæ partem affligebat, attrigit interiorem, per Confessionem fidei Jesu Christi, per quam candidior factus Nazaræis, Ordini quoque suo, candidissimum titulum promeruit. *Judic. 3. v. 15.*

IV. Ad ultimum quis est qui candidissimo huic Ordini, sacrum candorem facere nolit? Legimus in historiis Romanorum, uti etiam testatur Tertullianus Pater Ecclesiæ, morisapud ipsos fuisse. Quod si aliquis illorum ad dignitatem aspirabat, ille veste candida induebatur, dicebaturque candidatus, majoriitaque jure sacer Ordo Præmonstratensium non candidatus sed candidissimus censeri debet, qui non inter prætensores honorum sed inter possessores eorundem habentur. Sufficeret nobis pro argumento S. Pater Norbertus in quo pro Ecclesia Domini viriliter decertante elucebat Divina sapientia, quæ c. 7. libri ejusdem nominis taliter commendatur. *Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis.* Sed plura quoque exempla sunt præ oculis, candori hujus Ordinis applaudentia. Pro primo, Domino Deo fuisse hospitio in terris paradisum, patet ex eo loco Geneseos, ubi dicitur ipsum deambulasse in paradiso post meridiem, tu si in Præmonstrati locum in quo S. Patriarcha Norbertus Ordinem istum fundavit, oculos convertas, non desertum sed paradisum dices in quo Deus non uiturus peccatum sed visurus candorem deambulat. Testis mihi est Innocentius 4. summus *Tertull.* *Sap. 7. v. 26.* *Gen. 3. v. 8.* *Innoc. 4. in Bulla.*

ſummus Pontifex, qui ſic ait. *Mundo celebris, & ſuperni grata civibus, religio ſacra, Præmonſtratenſis Ordinis, à ſua plantationis initio, Regis æterni fuit habitaculum.* Idem ſummus paſtor, hunc Ordinem comparat turri eburneæ, virtutum munitam propugnaculis, in qua veri excellentia Salomonis, habet lectũ amœnæ quietis. Ebrunea turri quid candidius eſſe poteſt?

V. Parum eſt id? aſcendamus ſurſum, cœleſti firmamento nihil candidius eſſe poteſt, illud enim divina ſapientia exornavit præclaris luminaribus, nempe ſole, luna, & ſtellis, *quas poſuit in firmamento cœli, ut lucerent ſuper terram* Venerabilis Hugo Cardinalis explicans locum iſtum ſacri textus per hæc luminaria intelligit homines ſanctitate, & doctrina illuſtres, qui à Chriſto Domino lux mundi vocantur: tales quæritis? hic non eſt nobis opus lucerna Diogenis, qui olim accenſam geſtans in manibus quærebat homines de die per plateas, talia lumina, non in plateis à nobis quærenda ſunt, ſed in firmamento. Quodnam illud? Conſulite Bonifacium Octavum Pontificem, quid ipſe de ſacro Præmonſtratenſi Ordine ſentiat, dum ait. *In firmamento Eccleſiæ, veſter Ordo, claro nitore coruſcans, univerſalem Dominici gregis aulam illuminat.* Quid hoc teſtimonio clarius? Sed nec hoc egemus, candor enim hujus ſacri firmamenti toti mundo eſt conſpicuus, in quo Sancti Patris Norberti filii candidiſſimi, fulgent virtutibus & ſcientia, & fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam eruditunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Deo gratias.

Gen. 1. v. 17.

Hugo hic

Matth. 5. v. 14.

Plutarch.

Dan. 12. v. 3.

IN FESTO S. NORBERTI Abbatis.

CONCIO IV.

In monte Sion erit ſalvatio & erit ſanctus. Abdias Proph. v. 17.

INter cœteras res præclaras, quæ olim reperiebantur Jeroſolymis, erat mons Sion, non ſolum ob ſui præſtantiam, & celſitudinem, ſed etiam ideo, quia in monte illo ædificatum erat à Rege Salomone, templum ſumptuoſiſſimũ, auro copioſo, aliisq; pretioſis muneribus exornatum. Licet autem ab exercitu Chaldæorum, ſpoliatum, incenſumque fuerit, nihilominus rurſus à Zorobabel reædificatum fuit. Hinc ait S. Propheta. *In monte Sion erit ſalvatio, & erit ſanctus.* verba Venerabilis Hugo, nec non Lyranus exponentes, dicunt prolata fuiſſe pro cõſolatione Judæorum, qui erant in captivitate Babylonica, ex qua dimiſſi, iterumque reverſi ad terram ſuam, deſiderabilem montem Sion aſpexerunt, & in templo ibidem reædificato, vota ſua Domino obtulerunt. Quæ olim præclara erant Jeroſolymis, hæc jam, ad celeberrimam urbem, quæ caput eſt inclyti regni Boëmiæ, nempe Pragam triurbem translata eſſe videmus. Quid enim fuit Jeroſolymis? erat ingenes auri copia, hæc quidem à Sueco milite Pragam minorem dolo irrumpente, magna ex parte evecta fuit, ſed fides Sacro Romana Catholica, auro purior, & pretioſior auferri non potuit. Deinde Jeroſolymis erant quædam palatia, plura Pragæ videbis. Jeroſolymis, tres ſynagogæ famoſiores extiterant, nempe Phariſæorum, Saducæorum & Aſſenorum; Pragæ tot ſcholas, Gymnaſia & Collegia numerare potes, & ſi vis ut paucis dicam, una univerſitas Carolina in qua diverſæ ſcientiæ referuntur (nam taceo plura) pro teſte ſufficiet. Quid dicam de templis divino cultui conſecratis? numeret illa qui non cerdit. Tandem Jeroſolyma gloriabatur monte Sion, jam eſt multò depreſſior, quia à Romanis Tito Imperatore poſt capram urbem magna ex parte demolitus fuit. At ego altiorem Pragæ video, montem Sion, nempe candidiſſimi Præmonſtratenſium Ordinis monſterium, de quo meritò illud dici poteſt, *In monte Sion erit ſalvatio, & erit ſanctus,*

4. Reg. 25 v. 33.

Hugo & Lyran. in Abdiam.

Ioſephus. l. Antiquæ

sanctus, hoc enim nomine sacer ille locus dici solet. Cur? Non ego, sed S. Patriarcha Norbertus, cujus hodie solemnitatem celebramus, suggeret rationem.

1. In plerisque Sacræ Scripturæ locis quorundam montium celebris habetur memoria. In primis montium Armeniæ meminit Moyses, Gen. 8. c. quando peracto diluvio, dicit in iis quievisse arcam Noe. De monte Sina sive Horeb, multa referuntur mirabilia, nempe inibi Deum Moysi apparuisse in rubo ardenti. Deinde Moysen ejusdem montis petram sua virga percussisse, & populo sitienti aquam produxisse. Ibidem Moysen levando manus suas & orando, obtinuisse ut Josue vinceret Amalechitas. In eodem monte, datum fuisse decalogum à Domino. Eliam Prophetam, dum fugeret (furorem Jezebel Reginæ evitare cupiens) ad eundem montem perveniisse, & ibidem vidisse Deum in sibilo auræ tenuis. Et tandem in eodem monte (corpus S. Catharinæ martyris mirabiliter translatum & sepultum esse. De monte Garizim & Hebal, celebris quoque est mentio in scripturis. Nam Tostatus & alii in hoc monte arbitrantur Abraamum tetendisse tabernaculum, & ædificasse altare Domino, in hoc monte (uti patet Josuæ 8. c. & Deuteronomii 11.) recitatum fuit Deuteronomium omni populo Israëlis. Deinde in hoc monte recitatæ sunt benedictiones, & maledictiones in eos, qui legem Domini custodirent, vel negligerent, sic ut in Garizim benedictiones in Hebal autem monti huic vicino maledictiones dicerentur. At inter hos montes cæteroſque quos prætereo, mons Sion non postremum locum habet. Illa etenim historia Geneſis cap. 22. summè ipsum nobilitat, in qua recensetur mandatum Dei ad Abraam dicens. ***Tolle filium tuum unigenitum quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum, super unum montium quem monstravero tibi.*** Quinam ille mons fuerit, Sanctus Gregorius Nyssenus, ait fuisse montem Sion, alio nomine Moria dictum, quod visionem signifícat. Accedit quoque aliud ornamentum huic monti, ex magnifico templo Salomonis Regis quod in eodem extruxerat. Et tandem ex illa prophetia Sancti Isaiæ dicentis. ***De Sion exibit lex***; novæ inquam legis, seu Evangelica, quam per Sanctos Apostolos, toti mundo promulgavit.

Gen. 8. v. 4. *Exod. 3. v. 2.* *Exod. 17. v. 6.* *Exod. 17. v. 11.* *Exod. 19. v. 11.* *3. Reg. 19. v. 12.* *Tostatus.* *Deut. 28 v. 28.* *Gen. 22. v. 2.* *Nyssenus.* *Isaiæ 2. v. 3.*

II. Quæcunque hic de hoc monte Sion protuli, id à me dictum erat per Metaphoram si enim nunc videre cupimus montem Sion, non Jerosolymis, sed Pragæ invenitur; non ob id tantum quod situs Venerabilis hujus monasterii, omnem formam & similitudinem montis illius Jerosolymitici exprimat, ideoque montis Sion titulum sibi vendicat, nam quod de monte illo scribitur, quod muro Orientali urbis Jerusalem prope fuerit adjacens simile quid & de nostro dici posset; sed potius ideo, quia sicut ille mons fuit area & theatrum sacrificii Abraam Patriarchæ, ubi Deus vellet pro facto acceptavit, sic iste alius mons est arca sacrificii voluntarii, ubi non unicus Isaac sed tot inveniuntur candidis stolis dealbati, qui per sacra vota, non solum voluntatem suam, tanquam Abraam filium suum ligaverunt, sed etiam, appetitu sensuum suorum gladio mortificationis jugulato, alium interiorem, nivis candorem exprimentem, Domino Deo in hoc monte Sion offerre studeant. Sunt enim veri filii Abraam parentis sui, nempe S. Norberti Præsulis, qui loco arietis defert insigne sanctissimi sacramenti in manu sua, non ideo tantum, quod impiam Tanchelini hæresin, sanctissimam hostiam impugnantis, gladio verbi Dei jugulaverit, sed quod juxta consilium Evangelicum, se ipsum per humilitatem abnegando, hostia Christi mystica factus fuerit. Hujus vestigia secutus fuit Sanctus Gilbertus Abbas, qui ex potente milite seculi humillimus miles Christi factus, exemplo paupertatis, abstinentiæ, cæterarumque virtutum cor suum in sacrificium laudis, Deo immolavit. Eundem secutus fuit S. Gerlacus, qui licet inprimis mundiali militiæ daret operam, brevi tamen, abjecto militiæ cingulo, cilicio & lorica, super nudum corpus indutus, in summa vitæ austeritate plenus virtutibus, & clarus miraculis vitam suam finivit. Taceo cæteros quia ad templum montis Sion revertor. In monte illo, unicum templum fuit, hic ut de templo materiarli in hoc monte Sion erecto & mirificè exornato nihil loquar, quot candidissimos Canonicos aspicitis, tot templa videtis, ait enim sacer textus. ***Templum Dei estis & Spiritus Sanctus habitat in vobis.*** Et tandem illa Vatis Isaiæ Prophetia dicentis, ***De Sion exibit lex.*** quonam magis spectat nisi ad hoc montis Sion monasterium, in quo spirituales hi candidati, non

In Pheut. mundi. *Laurent. Beyerl.* *1. Cor. 3. v. 16.*

non solum legem Domini cum lætitia susceperunt, sed etiam illam articulis quibusdam à Sancto Augustino Ordini suo datis, ad exemplum Sancti Patris sui dilatare studeant. En quam bene pro ipsis quadrant verba Prophetæ dicentis: *In monte Sion erit salvatio, & erit sanctus.*

III. Sed diceret quispiam. Quænam salvatio in monte dari potest? Quando Deus præceperat Loth per Angelum, ut ad evitandum incendium Sodomorum, secederet in vicinum montem, & in eo salvum se faceret, ille potius elegit civitatem exiguam. Cur montem illum qui Engaddi vocabatur, ascendere trepidaverit, Boreardus eam dat rationem, eum montem ascensu esse difficilem, multisque anfractibus & præcipitiis horrendum sit, ut meritò timuerit Loth eò ire, timens tamen ne & oppidum illud Segor eodem malo involveretur propter vicinitatem, in montem illum secesserat: sed non impune cessit eidem ascensus ille, quia qui evasit flammam ignis, incurrit aliam libidinis per incestum. *Et hanc occasionem infidelitatis causam incestus fuisse*, ait Venerabilis Hugo Cardinalis. Sed facilis est ad hoc quæsitum responsio. Sicut in planitie terrestri, maxima est locorum differentia, aliquæ enim partes terræ sunt limosæ, quædam sentibus & spinis repletæ, quædam vero amœnitate florum & fertilitate fructuum paradisi delicias præ se ferre videntur: idem est judicium de montibus quorum aliqui sunt horridi & multum periculosi, sicuti de Hecla monte refert Balthasar Diaz, habere in se plurimas voragines, à quibus incautos homines sæpè numero absorberi, similiter Taronensis ait plurimos incolas castri Taureduni, cum monte terræ motu hausto interiisse: similiter Majolus refert montem in Armenia valde esse periculosum, quia cum totus sit nivibus tectus, itinerantes errare & tandem perire facit. Sed è contra, dantur quoq; pleriq montes, amœni, simulq; securi ad se salvandum: utraq; conditio patet in Christo, hic enim, post factum illud miraculum ubi duobus panibus hordeaceis satiavit quinque millia hominum. *Dum cognovisset quod venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Deinde patet ex historia Evangelica Christum Dominum orationis causa montem olivæti sæpius ascendisse, qui valde amœnus erat, quia multis olivis abundabat. Hinc liquet montes à Deo creatos esse, non solum pro recreatione, sed etiam pro tutamine, unde bene ait S. Regius Vates. *In monte Sion erit salvatio.*

Gen. 19. v. 14.

Borcard.

Hugo Card. in Gen. 19.

Balthas. Diaz. an. 1556. Turonensis l. 4. c. 30.

Majolus in Canicular.

Ioan. 6. v. 15.

Matt. 24. v. 3. Ioan. 8. v. 1. Luca. 19. v. 29.

IV. Sed alia responsio quæ sequetur, magis est proposito nostro accomoda. S. Hieronymus Doctor Ecclesiæ explicans hunc locum S. Prophetæ, non de aliqua tutela corporali, sed de salvatione spirituali illum intelligit, nempe in monte illo ex eo salvationem adfuturam, quia erit ibi Sanctus, sive ipse Deus qui fideles suos sanctificat, ostendetur sanctus per cultum sanctum, sive etiam id de membris Christi intelligatur, in cujus Ecclesia illorum est salvatio, & in cujus meritis quivis potest dicere. *Custodi animam meam quoniam sanctus sum.* Sed quid magis? è numero tot membrorum Christi, unam jam in cœlesti patria glorioſum Sanctum inquam Norbertum candidissimi Ordinis Præmonstratensium aspicite. Hic ille est, qui mutuatis à Christo Domino verbis, ad nos loquitur. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctũ ejus.* Hæc etenim verba Vatis regii licet (explicando ea allegorice) spectent ad Christum Dominum, moraliter tamen ad omnes Prælatos, è quorum erat numero S. Norbertus Præsul Magdeburgensis, & pater Præmonstratensium filiorum, inter quos (qui sunt dispersi per orbem) soli Pragenses hæc verba possunt repetere, *In monte Sion erit salvatio, & erit sanctus.*

S. Hiero. in Proph.

Psal. 85. v. 2.

Psal. 2. v. 6. Hugo Car in Psal.

V. Antequam proferam quid adhuc de istis verbis sentiam, primum id audite. Postquam vir Dei Norbertus meritis & Spiritu S. plenus Magdeburgi obdormisset in Domino, anno salutis 1627. sacra ossa ejus dem, sedente Urbano Octavo summo Pontifice & Ferdinando Secundo Romanorum Imperatore glorioſe regnante, Venerabilis viri Caspari Questembergii Abbatis Strahovienſis levata & in Regnum Boëmiæ Pragam ad monasterium præfatum sive montem Sion celebri pompa translata sunt & deposita. Nonne hic verum dixi, *In monte Sion erit salvatio & erit sanctus?* Clemens Octavus, Ordinem Præmonstratensem vocavit virorum fortium & fidei Catholicæ propugnatorum seminatium: si tale elogium concernit totum Ordinem, vel maximè in illo hunc montem Sion, quia hunc S. Norbertus virorũ fortissimus recepit in suam clientelam.

Ex Brev. Præmon.

Clemens 8. in Bulla

Magna fuit laus Themistoclis Græcorũ Principis, quod dum procederet per quandam civitatem ludos celebrantem, omissis ludis omnes ipsum solum suspicerent: at major est laus S. Norberti Præsulis, quam non solum Praga, sed etiam tota Ecclesia Christiana hodie suspicit, sed præcipue vos Auditores mei, qui præsentes estis in hoc sancto monte Siõ. Sancte Pater Norberte, jam dicam quod sentio. *In monte Sion erit salvatio & erit sanctus.* Quia orabis pro nobis. Orabis pro Praga tanquam pro hospita tua, pro hoc monasterio, tanquam pro domo tua, orabis pro Ordine tuo, in quo omnes tui filii te Patrem venerantur, orabis demum pro nobis omnibus qui tuum patrocinium obnixis precibus imploramus. Amen.

Plutarch.

IN FESTO S. DOMINICI

Confessoris, Ordinis Prædicatorum Fundatoris,

CONCIO I.

Vos estis lux mundi. Matth. 5. v. 14.

Multi hominum observant eam consuetudinem, quod præ foribus domorum suarum signa ponant, quæ habitantium ostentant locum & situm. Salvator noster Christus Jesus, quale signum præ foribus tabernaculi sui posuerit, habemus prophetice adnotatum Psalmo 18. *In sole posuit tabernaculum suum.* Quem locum explicans Genebrardus sic ait: *Solem posuit in tabernaculo suo.* Quæ quidem inversio spectat ad figuram Rhetorices Hypallage dictam: Et quid mirum quod Christus qui est sol justitiæ, & cujus facies resplenduit sicut sol, solem quoque præ foribus tabernaculi sui posuerit? Quicunque in Christo cupiunt haberi nobiles, nullo excellentiori signo radiare possunt, quàm eo, quo verum solem in operibus suis repræsentant. Jactent se in stemmatibus suis nobiles & Principes hujus mundi, ostendant suas aquilas, leones, tygrides, aliasque famosas triumphorum suorum imagines, Sancti Dei, servique illius satis habent foribus tabernaculi sui lucem à vero sole participatam præfigere. De qua Christus apud Matthæum sic ait: *Vos estis lux mundi.* Hoc signum lucis Sancto Patriarchæ Dominico qualiter competat in hac concione demonstrabo.

Ps. 18 Genebrard. 6.

Matt. 17 v. 2.

I. Homines qui summâ excellunt dignitate, solent dici viri illustrissimi, & serenissimi, atqui ego dico nulli melius nomen lucis competere quàm ipsis Sanctis Dei; è numero ipsorum accipio Sanctum Eliam Prophetam de quo habetur Eccl. 48. cap. *Surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi fax ardebat.* Quomodo & quando ille Propheta surrexit quasi ignis? quando incepit tantæ lucis splendor? quando se mundo visendum exhibuit? Varii expositores variè de hoc sentiunt, at ego inhærens vestigiis doctrinæ Sancti Epiphanii, & Dorothei, eam deprehendo sententiam: asserunt namque hi Sancti Doctores, quod Eliam adhuc in cunis vagientem splendidi quidam viri, nimirum Angeli salutaverint, eique flammam ignis, loco cibi ministraverint. qua rei novitate obstupefactus pater, Jerosolymis summum Sacerdotem consuluit, ut hujus inauditæ visionis mysterium panderet & revelaret, respondit Sacerdos illum fervidum & igneum contra hostes Dei futurum, ita ut stupenda illa nascentis Eliæ primordia, quis quantusque futurus esset prænunciarent. Simile quid habemus de Sancto Dominico: nam cum mater ejus gravida somniaret, visa sibi fuit continere in alvo catulum, qui facem ore præferens totum terrarum orbem incenderet. Nonne hoc est igne pasci & foveri? nonne hoc est futuræ sanctitatis indicium? none est ignei zeli figura, quem in prædicatione verbi divini demonstrabat? non aberravit S. ille Dominicus Abbas de Silos,

Eccl. 48. v. 1.

Epiphan. Doroth.

qui

qui se ipsum matri suæ in visione ostendit, eique somnium illud explicavit, dicens, talem filium parituram, qui lux mundi futurus, & universum orbem igne charitatis incensurus esset. Non vana erat hujus somnii explicatio; evasit enim in alterum Eliam Sanctus Pater Dominicus, de quo canit Ecclesia: *Ardebat quasi facula pro zelo pereuntium.*

II. Duo sunt in candela seu face, nempe quod luceat & ardeat. Non satis erat S. Dominico clarissimis virtutum fulgere radiis, quibus à juventute resplendebat, nam adhuc in pueritia hymnis & psalmis vacabat, seseque in divino cultu mirificè exercebat, nisi enim arderet charitate in proximum. Cum enim Valentiæ Theologicis incumberet disciplinis, libros quos habuit invalescente fame vendidit, & ex commiseratione pecuniam inter pauperes distribuit. Factus Canonicus Regularis ab Oxoniense Episcopo, sanctitatis exemplar cunctis demonstravit, in oratione assiduus, in contemplatione suspensus, non raro in precibus pernoctabat; contra hæreticos prædicabat, & scribebat, cujus quidem liber ab igne etiam ter conjectus, non fuit combustus. De sanctitate hujus sancti viri nihil loquar, sed saltem signa ejusdem producam. Sane non parvum sanctimoniæ signum fuit, uberior fletus pro peccatoribus, mundi contemptus, mentis elevatio, dum enim Missam celebraret, in aëra elevabatur, martyrii desiderium, cœlestium appetitus, & tandem divinæ gratiæ facilis impetratio, sic enim de se ipso ajebat: *Nunquam à Deo aliquid petii, quod non pro voto impetrarem.*

III. Virginitas B. Dominici aliquomodo similis fuit virginitati Matris Dei. Nam quemadmodum Maria Sanctissima habuit virginitatem integram, quia fuit virgo mente & corpore, sic & B. Dominicus integritatem carnis, mentis puritatem ad ultimum vitæ terminum conservavit. Item B. V. Maria virginitatem suam Deo dedicavit, sic & S. Dominicus eandem Deo vovit; & tandem B. V. Maria licet esset pulcherrima, neminem tamen ad concupiscentiam sui provocavit; eodem dono S. Dominicus à Domino fuit honoratus. Cum enim juvenis quidam lubricus manum Sancti viri exoscularetur, ab omni concupiscentia carnali liberatus fuit. Hinc non est mirum Christum Dominum multis eum exornasse gratiis, sicuti enim ipsemet multos infirmos curavit, mortuos suscitavit, ex aqua vinum fecit, ex quinque panibus tot millia hominum satiavit, sic etiam eandem gratiam S. Dominico communicare dignatus fuit, siquidem Sanctus vir aliquot mortuos suscitavit, & diversas infirmitates percuravit.

IV. E multis accipite unum exemplum mirabile, quod Romæ contigit: eximiæ quædam sanctitatis fœmina, laborabat morbo gravissimo, ut ex ejus corpore vermes scaterent, quam B. Dominicus sæpius visitabat, & in Domino confortabat. Petiit semel ab illa donari sibi unum ex his vermibus, quod illa non nisi eâ conditione, ut eam redderet promisit, hac ille fide accepit, & erat magnus, & atro capite, cumque intra digitos verteret, ecce in gemmam pulcherrimam versus est, quam ubi juxta promissum mulieri restituere, iterum illa accepit vermem, sed exinde sanitatem consecuta fuit. Ecce auditores, tribulationes omnesquas in hoc mundo patimur gemmæ sunt cœlestis, unde si pulchritudinem illarum possemus intueri, non essent nobis ita molestæ.

V. Christus ex aqua vinum fecit, nec non quinque panibus tot millia hominum satiavit: non denegavit eandem gratiam servo suo Dominico. Cum enim nullus adesset panis in monasterio & jam esset hora refectionis, jussit dari signum pro fratribus eosque in refectorio sessum capere, & ipse oravit & ecce duo formosi juvenes venerunt, panes à dextris & sinistris portantes & mensæ apponentes, cumque veniissent ad Beatum Dominicum & panem dedissent, submissis capitibus disparuerunt. Jam verò quod concernit potus, jussit idem Sanctus è dolio haurire vinum, & cum omnes scirent esse vacuum, hi qui fuerunt missi optimum vinum attulerunt. Aliâ vice itidem factum fuit, cum enim unicus scyphus vini supereesset, illud benedictione sua ita multiplicavit, ut post eum triginta fratres & 104. sorores bene biberint, & tamen plenum scyphum semper habuerint, sed insuper exemplo Christi Domini aquam in vinum in magnovase fratribus commutavit. Ecce quàm verum illud est: *Jacta in Dominum curam tuam, & ipse te enutriet*: & illud aliud: *Quarite primum regnum Dei.* Et quid amplius de Sancto Patre dici posset? nunquid CHRISTI Domini æterni

solis vestigium non expressit ? sane merito. Fuit enim in diebus suis exemplar religionis, virtutum speculum, & imago miracula Christi repræsentans. Fuit tanquam lignum vitæ in medio paradisi, inter fratres suos constitutus. Deo gratissimam, Angelis similem, hominibus admirandam, solis perfectis vix imitabilem duxit vitam. Stratum illius fuit terra vel scamnum, somnus rarus, preces usque ad matutinas & amplius, inter quas sæpe Dæmonem tentantem confudit, & dispulit. Sed quid multis agam verbis ? Dicit de quodam Spiritus Sanctus: *Non est similis inventus illi*; Forte me in periculum darem, si hanc sententiam affigerem S. Dominico. Sed ego assumam audaciam & tentabo. Illa scriptura concernit Sanctum Patriarcham Abraham. Sed nunquid S. Patriarcha Dominicus illi cederet? Ille conservavit legem Excelsi, hic eandem utique usque ad consummationem sæculi per suos filios conservari faciet. Ille fuit multorum filiorum pater; hic est pater talium filiorum, qui doctrinâ & sanctitate gloriam parentis sui usque ad consummationem sæculi perennabunt. Hi enim illi sunt de quibus ait Sanctus Paulus 1. ad Corinth. 10. c. *Nos sumus in quos fines sæculorum devenerunt.* Sed ne videamur Patrem laudare in filiis ad eum ipsum revertamur. Cui te amplius S. Dominice comparabo ? Samsoni ? fuit quidem fortis ille, & invenimus quia captis trecentis vulpeculis, caudisque earum facibus alligatis, succcensis, & dimissis ut discurrerent, combussit segetes Philistinorum. At S. Dominicus una facula cani commissa zizania combussit Albigensium hæreticorum, Samson apprehensis columnis ambabus in quibus una domus sustentabatur, cuncussit eandem, at è contra S. Pater Dominicus Ecclesiam Lateranensem ne corrueret suis brachiis sustentavit. Agamus ergo Deo immortali gratias, qui suam Ecclesiam meritis tanti viri conservare dignatur. Cui laus est & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

IN FESTO S. DOMINICI
Confessoris,

CONCIO II.

Vos estis sal terræ. Matth. 5. v. 13.

CUm Oratores moderni, qui sunt gloriæ cupidiores, si alicujus illustris personæ vitam & facta cum admiratione Auditorum suorum prædicare velint, singulare soleant concionis suæ assumere argumentum; vos fortassis admirabimini, aut etiam ægre ferent vestrum aliqui, sui Ordinis, tantique patris filii dignissimi, quod ego hodiernâ die dicturus aliqua pro parente vestro S. Dominico tam vulgare thema acceperim, nempe: *Vos estis sal terræ.* Sal hujus naturæ esse dicitur, quod si spargatur in terram, eam sterilem efficiat. Unde legimus Jud. c. 9. Quod dum Abimelech unus ex Principibus Israelis expugnasset civitatem Sichimorum sibi adversariam, postquam illam destruxerat, per omnem terram seu spatium illius salem dispergi fecit, eo sane fine, ut effecta sterilis nulli aliquam utilitatem adferre posset: in quam sententiam S. Hieronymus ita ait: *Legimus in scripturis, urbes quasdam ira victorum sale seminatas, ut nullum in ipsis germen oriretur.* At cum Ordo Sancti Dominici institutus sit à Deo, propter communem Ecclesiæ sanctæ fructum, quem jam multiplicem reddidit, & per famosos suos Prædicatores, nec non insignes Doctores, tot jam tantosque manipulos in horreum Domini comportaverit, ut quid igitur sali sterili comparatur: sed mementote Auditores, Christum Dominum S. Apostolos suos sali comparasse, ergo & ego non aberrabo, qui virum Apostolicum S. Dominicum sali comparavi. Vos etiam ubi proprietatem salis plenius agnoveritis, probe percipietis me S. Patrem Dominicum, nec non Ordinem suum præclarissimum, non sine ratione sali comparasse.

Jud 9. v. 45.

S. Hieron. l. 1. com. in Matth.

I. Qui

I. Qui scrutantur naturas & secreta rerum creatarum, multa de sale scribunt; sed quia ego in hac concione mea, non intendo discursum agere de sale ab Alchimistis arte & labore facto, sed de simplici & communi, quo in cibis utimur de ipso mihi dicenda erunt. Ac inprimis illud mihi mirandum venit, quod Deus in antiquo testamẽto præceperit dicens: *Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo, in omni oblatione tua offeres sal.* Cur Deus præcepit in antiqua lege ut omnia sacrificia quę sibi offerebantur, sale condirentur, imò expressè dixit, ut in omni illorum oblatione sal sibi offerretur? Sal & mel sunt sibi valde contraria. Sal enim est saporis acerbissimi: mel autem est dulce, quod oblectat comedentem: & tamen in eodem capite habetur, Deum repudiasse oblationem mellis, aliam verò salis ita adamasse, ut nullum sacrificium sine illo esse voluerit, dicens: *In omni oblatione tua offeres sal*; Sed si consulamus S. Patres, nec non eruditos sacrarum scripturarum interpretes, magnum quoddam mysterium in natura salis inveniemus: Cur Deus in suis sacrificiis noluerit mel adhiberi, pulchrè respondet Doctor Angelicus, D. Thomas de Aquino dicens: *Mel non offerebatur in sacrificiis Dei, ad excludendam omnem carnalem dulcedinem & voluptatem, ab iis qui Deo sacrificare intendunt.* Ejusdem est sententiæ Philo, antiquus Judæorum Autor, qui sic ait: *Mel non ducit Dominus dignum, ut imponatur altari, fortassis, quod hac figura doceat prophanam quamcunque ducendam voluptatem, dulcem quidem haustu, sed cruciatus animæ afferentem difficiles.* Idem confirmat D. Hieronymus, qui explicans illa verba Prov. *Favus distilans labia meretricis*; ita ait: *Mel distillare dicuntur labia meretricis, quod postea fel amarius invenitur.* E contra sal videtur esse aliquid mordax, acutum & ingratum, nihilominus sacrificiis antiqui testamenti adhiberi voluit, cur hoc? Scitis benè Auditores, quod si alicui cibo ut dulcis sit, mel apponas, salis verò obliviscaris, nec quicquam de illo adhibeas, ille cibus est insipidus, & ut insulsus rejicitur, sicut insulsum sacrificium olim repellebatur. Autor quidam insignis Barradius, rationem hujus rei simul cum mysterio eam reddit dicens: *Qui vult à Domino recipi: sale gratiæ sit conditus, gratia enim admirabile & spirituale est sal.* Hinc mihi prima patet via ad

Levit. 2. v. 13.

D. Thom. in Levit.

Philo in Levit.

Prover. 5. v. 3.

Barrad. in Levit.

S. Dominicum Ordinis Prædicatorum Patriarcham. Quamprimum natus fuit in hanc lucem, duo ante se habuit, nempe mel & sal; habuit ante se mel, quoniam Calaregæ in Hispania ex nobilissima Gusmanorum familia natus, ex qua tanquam ex stripe, multi Principes, Reges, quin & Imperatores prodiêre, ad mel, nempe ad delitias & dignitates in hoc mundo degustandas prodierat. Sed Deus qui segregat sibi dilectos ex utero matrum suarum, nolebat ætatis primitivæ S. Dominici, melleum sibi offerri sacrificium, sed potius sale conditum. Quid ergo fit? Dum esset adolescens, imò vix ad normam Samuelis ablactatus à matre sua Joanna, divinæ voluntati obedivit, atque relictâ via dulcedinis nempe mellis, amplexus est alteram acrimoniæ, nempe salis usque adnumeraretur illis, de quibus ait Dominus: *Vos estis sal terræ.* Post expleta artium liberalium atque Theologiæ studia, primum Oxonienſis Ecclesiæ Canonicus Regularis factus, paulò post Ordinem Prædicatorum (in quo egregias salis fodinas se noverat inventurum) instituit.

II. Sancte Patriarcha Dominice, cur te à mundo segregasti? An minus utilis fuisses animabus fidelium, existens in sæculo, quam in Ordine tali qui est segregatus in Evangelium Dei? Sanctus Pater noverat se esse sal, ideo ab aquis debuit separari. Quamvis enim sal ejusdem sit naturæ cum aqua ob humorem, & præsertim cum marina ob saporem, nihilominus quando semel extrahitur ex aqua marina, & exsiccatur ut cibos condiat, sive etiam ex fodinis terræ, jam non amplius debet misceri aquæ, quia alias in eandem resolveretur, & nulli usui deserviret: ita quoque homo abstractus è mundo, & à conversatione populi, qui sunt aquæ juxta illud: *Aquæ multæ, populi multi*; ut officio salis defungatur, debet abstractus esse à mundo. Et cur Deus S. Abraam Patriarcham abstraxit à terra cognationis suæ, & jussit ire aliò? ideo quia volebat & decreverat eum patrem fidei instituere, & creare caput populi credentium, jussit ergo eum egredi de terra sua Chaldæorum, ut segregatus à suis, officio salis defungi posset. Sed descendamus ad novum testamentum. S. Joannes Baptista postquam natus erat, diune manebat in domo patris sui Zachariæ? Legite S. Lucam Evangelistam quid de eo dicat? Ille sanè quam

primum natum descripsit, mox eum posuit in eremo dicens: *Et erat in desertis, usque ad diem ostensionis suæ ad Israel.* Ubi Origenes Homilia 9. in Matt. ita ait. *Quam primum natus, non expectavit Deus ut à patre nutriretur.* Veniamus ad S. Paulum Apostolum: hic de se ipso quid ait? *Segregatus in Evangelium Dei*, Cur eum Deus segregavit? quia debuit fieri sal terræ, ideo segregatus erat; ut officium salis adimpleret. Idem ergo dico de viro Apostolico S. Dominico. Segregavit eum Deus à mundo; ut officio salis fungeretur.

Ad Rom. 1. v. 16.

III. Sed quodnam illud erat? Sale opus est, ut carnes conservet ne putrefiant. Unde Philo doctus Autor, sali assignat secundum quasi locum post animam. Nam sicut anima causa est incorruptionis corporum, sic etiam sal, si aspersum fuerit corpus diutissimè illud in esse suo tenet, & quam diutissimè conservat. Eam salis propriatatem optimè adimplevit S. Dominicus, assiduâ inquam prædicatione verbi Dei, & exemplo vitæ suæ virtuoso. Quoad primum id vobis pulchra quadam figura demonstrabo. Legimus Jud 30. Sangar judicem Israelis talem in scriptura sacra laudem accepisse. *Post hunc fuit Sangar, qui percussit de Philistiis sexcentos viros vomere.* Miratur hic Origenes insolitum modum pugnandi hujus Principis dicens: Aliud genus laudis in Sangar video, aliud in Ajoth Principe, quia Ajoth pugnabat in gladio, iste verò pugnavit in aratro & vicit. Et respondet taliter quod non semper utendum sit gladio, & austeritate, sed aliquando imitandus sit agricola, ut velut aratro sulcans animæ terram aptam suscipiendis seminibus paret. Pauci sunt tales heroes, qui vomere pugnare & vincere sciant. Sed ecce S. Dominicum, qui vomere prædicationis divini verbi agrum animarum scindebat, earumque vulnera salis perfricatione persanabat. Exemplum hujus habetur in vita hujus nostri Sancti, quo semel prædicante quædam matronæ ab hæreticis depravatæ, cum ipsis Diabolum cui servierant in forma deterrimi canis ostendisset, ad meliorem vitæ frugem redierunt. Quod autem virtuosa quoque & exemplaris vita sua, locum quoque salis habuerit, id putet alio exemplo cujusdã scholaris lubrici, qui cum Bononiæ S. Patri ad Missam ministraret, manumque suam in mistrando deosculatus esset, illa odoris fragrantia, quã ille sensit eum ab illa corruptione quasi quod-

Orig. Hom. 4.

dam sal divina virtute liberavit, ut jam posthac omni libidinis sensu caruerit.

IV. Non minus aliam salis virtutem habuit, quæ est condire cibos, cum enim (uti superius dixi) sal significet divinam gratiam, quæ S. Dominico abundantissimè à Deo collata fuit, non est dubium. S. Patrem tam fuisse liberalem, quod illud sal (gratiæ) sibi à Deo datum, aliis quoque hilariter communicaverit. Et quia exempla verbis sunt efficaciora, aliqua audiamus. Acquisiverat S. Pater ad Ordinem suum quendam juvenem, eumque solito indutum habitu ad novitiatum aliorum fratrum recepit, sed non multum post à perversis sociis depravatus, vestem sæcularem quam exuerat, expetiit? quod dum intellexisset S. Pater, permisit eum fieri voti sui compotem, veste sua laica iterum indui, & exire permitti, interea verò cum illi religiosæ vestes deponuntur & induitur sæculari, S. Pater Dominicus, recurrit ad sal conditivum cibos, ad sal inquam divinæ gratiæ, atque pro meliori fruge illius juvenis Dominum exoravit? & ecce vix orationem finivit, adolescens exclamat. En æstuo, en ardeo? extrahite hanc vestem maledictam, quæ me totum exurit. Nullo ergo modo quiescere potuit, donec illa sua veste exueretur, & religiosis indutus vestibus, denuo ad Ordinem rediit. Alius quidem Presbyter sæcularis, audiens Sanctum Dominicum, tam ferventer prædicare verbum Dei, cogitavit eundem Ordinem ingredi, si modò novum testamentũ sibi ad prædicandum necessarium habere posset. Hoc ergo cogitante, adest quidam juvenis, eique talem librum venalem offert, sed cum adhuc dubitaret, atque aperto libro, quid primò in ipso se offerret legendum, auscultaret; occurrit sibi illud: Surge, descende, & vade, cum eis nihil dubitans, quia ego misi illos, statimque surgens eisdem adhæsit.

V. Tandem Tertullianus habet de sale, quòd sit duplicis differentiæ nam ex una parte mollitiem habet aquæ, quæ statim dissolvitur; ex alia verò parte fortitudinem, inveniuntur enim statuæ illius ac si essent è quodam lapide factæ; habebat S. Dominicus talem naturã salis, aliquando enim erat mollis ut aqua, nam peccatis humanis condolebat, unde peccata hominũ in se ipso punire cupiens, ea propter catena ferrea singulis noctibus adeo acriter nudum corpus affligebat, ut sanguinis rivi

defluc-

defluerent, & qui in se ipsum fuit tam severus, in alios tam benignus, & cum adhuc esset adolescens, & videret aliquam fœminam captivitatem filii sui inter Saracenos deplorantem, se pro ilius redemptione vendendum libentissimè obtulerat. E contra fuit durus sicut lapis: nam peccata hominum per conciones arguebat, se veram Dei justitiam prædicabat, hæreses acriter oppugnabat; In hæresi Albigensium expugnanda septē consumpsit annos, cujus quoque laborem indefessum Deus respiciens, eum multis muneribus honoravit; nam tres mortuos suscitavit, aliaq; innumera miracula, vivens & mortuus fecit, qui jam etsi æterna pace perfruatur, ejus tamen Ordo hucusque in eadem salis fodina occupatur. Quo sale conditur mundus, & à corruptione conservatur. Mater verò Ecclesia hinc maximos percipit redditus nempe, hic cœlestis gratiæ, & futurùm gloriæ sempiternæ. Amen.

IN FESTO S. DOMINICI Confessoris,

CONCIO III.

Hic magnus vocabitur in Regno cœlorum. Matth. 5. v. 19.

PErpendens ego istud thema concionis meæ in quo fundare cupio laudes magno Patri & fundatori præclaro, Sacri Ordinis Prædicatorum, nempe S. Dominico nobilissimæ familiæ Gusmannorum, eam in venio differentiam inter Hierarchiam politicam, & cœlestem, quod hic in mundo magni viri esse dicique possunt: vel præcise ob sola tantum facta heroica & præclara, vel ob aliquam doctrinam singularem. Alexander Rex Macedonum, & Pompejus Princeps Romanorum vulgò vocantur Magni, non propter doctrinam, quia nullibi in scholis docuerunt Sed ob celeberrima facinora, quæ per tot victorias & triumphos in diversis præliis ediderunt. Porro Aristoteles heroicum facinus nullum edidit, & tamen vocatur magnus, & Princeps Philosophorum, ob doctrinam & scientiam in qua præ aliis excellebat. At longe alia ratio in cœlesti curia invenitur, ubi non tantum rebus præclare gestis, vel doctrina, sed simul factis & doctrina præditus esse debet, juxta verba Christi; qui fecerit & docuerit hic magnus vocabitur in Regno cœlorum. Unde sacer textus enarrans opera divinæ creationis prius incipit à factis quam à dictis. In principio creavit Deus cœlum & terram; & post pauca subjungit: Dixit Deus fiat lux, & facta est lux. S. Cyrillus id diligenter observat quod in sacris litteris primo dicatur; *Creavit*: deinde; *fiat lux.* Prius opus creationis quam verbi prolatio. Et quale hoc mysterium? Respondet idem S. Doct. hic Sp. S. usum fuisse metaphora. Cum enim juxta doctrinā Theologorum in Deo una eademq; res sit dicere & facere, non ob aliam rationem ponitur in eodem facti præcedentia & dicti consequentia, nisi ut illi qui à Deo aliorum curam sibi commissā habent, eos taliter instruant, ut verba ipsorum efficaciā à factis habeant, & sic cedant in commodum illorum quos instruunt. Hoc est prius operari & postea loqui. Ex quo discursu hic provenit status concionis meæ, nempe utrum S. Dominicus Patriarcha non tantum verbis sed etiam factis docuerit? quod ubi probavero, consequenter & id demonstrabo, eidem quadrare hoc Christi Domini elogium. *Magnus vocabitur in Regno cœlorum.*

Gen. 1. v. 3.

I. Opera & verba: hæc duo, magna difficultate simul combinantur, attamen plusquam certum est, quod sola verba operibus viduata seu destituta nullius sint virtutis, & efficaciæ, quæ quidam prudens Politicus comparavit horologio. Sonat horologium horam duodecimam & dicit aliquis ex auditu hora duodecima est, sed si oculos attollas & monstratricem manum aspexeris, & videris quòd non correspondeat sono, sed horam tertiam indicet, tunc dicis, non esse credendum illi horologio quia ineptum est, & index cum numero ictuum non concordat. Taliter & tu si respicias Doctorem aliquem vel superiorem, & atten-

attendas ad vocem ejus, ſonat humilitatem, ſi autem manum intuearis indicat ſuperbiam, ſi auſcultes linguam ejus, nihil aliud quam contemptum terrenarum rerum prædicat, ſi autem ſcruteris manum, indicat avaritiam; unde totis viribus conandum eſt, ut hæc duo combinentur verba & opera, vita, & doctrina, id enim ab omnibus Chriſtus Dominus, dum ait: *Sic luceat lux veſtra, coram hominibus ut videant opera veſtra bona.* S. Pater Dominicus non ſolum doctrinæ & prædicationis luce, ſed etiam bonorum operum & virtutum, & inprimis ardentiſſimæ charitatis radiis, lucebat toti mundo, quin in ipſo ortu vitæ ſuæ hujus futuræ lucis ſigna demonſtravit. Cum enim adhuc à matre ſua portaretur in utero, illa exiſtens gravida ſibi viſa eſt per quietem continere in alvo catulum, qui facem ore proferens, orbem terrarum incenderet, quo ſomnio ſignificabatur fore, ut ſplendore ſanctitatis & doctrinæ ejus gentes ad Chriſtianam pietatem inflammarentur.

Matth. 5. v. 16.

II. Vocavit Deus quadam vice ad ſe Moyſen, eique mandavit ut faceret arcam, propitiatorium, Cherubinos, menſam panum propoſitionis, & particulariter candelabrum. *Facies & candelabrum de auro mundiſſimo.* Hæc omnia continent ſumma myſteria quæ declarat S. Thomas de Aquino Doctor Angelicus 1.2.P. Sed nos immoremur hic in ſolo candelabro. Quid eſt quòd Deus ita accuratè & ex auro puriſſimo fieri candelabrum voluerit? Sed reſpondet Doctor Nilus dicens: *Non audis verba Domini dicentis; ut luceat? ergo noli mirari mandatum, illi enim qui alios illuminant, omnino expoliti, ut illud candelabrum, eſſe debent.* Sanctus Pater Dominicus, audiverat illa verba Domini: nemo accendit lucernam & ponit ſub modio, ſed ſuper candelabrum ut luceat omnibus, quaſi ſibi dicta fuiſſent, qui poſt abſoluta artium & Theologiæ ſtudia, primum Oxonienſis Eccleſiæ Canonicus fuit Regularis, ut non ſibi ſoli ſub modio, ſed ſuper candelabrum pluribus quin omnibus lucere poſſet, clariſſimum Prædicatorum Ordinem, unde innumera totius ſanctitatis & doctrinæ exempla in Eccleſia permanarunt, inſtituit, quo in ſtatu quam ſanctam vitam duxerit; teſtes erunt illæ noctes quas in Eccleſia quotidie pene ducebat inſomnes, teſtes erunt, orationes ſuæ ferventiſſimæ, & multoties lachrymarum rore refrigeratæ, quas modo in genua procumbens, modò toto corpore proſtratus orabat, teſtis erit illa catena ferrea qua ſingulis noctibus, adeo acriter nudum corpus affligebat, ut ſanguinis rivi defluerent, teſtabuntur varia itinera, quæ in procuranda ſalute hominum nudis pedibus, etiam per loca aſpera conficiebat, teſtabuntur ſua jejunia qui carnes nunquam edebat, jejunia verò nec æger ſolvebat, teſtabitur lingua cujus cuſtos erat obſervantiſſimus, non niſi enim cum Deo aut de Deo colloquebatur, ac vix de rebus aliis illi ſermo erat. Tandem teſtabitur ipſamet ſua conſcientia, quam ſine labe peccati lethiferi (Dei gratia) ad mortem uſque conſervavit.

III. Tantæ nobilitatis eſt natura lucis inquit Sanctus Chryſoſtomus, ut ſi aliquid increatis, tunc certè lux ipſa à ſuperbia excuſari poſſet: & tamen mirabilis eſt natura ſua, cum enim elevari & extolli deberet, ſemetipſam deprimit & humiliat. Verba ſunt D. Doctoris. *In ſole totum, Deus contrarium fecit, ipſius radios ad terram convertit, & lucem fecit inferius vergere.* Idem ego comperio in Sancto Dominico, cujus lux cœleſtis quo magis radiabat, eò plus in imum declinabat, ſuoſque radios in profundam humilitatis vallem demittebat. Hic S. Pater reſuſcitaverat à mortuis filium cujuſdam viduæ, ubi miraculum ſummo Pontifici innotuit, ſeriò conſtituit, ut pro concione in tota urbe divulgaretur. At ubi hoc vir DEI percepit, Pontificem Maximum adit, & ne id fieret ſupplex maximis Lachrymis petiit, mandatum ut revocaret, exemplo enim & confeſtim ſe Roma diſceſſurum. Factum ſimile illi quod ſponſo cum ſponſa accidit. Cœpit ille ſponſam ſuam dilectiſſimam magis efferre laudibus Cant. 4. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchri oculi tui columbarum.* Audit ſponſa laudes & encomia & inſolito ſtupore attonita, vel quaſi pudore confuſa reſpondet ſponſo. Vadam ad montem myrrhæ Quæ verba explicans doctiſſimus Doctor Almonaricius ita ait: Cum ſponſa audiſſet tot tantisque laudibus ſuam pulchritudinem celebrari piæ modeſtiæ pudore quodam ſuffuſa, voluit ſe ſubtrahere ab aſpectu ſponſi, & ad montem myrrhæ aſcendere. Non abſimile contigit eidem ſancto viro. Cum enim Neapoli, nobilem Romanum, & nepotem

cujusdam

cujusdam Cardinalis, qui dejectus ex effræno equo & in partes fractus, animmam efflavit, iterum (ardentissimis precibus in Missæ Sacrificio cum lachrymis consummato) ad vitam revocasset, summusque pontifex hoc nobilissimum miraculum per omnes Ecclesias publicari statuisset, S. Dominicus ubi tale decretum rescivit, clanculò Româ discessit, ne laudes & auram popularem occupari videretur.

IV. Quo in facto sese ad exemplum Christi Domini S. Dominicus conformabat, singulari enim acumine observavit doctus Novartinus teste S. Joanne Evangelista c. 12. Qualiter Christus Dominus binâ vice graviter fuerit perturbatus. Primo dum venirent ad eum gentiles, habentes illum in maxima æstimatione & gloria, uti patet ex verbis Christi: *Venit hora ut clarificetur filius hominis.* Statim hæc verba subjungit. Nunc anima turbata est. Alio autem tempore turbatus fuerat, dum Lazarum sepultum & jam quadriduanum suscitare debuit. infremuit spiritu & turbavit se ipsum. Ponderat hic Doctor illas duas Christi actiones & tandem eam invenit rationem: utriusque humilitatis Magister nos docere voluit, ut ea quæ ad gloriam nominis faciunt, laudemque nobis pariunt, cum turbatione excipiamus, Id fecit S. Dominicus, qui binâ vice, uti audistis, Romanam curiam ob resuscitationem mortuorum sibi applaudentem tulit ægerrime, ubi imitatur maximam Christi humilitatem.

V. Sed inter cæteras dvinas virtutum dotes summa chatitate enituit, salutem enim animarum tam sibi quam toti Ordini præcipuum scopum præfixerat; Pro salute enim fidelium zelabat ut alter Elias. Ardebat quasi facula pro zelo pereuntium. Sed quic hic immoror? comparans illum Eliæ, qui majorem Propheta invenio cui S. Dominicus comparari possit. Dicam ergo quod S Patriarcha Dominicus in terris fuerit alter Christus. Quemadmodum enim hic ut fons & primordium lucis, Apostolis suis lucem infudit, secundam & participatam nempe à prima procedentem. *Vos estis lux mundi.* Non secus Patriarcha noster, talem instituit ordinem, cujus alumni forent preclara mundi lumina. Ministerium siquidem prædicationis Evangelicæ, quod Servator noster per semetipsum suosque Apostolos exercui, Sanctus Patriarcha Dominicus, per se suamque sanctam familiam ferventissime ad ultimum usque finem vitæ suæ, quam finivit felicissime, est prosequutus. Judicate igitur an justum thema assumpserim. Hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Magnus erat & est in terris, quia fecit & docuit. Nunc jam magnus est in cœlo. Illius enim Regis præmiis gaudet immortalibus. Cui Psalmista tale dat testimonium Psal. 47. *Magnus Dominus & laudabilis valde, & magnitudinis ejus non finis.* *Math. 5. v. 14.* *Psal. 47. v. 1.*

AMEN.

IN FESTO S. DOMINICI
Confessoris,

CONCIO IV.

Collocavit ante paradisum voluptatis Cherubin. Gen. 3. v. 24.

NOta est vobis Auditores mei sacra illa historia Gen 3. in qua recenseturqualiter post peccatum primi parentis nostri & ejectionem ejusdem è paradiso collocaverit Dominus Cherubin ante paradisum voluptatis. Per istum paradisum nihil tam proprie intelligere possum, quam Christi Domini Ecclesiam, idq; ob graves rationes. Nam sicuti ille paradisus, plantatus erat à Creatore universi Deo, ita quoq; alter paradisus, nempe S. Ecclesia plantationem suam habuit ab arbore crucis Christi Jesu, à qua lignum vitæ pullulavit, ut omnis qui credit in ipsum habeat vitam æternam Deinde erat quidam fluvius in

paradiſo quo totus irrigabatur, & hic in quatuor partes dividebatur. Alter paradiſus nempe S. Eccleſia meliori irrigatur fluvio, ſi enim ipſum latus Chriſti apertum pro mananti fonte accepero, mox etiam aliæ quatuor partes objiciuntur mihi nempe, manuum pedumque vulnera, è quibus ſanguis copioſe erum pens, cor noſtrum irrigat & *emundat nos à peccatis noſtris*; Sicuti ergo Deus teſte ſacro tex-
1. *Ioan.* 1. tu collocavit ante paradiſum voluptatis Cheru-
v. 19. bin, ſic Chriſtus Jeſus ante paradiſum ſuæ Eccleſiæ alterum collocavit Cherubinum, nempe S. Patrem Dominicum. Sed nunquid huic Sancto Patri quadrabit tam præclarus titulus Cherubini? id in hac concione ponderabimus.

I. Quodnam officium fuerit Cherubini ante paradiſum collocati, id patet ex ipſo textu ſacræ ſcripturæ, quæ ait collocatum fuiſſe ad cuſtodiendam viam ligni vitæ, ſi per lignum vitæ Chriſtum Jeſum intelligamus, qui eſt in medio Eccleſiæ ſuæ, tanquam mediator noſter verus; ejus paradiſi dicemus cuſtodem, alterum Cherubinum nempe S. Dominicum, rationem hujus officii ſui, inſinuat mihi S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, qui dicit hoc nomen Dominicus idem eſſe, ac ſi diceretur *Domini cuſtos*. Deinde, num aliquando
S. Ant. 3. *P.* l. 22. c. 1. Dominicanæ religionis ſigillum conſideraſtis? quod catellum faculam ore proferentem repræſentat? Quid nam obſecro canis hic lucifer ſignificat? S. utiq; Patriarcham Dominicum, ſub hac namque figura, matri ſuæ dum adhuc in utero geſtaretur demonſtratus fuit, dicente Theodorico ſcriptore vitæ ſuæ hiſce verbis: *Vidit utero geſtare catulum, ardentem ore faculam ferentem.* Per hoc ſymbolum quid aliud Deus ſignificare voluit, quam
Li. 4. *c.* 8. eum in utero ſuo hominem claudi, qui ob virtutes quibus erat præditus, & talentum quod executurus erat, Cherubinus potius, quàm homo æſtimandus erat? Cum etenim canis, gregum, rerumq; humanarum, & horroris cauſa cuſtodiæ ſit deputatus, Cherubinum illum ſignificare poterat, quem Deus ad horti deliciarum ſive paradiſi cuſtodiam adhibuit. Et quia Cherubin ille flammeum dextrâ enſem ferebat: ideo S. Dominicus, non ſolum per canem uti matri ſuæ demonſtratus fuit, ſed propriè etiam exhiberetur, indicatus eſt per catulum, ardentem faculam ore ferentem. Cum enim ſacri hujus Ordinis Prædicatorum dicti, fundamenta jeciſſet, tantum in prædicatione verbi Dei S. hic prædicator laboravit, ut non ſecus ac alter Cherubinus, per faculam zeli divini, quam quaſi gladium flammeum prædicando præferebat, Eccleſiæ paradiſum, ne hæretica pravitate contaminaretur, defenderit, & cuſtodierit. Et quia hac in re ſe admirabilem ut alter Elias fervens & zelans comprobavit, ideo S. mater Eccleſia, ob reſpectum ſuorum meritorum, filios quoq; ſuos, hoc inquiſitionis officio honorate non ceſſat. Quid enim hæreticæ pravitatis inquiſitiones aliud ſunt, quam totidem Cherubini, qui flammeum enſem manu ſuâ vibrantes Sanctam Dei Eccleſiam generoſe cuſtodiunt.

II. Qui ſacram ſcripturam ſæpius legant, in ea invenient Deum Cherubinis adeo delectari, ut hos præ cæteris miniſtros ſe habere velle videatur. Ad paradiſi fores quas magno zelo cuſtodit, adhibuit Cherubinum, Moyſi præcepit, ut circa arcam, in qua commoraturus erat, duos Cherubinos ſtatueret. In templo ſuo innumeros Cherubinos depingi voluit. Iterad locum aliquem facturus, Cherubinis, e quorum loco inſidebat, & demum ſedere volens, non aliunde quàm ex ſolis Cherubinis ſedem ſibi erigi voluit. Quænam autem cauſa eſt, quod Deus Cherubinis tantoperè delectetur? Audiamus qualiter Oleaſter reſpondeat: qui ſic ait: *Oleaſt.* *Videtur Dominus Cherubinorum figuris, qui* 29. c. in *ſunt maximæ velocitatis, delectari, ut oſtendat* Exod. *nobis, quantum delectetur in iis, qui ſummâ diligentia faciunt verbum ejus.* S. Pater Dominicus quàm velox & ſollicitus fuit in divino ſervitio, id fideliter ſuorum geſtorum ſcriptores teſtantur, & præ cæteris gravior teſtis omnique fide dignus S. Antoninus. Quod poſtquam *S. Anton.* lætus aſpexit Ordinem ſuum à ſede Apoſtolica eſſe confirmatum, tunc jam noctes duxerit in ſomnes in Eccleſia, ac modò in genua procumbens, modo toto copore proſtratus oraverit, & ſi quando gravior ſomnus feſſa membra obrueret, nixum altari, vel ad durum lapidem capite inclinatum, paululum quieviſſe, ut autem corpus quod aggravat animam levius ad currendum in via Dei redderet, illi cauteria adhibebat, catena enim ferrea ſingulis noctibus adeo acriter nudum corpus affligebat, ut ſanguinis rivi defluerent. Hoc dum

auditis,

auditis, dubitatis ipsum fuisse Cherubinum? Et quis hominum tam velociter currere queat?

S. Grego. Papa. *Nemo repente fit summus*, ait S. Gregorius. Sanctus igitur Patriarcha Dominicus, qui ita corpus suum affligebat, ac in via Dei tam velociter properavit, vere Cherubinus dici debet.

S Bonav. III. Cum S. Bonaventura in civitate Assisiensi de S. Francisco sermonem habiturus septimum Apocalypseos caput, sibi ob oculos statuisset, in quo S. Joannes sic ait. *Vidi alterum Angelum ascendentem ob ortu solis habentem signum Dei vivi.* Mox adjecit animum comparandi S. Franciscum illi Angelo, cum tamen id præsumere à se ipso non auderet, uti ille S. qui in rebus arduis cum Domino Deo conferebat, à quo multa mysteria divina sibi revelari solebant, cupidus scire, quisnam Sanctus per Angelum illum significaretur, genibus flexis Deum rogavit, ut sibi tale secretum revelaret, & ecce uti refert Pisanus vox de cœlo lapsa ad eum dixit. *Frater Bonaventura, figura illa literaliter dicta est de S. Francisco.* S. Pater dictis talibus facilè fidem annuit. Erat enim Sanctus Franciscus Angelus in corpore, aliorumque frater Angelorum quibuscum assiduè conversari solebat. Similiter habebat signum Dei vivi, nempe quinque stigmata vulnerum Christi Jesu, impressa suo corpori, Sed amplius notandum est, non dixisse ibi S. Joannem Apostolum se vidisse aliquem Angelum, sed alterum Angelum. *Vidi alterum Angelum.* Quasi ante hunc visum, adhuc alium quendam vidisset, ita ut hic esset secundus. Quamnam autem putatis fuisse Angelum qui ante S. Franciscum fuerat visus? S. Bernardus p. 2. serm. 60. opinatur Angelum hunc fuisse S. Dominicum, utpote qui antecessit S. Franciscum. Verba ipsius hæc sunt. *Vidi alterum Angelum. Præcesserat enim ante eum Angelus, vir inquam gloriosus Dominicus, in Angelica vita pariter & doctrina.* Cum igitur S. Dominicus, Angelus quidam fuerit, quid mirum si illum dicamus fuisse Cherubinum Eo ipso enim, quo præcessit in Angelica doctrina, Cherubinus esse debuit, qui plenitudo scientiæ interpretatur.

Apoc. 7. v. 2.

Pisan. 2. p. lib. 3.

S. Bern. p. 2. ser. 6.

IV. Peregrinum fortasse valdeque insolitum vobis videbitur, quod hominem, Cherubinorum naturæ assimilare audeam, sed mihi vitio non vertetis, si adhuc ante Sanctum Dominicum aliquem hominem vobis ostendero, qui erat verus Cherubin. Quod enim obsecro magnum illum Doctorem gentium fuisse existimatis? Num forte hominem, aliis hominibus parem? Homo utique fuit, neque enim id negare possumus, verum adeo mutatus, atque ab aliis hominibus segregatus, ut non homo sed Cherubin quidam fuerit æstimatus. Audite quid dicat Sanctus Bruno scribens de laudibus Ecclesiæ Christi JESU; cujus verba sunt hæc. *Vis videre Cherubin? respice Paulum.* Tanta quippe in hoc Sancto Apostolo scientiæ & sapientiæ fuit plenitudo, ut quendam in terris Cherubin repræsentarit, verus quidam Cherubesse debebat, qui in schola paradisi, ubi Spiritus Cherubici docētur, divinaque adimplentur scientia, tantam scientiam & sapientiam hausit. Quia igitur hic Cherubin Sancto Dominico in Ecclesia Sancti Petri Romæ orānti, die quadam apparuit, eidemque librum in manus porrigens dixit: *Vade, prædica, quia ad hoc ministerium es electus.* Videtur tunc donum scientiæ, quod per librum intelligitur, ei impertisse, & cum Cherub plenitudo scientiæ intelligatur, si ergo quemadmodum homo ab homine, leo à leone, sic etiam Sanctus Dominicus, terrestris antea, nunc verò cœlestis Cherubin, ab altero Cherubin nempe S. Paulo Apostolo, illud jus nominis Angelici hæreditavit.

S. Brun. 4.

Iacob. de Voragine. Serm. 2.

V. Sed quid Angelum ipsum vocem, cum quod amplius est filium Dei appellare possim? Argumentum hujus conceptus mei hinc aggredior. Scribitur Matth. c. 2. Quod cum illi tres Magi orientis stellam secuti fuissent, quæ ipsis nativitatem magni Regis nempe Christi Domini figurabat & ostendebat, tandem postquàm eos perduxit ad ipsum locum nati infantis, nempe ad præsepe in quo natus JESUS jacebat in cunis, tunc illa stella non incedebat, sed se posuit supra caput Christi Domini. Sic enim sacer textus habet: *Stella antecedebat eos, usque dum veniens staret supra ubi erat puer.* Tametsi in eo loco Beata Virgo Maria, mater Christi, & Sanctus Joseph ejus nutritius, ut fortasse nonnulli alii commorati fuerint, stella tamen illa, nullius horum capiti sed solius Christi vertici super eminuit: *Supra ubi erat puer.* Quamobrem id factum esse putatis? ad demonstrandum puerum illum, verum Dei filium esse. Audite hâc de re Divum Chrysost. dicentem *Stella ad locum perve-*

Matth. 2. v. 9.

Hom. 7. in Matth.

Perveniens, super ipsum pueri stetit caput: ostendens profecto Dei filium esse qui natus est. In vita Sancti Dominici habetur quod dum bapizaretur, stella infronte ejus apparuerit. Si ergo stella super Christi capite visa, ipsum Dei filium demonstrabat, utique stella in fronte Sancti Dominici conspicua, ipsum quoque Dei filium ipsum esse judicare debebat. Cum hac tamen inter utrumque differentia, quod una stella Christum Dei filium naturalem, hæc verò altera Sanctum Dominicum filium Dei adoptivum judicaret. Addo & illud? Sanctum Dominicum similem quodammodo fuisse Dei filio, sicuti enim Deus Pater, filio suo petenti nihil denegabat, sic etiam ab eodem Sancto Dominico petenti, sicuti ipsemet socio suo Reginaldo fatebatur, nihil unquam denegatum fuit: unde inter plurima quæ patravit miracula ad similitudinem Christi tres mortuos suscitavit. Si ergo se fuisse filium Dei comprobavit. Cur non Cherubinum? Benedictus Dei, qui tantis Sanctos suos honorat privilegiis, quorum patrocinio nos hic adjuvemur, ipse verò collaudetur in sæcula. Amen.

IN FESTO S. DOMINICI
Confessoris,
CONCIO V.

In vita sua suffulsit domum & in diebus suis corroboravit templum. Eccl. 50. v. 1.

GEneroſi illi antiqui Heroës habuerunt ſuos Oratores & Poëtas, qui facta illorum illuſtria, ab illis terra marique perpetrata fabuloſis & fictis interdum titulis celebrabant, ſic extollebant Atlantis ſummam fortitudinem, dicentes: ipſum cœlum ad caſum inclinarum humeris ſuis ſuſtentaſſe. Sic etiam fortis ille Hercules ob geſtorum ſuorum excellentiam, tale à Seneca accepit elogium: *Intutum meas laudes recepi, nulla me tellus silet.* At S. Pater Dominicus, Ordinis Prædicatorum Fundator egregius, inter cœteros Eccleſiæ S. Principes, nempe inter diverſorum Ordinum Patriarchas quàm longè ſuperaverit Heroës mundi hujus, verba ſacræ ſcripturæ Eccl. 50. à me in teſtimonium ſuorum factorum mutuata, id luculenter teſtantur. Hodie enim non fictè, ſicut de Atlante, ſed verè meritoque dicere poſſum: *In vita sua &c.* Hæc ergo verba aſſumo in laudes S. Dominici, quas vobis cum doctrina morali demonſtrabo.

I. Si hodierna die ſecundum literalem ſenſum thematis hujus, à me propoſiti, Sanctum Patrem Dominicum laudare vellem, benè equidem poſſem, & quidem compararem illum Benjamin Patriarchæ, quem cum S. Patriarcha Moyſes benedicere vellet, in hæc verba prorupit: *Benjamin amantissimus Domini habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo tota die morabitur & inter humeros illius requieſcet.* Deut 33. v. 12. Notate quæſo iſtum terminum. *Amantiſſimus* Dantur namque gradus amatorum, primus vocatur amans, ſecundus amantior, tertius amantiſſimus, id eſt cæteris amore præſtans. Hic (inquit ſacra ſcriptura) eſt Benjamin. Sed quonam argumento dictum hoc ſuum confirmat? Quia inquit *habitabit in eo Deus, & dulciter inter humeros ejus requieſcet.* Oleaſter & alii expoſitores literales, explicant hunc locum de templo Salomonis, quod ſub dictione hujus tribus fuit ædificatum, & idcirco ait, quod Deus requieſcet in illo, quodque templum ejus humeros Benjamin eſſet habiturum pro fundamento. *Quia* (ut Autor ait) *terra Benjamin erat ab utroq; latere templi, aut templum in terra ejus:* ac ſi diceret. Templum illud habiturum perpetuitatem, quia Benjamin humeros ſuos, veluti baſin ei ſuppoſuit. S. Patriarcha Dominicus, meritò alter Benjamin dici poteſt. Erat enim amantiſſimus Domini, qui reciprocum amorem pro eodem, & qui ſolus electus erat à Domino, ut labentem ejus

Eccleſi-

Ecclesiam tanquam alter Atlas aut fortissimus gigas sustentaret. Evidens hujus rei argumentū erat illa Lateranensis Ecclesia, quam labentem suis humeris Pontifici Innocentio visus fuerat sustentare. Quæ igitur dicta fuerant à Moyse de Benjamin, ea rectissimè Sancto Patri Dominico applicari possunt, ipse enim ille est, qui *in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroboravit templum.*

II. Sicuti similitudo seu comparatio ita & ipsemet sensus literalis est valde elegans. Sed mihi non est propositum animusque in eo quiescendi, quin alium longè nobiliorem, id est spiritualem inquirendi, nempe illam summi pastoris visionem in somnis habitam, non de ruina templi meterialis sed spiritualis fuisse intellectam, cui Sanctus Dominicus humeris suis sustentando talem fabricam, obviavit. Meministis verborum quæ ex ore Dei retulit, Angelus ille, cujus meminit Sanctus Joannes Apocal. 3. cap. sic ait: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Doctissimus Hugo de Sancto Victore, explicans conditiones requisitas in viro Sancto, ut sit columna in templo Dei, non obscure, sed manifeste testatur, talem fuisse S. Dominicum. Hæc enim sunt verba autoris *Sublimis per contemplationem, & alios quidem sustentet verbo consolationis.* Ubi duo notat in eo qui Ecclesiam Dei sustentare debet. Primum ut sit humilis in commiserando & aliis succurrendo: & quis altius ascendit per contemplationem, quàm gloriosus Pater Dominicus.

III. Sed servemus Ordinem scalæ ut ab imo gradu ascendamus ad supremum. Sanctus Pater Dominicus non è vili fuit natus familia, sed ex nobilissima Guſmanorum stirpe prodiit, accessit & illud ad eam sanguinis nobilitatem, quod post liberalium artium, & Theologiæ studia absoluta, ad dignitatem Ecclesiasticam evectus & Oxoniensis Ecclesiæ Canonicus factus fuerit. Sed postquàm in eo statu aliquamdiu permansisset, ulteriorem ascensum ad majores dignitates pertimescens, statuit in corde suo retrocedere & per eādem scalam descendere, ideoque ut in humilitate servire Deo posset, præclarum Prædicatorum Ordinem instituit, in quo virtutum suarum fundamenta à prima humilitate jecit, cui tantam compassionem & commiserationem in proximos suos sociavit, ut sicuti dum adhuc juvenis fuisset in seculo, fame invalescente pauperibus subveniebat; quin pro alendis ipsis libros suos vendebat: ita quoque quin multo amplius in sacro Ordine ea compassione præcellebat, ut eam quoque DEUS maximus suis miraculis illustrare dignaretur. Mirabile certe illud quod Romæ fecit. Quædam eximiæ sanctitatis fœmina, laborabat morbo gravissimo, ut ex ejus pectore vermes scaterent, quam Beatus Dominicus sæpe visitavit, & ei etiam sacram Eucharistiam cerbio porrexit, petiit ab illa ut ei ostenderet locum corrosum vermibus, quod ipsa fecit, & ab ea commiseratione ductus, petiit sibi donari unum ex his vermibus, quod illa non nisi ea conditione promisit, ut eum iterum ei redderet: hac ille fide accepit, erat autem vermis & magnus & atro capite, cumque intra digitos eum verteret, ecce in gemmam pulcherrimam versus est, quod videntes fratres ne redderet rogaverunt, at illa non destitit illum repetere, quem cum in fenestellam positum recepisset, in gemmam vermem conversum vidit. Tandem Dei gratia, & Sancti viri meritis sanata fuit. Pulchra doctrina Auditores sunt gemmæ cœlestes, infirmitates & tribulationes pro Deo in hoc mundo, quas patimur extrinsecus vermes apparent. Sed intus gemmæ sunt plenæ pulchritudine, multumque apud Deum pretiosæ. Plura exempla humilitatis & charitatis erga proximos Divi Dominici taceo, quia ad enumeranda tempus mihi non sufficeret; Sed ad alterum gradum veniamus & sublimius ascendamus.

IV. Sanctus Pater Dominicus, sicuti humilis erat per compassionem, ita sublimis fuit per contemplationem. Testes hujus veritatis appello frequentes illas ecstases, & crebros raptus, quos fere continuò patiebatur: nec mirum, trahebatur enim sursū à magnete suo Christo, cujus similitudinem non solum per virtutes sacras, nempe per jejunia, vigilias, orationes, charitatem, per obedientiam, castitatem, & paupertatem in se ipso exprimebat, sed etiam ad similia quæ CHRISTUS patraverat miracula admissus fuisse videbatur, nam multas infirmitates persanavit, à naufragio maris plurimos liberavit, tempestatem sedavit, aquam in vinum convertit, exiguam vini quantitatem multiplicavit, & tandem tres mortuos suscitavit. Fuit procul dubio columna fortis quam DEUS in Ecclesia sua firmavit, ipse

enim toto fere vitæ tempore in hæresi confutanda laboravit, & in solis evertendis Albigensibus hæreticis continuo septem consumpsit annos: sanè non sine mysterio à matre sua gravida visus fuit in forma catuli, nam sicuti ipse gregem Domini fidelissime custodiebat & defendebat, sic idem nunc fratres sui prædicatores facere non desistunt. Vitriacus Cardinalis ponderans illa verba Joannis cap. 10. Ego sum pastor bonus. Discurrit ad hunc modum. Pastor es ô Domine, necesse igitur est, ut canes habeas gregis custodes, & deinde ait Sermone. 3. Dominicæ post pascha. *Habet tot canes quot habet sub se prædicatores, linguam medicinalem more canum habentes, & super gregis custodiam nocte vigilantes.* Et qui sunt isti canes, nisi Fratres Ordinis Prædicatorum, quem Sanctus Dominicus ante nativitatem suam (in cane latrante præfiguratus) instituit.

V. Philippus Rex Macedonum obsederat olim gravissimè urbem Atheniensem, tandem cives cum rogarent pacem, respondit se obsidionem soluturum; *Tantum si decem sibi dederint Oratores.* Audivit inter cæteros hanc Regis petitionem Diogenes, & ait: *Convenerunt olim lupi cum pastoribus, dicentes; nullum sibi cum his vel ovibus dissidium, tantum cum canibus; hos removerent, & pacem fore stabilem: deduntur canes, mox lupi grassantur impunè.* Erant ea tempestate Oratores, quod hoc tempore sunt prædicatores, canes qui latratu doctrinæ suæ custodiebant civitates, easque monitis suis gubernabant, ut ne hostes quidem ad eas proprius accedere præsumerent, iis verò sublatis civitates suo imperio subjugandas & evertendas sibi promitterent. Pari modo ad rem nostram audebo dicere: Canes Ecclesiæ esse fratres Prædicatores, qui lupos, id est infideles, erroribus suis Ecclesiæ nocere cupientes abigunt & repellunt, si illi deficerent, gravia mala timeri possent, sed cum juxta DEI testimonium sint permansuri usque ad consummationem sæculi, quantumvis interdum perturbetur Ecclesia, Prædicatoribus adjuta, ruinæ metu secura & immota semper persistet. Fatentur id ipsimet summi Pontifices. Nam Urbanus 4. fratres Prædicatores à zelo DEI commendat. Alexander Quartus appellat eos propugnatores fidei. Paulus Sanctum Ordinem Prædicatorum dicit brachium dextrum Ecclesiæ. Ob quæ testimonia firmiter mihi persuadeo, mundum & Ecclesiam DEI multum debere Sancto Dominico ejusque familiæ, qui suo fratrumque labore in vita sua sustulsit domum, & in diebus suis corroboravit templum. Ob quod sit Deus benedictus in sæcula. Amen.

IN FESTO S. DOMINICI
Confessoris,
CONCIO VI.

Laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset. Lucæ. 16. v. 8.

AUditores gratiosi. Sancta mater nostra Ecclesia, hac hodiernâ Dominicâ, quæ in confraternitate Sanctissimi Rosarii, est prima hujus mensis Augusti, celebrat solemnem memoriam S. P. Dominici, quem ego non more Oratorum Romanorum ex rostris, neque more Græcorum, qui antecessorum suorum illustrium facta (circumferendo eorundem imagines) prædicabant, sed Christiano more, ex sacris scripturis, nec non ex auten-

tentica vitæ suæ laudabilis historia, Sanctum inquam Ordinis Prædicatorum Ducem, & Patriarcham, coram præclarissimo hoc vestrum Auditorio prædicare cupio. Sed ubinam laudum suarum in veniam argumentum? Si me convertam ad historiam Evangelicam? hodiernæ Dominicæ, in illa invenio quendam villicum, sed villicum iniquitatis, qui multa bona Domini sui dissipavit: Si verò me convertam ad Evangelium hodiernæ festivitatis, cujus initium à sale incipit dicente Domino; *Vos estis sal terræ*: timeo ne forte laudes tanti Patris magis obscurem, quàm in lucem prodam, & filiorum hujus familiæ religiosæ (quæ parentis sui honorum summè zelat) indignationem incurram. Quid enim villico iniquitatis infamius? quid sale sterilius? ergone *fidelis servus & prudens* quem S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus magnum animarū æconomum vocat, villico iniquitatis comparabitur? ergone hic, qui plurimos in Ecclesia S. fructus protulit, sterili sali comparabitur? sed venia vestra Auditores: siquidem sacer textus ait: *Laudavit Dominus villicum iniquitatis*. Non quod substantiam Domini sui dissipaverit, sed quod prudenter egerit. Unde occasione hujus villici, quem Dominus à prudentia politica collaudavit, ego quoque prudentiam S. P. Dominici, quam in æconomia spirituali demonstravit, Auditoribus meis demonstrabo, & in ea laudum suarum argumenta quæram.

Matt. 5. v. 13.

In vita S. Domin.

I. Tota villici hujus prudentia in eo consistebat, quod audiens à Domino suo se (post rationem datam) non amplius villicaturum: de substantia Domini sui prospexerit sibi in futurum. Nam uni debitorum qui Domino suo debebat centum coros tritici, condonavit viginti; jussit ut discissa priori syngrapha sciberet in alia se obligari ad 80. Similiter alteri qui debebat centum cados olei, donavit quinquaginta, quo stratagemate, sibi amicos conciliare studebat, ut cum amoveretur à villicatione, reciperent illum in sua tabernacula. Si ergo Dominus villicum iniquitatis collaudavit (quia etsi in Dominum suum fraudem commiserit, pro se tamen prudenter egerit) quantò majori laude dignus erit S. Dominicus, qui nullâ fraude commissa, suoque Domino nullo prorsus damno illato, villicationem sibi concreditam, cum amplissimo redditurum, bonorumque Domini sui incremento administravit. Sed quænam fuit æconomia S. P. Dominici? major sanè quàm fuerit villici iniquitatis Nam villicus, duo videbatur sibi concredita habuisse, nempe villam cum familia, & deinde agros vineasque cum suis fructibus. Et hoc patet ex textu Evangelico. Quia ille convocatis Domini sui debitoribus, uni illorum condonavit partem tritici, alteri verò partem olei: fortè si sub potestate sua plura habuisset, plura quoque Domino suo subtraxisset. Spiritualis villicus Sanctus inquam Pater Dominicus, ampliorem administravit æconomiam. Nam inprimis villæ Domini sui diligenter curam habuit, ne in aliquo damnum pateretur. Deinde in excolendis agris Domini sui erat assiduus, & tandem in vinea ejusdem à manè usque ad vesperum sedulo laborabat. Quod autem plus est, non solum labore suo, ditavit Domini sui horrea & granaria, non absimilis Sancto illi Joseph Patriarchæ, qui tempore famis quæ erat in Ægypto pro alimentis populo exhibitis quorum in granariis Regis summam collegerat copiam, totam terram & cunctas possessiones Ægypti, Regi subjugavit. Non solum de oleo implevit sua torcularia, sicut quandam Elisæus vasa viduæ. Sed quod amplius est, ut & magis redditus Domini sui sublevaret, etiam salis diligentem æconomiam, curamque habuit, ut ex administratione ejusdem, non exigui sed magni fructus & redditus Domino suo provenirent. Hæc in parabolis dixi; rem ipsam audite.

Genes. 4. v. 57.

4. Reg. 4. v. 6.

II. Per illam, domum intelligo, non hanc materialem, quæ construitur ex lignis, & lapidibus, sed teste S. Paulo: *Domum non manufactam, æternam in cœlis*. Per agrum (juxta D. Ambrosium lib. de viduitate) fertilitatem Ecclesiæ dico, qui sic ait: *Agrum hunc Ecclesiæ fertilem cerno, nunc integritatis flore vernantem, nunc viduitatis gravitate pollentem, nunc etiam conjugii fructibus redundantem*. Per vineam universalem Ecclesiam juxta D. Gregorium accipio, tandem per sal juxta sensum D. Cyrilli prudentiam, qui lib. 12. de adoratione sic ait: *Sale sacrificium aspergebatur, quæ figura significat prudenter nos Deo dicare debere*. Jam videndum nobis est, qualiter Villicus noster S. Dominicus hæc multiplicia Domini

2. Cor. 5. v. 1.

D. Amb.

S. Gregor.

S. Cyrill.

Domini sui bona administravit. Inprimis quod concernit villam sive domum, si spectetur extrinseca, & mundialis; Sancto Dominico non fuit abjecta & angusta. Natus enim erat ex nobilissima Gusmanorum familia, ex qua multi Principes, Regesque prodiêre, sed noluit Deus ut ille, talis villæ æconomum ageret, nam quod amplioris domus suæ illum præfectum habere voluerit, id somnium gravidæ matris suæ manifestat. Hæc visa fuit per quietem continere in alvo catulum, qui facem ore præferens, orbem terrarum incenderet. Hoc sanè somnio significabatur, forte ut splendore sanctitatis & doctrinæ suæ gentes ad Christianam pietatem inflammarentur. Quamobrem Sanctus Dominicus videns se ad majus officium esse destinatum, sibique non domum manu factam, sed illam spiritualem (quam Deus inhabitat) regendam fore; primum post absoluta Theologiæ studia, Canonicus Oxoniensis factus fuit, quo in statu primum pro honore Sanctæ Matris Ecclesiæ, & salute hominum promovenda laboravit, tandem ut meliorem adhuc occasionem regendi eandem domum habere posset, clarissimum Prædicatorum Ordinem instituit.

III, Nactus ergo æconomiam villæ suæ mox de lucris & redditibus ex eadem provenientibus cogitare cœpit. Et quia dives seu dominus, qui in hodierno Evangelio recensetur, potiores redditus habuisse fertur, ex agris quibus triticum, & ex vineis in quibus oleum crescit, S. Dominicus Patriarcha, tanquam optimus & fidelis Villicus, ex utrisque talium fundorum, nempe agrorum, vinearumque mediis, summos redditus Domino suo comparavit. *D. Amb.* Ex agro, sive juxta sensum D. Ambrosii ex fertilitate Ecclesiæ, quam collabentem suis humeris sustentavit, multos manipulos in horreum Domini comportavit, nempe exemplo vitæ suæ sanctæ; nec non sedula verbi divini prædicatione plurimos infidelium convertit ad Dominum, ut si nulla hujus rei extarent testimonia unicum nobis sufficere posset *Greg. 9.* Gregorii Noni Pontificis qui sic ait: *Dominico sagittante delicias carnium, & fulgurante mentes lapideas impiorum, omnis hæreticorum secta contremuit; omnis Ecclesia fidelium exultavit.* Ea propter in solemnitate Canonizationis suæ inventum fuit, ob eo vel in sola Lombardia ultra centies millenos hæreticos conversos, Ecclesiæque unitati redditos fuisse. Et quid dicam de hæresi Albigensium, in qua profligandâ cum S. P. Dominicus septem annos consumpserit, eosdem ad fidem Jesu convertendo, quot quantosque manipulos in agrum Dominicum ipsum intulisse putamus? Et quis hoc fideli villico ætate sua fuit laboriosior? nunquam erat in ocio, semper agrum hunc excolere, ejusque fructus promovere studuit, unde tot insomnes ducebat noctes, & si aliquando defessa membra somnus invaderet, stans nixus altari, vel ad durum lapidem inclinatus quescebat. Sed, quod vel maximum est, talem agrum Domini sui ad tantam reduxit perfectionem, ut in eo non solum triticum cresceret, sicuti in agro villici iniquitatis, sed quod ad augendos redditus Domini sui pertinebat, omnia in illo fructuosa reperirentur. Volebat aliquis ex statu conjugii venales fructus in agro sancti nostri villici, omninò tales invenit, quia ex statu conjugali etiam quævis depravata nulla ad sanctum virum accessit, quæ non meliorata & ædificata redierit. Exemplum hujus habemus in vita Sancti Patris. Hic dum prædicaret, post finem concionis accesserunt ad eum matronæ quædam ab hæreticis depravatæ, fructum aliquem concionis suæ reportare volentes. At Sanctus Pater conversationem illarum à Deo sibi manifestatam habens, Diabolum cui servierant, ostendit illis, in forma turpissimi & sorditiem evomentis Catti, qui tetrum fœtorem post se relinquens, & per funem campanæ sursum ascendens disparuit, sicque eas ad meliorem vitæ statum revocavit. Plures alias personas, sicuti & viduas prætereo, quibus non dubito, ex agro suo plurimos spiritualium consolationum fructus obtulisse, quia ad agrum flore vernantem, nempe ad vineam Domini propero.

Ant Sen. in Chron. Prad.

IV. Jam dixi superius Sanctum Gregorium per vineam Ecclesiam Christi intelligere, in hac S. Pater quantum laboraverit, quantumque illi proficuus fuerit, testatur illa visio Innocentii summi Pontificis, qui in somnis viderat Sanctum Dominicum Ecclesiæ Lateranensi quæ ruinam minabatur & quasi ad lapsum inclinabatur, latera sua supponentem, & humeris suis sustentantem. Testatur alia cujusdam fratris Minoris, qui S. P. Francisci fuerat socius, nempe B. Virginem, unigenito suo filio,

fillio, mundo huic ob peccata hominum irato, & in ipsum lanceas suas vibranti S. Dominicum cum S. Francisco pro vade & fide jussore præsentasse, præmittens suo filio quod per illos mundus corrigendus, & Ecclesia promovenda foret. Factum ita: nam quantum S. Dominicus Ecclesiæ profuerit, nullus enumerare potest, sed ecce ad quem adhuc profectum animum suum adjecerit, audite. Non satis erat creatori Deo, creare cœlum & terram, quin etiam planta & in ea paradisum voluptatis: eodem modo & S. Dominicus in agro hujus mundi, elegit quandam portionem selectissimam, quæ jam non seminationi tritici, aut alterius seminis, sed plantationi paradisi voluptatis deserviret. Hunc paradisum ego dico esse S. Rosarium B. V. Mariæ, cujus non solum Autorem, sed etiam zelosissimum fuisse promotorem. Diplomata summorum Pontificum testantur. Pudeat te villice iniquitatis, ut partialitatem tuam quæsisti in tritico & oleo. Villicus noster S. Dominicus, cum posset plus lucrari, non solum in agro triticeo, non solum in vineis olivarum, nam operibus misericordiæ plenus erat, qui se pro uno captivo liberando, ad vendendum Saracenis offerebat, erat proximus illi Samaritano qui sauciati prope Jericho, vulnera vino lavit, & inunxit oleo misericordiæ, quin etiam ex horto rosaceo, in quo tot Pontifices summi, tot Imperatores, tot Reges & Principes, tot comites nobilesq? & præclari viri numerantur, poterat sine furto (sine quo tu esse non poteras) fama & honore in hoc mundo ditescere, nolebat tamen, sed omnem fructum Domino suo conservabat, quia S. Dominicus quo plura in vinea Domini fecit, eò se viliorem summo humilitatis studio ostendebat.

Luca 10. v. 34.

V. Quid amplius dicam de fidelissimo villico nostro S. Dominico. Noverat insuper, non contemnendum lucrum ex salis negotiatione provenire, & sanè ita est. Nam uti legimus 1. Machab. c. 10. Rex Demetrius volens sibi conciliare Judæorum gentem, hæc scripsit ad illos *absolvo vos, & omnes Iudæos à tributo, & pretia salis indulgeo.* Sciens ergo S. P Dominicus se esse è numero eorum ad quos Christus dixerat; *vos estis sal terræ*: totam suam cogitationem in id convertit, ut tali sali benè uti & ex eo magnum proventum Domino suo inferre posset. Et quia sal juxta D. Chrysostomum atque D. Cyrillum denotat prudentiam, ea vel maximè S. Pater enituit. Noverat enim cibum divini verbi condire sale sapientiæ. Item quia sal si excessivè cibo vel alicui alteri rei applicetur illam destruit, ille in distribuendo tali sale summâ utebatur prudentia, dabat enim illud unicuique, prout cuique opus erat, in mensura, numero, & pondere, inerat quippe S. Patri firma valde mentis æqualitas, ut nemo iratum, nemo tristem, nemo etiam lætitia excedentem viderit, nisi tunc mutare videbatur, cum ad compassionem, & misericordiam moveretur. Denique sal eam naturam habet, quod carnem conservet ne putrescat. Talis sal erat S. Dominicus: cum enim quidam scholaris lubricus, & carnalis Missæ S. Dominici inserviret, quam primum perveniret ad osculum manus suæ virtute hujus salis à putredine peccati liberatus fuit. In castitate vitam finivit. Sal ut ait Tertullianus, *est natura duplicis. Nempe dura, quia lapidis duritiem assequitur: Mollis verò, quia dissolvitur.* Talis sal fuit Sanctus Dominicus, erat mollis in alios, quia peccatis humanis condolebat, at in se ipsum durus. Nam corpus suum catena ferrea singulis noctibus adeò affligebat, ut sanguinis rivi copiosissime defluerent Quamobrem Auditores mei audistis æconomiam & negotiationem Sancti Patris Dominici, itaque ipsum imitari studeamus ut dicatur nobis sicuti & ipsi dictum fuit in exitu vitæ suæ. *Euge serve bone & fidelis quia in paucis fuisti fidelis intra in gaudium Domini tui.* Quod nobis concedat omnipotens Deus qui vivit & regnat in sæcula sæculorum,

Amen,

Matth. 5. v. 13.

1. Mach. 10. v. 29.

IN FESTO S. DOMINICI
Confessoris,
CONCIO VII.

Quasi sol refulgens sic iste effulsit in templo DEI.
Eccl. 50. v. 7.

AUditores præstantissimi. Quod multoties proverbio dicimus, *Post nubila Phœbus*; illud hodie inveritate demonstratur. In antiquo testamento in nebula filiis Israëlis solebat Deus apparere. Legimus enim in Numer. capite 12. Quod cum ab Aaron & Maria exortum fuisset murmur contra Moysen, descendisse Dominum in columna nubis, & stetisse in introitu tabernaculi: eodem modo, dum Rex Salomon intulisset una cum sacerdotibus arcam Domini in templum, eaque hic reposita, exivissent de sanctuario, sacer textus ait. *Nebula implevit domum Domini.* Quæ verba explicans Hugo Cardinalis, ait illam nebulam obumbrasse facies Sacerdotum, ut se invicem videre non possent, nec etiam ministrare. Mira res Auditores. Illa apparitio Domini, tunc in templo illo facta fuit, dum Rex Salomon illud consummasset, & Domino Deo dedicare statuisset, cur igitur in illo templo auro undique fulgenti, & tam sumptuose ædificato, non in aliquo coruscolumine apparuit? cur potius in nebula luci permixta, & non in aperto lumine, se ostendit? Si magnificare templum illud venerat, cur nebulæ involvit suam gloriam, quâ templum illud implendum erat; D. Isidorus, aperit nobis sensum hujus ministerii dicens: *Nebula ima petunt, cum serenitas est, summa, cum nubilum.* Quando est tempus nubilosum, tam diu sol detinetur, ne radios suos diffundat in terram, quamdiu nebulæ sursum manent: sed dum disperguntur, & descendunt ad ima, tunc etiam sol serenum & hilarem vultum suum, per radios manifestat. Tempore antiquæ legis erant omnia sub nubilo. In monte Syna apparebat Moysi in nebula. Exod. 19. Israelem præcedebat in nube. Exod. 13. Ante Moysen transivit in nebula. Exod. 33. & tandem in libro Job. *Nubes latibulum ejus.* Ratio hujus hæc est, quia nebula, per quam Hugo Cardinalis unigeniti Dei filii humanitatem intelligit, nondum descenderat in terram. *Sed ubi venit plenitudo temporis, in quo Deus misit filium suum*; tunc jam non in nebula, sed uti S. David ait; *In sole posuit tabernaculum suum.* Jam non nebula implevit templum Domini, sed ipsemet sol justitiæ, templum suum illustravit, & glorioſum reddidit, ut jam vere possimus dicere: *Post nebula Phœbus.* Christus enim Jesus Sol justitiæ, in communicando suo nobis lumine, tam se liberalem exhibuit, ut hanc excellentem lucis prærogativam, non sibi soli reservaverit, sed etiam servis suis contulerit, ut & ipsi lucere queant. E numero eorum prodit hodie S. P. Dominicus, fundator Ordinis Prædicatorum. Quid de illo dicam? *Quasi sol refulgens, sic iste effulsit in templo Dei.* Sed verum dico? Audite; & veritatem probabitis.

Num. 12. v. 5.
3. Reg. 8. v. 10.
D. Isidor. Etymol. lib. 3. c. 10
Exod. 19 v. 9.
Exod. 13. v. 22.
Exod. 33. v. 9.
Iob. 22. v. 14.
Hugo in 3. R. 8.
Gal. 4.
Psal. 18. v. 6.

I. Dum ego hæc verba mecum rumino; *Quasi sol refulgens, sic iste effulsit in templo Dei*, Id in ipsis invenio, quod licet ab Ecclesiastico, prolata fuerint in laudem Simeonis summi Sacerdotis, plus tamen significant, quam in se ipsis. Non enim meo judicio de sole materiali, quem oculis nostris cernimus, quàm de Sole justitiæ Christo, sunt interpretanda, uti patet ex verbis Malachiæ Prophetæ, ubi ait. *Orietur vobis timentibus nomen meum, sol justitiæ.* Et quamvis Sancti Patres hæc verba Prophetæ, diversimode explicent, ego tamen sequens interpretationem. S. Præsulis & Ecclesiæ Doctoris Ambrosii, hic per solem, Christum Dominum intelligo. Sic enim ille ait: *Magnus justitiæ splendor, qui aliis potius nasci-*

Malach. 4. v. 2.

S. Ambr. de Offic. *nascitur, quàm sibi, communitatem, & societatem nostram adjuvat.* Merito comparatur Soli Salvator noster, quia sicut Sol, coram nemine se abscondit, sed omnibus se communicat; ita quoque Christus Jesus radios suæ lucis, ingenitæ inquam gratiæ suæ, in omnes diffundit, seque omnibus communicat. Cum autem S. P. Dominicus Christi Domini vestigia hac in parte secutus fuerit, non inaniter ergo de ipso dicit Ecclesia. *Quasi Sol refulgens sic ille effulsit in templo Dei.* Fuit S. Pater Dominicus alter Christus in terris. Quemadmodum enim Dominus & Salvator noster, postquam vidit tempus suum, in quo instituenda erat Sancti Evangelii prædicatio, tunc *Luca 9. v. 2.* uti ait S. Lucas Evangelista. *Convocatis duodecim Apostolis, misit illos prædicare regnum Dei.* Quemadmodum inquam Dominus, tanquam primordialis lux, *qua illuminat omnem* *Ioan. 1. v. 9.* *hominem*, Apostolos suos lucem fecit, ut prædicatione sua illuminarent mentes hominum: non secus S. Pater Dominicus, cum existens in seculo, ex studio artium liberalium, nec non sacræ Theologiæ, singularem sibi eruditionem comparasset & in primis Oxonienſis Ecclesiæ Canonicus esset, tandem non immemor maternæ visionis, quæ dum esset gravida, visa sibi fuit per quietem continere in alvo catulum, qui facem ore præferens orbem terrarum incendebat, noscensque ad in se fuisse natum, quatenus splendore doctrinæ & prædicationis suæ, genus humanum inflammaret, non solum ipse in eo munere se exercere conabatur, sed etiam talem instituit Ordinem, ut filii sacri hujus Ordinis, patris sui sequentes vestigia prædicationi verbi Dei insisterent, sicque præclara mundi lumina redderentur. Nec decepit ac fefellit S. Patrem hæc tam virtuosa intentio: quantum enim iste Ordo doctrina, & prædica- *Alex. 4.* tione verbi Dei creverit, unum è pluribus Alexandri Pontificis Quarti testimonium mihi sufficiet, qui ait: *Hujus sacri, clari, conspicui, & approbati Ordinis Fratres sacrarum literarum studio instanter incumbunt. atque Evangelica prædicationi ardenter insistentes lumen Divinæ doctrinæ ubiq; per orbem diffundunt.* Non erat id inane testimonium, siquidem dependet à testimonio omni fide digniori, nempe à Principibus sacræ Ecclesiæ, qui S. Patrem Dominicum, in prædicatorem totius orbis inaugurarunt, eidemque Petrus baculum & Paulus librum porrigentes, dixerunt. *Vade, & prædica, quia ad hoc ministerium electus es à Domino.* Quorum secuti autoritatem cæteri sum- *In Bulla Canon.* mi Pontifices Ordinem hunc Prædicatorum appellarunt, uti inter cæteros, testis hujus nominis extat Grego. Nonus, qui sic ait: *Dominicus pastor, & Dux inclytus, in Dei populo factus, novũ Prædicatorũ Ordinem instituit.* Quasi Ordo iste ad hoc singulariter à Deo sit institut' ut fratres ejusdem prædicarent verbum Dei.

II. Dicetis me forte per hunc discursum, nec dum probasse S. P. Dominicum, esse solem, in templo Dei effulgentem? Observate me, quia non solum hoc sed multa plura & majora à me probata esse cognoscetis. Sto in solo prædicationis officio, & in hoc nomine Prædicatorum Ordini huic dato, unde S. P. Dominicus simillimus fuisse soli demonstratur. De sole hæc habet Ecclesiasticus. *Sol* *Eccl. 43.* *in aspectu annuncians in exitu*; Paulo post ite- *v. 2.* rum ait: *In meridiano, exurit terram: & in con-* *S. Hiero.* *spectu ardoris ejus, quis poterit sustinere?* Testè S. Hieronymo, his verbis Sp. S. describit hujus mundi pulchritudinem & excellentiam, ex nascentis solis ortu, qui hos duos effectus producit nempe splendorem quod luceat, & ardorem, quod urat, sed cuinam hæc officina solis melius competit, quam his qui lumine simulque ardore verbi Dei, dum illud proponunt suis auditoribus, eorum corda illuminant, & accendunt? Christus Generalissimus Prædicator, discipulis duobus in Emaus euntibus prædicabat, & quid illi? inprimis ad lucem verbi sui aperti sunt oculi eorum, quid ulterius? ipsimet respondent dicentes: *Nonne* *cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur* *Luca 24.* *in via, & aperiret nobis scripturas.* S. P. Domi- *v. 32.* nicus quoad usque viveret, verbum divinum prædicando, lucebat & urebat, numquid ergo soli simillimum dixeris?

III. Majus est hoc quod dicam. S. Dominicus in Bulla Canonizationis suæ uti jam mentionem feci, vocatur Pastor & Dux inclytus in Dei populo. Hinc sequitur, quod si pastor est, & Dux populi Dei, necesse est omnes fideles milites, illi tanquam Duci, & ut pastori oves subjici & subordinari. Unde id probem, attendite, Christus Jesus fatetur apud Prophetam David, se à patre suo æterno, constitutum esse regem dicens: *Ego autem con-*

stitutus sum Rex *ab eo* ; sed super quale Regnum, Ægypti, vel Assyriorum, seu alicujus Regni potentissimi? non : sed respondet Dominus dicens : *Super Sion montem sanctum.* Excellentissimum Regnum montis hujus Sion; quia Rex David qui multa Regna magnifica vidit, illustre dat de ipso testimonium dicens : *Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion.* Sed ob quam rationem noster Dominus tantum regnum obtinuit? Idem respondet dicens: *Prædicans præceptum ejus.* Quia Dominus fungebatur arduo labore prædicationis in hoc mundo ; ideo tam nobile regnum obtinuit; in quo verò illa excellentia Christi apparuerit, Autor Incognitus hac de re explicans locum hujus psalmi ita fatur; *Hic ponitur Christi Regis gloriosa sublimatio.* Sed quale hic mysterium? an exigua sunt miracula quæ Christus fecit, infirmos sanavit & mortuos suscitavit, nonne ex hoc major sui est sublimatio? Non: quin hæc omnia collata cum prędicatione sua, vilia sunt, & flocci penduntur. Optimè ergo sequitur. Christus Dominus per prædicationem verbi sui divini Regis titulumque obtinuit ; ergo & S. Patri Dominico tanquam prædicatorum Duci idem debebitur.

In cognitus hic.

IV. Parum dixi, majorem enim atq; excellentiorē titulū qui sibi debetur invenio. Sed quisnam ille? S. P. Dominicus ex illustri prædicationis munere hæreditavit à Christo Rege mōtis Sion, Regis titulum, pariter igitur, eodemque jure hæreditabit nomen filiationis à Deo; quod probo ex eodem Psalmo S. David. Postquam cœlestis Pater ob prædicationem S. Evangelii Domino & Salvatori nostro obtulit Regnum in monte Sion, simul etiam eum pro suo filio agnovit dicens : *Filius meus es tu* : videns æternus Pater multa filii dilecti sui miracula quæ in terris fecit, ea negligere videbatur, & majoris faciens ejus prædicationem, quam reliquas res à se præclarè gestas, ob illam unicam, non solum munere Regio, sed etiam titulo sui filii ipsum honorare dignatus est: pariter ergo & S. Dominicus magnus Prædicator gratiæ tale nomen promeruit. O quanta hujus Sancti Patris gloria ac majestas.

V. Sanctus Paulus, volens demonstrare Hebræis, Christum majorem Moyse fuisse, hoc est usus argumento. *Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus, tanquam famulus, Christus vero tanquam filius in domo, qua sumus nos,* Ad Hebr. 3. v. 5. Insignis fuit Moyses coram Deo, ut quem ore ad os alloqueretur; *Sicut solet homo ad amicum suum*; & quod amplius est audivit sibi dici à Domino *Ecce constitui te Deum Pharaonis,* nempe quia tam potens erat in patrandis miraculis & portentis, ad affligendum Pharaonem, ut illius in terris Deus haberetur, omnis tamen hæc sua excellentia nequaquam excessit famuli conditionem: secus tamen Christus; *Tanquam filius in domo sua.* Ita ut quemadmodum Dominus excedit famulum, ita quoque Christus, amplioris gloriæ præ Moyse dignus fuit habitus. Jam ad propositū meum venio. Sancti, sive in cœlis commorantes, sive in terris peregrinantes, ecquam dignitatem habuerunt in domo Dei; aut quo nomine fuerunt insigniti? eodem prorsus quo Moyses, nempe appellatione famuli. Vultis videre his majorem? forte erit vas electionis S. Paulus, sed quid ait de se, suoque collegio? *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi.* Et quid hoc audio? Eamus ulterius, penetremus cœlos, forte ibi aliquid excellentius videbimus, ubi sunt tot exercitus Angelorum. Sed ecce quid & de his Doctor gentium sentiat, audiamus. *Omnes sunt administratorii spiritus.* Nullum excipit, omnes comprehendit, solus Dominicus est filius, quia id S. Catharinæ Senensi in visione revelatum fuit, dum ex ore æterni Patris cœleste verbum nempe unigenitū filium suum nasci, ex pectore vero suo S. Dominicum prodire vidit, & S. Virgini tale miraculum admiranti cœlestis Pater dixit. *Hi quos vides ambo sunt mei filii, unus naturalis, nempe verbum meum, & alter adoptivus, qui me verbumque meum toti mundo manifestum fecit.* O Sol Sancte Pater Dominice impetra nobis radios divinæ gratiæ à sole justitiæ Christo Jesu.

AMEN.

1 Cor. 4. v. 1.

Ad Hebr. 1. v. 14.

D. Ant. in vita S. Cathar.

IN

IN FESTO S. DOMINICI
Confessoris,
CONCIO VIII.

Et quis potest similiter gloriari tibi. Eccl. 84. v. 4.

VEreor Auditores, ne quis me hodie mordaciter carpat, & præsumptionis seu temeritatis arguat, quod laudes alienas sibi usurpare, & in alterum transferre audeam. Siquidem hæc verba quæ ego in laudem S. Patris Dominici Ordinis Prædicatorum Fundatoris convertere cupio, dicta sunt de S. Elia Propheta & Fundatore Sacri Ordinis Carmelitarum; ob duas causas, primò quia mortuum suscitavit. Secundo, quia Prophetas fecit post se successores. Sed jam resumo animum, dum enim me pro purgatione hujus propositi mei disponere & præparare cogitarem, ecce occurrit mihi in mentem S. Patriarcham Dominicum, non unum tantummodò sed tres mortuos suscitasse. Jam vero quod concernit idem S. Prophetæ præconium, ex eo quod Prophetas sui successores reliquerit; id quidam Doctores Ecclesiæ Sanctæ exagerativè dictum putant, accipientes pro plurali numero S. Elizæum Prophetam, magni Eliæ discipulum, qui cum zeli Magistri sui æmulator fuisset acerrimus, id unus promeruit ut in numero multorum poneretur. Sed cur hæc verba à S. Elia ad S. Patriarcham Dominicum transferre non valerem? qui nedum vitam Eliæ, ejusque zelum, divini honoris tutandi æmulatus est, sed etiam, quia non unum, sed innumeros Elisæos ardentissimæ suæ charitatis, erga Deum & proximum, hæredes post se reliquit. Accepistis jam excusationem meam? Thematis quoque â me essumpti rationem accipite.

I. Magnum & arduum opus aggredior, dum probare intendo, difficile quempiam inveniri, qui S. Patriarchæ Dominico comparari possit, nullum palatium est nobilius regno cœlorum, nulla civitas pulchrior, urbe illa beata Jerusalem, quam S. Joannes Evangelista exornatam vidit auro, gemmis, & lapidibus pretiosis, & tamen Christus Dominus invenit tot parabolas in rebus creatis hujus orbis, quibus regnum cœlorum, quamvis incomparabiliter pretiosum, assimilavit. Nonne pretiosi illi Ecclesiæ sanctæ lapides, & gemmæ, quibus adornatur sponsa Christi nempe SS. illi Patriarchæ, Benedictus, Augustinus, Gregorius Magnus, Hieronymus, Ambrosius, Basilius, S. P. Dominicum præcesserant? quomodo ergo tam clari viri & qui ante S. Dominicum tempore priores extiterunt, ipsi similes reddi nequibunt? SS. illi Patres quicunque in cœlesti palatio conversantur benè & pacificè inter se conveniunt, vos autem filii, qui pro illorum gloria & honore statis, audite. S. Matthæus Evangelista, enumerans Apostolos, quos Dominus per mundum mittebat ad prædicandum verbum Dei sic ait: *Duodecim autem discipulorum nomina sunt hæc. Primus Simon qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus*, & sic de cæteris. Itaque S. Paschasius notans diligenter istum Ordinem quo sacer Chronicus Matthæus enumeravit duodecim Christi Apostolos, & intimiores Domini discipulos, miratur valde, quare S. Evangelista prætulerit Petrum Andreæ, cum is tempore vocationis & etiam senii prior ipso fuerit. cur non potius Andream primo loco seu numero posuit, & Petrum tanquam posteriorem sequenti? Si dicamus, ideo ab Evangelista Petrum prælatum fuisse, quia fuit Princeps Apostolorum, ob hoc Petrus primum locum ambire non poterat, quia tunc nondum ea prælaturæ dignitate donatus fuerat. Si quis dicat excellentiorem fuisse meritis virtutum supra alios? sed quænam illa? numquid Andreas primus Christianus, Joannes Virgo, cæterique Apostoli Domini verturibus, meritisque effulgentes? aliqua ergo alia causa esse debet, ob quam S. Petrus, Andreæ cæterisque suis coapostolis prælatus erat, & hanc S. Lucas

Matt. 10. v. 2.

Apoc. 21. v. 18. 19

ponit in suo textu Evangelico cap. 22. dicens. *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.* Summa Petri prælatura non adhuc tunc perfectè patebat cæteris Apostolis, quia de ipsa contendebant. Sed Christus Dominus, humana in ipsis fragilitate emendata, tandem Petrum esse prælatum inter ipsos quasi digito monstrare volens, conversus ad eum dixit: *Et ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Quæris cur Dominus Petro curam discipulorum suorum commendaverit? Ut eo ipso, eum Prælatum illorum esse demonstraret, quod confirmat prædictus Paschasius dicens de S. Petro Apostolo. *Iure in meritis primus æstimatur, per quem, & in quo, dona ad alios transmittuntur* Hoc posito, nequit negari primus supra cæteros locus S. Patriarchæ Dominico, quia primus fuit, qui autoritate Ecclesiæ confirmabat fratres seu proximos suos, & tanquam Inquisitor Apostolicus, eos in fide solidabat, vitia arguendo, verbo autem & exemplo virtutes sacras omnibus proponendo.

Luc. 22. v. 32.

S. Paschas.

II. Et quid tandem? si quis vestrum hic reperietur qui nolit titulo prædicationis, S.P. Dominico eam prælaturæ prærogativam concedere, per aliam viam nempe profundæ humilitatis suæ, quasi abjectissimum & novissimum omnium ore & factis demonstrabat, eam ipsi dare cogetur. Quid enim apud Christum Dominum est, fieri & esse magnum nihil aliud sanè nisi esse abjectis adjectiorem, parvis minorem, vilibus viliorem; quod patet ex superiori cap. S. Lucæ, ubi ait, Christum discipulis suis de prælatura Apostolica quæstionem inter se habentibus respondisse. *Qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator.* Si sic est, & quis ergo prioritate excellet S. P. Dominicum? Relinquamus verba, & ad rem procedamus S. P. Dominicus tot aliis curis Ordinis sui impeditus, & maximè prædicatione verbi Dei, ut humilitati operam daret, ostiatim mendicare & cum Lazaro micas panis quærere non erubuit. Quispiam humanior, magisque cæteris liberalis, obtulit Sancto Patri integrum panem, quid ille? ait Theodoricus, flexis genibus panem excepisse. An parvum hoc est humilis exemplum? accipite alterum. Filium unius viduæ Romæ suscitaverat, & ecce tibi tota civitas confluit ad miraculum. Romanus Pontifex, ad majorem Dei gloriam, illud ex suggestu publicari jubet. Audit id S. Pater, Pontificem maximum accedit, & ne id fiat, supplex orat, quod nisi mandatum revocaret, confestim Roma abire velit: simile huic miraculum accidit, dum Neapoleonem nobilem Romanum, nepotem cujusdam Cardinalis, à morte ad vitam revocavit, sed dum Romæ cum applausu divulgaretur S. Pater humilitatis amans, clanculum Roma discessit, ne sua humilitas laudibus popularibus quassaretur.

Luc. 21. v. 26.

Theodori.

III. Deficeret lingua si omnia humilitatis exempla à S. Patre exhibita, oratione mea prosequi vellem, ideo ad occidentem festino. Sed videamus qualenam testamentum condidit? non debet auferri libertas testantibus, audite quidnam testator noster dicat. *Hæc fratres chrissimi, vobis tanquam filiis hæreditario jure relinquo, charitatem, humilitatem, paupertatem spiritus. Hi sunt vestri thesauri, hæ veræ divitiæ.* Auscultate ulterius. Fratres susceptа hac hæreditate patris sui, in lachrymas, resolvuntur, unus interrogat, ubi sepeliri corpus suum juberet. *Ad pedes* (inquit) *fratrum meorum.* O Pater humillime! & cur ad pedes fratrum, qui caput eorum extiteras? Scio, scio, quid velis, recordatus fuisti verbi Domini dicentis: *Qui se humiliat exaltabitur*, aut sane illorum verborum Isaiæ Prophetæ. *Quam pulchri super montes, pedes annunciantis & prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis salutem.* Volebat S. Pater sepeliri ad pedes fratrum. Sed qualium? ad pedes fratrum prædicatorum, sciebat enim talibus pedibus nihil esse excellentius, ad quos spectat illud Christi dicentis: *Ite prædicate Evangelium omni Creaturæ* Non poterat igitur S. Pater Dominicus, meliorem sepulchri locum elegisse quam ad pedes Evangelizantium pacem, quia ad hanc se iturum sperabat.

S. Aug.

Luc. 14. v. 11.

Isaiæ 52. v. 7.

Marci 16. v. 15.

IV. Nec fefellit fides. Refert enim S. Vincentius Ferrerius post obitū S. Patris visos fuisse cœlos rescindi, indeq; duas scalas, ad terram usq; dimitti quarum unum verticem Christus, alterum Virgo Maria tenebat, in medio earum parte ima, sedes pretiosissima, in qua glorioso P. Dominicus, aureo diademate redimitus, cœlos conscendebat. S. Jacob Patriarchæ, una tantum scala è cœlis descendens ostensa fuit, ut quid igitur duæ S. Dominico? respondet idem

S. Vincent.

Gen. 28. v. 13.

det idem S. Ferrerius. *Quod religio prædicatorum, non solũ per unam scalam, vita scilicet contemplativa, mittit fratres, sed etiam per aliam scilicet activa.* Hactenus fuisse te humilem ô S. Pater, non me piget, qui enim pedes elegeras, jam binam scalam habes ad ascensum tibi paratam, nec solum tibi sed & tuis fratribus, ut illi in te, & tu in illis magnus voceris, quia *qui fecit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.*

Matth.5. v.19.

V. Neque illud quod refert, omni fide dignus S. Vincentius, caret mysterio, *vosos fuisse rescindi cœlos indeque duas scalas ad terram usq; dimitti* Scalis quam ob causam cœlum rescindi debuit? Ascendente Christo glorioso in cœlum Angelici Spiritus, ad portam cœlestem accurrentes clamabant. *Attollite portas Principes vestras, & elevamini porta æternales, & introibit Rex gloriæ*: ad quid tam spatiosa aper-

Psal.23. v.7.

Matth.7. v.13.

tione cœlorum Christus indiguit? an qui dicebat *intrate per angustam portam* non poterat solus per majorem? Eleganter respondet S. Ambrosius dicens: *Debuit novo victori, novum iter parari, quia jam non unus homo, sed totus in omnium redemptore mundus intrabat.* Idem dicendum est de S. Dominico, cui parum erat centum millia hæreticorum Albigensium, ad fidem Christianam convertisse, sed quoad viveret, non cessabat à lucro animarum fidelium quarum innumerabile agmẽ sua incessanti prædicatione Christo comparavit. Cum igitur S. Pater, innumera animarum à se conversarum multitudine stipatus ad cœlos ascenderet, æquum fuit cœlos sibi rescindi, eumque cum eadem solemnitate, quam in ascensione Dominica Christo ostenderant suum humilem servum, sed jam magnũ & glorioſum, ad sedem illam glorioſam transferri. Pie pater Dominice, tuorum memor operum, sta coram summo judice, pro tuo cœtu pauperum.

D. Amb. lib.4. de fide.

Amen.

IN FESTO S. FRANCISCI
Confessoris, Ordinis Minorum Fundatoris,

CONCIO I.

Confitebor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc, à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Matth.11. v.25.

JOnathas filius Regis Saul, quantum dilexerit David, ex eo patet quod scribitur 1. Reg. *Anima Ionathæ conglutinata est animæ David.* Auditores mei, ego per Jonatham intelligo S. Dominicum, per Davidem parvum S. Franciscum Patriarcham, & hoc ideo, quia parvus erat in sua opinione, nempe simplicitatis, & humilitatis amans, cujus desiderio Ordinem suum Sanctum Ordinem Minorum Fratrum nominavit. Dico unum Jonatham, & alterum Davidem, quia sicut inter hos fuit summa charitas, ita eadem fuit inter S. Dominicum? & Franciscum, quæ hinc suam originem habuit. Isti duo Sancti, uno eodemque tempore Ordinum suorum fundamenta jaciebant. Cumque Sanctus Dominicus existens Romæ, & de confirmatione, & promotione sui Ordinis anxius cogitatet, in eadem cogitatione obdormiens ex una parte aspexit Christum Dominum toti mundo iratum ob sua scelera, eique ruinam tribus lanceis in manu habitis intentantem; ex parte altera, vidit sanctissimam matrem Mariam supplicantem, ne properaret ad perditionem mundi, & eidem duos servos suos, nempe Dominicum & Franciscum præsentantem, qui suis prædicationibus & laboribus, genus humanum ad viam virtutis reducerent, itaque cum S. Pater Dominicus S. Francisco obviasset, agnoscens eum, quem in visione viderat, mox eum amplectitur dicens: Tu es socius meus, tu pariter curres mecum. Stemus simul, & nullus adversarius

1.Reg.18. v.1.

præva-

Robertus de Licio.

prævalebit. Ubi addit Robertus de Licio: *Ex tunc factum est eis cor unum & anima una in Domino.* Et cum ego filius sim (licet indignus) ejusdem S. Patris Dominici, vellem hodie S. Franciscum Patriarcham aliquo præconio celebrare. Sed unde materiam assumam? si enim me convertero ad Evangelium hodiernum, in illo audivimus, quod Dominus rejecerit sapientes & prudentes, qui ordinarie laudari solent, & solos admittit parvulos, illisque concredit secreta sua. Cum ergo sic placitum sit ante Deum, ego quoque voto ejusdem morem gerens, laudare intendo S. Franciscum, non à sapientia & prudentia, sed à sola simplicitate parvulorum.

I Auditores mei; si non deberem hodie verba mea facere juxta Evangelium, sed aliunde? plurimarum laudum S. Francisci Patriarchæ, latissimum campum, in sacris scripturis invenirem, & inter cætera, jura merito, possem illum comparare S. Abrahæ Patriarchæ, quia ille antiqui testamenti. S. verò Franciscus, in novo sui Ordinis Patriracha fuit, manetque, ille domum paternam reliquit, sed ad jussionem Dei; iste autem sponte non solum domum sed omnia: quin dum accusatus fuisset à patre suo coram Episcopo Assinate, quod omnia pauperibus largiretur, jussusque fuisset bonis paternis cedere, mox ille rejectis etiam vestibus patri concessit omnia, dicens illud. Sibi inposterum majorem facultatem fore dicendi Pater noster qui es in cœlis. Quid dicam amplius? Cum audisset legi Evangelium in quo scribitur; *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta*: mox detractis calceis, & una contentus tunica cum duodecim sociis, quos sibi adhibuit, eam regulam servandam proposuit. Quod Abraham obediverit Deo, idcirco multiplicavit eum vehementer, nempe ad similitudinem stellarum, quæ sunt in cœlo, & arenæ maris, Similiter S P. Franciscus, quod obediverit sibi loquenti per sacrum Evengelium, multiplicavit eum vehementer. Cum enim iste S. Patriarcha, adhuc in primordiis Ordinis sui, adfuisset capitulo generali, vidit ibidem filiorum suorum 5. millia, quibus brevi adjuncti fuerunt 500. filii, qui postmodum ita excreverunt, ut progressu temporis, idem cum Sancto Francisco factum fuerit, quod olim cum Abrahamo factum fuit. Ille enim cum habuisset fratrem suum Loth, & ambo pluma supellectile abundassent, cum simul habitare non possent, necessario à se divelli debuerunt: ita sanè; at iste Ordo S. Patris Francisci, quoniam multipliciter excreverat, in tres partes sive in tres Ordines dividi debuit, quorum unus vocatur Ordo Minorum, alter Ordo de observantia, tertius, Ordo Capucinorum. Jam si hujus sacri Ordinis numerum sanctorum inquiras, plurimos reperies S. Antonium, qui area testamenti. S. Bernardinum Senensem. S. Bonaventuram, in quo Adam non peccasse videbatur. S. Ludovicum Caroli Secundi filium, Episcopum Tolossanum. & Didacum Complutensem. S. Claram. S. Elizabetam, Hungariæ Regis filiam, cæterosque sanctos & beatos, de quibus illud dici potest: *Numera stellas cœli, si potes.* Si requiras Pontifices, invenies Nicolaum 4. Alexandrum 5. Sixtum 4. Sixtum 5. Cardinales ultra 40. Episcopos sine numero, sicuti & Doctores, qui non solum Ordinem sacrum, in simplicate S. P. Francisci fundatum, sed etiam totam sacram Ecclesiam illustrarunt, eosdem sine numero invenies.

Gen.12. v.1.

Matt.10. v.9.

Gen.22. v.17.

Gen.15. v.5.

II, Sed quia mihi manendum est penes sacrum Evangelium, in quo Christus non benedictionem domus Abrahami, non sapientiam sapientium, non prudentiam prudentum, sed solos parvulos prædicat, inter eosdem, laudes S.P. Francisco inquirendæ erunt. Sed quidnā à pueris mutuabo, ut offerre possim tanto Patri? num juvenilem ætatem eorum? minime verò quia S. Hieron. ait: *Non præcipit Apostolis, ut ætatem habeant parvulorum.* Sed quidnam? innocentiam parvulorum; quam Pater hic à primo flore ætatis suæ, ad ultimum diem sum conservavit, qui magis virtutum odore fragrabat, quam olim ille odor agri pleni, quem S Jacob Patriarcha repræsentabat, quid amplius? simplicitatem parvulorum. Tantæ enim fuit innocentiæ, & simplicitatis, ut nullum unquam læserit, ne dicam hominem, sed neque vermiculum, cui ne alii nocere possent, de via per quam ibat, tollebat, & in securiori loco reponebat. Tantæ innocentiæ & simplicitatis, ut jumenta pro fratribus & sororibus haberet: & quod Adamo protoparenti nostro, propter amissionem primæ innocentiæ, ablatum fuit, cui animalia post peccatum commi-

S. Hieron.

Gen.17. v.37.

commissum, jam amplius obedire nolebant, hoc isti sancto fuit restitutum & donatum, qui aviculis imperabat, interdū autem ut à cantu cessarent, qui multis animalculis prædicabat, & in iiis divinam planè virtutem & dominium demonstrabat. Jam ergo dicam quod volebam, nempe quod humilitas, quæ

Matt. 18. v. 4. est virtus parvulorum dicente Domino. *Quicunque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum.* Hæc inquam virtus tanta est, quæ sola copiosam laudis materiam mihi suppeditat, qua S. Franciscum honorare possem.

III. Non creditis? Est quidem verum, quod magna sit virtus fidei, hæc enim infirmos sanat, montes transfert, resuscitat mortuos, sed exaltationem ipsius quidnam promovet? certe humilitas parvulorum. Legimus Matth. 8. cap. Christum dixisse centu-

Matth. 8. v. 10. rioni. *Non inveni fidem tantam in Israel.* Sed undenam hæc tanta fides accepit originem? ex humilitate, tunc à centurione exhibita, quando dicenti Christo, *Ego veniam, & curabo eum*, ille respondit: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Tunc primū Christus dixit: *Non inveni tantam fidem in Israel.* Id est, uti ait S Augustinus, *tam magnam &*

S. Augu. de humilitate grandem. Fides illius Chana-

serm. 74. neæ mulieris, multum à Christo fuit collaudata. *O mulier magna est fides tua* Quare? quia habuit comitem, nempe humilitatem. Ecce

Gen. 32. v. 37. enim cum luctaretur cum Domino, & jam assultus aliquot sustinuisset, majores quam Jacob Patriarcha dum luctaretur cum Angelo. Primò dum non respondit ei verbum. Secundò, cum ad intercessionem Apostolorum ait. *Non sum missus, nisi propeter oves Israel quæ perierant.* Mulier erat anxia; non quidem diffidebat, sed tamen parum proficiebat: tandem cum Christus dixisset, *Non est bonum accipere panem filiorum, & dare canibus*; hic jam rediit spiritus mulieris, hic jam invaluit, hic concepit spem victoriæ: mox enim advocavit sociam humilitatem, dicens:

Matt. 15. v. 27. *Etiam Domine; nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Et ecce postquam se agnovit pro cane, per hanc humilitatem adjunctam fidei, animum Christi Domini in tantum subjugavit, ut coactus fuerit exclamare. *O mulier, magna est fides tua fiat tibi sicut vis.*

IV. Auditores mei, inveni pulchram figuram de humilitate, quantæ sit virtutis, & excellentiæ, non pœniteat vos parum audire. Audistis illam historiam Gen. c. 19. Quando *Gen. 19. v. 10.* Angeli venerunt Sodomam, ut eam cum peccatoribus conflagrarent: quia Loth justus erat, eduxerunt ipsum foras una cum uxore, & filiabus, atqui Loth adhuc sibi metuens, rogavit Angelum dicens: *Est hic parva civitas, salvabor in ea, nunquid non modica est, & vivet anima mea* Et quid Angelus? mox ut talem petitionem audivit, quod petat salvari in parva civitatula ait, *Festina, & salvare ibi, quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc.* Hic duo miror, primum, quod iste Loth petat salvari, & æstimet in parva civitate, cum ipsum Angelus aliter servare posset, item, miror Angeli tantam ingenuiatem, quod statim consenserit. Respondet ergo S. Chrysost. quod per parvam civitatem intelli- *S. Chryso.* gatur cordis humilitas dicens: *Felix qui ad minima respicit, nam non solum suam, in loco parvulo salutem obtinere potest, sed etiam Angelum detinet, & expectare facit.*

V. Christus Jesus, nihil plus cordi habuit, quam humiliatem, hanc secum de cœlo ad terram tulit, illa tanquam chlamyde, humanā naturam cinxit, hanc docuit verbo & exemplo, habetis Matth. 8. c. *Ascendens Iesus in navi- Matth. 8. culam, secuta sunt eum turbæ multæ.* Marcus v. 23. autem ait 4. c. Ibi fuisse plures naves: cum ergo *Marci. 4.* fuissent naves, cur non potius majores ascendit, sed eam parvam naviculam? Respondet quidam Autor Neotericus. *Quia navicula* Bieza. *Ecclesiam significat, quæ per humilitatem triumphat.* O bene igitur hanc humilitatem tibi dedico S. Pater Francisce, te ex hac laudo nec satis laudare queo: tu enim sicuti paupertatem habuisti pro Domina, ita humilitatem pro socia familiari. Sed qualiter Ordinem suum quem minorem dici voluit, hæc humilitas exaltaverit audite. Legimus Gen. 27. *Gen. 27.* tardasse Esau in venatione, & tandem pro *v. 35.* benedictione capienda venisse ad patrem Isaac qui mirabundus ait, *venit ante te germanus tuus, & surripuit benedictionem tuam, quid jam tibi dabo*, plorat Esau, & expostulat sibi quoq; dari benedictonem, quam & obtinuit. Sic & ego dico. Antequam incepit Ordo S. Francisci & S. Dominici, erant jam ante plurimi alii qui istum Ordinem præcesserant, &

à cœlesti Isaac suam benedictionem acceperant. Tandem Ordo mendicantium, serius quam illi pro benedictione venit. Sed quid tandem obtinuit? S. Dominicus obtinuit canem cum face, utcunq; hac benedictione fuit contentus, unde & incepit statim latratum canis imitari prædicatione verbi Dei. post Ordinem Eremitarum S. Augustini, similiter Carmelitarum S. Eliæ prophetæ, servorum B. M. V. S. Francisci de Paula, cæterorumque venit etiam Societas Jesu, & extorsit satis bonam benedictionem ex nomine Jesu. Sed quid accepit S. Franciscus? Sicuti filii Jacob 12. numerantur sic & Ordines sacri. Dum Joseph Patriarcha, omnes invitasset ad prandium, & singulis dona contulisset; *Major pars venit Benjamin, ita ut quinq; partibus excederet.* Benjamin est S. Franciscus minor, qui etiam quinque partes accepit, Quas? quinq; stigmata Christi Jesu. Satis habes Franciscæ. Gratia Domini nostri Jesu Christi sit nobiscum. Amen.

IN FESTO S. FRANCISCI Confessoris,

CONCIO II.

Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Matth. 11. v. 25.

STructura illa antiqui tabernaculi, sicuti abundabat auro, & argento, sic etiam plena erat mysteriis. Dicit enim sacer textus Exodi 26. Quod bases columnarum quæ erant in porticu tabernaculi, fuerint ex ære factæ. *Erant capita aurea, & bases aneæ.* Quærit ergo hic Oleaster: Quandoquidem tota structura illius tabernaculi tota intus fuerit ex auro, argento, aliaque materia pretiosa, cur bases, quæ in frontispicio, visuique omnium exponebantur, erant ex materia leviori, & minoris pretii, nempe ex ære? respondens idem Autor, pulchrum demonstrat mysteriū dicens: *Magna est, differentia, inter tabernaculum, seu domum cœlestem, & mundanam, nam in tabernaculo hujus mundi, quæ pretiosa & splendida sunt, humano conspectui obijciuntur*; non sic autem Deus, ait Autor. *Pretiosa ponit in occulto, vilia in ingressu.* Tales bases hujus cœlestis tabernaculi, sunt omnes servi Dei, in quibus quidquid pretiosum erat, id absecondebant, viliora verò ostentare solebant. Et inter istas bases æneas, proponit nobis hodie unam S. mater Ecclesia, nempe S. Franciscum Patriarcham, ob quam causam? id in concione præsenti demonstrabo.

Exod. 26. v. 23.

Oleaster.

I. Nullam profecto injuriam inferam Ordini huic sanctissimo? quod Fundatorem suum D. inquam Frāciscum, novæ legis Patriarcham, basin æneam appellaverim, sicut enim basis sustentat omnia quæ ipsi innituntur, sic & S. Franciscus una cum Ordine suo Seraphico, sacram sustentabat, & hucusque sustentat Ecclesiam, quod Deus mysteriorum suorum dispensator, summo Pontifici Innocentio Tertio, in somnis ostenderat. Cum enim B. Franciscus patri & matri, quin & paternis bonis renuncians, detractis calceis, & unâ contentus tunicâ Romam venisset, seque cum duodecim sociis sumo Pontifici præsantasset, rogans ut sui Ordinis regulam Apostolica sua autoritate confirmaret, cumque primò summus pontifex rejecisset, postea videns in somnis Lateranensem Basilicam callabentem suis humeris sustentari, conquisitū accersiri jussit, benigneque accipiens, omnem ejus institutorum rationem approbavit. Cujus postea Ordinem Honorius Tertius Innocentii Successor confirmavit. Neque tale somnium effectu suo caruit, quamtum enim S. Ecclesia, meritis sancti hujus Patris, nec non filiorum suorum labore, incrementi acceperit, nemo est qui ignoret. Postquam enim Deus ipsum constituit caput, tam sanctæ, & gloriosæ religionis, ex eadem emerserunt tot insignes virtute, litteris, & sanctitate viri, tot Episcopi, tot

Car-

Cardinales, tot summi pontifices tot clarissimi Doctores, tot admirandi concionatores, & quod magis est; tot invictissimi Martyres, tot Sanctissimi Confessores, tot purissimæ Virgines. Quæ quidem religio brevi tempore adeò crevit, ut dum adhuc S. P. Franciscus viveret, quinque millia fratrum sanctitate & doctrina illustrium, ad Generale Capitulum convenerint, qui numerus tam insignis Romanæ Curiæ, totique urbi admirationi fuit.

II. Et cum tot, tamque excellentes personas Ordo iste habuerit, nihilominus S. Pater hujus sacræ Religionis, totam illam sanctorum multitudinem longe superavit. Etsi enim dignitate Episcoporum, Cardinalium, aut summorum Pontificum insignitus non esset, nihilominus illud unicum pro summa excellentia sibi sufficiebat, quod à summo Pontifice Christo Jesu ita adamatus fuerit, ut quemadmodum Jonathas ob amorem quo in Davidem ferebatur, vestivit eum propriâ tunicâ, ita & Christus Jesus, Sanctum Franciscum dilectum sibi, quinque vulneribus suis insignivit. Habet iste Ordo admirandos Concionatores: at Sanctus Franciscus, quantum loquela sua spirituali, in cordibus Auditorum suorum profecerit ex eo patet. Quod cum quadam vice in capitulo generali concionem habuisset, maximam hominum multitudinem ad Deum traxit, atque ubi prædicandi finem fecit, statim quingentos induit, atque novitios in suum Ordinem suscepit. De aliis prærogativis hujus sacri Ordinis taceo, quotquot enim Martyres habuit, hos omnes Sanctus Pater Franciscus ab ipso Christo martyrizatus superavit. Quotquot Virgines, eas omnes Sanctus Pater puritate corporis & animæ longe anteivit. Si ergo nosse cupis, quodnam fuerit Francisci munus, scito illi à Christo demandatum, reparare Dei Ecclesiam labentem, sustentare & fulcire eam humeris suis. Finxere Poëtæ Atlantem gigantem, humeris sustentare universum: sed ecce Franciscum verum Atlantem, qui Dei Ecclesiam humeris sustentabat. In laudem Simeonis sapiens ait dicens: *In vita sua fulsit domum, & in diebus suis corroboravit templum.* Atqui hoc encomium, verius Sancto Francisco attribui potest: quod enim ille præstitit in templo materiali, id Sanctus Franciscus in spirituali Ecclesiæ templo fecit.

Eccl. 50. v. 1.

III. Accedamus propius ad id spirituale Sancti Patris ædificium certè ita excelsum est, ut humanas superet vires. Quis enim labentem Ecclesiam reparare poterit, nisi ille, qui *fundavit eam in æternum*? nempe Christus Jesus de quo Isaias ait: *Vocaberis ædificator sepium, avertens semitas iniquitatis.* Et ipsemet ait: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; Quis ergo Ecclesiam labentem reparare & fulcire poterit, nisi ipse, qui eam primum erexit? Dum casu aliquo ædificium quodpiam excelsum minatur ruinam, vocari solet architectus qui illud construxit, & illius modum probè novit, ut illud fulciat & corroboret. Christus ergo iterum è cœlis vocandus, ut Ecclesiam à se constructam restauret? Sed dicetis? sæpius etiam alii artifices resarciunt, quod alius primum exstruxit. Ita certè est, sed aliqua artificiata, ita mirabili arte effecta sunt, ut nisi eorum artifex ea resarcire queat. Verbi gratia, invenitur aliquis horologiarius, qui tale confecit horologium, in quo universi cœlorum motus continentur, hoc si destrueretur, & reparari deberet, num id à quolibet artifice fieri posset? minimè verò, sed à primo illius inventore, quia nemo præter illum, ordinem illius horologii novit. Ita ergo, dicendum venit de Ecclesia Christi ab eodem constructa horologio non absimili, quia mirabili ordine & artificio ædificata fuit. Sed ecce Francisci tempore horologium hoc & illius status collapsus videbatur, quis ergo reparabit illud, & in pristinum reducet gradum? ergo iterum orandus Christus, ut iterum reparaturus? illud descendebat de cœlis? Sed quid ille nobis respondet? Christum desideratis? jam secundò eum, ad opus hoc descendere non decet, sed dabo vobis secundum Christum qui vices meas gerat? qui sit Prorex meus, qui id præstet, quod ego facturus eram. Hic verò Franciscus est, quem ut sciatis meas gerere vices, plagis meis ornabo, ut taliter Christus appareat. Ego fui petra fundamenti elaborata quinque plagis, simili ratione elaborabitur Franciscus, qui fundamentum est instaurationis Ecclesiæ.

Psal. 47. v. 9. Isaiæ 58. v. 12. Matt. 16. v. 18.

IV. Summa humilitate Christus fundavit & ædificavit Ecclesiam suam, hac eadem

Sanctus Franciscus eam reparavit, ubi valde mirandum est, quod ad tantum opus infirmus eligatur, & qui hominum oculis nullus erat eo, inquam tempore quo tot tantique Reges Principes & Prælati sapientes extitere, humilis nudusque Franciscus eligitur, ut labentem Ecclesiam sustentaret. Sed ipsemet Christus, tale divini Patris sui consilium approbavit dicens: *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Quibus verbis duo significat, primum, quod infirma mundi elegerit, ut ea quæ sunt firma destrueret. Secundum quod elegerit humiles, quos nominat parvulos, superbos verò rejecerit, quos dicit sapientes & prudentes. Mirum est sanè quod Deus, tanta sua mysteria, rejectis sapientibus sæculi, commiserit parvulis, nam & in antiqua lege de gigante illo fortissimo Philistæo, reservavit triumphum, non præclaris ducibus exercitus Israelis, sed parvulo David. Unde S. Chrysostomus quærit, Quare adolescens ille David, non egressus est ad pugnam, adversus gigantem Goliath, indutus armis regiis, siquidem Saul his ipsum armaverat? Et respondet, quod non solum id fecit, quia non erat exercitatus in illo genere pugnæ & armorum; sed quia Deus ei inspiravit, ut indutus armis illis non dimicaret, ne illa victoria, quam obtinuit, armis Saul tribueretur. Voluit Deus fundâ & quinque lapidibus de carne, mundo, & Diabolo victoriam sumere; *ut non glorietur omnis caro.*

1. Reg. 17 v. 49.

D. Chrys. supra. Psal. 50.

1. Cor. 1. v. 29.

V. Ad eum modum Sanctus Pater Franciscus, pugnam initurus cum gigante tartareo descendit nudus ad certamen, loco quinque lapidum, habuit quinque Christi plagas, quibus & inimicum prostravit, & summam victoriam obtinuit. Nec mirum vicisse, qui victori summo, nempe Christo Domino, sicuti corpore, ita & animo erat similis, cujus universa vita, fuit imitatio vitæ Christi, & Evangelicæ perfectionis norma: nam cum Christo paupertatem coluit, eamque suam Dominam dici voluit. Et sicut Christus nudus crucifigi voluit, ita & ipse, insignium ejusdem crucis quin imo ipsius Domini factus particeps, omnibus bonis mundi seipsum spoliavit, & sic pauper, nudusque Christo adhæsit crucifixo. Id ipsum moriens præstitit, deportari enim se voluit ad S. Mariam de Portiuncula, ut ubi acceperat spiritum gratiæ, ibidem redderet spiritum vitæ. Quo cum fuisset perductus, ut veritatis exemplo monstraret, quod nihil erat illi commune cum mundo, proximus morti super nudam humum se totum in fervore spiritus prostravit, quatenus illa hora vitæ extrema, in qua hostis animarum nostrarum solet morientibus adversari nudus luctaretur. Unde eo in loco fratribus suis convocatis non secus atque alter Jacob Patriarcha cunctis invicem congregatis, benedictionem paternam impertivit, eosdemque ad paupertatem, patientiam, nec non sacræ Ecclesiæ Romanæ, fidem servandam cohortatus, psalmum illum pronuncians, *Voce mea ad Dominum clamavi*; in eo versu, *Me expectant justi, donec retribuas*; felicem animam suam Creatori & Salvatori Christo commendavit. Hic liceat dicere, ô Christe Jesu! *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus. & revelasti ea parvulis.* Ecce enim S. Franciscum parvulum, maxima cœlorum excepit gloria, uti in terris parvus, magnus vocabitur in regno cœlorum, & verè magnus, quia cum glorioso Seraphinorum Choro, lætatur in æternum. Amen.

Gen. 49. v. 25.

Psal. 141. v. 1.

IN FESTO S. FRANCISCI Confessoris,

CONCIO III.

Discite à me. quia mitis sum, & humilis corde.
Matth. 11. v. 29.

QUamvis diversa sint media, quorum ope filii hujus sæculi, clarissimum sibi nomen comparare solent, nempe aliqui per bella, quemadmodum Hector, Achilles, magnus Alexan-

Alexander, Julius Cæsar, magnus Pompejus. cæterique bellicosi Duces, & Heroes: aliqui per artes mæchanicas, sicuti Appelles, Zeuxis, Parasitus, artis pictoriæ peritissimi, non minus quoque famosi extiterunt. Ego tamen inter talia media, præstantiorem assigno locũ scholis, quæ nunc Gymnasia, Academiæ, & Univetsitates dici solent. Sicuti enim è fertili terra, venustissimi & diversorum colorum flores nasci solent, sic è scholis excellentissimi viri, diversorum statuum prodire consueverunt, quorum in numero, antiquiores numerantur, Aristoteles, Plato, Socrates, Galenus, Lycurgus cæterique quam plurimi. Recentiores prætereo, quia sicuti stellæ cœlorum, sic & ipsi numero comprehendi nequeunt, verus Magister Christus Jesus, veniens in hunc mundum, fundavit sibi quoque scholam celeberrimam, in qua ut studia sua practicaret, primum vocavit duodecim, quos adscivit pro suis discipulis, quæ quidem schola sua, quamvis in principio parva fuerit, successu tamen temporis, sic fuit ampliata, ut Academias numerosas superaret. Sic enim habetur in Actibus Apostolorum. *Verbum Domini crescebat, & multiplicabatur numerus discipulorum.* Quodnam illiud verbum fuerit, ego manens penes interpretes sacri textus, per illud intelligo, diversas lectiones Christi Jesu, quas suis discipulis, juxta quod requirebar necessitas, proponere solebat. Inter cæteras in hodierno Evangelio unam proposuit dicens: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Quam lectionem S. Pater Franciscus Christi Jesu discipulus, quam sedulo probeque didicerit, & quanto præmio pro sua diligentia, à Magistro suo Christo, donatus fuerit, in hac concione demonstrabo.

Luc. 6. v. 13

Actor. 6. v. 7.

I. Est quidem verum Auditores, quod antiquo illo, & hoc etiam sæculo, multi doctissimi & præclari viri inveniantur, qui vel è schola D. Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici, vel Joannis Scoti Doctoris subtilissimi, aut Durandi, aliorumque quos celebrant cathedræ Magistrorum prodierunt. Sed ego non solum præclaros, sed felicissimos quoque illos existimo, qui in schola Christi Domini, discipuli extitere, & in eadem studia sua absolverunt, quales erant discipuli, rudes illi piscatores, & nunc summi Theologi & Apostoli Domini. Cujus rei hæc est ratio. Quia plerumque viri docti inveniuntur, quibus doctrina plus obfuit, quam profuit: nam vel ideo literis insudabant, ut per eas, ad summos honores ascensum haberent, quibus deinde per superbiam abuti solent; vel sane licet nullos acquirant, cum dicat sacer textus, *Scientia inflat*; in seipsis superbire, & præ cæteris digniores haberi volunt, de quibus Dominus Matt. 23. *Dilatant phylacteria sua, & magnificant fimbrias, amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro & vocari ab hominibus Rabbi*: quorum conditio quam infelix sit, id plurimis exemplis probare possem, quæ tamen studio prætereo, eorum inquam qui misere vitam suam finiverunt, & post mortem suam, illam terribilem summi judicis sententiam, *Iusto judicio Dei condemnatus sum*, proclamare compulsi fuerunt. Hinc Sanctus Pater Augustinus gemebundus illud protulit. *Surgunt indocti & cœlum rapiunt, & nos in doctrinis nostris sine corde, ecce ubi volutamur, in carne & sanguine*: at qui in schola Christi discipulos agunt, hi securi manent ab omni periculo, quia in illa non aliud docetur, quam ipsa mansuetudo, & humilitas, juxta illud. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.*

1. Cor. 8. v. 1.

Matt. 23. v. 5. 6.

S. Aug.

II. Alia prærogativa discipulorum Christi ea est, quod nulla sit ejusdem lectio sine utilitate ipsam consequente & quod vulgo dicitur. *Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.* Id planè de doctrina Christi Jesu dici potest, nam si aperuetitis codicem suarum lectionum, nullam plane videbitis, sine fructu. Evidenter id demonstrat Sanctus Matthæus Evangelista capite 5. ubi ait. Quod cum Dominus aspexisset turbas se circumstantes, ascendit in montem, tanquam in cathedram, ibidemque accersitis ad se discipulis, prolixum eis perlegit tractatum seu materiam in octo Articulos distinctam, nempe unũ, de paupertate spiritus, alterum de misericordia, deinde de cordis munditie, cæterisque id genus virtutibus, utque discipulos suos, attentiores & diligentiores redderet, consuetudinem magistrorum imitatus, & ipse magna unicuique lectioni affixit præmia. Dum enim hæc verba protulisset; *Beati pauperes spiritu*: mox addidit. *Quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Dicendo, *Beati mites*; mox adjecit. *Quoniam ipsi possidebunt terram.* Et ne vos fa-

Matth. 5. v. 3. 4.

fatigem singula referendo: dico brevibus, illas octo Christi Domini lectiones, ideo dictas beatitudines, quia omnes hos, quicunque ipsas profitentur, vel audiunt, beatos felicesque efficiunt. Sed neque hodierna sua lectio est sine præmio, quam primum enim protulit dicens; *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*: mox intulit. *Et invenietis requiem animabus vestris.*

III. Unde cum tanta sint discipulorum Christi præmia, non possum aliud loqui nisi ut vobis insinuem, quantis præmiis Sanctus Franciscus, Christi Jesu discipulus, à Magistro suo donatus fuerit, cum præ cæteris suis condiscipulis diligentissimè studuerit, & multum profecerit in schola mansuetudinis & humilitatis; & quid mansuetius illo fuit? quem cum pater suus propter crebras eleëmosynas quas faciebat, quasi prodigum coram Assinate Episcopo exhæreditaret, & paternis bonis cedere juberet, id minimè egrè tulit, quin rejectis etiam vestibus patri suo concessit omnia, illud subjungens, sibi in posterum majorem facultatem fore dicendi: *Pater noster qui es in cœlis.* Jam vero quod concernit studium humilitatis, quid eo humilius? qui detractis calceis, unâ contentus tunicâ, & funè præcinctus incedebat, & tandem duodecim sibi adhibitis sociis, Ordinem suum quem instituit, non præclaro quodam titulo illustravit, sed minorum fratrum appellavit. Nec inaniter huic virtuti Sanctus Pater studuit, nam per illam Deus, intellectum ipsius in tantum illustravit, ut (sicuti asserit Sanctus Bonaventura) quamvis non habuerit sacratum literarum peritiam, nihilominus interrogatus à summo quodam Theologo de quibusdam difficillimis quæstionibus, tanta facilitate arcana earundem patefecit, ut sapientiam suam cuncti mirarentur.

Matth. 6. v. 9.

In vita S. Franc.

IV. Sed quid mirum, Sanctum Patrem tanta claruisse sapientia? qui etiam spiritum Prophetiæ habuerat? Apud Cælanum, invitaverat quidam miles Sanctum Patrem ad prandium, apud quem refectus, loco gratiarum, eundem monuit, ut cito confiteretur, & domui suæ disponeret. Quod cum ille diligenter fecisset, mox peracta pœnitentia, spiritum suum Deo commendavit. Nec sapientiam, neque etiam Prophetiam miror Sancti Patris Francisci, qui Pentateucum Moysis legit, & didicit, in quinque vulneribus Christi Jesu. Et certè Auditores mei, vultis scire causam cur in specie Seraphin ei impressa fuerint? quia sapientiam à solo Deo sibi datam, ardori divinæ dilectionis adjunxerat. Felix incendium quod phœnicem mundi, in odorifero nido, arbor sChristi Jesu collocaverit, quandoquidem sibi vivere Christus erat, & mori lucrum. Et verè lucrum, sicuti enim phœnix moriens, est alterius viventis principium; ita & S. Pater Franciscus, ex pulveribus mortis suæ, plurimos Ordinis sui sacri phœnices pullulare fecit. Vultis ut probem? Solem in die quæritis. Pulchrum erat illud cujusdam pincernæ somnium, in quo viderat tres propagines, de vite cerscentes, & postea in gemmas, deinde in flores, & tandem in uvas matureścere. Hoc somnium Sanctus Joseph Patriarcha, pulchrè & veridice explicavit, sed adhuc reliquit locum, ut & ego illud mystieè explicare possim. Pincerna meus, est Sanctus Pater Franciscus. tres propagines, sunt trina ejusdem germina, quæ ab una vite descendentia, tres propagines efficiunt, nempe unum Ordinem Minorum de observantia. Secundum Ordinem conventualium, tertium tandem Ordinem Capucinorum. O propagines fertilissimas, quæ totum mundum suo fructu exhilaratum fecerunt. Habet Hispania bonum vinum, sed quale illud erit, quod multa centena millia Indorum degustarunt. Habet sacer iste Ordo, tot tantosque filios, ut nullus sit angulus, vel occidentis, vel orientis, cui suavissimum Evangelii scyphum non propinaverit. Quid loquar de sanctis martyribus, qui torcular stigmatum parentis sui calcaverunt? Sed quia plurimi sunt, eorum numerum inire non audeo.

Gen. 40. v. 11. 11.

V. Sed vel hoc ipsum, maxima dignum est narratione. Quod fratres sacri hujus Ordinis, pro fide Jesu Christi mori semper parati sint, non tamen possint. Non dico id ac si nullus illorum pro fide Christi Jesu, mortem subierit, plurimos enim recenserepossem, S. Accursium, qui cum quatuor sociis apud Marochium pro Christo occubuit. Sanctum Angelum, qui cum sex aliis dum sectam Saracenorum impugnaret, & pro veritate fidei Christianæ viriliter decertaret, ab Arbaldo judice trucidatus, martyrii laurem consecutus fuit. Petat qui

volet

volet cæteros, è graviſſimis Seraphicæ religionis Hiſtoricis. Sed id ſolum dicere volo. Quod ſicuti Sanctus Pater Franciſcus aliquando navigaverat in Syriam, deſiderio martyrii pro fide Chriſti ſubeundi, non tamen illud aſſequi potuit, quin imo tractatus ibidem liberaliſſime, in pace ad ſuos reverti coactus fuit. Sic etiam ſui filii exceptis his qui in diverſis mundi partibus pro Chriſti ſanguine laureati objerunt, inter ipſiſſimos, ſacræ fidei hoſtes, nempe in Paleſtina, in monte Sion, in ſancto ſepulchro, in Bethleëm, valle Ioſephat, Nazareth, monte Oliveti, Bethania, Jordane, cæteriſque locis gentilium degentes, libere Jeſum Chriſtum profitentur, paratique ſunt pro nomine illius, non ſolum contumeliam pati, ſed etiam proprium corporis profundere ſanguinem. O Sancte Franciſce, quantum excrevit tua ſancta humilitas, quæ Jeſu Chriſti Eccleſiam, in tantum ſublimavit. Quamobrem tuæ ſcholæ hodie & ſemper nos adjungimus, ut per humilitatem tuam, tecum in cœleſti regno exaltari mereamur. Amen.

IN FESTO S. FRANCISCI Confeſſoris,

CONCIO IV.

Species quarti, ſimilis filio Dei. Daniel 3. v. 29.

LEgimus in libro Prophetiæ Danielis. Prophetæ, Regem Nabuchodonozor ſummè admiratum fuiſſe: Cum enim miſiſſet in fornacem ignis ardentis tres Hebræos juvenes, eò quod ſtatuam ſuam auream adorare noluerint, quatuor numero viderat. Unde ait optimatibus ſuis. *Ecce ego video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt: & ſpecies quarti ſimilis filio Dei.* Per quatuor hoſce juvenes ego intelligo quatuor Ordinum (qui huc uſque in mundo florent) fundatores, & Patriarchas, nempe Sanctum Benedictum, Caſſinenſium fundatorem, Sanctum Auguſtinum Auguſtinianorum, Sanctum Dominicum, fundatorem Ordinis Prædicatorum, & Sanctum Franciſcum fundatorem & Patriarcham Ordinis Minorum. Tres iſti, nempe Benedictus, Auguſtinus, & Dominicus, dilecti erant coram Deo & hominibus. Primus enim totum Occidentem & Orientem lumine ſacræ fidei illuſtravit. Secundus, *quaſi ſol refulſit in templo Dei.* Tertius facula verbi divini totum mundum illuminavit. *Sed ſpecies quarti, ſimilis filio Dei.* Forte mirabimini, me id de uno homine pauperrimo protuliſſe? atqui ego id ipſum in hac concione demonſtrabo.

Dan. 3. v. 92.

S. Bonav. ſerm. 1. de S. Franc.

I. Quemadmodum Regi Nabuchodonozor intra fornacem ignis ardentis ſpecies quarti juvenis, viſa fuit ſimilis filio Dei, eodem modo & ego dum Sanctum Franciſcum conſidero, non extra fornacem, non extra ignem, ſed intra fornacem ignis ardentis, in quo quartus ille juvenis obambulabat, tunc ipſum filio Dei ſimilem fuiſſe conſpicio, ſimulque, dico eam ſimilitudinem ſpeciei, ab amore illo ardentiſſimo, quo erga Jeſum Chriſtum ferebatur proceſſiſſe. In tantum enim Franciſcus, ſimilis Chriſto apparuit, in quantum ipſum ardentiſſimo amore coluit. Pro meliori hujus intelligentia attendatis, quod de verbo incarnato Sanctus Joannes ait: *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit.* Quænam ſunt hæc verba Sancti Evangeliſtæ. *Et mundus eum non cognovit*? Nunquid mundus habet quandam animam intellectivam, uti antiqui Philoſophi putaverunt? Sciendum nobis eſt Sanctum Joannem Evangeliſtam per mundum hunc, non hunc mundum quem videmus, & in quo vivimus, ſed homines qui ſunt in mundo intellexiſſe, qui ob vehementem amorem quem erga mundum habent, mundus quidam efficiuntur. Amor enim habet hanc virtutem, quod amantem in rem amatam transformet, ſicuti ferrum dum in fornacem ardentem ponitur, in ignem convertitur: unde ſicuti homines qui Deum amant, dicuntur ſpirituales, quia Deus ſpiritus eſt], ita homines mundani ſunt, qui amant mundum teſtante Divo Auguſtino hiſce verbis. *Homines mali mundus vocantur, inde accepe-*

Ioan. 1. v. 10.

S. Augu. ſerm. 24. de temp.

acceperunt nomen ex eo quod amant. Quis autem amorem illum quo Sanctus Pater Franciscus ardebat in Christum, sufficienter explicare poterit? adeo ipsum diligebat, ut in ardenti quadam fornace degere videretur. Unde Sanctus Bonaventura in vita Sancti Patris ait: *Charitatem ferventem, qua sponsi amicus Franciscus ardebat, quis enarrare sufficiat; totus namque quasi quidam carbo ignitus videbatur.* Hinc ergo sequitur: cum Sanctus Pater Franciscus Christum Jesum maximo amore est prosecutus, ut quasi in ipsum conversus fuisse videretur, ea verba Prophetæ de eo dici posse: *Species quarti similis filio Dei.*

In vita S. Fran. c. 9.

II. Legimus verba hæc Canticorum capite 1. *Fasciculus Myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur.* Hæc quondam sponsa mystica dicebat ad cœlestem sponsum, in quem amoris desiderio ferebatur. Sed tale sponsæ desiderium, quisnam melius imitari potuit, quam Sanctus Pater Franciscus, qui vulnera Christi crucifixi in tantum venerabatur, ut ex ipsis quasi quendam fasciculum sibi colligasse videretur, eumque in intimo cordis sui sinu, noctu dieque portaverit. Testem hujus veritatis habeo Sanctum Bernardum mellifluum Doctorem dicentem: *Christus Iesus crucifixus, intra mentis Beati Francisci ubera, ut myrrhæ fasciculus, mirabiliter morabatur.* Et sicuti illud sponsæ æstiuans desiderium, non erat inane, audivit enim sibi à sponso dici. *Pone me ut signaculum super cor tuum.* Sic & Christus Jesus dilecto Francisco suo iisdem verbis respondebat, neque sine causa. Cum enim dicat Philosophorum Princeps Aristoteles; *Ea quæ sunt in voce, sunt notæ earum passionum quæ sunt in anima*: Sanctus vero Seraphicus Pater Franciscus, nulla alia de re quam de solo Christo crucifixo sermonem habuerit quidnam continua illius meditatio, quin ipsa præsentia in Sancto Patre operari potuit, quam admirabilem sui in Christum transformationem; Refert Petrus Berchorius in nulla re quam in ipsa cera figuram aliquam posse exprimi, cujus hæc sunt verba. *Cera mutat dispositionem suam, & figuram suam ad dispositionem sigilli quod ei imprimitur, & sigillo simile efficitur.* Similis hujus ceræ erat Sanctus Franciscus, de quo hæc Bernardinus ait. *Factum est cor ejus quasi cera liquescens.* Quis ergo divino illo igne plenus erat, facile quoque liquefieri, disponique potuit ad recipiendam figuram Christi Jesu, in quam transformaretur per amorem sponsi sui Jesu.

Cant. 1. v. 12.

S. Berna. p. 2. serm. 60 Art. 2. cap. 2.

Cant 8. v. 6.

Aristotel.

Berchor. p. 3. verb. similitud.

S. Berna ubi super.

III Sponsa eadem de qua superius feci mentionem, adeo ingens habuit desiderium, amplectendi Christum dilectum suum, ut cum id ipsum diutius dissimulare non posset, eidem audacter dixerit. *Osculetur me osculo oris sui.* Quasi dixisset: nisi tu ò summe Jesu osculum mihi præbueris, nullum in meis laboribus solatium habere potero. Sed quonam fine osculum illud tam ardenter assequi concupivit? Nimirum, ut in Christum suum dilectum totum transformari posset, & sicut per osculum tale non jam ipsa, sed ipsemet Christus esse, sibi videretur. Uti ait Cyprianus in primum cap. Canticorum. *Os in homine est fenestra quædam, per quam solet animus se insinuare, seque quodammodo in rem illam quam amat, transmutare.* Et hinc idem Autor conjicit per illud osculum desideraſſe illam sponsam, ut in Christum dilectum suum sponsum transmutari posset. Tale desiderium eadem sponsa iisverbis exprimat. *Ego dilecto meo & ad me conversio ejus:* quasi dicere voluisset (inquit Hugo Cardin.) *utinam sponsus meus mihi approximaret. Ut in me suam imaginem recognoscat, me convertendo ad ipsum.* In his ergo duobus S. scripturæ locis sponsa hæc S. Franciscum repræsentat. Quam enim ardenter consolationis divinæ osculum desideraverit, quoties hac de re cœlorum Reginam exoraverit, quis id effari aut preces suas enumerare queat: Nec ea desideria Sancti Patris effectu suo caruere. Cum enim quodam die circa vesperum excessivo hujus osculi desiderio teneretur, Beata Virgo Maria divinum infantulum suum Jesum, in sinu suo portans, ei apparuit, eumque tota nocte secum manere, innumeraque pro libitu suo ei oscula dare indulsit. Cum igitur Christus Dominus per tot oscula in D. Franciscum fuerit transmutatus, merito de ipso dici poterit. *Species quarti, similis filio Dei.*

Cant. 1. v. 5.

Cyprian. Mon. in l. c. Cant.

Hug. Car in c. 7. Cant.

Parth. Pisan. in l. conf.

IV. Sanctus Paulus ad Galatas scribens dicit: *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus,* quasi diceret. Scitore vos mei discipuli, quod deinceps ego jam non sim Paulus, licet talis esse videar, sed in Christum conversus sum. Unde (ut inquit Paulus à Palatio) *Christi accepi Deitatem, & quidam Christus ego.* Sed quonam artificio Sanctus Paulus id obtinere

ad Gal. 2. v. 20.

Paulus à Pal. in c. 5. Matth.

obtinere potuit, ut ipse jam non Paulus esset: sed Christus fieret? artificio utiq; orationis & contemplationis quia ante Christum veluti
2. Cor. 3. v. 18. speculum quoddam apparebat dicens: *Nos vero revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur.* Quod si igitur Sanctus Paulus, quidam factus est Christus, quia contemplabatur Christum, eodem modo & Sanctum Franciscum eadem transfiguratio decuit, cum de ipso Sanctus Bonaventura dicat: *Sine intermissione orans, spiritum DEO contendebat exhibere præsentem.*
S. Bonav. in vita sua. c. 10.

V. Quia verò, nova forma, sine prioris corruptione introduci nequit ut ait Philosophorum decus Aristoteles. Aurifex enim, non potest facere calicem ex scutella, nisi primò formā scutellæ auferat ab argento, ideo antequam Franciscus in Christum mutaretur, opus erat ut prius more retur, sicut & Paulum, ut Christus foret mori necessum fuit. Ergone mortuus est Franciscus ut Christi formam obtineret? at pro Confessore ipsum habet Ecclesia: multipliciter ego Sanctum Franciscum mortuū fuisse conseo. Primò per amorem: *Moritur enim qui amat*, inquit Marsilius Ficinus: mortuus erat, quia dicente Sancto Bonaventura, *Per Christi charitatem totus erat insensibilis factus*: mortuus erat in habitu Ordinis sui, quia cinericius color panni sui, quid aliud intonat, nisi illud sigillum mortis. *Cinis es & in cinerem reverteris*: mortuus denique erat in vulneribus Christi Jesu, quorum stigmatibus quinque mirabiliter à Christo dignatus erat. Satis vobis nota est illa historia à multis Autoribus conscripta. Quod dum Sanctus Pater Franciscus se contulisset in solitudinem montis Alverni, ibidemque 40. dies propter honorem Sancti Michaëlis Archangeli in jejunio & orationibus consumpsisset, festo die exaltationis Sanctæ Crucis, ei Seraphinum, crucifixi imaginem inter alas continentem, apparuisse ejusq; manibus, pedibusque & lateri, vulnerum Christi stigmata impressisse. Sed cur Christus in Seraphica specie Sancto Francisco voluit apparere? Seraphin est amoris symbolum: hinc ergo talis ratio sequitur: non apparuit in forma Cherubini, qui scientiam denotat, sed Seraphini, quia, ut refert Pisanus. *Anima non notitia, sed amore in Deum transformatur.* Summè Franciscus amabat Christum; ea propter in forma Seraphini ardentis ei apparuit, ut amorem in ipso eò magis multiplicaret. Quam igitur verum est Sanctum Patrem Franciscum similem fuisse filio Dei. Si ergo & nos virtutes, præcipuè vero amorem Dei, in Sancto Patre imitati fuerimus, eandem ipsius similitudinem inveniemus in Christi Jesu vulneribus, eorumque virtute gratiam & gloriam sempiternam assequemur. Amen.

S. Bonav. S. Anton. Brev. Ro.

Barthol. Pisanus l. 3. conformit.

Marsilius Ficinus.

S. Bonav. c. 10.

IN FESTO S. FRANCISCI
Confessoris,
CONCIO V.

Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.
Galat. 6. v. 14.

DUm ego hæc verba considero, quæ Sanctus Paulus Apostolus de se ipso scribit, non possum non mirari Auditores præstantissimi. Quid enim illud est quod ait: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce.* Nonne hic ille Apostolus est, qui raptus fuit ad tertium cœlum? qui fuit in paradiso & audivit arcana verba,
2. Cor. 12. v. 3. quæ non licet homini loqui? nonne ille est cujus officium Apostolicum multis signis, prodigiis, & virtutibus honoratum fuit à Domino? hinc sanè non exiguam S. Apostolus habuit gloriandi materiam, ut quid igitur fundat suam gloriam in sola cruce Domini? Non sine ratione S. Paulus omisso cœlo & paradiso in quo cœlestes visiones habuit, & tandem præterita muneris sui Apostolici excellentia, in sola Domini cruce gloriatur: nam secundum sententiam D. Bernardi, sicuti antea nihil erat cruce despectius, atque infamius sic jam nunc nihil illâ gloriosius aclaudabilius: hæc enim illa est, quæ nobis vitam restituit; hæc est quæ oleum stillat lætitiæ; hæc est quæ

S. Bernar.

samum sudat spiritualium Chrismatum; hæc illa est, quam pro insignibus ac vexillo præfert Ecclesia Christiana. Si Apostolus Domini S. Paulus in sola cruce gloriari voluit: quantum jam cumulum putatis S. pater Franciscus habebit laudis & gloriæ: qui magis propriè illa verba S. pauli potest dicere: *Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Per illa enim stigmata, quæ S. Paulus in suo corpore se portasse ait, intelliguntur variæ persecutiones & tribulationes, quas S. Apostolus pro Christo Domino passus fuit, uti ipsemet fatetur 2. ad Cor 4. c. *Mortificationem Domini Iesu Christi in corpore meo porto.* At vero ô S Franciscus nõ solum plurimas mortificationes sustinuit; sed revera & apparenter quinque Christi stigmatibus, à Seraphino cœlesti in corpore suo expressis insignitus fuit. Quæ quidem stigmata Jesu quantam S. Francisco gloriam attulerint, in hodierna concione audietis.

Galat. 6. v. 17.

2. Cor. 4. v. 10.

I. Plurima sane habeo argumenta laudum Seraphici Patris & Ordinis Minorum Fundatoris, S. Francisci. Verè etenim in illo adimpletur illud quod in multis Evangelistarum locis Christus Dominus dixerat: *Qui se humiliat, exaltabitur.* Mirabiliter enim, ab illo hic S. Pater exaltatus erat. De S S. Apostolis prophetaverat olim S. David dicens: *Constitues eos Principes super omnem terram.* At S Pater Franciscus majorem se esse Principem demonstravit Si enim Apostoli erant Principes pauperũ, quia pro Christo omnia reliquerunt, jam hic priorem locum S. Franciscus habebit in principatu suo. Ratio hæc est: Apostoli enim. sua reliquerunt pro Christo, S. vero Franciscus nõ solum reliquit sua propria, sed insuper illis renunciavit. Cum enim à patre suo propter multas eleemosynas, quas faciebat, tanquam dilapidator bonorum, coram Episcopo Assinate accusatus esset, in ejusdem præsenria, non solũ hæreditatem suam; & cuncta quæ habere potuerat dereliquit, sed etiam omnia patri suo cessit & renunciavit, dicens illud. Sibi postmodum liberius dictu fore: *Paternoster qui es in cœlis* Quærunt aliqui SS. Patrum quonam motivo S. Petrus Apostolus hæc verba protulerit; *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te? quid ergo erit, nobis.* Ubi eximius Doctor Cajetanus, ponderans eandem SS. Patrũ quæstionem, ex hac causa prodiisse dicit: cum enim uti ait Matth. 19 c. quidam juvenis ad Christum venisset, eumque interrogasset dicens: *Magister bone quid faciam ut vitam æternam habeam*, & Christus jussisset illum omnia vendere & dare pauperibus; hoc S. Petrus audiens & in se reversus ait: *Ecce nos reliquimus omnia; quid ergo erit nobis?* Quasi diceret; Domine, video quod non sufficiat propter te suas res relinquere? sed etiam illis renunciare, seu vendere & dare pauperibus? nos qui reliquimus tantum, in quo gradu menebimus? ex quo patet quod cum majus sit renunciare alicui rei, quam solum relinquere, juxta illud jus. *Res ubicunq; est. Domini est.* Hinc S. Franciscus major erit Apostolus, qui sua non modò reliquit, sed etiam ea abnegavit. Habetur Gen. 42. cap. Quod dum filii Jacob Patriarchæ venissent ad Joseph, fratrem suum in Ægypto commorantem quamvis fuerint numero undecim, nullus tamen ex eis nosse illum poterat. At vero unicus Ioseph omnes agnoverat, sic dicente textu: *Fratres ipse agnoscens non est cognitus ab iis.* Ubi duo noto. Primum, cur Joseph se exhibuit fratribus tanquã alienus, & secundum, cur ipse solus omnes agnovit, ille verò non est agnitus ab illis: & respondeo ideo se exhibuit alienum, quia venditus erat ab illis? & consequenter illos non agnovisse Joseph, quia ipsum vendiderunt, & sic nullum quasi jus ad agnitionem ipsius habuerunt ille è contra, quia acceptus à Chaldæis, fratres suos dereliquit tantum, non tamẽ illis renunciavit? ideo quoq, agnovit ipsos. Hinc sequitur S P. Franciscum majorem fuisse Principem pauperum; quia non solum omnia sua dereliquit, sed etiam se ipsis abdicavit.

Luca 14. & 18. v. 11.

Psal. 44. v. 22.

Matth. 6 in cœlis v 11.

Matt. 19. v. 27. Cajetan. hic.

Matt. 19. v. 27.

Gen. 42. v. 8.

II. Secundo S. P. Franciscus fuit Princeps humilium. Dicite mihi causam, cur Ordo iste in tantum creverit, ut in tres alios distinguatur, nempe Conventualium Minorum, & Capucinorum. Respondet ad id insignis Autor Salvianꝰ dicens: *Fertiles sunt partus humilitatis.* Seraphici P.S. Francisci indubie amplior est Ordo omnibus aliis, in quo tot sunt Sancti tot Beatificati, tot Martyres. Nihil dico de multitudine maxima Conventuum, Pontificũ Patriarcharum, Cardinalium, Archiepiscoporum, Doctorum, Concionatorumq; insigniũ, cæterorumq? quos numerus non capit. Unde hæc tanta Ordinis hujus multiplicatio? Aliud respondere nequeo, quam illud; *Fertiles sunt partus humilitatis.* Unde hiç S. Ordo non alio

Salvian.

medio

medio excrevit, nisi per solam humilitatem. Ut autem sciatis in superbia sterilitatem, in humilitate verò fœcunditatem reperiri, tali exẽplo patebit. Regius Propheta David adducta arca Domini in Jerusalem, præ cordis lætitia, saltabat coram illa. Michol uxor sua id è fenestra conspiciens, despexit illum in corde suo. Quanta fœminæ temeritas & superbia! Sed quid sequitur? ait ibidem sacer textus: *Igitur Michol filia Saul non est natus filius, usq; in diem mortis suæ.* Duo hic observat Rabanus, Primũ cur nominatur filia Saul, & non potius uxor David? Secundum, cur sterilitate damnata fuerit? & respondet ad utrumq; dicens. Ut *notaretur ejus superbia quasi hereditariè à Saule Rege sumpta.* Clarius respondet S. Ambros. dicens: *illa mulier quæ saltationem David reprehendit, sterilitatis damnata non edidit prolẽ regiam, ne superbos crearet.* Cum igitur S. Frãciscus profundissima humilitate insignitus fuerit, non est mirum quod innumeros filios habeat, quia *fertiles sunt partus humilitatis*, Magna hæc duo, sunt S. Franciſci præconia, fuisse Principem pauperum & humilium, quia descendit à linea Regia illius Regis, qui se Magistrum paupertatis & humilitatis extitisse toties protestatus erat Quid igitur S. P. visne tot titulis gloriari? Principes hujus sæculi oblectantur multis titulis. Visne Pater pauperũ dici? *Mihi absit gloriari*, respondet Sanctus. Visne Princeps humilium dici? *Mihi absit gloriori*; Visne Princeps Martyrum dici, quia ut mori pro Christo posses ad Saracenorum terram te contulisti? *Mihi absit gloriari.* Visne Princeps Apostolorum dici, quia illos paupertate superasti: *Mihi absit gloriari.* Visne Princeps virginum dici, quia propter tuam castitatem Angelos contubernales habuisti? *Mihi absit gloriari.* Sed ô S. P. injurius tibi essem, si tuam gloriam tibi debitam denegarem, dic oro, in quonam placeret tibi gloriari. *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* O gloria! cur in cruce? cur non potius in tot gratiis tibi à Deo collatis? sane prudentissima hæc fuit S. Franciſci resolutio, quod nõ ab aliquo alio, sed à sola cruce Domini nostri Jesu Christi gloriã suam quæsiverit.

Rabanus.

S. Ambr.

III. Interrogant quidam curiosi, cur Sanctus Franciscus dignitate sacerdotali noluerit honorari? non putetis id fuisse factum ob aliquid simile, ac si S. ille P. eo honore indignus extitisset: sed id majorem ipsius excellentiam demõstrat, quod patet ex hoc discursu Insignis Doctoris hujus sacri Ordinis, nempe Alexander de Ales quærit: cur Isaac non fuerit sacerdos, neque legatur de ipso, quod aliquod obtulerit sacrificium, uti Abraam pater suus, nec non Jacob suus filius? & respondet id ei fuisse conveniens, ut non esset sacerdos. Ligimus enim in Genesi, S. Isaac à Patre suo Abraam oblatum fuisse in sacrificium & quia nulli hominũ convenit simul esse sacrificium & sacerdotem, præter ipsum Christum, qui simul erat sacerdos & sacrificium, ideo S. Isaac non conveniebat esse Sacerdotem. Par ergo est ratio de S. P. Francisco. Est verum, quod ipsum voluerit Christus fieri magnum Patriarcham & Fundatorem Ordinis sui Seraphici, sed quia etiam taliter cum ipso ordinaverat, ut successu temporis insigniretur quinque suis vulneribus in corpore suo imprimendis, ideo nolebat ipsum esse sacerdotem. Forte dicetis, quid impediebat portare Christi vulnera & esse simul Sacerdotem? multum sane, quia per quinq; illa vulnera corpori illius impressa debuit fieri hostia & sacrificium Deo gratum Quod si præterea esset sacerdos, tunc ob magnam sanctitatem suam putassent, filium Dei de cœlo descendisse in mundum. Quod autem major sit excellentia S. P. Franciſci, fuisse sacrificium, quam si sacerdos esset, patet ex illis verbis S. Pauli. *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Huic admonitioni S. Apostoli quisnam hominum satis facere potuit? nulllus sanè tam perfectè quam ipse S. P. Franciscus, cujus corpus vera fuit hostia, adeoq; verum sacrificium, ut sacramento Eucharistiæ assimilari possit, quia utrumque aliqua fuit passionis filii Dei commemoratio. Et quis potest eloqui horum quinq; stigmatum excellentiam? Hæc inquam stigmata S. Franciscus gestans in corpore suo, omnibus martyribus major erat, quia ea Christi Domini insignia deferebat, quæ omnia tormenta martyrum longè superant. Hinc colligo, S. P. Franciscum, abjectis omnibus mundi titulis, in quibus Principes terræ gloriam suam reponunt, meritò in sola cruce gloriari: hæc enim plurimas ipsi peperit excellentias. Inprimis crux Christi Domini, & quinq; illius stigmata, id in S. Francisco effecerunt, quod ipsum in Seraphinum transmutaverint. Sicuti

Alexand. de Ales.

Gen. 22. v. 3.

Rom. 12. v. 1.

Dionys. Areopag.

enim teste S. Dionysio Areopagita, supremi illi Spiritus ideo vocantur Seraphini, quia igne divini amoris continuo inflammantur. Ita D. Franciscus, postquam accepit Christi stigmata in corpore suo impressa, tantum amoris ignem in corde suo conceperat, ut illum sufferre non valens, continuis quasi languoribus laboraret. Dum enim quadam die Christus Dominus in forma Seraphini illi apparuisset, in tantum amore sui cor illius inflammavit, ut ex iis plagis suis sibi impressis sanguis ceperit emanare.

IV. Frequenter invenimus in sacra scriptura per ubera amorem cœlestem intelligi. Hebræi verò interpretes hoc nomen Seraphinus idem esse volunt; ac si diceretur, uberum Deus. Sed quid cum uberibus Seraphinis? multum sanè. Si enim ideo vocantur Seraphini, quia continuò inflammantur amore Dei, & amor idem est quod ubera, consequenter tali amore ardentes sine uberibus esse nequeunt. Quia igitur Christus Jesus S. Franciscum in persona Seraphini, suis vulneribus honoravit, id fecit ideo, ut ei conveniret illud nomen amoris, nempe Deus uberum: ut jam tot haberet ubera quibus familiam suam Franciscanam nutriret. Hinc patet responsum ad frequentes hominum interrogationes, cur Deus familiam S. Francisci tam copiosè enutriat, ut licet nulla bona habeant, fideles tamen Christiani à Deo promoveantur, ad eleëmosynas illis elargiendas. Multa ubera, nam quinque vulnera S. Franciscus habet, & hæc sunt plena lacte ex divino amore promanante, tot ergo Dei ubera cur ad alendos fratres suos non sufficerent. Narrat sacra Regum historia c. 4. Mephibozet Jonatæ filium, dum fugeret à facie Davidis, cecidisse & confractis tibiis effectum fuisse claudum, aliquanto igitur post tempore David Rex inquisivit, nunquis supersesset de domo Saulis, qui ad suum se conferret palatium, cui cum respõsum fuisset supersesse Mephibozeth, sed claudum; tum Rex Ego sum, inquit, qui illum vulneravi, &c. igitur *Mephibozeth comedet semper panem super mensam meam.* Jam quis vulneravit Seraphicum Patrem Sanctum Franciscum, & quis ei impressit illa vulnera? Ego, ego, inquit Redemptor noster Christus JESUS, idcirco familiam ejus sustentare debeo: Quin ausim dicere, S. Franciscum in cibis sibi appositis cæterorum Ordinum mensam superare: esto enim, quod mensa S. Augustini, Benedicti, Bernardi, Norberti, Dominici, cæterorumque Patriarcharum & fundatorum diversorum Ordinum, pleraque obsonia habeant nihilominus tamen, sicut mensa Benjamin quinque portionibus aliorum fratrum portiones excedebat, sic etiam S. Pater Franciscus quinque vulneribus corpori suo impressis, cæteros omnes Sanctos antecellit. Dixerat quondam Jacob Patriarcha ad filium suum Joseph. *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrei, in gladio & arcu meo.* Gen. 48. v. 22. Eodem modo Dominus noster Jesus Christus qui partes gratiarum suarum, non secus atque Jacob hæreditatem suam suis filiis partitus est, S. Seraphico Francisco extra illas partes aliis Sanctis datas, speciale in quandam partem obtulit, quam per lanceam clavosque acquisivit; nempe quinque sua vulnera prætiosa, quæ in corpore S. Patris expresserat.

V. Non minus pulchra est ratio, cur Christus Dominus sua vulnera D. Francisco impresserit; nempè ut in illius quinque cicatricibus excellentiam vulnerum suorum demonstraret. Non quod vulnera Christi fuerint ignobilia, quantum est ex ipso; quia sua passio tanquam voluntaria, Deo Patri summè erat grata: Sed ipsa immanitas Judæorum, quæ latebat in hisce Christi vulneribus, Deo Patri valde invisa fuit. At in corpore S. Francisci longè aliud fuit: sive enim consideremus illa vulnera à Christo patiente accepta, sive à Judæis illata, jam in corpore S. Francisci omnino sunt venerabilia. Nam ut ait S. Gaudentius: *Sunt exemplar passionis Christi & quasi quadam copia cruenti illius sacrificii in ara crucis peracti.* S. Caud. Tract. in Exod. Exempli gratia; scribit aliquis Regi Epistolam, cui scriptor aliquo casu apponit maculam; epistola ex se est bona, sed macula deturpat illam, quid igitur fit, iterum describitur nitidè, & illa secunda, licet idem in se contineat, legenti tamen priori exemplari est acceptior. Eodem modo dicendum est de vulneribus Christi: peccata nostra erant quasi maculæ quædam, quæ notas quasdam illis vulneribus Christi affinxerunt; quorum è numero erat impietas Judæorum. At in S. Francisco hæc membrana vulnerum Christi jam est emundata; quia hæc vulnera non fecerunt Judæi, sed ipsemet Christus, in forma Seraphini, corpori

2. Reg. 4. v. 4.

suo

suo ea impressit. S. Cyprianus quærit; cur Christus Jesus in corpore suo glorioso suas plagas reservaverit? & respondet; ut illa vulnera Christi pro nobis intercederent apud æternum Patrem. Quod si dubium esset, an ob illa nos exaudiat, cum ob peccata hominum, cum tanta immanitate Judæorum, Christo inflixa fuerint; tunc opponuntur illi alia vulnera in corpore S. Franciſci impressa, quæ videns esse exemplar passionis sui filii, ob illa nihil vobis denegare posset. Ubi formosa Judith apparuit coram Holopherne, ait sacer textus; *Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus.* Cur hæc, & non potius facies quæ erat pulcherrima, cui Deus addidit splendorem? Respondet Isidorus, in illius sandaliis fuisse quosdam lapides pretiosos, nempe carbunculos, qui rapuerunt oculos Holophernis. Hi carbunculi denotant S. Franciſci stigmata, quorum splendor cum proveniat â Christi vulneribus, non sine ratione hic S. Pater in cruce Christi gloriatur; quia uti ille omnem splendorem sibi Ordinique suo ab illa comparavit; ita & nos, si ad eandem confugerimus, magnum animæ nostræ thesaurum lucrabimur, quia illa est, salus, vita, & resurrectio nostra. Amen.

S Cypr. *Judit. 16. v. 11.* *Isidorus*

IN FESTO SANCTI ELIÆ
Prophetæ, Ordinis Carmelitarum Fundatoris,
CONCIO I.

Surrexit Elias Propheta quasi ignis. Eccl. 48. v. 1.

DUm ignes sed multum dispares, occurrunt nobis hodierna die Auditores. Unus ad partem montis Sinai quæ dicitur Oreb, alter in monte Carmeli: de monte Oreb hæc legimus Exod. 3. Quod dum Moyses minando gregem perveniſſet usque ad montem Dei Oreb. apparuisse ei Dominum in flamma ignis de medio rubi, videnſque ille quod rubus arderet & non combureretur, invasit illum spiritus quatenus pergeret ulterius, & videret hanc visionem magnam, quare rubus non comburatur. Eadem & me hodierna die invasit admiratio Auditores. Dum enim ego montem hunc alterum, nempe montem Carmeli diligenter conſpicio, ignem quendam sed admirabilem in eodem video, qui inquam ignis, à quo tempore in monte illo apparuit, non amplius extingui potest, sed quo plus ardet, eò magis creſcit, flammaſque ex se edit lucidiſſimas. De illo monte Oreb teſtatur Hugo Cardinalis, fuisse herbis abundantem & excelſum, duo ergo in se habuit, ignem & paſcua: hæc eadem habet mons Carmeli; paſcua multum pinguia, sed multò cariora; quia enata sunt non pro jumentis ratione carentibus, sed pro hominibus, ignis quoque montis hujus Carmeli est quasi perpetuus; non enim est iſte materialis, sed multò excellentior: paſcua inquam quibus animæ rationales saginantur, ignis verò ille, qui corda humana accēdit, mentemque illuminat. Sed quiſnam ignem hunc excitavit? Deus qui in flamma rubi ardentis Moyſi apparuit in Oreb, ille quoque Sancto Eliæ Prophetæ apparuit in Carmelo, & non solum in corde suo talem ignem excitavit, juxta illud Eccliaſtici: *Surrexit Elias Propheta quasi ignis.* Sed etiam eundem ad hæc usque tempora in sanctiſſimo Ordine Carmelitarum excitare non ceſſat, ne unquam extinguatur. Unde in hac hodierna concione talem S. Prophetæ Eliæ ignem vobis demonstrare conabor.

Exod. 3. v. 2. *Hugo in Exod. 3.*

I. Multi sancti viri igni materiali comparantur. Sed nulli magis quadrat quàm Sancto Eliæ Prophetæ, sive enim ignem accipiamus in quantum ardet, & comburit, sive in quantum lucet, Sancto Eliæ Prophetæ utroque modo benè quadrat. Erat enim quasi ignis ardens, & quasi ignis lucens, principalis quippe ignis proprietas est, una quod ardeat, & altera quod luceat. Quod concernit primam, secundum illam ignis habet quoddam officium judicis, ad quem spectat delicta castigare. Et in tali casu utitur Deus igne tanquam instrumento

justitiæ. Legimus enim Gen. capite 19. Dominum Deum ignem de cœlo misisse, & sic civitates Sodomorum & Gomorrhæorum consumpsisse, ubi ait Venerabilis Hugo Cardinalis, Deum taliter illas civitates puniviſſe, qualem pro peccatis suis pœnam meruerunt, juxta illud Isaiæ: *In mensura contra mensuram.* Peccaverunt illi incolæ infamium civitatum, ardore carnalis desiderii: sic igitur Deus illos punire voluit? *ut ex qualitate ultionis, innoteſceret vacula criminis.* Sanctus Bernardus simile quid ait, hisce verbis: *Flamma gehennalis moram non sustinens, execrabilem venit tollere nationem.* Jam vero quod concernit secundam proprietatem ignis, nempe lucere, juxta eam habet officium cujusdam ductoris, qui alteri viam demonstrat ne erret. Hoc utroque officio Deus fungebatur in antiquo testamento. Cum enim filii Israel proficiscerentur de Ægypto, ait sacer textus. *Dominus præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis* Cur Deus taliter populum præcedebat? nempè cur in columna nubis & ignis? Respondet Venerabilis Hugo Cardinalis. *In columna nubis; contra fervorem solis per diem. in columna ignis, contra tenebras noctis, ut sibi à serpentibus providerent.* Sed Clemens Alexandrinus, de hac columna nubis & ignis aliter sentit, dicens illam columnam duo officia habuisse, in nube officium ductoris, hæc enim nubes erat lucida, in igne verò officium judicis. Verba sunt Autoris, *Si obedieritis; lucem, si non obedieritis, ignem.*

Gen 19. v.24

Isaiæ 29. v.7 8.

Hugo in Gen.19.

S. Berna.

Exod. 13. v.21.

Hugo hic.

Clemens Alex. Exhort. ad Gentil.

II. Has duas ignis proprietates: in sancto Elia Propheta egregiè expressas cernimus. Nam quod concernit primam: quæ est ardere & comburere, zelo suo nimio quo Sanctus iste Patriarcha zelabat honorem Dei, ardorem ignis in se ad vivum demonstravit quod patet ex hisce verbis Ecclesiastici: *Surrexit Elias Proheta quasi ignis.* Regnante quippe Salomone Rege sapentissimo & in senectute per mulieres dementato ut sequeretur Deos alienos, tantum malum invaluit in Regno Israelis, ut cæterique quoque exemplum sui Regis secuti, Diis alienis immolaverint, thura incenderint, eosque adoraverint. Sed neque cum morte Regis Salomonis hæc impietatis atque Idololatriæ flamma est exstincta, quin regnante Jeroboam cæterisq; Regibus magis magisq? indies crescebat & latius sese effundebat, tempore itaq; Regis Achab suscitavit Dominus Eliam Prophetam suum, eumq; direxit ad Regem Israëlis, quatenus idololatriam, & impietatem per Salomonem invectam, & per Jeroboam propagatam suo zelo & animi audacia dissiparet. Qui quidem Sanctus Propheta tanti erat animi ut onus hoc impositum statim acceptaverit, non se excusavit amœnitate & quiete montis sui Carmeli, uti fecerat Moyses in monte Oreb, qui diversas excusationes prætexebat, & tandem se elinguem esse (quo minus mitteretur) asserebat, sed iste Sanctus Propheta quam primum accepit mandatum Dei. *Surrexit quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat.* Tale testimonium, in Sancto Elia ipsomet opere comprobatum fuit. Cum enim quadam vice steterisset coram Rege Achab, non accepit secum verba palliata sicuti Nathan arguere volens propter adulterium Regem David, non curavit facere ubi accessum per aliquam similitudinem ovis; sed mox ejaculatus fuit contra Regem verba ignea, tanquam sagittas acutas, & objicienti sibi Regi, quasi esset turbator Israelis, respondit. *Non ego turbavi Israel, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, set secuti estis Baalim.*

3.Reg. 11. v. 5.

Exod.4. v.15.

2.Reg.12. v.5.

3.Reg.18. v.18.

III. Per ignem probatur aurum, per eundem probatur fœnum & stipula. Demonstranda erat coram Rege & universo populo Israëlis vera fides Dei, ejusque cultus, demolienda erant idola Baal: quid igitur sumit consilii Sanctus Vates? *Surrexit quasi ignis.* Quia ergo erat quasi ignis, non alio instrumento quàm ipso igne verum Dei esse cultum, impium verò Baal demonstravit. Convocato ergo pouplo, nec non octingentis & quinquaginta Prophetis idololatris, ait Elias. *En ego remansi solus Propheta Domini, Propheta autem Balam, & lucorum sunt octingenti quinquaginta viri. Dentur nobis duo boves & illi eligant sibi unum, in frustra concidant, super ligna ponant, atqui ignem non supponant, ego quoque idem faciam. Vos invocate nomina Deorum vestrorum ego similiter mei Dei, quem ergo exaudierit Deus per ignem, ipse sit Deus.* Placuit omnibus talis propositio. Accedunt primi Baalitæ, sed frustraneo conatu, & nullo effectu. Accedit postmodum Sanctus Elias verus

1.Cor.3. v.12.

3.Reg.18. v.12.13.

Pro-

Propheta, & ad majorem fidei suæ probationem jussit victimæ aquam abundantem trina vice superfundi, ita ut rivi copiosissime decurrerent circa altare, & ecce tibi dum invocat Deum vivum, *Cecidit ignis Domini & voravit holocaustum, ligna lapides, sed insuper & ipsam aquam.* 3. Reg. 18. v. 38. Miratur hic Hugo Cardinalis, in explicatione loci hujus, cur id fecerit Elias, quod alii non fecerunt: cum Prophetæ Baalim nullam aquam fuderint supra suam victimam. Respondet igitur iste Doctor. Ideo id fecisse Eliam, *ut majus miraculum hominibus appareret, cum hostiam toties perfusam, ignis de sublimi veniens incenderet.* Hugo in 3. Reg. 18. Tanta est virtus cœlestis ignis.

IV. Sed ecce ventus contrarius pepulit ignem Eliæ usque in desertum, minas dico Iezabelis, quæ Sanctum virum pepulerunt, ut iret quo ipsum oculi ferrent. Quid tum? Non permisit Deus per frigidum timorem, ignem Prophetæ dissipari & extingui. Veniens enim ad virum Dei, interrogat dicens: *Quid hic agis Elia?* Vix flabellum divinum, attigit ignem, ecce tibi iterum surgit in flammas. 3. Reg. 19. v. 14. *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum.* Hem quantus ignis zelus Domini. Nihil est in mundo quod talem ignem possit extinguere dicente Sancto Paulo. *Charitas nunquam excidit, sive Prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt.* 1. Cor. 13. v. 8. Et meritò: quia in corde suo linguam gerit. Non in solo ore sed in corde quoque suam linguam Elias Vates Dei habuit, quia fuit ignea & plena zeli, zelavit injuriam Dei, zelavit & proximi, ob vineam quam Achab eripuit Naboth, eumque interfecit, hinc ignitus heros, iterum ejaculatur ignem dicens: *In loco hoc in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.* 3. Reg. 21. v. 19.

V. Et quia Deus ignem hunc Eliæ unà cum ipso, jam etiam ad suam sphæram transferre eumque in curru igneo, equis igneis ad paradisum accipere voluit, præcepit ei ut in locum sui Elisæum institueret, qui non solum ardentis sed etiam lucentis ignis formam exhiberet. Factum ita: raptus Elias in cœlum, 4. Reg. 2. v. 11. Elizæo verò duplex datur spiritus. Ut non solum fieret ignis ardens sed etiam lucens. Nec alium se esse demonstravit. Hunc enim duplicem spiritum, quem reliquit Elias suo discipulo, cernimus usque hodie transmissum ad posteros, quia continuatâ successione, in contemplatione, doctrina, ob fidei defensionem in martyrio, in spiritu & virtute Eliæ procedentes, Elizæi facta imitantes, ardent & lucent in Ecclesia sancta Dei. Ut enim Elias, tanquam ignis ardens zelo zelatus pro domo Dei, ipsius legem defendebat, nec ipsas Regum coronas ac sceptra formidabat, sic & sacer hic Ordo in monte Carmeli fundatus, & nunc per totum Orbem Christianum dilatatus, eundem patris sui ignem spirat, sua doctrina & verbi divini prædicatione inflammans corda hominum, eaque exemplo suo illuminans. Sit Deus benedictus. Amen.

IN FESTO SANCTI ELIÆ Prophetæ,

CONCIO II.

Amplificatus est Elias in mirabilibus suis. Eccl. 48. v. 4.

PRimus ille ductor populi Israelis, Sanctus Moyses Patriarcha, quantum à Deo glorificatus fuerit, patet ex illis verbis Ecclesiastici capite 45. ubi ait: *Glorificavit illum in conspectu Regum.* Eccl. 45. v. 3. Quia per ipsum Dominus, tot prodigia ac miracula in Ægypto, & in deserto fecit: ille fuit hic, qui ingentem timorem, incussit Pharaoni, fuit enim quasi fulmen quoddam, qui grandinibus, ignibus cæterisque plagis preceà Deo elicitis percutiebat Ægyptum, qui Agag Regem Amalec, Og Regem Basan, & Seon Regem Amorrhæorum, regno privavit & vita, quem omnes Reges Chanaam admirati sunt, & summè timuerunt, & denique ut breviter loquar, fuit hic quem Dominus Deus, socium & participem fecit, Divinæ Majestatis suæ dicens: *Constituit te Deum Pharaonis,* Exod. 7. v. 1. Quæ verba explicans Sanctus Ambrosi. ita ait: *Dei nomine vocatus est: ad cujus similitudinem, se perfecta virtutis ubertate formaverat; non*

S. Ambr. l. de Parad. cap. 2.

non enim sicuti cæteri deficiens, sed per verbum Domini mortuus est. Nihilominus si ego tanto viro Sanctum Eliam Propheram, montis Carmeli patrem familias, nec non Sanctissimi Ordinis Carmelitani patrem comparare voluero, non solum ei parem sed in aliquo excedentem demonstrare potero: in portentis quæ fecerat, similis Moysi videbatur, similis in vita, sed absimilis in fine vitæ suæ, quia non erat ad imperium Dei mortuus, sed curru igneo raptus est in cœlum, unde meritò de ipso dicitur: *Ampliatus est Elias in mirabilibus suis.* Quænam ea mirabilia fuerint, in hac concione demonstrabo.

I. Nostis id bene Auditores mei, eam esse naturam ignis & aquæ, quod ignis tanquam elementum leve, sursum feratur, aqua verò deorsum: sed quid fecit Elias? quod viribus naturæ nemo efficere potest, hoc ille fecit virtute Dei quæ mirabilia operatur. Quod enim concernit aquam, quæ ex natura sua deorsum cadere solet, ille è contra illam continuit, ne caderet super terram, dicente sacro textu: *Verbo Domini continuit cœlum.* Cum enim sacer hic Propheta magnam abominationem in populo Israëlis advertisset, nempe quod despecto Domino idolum Baal adorarent, quid fecit? jussu Domini clausit cœlum ne plueret super terram tribus annis & mensibus sex. Quod factum tam admirabile considerans. Divus Chrysostomus ait: *Clavis cœli fit sermo Eliæ sanctissimi; jubet enim & clauditur, orat postmodum & aperitur.* E contra cum ignis ex natura sua feratur sursum, ille terignem de cœlo fecit descendere, nam una vice bis eum de cœlo fecit descendere, supra illos quinquagenarios, quos submiserat Rex Ochozias ut Eliam caperent, & ad se perducerent, tertio verò, quando certavit contra Prophetas Baal, ubi supra suam victimam, igne cœlitus advocato, & delapso, eos vicit, veri Dei cultum demonstravit, & Prophetas Baal interfecit. Hæc ego Auditores mei, duo Sancti Eliæ miracula dum apud me considero, veniunt mihi in mentem verba Divi Augustini sic dicentis: *Quis magnitudini timentium Deum, æqualem se audebit dicere, qui paratum habent Deum voluntati eorum?* Sed adhuc aliquid majus audietis. Primus fuit Elias ab orbe condito, qui mortuum ad vitam revocavit. Fuit is puer filius viduæ Sareptanæ, quem Elias verbo Dei suscitavit. Sic enim habemus 3. Reg. 17. Expandisse se supra mortuum puerum, eumque mensum fuisse tribus vicibus, & sic fusa oratione ad Dominum Deum, suscitasse ipsum, dicente S. textu. *Reversa est anima pueri, intra eum, & revixit.* Pulchrum cunctis documentum, quod suggerit Caspar Sanctius dicens. *Moritur puer in materno sinu, inter delicias nimirum, quas maternus foverat affectus; excitatur autem in duro lectulo, quo non voluptatis blanda mollities sed pœnitentiæ durus rigor intravit.* Vis suscitari à morte peccatorum sub quibus forsan jamtum sepultus juces, nunquam suscitari poteris, manens in sinu deliciarum mundi hujus? sed ut suscíteris ponendus es in duro Sancti Eliæ lectulo, qui austeram corporis mortificationem denotat, per quam excitamur ad vitam.

II. Jam audite de altero Sancti Eliæ prodigio celebri; sed priori quod nunc recensui, valde est contrarium: ibi enim suscitavit à morte filium viduæ pauperculæ, hic verò Reges potentes, ob idololatriam, & scelera eorum morte mulctavit. Fuere ii quatuor. Primus fuit Achab cum sua impia uxore Jezabel: Utrique enim Sanctus Elias interitum prædixit: & comminatus est, quin imo suis precibus eum à Domino impetravit. Ubi ob occisum Naboth ex ore Dei, illi totique ejus familiæ exitium intentabat dicens. *Interficiam de Achab mingentem ad parietem*; id est, delebo totam domum suam usque ad ultimum canem. Secundus fuit Ochozias filius Achab, qui ægrotans consuluit Beëlzebub, Deum Accaron, an sanari deberet, vel mori, ob hoc felus Elias ei mortem denunciavit. Tertius fuit Joram, frater Ochoziæ, qui post ejusdem mortem in regnum successerat, quem cum tota prosapia Achab, occidit Jehu, quemadmodum Sanctus Elias prædixerat. Quartus erat alter Joram filius Josaphat, qui cum impia patrum suorum vestigia sequeretur, terramque Juda in qua regnaverat, abominationibus repleret; Sanctus Elias, quamvis jam colonus esset paradisi, nihilominus tamen sollicitus de salute gentis suæ, eidem per literas mortis sententiam nunciavit? quæ sicuti in Ochozia, ita quoque in ipso impleta fuit, juxta illa verba sacri textus: *Dejecit gloriosos de lecto suo.* Ecclesiastici 48.

III. Sed inter omnia portenta Sancti Eliæ, illud est maximum, quod cum Dominus eum de hoc mundo ad paradisum cœlestem,

(dum

3. Reg. 17. v. 22.

Caspar. Sanctius hic.

3 Reg. 11. v. 21.

4. Reg. 1. v. 31.

4. Reg. 9. v. 9.

Ecclesiastici 48. v. 6.

(dum adhuc viveret) transferre ſtatuiſſet, miſerit pro ipſo currum equoſque inſolitos, à quibus portaretur. Habebat Elias colloquium quoddam cum diſcipulo ſuo Elizæo, & eccè dum ſimul pergunt; *Currus igneus & equi ignei diviſerunt utrumque, & aſcendit Elias per turbinem in cœlum.* Sanctus Chryſoſtom. cenſet, hunc currum & equos verè fuiſſe igneos, dicens: *Stat intrepidus, ſuper ignem ac rotas, nec incaleſcunt omninò veſtigia; totum corpus ignis ambit, nec laditur; per colla, per latera, flamma diſcurrit innoxia.* Sed fuerint equi illi unâ cum curru igneo verè, vel non; parum refert. Deus enim potentiſſimus eſt naturæ Dominus, & illa quoque ſuum ipſi præſtat obſequium, ſive autem fuerit ſimilitudo quædam ignis, nec illa ratione caret, conveniens quippe erat Eliam vehi curru igneo, qui repræſentaret, igneum Eliæ animum ad Deum, igneam charitatem, igneum zelum, ob quem talem currum, equoſque promeruit, juxta teſtimonium Sancti Ambroſii dicentis: *Elias propter zelum Dei curru igneo elevatus in aerem, cœleſtis ſedis hoſpitium acquiſivit.* Fuit conveniens, igneo curru in cœlum rapi, ad ſtabiliendam fidem, & prædicationem Eliæ, contra Jexabel & cultores Baal, quod ſcilicet ejus doctrina eſſe cœleſtis, & à Deo, qui ignis conſumens eſt, proveniens. Fuit item conveniens talem Prophetam, in ſimilitudine ignis Angelico uti obſequio, propter ſimilitudinem quandam inter ipſum & Angelos juxta illud: *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos, flammam ignis.* Et tandem fuit conveniens, cum tanta ſolemnitate Sanctum Eliam deferri ad cœlum, ut tanquam victor tot Regum impiorum, cum tot ſpoliis zeli ſui, curru igneo tanquam triumphali veheretur.

4. *Reg.* 2. *v.* 11.

S. Chryſo. de Aſcen. Eliæ.

S. Ambr. in Pſ. 118.

Pſal. 103. *v.* 4.

S. Ambr. ſerm. de Elizæo.

IV. Date jam ſententiam veſtram Auditores, qui tot & tanta prodigia de hoc Sancto Propheta à me prolata audiſtis, utrum verum ſit quod de Sancto Elia propoſueram dicens: *Ampliatus eſt Elias in mirabilibus ſuis?* De Chriſto Domino ſcribit Sanctus Matthæus Evangeliſta, dixiſſe quondam verba hæc ad diſcipulos. *Veſtri beati oculi, quia vident, & aures veſtræ, quia audiunt.* Sanctus Lucas talium verborum Chriſti Domini etiam rationem ponit, nempe Dominum ea dixiſſe ex quadam cordis lætitia: dum enim audiſſet nunciari ſibi à diſcipulis, quanta operati fuerint inter gentes, & inſuper, quod in ſuo nomine, etiam Dæmonia ſubjicerentur ipſis, tunc Chriſtus exultavit in ſpiritu & dixit. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis: dico enim vobis, quod multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt.* Similia verba his enarrat Eccleſiaſticus de Sancto Elia, dicens: *Beati ſunt qui te viderunt, & in amicitia tua decorati ſunt.*

Matt. 13. *v.* 16.

Luca 10. *v.* 23.

Eccl. 48. *v.* 11.

V. Sed quoſnam illos beatos fore putabimus? num forte Pſeudoprophetas Baal, aut Regem Achab cum cæteris impiis, qui tempore Sancti Eliæ vixerant in hoc mundo? minimè verò, quamvis enim hi viderunt ipſum, minimè tamen in amicitia ſua decorati fuerũt. Hæc ergo beatitudo, non ad aliquem alium ſpectat, quam ad ipſum ſanctiſſimum cœtum ab illo ſancto Patre deſcendentem; de quo auſim illud dicere. *Gloria Libani data eſt ei, & decor Carmeli.* Mons verè celeberrimus in quo fructuoſus ille palmes Helias commoratus, nec non virginitatis, pauperratis, & obedientiæ prototypus factus, non ſolum Princeps eorum extiterat, ad quos alluſit Apoſtolus. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, in ſolitudinibus errantes, in montibus; in ſpeluncis, & in cavernis terræ.* Quorum alii Galgala, alii Bethel, alii in Jericho, alii in Samaria morabantur, orationi & contemplationi vacantes, atque ad tempora uſque Apoſtolorum permanſerunt; ſed etiam eorum, qui tantum ſanctum virum, pro patre & fundatore ſuo venerantes doctrina, & ſanctitate vitæ ſuæ Eccleſiam Chriſti exornare non ceſſant. Libet hic cum doctiſſimo quodam Abbate exclamare. *O Carmelitarum religio, quam magna facta es in domo Domini! Olim à modico fonte Eliæ Prophetæ principium habuiſti, & ecce nunc in magnum fluvium creviſti.* Jam finio & repeto. *Ampliſicatus eſt Elias in mirabilibus ſuis.* Amplificatus inquam à DEO. Qui eſt mirabilis in Sanctis ſuis.

Isaiæ 35. *v.* 2.

Hebr. 11. *v.* 37.

Philip. Hieropol. l. 2. *c.* 1.

Amen.

***

sunt, quam ut possint hic condigna corona præmiari, è cœlis ergo meliorem expectate.

V. Optimè igitur dicitur de Sancto Elia Propheta. *Elias dum zelat zelum legis, receptus est in cœlum* : plurimos in hoc mundo labores sustinuit, Legatus DEI fuit ad tot Reges destinatus, quorum impia facta argueret, cum periculo vitæ suæ totum id obivit, ex coronis illis Romanorum, non ut una sed omnes simul capiti suo ponerentur, id prometuit. Sed sanctus iste cunctis Regibus mundi existens dignior, quo arguebat, coronas quoque eorum conculcabat, & ut illæsum honorem DEI conservaret, omnem favorem humanum contemnebat: Sed DEUS qui nullum laborem sine præmio relinquere solet, ut Sanctum Eliam Propheram eo cariori coronâ præmiaret, plurima in hoc mundo ipsum pati voluit. Sed quid fit? *Elias dum zelat zelum legis, receptus est in cœlum*; ubi coronantur omnes Sancti qui in pugna huius vitæ fortiter decertarunt. Amen.

IN FESTO SANCTI ELIÆ Prophetæ, CONCIO IV.

Elias homo erat similis nobis. Epist. Jacob. 5. v. 17.

MOris est Oratoribus quod si aliquem laudare velint, varias inquirunt Metaphoras sive similitudines, quibus ipsum comparare & ex tali comparatione excellentem aliquã materiam in laudes ejusdem formare possint. Taliter laudatur Simon Oniæ filius, Sacerdos magnus, Ecclesiastici capite 50. ibi enim assimilatur stellæ matutinæ, lunæ plenæ, soli & arcui refulgenti, flori rosarum & liliorum, thuri redolenti, vasi aureo, omni lapidi pretioso, olivæ pullulanti, & expresso alto; Sanctus Isaac Patriarcha, daturus benedictionem suam paternam Jacob filio suo, incepit à metaphora dicens: *ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni.* Balaam ariolus, jussus à Deo ut benediceret populo Israelis; fortitudinem ejus Rhinoceroti comparavit. Et tandem 1. Machabæorum 3. capite, Judas Princeps fortissimus leoni comparatus fuit, dicente sacro textu: *Similis factus est leoni in operibus suis.* Ego etiam habiturus hodie orationem Panegyricam de Sancto Propheta Elia, fundatore sacri Ordinis Carmelitani, deberem uti aliqua figura cui ipsum comparare possem. Forte jam expectatis Auditores putantes me ipsum assimilaturum soli, cæterisque planetis cœlestibus, aut forte inter terrestria, leoni, unicorni, aut forte inter volatilia aquilæ: minimè verò; id enim unicum est quod protuli. *Elias homo erat similis nobis.* Hocne thema erit in laudem tanti viri, an non potius in aliquod vituperium? Si gratiosi Auditores & æqui censores fueritis, ea quæ dicam, in laudem Sancti Eliæ dicta cognoscetis.

Eccl. 50. v. 6.

Gen. 27. v. 27.

Num. 24 v. 8.

1. Mach. 3. v. 4.

I. Est quidem aliqua ex parte verum, Auditores, quod ubi aliquid rei sibi æquivalenti comparatur, ibi exiguum encomium fieri *posse*, sicut si lignum, ligno æquali, aurum auro, ferrum ferro aliquis compararet, sed debere esse majorem excessum in uno quam altero, uti est splendor in sole, generositas in aquila, agilitas in cervo, fortitudo in leone, propter quem excessum homines similibus rebus comparari solent, at si homo homini per omnia sibi simili comparetur, jam non scirem unde laudis suæ materiam habere posset. Nam & fortissimus ille Samson dum tentaretur & sollicitaretur à quadam fœmina, quatenus diceret, in quonam lateret fortitudo sua, tunc illi taliter respondebat: *Si nervieeis funibus ligatus fuero, nec dum siccis, infirmus ero ut cæteri homines.* Secundo ab eadem tentatus ait? *Si ligatus fuero novis funibus, infirmus ero & aliorum hominum similis.* Componendo ergo cum tali responsione Samsonis, meum thema; nempe, *Elias homo erat similis nobis.* Non est dicere verba fortitudinem aliquam cæteraque heroicas virtutes, sed infirmitatem potius & imperfectionem seu defectum aliquem denotantia. Quin ipsemet Autor horum verborum nempe Sanctus Jacobus Apostolus ejusdem est sententiæ, dum ait: *Elias homo erat similis nobis passibilis:*

Iud. 16. v. 7. 8.

Hugo hic. *passibilis*: ideſt, uti explicat Hugo Cardinalis, antequam translatus eſſet in cœlum, ſimilis erat nobis, origine carnis, ex eadem materia qua & nos, conceptus; mente & carne paſſibilis: mente quia Jezabel formidavit, corpore autem, quia veniens in deſertum petivit animæ ſuæ ut moreretur. Quid igitur Auditores? Qualiter expectationi veſtræ ſatisfaciam, & quas laudes S. Eliæ Prophetæ ex hoc fundamento mei ſermonis eruam? multas ſane & præclaras. Fabri murarii quo turrim aliquam altius erigere volunt, eo profundiora fundamenta faciunt. Sanctus Jacobus Apoſtolus eadem arte uſus eſt. Volens enim altiſſimam turrim nempe laudum Sancti Eliæ producere, à fundamentis humanæ fragilitatis exorſus eſt, dum ait, *Elias homo erat ſimilis nobis, paſſibilis*: hoc erat fundamentum ſtyli ſui, ſatis humile & profundum: ſed poſtmodum quid de hoc Sancto Propheta narret, audiamus. *Oratione oravit, ut non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres & menſes ſex: & rurſum oravit, & cœlum dedit pluviam.*

3. Reg. 19. v. 4.

II. Patebunt vobis hæc verba Sancti Apoſtoli eo melius ubi ipſam Hiſtoriam hujus ſacri admirabilis perceperitis. Legimus 3. Reg. capite 15. Dum regnaret Achab ſuper Iſrael in Samaria, plurima fecit mala in conſpectu Domini, ſuper omnes Reges qui fuerunt ante eum, non enim ſatis ipſi erat, ut ambularet in peccatis Jerobam, quem in cultu idolorum ſequebatur, inſuper duxit uxorem Jezabel, filiam Regis Sidoniorum, & poſuit aram Balaam in templo ejuſdem, quod ædificaverat in Samaria, & plantavit lucum, quo homines ad idololatriam convenirent, & tandem quidquid abominabile fuit, nihil horum prætermiſit, hæc ergo mala Elias videns, nec ſufferre valens, uti Sanctus Apoſtolus in epiſtola ſua mentionem facit, oravit Dominum quatenus ſcelerato huic populo cœlum claudere, nec ullam illi pluviam dare dignaretur. Poſt finitam orationem ſuam, nihil in fide dubitans ſe exaudiendum fore, mox convertit ſe ad habitatores Galaaditis regionis, eiſque talem plagam venturam prædixit; quin imo ſepoſita omni formidine, præſentavit ſe coram ipſo quoque Rege Achab, dicens: *Vivit Dominus Deus Iſrael, in cujus conſpectu ſto, ſi erit annis his ros & pluvia, niſi juxta oris mei verba.* Notate Auditores, quanta Prophetæ audacia. *Erat ſimilis nobis & paſſibilis.* Id erat hominis fundamentum; ſed quod jam in altum ſupra ipſum hominem aſcenderit, patet ex ſuo juramento, quod nemo hominum facere præſumpſiſſet: *Vivit Dominus Deus Iſrael.* Acſi diceret, juxta ſenſum Hugonis; Juro per Dominum Deum Iſraelis, quod ſi erit pluvia annis his, de cætero mihi non credatur. Huoo hic.

3. Reg. 15. v. 26.

III. Sed quænam hæc caſtigatio populi Iſraelis, quam Sanctus Elias oratione ſua à Domino impetravit, nempe ne illis daretur ros & pluvia de cœlo? Legimus Exodi capite 32. Populum Iſraelis vitulum adoraſſe pro Deo, quem illi Aaron ex auro conflaverat: ob quod iratus Moyſes aripuit vitulum quem fecerant, & combuſſit atque contrivit illum in pulverem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Iſrael. Jam ergo iſtud factum Moyſis Patriarchæ combinemus cū facto Sancti Eliæ Patriarchæ, & in utroque una ex parte magnam paritatem, ex altera verò magnam diſparitatem inveniemus, in utroque illo populo fuit peccatum idololatriæ, quia ſicut primus ille populus Iſraelis, idolum aureum vituli adorabat tempore Moyſis, ſic etiam alter hic populus tempore Sancti Eliæ Prophetæ adorabat idolum Baal eique DEI honorem deferebat, licet autem idem utriuſque populi peccatum fuerit, ſupplicium tamen valde diſpar fuit, quia cultoribus vituli à Moyſe Duce ſuo in pœnam peccati data fuit aqua ad bibendum, jam vero cultoribus Baalam Autore Sancto Elia Propheta aqua omnibus ſublata fuit. Quæ ergo ratio, quod ii primi per aquam ſibi ad bibendum porrectam, hi vero poſteriores qui erant ſub Rege Achab per aquam ſibi ſublatam puniti fuerint? Sed in promptu eſt reſponſum: illis qui adorarunt vitulum ſeque abominabili ſcelere polluerunt, aqua fuit neceſſaria, tum ut ſordes idololatriæ per ipſam abluerunt, tum uti ait Venerabilis Hugo, ut per potum aquæ auctores hujus ſceleris proderentur. Qui enim hujus peccati erant obnoxii, his eam aquam bibentibus pulvis illius vituli miraculoſè in barbis apparuit. Et ibi enituit miſericordia DEI, qui malam voluntatem noluit punire, niſi in opus deductam. At vero hi alteri idololatræ cum non ſolum voluntatem ſuam in actum deduxerint, ſed eundem

frequentius repetierint & insuper habuerunt propositum perseverandi in ipso, merito ipsis aqua ablata fuit, ut sterilitatem causaret in terra ipsorum: ait enim Sanctus Ezechiel Propheta. *Hæc est iniquitas Sodomæ, saturitas panis.*

Ezech.16 v.49.

IV. Tale stratagema Sancti Eliæ Prophetæ bene successerat: sciebat quippe, non alio meliori quam eo ipso famis medio ad verum Dei cultum perducendos. Nihil sanè fame ferocius: tempore Joseph Patriarchæ, premente fame totam Ægyptum nec non vicinas terras, cum populo defecissent pecuniæ, quibus alimenta sibi emere possent, dabant pecora pro frumento, & hæc cum defecissent, dabant agros proprios, ita ut Joseph vēdentibus cunctis pro frumento possessiones suas, omnem terram Ægypti coemisset. Aliud exemplum habemus 2. Regem capite. 24 Peccavit David Rex, numerando populum Domini in finibus Israel & Juda, Dominus pro pœna, trium dat optionem, ex quibus unum sibi eligeret, aut septem annis famem in terra sua, aut per tres menses fugam inimicorum suorum, aut tribus diebus pestilentiam. Noluit fugam quia ipsam probaverat dum fugeret filium suum Absalonem. Elegit ergo potius manum Dei in pestilentia quam fugam vel famem. Nam uti ait Hugo Cardinalis, *Fames non tam divitum, quam pauperum fuisset supplicium.*

Gen.41. v.56.

2.Reg.24 v.13.14.

Hugo hic.

V. Mirum quid hic sequitur Auditores. Quod David Rex non timuerit famem ob se ipsum, sed tanquam Princeps plenus charitate propter pauperes, qui non sufferre possent septennium famis. Rex igitur Achab stolidior fuit. Cui non sufficit sua dispensa, quia post tres annos; & sex menses famis, ut salvare posset mulos equosque suos, unâ cum Abdia dispensatore domus suæ circuire varias Regiones coactus erat, ut herbam inveniret. En Eliam, qui *homo erat similis nobis.* Non poterat juramenti sui propositionem facere meliorem, quam prohibendo aquam populo illi Israelis, cujus defectus, quoniam sterilitatem famemque causavit in terra illa Israelis, quæ cogit ad præstandum id quod nolis (sicuti Regem David coegit ad occidendam prolem Regis Saul, quia Gabaonitis fidem non servavit uti legimus 2. Reg. 21.) Regem quoque Achab unâ cum populo, ad agnitionem veri Dei revocavit. O felix Elia, qui cum homo esses similis nobis, fecisti hæc quæ nullus hominum fecit. Nusquam tibi nos similes sumus in portentis tuis, sed tu cum nobis similis sis in *imagine* Dei ad quam creati simus, ora pro nobis, ut simus tibi similes in cœlesti gloria. Amen.

2.Reg.21. v.5.

IN FESTO S. MATRIS THERESIÆ novæ reformationis Carmelitani Ordinis, Discalceatorum, Fundatricis,

CONCIO I.

Supra modum Mater mirabilis & bonorum memoria digna.
2. Machab. 7. v. 20.

CHristus Dominus in Ecclesia sua quam fundavit, constituit primo SS. Apostolos, & deinde per Spiritum Sanctum, Apostolici Spiritus SS. Patriarchas & Ordinum Fundatores; quos omnes cum prolixum esset numerare, quatuor saltem rotas illas Ezechielis Prophetæ, nempe quatuor Ordines Mendicantium recenseo, quorum inquam, quilibet habet Ordo unde glorietur in Domino. Ordo Prædicatorum fundat suam gloriam in S. P. Dominico, qui forma prævisus catuli, totū orbem sua, fratrum que suorum prædicatione inflammavit. Ordo Minorum fratrum, fundat suam gloriam, in quinque stigmatibus S. P. Francisci, quibus tanquam stellis micantibus fulget in cœlis. Ordo Eremitarum, habet præclarum solem Ecclesiæ S.P. Augustinum. Ordo Minimorum, habet S. Franciscum Paulanum, per Italiam, Hispaniam, Galliam, cæteraſq; mundi partes, virtutibus, & jejunio speciali præcellentem. Societas Jesu habet suum Patriarcham Sanctum Ignatium, de quo, suisque sequacibus illud

Ezech.10 v.2.

Breviar. Prad.

illud dici poteſt. *Ignis de ore ejus volavit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo.* Sed dum ego SS. hos Patriarchas intueor, tunc inter omnes mirabilior mihi videtur eſſe Sanctus Elias Carmelites, ſacri Ordinis Carmelitani Patriarcha: hic enim ſolus eſt, qui vivit in cœlis, & ſimul in terris. Non creditis? Numquid ſpiritus moriuntur? minimè verò: quia mortuos vivificant. Duplicem ſpiritum habuit S. P. Elias, unum ſuſtulit ſecum in cœlum, alterum vero, cum albo illo ſuo pallio, diſcipulo ſuo Elizæo, demiſit in terram, juxta illud: *Requievit ſpiritus Eliæ ſupra Elizæum*, Nec ſolum ſupra ipſum, ſed ſupra tot perſonas, quæ è monte Carmelo prodierunt, inter quas, habes quod mireris, viroſne Heroicos, an in ſexu fragili heroinas? En una illarum S. Mater Thereſia cujus hodie ſolemnẽ memoriam celebramus. Hæc quam præclara fuerit & ſit, ex eo patet, quod non contenta, titulo filiæ in ſpiritu tanti patris nempe S. Eliæ nominari, glorioſum nomen matris obtinuerit. Quam ob cauſam? Audietis,

2 Reg. 22 v. 9.

4. Reg. 2. v. 15.

I. Quamvis hæc verba, quæ pro themate concionis aſſumpſeram, nempe; *Supra modum mater mirabilis, & bonorum memoria digna*; ſcripta ſint de quadam muliere Machabæa, de qua S. Hieronymus ſpecialem agit mentionẽ, nempe quod ſeptem filiorũ mater extiterit, qui ſub Rege Antiocho, propter legem Dei, fortiter mortem ſubjerunt: tamẽ ſine omni injuria, etiam de S. V. Thereſia, novæ reformationis Carmelitanæ Fundatrice dici poſſunt. Hæc enim, non tantum ſeptem filiorum mater fuit; ſed quot cogitatis? ego numerum non capio: hanc enim ſanctam prolem numerare, idem eſt, ac ſi numerarem ſtellas cœli, & arenam maris. S. Mater Thereſia quinquaginta monaſteria, viginti monialium, triginta duo fratrum ædificavit: ſi tot erant domus, quot filios filiaſque fuiſſe putatis, qui in eis habitabant? Certè dicere poſſum, religionem hanc (etſi ante Divam Thereſiam bis mille annis ab inſtitutione ſua; & tempore Eliæ Prophetæ floruerit) opera hujus ſacræ matris ita excreviſſe; ut illud dici poſſit: *Magna erit gloria domus iſtius noviſſima, plus quam prima.* Nam quod prius floruerit tanta ſanctitate & doctrina, id non mirum, cum habuerit cultores robuſtiſſimos, nempe Sanctum Eliam, Elizæum, Cyrillum, Albertum, ſed quod modò tanta amœnitate refloreat, id mirabilius, cum per mulierem debilem, ſed cœleſti virtute, & gratiis ſpiritualibus ſatis fortem, toto orbe contradicente, tepiditate paucorum obſiſtente ad antiquum fervorem redierit. Immutaſti Domine ſigna, immutaſti mirabilia, nova bella eligendo, Amazonem iſtam cœleſtem armando Theſiam virginem. Jam non glorientur Iſraelitæ de partis antiquitus victoriis, illuſtriores namque hæ ſunt iis quæ in die Madian reportatæ ſunt, reſonantibus enim tunc Sacerdotalibus tubis, muri Jericho corruerunt, at nunc oſtenſo lumine ſpiritus, ſacerdorum horum noviſſimorum prædicatione, jugum oneris Diaboli, & ſceptrum exactoris ejus ſuperatum eſt. Non glorientur Iſraelitæ quod ſuo tempore plurimos viderint filios glorioſos, parturiente enim Sancta Virgine Thereſia tot filios, ſponſo ſuo Chriſto, ſigna illa vetera jam ſunt innovata, peperit plurimos hæc ſancta mater filios, & in dies parere non ceſſat, ſtrenuos bellatores, qui militantes in caſtris Domini contra mundum, carnem, & Diabolum, ejuſdem bella gerunt.

3. Hieron. in Prolog. Comm.

II. Ordinariè Divinus Sponſus Eccleſiæ ſuæ, excitat corda ſuorum bellatorum, qui ipſam defendant. In primordiis legis gratiæ inſurexit Simon magus, qui Sp. S. gratiam inſtar mercium, venalem facere ſatagebat, ſed reſtitit ei Petrus Apoſtolorum Princeps Blaſphemabat Cerinthus & Ebion, Chriſti divinitatem abnegantes, ſed Joannes Evangeliſta, vocem illam intonans. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*, graviſſimè illos ſauciavit. Inſultabat Sabellius & Paulus Samoſathenus, tres divinas perſonas inficiantes, ac inter ſe illas confundentes, ſed confuderunt illos Dionyſius Alexandrinus, & Gregorius Thaumaturgus. Inſaniebat Atrius, filium conſubſtantialem patri negans, ſed inſaniam ejus retruderunt Athanaſius, Baſilius, Gregorius Nazianzenus. Gregorius Nyſſenus, nec non trecenti & octodecim ſapientiſſimi Præſules in concilio Nicæno congregati. Macedonius & Eunomius proclamabant Spiritũ S. eſſe creaturam, ſed ſilere eos fecerunt, Cyrillus Jeroſolymitanus, Mænas Antiochenus, nec non Damaſus Pontifex Romanus. Jovinianus & Elvidius, impuro ore Dei parentis virginitati oblatrabant, ſed ab illorum latratu canino Hieronymus & Ildephonſus B. V. Mariam vindicarunt, Adamantus, Julianus, Pelagius cæterique

Actor. 8, v. 9.

Ioan. 1. v. 1.

Aggæi 2. v. 10.

cæteriquehæretici liberum hominis arbitrium impugnabant, sed Augustinus, Chrysostomus cæterique Patres Ecclesiæ illos expugnarunt. Albigenses una cum Manichæo, castitati almæ virginis, notam inurere conabantur, sed Sanctus Dominicus & Franciscus, cæterique percelebres eorum filii, nempe Angelicus Doctor, Thomas de Aquino, & Seraphicus Bonaventura eam absterserunt. Desipiebat Joannes Hus, & Hieronymus de Praga contra Petri Apostolorum Principis claves à Christo Domino sibi datas, sed S. Vincentius Ferrerius, B. Thomas Ubaldensis, ac Sapientissimus Joannes Capreolus eos compescuerunt.

III. Post annos aliquot felicior Ecclesiæ status erat, sed paulo post prodiit Lutherus arctioris vitæ pertæsus in arenam, qui sopitas hæreses excitavit, nam factus apostata, Apostolicam sedem contemnere, & monasticam vitam execrari cœpit, austeritatem vitæ nihil pendere, jejunia irridere, sacramenta exsibilare, libidini, & carnis voluptatibus indulgere, & solam Christi satisfactionem proclamare. At contra hanc pestilentiam divina providentia suscitavit S. Theresiam; ut Lutheri impietatem impugnaret, & expugnaret: qualiter autem pugnaverit audite. Lutherus volebat extinguere vitam monasticam, S. Theresia informationem ejusdem inducere conabatur. Lutherus impudenter spernebat jejunia, vigilias, & carnis macerationem, Theresia è contra abstinentiam à carnibus per totum vitæ tempus præscribebat, orationis vigilias fratribus suis ordinabat, asperrimis vestibus illos induebat, & nudis pedibus incedere instruebat. Lutherus sacras imagines impio ausu execratus fuit. Theresia sola imagine crucis Christi manu aprehensa, velut evaginto ense, Principes tenebrarum, ad pugnam provocabat. Lutherus adversus Euchristiæ usum temerè blasphemat, Theresia per viginti annos, singulis diebus corporis Christi pastu reficiebatur & (ut id obiter dicam) quia quidem hujus sacræ Virginis Confessores judicarunt nimiam videri hanc frequentiam, ac propterea abstinendum ab illa suaserunt. Deus testis omni exceptione major illam approbare dignatus fuit: nam quoties Christi corpus sumebat, facies ejus in conspectu omnium, miris fulgoribus coruscabat. Lutherus chorum atque horas Canonicas pro superstitione habebat, hæc septies in die laudes dicere Domino non cessabat.

IV. Neminem igitur opinor fore, qui clare non videat, illustrem victoriam, quam B. Theresia, de impio hæresiarcha Luthero reportavit, summam gloriam suo nomini, Ecclesiæ vero sanctæ magnam consolationem peperisse, ut meritò illa verba fortissimæ Judith sibi usurpare possit. *Erit hoc memoriale nominis tui Domine, cum manus fœmina dejecerit eum.* Jud. 9. v. 15. Hanc autem victoriam reportasse, tantò glorioſius judico, quantò ipso Luthero ignominioſius arbitror, quod à tenera fœmina fuerit oppressus ac superatus. Legimus Jud. 9. c. Quod cum Abimelech venisset ad oppidum Thebes atque excelsam quandam turrim, in quam ut se salvare possent plurimi confugerant, circumdans suo exercitu oppugnarent, & oppropians ostio turris ignem supponere niteretur. Ecce una mulier fragmen molæ desuper jaciens, illi sit capiti Abimelech, & confregit caput ejus. Qui vocavit cito armigerum suum, & ait ad eum: *Evagina gladium tuum, & percute me, ne forte dicatur quod à fœmina interfectus sum.* Judic 9. v. 39. Ille itaque jussa perficiens interfecit eum. Non evasit hoc ignominiæ genus, impius Lutherus, cum à fœmina Theresia turpiter prostatus fuerit, & devictus. Non cœsus gladio, non percussus lancea sed à sola dejectione molaris lapidis, nempe à demissa humilitate S. Virginis occubuit.

V. Hæc & tanta cum de S. matre Thresia audiamus, non frustra illi tale elogium adscribimus. *Supra modum mater mirabilis; & bonorum memoria digna.* Gen. 17. v. 5. Sicuti enim quondam Deus ex speciali favore suo, dilatavit nomen Abrahæ, qui antea Abram, similiter uxoris suæ Saræ, quæ antea Sarai vocabatur, ut ille Abraham, ipsa verò Sara vocarentur: eodem modo D. V. Theresiæ, tanquam sponsæ suæ dilectissimæ, non unam vel alteram sui nominis literam, sed totum ad integrum nomen suum Jesus ei donavit, ut jam non Theresia solum, sed Theresia de Jesu cognominaretur essetque. Quod si nomen etiam ipsum Theresiæ speculemur, non pauca à nomine Jesu mutuasse reperiemus: nam si nomen Jesu propter prodigia & miracula quæ ab illo patrata sunt, & patrantur, à Davide mirabile appellatur, eodem modo hoc nomen Theresia in græco idiomate idē sonat, quod in latino *miraculosa*

seu

seu prodigiosa: quod nomen ipsi etiam rei satis convenienter adaptatur, nam hujus sanctæ Virginis mirabilis fuit sanctitas, quæ ad tantũ perfectionis apicẽ conscenderat, ut se quarto voto adstringere non dubitaret, id quod perfectius meliusve esset imitari & implere. Mirabilis fuit hujus virginis sanctitas, quam sibi Jesus cœlestis sponsus, pro dilecta sua sponsa subarravit. Deipara autem Virgo Maria pro sua filia eandem sibi adoptavit Sancta mater Theresia, quæ es sponsa Jesu & Mariæ Virginis, cœlorumque Reginæ filia, esto Patrona nostra. Amen

IN FESTO S. MATRIS Theresiæ,

CONCIO II.

Beati me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est. Lucæ. 1. v. 48.

D. Hiero. Epist ad Eustarch. Tom. 1.

LEgimus de Divo Hieronymo magno Doctore & Lumine Ecclesiæ, quod cum de quibusdam virginibus sermonem habiturus esset. Suas vires deminueret, tantoque onere imbecilles & impares esse fateretur. Pro argumento veritatis ipsa Sancti Patris verba pono, qui in epistola ad Demetriadem sic ait. *Scripturus ad Demetriadem Virginem Christi, quæ & nobilitate, & divitiis prima est in urbe Romana; si cuncta virtutibus ejus congrua dixero, adulari putabor; si quædam subtraxero, ne incredibilia videantur damnum laudibus ejus, meafaciet verecundia. Quid igitur faciam? quod implere non possum, negare non audeo.* Idem & mihi hodierna dies parit Auditores. Si enim ego Divæ matris & virginis Theresiæ, cujus hodie solemnitatem colimus, magnas virtutes, & mirabilia facta prædicavero, incerdibilia proferre judicabor; si autem timore consternatus, portenta illius reticuero, laudibus ejus injuriam irrogabo. *Quid igitur faciam?* ajebat Sanctus Hieronymus: *Quod implere non possum, negare non audeo:* attentè ergo mecum perpendens, quænam verba ex sacris eloquiis, in laudem hujus sanctæ virginis matrisque depromerem, nulla mihi visa sunt aptiora, quam prophetica illa, quæ Deipara virgo de se ipsa protulit: *Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est.* Hoc vaticinium jam dudum impletum novimus in sanctissima Maria matre Dei, universo orbe eam beatam acclamante, hodierna vero die, impletur pariter in dilectissima ejus filia Theresia quam jure virginitatis & maternitatis, filiam & hæredem esse Beatissimæ Deiparæ & Virginis Mariæ demonstrabo.

Idem Ep ad Demet.

Luc. 1. v. 48.

I. Communis est Sanctorum Patrum sententia, virginitatem & maternitatem esse illa magna, propter quæ sanctissima virgo Maria ait, se ab omnibus prædicandam esse. Unde D. Thomas in catena sua, juxta mentem D. Augustini ait. *Virgo non per suam virtutem se dicit prædicandam, sed causam assignat dicens: Quia fecit mihi magna, qui potens est. Quæ tibi magna fecit? Credo, ut Creatura ederes creatorem, famula Dominum generares. Vt per te mundum Deus redimeret, per te illuminaret, per te ad vitam revocaret.* Sicuti ergo Beatissima Virgo Maria beatam & magnam se prædicabat, quia mater simul & virgo fuit, eodem modo & S. Theresiam, omnes generationes beatam dicent, quod virgo simul & mater fuerit. Virgo immaculata mente & corpore, & multorum pariter filiorum, fœcundissima mater in Christo. Unde non immeritò, illi conveniunt verba D. Bernardi, de Deipara virgine loquentis. *Nec similem visa est, nec habere sequentem, gaudia matris habens cum virginitatis honore,* in quo sanè non solum Deiparam virginem sed & S. Trinitatem mihi virgo & mater Theresia æmulari videtur: nam ut dixit S. Doctor & Præsul Nazianzenus in laudem virginitatis. *Prima trias virgo est.* Quis autem ignorat Deum per Isaiam Prophetam dixisse. *Ego qui alios parere facio, ipse sterilis ero, & non pariens?* Ecce trias pariter virgo & mater esse perhibetur, dum inviolata, & incorrupta manens. multos filios spiritualiter quotidie parturit. Beata ergo Theresia, me-

D. Thom in Cat.

D. Bern. sup. Miss.

Nazian.

Isaiæ 49. v. 21.

liora semper charismata æmulando, non solum virgo inviolata, sed & fœcunda multorum mater in Christo Jesu sponso suo extitit.

II. Dignum est maxima consideratione quod Adã protoparens noster, dum esset in statu innocentiæ, minime sollicitus fuerit de prole procreanda, nec de successore post se relinquendo, at postquam divinæ legis prævaricator factus fuit, ac propterea mortalitatis pœnæ obnoxius, uxorem cognovit, ibi jam de propagatione prolis suæ erat sollicitus, qua de re elegans Divi Basilii extat testimonium. *Adam post paradisi amissionem tunc jam cognovit uxorem suam, ut vita posteà mortalium, prolis successione solaretur* Sed quod concernit Angelos, eorum statũ, nulla unquam procreationis cura sollicitavit, quia à generatione & corruptione procul erant, at licet physicè multiplicari nequirent, moraliter tamen propagari posse non ignorabant, per virginum multiplicationem, quæ mortali carne indutæ, Angelicam puritatem imitantur, & ipsorum Angelorum ruinas instaurant. Unde S. Basilius in libro suo de vera virginitate agens dixit. *Bonum est conjugium, per quod humana posteritatis inventa est propagatio, sed melior virginitas, per quam Angelorum reperta est successio.* Ejusdem est sententiæ Divus Hieronymus: hic enim confundere volens hæresin Joviniani, versansque illa verba sacri textus. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*; acute & prudenter dixit: *Considerandæ est vis verbi, & replete terram, nuptiæ quippe replent terram, virginitas paradisum.* Atque huc spectat, singularis S. Basilii in locum illum expositio, qui sequitur. *Levate oculos vestros, & videte regiones, quæ albæ sunt jam ad messem.* Ubi per messes albas intelligit virgines, & continentes, quas tanquam selecta grana, divinæ messis, aptas esse dicit ad vacuas Angelorum sedes implendas, & pestea dicit. *Virginitas vitam nostram de corruptine, ad sanctitatis gloriam colligit, & grana inter cœlorum horrea congregat.* Equidem B. Theresia, non solum per se ipsam, quæ integerrima semper extitit virgo, sed quia pariter & mater fuit, innumerabiles virgines spiritualiter parturiens, intus & exterius amictu albo induta, eas tanquam spicas quæ albæ sunt ad messem, tunc in Ecclesiæ militantis, postmodum in triumphantis harrea incessanter inducebat. Quocirca jure merito in B. Theresiam, conveniunt illa verba

S. Basili.

S. Basil. l. de Virg.

Gen. 1. v. 28.

D. Hiero. l. 1. adver. Jovin.

D. Basili.

Sap. 3. *Felix sterilis & incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum.* Tot fratrum & sororum agmina per totum orbem terrarum longè lateque diffusa, quis non videat fructus esse hujus virginis, ac fœcundæ matris. Sap. 3. v. 13.

III. Similiter digna sunt observatione verba illa sacri textus quæ scribuntur Gen. 12. c. *Egressus itaq; Abraam, tulit Saram uxorem suam, & animas quas fecerant in Haram.* Docemur fide Catholica, hominum animas non fieri ab hominibus, sed à solo Deo creari, nihilominus tamen Abraam dicitur animas fecisse, quia eas converterat ad Domnium, unde Paraphrastes Chaldæus ad id significandum, legit. *Abraam tulit animas, quas subjecerat legi.* Cum ergo B. Theresia, tot fidelium animas, non solum divinæ legis jugo, sed etiam Evangelicæ perfectionis disciplinæ subdiderit, meritò illam non solum virginem, sed fœcundam pariter matrem, compellare fas est: uti enim dixit D. Gregorius, Hom. 3. in Evangel. *Quasi enim parit Dominum, quem cordi audientis infuderit & mater ejus prædicando efficitur, si per ejus vocem amor Domini, in proximi mente generatur.* Hæc Divus Gregorius, quibus persimilia sunt illa D. Hieronymi verba. *Isti sunt mater, ait Dominus, qui me quotidie in credentium animis generent.* Verum audire mihi videor B. Theresiam dicentem illud Isaiæ Prophetæ: *Quis genuit mihi istos? ego sterilis & non pariens?* Quasi dicat. Cum ego virgo sim intacta, quis ex me genuit tam ingentem filiorum sobolem? Cui interrogationi ego hac ratione respondebo. Cum Spiritus Sanctus ad imitationem Dei parentis voluerit B. Theresiam, virginis & matris honore cohonestare, certè quemadmodum Mariam, stupendo miraculo fœcundavit, ut filium Dei naturalem conciperet & pareret, juxta illud. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* ita idem Spiritus Sanctus Beatam Theresiam, alioquin integerrimam virginem matris fœcunditate donavit, ut innumeros filios Dei adoptivos spiritualiter conciperet, & pareret.

Gen. 12. v. 5.

Paraphrs Chald.

S. Gregor. Hom. 3.

S. Hiero.

Isaia. 49. v. 6.

Luc. 1. v. 35.

IV. Ex qua singulari prærogativa, illam eruo garmelitanæ religionis miram excellentiam super reliquos Ecclesiæ Catholicæ monasticos Ordines, quod quemadmodum in Christo Domino, duplex est generatio, una

æterna,

æterna, alia temporalis, illa in sinu patris, hæc in utero matris, illa convenit ei quatenus Deus, hæc quatenus homo, illa fuit à patre sine matre, hæc à matre virgine sine patre: ita mirabili quadam proportione, duplicem hujus sacræ Carmelitanæ religionis intueor generationem, primam à patre sine matre, hoc est à solo antiquissimo Patre Elia, secundam verò quam propriè regenerationem vocare licet, à virgine matre, absque humano patre, à sola scilicet B. Theresia integerrima virgine. Opinantur tamen quidam, quod sicut in generatione temporali mundi huius, divina Sapientia providit, ut vir & fœmina ad procreationem generis humani convenirent, ad quem finem Dominus dixit. *Gen. 2. v. 18.* ***Non est bonum, hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi.*** Et sicut in regeneratione spirituali voluit Deus ut vir & fœmina simul concurrerent, Christus scilicet & Maria, ille ut Redemptor, hæc ut ministra redemptionis, ministrando ei sanguinem quo nos redemit, ita inquam quidam piè opinantur, quod in regeneratione cum venerit filius hominis, in illa ultima renovatione Ecclesiæ, cum fiet unum ovile & unus pastor, non solum virum, sed & fœminam adhibebit, ut neutri regenerationi desit sextus uterque, Eliam scilicet ut testantur sacra eloquia, & B. Theresiam tanquam viraginem, ac fortissimam mulierem, quæ junctis viribus cum S. Elia Patriarcha, armabit filios sui Ordinis contra Antichristi potentiam. *Ioan Vigil. Quinones.* Quod si ita futurum est, jam sancto huic Ordini bene quadrabunt, illa verba Apostoli. *1. Cor. 10. v. 11.* ***Nos summa in quos fines sæculorum devenerunt.***

V. Quia verò nonnulli malè decepti putant B. Theresiam novum quendam Ordinem in Ecclesiam Dei induxisse, & alicujus novi Ordinis Fundatricem extitisse, compellor dicere B. Theresiæ eam mentem fuisse, ut eandem religionem Carmelitanam quam profitebatur ad rigorem pristinum, primævi sui instituti reduceret. Olim sacri Pontifices illud mitigaverant in nonnullis indulgentes, quod B. Alberti asperrima regula præferebat B. autem Theresia, non veniens solvere legem, sed adimplere, cupiens ne Jota aut apicem ullum illius regulæ præteriri, renovationem, & reformationem quandam instituit, asperiorem vivendi viam ingrediens, eamque cæteris in se ipsa repræsentans. Huc spectat, quod D. Chrysost. Hom. 11. in Acta Apostolorum, quærens; utrum charitas paupertatem, an verò paupertas charitatem peperit? respondet dicens: ***Videtur mihi quod charitas paupertatem***, ardentissima enim charitas quam S. Theresia concipit inter moniales claceatas Ordinis Carmelitani, eam compulit exuere calceos, & exinde parere paupertatē discalceatorum ejusdē Ordinis, ut cujus erat filia, ob Apostolicā illam vivendi rationem, etiam mater nominetur. *D. Chrys. Hom. 11.* Hic planè serviunt illa verba Cant. 7. *Cant. 7. v. 13.* ***Omnia poma nova & vetera servavi tibi, dilecte mi.*** In veteri lege obtuli tibi Eliam, Elizæum, & filios Prophetarum, hæc sunt poma vetera, in lege gratiæ obtuli Cyrillos, Albertos, Angelos, hæc sunt etiam poma vetera, obtuli 140. millia martyrum, hæc etiam poma sunt vetera, nunc offero vobis Theresiam cum tota sacra sua familia, hæc sunt nova poma, quibus si usi fuerimus saginabimur hic gratia Domini, & futurum, gloria sempiterna. Amen. *Chron. Tolos.*

IN FESTO S. MATRIS Theresiæ,

CONCIO III.

Mulierem fortem quis inveniet, procul & de ultimis finibus pretium ejus. proverb. 31. v. 10.

NOn possum satis mirari sapientissimum illum Regem Salomonem, quod in aula sua magnificentissima tam numerosum agmen mulierum habuisset, in quo erant Reginæ septingentæ & concubinæ trecentæ, fateatur tamen se nullam fortem mulierem invenire potuisse dicens. *Mulierem fortem quis inveniet?* Non desunt quidem Autores *3. Reg. 11. v. 3.*

qui mentem sive sensum Salomonis explicant. Aliqui enim, ut Luysius, sic vertunt. *Mulierem industriam quis inveniet?* alii, ut Rudolphus, sic ea verba intelligunt. *Mulierem audacem quis inveniet?* Sed quidquid sit de uno sensu vel alio, numquid illa Abigail non erat fortis, qui furentem David propter inhumanitatem Nabal viri sui, tam industriè & prudenter emollivit? An non erat fortis, id est audax, illa Thecuites quæ ex instinctu Joab, ad palatium patris sui, nempe Regis David, intrare ausa fuit, & pro Absolone intercedere? Plures enumerare superfluum est, novimus enim ex tot Historiis, dari multas mulieres non solum fortes, sed etiam industrias simul & audaces. Istam quæstionem Salomonis, variè interpretantur Docti Patres S. Ecclesiæ, quos ego pro hac vice prætereo. Conjicens enim oculos meos ad vers. 28. ejusdem capituli, in quo hæc verba sequentia ponuntur; *Surrexerunt filii ejus, & beatissimam prædicaverunt*, nec non videns hic tot præclarissimos filios vestitos duplicibus, qui à S. matre Theresia in Christo geniti, tam doctrinâ, quam sanctis virtutibus surrexerunt in altum, quod hodierna die annuam S. matris suæ Theresiæ memoriam tam solenniter celebrent, eam beatissimam prædicantes, non potui melius suspicari quin (ut me corrigam,) firmius credere, hanc ipsam esse mulierem quam cum tanto olim desiderio quæsiverat Rex Salomon dicens: *Mulierem fortem quis inveniet?* Id autem an ita sit, in hac concione declarabo.

Luysius apud Correnum.

Rudolph. ibidem.

2. Reg 14. v. 20.

Prov. 31. ver. 28.

I. Quemadmodum in antiquo testamento ita & in novo fortes mulieres inveniuntur, nec fortes tantum sed ejusmodi quæ etiam viris præferantur. Legimus enim Joan. 11. cap. quod cum ibidem S. Evangelista languorem Lazari describeret, etiam patriam ejus gentilitiam præterire noluit, dicens ipsum fuisse *de Castello Mariæ & Marthæ sororis ejus.* Nonne Lazarus erat vir, & quidem frater Mariæ Marthæque sororum. Apud nos in statu nobilium bona immobilia, de jure potiori cadunt in genus virile, quam fœmineum, quod sola dote contentari debet. Cur ergo non potius, Maria & Martha de castello Lazari, sed è contra, *Lazarus à Bethania de castello Mariæ & Marthæ sororis ejus?* Premit hoc punctum Boeza Ponferradiensis, & ait: *Quasi eo gloriæ pervenerint mulieres sanctæ, ut dominarentur viris, illoq; clariores & præstantiores existerent.* Castellum illud uti notat Maldonatus, erat omnibus tribus commune, tamen de Castello Mariæ & Marthæ Lazarus fuisse scribitur, ac si illæ præstantia suum fratrem anteirent. Simile quid minabatur Isaias Propheta populo Israelis dicens: *Auferet Dominus, à Judæa fortem, & validam.* Et quænam est hæc Prophetæ comminatio? Cur non minatur potius, ablaturum Dominum à Judæa viros fortes, quales erant Iosue, Gedeon, Iephte: Samson, David, cæterique Duces & Reges fortissimi; sed è fœminis fortem & validam! Quænam verò hæc fortis & valida, cujus ablatione, populus à Domino puniatur? Explicat id D. Basillus dicens: *Auferet validam cuiusmodi erat Sara, robustam planè & Principem tanti viri Abraæ, juxta præceptum Domini dicentis; Omnia quæcunque dicit tibi Sara, audi eam.* Legimus Gen. 21. Quod cum vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ, ludentem cum filio suo Isaac, dixisse ad Abraam: *Ejice ancillam hanc, & filium ejus, non enim erit hæres, filius ancillæ, cum filio meo Isaac.* Audiens vir tale præceptum uxoris suæ, id durè accepit; sed quid fit? Dominus Deus confirmavit imperium fœminæ dicens: *Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus.* Admirabilis virtus in fœmina Sara, cui jussus est Abraam obedire, validissimæ fœminæ, quibus subduntur viri. Sed his omnibus validior & robustior Theresia, Princeps tantorum Abraamidum, nimirum clarissimorum virorum, qui primogenia sua Deo litarunt, quibus Theresia leges dedit, & quibus dictum est à Domino. Omnia quæcunque dixerit vobis Theresia, audite eam.

Maldon.

Isaiæ 3. v. 1.

S. Basilius

Gen. 21. v. 10.

Ioan. 11. v. 1.

Boezæ Tract de Lazaro.

II. Si quæ fœmina inter Christianæ militiæ Duces nomen sibi fecit, ea est Theresia gloria totius Carmeli & Libani, cui consonat illud D. Alcimi ad sororem.

Vt Debbora quondam
Duceret instructas post fortia classica turmas,
Et mulier sumpto præcederet agmina signo
Mirantes hortata viros: quos ipsa ferocem
Exemplo verboq; monens accendit in hostem.

D. Alcim

Ea etenim erat Sancta Theresia, quæ fortissimos viros ad bella Domini contra hostem sumenda verbo & exemplo vitæ excitabat, & quam non solum sequi minimè detrectabant, sed sub sua militantes disciplina, eo fortiores reddebantur. Ductor & Doctor gentium

S. Paulus,

S. Paulus, non solum plurimos in schola sua Angelica discipulos habuit de numero virorum, sed etiam de sexu mulierum habuit quasdam fortes, validasque virgines, quæ non carnis mollitiem, sed ossium originem sequentes, æmulabant Evangelicum laborem S. Apostoli, eumque in tali officio adjuvabant, uti patet ex ejusdem verbis ad Philippenses datis. *Evodiam rogo, & Syntichen deprecor, & te germane compar, adjuva illas quæ mecum laboraverunt.* Simile quid invenitur in Epistola ad Rom. c. 16. ubi in principio capitis sic ait: *Commendo autem vobis Phebem sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ:* & paulo post de eadem scribit. *Etenim ipsa quoque assistit multis, & mihi ipsi* Ecce quanta laus fœminarum è quibus quædam sub stipendio S. Pauli decertarunt, & ideo mulierum fortium titulum meruerunt, Unde D. Basilius mirabundus ait: *Vides fœmineum genus, tangi Paulini cursus æmulatione? Vides Apostolicos sudores, in mundi stadio, imitatione exprimere? Faciamus ei adjutorium simile sibi* Ecce Theresiam, ecce adjutoriam cœlesti Adamo simile, quæ ossium exercitans originem, Apostolicos imitatur calles, Pauli æmula, doctrinæ radiis & morum disciplina orbem illustrat.

Ad Philip 4. v. 2.

Ad Rom. 16. v. 1.

S. Basilius

III. Legimus in libro Josue. c. 5. Quod cum dux iste gloriosus, oppugnaturus urbem Jericho esset in agro ejusdem, levavit oculos, & vidit virum stantem contra se cum gladio evaginato, quem manu sua tenebat. Josue admirans multum huius personæ audaciam, cur sibi tanquam Generali totius exercitus Domini se opponere præsumeret, processit ei obviam & ait. Quis es tu qui tanta præsumis? *Noster es, an adversariorum?* Sed mox responsum sequitur. *Nequaquam, sed sum Princeps exercitus Domini, & nunc venio.* Intelligens Josue, missum ad se esse Angelum Domini, prostratus in terram, petiit ab eodem, ut sibi mandata Dei depromeret: & quid ille? *Solve inquit calceamentum tuum de pedibus.* Quid est hoc novi Angele, & Princeps cœli? arma bellica & ocreæ militares bellantibus cunctis sunt necessariæ, & tu Josue jam jam ad bellum ineundum præparato solvere calceamenta præcipis; Sed notate hujus rei mysterium. Angelus extractum è vagina gladium, nudatum Josue exhibuit, justum ergo erat, ut & ipse solveret calceamenta sua & nudaret pedes. Cur? Respondet Hugo Cardinalis. Quia sicut Angelus denudavit ei intelligentiam verbi Dei, gladium ostendens denudatum, sic prælatum apertam quoque doctrinam habere decet. Dedicabantur isti Josue calcei, discalceatorum pugnæ, quam gerebat Theresia. Quia ei non solum in Jericho urbe, in qua Elizæus Propheta habitans, tot miranda fecerat sed in toto orbe depugnandum erat. Sic enim volunt verba hæc quæ de ipsa olim prænunciata erant. *Mulierem fortem quis inveniet?*

Josue. 5. v. 13.

Hugo hic.

4. Reg. 2. v. 5.

IV. Est quidem verum, quod S. Vincentius Ferrerius hæc verba à Salomone dicta, de sacratissima Virgine Maria omnium fortium mulierum Principe, in prophetia prolata esse putet. Siquidem hanc suam interrogationem ab *Aleph* litera exorditur, quæ millenarium numerum significat, quia à temporibus Salomonis usque ad tempus nascentis in hunc mundum virginis, mille effluxere anni, cujus verba sunt hæc. *Mulierem fortem incipit ab Aleph. quod interpretatur mille, quia tot anni fluxerunt, à Salomone usque ad* B. *Virginem*: ac si huic explicationi sapiens insistendo dicere voluisse videretur: Beati sunt illorum hominum oculi, qui post mille annos, mundi hujus luce gaudebunt, atque illud divinæ manus miraculum videre merebuntur, ubi fortis quædam exurget mulier, nempe Deipara virgo, quæ conteret serpentis caput, & ipsa sola supra omnia trophæa ducum magnificentius triumphabit. Benè Auditores mei, si hæc Prophetia fuit de matre Dei Maria, ergo etiam erit de S. Virgine & matre Theresia, quia nunquam fortior apparuit, quam tunc dum fuit à Sanctissima Maria matre Dei in filiam adoptata. Sic enim ait quidam Poëta. *Nec imbellem progenerant aquila columbam.*

S. Vincens

Horatius.

V. Liceat mihi jam hæc verba aptare S. Theresiæ, quæ olim virginum Principissæ aptavit S. Ambrosius dicens. *Veni Eva jam sobria, etsi aliquando intemperans, sed jam in prole jejuna. Veni Eva jam talis, ut non de paradiso excludaris, sed rapiaris in cœlum: veni Eva jam Sara, de qua dicatur viro; audi Saram uxorem tuam: sis tu licet viro subdita, quia esse te deceat; cito tamen solvisti sententiam, ut vir te audire jubeatur.* Ecce vobis Eva in Theresia. Sobria,

S. Ambr. de justit. Virg. c. 5.

jejuna, parturiens filios in lætitia. Quoties Theresiæ filius, vel filia adsciscitur, toties Isaac renascitur, toties spiritualis lætitia renovatur, toties risum, seu gaudium Dominus facit sponsæ suæ. Addo & illud, in Theresia solutionem legis factam, ut viri jubeantur eam audire, & ejus sequi vestigia. *Mulierum fortem quis invenet? procul & de ultimis finibus pretium ejus.* Dicebat quondam Sidonius Apollinaris

Sidonius Apollin.

de fortissima illa Judith, inquiens ad Faustum Rejensem.

Et fragilis valido, latuit bene sexus in ictu. Fragilis sexus Theresiæ in validiori ictu latuit, quo Holophernis tartarei caput detruncavit. Unde meritò de ipsa dicitur: *Mulierem fortem quis inveniet?* Sed num dubitatis, an forte quæritis? Invenit eam Christus Jesus Salvator noster, qui vivit æternùm. Amen.

IN FESTO S. MATRIS Theresiæ,

CONCIO IV.

Nova bella elegit Dominus. Jud. 5. v. 8.

NOn nova quin potius antiqua bella ea fuerunt, quæ filii Israelis, cum hostibus suis habuerunt. Sed ideo, vocantur nova, quia novo modo peracta erant. Novus sane modus ille fuit, quo Josue urbem Jericho expugnavit: quis enim obsessorum cogitare posset, quod ad clangorem buccinarum, & ad solum clamorem populi, muri illi fortissimi qui validos ictus & impetus non timebant corruere debuissent? Quomodo illi incolæ urbis Haj qui semel ab urbe cum ignominia pepulerunt exercitum Israëlis, imaginari sibi potuerant, urbem per insidias capiendam fore, cui stratagemati similem non viderunt? & tandem ille Sisara Dux exercitus Regis Jabin, numquid aliquando in mente habuerat, se ab una fœmina vincendum & ab alia occidendum fore? Hanc totam historiam breviter prestringit Hugo Cardinalis, dicens: *Nova bella elegit Dominus, novo enim modo expugnavit Iericho, novo modo cepit Hai, novo modo devicit Sisaram, quia per mulierem dedit victoriam.* At si transire à bellis Israelis, ad bella novæ legis, nec non textum Hugonis Cardinalis parum immutare, venia vestra, Auditores, mihi liceat; repetam primum eadem verba sacri textus. *Nova bella elegit Dominus*, sed sequentia parumper immutabo, dicens: Novo enim modo Dominus expugnavit, non Jericho, Haj, seu Sisaram, sed mundum, carnem, & Diabolum quia per mulierem, nempe Sanctum matrem, & virginem Theresiam, dedit victoriam. Quænam illa nova bella fuerint, quæ per S. Theresiam Dominus egit, & confecit? in hac concione declarabo.

Iosue 6. v. 5.

Iud. 4. v. 18.

Hugo in Iud. 5.

I. Si ad præterita tempora attendere voluerimus, tunc reperiemus, quod virorum Duces, viri quoque fuerint, mulierum vero virorum neminem, nisi Beatam Theresiam: quapropter quæ olim decantabat Debbora *post* victoriam, hæc ea tempestate de Sancta Theresia dici possunt. *Nova bella elegit Dominus*; Argumentum hujus rei per hanc historiam patebit nobis. Cum olim Rex Jabin Cananæus per viginti annos vehementer oppressisset filios Israëlis, decreverunt illi bellum ipsi indicere, quamvis autem inter eos esset Barach, rerum bellicarum peritissimus, Debboram tamen elegerunt in Generalem exercitus ducum, quæ fungens munere militaris regiminis, vocatoque ad se Barach, dixit ei, quatenus acciperet exercitum, nempe decem millia pugnatorum, illaque duceret in montem Thabor: Cui respondit Barach: *Si venis mecum, vadam, si nolueris venire mecum, non pergam.* Itaque Debbora perrexit simul cum ipso, hoc tamen ipsi prænunciavit dicens: *In hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara.* Pari ratione instituit Deus alteram Debboram, nempe Carmelitici exercitus Discalceatorum Ducem, Beatam inquam Theresiam. Nam licet dicatur à quibusdam, virum illum sanctitate insignem. Fratrem Joannem à cruce Carmelitanum post aliquam Ordinis sui decretionem injuria temporum, & inimico salutis

Carthagena.

lutis noſtræ incentore factam, certamen novum incepiſſe, multoſque homines militiæ ſuę adjunxiſſe, cui ejuſdem opera nomen ſuum dederunt, ſapienter tamen cum id faceret, Beatæ Thereſiæ tanquam Duci & Magiſtræ dixit. Si *venis mecum, vadam, ſi nolueris venire, non pergam.* Siquidem Thereſia ad inſtar Debboræ gubernabat & dirigebat. Joannes verò velut alter Barach quæ ſibi erant ordinata, executioni mandabat. Illa ad eum dixit, vade & duc exercitum in Thaborem montis Carmeli, ubi transfiguraberis, & in virum alterum mutaberis, hæc ipſum docuit quæcunque ad victoriam de hoſte reportandam, idonea eſſe indicavit. Unde non Joanni ſed Thereſiæ hæc victoria de inimicis parta adſcribi debet.

II. Sed avetiſne ſcire modum, quo Debbora de Siſara ſuoque exercitu victoriam obtinuerit? Cum Siſara congregatis nongentis curribus falcatis, totoque ſuo exercitu ad torrentem Gyſon, cum filiis Iſraëlis congredi ſtatuiſſet, Dux Barach juxta verba Debboræ deſcendit de monte Thabor, & decem millia pugnatorum cum eo: Dominus autem in tantum Siſaram cum curribus & omni multitudine exercitus perterruit, ut ipſemet Siſara cæteris fugientibus è curru deſiliverit, fugaque ſalutem quæſiverit. Pervenit tandem ad tentoriam Jaehal, aqua exceptus & lacte poto recreatus, cum opertus ne videretur obdormiſſet, poſito illa clavo ſupra caput ſuum, defixit in cerebrum, ſicque eum interemit, & Barach poſt ipſum properanti mortuum demonſtravit. Iterum ex hac Hiſtoria intellexiſtis Debboram Iſraelitarum ductricem fuiſſe, & adverſus Siſaram depugnaſſe, ſed non fuit in campo interemptus hoſtis, ſed fugatus & tandem in domo Jachel ad quam confugerat obtruncatus, quid jam D. Alcimus de victoriis utriusq; dicat audiamus.

Ind. 4. v. 3.

Mox animoſa Iachel peragit, quod Debbora victrix
Cœperat, inq; ſolo ſtrati, terraq; jacentis
Tempora transfixo penetrans immania clavo.

D. Alcim

Præſtantior eſt his duabus fœminis Thereſia, quod enim illæ duæ fecêre, hæc ipſa una vice peregit, nam & deſcenſu decem millium populi Iſraelis de monte Thabor id eſt humilitate ſuorum fratrum de monte Carmeli deſcendentium hoſtes ſuos perterruit, nec non donata clavo à cœleſti ſponſo ſuo arrhabonis nomine, ducem illorum Siſaram nempe Diabolum eodem clavo transfixit & perdidit.

III. Porrò ut clarè videamus, quam ad amuſſim Debbora Beatæ Thereſiæ figuram portet, recordemur diligenter. Hoc nomen Debbora in textu Hebraico, eſſe idem quod in latino apis. Multi ſunt Autores famoſi, ut inter gentiles Virgilius, & inter Chriſtianos Sanctus Auguſtinus & Divus Ambroſius, qui dicunt apem ſimul virginem & matrem eſſe. Sanctus Auguſtinus ſcribens de bono conjugii ſic ait: *Deus apibus prolem ſine concubitu dare potuit: ergo carnem Chriſti in utero virgineo rectè formare potuit.* D. Ambroſius, commendans apes ab integritate virginali, fatetur pariter fœcundiſſimas eſſe ſic dicens: *Geminos creant fœtus, & duplici cæteris avibus fœcunditate præponderant.* Et tandem Divus Baſilius dicit apes eſſe quoddam ſymbolum religioſæ communitatis, cujus aſſignat rationem taliter. *Apibus communis eſt habitatio, communis volatus, communis omnibus actio, & quod maxime, conſtat eſſe omnes ſub uno præſide, ducequo.* Cum igitur Beata Thereſia virgo ſit pariter, & mater, copioſum ſpiritualium filiorum examen procreans, & cum duplicem inſtituerit communitatem fratrum & ſororum ſpiritualium, à quibus favus Evangelicæ perfectionis inceſſanter conficitur, congrue ſatis B. Thereſiam adumbrari conſtat per Debboram, quæ apem ſignificat. Dicunt de Alexandro M deſideraſſe illum oculis ſuis vehementer inſpicere, quomodo apes ex materia illa, quam è tot floribus decerpebant, favos mellis elaborent, ad hoc ergo explorandum, vitreum apiarium confici præcepit, & in illud copioſum examen introduci, putans hac ratione proſpecturum apes mellificare, ſed fefellit eum ſua opinio, nam antequam illæ opus ſuum inchoarent, primo vitrum illud luto intrinſecus deliniverunt, unde nullatenus favi conſtructio videri potuit. Sane licet jam fere in omnibus virginum Deo dicatarum monaſteriis juxta decretum Concilii Tridentini, uſu receptum ſit, quod ad clauſuram ſui monaſterii tanquam alicujus alvearii conſtringantur, nihilominus B. Thereſia in hoc vigilantior, ne enim apes ſuę videri poſſēt, inſtituit, ut vultu cooperto ſe ad cancellos clauſuræ exhibe-

Virg. l. 4. Georg.

D. Auguſt.

D. Ambr. 4. Exam.

D. Baſili. Hom. 8. Exam.

exhibeant. O præclaram Debboram in qua *nova bella elegit Dominus.*

IV. Adhuc de hac præclarissima ductrice Debbora ait sacer textus 4. Judicum. *Erat autem Debbora Prophetissa.* Mirifica hinc laudis consurgit materia, quæ debetur S. Matri Theresiæ. Pollicitus fuerit olim Deus, copiosè effusurum Spiritum Propheticum super Ecclesiam suam. *Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ.* Inter has filias, Princeps Prophetissarum fuit Deipara Virgo Maria. Deinde Sancta Elisabeth, mater Joannis Baptistæ, Anna filia Phanuelis, filiæ quatuor Philippi Diaconi. Postmodum verò ut observat Divus Thomas Doctor Angelicus 2. 2. Quæstione 174. non defecit. Spiritus hic Propheticus in Ecclesia Christi, etiam in fœminis. Etenim dono Prophetiæ floruerunt Beata Angela, soror sacri Ordinis Carmelitarum, filia Regis Boëmiæ; item Sancta Brigitta, cujus mirabiles Prophetiæ, Apostolico calculo sunt probatæ? S. Gertrudis Ducis Brabantiæ filia. S. Hildegradis, cujus revelationes, confirmatæ fuerunt ab Eugenio Tertio. Sancta Catharina Senensis, quæ ex pia consuetudine, quam cum Christo Jesu sponso suo habuit, multa didicerat & prædixerat. Ac tandem hac nostra tempestate, ne Spiritus antiquorum vatum, in Ecclesia Catholica defeciisse videretur; tam copiosum Prophetiæ spiritum, & revelationum lumen in Beatam Virginem, & matrem Theresiam Deus effudit, ut inter celebriores Prophetissas merito connumerari possit. Pro argumento scripta illius extant, in quibus tot sunt revelationes & Prophetiæ.

Ioelis 2. v. 29. D. Thom.

V. Sed quid me, & vos Auditores meos defatigem. Ut orationi meæ quæ finem non habet, finem faciam, ad vos omnes Carmeliticæ disciplinæ Professores Orationem converto, cum Isaia proclamans. *Attendite ad petram, unde excisi estis: attendite ad Abraam patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos.* Attendite inquam ad petram montis vestri Carmeli, attendite ad Eliam vestri Ordinis Patrem ac primum Institutorem, attendite ad matrem vestram Beatam Theresiam, ejusdem reformatricem. Si vos deterret rigor, & aspera vivendi ratio Eliæ patris vestri, quem tot Reges formidabant, attendite ad matrem vestram B. Theresiam, ejusdem reformatricem. Si vos deterret rigor & aspera vivendi ratio Eliæ Patris vestri, invitet vos & alliciat, vivum matris vestræ Theresiæ exemplum, quæ cum fuisset tenerrima virgo non sibi indulgebat, sed Eliani rigoris æmulatrix vera, ad culmen Carmeli nempe perfectionis Sanctæ anhelat. Audite illam vocem Hieremiæ ad vos spectantem. *Induxi vos in terram Carmeli, ut comederetis fructus ejus.* Fructus hujus Carmeli, divina sunt charismata, ad hæc delibanda Carmelum ascendistis. Quamobrem sub felici auspicio sanctæ matris vestræ, ita his fruamini, ut ipsimet saturati, aliis quoque famelicis & de Carmelo vestro refici cupientibus, reliquias sacras impertiri valeatis. Amen.

Isaiæ 51. v. 1.

Hierem. 2.

IN FESTO S. RAYMVNDI
Confessoris, Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Fundatoris,
CONCIO I.

Exaudivit pauperes Dominus, & vinctos suos non despexit.
Psalm. 68. v. 34.

CUpienti mihi hodierna die, aliquo honorare Panegyrico S. Raymundum Confessorem nec non Ordinis B. Mariæ de Mercede redempt. Captivorũ fundatorem, cujus solemnem memoriam hodie celebramus, id solum in laudem ejus dicere sufficiet. Quod sit filius S. P. Dominici Ordinis Prædicatorum Fundatoris. Legi enim in Quinto Currio Historico,

Quintus Curtius.

Historico, quod dum quidam Oratores coram Alexandro Magno peroraſſent, & ſtupenda ejus ſtratagemata, actus heroicos, fortunatiſſima prælia, & celeberrimos triumphos variis laudibus extuliſſent, tandem Orationem ſuam finituri, in epilego dixerint. O magne Alexander, omnia de te eloqui longum eſſet, id ſolum dixiſſe ſufficiat. Tu Philippi es filius. Eoſdem Oratores & ego imitari poſſum, licet enim maximum & ſpatioſum habeam campum laudandi S. Raymundum, id tamen pro toto laudum ſuarum compendio mihi dixiſſe ſufficiet. Tu S. P. Dominici es filius & id non ſine myſterio protuli, quamvis enim S. P. Dominicus, plures habuerit filios quos in Chriſto genuit, inter ipſos tamen S. Raymundus magis ſibi ſimilis apparuit ob hanc cauſam

Ex Theodor. & S. Anton. Legimus in vita S. Dominici, fuiſſe virum ſummæ miſericordiæ & compaſſionis in afflictos, hunc enim cum quædam mulier acceſſiſſet & ærumnas fratris ſui inter Saracenos captivi deploraret, ſemetipſum pro illius redemptione vendendum offerebat. S. Raymundus ejuſdem toni fuit, in tantum enim miſeris & præſertim captivis compatiebatur, ut accedentibus ad id ſacræ Mariæ Virginis monitis, in ſomnis ſibi apparentis, unâ cum Petro Nolaſco, nec non Jacobo Aragonum Rege Ordinem B. M. V. de Mercede redemptionis captivorum fundaverit, cui certas vivendi leges ab Apoſtolica ſede approbatas præſcripſit,

Ex Bulla Canoniz. ſub Clem. B. atq; eundem Petrum primum Generalem Ordinis Magiſtrum ſuis ipſe manibus habitu religionis indutum inſtituit. Et hinc patet S. Raymundum hujus Ordinis fundatorem, non ſolum genuinum S. P. Dominici filium extitiſſe, ſeq etiam Jacob Patriarchæ, S. P. Abraam filii benedictionem accepiſſe, ut jam in laudem ſuam illa verba S. David Prophetæ dici poſſint. *Exaudivit pauperes Dominus, & vinctos ſuos non deſpexit.* Quæ Sancto Raymundo accommodata, qualiter laudibus illius, noſtroque documento deſervient, in hac concione audiemus.

I. Cur benigniſſimus Jeſus in hunc mundum venerit ſi rationem exquiritis, ſcitote ipſum non aliter veniſſe quàm veluti quendam ditiſſimum mercatorem, qui veniens ad aliquam terram, videns in eadem, tot detineri captivos, qui ſe juvare non poſſunt, miſericordia motus ſuper eos, non parcit pecuniis, quin imò eas large effundit, & ipſos è captivitate redimit, priſtinamque eis libertatem reſtituit. Eodem enim modo Dominus noſter Jeſus Chriſtus factus eſt mercator animarum noſtrarum, quia videns totum genus humanum à Principe tenebrarum, in captivitate & carcere mortis detineri, deſcendit de Cœlo, natuſque de Maria Virgine, venit in hunc mundum, tanquam in quendam carcerem, ut nos è captivitate liberaret, quod & fecit, magnum enim pretium, nempe ſanguinis ſui pretioſiſſimi, pro liberatione noſtra impendit, & ob id titulum Redemptoris obtinuit. Hinc (uti ait Joannes de Turre Cremata) prævidens S. Propheta David ipſius miſericordiam, ad cœleſtem Patrem in perſona ſua loquitur dicens: *Exaudivit pauperes Dominus, & vinctos ſuos non deſpexit.* Neque novum aliquid nobis videatur, quod Chriſtus Dominus ad noſtrum carcerem venire dignatus ſit, cum eam ſuam benignitatem, multæ figuræ præceſſerint. Inprimis id præſignavit illud S. Joſeph Patriarchæ ergaſtulum; de quo ait Hugo Cardinalis: *Ioſeph in carcere, Chriſtus in mundo.* Item habemus ſcriptum Exod. c. 1. Quod cum poſt primum Regem Pharaonem, alter novus, qui Joſeph non noverat, ſurrexiſſet, vidiſſetque gentem illam Hebræorum vehementer multiplicari in terra ſua, facto cum ſuis conſilio, quomodo opprimere poſſet Iſraëlem. *Propoſuit illis magiſtros operum, ut affligerent eos oneribus* Et cum nihilominus gentem illam creſcere & multiplicari videret, tam magnum adverſus eam concepit odium, ut tandem omnibus Ægypti obſtetricibus mandaverit quatenus maſculos, quicunque naſcebantur ex Hebræis interficerent, vel in flumen projicerent. Sed cum Iſraëlitæ in hac afflictione poſiti clamarent ad Dominum. *Exaudivit pauperes Dominus, & vinctos ſuos non deſpexit.* Uti enim habetur ejuſdem libri 3. cap. nec non in Pſalmo 104. Regis David, ubi ait; *Miſit Moyſen ſervum ſuum.* Deſtinavit ipſum in Ægyptum, quatenus populum Iſraëlis, de manu & captivitate illius liberaret, qui mandato divino optemperans, quidquid ſibi commiſſum fuit, id totum ope divina feliciter peregit, dicente Propheta David: *Salvavit eos de manu odientium, & redemit eos de manu inimici.* Captivus ille populus Iſraelis, totum genus humanum figurabat, qui poſt peccatum

Ioan. de Turre Cremata in Pſal.

Gen. 39. verſ. 20.

Hugo Card.

Exod 1. verſ. 11.

Exod. 3. v. 7. 8.

Pſal. 104. verſ. 26.

Pſal. 105. verſ. 10.

Parentum suorum, factus erat captivus, sed tandem per Christum Dominum liberatus, nam de utroque, tam de captivitate, quam etiam redemptione humani generis, sic ait D. Chrysostomus. *Redemptio hæc non est nummi, sed gratiæ, non est corporis sed animæ. In tantum redemptio est enim, ut sicut hi qui captivi ducuntur à Barbaris, ita ducuntur à Diabolo capti.*

D. Chrys. in Psal. 25.

II. Jam à captivitate spirituali, nempe animæ nostræ, ejusdemq; redemptione, ad captivitatem corporalem descendamus, inter pleraque flagella Dei, quæ tum propter peccata, tum tentationis gratia, & in profectum spiritus, sive etiam secreto & investigabili arcano sui judicii permittit in homines, non est quidquam gravius ipsa captivitate, sicuti etenim captivitate spirituali, quam incurrit homo per peccatum, dum ex libero, servus fit Diaboli, nihil est gravius & molestius: ita quoq; corporali captivitate, nullum flagellum pejus & atrocius inveniri potest. Quod concernit captivitatem animæ nostræ. S. Athanasius exponens illum locum sacrorum Evangelistarum. Ubi Dominus præceperat duobus discipulis suis: quatenus solverent asinam sibique adducerent, cujus operam requirebat, ut Jerosolymam triumphator intraret: expendit miseriam illius jumenti ex eo, quod multos habuerit Dominos: dicit enim S. Lucas. *Solventibus illum pullum, dixerunt Domini ejus ad illos: quid solvitis pullum.* Pauper Asina habuit multos Dominos, non quod unus illorum, daret illi cibum potumque, alter pecteret, tertius custodiret, sed ille unicus actus fuit illorum dominii & potestatis in asinam, ut ipsam ligarent, juxta verba S. Athanasii dicentis: *Omnes pariter non in aliud occupati sunt, quam ut asellum alligent, asinus interim diversorium non habet, id tantummodo agitur ut pullus vinciatur.* Juxta communem S. Patrum sententiam, per asinum omnis peccator intelligitur juxta illud. *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus.* Tale ergo jumentum quod est homo, cum habeat tot Dominos id est Diabolos, ad se vinciendum paratos, in quanta putatis est miseria? En quanta captivitatis suæ afflictio!

Matth. 21. vers. 2.

S. Athan.

Luc. 19. vers. 33.

Ps. 4. v. 16.

III. Quod autem concernit captivitatem corporalem, hæc quidem non est tam periculosa, quia ad extra tantum affligit hominem, omnia tamen temporalia tormenta, superat & excedit. Legimus 2. Reg. c. 24. Mandasse quondam Regem David, Joab Principi exercitus sui, quatenus perambularet omnes tribus Israel à Danusque Bersabeë, & universum populum numeraret. Joab licet nolens & coactus, Regis tamen voluntatem adimplevit, propter quod factum, iratus Dominus, misit Prophetam Gad ad Regem dicens, hæc ut sibi nunciaret. *Trium tibi datur optio, elege unum quod volueris ex his. Aut septem annis veniet fames super te in terra tua, aut adversarii tui te persequentur, & tu tribus mensibus illos fugies, aut septem diebus grassabitur pestilentia in terra tua.* Rex David, auditis hisce supplicii conditionibus dixit. *Coarctor undique nimis, sed melius est ut incidam in manus Domini (multæ enim misericordiæ ejus sunt) quam in manus hominum.* Venerabilis Hugo Cardinalis ponderans istam resolutionem David Regis, talem fecit consequentiam. *Ergo bonum est incidere in manus Domini.* Sed mox contra arguit dicens: S. Paulus Epistolâ ad Hebræos ait: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Item adducit Susannam illam pudicam fœminam Daniel. cap. 13. dicentem ad Seniores. *Melius est mihi incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.* Hinc ergo sequeretur, Regem David malum consilium accepisse, quod se Deo tradiderit, ejusque supplicium elegerit, non verò potius fugam, seu captivitatem hostium per tres menses sustinere voluerit, sed respondet idem Author. Humanum forum longe esse aliud à divino, quia homines captivis suis compati nesciunt, quin illos tanquam hostes sibi subjectos odio prosequantur, sed divinum forum, quod in hoc sæculo agitur, est misericordiæ, juxta testimonium Doctoris gentium, *qui illos castigat quos diligit.*

2. Reg. 24. vers. 13.

Hugo ibid.

Heb. 10. vers. 31.

Daniel. 13. vers. 33.

Hebr. 12. vers. 6.

IV. Hinc habemus tot exempla in antiquo testamento, quæ summum moderamen divini supplicii repræsentant. Peccatis filiorum Israelis id exigentibus, quia à Deo recesserant, ut eo acrius punirentur, noluit super eos suam vindicem manum ponere, cum posset illos affligere fame, sive pestilentiâ, sed tradidit eos in captivitatem hostium, qui uti ait David Psal. 105. *Dominati sunt eorum, qui oderunt eos, & tribulaverunt eos inimici eorum.* Sed quia divinum forum in hoc sæculo est misericordiæ, dicente eodem

Psal. 105. vers. 41.

eodem Rege David: *Sæpè liberavit eos* Uti enim legimus in libris Iudicum. *Suscitavit Dominus*
Iud.2.v.16. *judices: & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cade vastantium.* Inter judices primus fuit Othoniel, qui Regem Syriæ Chusanrasathaim debellavit, in cujus captivitate ser-
Iud.3.v.30. vierunt Israëlitæ octo annis. Alter erat Ajoth,
Iud.4.v.24. ambidexter, qui Eglon Regem Moab sua manu interfecit, & Israelem de manu ejus liberavit. Item fecit Barach qui Sisaram Regem Chananæorum per manus Debboræ obtruncavit, & à servitute illius populum Israelis liberavit. Item Gedeon, Jephte, Samson, cæteriq; Duces præclarissimi, quos divina misericordia ad subveniendum populo suo submittebat.

V. Nec etiam desunt exempla similia in novo testamento: legimus n. in Actibus Apo-
Actor.12. verſ.7. stolorum. Quod cum Herodes Rex ut placeret Judæis, apprehensum Petrum Apostolum misisset in carcerem, ipsa nocte postquam producendus erat, misit Dominus Angelum qui
Surius in vita Hug. dormientem excitavit, catenas solvit, foras eduxit, deque illa captivitate ipsum eripuit. Sed neque posterioribus seculis defuit quidpiam de providentia divina in hoc passu, nam Aldephonsum Hispaniæ Regem, quem Sanctus frater suus regno privaverat, captumque carceri mancipaverat, precibus Hugonis Abbatis monasterii Cluniacensis è captivitate liberavit. Industria S. Paulini Episcopi, qui se ad
S. Greg. l. 1. Dialog. preces cujusdam matronæ, pro filio suo Wandalorum Rege captivum reducit, non solum hunc, sed etiam omnes civitatis suæ captivos relaxari fecit. Et quia (ob temporis brevitatem) cæteros prętermittere cogor, illud prętermittere non possum, qualiter Deus hisce (ante nos) temporibus S. Raymundum filium S. P. Dominici suscitaverit, ut talem fundaret Ordinem, cui non major cura fieret, quàm redemptio captivorum. Cujus Ordinis viri,
Psal.106. verſ.23. *Descendunt mare in navibus, facientes operationes in aquis multis.* Per aquas intellige populum. Vis operationes discere? ab annis aliquot octodecim millia trecenti quadraginta tres, è captivitate redemptorum recensentur. S. P. Raymunde, qui redemptionis captivorum Autor extitisti, esto Patronus noster apud Dominum, ut à captivitate peccatorum liberemur.

AMEN.

IN FESTO S. RAYMUNDI CONFESSORIS, CONCIO II.

Dupliciareddam tibi. Zachariæ 9. verſ. 13.

LEgimus Gen. 28. de S. Jacob Patriarcha, quod ex mandato Patris sui Isaac, pergens in Mesopotamiam, & post solis occubitum, requiescens super lapidem capiti suo suppositum, dum vidisset in somnis scalam stantem super terram, cujus cacumen usque ad cœlum ascendebat, audisseteque sibi dici à Domino Deo, verba magnifica & liberalitatis plena, in quibus, terram in qua dormierat, ei promittebat, & dilationem sui seminis, ad orientem occidentem, septemtrionem, & meridiem, nec non benedictionem cunctis tribubus ex se processuris, tunc ille evigilans, postquam eundem lapidem capiti suo sup ositum, erexit in titulum, fundens oleum desuper, talia vota emisit, eaque Domino Deo præsentavit dicens: *Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo,* *Geneſis 28. verſ.20.* *& dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, &c. erit mihi Dominus in Deum.* Quid ais Sancte Patriarcha? Erit mihi Dominus in Deum? An ex solo pane, & vestimento, Deum universi Creatorem agnovisti? ergone ante non habebatur à te pro Deo ac Domino, antequam panem & vestimentum petiisses? Absit. Sed contra consuetudinem & conditionem hujus mundi. S. Jacob visus est processisse. Ea est hujus mundi conditio, ut qui herili potestate utuntur, habentque sub se servos & subditos, ii pro Dominis habeantur, etiam eo non obstante, quod subditis serviisque suis nulla dona conferant, quin sæpius eosdem variis laboribus onerent, ex hoc tamen titulum sui

dominii (juxta leges politicas) non amittunt, quamvis tales magis propriè tyranni dici possent. Sed qui ultra potestatem suam, beneficiis devinciunt servos suos, illi non solum Domini, sed etiam benefici vocantur: id ergo S. Jacob Patriarcha in Deo prospiciens qui ei tanta promittebat, subdidit dicens. *Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, erit mihi Dominus in Deum.* Quasi diceret, uti ait Philo Iudæus. *Erit mihi Dominus in Deum, hoc est, jam non herili potestate libera, erga me utetur, sed beneficia, propitia, & usquequaq; salutari potentia, sublato dominationis metu, & anima devincta beneficiis mutuam gratiam conciliantibus.* Si S. Jacob Patriarcha unicum panem & vestimentum, sibi à Deo pro summo dono dari cupiebat, quid jam dicemus de donis duplicibus Sancto Raymundo, B. Mariæ de Mercede captivorum fundatori, olim à Deo promissis, & jam ipso facto exhibitis? Sed quænam illa? in hac concione audiemus.

Philo Hebr.

I. Quod olim promiserat Dominus populo Israëlis, per os Zachariæ Prophetæ dicens. *Duplicia reddam tibi*, id juxta explicationem Nicolai à Lyra, pertinet ad novum testamentum, jamque est in ipso completum, in quo promisit Deus fidelibus servis suis reddenda duplicia, nempe dona duplicia, animæ, & corporis, sive dona spiritualia, & temporalia, hæc duo in hoc seculo, alia vero in futuro nempe glorioſas dotes animæ, & corporis, & hæc dona duplicia multis figuris adumbrantur. Inprimis Gen. 23. habetur. S. Abraam Patriarcham, emisse à filiis Heth pro sepultura uxoris suæ speluncam duplicem. Filii Jacob Patriarchæ euntes in Ægyptum, ut alimenta coëmerent, tulerunt secum munera & pecuniam duplicem. Populo Israëlis præceptum erat, ut in die sexto cibos duplices colligerent. Vir quidam in monte Ephraim nomine Michas, conducere sibi volens Levitam de Bethleem Juda pro Sacerdote, offerebat ei per singulos annos, decem argenteos & vestem duplicem. Elisæus Propheta ab Elia quoque Propheta, duplicem spiritum exposcebat dicens: *Fiat Spiritus tuus duplex in me.* Naaman Princeps Syriæ, petenti Giezi Elisæi discipulo unum talentum argenti & vestes mutatorias duplices, obtulit duo talenta, & duplicia vestimenta. Postquam Dominus Deus tentasset Job Patriarchammultipliciter, sacer textus ait. *Addidit Deus omnia, quæcunque fuerunt Iob duplicia.* Quam fortis & bona hospita fuerit quædam mulier, cujus egregias dotes describit sacer textus, inter cætera, ex eo patet, quod dicitur. *Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus.* Et tandem D. Paulus scribens ad Timotheum, tale judicium dat de honore Sacerdotum Domini: *Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur.*

Lyranus in Zach.

Genes. 23. vers. 9.

Gen. 43. vers. 15.

Exod. 16. vers. 22.

Iud. 17. vers. 10.

4 Reg. 2. vers. 9.

4. Reg. 5. vers. 16.

Iob. 42.

Proverb. 31. vers. 10.

1. Tim. 5. vers. 17.

II. Ea loca sacræ scripturæ, si bene discutere velimus, duplicibus donis quibus Dominus Deus, servum suum dilectum S. Raymundum honorare dignatus est, conformia inveniemus. Quod enim concernit speluncam duplicem S. Abraam Patriarchæ, quam Abulensis ideo ait vocari duplicem, quia duos habebat loculos, unum pro sepulchro uxoris & alterum pro se ipso. Nihilominus Venerabilis Hugo Cardinalis, divertens à sensu literali loci hujus, ad mysticum, per illam speluncali duplicem, intelligit vitam contemplativam, eorum qui cœlestia meditantur, nec non activam illorum, qui inferius degentes in negotiis salutaribus, nempe operibus charitatis, Christianæ studium, laboremque suum impendunt. Cor humanum est spelunca quædam, sicuti enim illa, ad occultandum se est accommoda, uti patet in David, dum fugeret Saulem Regem se persequentem. Similiter in illis quinq; Regibus, qui fugientes Josue, *se absconderunt in speluncam*, & in multis aliis locis sacræ scripturæ, ita & cor hominis, pro occultandis cogitationibus est commodissimum, quod enim dicitur in proverbiis Salomonis, nempe; *cor Regum inscrutabile*; id de omni humano corde pariter dici potest, quod sit inscrutabile, & soli Deo notum. Id cor, est spelunca duplex, quia interdum elevatur usque ad cœlum per meditationes divinas, aliquando verò demittit alas suas, & ob salutem sui proximi, ponit stationem suam in terra. Habemus Exemplum hujus rei in Sancto Paulo Apostolo. Et quis è spelunca mundi hujus altius ipso evolavit, qui meditationibus rerum divinarum in tantum seipsum extulit, ut anima sua existens in corpore, toties per intuitum mentis raperetur ad superna, uti patet in Actibus Apostolorum. Sed quid tandem?

Abulens.

Hugo Card. in Gen. 23.

1. Reg. 22. vers. 1.

Iosue 10. vers. 16.

Prov. 25. vers. 28.

Act. Ap. 9. & 22. v. 16. tandem? ille qui ait ad Corinthios; Scio hominem raptum usque ad tertium cœlum; in eodem plane capite, quod est duodecimum, *2. Cor. 12.* ita ait: *Nihil minus feci ab his, quæ sunt supra modum Apostoli.* Quæ verba explicans Hugo Cardinalis ita fatur. *Hugo ibid.* *Existimo me nihil minus fecisse à magnis Apostolis.* A vestigiis Apostolicis S. Raymundus nusquam aberat, quia noverat se cum illis per meditationem & contemplationem cœlestium erigere ad superna, sciebat quoque se demittere ad infima, cur sicuti cœlestis circa Deum, sic etiam hæc inferior circa proximorum salutem occupatio, cordi fuit.

III. Jam quod concernit cætera loca sacræ scripturæ superius nominata, nempe, de duplici filiorum Jacob pecunia, quam attulerant in Ægyptum frumenta coempturi, de duobus talentis argenti, de duplicibus vestimentis, à Principe Syriæ discipulo Giezi oblatis, cæterisque aliis quæ binario numero complectuntur, hæc omnia interpretes sacri textus intelligunt, de integritate mentis & corporis, quæ utrumque hominem non solum ditat, sed etiam vestit & exornat, ut sic locupletati & vestiti utroque pede sequantur agnum quocunque ierit. Quæ verba S. Joannis licet *Apoc. 14. vers. 4.* de virginibus prolata sint, ubi ait: *Virgines enim sunt: hi sequuntur agnum quocunque ierit.* *Beda in Apoc. 14.* Cum tamen Venerabilis Beda per virgines, intelligat omnes castos & pudicos, in illorum numero S. Raymundus non erit ultimus, quia non solum integritate corporis, sed etiam mentis exornatus agnum, nempe Christum Dominum, sequebatur. Quemadmodum quippe suam virginalem pueritiam, à rudimentis Christianæ religionis inchoavit; in qua eximia corporis & animi sui indoles ad virtutem & pietatem in dies magis augebatur, ita eandem ad extremam; usque vitæ suæ horam integram illibatamque conservavit, cui Clemens Octavus in Bulla canonizationis *In Bulla Canoniz.* suæ tale dat testimonium *Cœlestem castitatem, adeó fideliter coluit, ut eam usque ad extremam vitæ diem, integerrimam servaverit.* Ibidem refertur, quod ubi spretis dignitatibus Ecclesiasticis, quas in seculo habuerat, Ordinem S. P. Dominici professus est, cum Angelis conversatum fuisse è quibus unus, eum ad preces excitare familiariter consueverat. Et unde S. Raymundo tanta cum Angelis familiaritas? Patet responsum ex ore Sancti Ambrosii, qui Angelorum vocabulo virginitatem colunt. Cujus verba sunt hæc: *Castitas Angelos facit.* Et *S. Ambr. l. 1. de Virg.* quia similitudo est causa amoris, huic non erit mirum S. Raymundum fuisse conversatum cum Angelis.

IV. Ad illa dona quæ Naaman Princeps Syriæ Giezi S. Elisæi puero obtulit, reverti cogor. Mihi id mirum est, quod in illa Historia adnotatur. Videns Giezi, suum Dominum nihil accepisse à Naaman Syro, ait intra se. *Vivit Dominus, quia curram post eum, & accipiam ab eo aliquid*: bene! sed quid petiit: *Modo* (ait) *venerunt duo adolescentes de monte Ephraim, ex filiis Prophetarum, da eis talentum argenti, & vestes mutatorias duplices.* Considerate petitionem Giezi: nihil aliud petiit, nisi unum talentum argenti, & vestes mutatorias duplices. Et quid Princeps? Sic respondit; *melius est ut accipias duo talenta.* Si uni talento, superaddidit alterum, quod ille non petierat, cur eodem modo duobus vestimentis mutatoriis non superaddidit tertium? Si auxit argenti dona, cur non etiam vestimentorum? cur saltim dedit duo vestimenta, quæ petierat, & non plura? Pulchrè ad id respondet Hugo Cardinalis dicens, per illa duo vestimenta, intelligi Dilectionem Dei & proximi. Duo tantum vestimenta requiruntur, unum pro Deo, & alterum pro tuo proximo. Miraris? Et quid est illud quod Christus dixerat Martino Catechumeno. *Martinus Catechumenus hac me veste contexit.* *Severus Sulpitius.* Ecce duo vestimenta, unum in nudo corpore pauperis, & alterum in cœlo: quia duo sunt opera misericordiæ, spiritualia, & corporalia.

V. Sed forte cogitabitis, ad quid hæc protulerim: non puto vos hoc duplex vestimentorum genus ignorare, nempe quid sint opera misericordiæ spiritualia, & corporalia. S. Raymundus utriusque hujus verstimenti Autor & collator fuit. Nam quod concernit opera misericordiæ corporalia, in medio numero talium operum est illud *captivos redimere*; ad quem finem Sanctus iste Ordinem Beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captivorum fundavit. *Petrus Caninsius.* Quod vero attinet opera misericordiæ spiritualia, inter quæ hæc sunt principalia, *peccantes corrigere, ignorantes docere, dubitantibus rectè consulere*, in eundem finem Ja-

cobo Aragonum Regi, sacræ inquisitionis in suis Regnis instituendæ Autor fuit. Quam bonus Oeconomus S. Pater Raymundus, cui illa verba à forti muliere mutuata dari possunt. *Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus.* Prov. 31. vers. 21. Præmia laboribus & meritis, proportionata esse debent. Si non semper ex debito saltem è condigno. Et quid mirum quod S. Raymundus juxta illa verba, *duplicia reddam tibi*, præmium Elisæi, nempe duplicem spiritum acceperit? S. Elisæus ut probaret veritatem promissi sibi ab Elia facti, aquas Jordanis percusserat ejusdem pallio, sed non ad primum ictum divisæ erant. S. Raymundus, absque ulla percussione, sed expanso tantum super aquas insulæ Balearis pallio, ejusque ora, instar veli ad baculum reducta, centum sexaginta milliaria sex horis confecit, cunctis stupentibus. O quam bonus Dominus, qui sibi famulantes tam largè præmiat cui decus & gloria in sæcula sæculorum.

AMEN.

IN FESTO S. RAYMVNDI CONFESSORIS,

CONCIO III.

Homo qui jucundatur in filiis vivens. Eccl. 25. v. 10.

SI hæc verba sacri textus ad parentes carnales referri deberent, nescirem cui magis convenirent quam S. Jacob Patriarchæ: ille enim è numero Sanctorum Patriarcharum solus erat in quo, promissum à Deo datum, Abraam avunculo suo, nec non Isaac Patri suo, dum adhuc viveret, completum erat: unde merito de illo dici posset: *Homo qui jucundatur in filiis vivens:* nam uti habetur Gen. 35. cap. *Erant filii Iacob duodecim.* Gen. 35. vers. 22. Quæ verba explicans in sermone suo D. Chrysostomus, notat ibidem, ingentem tunc Jacob Patriarchæ jucunditatem accessisse, non ex eo solum, quod tot filiorum nepotumque pater extiterit, sed ex eo quoque, quia dum venit post tot annos ad Isaac patrem suum ait Sanctus Doctor: S. Chrys. Hom. 59. in Gen. *Maxima utrinque facta est consolatio, & filio ex patris conspectu, & patri videnti tantam filii substantiam, & chorum filiorum ex eo natorum.* Idem Sanctus Præsul & Doctor Ecclesiæ, explicans de eodem Sancto Jacob Patriarcha, alium locum sacri textus, in quo habetur primum id, quod cum infirmanti Jacob & jacenti in lectulo nunciatum esset, filium suum Joseph ad se venisse, ait textus sacer. Gen. 48. vers. 2. *Qui confortatus sedit in lectulo*, ubi ait Sanctus Chrysostomus S. Chrys. Hom. 65. *Vides quomodo amor erga filios senem firmabat, & alacritas vincebat infirmitatem? auditâ enim illius præsentiâ, sedit super lectum.* Alio in loco ejusdem capitis recensetur, quod dum conspexisset duos ejusdem filios, nempe Ephraim, & Manasse, applicitos ad se deosculatus dixerit: *Non sum fraudatus aspectu tuo, insuper ostendit mihi Deus semen tuum.* Ac si diceret, ait D. Pater Chrysostomus. *Magna mihi præstitit Dei misericordia, & plura quam expectavi.* S. Chrys. ubi *Non enim solum non sum privatus facie tua, sed supra ecce etiam vidi eos, qui ex te nati sunt.* Eodem modo Sanctus Tobias senior, jucundabatur in filiis vivens, quia (uti sua narrat historia) *Postquam illuminatus est Tobias, vixit annis quadraginta duobus, & vidit filios nepotum suorum.* Tob. 14. v. 1. Aliam ego hodie parentelam video à Sancto Patriarcha Dominico excitatam, familiis Jacob & Tobiæ Patriarcharum multo præstantiorem, tot etenim ille tamque præclaros protulit filios, ut nullus eorum inveniatur, qui non maximam patri suo adferat gloriam, è quorum medio prodiit hodierna die Sanctus Raymundus, qui nobis non solum gloriam parentis sui sed etiam suorum filiorum, in quibus vivens jucundatur, sufficienter demonstrabit.

I. Auditores præstantissimi, dum ego hunc primum terminum verborum meorum pro themate concionis hodiernæ assumptorum considero, nempe, Homo qui jucundatur in filiis vivens, hunc inquam terminum *Homo* non possum non mirari. Cum enim nominum relativorum ea sit conditio quod unum referat ad aliud, nempe filius ad patrem, & pater ad filium, unde Divus Thomas ait. *Quod relatio*

non

non est aliud, quam habitudo unius ad alteram.

D. Thomas in 1 ad Anibal. Dist. 30. Q. unica Art. 1.

Ut quid igitur Spiritus Sanctus non potius ait, Pater; sed, *homo qui jucundatur in filiis vivens?* sed sciendum nobis est, aliquando in sacra scriptura hoc nomen, nempe *Homo*, poni in signum omnis excellentiæ & præstantiæ illius personæ, quæ tali nomine, nempe homo appellatur: de qua re habemus quædam testimonia. Primo Paralipomenon 8. cap. in quo describitur

2. Paral. 8. vers. 14.

structura domus Dei, juxta dispositionem Regis David, à filio suo Salomone inchoata & perfecta, sic ait textus. *Sic enim præceperat David homo Dei.* Et cur non nominat Regem sed hominem? quia tunc plus autoritatis & dignitatis inerat David ex hoc vocabu-

Ioan. 1. v. 6.

lo hominis quam Regis. Simile quid habemus in novo testamento. S. Joannes Evangelista, enarrans unigeniti Filii Dei, sive verbi divini generationem duplicem, nempe æternam secundum divinitatem, & temporalem secundum humanitatem, sancti quoque Joannis Baptistæ, tanquam præcursoris Domini, mentionem fecit verbis talibus. *Fuit homo, missus à Deo, cui nomen erat Ioannes.* Cur ipsum non honoravit aliquo alio titulo? Prophetæ? Præcursoris? Baptistæ? sed hominis?

Albert. Patavin. serm. 10.

Respondet Albertus Patavinus, S. Evangelistam in hoc solo termino, nempe *fuit homo*, omnes S. Joannis Baptistæ laudes, & excellentias comprehendisse, quod probat tali argumento, quasi consideret, annunciationem S. Joannis mirabilem, hominem concernebat, si conceptionem sterilem, erat hominis, si nativitatem admirabilem, erat hominis, si vitam venerabilem, erat hominis, demum si mortem commendabilem, erat quoque hominis. *Fuit homo.* Et tandem est vulgare & commune, quod si aliquem magni facimus, & verbis honoratis laudare volumus, non attendimus ad nomen nativitatis suæ, neque dicimus egregius Joannes seu Andreas, sed dicimus egregius & excellens homo. Quia ergo sacer textus Eccl. 25. cap. jucunditatem parentum, quam capiunt ex filiis suis prædicabat, ideo suppresso patris nomine homines appellavit, quia præstantes virtute filii, maximam illis gloriam, & jucunditatem accumulant.

II. Quod cum ita sit, quantam putatis esse gloriam S. Patrum & Fundatorum Ordinum regularium, qui jucundantur in filiis viventes. Occasioni inserviens, solius nunc S. P. Dominici mentionem instituo, quantam ex præstantibus suis filiis accepit gloriam? Quis enim S. Thomas de Aquino? ego taceo: *Paulus V. Pont. Maxim.* respondeat nobis, Paulus Quintus summus Pontifex: ille sic ait; Catholicæ fidei athletæ beati Thomæ Aquinatis, cujus scriptorum clypeo, militans Ecclesia, hæreticorum tela feliciter eludit, honorem & venerationem, in dies magis, magisque augeri plurimum in Domino gaudemus. Quid dicam de S. Petro *Cant 3. v. 9.* Martyre, qui per ascensum purpureum ferculum Salomonis exornavit? Quid de S. Præsule Antonino, qui omnes ferè scientias sine præceptore didicit, iisque S. Ecclesiam illustravit? Quid de S. Vincentio Ferrerio, quia sua prædicatione, supra centum millia perditorum hominum ad pœnitentiam salutarem revocavit, & vernacula suæ gentis lingua prædicans à diversis nationibus clarissimè intelligebatur? Quid de cœlesti illo flosculo, S. Hyacintho, qui odorem sanctitatis fragrans, egregium in Ecclesia Christi profectum fecit, non solum in Italia, Boëmia, Moravia, Silesia, Polonia, Russiaque notus, sed in toto orbe Christiano. Hi ergo cæterique spirituales S. Dominici filii (quos ob multitudinem prætereo) numquid exiguam patri suo gloriam attulerunt? Date mihi causam. Cur Christus respondens Petro & dicens, *Beatus es Simon Barjona*, id *Matth. 16. vers. 17.* est, Beatus es Simon, nate Joannes. Cur inquam inter laudes Apostolicas meminit parentis sui? quasi ad illam præconii portionem & ipse pertineret. Baza Ponferradiensis egregium nobis responsum suggerit dicens de eodem patre S. Petri Apostoli. *Qui etsi dum Andream Petri fratrem genuit, videtur omnibus reverendus, tamen ubi & Petrum etiam dedit Apostolatui quasi naturaliter videtur exigere poni inter Apostolicas laudes.* Idem mihi est judicium de S. Patriarcha Dominico, qui licet virtutum suarum gloriâ non caruerit, nihilominus ex nobilitate suorum filiorum ampliorem obtinuit. De familia Deciorum tale elogium Cassiodorus protulit. *Maximè serenitatis Regia luminibus Deciorum sanguis irradiat: qui tot annis continuis, simul splendet claritate virtutis. Saculis suis producit nobilis vena primarios nescit inde aliquid nasci mediocre: tot probati, quot geniti.* Hoc Autoris testimonium, nonne ego Gusmanicæ S. P. Dominici familiæ applicare valeo? Quanta hæc parentis gloria!

Baza l. 4. c. 2. Ascet. 12.

Cassiodor.

III. Sed

III. Sed ubi est Sancti Raymundi mentio? nonne & ipse inter illustres S. Patris Dominici filios censeri debet? ita planè, sed quod ipsum extra numerum suorum fratum posuerim, id facio ad similitudinem S. Jacob Patriarchæ, qui videns ante se Joseph filium suum dixit ad eum. *Do tibi partem unam extra fratres tuos.* Sed quænam illa S. Raymundi pars extra fratres suos? Habebat æqualem hæreditatis paternæ portionem, S. Raymundus cum cæteris suis fratribus, sed extra illos habebat adhuc unam specialem. Quod enim ad exemplum sui patris S. Dominici conformaret se in obedientia, quæ adeo singularis erat in ipso, ut sepulto voluntatis arbitrio, totus è superiorum nutu penderet, similiter in paupertate, jejuniis, castitate, contemplatione divinorum, cæterisque virtutibus sanctis: id etiam cæteri fratres sui fuerant assecuti, sed ea extra ipsos fuit sua portio, quod unâ cum aliis existens S. P. Dominici filius, fundato novo ordine, B. Mariæ de Mercede Redemptionis captivorum, jam qui filius, idem & pater dici meruit, ut jam de ipso veré dici possit. *Homo qui jucundatur in filis vivens*; in iis inquam filiis, de quibus dicitur. *Iucundus homo qui miseretur, & commodat, disponit sermones suos in judicio*, in illo inquam judicio, ubi audietur dici à supremo judice. *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare, sitivi & dedistis mihi bibere, hospes eram, collegistis me, nudus, & operuistis me, infirmus & visitastis me, in carcere eram, & venistis ad me.*

(*Gen.* 48. *vers.* 22.) (*Ps.* 111. *v.* 5.) (*Matth.* 25. *vers.* 44.)

IV. Posset hic aliquis dicere S. Raymundum S. P. Dominici filium, à patre suo fuisse degenerem, ex eo quod (uti ait Cassiodorus) ad dignitatem suo parenti incognitam pervenerit, sed ego dico, nunquam filios fieri degeneres, dum majoribus meritis, ad majora anhelant, quin in eo ipso major parentum dignitas, & præstantia ostenditur. In cœlum quondam rapiebattur Elias 4. Reg. 2. c. Post hunc Elizæus clamat. *Pater mi, Pater mi, currus Israel, & auriga ejus.* Si legatis totam historiam istorum Prophetarum, non invenietis, Eliam ab Elisæo patrem vocatum esse, modo cum in ejus conspectu in cœlum rapitur, non semel sed bis patrem vocat. Cur modo hoc parentis nomen, adeo in Elia claret, quod repetitis insonet vocabulis: Elisæus videns Eliam in cœlum rapi, jam in se duplicem parentis spiritum hæreditatum præsentiebat, quia ergo jam ad duplo majora quàm ante facinora præstanda parabatur, ideo Eliam Prophetam paterno vocabulo extollebat. Nunquam enim evidentius patris dignitas ostenditur, quam tunc, ubi ejus facta & virtutes in filiis duplicantur qua de re pulchre ait D. Ambrosius. Elias cum simplicem sanctitatis haberet spiritum, Elisæo duplicem dereliquit. Mirum ergo in modum, plus Elias gratiæ dimisit in terris, quam secum portaverit in cœlum: & licet ipse ad altiora totus transferatur corpore, apud filium tamen majore manet sanctitate. Ubi quippe major in filio claret virtutum exhibitio, ibi patris dignitas illustrius divulgatur.

(*Cassiod. l.* 8. *variat.* 20.) (4. *Reg.* 2. *vers.* 12.) (*D. Ambr. serm.* 87.)

V. Stetit quondam David coram Saul cum Philistæo pugnaturus, qui ut suæ fortitudinis aliquod specimen daret, ait: *Pascebat servus tuus patris sui gregem, veniebat leo, vel ursus, & tollebat arietem in medio gregis & persequar eos.* Ecce in his verbis David fecit quidem mentionem patris, sed ipsum non nominavit, neque etiam in aula Regis Saul, aliqua de hoc fiebat mentio, at postquam David redit cum victoria, portans in manibus caput Philistæi sua manu amputatum, tunc Saul. *De qua progenies es ô Adolescens? Dixitque David, Filius servi tui Isai Bethleemita ego sum.* Quem ante sine nomine patrem meminerat David de quo nemo interrogaret, nec scire cupiebat, ecce modo in medio profertur, ecce Rex ipse cupit scire patrem, cupit noscere nomen ejus, & David quoque sine mora & nomen patris profert, & patriam. Cur Saul ante victoriam David, non fuit sollicitus scire nomen patris sui, sed primo post victoriam? quia audiens esse pastorem, cogitabat quoque filium patri suo fore similem, verum ubi in Davide tale facinus vidit, quod non uno pastoris filio, sed ipsa Regis domo dignum erat, tunc patris nomen in tota Regia personabat. Eodem modo & ego de S. Raymundo filio S. Dominici argumentari possum, non obscuravit nomen patris hoc illustri suo facinore, quod invenerit medium captivos redimendi, sed potius illustravit, ut jam quemadmodum S. Raymundus jucundatur in suis filiis, qui exercent opera misericordiæ, ita S.P. Dominicus in filio & nepotibus jucundatur. Deus sit benedictus. AMEN.

(1. *Reg.* 17. *vers.* 34.)

IN

IN FESTO S. RAYMUNDI CONFESSORIS,

CONCIO IV.

Genuit filium ad imaginem, & similitudinem suam. Gen. 5. v. 3.

SAnctus Joannes Chrysostomus Doctor ac Lumen Ecclesiæ explicans istum locum sacri textus, in quo habetur mentio. Seth filii Adam primi hominis, miratur, simulq; interrogat, cui Spiritus Sanctus in serie generationis suæ, nihil quid simile dixerit de Cain primo ejusdem filio, eum inquam fuisse genitum ad imaginem & similitudinem suam, sicuti de hoc altero dicens. *Genuit filium ad imaginem, & similitudinem suam*, an non eodem modo habuit animam, intellectu, voluntate & memoria præditam, unde hominis imago constituitur? & respondet idem Sanctus Pater dicens id ideo fuisse factum, quia prior ille Cain, *non servavit paternos characteres, & mores, sed ad malitiam confugit.* Sanctus Patriarcha Dominicus, felicior erat in suo genere Adamo protoparente nostro, ille enim è numero filiorum suorum unum Cain habuit, qui difformis sibique dissimilis erat, at Sanctus Pater Dominicus quotquot filios in Christo progenuit, omnes virtutum suarum præstantia imaginem & similitudinem suam, in se ipsis exhibent, inter quos Sancta mater Ecclesia, ordoque prædicatorius, unius filii nempe S. Raymundi Confessoris honorificam hodie producit memoriam, qui sui parentis Sancti Dominici omnes lineas ita in se ipso adumbrabat, ut quod de illo Seth Patriarcha dictum fuit, id jam de illo dici possit. *Genuit filium ad imaginem & similitudinem suam.* Sed in quonam Sanctus Raymundus Sancti Patris Dominici filius, paternam expressit imaginem, & similitudinem? in hac concione audiemus.

S. Ioan. Chrys. in Gen. Hom. 20.

I. Non videtur mihi Sanctus Jacob Patriarcha, in benedicendis suis filis patris sui Isaac consuetudinem observasse, & imitatum fuisse, neque ita, sicut idem Isaac cum ipso ageret, cum filiis suis processisse. Ille etenim dum deberet sibi benedicere, inprimis vocavit eum suum filium dicens: *Accede ad me, & da mihi osculum fili mi*; & post hoc impertivit illi benedictionem suam paternam. *Genesis 27. vers. 26.* At Jacob longé aliter fecit, convocatis enim ad se filiis, ut eis ante mortem suam benediceret, singulos proprio nomine vocavit, nullum tamen ex illis filium nominavit, sic loquendo ad singulos. *Ruben primogenitus meus, Simeon & Levi vasa iniquitatis. Iuda te laudabunt fratres. Zabulon in littore maris, Issachar asinus fortis, Dan judicabit, Gad accinctus, Aser pinguis panis, Nephtali cervus emissus, Benjamin lupus rapax*: ex his duodecim nominatis, neminem filium appellavit, sed quando ventum fuit ad Joseph quid ait? *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu.* Quid est, quod hunc solum, & ex cæteris neminem filium nominavit? cur hic solus filius? cur hujus solum se agnoscit patrem? Doctissimus Cajetanus, præclaram hujus rei assignat rationem dicens: *Prius commendat Ioseph, de augmento conduplicando, filius accrescens, eó quod & creverit sibi, & creverit domui universæ Iacob.* Quamvis Sanctus Patriarcha Dominicus in suos filios fuerit propensior: legitur enim in historia vitæ suæ. Quod cum supremum sibi vitæ diem adesse videret, convocatis ad se fratribus, omnes suos filios nominaverit dicens. *Hac fratres charissimi, vobis tanquam filiis, hæreditario jure relinquo, charitatem, humilitatem & paupertatem spiritus: hi vestri thesauri, hæ veræ divitiæ.* Licet inquam se omnium patrem esse dixerit, nihilominus specialiter hodie verbis S. Jacob Patriarchæ filium suum Raymundum alloquitur dicens: *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu.* Sicut enim Joseph inter cæteros fratres suos, ex eo filii nomen obtinuit, quia se æqualem similemque patri suo in augmentatione virtutum demonstravit, eodem modo & S. Raymundus, fuit accrescens filius, dum non solum nomen parentis sui S. Dominici, ejusque familiam propagavit,

Genesis 49. v. 14. 5. 6.

Cajet. in catena.

Ex Theod. & S. Ant.

pagavit, sed etiam fundatione alterius Ordinis, Fratrum de mercede captivorum Ecclesiam Christi dilatavit, unde merito de ipso dicitur: *Genuit filium ad imaginem, & similitudinem suam.*

Tob. 7. v. 2. II. Sed quæ jam dixi, vultis ut probem? Legimus Tobiæ cap. 7. Quod cum Tobias junior venisset in Rages civitatem, Raguelem suum propinquum suscepisse ipsum hospitio, sed quinam esset ignorasse. Sed cum adolescentis vultum melius conspexisset, delectatum conspectu ejus ad uxorem suam dixisse. *Quam similis est juvenis iste consobrino meo?* Quærit hic Rupertus. Cum ille Raguel nusquam viderit, illum consobrinum, quomodo Tobiam similem ipsi dicere poterat? Et respondet item Autor dicens. *Viderat ille patrem, & in filio similem advertebat speciem.* Inde & ego subvereor, ne mihi aliquis objiciat. Quomodo tu ais S. Raymundum ad similitudinem & imaginem sui patris Sancti Dominici Patriarchæ fuisse progenitum, cum prototypon illius nusquam videris? Iam huic tacitæ objectioni ego objicio aliam. Cum ille Rex Babylonis Nabochodonozor, misisset Danielem unâ cum duobus sociis in fornacem ignis, & post aliquot tempus introspiciens, vidisset eosdem viventes, & deambulantes laudare Deum, obstupuit & surgens propere ait suis optimatibus. *Nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos? ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio Dei.* Hic Rupertus quærit, miraturque dicens. *Quis digné sufficit admirari, ubinam viderit Rex ille filium Dei? ut in medio ignis, similitudinem ejus agnosceret? dixit enim, species quarti similis filio Dei.* Sanè ut similitudinem unius ad aliud cognoscas, necessum tibi est, & illud aliud cognoscere. Quando Deus dicebat ad Moysen, *inspice & fac secundum exemplar*, addidit & illud. *Quod tibi in monte monstratum est.* Ut simile quis efficere possit originali suo, debet exempla ejusdem videre: unde si Rex Babylonicus Deum nusquam vidit, quomodo virum in fornace similem filio Dei cognoscere potuit? Respondet ad id S. Hipolitus Martyr dicens. *Quem jam Rex Babylonis in fornace videns agnovit, filium Dei confessus est.* Equidem non viderat ille Deum, sed à Propheta Daniele multa de ipso sibi dicta audierat, qualiter inquam Moysi servo suo in rubo ignis ardentis, qui tamen comburi minimè potuit in deserto apparuerit. Hæc ergo de Hebræorum Deo prænoscens Rex Babylonicus, adolescentem cum tribus aliis in fornace ardenti ambulantem, similem filio Dei censuit. Jam ergo sumus in littore, si licuit Regi Babylonico ex auditu narratorum sibi à Propheta, juvenem illum in fornace ignis deambulantem filio Dei similem asserere, eadem ratione, & mea comparatio S. Raymundi ad patrem suum D. Dominicum Patriarcham, apud vos suum locum habebit.

Daniel. 3. vers. 91.

Ruperus lib. 6. de vict. verc Dei cap. 21.

Exod. 25. vers. 38.

S. Hipol.

Exod. 3. vers. 2.

III. An Sanctus Raymundus Patri suo Dominico similis ejusque imagini conformis fuerit judicate primum ex parentela utriusque. Sanctus Pater Dominicus uti refert D. Antoninus gestorum ejus testis, oriundus fuit Calaregæ in Hispania ex nobilissima Gusmanorum familia, S. Raymundus Barcinone in Hispania ex nobili similiter familia de Penjafort, natus fuit. Nonne hic videtis adæquatam natalium similitudinem in utroque? sed absit, ut ego hic faciam aliquam stationem: mihi non est vera illa nobilitas, quæ ab extrinseco, sed quæ ab intimis animi virtutibus lucem suam prodit, unde dico cum illo S. Gregorio Nazianzeno. *Illud nobilitatis genus, quod in Principium diplomatibus & edictis consistit, tunc ullo in pretio habebo, cum pictam pulchritudinem laudandam duxero, simiamq; ob id venerari cœpero, quo leo esse jussa sit.* Quid tam ridiculum, quam si Simia leonis figuram extra præseferat, & interim intus sit simia? Pulchrè vates Regius naturæ humanæ splendorem, veramque nobilitatem effingit dicens. *Omnis gloria ejus filiæ Regis, ab intus in fimbriis aureis.* Quasi diceret, uti loquar verbis D. Gregorii Magni. *Quid est quod omnis gloria intus esse perhibetur, nisi quia & illa quæ foris est gloria, cum alius innumeris intus esse cognoscitur; Aurea enim virginitas non est, si foris est & intus non est. Omnis gloria ejus ab intus.* Non est ergo nobis hic manendum, relinquamus simias, & pavones coloratos, & ut inveniamus veram splendoris imaginem in utroque ad interius atrium procedamus.

D. Anton.

Nazianz. Orat. 28.

Psal. 44 vers. 41.

D. Greg. M. in l. 1. Reg. cap. 5.

IV. De Sancto Patre Dominico, dum adhuc esset juvenculus, multa præclara, Lombardica narrat historia, nempe adhuc puerulum,

Hist. Lom.

lum, lectum dimisisse, & super nudam humum jacuisse, tandem dum missus esset Valentiam, ad studium, amore sapientiæ addiscendæ, vinum per decennium non gustavit, & cum ibidem ubi studiis dabat operam, fames invaluisset, libros cum omni supellectili vendidit, & precium eorum pauperibus erogavit: crescente ergo ejus fama ab Episcopo Oxonienſi in sua Ecclesia Canonicus regularis efficitur, qua in vocatione divina qualis fuerit, quot labores, die noctuque lectioni, & orationi vacando sustinuerit, quot hæreticos converterit, quam ardenter verbum Dei pronunciavit, quot contumelias adversariorum sacræ fidei perpessus fuerit, quot itinera amore salutis suorum proximorum confecerit, quam misericors in pauperes fuerit, illa testatur actio sua heroica, dum se pro captivo filio cujusdam mulieris, vendendi, eumque sui pretio redimendi licentiam dederat. Sed Deus id non permisit, qui ipsum magis necessarium, ad redemptionem spiritualem multorum captivorum præviderat. Quam similis tanto parenti filius. Nam & ipse prius religionis Christianæ rudimentis in pueritia imbutus, atque adolescens Bononiæ Pontificio civilique juri incumbens, & inter literas se etiam exercens in virtutibus variis in tantum profecit, ut Doctoris laureâ decoratus, & postmodum à Beringario Barcionenſi Episcopo Canonicus factus, ob doctrinæ, sanctitatisque & eximium erga B. V. Mariam cultum cunctis fuerit admirandus: videte iterum imaginem & similitudinem S. P. Dominici, & cum altera S. Raymundi comparate.

V. Sanctus Patriarcha Dominicus ultimum laborum suorum scopum in salute hominum procuranda præfigens, Canonicatu Oxonienſi relicto, præclaro Ordine instituto, & ab Honorio Tertio summo Pontifice confirmato, fit pater prędicatorum: similiter & S. Raymundus canonicatu Barcionenſi sepositio, prædicatorii Ordinis filius redditur. Quid putatis quanto studio parentis sui vestigia assequi conatus fuerit? Mira in eo humilitas, obedientia singularis, paupertas vera, jejunandi consuetudo, orandi assiduitas, & castitatis tanta integritas, ut eam usq; ad extremum diem vitæ suæ illibatam servaverit. S. P. Dominicus electus aliquando in Episcopum Coteronenſem, nullatenus eam dignitatem acceptare voluit, & S. Raymundus Archiepiscopatum Tarraconenſem sibi ab Apostolica sede oblatum constantissimè recusavit S. P. Dominicus in evertendis Albigenſium hæresibus septem consumpsit annos. S. Raymundo, toto suę vitę curriculo, non aliud fuit studium quam conversio animarum ad fidem Catholicam, quo fine in Regno Aragoniæ Inquisitionis officium procuravit. Videte ergo quam veré protulerim: *Genuit filium ad imaginem & similitudinem suam.* Fuit patri suo similis in natalium splendore, in educatione morum, in vocationis statu, in sacris virtutibus, in zelo animarum, in omni stadio humani cursus & tandem in bravio cœlestis præmii. AMEN.

IN FESTO S. FRANCISCI de Paula, Confessoris, Ordinis Paulinorum Fundatoris,

CONCIO I.

Minimus erit in mille & parvulus in gentem fortissimam. Isa. 60. v. 22.

AUditores præstantissimi. Animus mihi est hodierna die Sanctum Franciscum de Paula Ordinis Minimorum Patriarcham & Fundatorem encomio aliquo excellenti honestare: sed forte mihi fidem non dabitis? & merito quidem; si enim Sanctus Pater Franciscus voluit dici, & haberi primus e minimis; qua ergo ratione: *Minimus erit in mille, & parvulus in gentem fortissimam?* Quod Samson unâ mandibulâ asini mille viros necavertt id non est mirum, quia fuit Princeps fortissimus, quâ fortitudine à Deo donatus erat, sed quod minimus se opponat mille, hoc videtur esse quoddam paradoxum mundi. De Saul primo Rege dicitur; quod altæ staturæ fuerit: *Altior fuit* Iud. 15. v. 15. 1. Reg. 10. vers. 23.

fuit universo populo ab humero, & sursum; nihilominus inventi quidam fuerant in populo, qui Saulis fortitudinem parvi faciebant dicentes: *Num salvare nos poterit iste?* Si igitur Saul vir maximus, accepit à populo tot improperia; Sanctus Franciscus de Paula qui minimus est, quænam sortetur encomia. Sed ego firmiter manens penes verba à me prolata, *Minimus erit in mille & parvulus in gentem fortissimam*; eam Prophetiam in Sancto Patre Francisco completam esse demonstrabo.

I. Humano quidem modo loquendo, incredibilia videntur esse verba hæc Isaiæ Prophetæ: *Minimus erit in mille, & parvulus in gentem fortissimam.* Antiquis sæculis fortissimus videbatur Hercules, qui non solum cum hominibus, sed etiam cum feris, & monstris horribilibus depugnabat, & tamen dicitur proverbio: *Ne Hercules contra duos*: quomodo igitur minimus erit contra mille? Sed si benè attendamus ad verba Prophetæ sequentia; ubi ait: *Ego Dominus subito faciam istud*; ne jam id mirabimur. Quod enim apud nos videtur esse fortissimum, id apud Deum nihil est: & è contrario ait Sanctus Paulus prima ad Corinthios primo capite. *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* 1. *Cor.* 1. *vers.* 25. Manifestum hujus rei exemplum habemus primo Regum decimo septimo capite. Videns Saul Rex Israelis David puerum cum gigante Philistæo dimicare volentem, dixit ad eum: *Non vales resistere Philistæo isti, nec pugnare adversus eum, quia puer es, hic autem vir bellator est ab adolescentia sua.* 1. *Reg.* 17. *vers.* 33. Non male Rex dissuadebat, timebat enim confusionem in solo exercitu, si David superaretur à Goliath, nihilominus ille instabat apud Regem, ut eum ad pugnam dimitteret, & allegabat pro se multas rationes; nempe quod pascendo gregem patris sui ursum & leonem interfecerit. Magnanime David, ideone vis subire certamen cum gigante, quia occidisti ursum & leonem? certe summo te exponis periculo: aliud enim est pugnare cum feris, & aliud cum bellatoribus præsertim veteranis; qui non tantum viribus, sed etiam arte seu stratagemate pugnare solent: ille vir, & tu puer, ille bene armatus, tu inermis, ille totus ferro tectus, & tu nudus, cum funda & lapillis procedis ad certamen. Sanctus Hieronymus ponderans hanc adolescentis David audaciam, dicit eam ex hoc sumpsisse, *quod Spiritum Sanctum acceperat expertus auxilium Dei in leone & urso.* S. *Hieron.* Hugo vero Cardinalis addit dicens: *Audacter se obtulit ad singulare certamen, non jam victoriæ cupidus, quam ultionis blasphemiarum Dei.* Hugo hic. Tota belli vis totque millia Philistinorum in uno gigante consistebant, & cum eum prostravit, totum quoque exercitum dissipavit. Vera itaque sunt verba Prophetæ; *Minimus erit in mille, & parvulus in gentem fortissimam.*

II. Non absimile exemplum habemus Jud. capite 6. Cum populus Israelis, vexatus & oppressus fuisset à Madianitis septem annis, *Iud.* 6. *v.* 12. 13. tandemque ad deprecationem suam constituisset Dominus illius misereri, eumque à jugo inimicorum liberare, misit Angelum suum qui hæc illi populo nunciaret. Venit ergo Angelus Domini, & sedit sub quercu, ubi Gedeon filius Joas excutiebat frumentum, quo purgato fugere posset Madian, sicque occupatum salutat Angelus Domini dicens: *Dominus tecum virorum fortissime.* Quid ad hæc Gedeon respondit? Duo proposuit Angelus Domini Gedeoni. Similiter Gedeon Angelo duo oppsuit. Primum dixit Angelus, *Dominus tecum*: Gedeon verò; *Obsecro mi Domine, si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hæc omnia?* Alterum dixit Angelus: *Dominus tecum virorum fortissime.* Gedeon verò: *Ecce familia mea infima est, & ego minimus in domo patris mei.* Subtile sane colloquium, Angelus Gedeonem exaltat nominando virorum fortissimum. Gedeon vero è contra se humiliat, vocando se minimum, sed quid tandem dicitur minimo: *Dixitque ei Dominus, ego ero tecum, & percuties Madian, quasi virum unum.* Ecce quid non facit minoratio sui, ipsius seu humilitas, quæ minimum Gedeonem posuit non contra mille, sed contra totum Madian quasi contra virum unum. *Iud.* 7. Sic animatus Gedeon præparat se ad bellum & exercitum colligit, in quo erant triginta duo millia virorum. Et quid Dominus, nunquid præcepit ire Gedeonem contra Madian cum tam numeroso exercitu? minimè vero, trecentos tantum viros, cum Gedeone commendavit ad pugnam, & in his Madian & Amalech, qui jacebant ut locustarum

ſtarum multitudo, diſſipavit. Minimo illi Gedeoni, nec non ſuo exercitui in tantum diminuto, quis promittere potuiſſet victoriam? Bene ait Didymus in catena. *Poteſtas DEI eſt quæ minuit & protegit*, quia præſente illo, *Minimus erit in mille & parvulus in gentem fortiſſimam.*

Didymus in Cat.

III. Adhuc unum Exemplum dabo. Sanctus Jacob Patriarcha rediens de Meſopotamia & exploratum habens occurrere ſibi Eſau fratrem ſuum cum quadragintis equitibus, valde anxius & perterritus, rogavit Dominum Deum pro refugio, utque eum magis ſibi placabilem redderet, cum maxima humiltate inter orandum ait: *Minor ſum omnibus miſerationibus tuis*: finita oratione diſponit pecora ſua per turmas, unam ordinando poſt aliam, ut eum antecederent, & Eſau properanti ſibi in occurſum dono offerentur, ſicque placari poſſet. Dum Jacob eſt ſollicitus de ſalute ſua; ecce tibi vir obvius ad luctam paratus, ecce duellum: ait textus. *Ecce vir luctabatur cum eo usque mane.* Quid eſt hoc athleta Dei? Jacob timet totus, & tu ipſum ad luctam provocas? Unde ei tanta fortitudo, ut tecum depugnet? Poſtquam dixit hæc verba. *Minor ſum cunctis miſerationibus tuis*, mox illi vires accreverunt, & quidem tantæ, ut ipſo etiam Angelo, qui cum illo luctam geſſit, validior appareret, dicente ſibi. *Si contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines prævalebis*? quaſi ſibi diceretur. Non eſt quod timeas Eſau fratrem tuum, quia Deum fortem, qui te protigat, habebis præſentem tibi: O quam bonum eſt ſalibus, eſſe inter minores cum Jacob Patriarcha, quin inter minimos cum Gedeone, dicente Sancto Chryſoſtomo. *Modo id unum perſuaſum tibi fuerit, te omnium eſſe minimum, mirificè tibi animus fidendi, audendique apud Deum præſtabitur.*

Gen. 32. verſ. 10.

S. Chryſ. Hom. 4.

IV. Jam ceſſo ab exemplis commemorandis, habemus enim præ oculis Sanctum Patrem Franciſcum, Paulæ (quod eſt Calabriæ oppidum) oriundum. Hic quam primum Ordinis ſui fundamenta jecit, licet tot virtutibus præfulgeret, à Principibus & Regibus, uti ab undecimo Francorum Rege Ludovico, magno in honore haberetur, nihilominus non ſolum ſeipſum minimum dici voluit, ſed etiam alumnos ſuos minimos appellavit, dum tamen ad menſam Patris familias invitatus in noviſſimo loco recubuiſſet, primum locum obtinuit: nam *qui ſe humiliat exaltabitur*. Sanctus Hieronymus explicans illum Pſalmum, *in loco paſcuæ ibi me collocabit*, ita ſcribit. *In paſcuis herbarum acclinavit me.* Non poteſt paſci benè jumentum niſi ſe inclinet, neque homo pabulo cœleſtis gratiæ refici poterit, niſi ſe humiliet.

Luc. 14. verſ. 11.

Pſ. 22. v. 1.

S. Hieron.

V. Erudiens Chriſtus Dominus ſuos diſcipulos quales eſſe deberent, advocans parvulum & ſtatuens in medio eorum ait: *Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in Regnũ cœlorum.* Ulterius vero ait. *Qui ſuſceperit unum parvulum in nomine meo, me ſuſcipit.* Cur qui parvulum recipit Chriſtum recipit? nonne Chriſtus eſt alter à parvulo? parvulus creatura Dei, Chriſtus creator, parvulus homo tantum, Chriſtus homo & Deus, parvulus omnibus eget, Chriſtus omnibus affluit. Sed attendamus benè ad verba Domini? non ait ſe ſimilem eſſe parvulo, ſed ſe eſſe in parvulo. Qui ſuſceperit parvulum, me ſuſcipit. Audite ergo quid ad hoc dicat Abbas Paſchaſius. *Ac ſi diceret, me ſuſcipit quia in talibus ipſe ſum, qui ſe ipſos ita dejiciunt, ut propter me ad ibidem tantam innocentiam redire velint.* Beati parvuli, Beati minimi, qui ipſum Deum habent pro hoſpite ſuo, tales qui cum Deo, uniuntur, quid non efficiunt? Sanctiſſime Pater Franciſce! parvus, quin minimus eſſe voluiſti: ſed quam ſapienter, & feliciter, nunc enim cum ſis unitus illi, qui *parvulus natus eſt nobis*, nempe Chriſto Jeſu Domino noſtro, jam magnus factus es.

Matth. 18. verſ. 3. 4.

Paſchaſius ibidem.

Iſaiæ 9. v. 6.

Magnus in terris meritis & gratia Salvatoris noſtri Jeſu. Magnus quoq; in cœleſti gloria. Ora pro nobis.

A. M. E. N.

IN FESTO S. FRANCISCI DE PAULA,

CONCIO II.

Iam non est servus, sed filius. Ad Galat. 4. v. 7.

PUto vos optime scire Auditores, quod quantò est aliquis Dominus in majori & altiori dignitate positus, verbi gratia Rex, Imperator, & magnus orbis Monarcha, tantò etiam majori excellunt dignitate sui aulici, qui in aula ipsius habent servitium. Hinc est illud (ut scribitur 3. R. g 10.) quod cum Regina Saba vidisset omnem magnificentiam Salomonis, & habitacula servorum, & ordines ministrantium vestesque eorum, id etiam dixit inter alia, *Beati viri tui, & beati servi tui hi, qui stant coram te semper.* Reginæ Saba beati videbantur servi illi, qui apud Regem Salomonem fungebantur servitio: at ego potius dicam cum Venerabili Hugone Cardinali qui in hunc historiæ locum sic ait: *Vere beati sunt, quorum Rex est Christus.* Verè hi beati sunt, servire enim Deo regnare est. Hinc est quod Sancti Apostoli, quamvis illos Christus Jesus honorifico titulo compellaverit dicens: *Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi* Sepositis tamen hisce titulis; potius voluerunt appellari servi Christi Domini. Talem titulum usurpabat S. Petrus Apostolorum Princeps, S. Paulus Doctor gentium, S. Jacobus, S. Thadæus, Timotheus cæteriq; discipuli Domini, quin etiam ætate nostra summi Pontifices eodem gaudent titulo, uti modernus Alexander Septimus non aliter nominatur nisi servus servorum Dei. Cur autem solo hic titulo contenti sint, assignat Didymus Alexandrinus rationem dicens: *Sancti viri in epistolis, quas scribunt ad Ecclesias, principaliter proferunt servos se esse Domini nostri Iesu Christi, æstimantes hanc appellationem, supra Regna totius mundi consistere.* Sed cum ego concioni meæ in qua S. Franciscum de Paula, hodie laudare velim, tale thema effinxerim. *Iam non est servus, sed filius*, si inquam illi ademi excellentem istum titulum divini servitii: unde ergo ipsum laudare incipiam? non aliunde etiam, quam ab eodem servitio: sed quali? in hac concione audiemus.

3. Reg. 10. vers. 8.

Hugo hic.

Matth 5. vers. 13. Ep. Petr. 2. vers. 1. Rom. 1. v. 1. Iacob 1. v. 1. Iudæ. v. 1. Philp. 1. v. 1.

Didymus Alex. Tom. 9. in Ep Iac.

I. Quod ista verba S. Pauli Apostoli acceperim pro themate concionis meæ, dicens. *Iam non est servus, sed filius*, non putetis ea me accepisse pro diminuendis sed potius augendis laudibus S. P Erancisci de Paula. Per hoc enim non intendo Sanctum hunc privare divino servitio, quod usque ad finem vitæ suæ fideliter, & diligenter peregit & consumavit, sed volo dicere non fuisse de numero talium servorum, qui timore serviunt, sed talium, de quibus Christus ait Joan. 15. *Iam non dicam vos servos, sed amicos.* Item de similibus servis, sic ait S. Paulus. *Qui in Domino vocatus est servus, libertus est Domini.* Et talis erat S. Franciscus de Paula, de quo illud dici potest. *Fidelis servus & prudens.* Eratsane fidelis servus Christi, quia audiens illud dictum Sancti Evangelii. *Qui mihi ministrat, me sequatur*, ac si ad aurem sibi dictum fuisset, ita id sibi imitandum proposuit. Legimus de Christo Domino. Quod cum teste S. Luca Evangelista fuisset quasi annorum triginta, in Jordanis fluvio à Joanne Baptizatus, desertum eidem alveo vicinum ingressus fuerit, juxta quod ait Sanctus Matthæus Evangelista dicens. *Ductus est Iesus in desertum à spiritu.* Doctores, Patresq; S. Ecclesiæ, multa hic consigerant. Primo ista verba: Ductus est Jesus. Si ductus fuit, igitur non liberè & spontaneè illud desertum intravit? & hoc esset contra libertatem suæ voluntatis, cum vero Christus Jesus, sicuti totius universi ita quoque proprii sui arbitrii Dominus sit absolutus, quomodo duci in desertum illi competebat? Sed pulchre ad id respondet Sanctus Chrysostomus dicens. *Non solum ductus aut adductus dicitur, qui alicujus potestate ducitur, sed etiam ille, qui alicujus rationabili exhortatione placatur.* Et demonstrat id præfatus Sanctus Doctor pulchra similitudine. Dux alicujus exercitus, mittit ad Regem, quod ob gravissimam causam, ipsemet in persona veniat ad suos mili-

Ioã. 15. v. 15.

I. Cor. 7. vers. 22.

S. Luc. 3. vers. 22.

Matt. 4. vers. 1.

S. Chrys. Matt. 14.

Israëlis ab ipso recesserunt. Cum ergo non naturæ sed gratiæ dona hominem vere magnum faciant, Moysen signa, quæ ad imperium Domin in Ægypto faciebat? Sanctum vero Job Patriarcham, vitæ innocentia, & timor Domini: hinc habeo accessum oportunum ad Sanctum Patrem Franciscum, ut eum quoque qui minimus esse & vocari voluit, non parvum, sed potius magnum fuisse ostendam. Patria Sancti Francisci fuit Paula oppidum Calabriæ, in quo (voto facto à parentibus qui diu prole caruerunt beati Francisci precibus) natus est, prodiitque in mundum sicut granum sinapis, quod minimum est omnibus seminibus.

Plinius. IV. Comparavi illum grano sinapis ob justas causas. Primo, quia parvum quidem est in extrinseca superficie, at verò intrinsecè, maximæ virtutis esse comprobatur, quia magnas in se virtutes continet, nempe malos humores exsiccat, interius hominem calefacit, cibis confert saporem, aliisque naturæ donis intus exuberat, ut licet extrinsecè parvum granum videatur, interius tamen satis magnum esse comprobetur. Talis erat Sanctus Pater Franciscus, ad extra nihil in illo apparebat nisi exiguitas, contempta enim mundi hujus externa apparentia secessit in eremum, sed intus (sicut granum sinapis) quantum divino calore succensus fuerit, quis id effari poterit: Calor interior divini amoris, exprimebat calorem sinapis, sapor meditationum cœlestium, superabat saporem sinapis, assiduum studium convertendorum hominum à peccatis, malos humores in cordibus eorum exsiccabat. Videte igitur Sanctum Franciscum, istum fratrem minimum, quam magnus apparuerit in parvo grano sinapis. Quid amplius?

V. Ea est Christi Domini sententia de grano sinapis, quod licet minimum sit omnibus seminibus, tamen dum excrescit majus est omnibus oleribus & fit arbor, *ita ut volucres cœli veniant & habitent in ramis ejus.* Matt. 13. v. 32. Audivistis hic sermonem Domini de grano sinapis, qualiter excrescat in arborem, jam audite de ramis ejus. Sanctus Pater Franciscus causa charitatis fraternæ egressus è solitudine, Ecclesiam prope Paulam ædificavit, ibique prima Ordinis sui fundamenta jecit, sed quo labore aut quibus impensis? numquid in fundamentis sui Ordinis quæsivit profunditatem scientiæ? nullatenus, quia nullas didicit litteras: aut forte jecit fundamenta honorum & dignitatum? non: quia minimus dici voluit, eumque titulum suo Ordini consignavit. O granum minimum: videte jam quomodo in arborem creverit, ramosque suos tot protulerit, ut vix possint numero aliquo comprehendi. Quis enim enumerare posset tot martyres hujus Ordinis? quorum aliqui in Hispania, à Mauris infidelibus occisi, aliqui in Germania, quidam in Gallia, cæteri in *Anglia* mortem pro Christi fide susceperunt: taceo tot centena confessorum è quibus plurimi Doctoratus laurea, multi Præsulatus mitra effulsere, taceo tot agmina virginum, quæ in vita & post mortem miraculis claræ sequuntur agnum quocunque ierit. Etsi ergo iste Ordo sacer minimum se vocet, ego tamen ipsum cum Patre suo Francisco magnum nomino. Magnus Sanctus Pater meritis ante Deum, magnus in tot filiis, denique magnus in regno cœlorum. Amen.

Ex Chron. Patri Laim.

IN FESTO S. FRANCISCI de Paula,

CONCIO IV.

Vade & accipe librum apertum de manu Angeli, stantis super mare, & super terram. Apocal. 10. v. 8.

INter multa mysteria, quæ ostenderat Deus S. Joanni Evangelistæ istud quoque erat admirabile, quod describitur in Apocalypsi sua cap. decimo. Cum enim vidisset quendam

dam Angelum cujus facies erat sicut sol, habentem in manu sua libellum apertum, stantemque uno pede supra mare, altero verò super terram, insuper etiam erat admonitus, quatenus iret, & acciperet librum illum de manu ejusdem Angeli stantis supra mare, & super terram, eumque deglutiret. Venerabilis Beda explicans istam visionem, per istum Angelum, intelligit Christum Dominum, nube carnis amictum, cujus in illa transfiguratione *resplenduit facies sicut sol, & vestimenta erant alba, sicut nix.* Per libellum apertum intelligit verbum Sancti Evangelii, quod cum diutino tegmine fuisset clausum, tandem post adventum Domini sua gratia est reseratum: per unum pedem positum in mari & altero super terram, intelligit prædicationem Sancti Evangelii, quod terra marique propagatur. Ubi ergo dicitur ad Joannem: *Vade & accipe librum apertum de manu Angeli*; ibi monetur Ecclesia ad accipiendum & prædicandum codicem Evangelii. Egregia est ea loci hujus explicatio, satis superque nobis sufficeret: atqui ego cum bene sciam Christum Dominum libentissime conversatum fuisse cum parvulis, seque totum illis communicasse, hicque occurrat nobis minimus è parvulis istis, nempe Sanctus Franciscus de Paula, Ordinis minorum Patriarcha, dabit Jesus, magnus inquam consilii Angelus veniam, si ego eam explicationem in servum suum transtulero, eumque fuisse *Angelum, habentem librum apertum in manu sua, stantemque uno pede supra mare, & uno super terram probavero,*

Beda in Apocal.

Matt. 17. v. 2.

I. Quod Sanctum Franciscum Ordinis Paulinorum Patriarcham Angelum vocaverim, nihil novi dixi Quia ipsemet Christus Dominis cujus exemplo ducimur, Joannem Baptistam, non solum Angelum nominavit, sed etiam plusquam Angelum esse censuit dicens: hic est de quo scriptum est. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem meam, qui præparabit viam tuam ante te.* Sanctus Joannes Baptista erat Angelus non natura, sed officio. Quia fuit nuncius & præcursor Domini, sicuti ergo illi competebat nomen Angelicum, ita etiam cæteris hominibus præsertim vero sanctis, castis, & mundo corde, non erit inconveniens: quod probo tali argumento. Legimus Matth. 22. Accessisse ad Jesum Saducæos, qui resurrectionem mortuorum non credebant, hi ergo tentantes Dominum dixerunt: *Magister! Moyses sic nos docuit servare matrimonium, quod si mortuus quispiam fuerit sine prole, uxorem ejusdem frater suus ducat suscitetque semen fratri suo.* Contigit septem fuisse fratres, quorum primo sine prole mortuo, similiter secundo, & tertio usque ad septimum, etiam & ipsa mulier defuncta est, itaque in resurrectione cujus erit uxor de illis septem? omnes enim habuerunt illam, ad eam igitur quæstionem respondens Dominus ait. *Erratis nescientes scripturas neque sermonem Dei. In resurrectione enim, neque nubent, neque ubenter, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Ex quo discursu Christi Domini colligimus, quod licet homines Angelis non sint dissimiles: Primò quia secundum animam æqualiter creati sunt ad immaginem & similitudinem Dei, & deinde quia passim in utroque testamento non solum socii sed etiam fratres nostri appellantur, eoque fine creati sunt, ut malorum, damnatorumque spirituum loca vacantia impleant. Nihilominus tamen hoc nomen Angeli vel maxime illis convenit, qui castitatis dono decorantur, testem huius veritatis habeo S. Chrysostomum, qui sic ait. *Omnes quidem virtutes spirituales res sunt Angelica: præcipuè tamen castitas res est Angelica per hoc enim solum singulariter homines Angelis similantur.*

Matt. 11. v. 10.

Matt. 22. v. 24.

ibid. 1. v. 30.

S. Chryso. in c. 22.

II. Dignum certe admiratione non parva, quod Christus Dominus loco supra citato, eos tantum qui neque nubunt neque nubentur, Angelis assimilaverit. Cur non martyres? an ignoramus tum temporis Sanctum Petrum Apostolum dignatum fuisse visione Angeli, quando pro Christi fide martyrio fungebatur? extat testimonium hac de re, Actorum 12. *In ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus. Et ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo.* Cur non Doctores? Cum legamus in vita Sancti Gregorii, toties Angelum Domini sibi adstitisse? Cur non alios homines qui tot virtutibus excellentes, non solum Angelos videre sed etiam cum illis conversari meruerunt? Cur inquam solos virtute castitatis præditos Angelis comparavit? *non nubent neque nubentur, erunt sicut Angeli DEI.* Istam quæstionem proponit Abulensis, & ad eandem respondet dicens. *Licet alia sint opera perfectiora, & magis meritoria apud Deum,*

Actor. 12. v. 6. Abulens.

quam abstinentia à venereis, tamen nihil est, quod spiritualem hominem magis reddat: ob eam rationem Christus homines casto corde Angelis assimilat. Habeo & aliam rationem pulchram cur virtus castitatis, assimiletur Angelis. Apud Ezechielem Prophetam, & alibi Angelis adscribuntur pennæ, imò etiam à pictoribus pinguntur cum alis, idque ob hanc causam, quia ea quæ sibi à Domino Deo committuntur, celerrimè peragunt & expediunt, non secus etiam virtus castitatis pennata est, quod patet ex 20. cap. S. Joannis Evangelistæ. Auditis lætis novalibus Apostoli de resurrectione Christi Domini, non poterant se in domo continere, utque de hoc melius certificari possent, duo ex illis nempe Petrus & Joannes. quantocius domo exeuntes festinanter currebant ad locum, in quo sepultus erat Dominus: ait textus; *Currebant autem simul.* Sed quo eventu? *Ille alius discipulus præcucurrit citius* Petro. Cur Joannes Apostolorum Principem prævenit in cursu? forte dicetis, quia Petrus erat ætate senior. Joannes vero tanquam junior, erat etiam alacrior & pedibus velocior. Non est hæc ratio: quæ igitur? Quia Joannes habebat alas in pedibus, ideo currebat velocius Petro, sed quænam illæ alæ fuerant? audite quid dicat D. Hieronymus. *Petro tardius ambulante, Ioannes elatus virginitatis alis, cucurrit ad Dominum.* Si ergo sancti viri qui eminent singulari dono castitatis, alas habent, quid mirum, quod assimilentur Angelis? E numero talium erat Sanctus Pater Franciscus de Paula; hic enim juxta testimonium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, *Perpetuam virginitatem servavit.*

Exech. 1. *v.* 6.

Ioan. 20. *v.* 14.

D. *Hiero.*

Breviar. Rom.

III. Notate jam pedes hujus Angeli, nempè unum supra mare, & unum super terram habentem. Si hic Angelus denotat S. Patrem Franciscum quomodò est credibile ipsum unum pedem in mari, alterum in terra habuisse? sed si innitamur explicationi Venerabilis Bedæ, sic dicentis; quod per illos pedes significetur prædicatio sacri Evangelii, quæ non solum terræ, sed etiam maris ambitu continetur: juxta illud, *In omnem terram exivit sonus eorum*: tunc jam facile intelligemus qualiter S. Franciscus, non solum in terra, sed etiam in mari pedem suum posuerit. Posuit sinistrum in terra, quia mundum istum cum concupiscentiâ ejus nihil æstimavit, calcavit aurum, & argentum, calcavit omnes mundi delicias, imò ut verbo unico dicã, quatenus se posset à lenociniis mundi hujus liberare, fugit in eremum, ibique sex annis mansit solitarius ne aliquo hujus mundi depravaretur affectu. Et quia lumen non potest celari sub modio, ad instantium multorum instituiti sui sequacium licet invitus revocatur ab eremo, iterum eundem ipsi fuit per mundum, iterum ponendus erat pes super terram, sed quem posuit, numquid dextrum ad applausum mundanæ concupiscentiæ? minimè vero: sed sinistrum quo calcavit & damnavit totum id, quod mundo placet, solas vero virtutes sacras, quæ mundo desipiunt à juventute amplexus, ad finem usque vitæ suæ coluit & retinuit. Pro teste habeo Leonem Pontificem Decimum, qui in Bulla Canonzationis suæ, ita ait: *Admirabilis erat vita ejus austeritas, in pueritia, adolescentia, juventute, senecta & decrepita ejus ætate, inter labores, jejunia, abstinentias, innumerasque corporis macerationes, eundem penè vivendi modum servavit.*

Leo Decimus in Canonizat.

IV. Sed jam ad dextrum pedem veniamus. Angelus quem vidit S. Joannes Evangelista dextro pede steterat supra mare. Scitis mysterium? Consulemus hac in parte Venerabilem Bedam. Hic considerans, differentiam quæ est inter mare & terram, eam esse, quod plura & majora sunt pericula in mari, quam in terra? juxta illud. *Qui navigant mare, enarrant pericula ejus*: ideo pedem sinistrum tanquam infirmiorem in terra posuit, dextrum verò tanquam fortiorem in mari: verba sunt illius: *Fortiora membra, in majoribus periculis, altera in competentibus sistuntur.* Noster Angelus S. Franciscus, dextrum posuit pedem in mari tanquam fortiorem, sed illam fortitudinem non à se ipso, sed ab ipso Deo auspicatus fuit. Quia cum ipsi mare, quod est, inter Siciliam & Calabriam transeundum esset, neq; ipsum nautæ transvehere voluissent, super aquas maris strato suo pallio, illud cum socio transmisit. Quid hic prius demirer, plane non capio: hoc unum scio hos fuisse pedes Angeli, unum in terra calcantem mundum, & concupiscentiam ejus, alterum vero in mari, miram Dei potentiam prædicantem.

Eccl. 43. *v.* 26.

Bedain Apoc. 10.

V. Ultimum penes illum Angelum, fuit liber apertus; Sistite Auditores: vultis esse discipuli S. Francisci? Ait S. Chrysostomus, quod *ex dili-*

S Chrysost. in 22. 6. *Matt.*

deligentia lectionum nascatur scientia Dei. Est liber apertus nostri Angeli, ergo legite textum. Quid ibi est? est una lectio de humilitate, ut velimus fieri minimi, altera de paupertate, tertia de munditia cordis, quarta de contemptu mundi, quinta de sequela Christi; & sic opottet librum ipsius legere, ut planè ipsum masticemus Quia ibi sic habet sacer textus. *Accipe librum, & devora illum & faciet amaricari ventrem tuum.* Dicetis illud Pharisæorum; *Durus est hic sermo.* Credo benè; ait idem S. Anselmus. *Amaricatus est venter, grave enim est nostra carni jejunare, & cætera quæ præcipiuntur.* Sed verte folium, quid videbis? *In ore tuo erit dulce tanquam mel.* Audi quid dicat D. August. *In ore intelliguntur boni & veri Christiani, in ventre carnales, & luxuriosi: inde est quod cum verbum Dei prædicatur, spiritualibus dulce est, carnalibus vero, quorum Deus venter est, amarum videtur & asperum.* Eja igitur Auditores, spectastis pedes Angeli nostri S. Patris Francisci de Paula: legistis quoque lectionem libri sui; quæ nos docuit, ea addiscamus, ejusque pedum sequamur vestigia, sic perveniemus ad patriam sempiternam. Amen.

Apoc. 10. v. 8.

D. Anſel.

D. Augu. Hom. 8. in Apoc.

IN FESTO S. IGNATII CONfessoris, Societis Jesu Fundatoris,

CONCIO I.

Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filii ejus Iesu Christi.
1. Cor. 1. v. 9.

Est quidem verum Auditores, quod hæc verba S. Apostoli Pauli, ad omnes Christianos spectent; sic enim hac de re testatur S. Joannes Evangelista dicens: *Si in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus ad invicem.* Quæ verba Hugo Cardinalis sic intelligit: *Si lucem boni exempli præbemus alii, sicut & Christus fecit, tum socii Christi sumus in intentione, invicem verò in dilectione.* Amat Deus consortium & societatem nostram: sic enim protestatus fuerat Proverb. 8. cap. *Delicia mea, esse cum filiis hominum.* Hinc nulla pax ei esse poterat, nisi ut per filium suum unigenitum, quem misit in mundum, sociaretur nobis. Perlegite historiam creationis hujus mundi, ibidem invenietis, qualiter ad imperium suum, divisæ fuerint aquæ ab aquis, qualiter igni propriam sphæram destinaverit, aëri inter ignem & aquam locum dederit, stellas cœli firmamento affixerit, aves in aëre, pisces in aquis, animantia in terris posuerit, ipse verò Deus qui cunctis rebus quietem dedit, solus ipsam habere nequivit; juxta illud: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Et quando tandem ò Deus cessabit tua sollicitudo, & anxietas? Rupertus Abbas explicans illum locum sequentis capitis? nempe, *Requievit die septimo, ab universo opere quod patrarat*, respondet dicens. *Ferebatur super aquas, quia inquietus erat: quousque vidit hominem creatum, super quem requiescere posset.* Et sic juxta talem discursum, omnes sumus adsciti in societatem Christi, adeoque ad omnes Christianos dicit Doctor gentium: *Fidelis Deus, per quem vocati estis, in societatem filii ejus Iesu Christi Domini nostri.* Ego nihilominus cum hodiè prædicare debeam laudes S. Ignatii Lojolæ Patriarchæ ac Fundatoris Societatis Jesu: ad vos ò filii tanti Patris vestri, orationē meam converto, vosque compello dicens: *Fidelis Deus, per quem vocati estis, in societatem filii ejus Iesu Christi.* Quorum verborum occasione talem assumam thesin concionis meæ: cur S. Pater Ignatius, Religioni huic à se institutæ talem præfixerit titulum; nempè, Societatis Jesu.

Ioan 8. v. 12.

Hugo in 1. Ep. S. Ioan. c. 1.

Prov. 8. v 31.

Gen. 1. v. 2.

Gen. 2. v. 2.

Rupertus Abb. hic.

I. Posset mirari quispiam hoc nomen Societatis Iesu, quod sibi elegit Autore Sancto Patre Ignatio hæc societas venerabilis. Cum enim filiorum sit (qui gloriâ suorum parentum exornantur) gentilitio nomine gloriari, mirum videri posset, quod filii tanti patris nempe Sancti Ignatii, à quo trahunt suam gloriam, nominisque sui celebritatem, non Ignatiani, sed potius Societas Jesu dici voluerint. Sed ego nihil hic novi invenio. Multæ enim tribus multique Ordines dari possunt, qui licet à

clarissimis parentibus suis originem suam traxerint, non tamen nominibus eorundem intitulari voluerunt. Numquid natio illa antiquæ legis, quæ ab Abraham Sancto Patriarcha originem suam habuit, grandis erat? numquid ab illo gloriam magnam tulerat? certè maximam? hæc enim natio, taliter quondam gloriabatur. *Semen Abrahæ sumus, & nemini servivimus unquam.* Nihilominus non Abrahamitidæ, sed Israelitæ dici voluerunt. Eodem quoque modo in nova lege Christi, cum tot spirituales filii à præclaris parentibus suis, in spiritu nati surrexissent, & veluti altera natio Judæorum in duodecim tribus suas divisa, aut ipsi in tot aut plures Ordines distincti, orbem terrarum non aliter quam stellæ lucidissimæ cœlum implevissent, quilibetque Ordo suum Patriarcham habeat, cujus insigniis gloriatur, nihilominus plurimos invenire licet, qui relictis suorum patrum nominibus, vel à vocatione aliqua, quam coluerant, vel à locis è quibus prodierunt, vel ab officio aliquo quo fungebantur, dici & nominari voluerunt. Grandis erat novæ legis, & Ecclesiæ Christianæ pater S. Augustinus, qui Ecclesiam Christi doctrinâ & virtutibus illustravit, & tamen sui filii ab eodem descendentes, non ita proprie Augustiniani, sed vel Eremitæ, vel plerique Canonici Regulares nominantur. S. Romualdus multorum filiorum pater extiterat, quibus replevit occidentalem Ecclesiam, sui tamen filii Camalduenses vocari voluerunt. Et ut brevius dicam à Clarissimo illo viro Bermone Ordo Cluniacensium promanavit, à Brunone Carthusiensium, à Bernardo Cisterciensium, à Norberto Archiepiscopo Magdeburgensi, Præmonstratensium à S. Guillelmo, S. Trinitatis à S. Dominico, Prædicatorum, à S. Francisco minorum Fratrum. Ab Elia & Elizæo Patriarchis, Carmelitarum, à S. Francisco de Paula, servorum B. Virginis, à S. Raymundo, redemptionis captivorum: & tandem relictis cæteris, prodiit unum germen præclarissimum à S. Ignatio Lojola Fundatore suo, quod tamen præterito suo nomine, alium titulum, eodem jure quo cæteri, nempe Societatis Jesu sibi vendicavit. Jam ergo non immerito sibi debetur hæc Apostrophe Sancti Pauli dicentis. *Fidelis Deus, per quem vocati estis, in societatem filii ejus Iesu Christi.* Quæ verba dum ego considero, venit mihi insignis quidam conceptus, ex illa historia quæ habetur Gen. 17. Legimus de S. Abraham Patriarcha quod cum illum Dominus, de domo & cognatione sua egredi præcepisset, illeque incunctanter huic vocationi suæ paruisset, ut Dominus obedientiam ejus sibi gratam esse demonstraret, mox ipsum exaltare cœpit. Quam primum enim ei dixit, *multiplicabo te vehementer nimis*, ut etiam de fide promissi sui faceret certiorem, ait ad eum: *Non ultra vocabitur nomen tuum Abram sed appellaberis Abraham.* Quid hinc accrevit Patriarchæ, quod Deus addiderit nomini illius istam literam, sive potius aspirationem H? multum sanè! hæc enim litera Divinitatem denotat, de qua re ita testatur S. Hieronymus. *Literam de suo nomine communicari voluit Deus, cum nomine Abraham, ut ostenderet, non modo bona sua se impertiturum ei, verum etiam seipsum.* Sicut Deus fidelem se exhibuit in S. Abraham Patriarcham, quem ut vocavit statim etiam exaltavit, nomenq; suum in celebrius permutavit; ita sanè idem fecit cum S. Patre Ignatio, non solum enim germen ipsius multiplicavit, magnificavit, & inter omnes gentes exaltavit, nec solum unam literam societati suæ largitus fuit, sed totum nomen *Iesus*; imo quod majus est, ipsum cum filiis suis sibi sociavit, ut Societas Jesu vocarentur.

Ioan. 8. v. 33. *Gen. 17. v. 20.* *S. Hier.*

III. Sanctus Jacob Patriarcha, cum vidisset obviantes sibi Angelos Dei, dixerat; *Castra Dei hæc sunt.* Cur illos nomine castrorum appellaverit, respondet S. Augustinus dicens. *Castra Dei quæ vidit Iacob in itinere, nulla dubitatio est Angelorum fuerit multitudo, ea quippe in scripturis militia appellatur.* S. Ignatius Lojola, miles strenuus erat in seculo, sed tunc felicius militavit, cum adscriptus in album militum Christi Jesu, talem societatem instituit, quæ castra Dei, idest non hominum, sed Angelorum multitudo dici potest. Aliquis invidiosus notam mihi inurere conabitur, quod eam prolem Societatis Jesu, inter militiam cœli, nempe inter multitudinem Angelorum posuerim: sed vincet invidiam ratio. Et cur Angeli castra Dei vocantur, nisi quia Ordinem modumq; castrorum exprimant? castris nihil est ordinatius, habentur enim sibi supremi Duces, regimina, vexilla, & signa per quæ distinguuntur, ita quoque est in Hierarchia Angelorum. Pro duce supremo, habent supremum Deum, habent suos Choros, suaq; officia sibi à Deo depu-

Gen. 32. v. 2. *D. Aug.*

deputata. Similem Hierarchiam in terris habet Societas Jesu, & si id parum est, illud pro magno haberi debet, quod protulit Hugo Cardinalis dicens: *Qui sunt Iesu socii, ipsos Angelos superare videntur.*

Hug. Car in Ioan.

IV. Magna consideratione egent illa verba Cant. 7. *Quid videbis in Sulamite nisi choros castrorum?* Et quid habent chori cum castris, aut castra cum choris? Hoc enim novimus, quod in choro Musica, in castris verò armorum strepitus audiri soleat. Sed pulchrè respondet Hugo Cardinalis. In eo consistere pulchritudinem Ecclesiæ sanctæ, quod in se contineat, diversorum Ordinum multitudinem, quorum filii, tunc choris comparantur, dum mente, seu ore, laudes Deo cantant, tunc autem castris, quando contra mundum carnem, & Satanam, strenue militant, dum gladio verbi Dei, infidelitatem & impietatem, in cordibus humanis mactant. Et ex talium numero, ego video castra Societatis Jesu, quorum milites etsi chorum, ut alii ordines non observent, non tamen sunt secluſi à choro mystico: tota enim hæc sancta societas, est in præconio divinæ Majestatis, tota in piis exercitiis, tota in sacris meditationibus. Quod dum peragit, plus placet Deo, quam si octo vocum cantilenam decantaret, Repeto igitur verba Canticorum. *Quid videbis in Sulamite, nisi chorus castrorum.* Quid inquam videbis in Societate Jesu, nisi choros castrorum. Sive per castra Angeli, sive stellæ in firmamento intelligantur, totum id huic Societati Jesu quadrat. Parum enim est quod hæc societas sectetur virtutes Angelicas, sed accedit quoque ad stellarum pulchritudinem? quia tales viros habet, *qui fulgent, quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stella in perpetuas aeternitates.*

Cant. 7. v. 1.

Hug. Car

Daniel. 12. v. 3.

V. Stellæ non parvas habent excellentias, nam primò, ideo positæ sunt in firmamento cœli, ut luceant per noctem, terræque suas communicent influentias. Deinde stellæ cæli sunt innumeræ, quia nulli Arithmetici teste S. Augustino eas numerare queunt. Hinc uti testatur Josephus, dixerat Deus ad Abraham, *Numera stellas cœli, si potes.* Non præcipiendo ut numeraret, sed rem impossibilem denunciando, & tamen addidit. *Sic erit semen tuum.* Item stellæ sunt tantæ magnitudinis ut vix credi possit. Dicunt enim Astrologi quod si hæ essent penetrabiles sicuti asser vel arbor, & aliquis minimam stellam ejaculando globum penetrare vellet, egeret spatio temporis duorum annorum, minus decem diebus, antequam ille globus magnitudinem stellæ pertransiret. Colligite hinc quantæ sint stellarum excellentiæ. Et has ego omnes celeberrimæ Societati Jesu, hodie præsentare possum. Sunt innumeræ stellæ in firmamento hujus societatis, ut luceant per noctem, eisque lumen communicent, qui sedent in tenebris, & in umbra mortis. Sunt inquam innumeræ, quia semen S. Ignatii omnes, quin etiam ignotas totius orbis plagas occupavit, sunt eximiæ magnitudinis, in cujus enim vocati sunt societatem, hic est *magnus Dominus & laudabilis nimis.* Tandem stellarum earundem ea est gloria, quod una ex ipsis particulariter creata à Deo fuerit, quæ prævia ducebat Reges Orientis. Et quid jam mirum, si istæ stellæ, Reges & Principes hujus mũdi, manu ducant, iisq; præeant ut ipsos sequantur. Nec infeliciter quidem. Cum enim socii sint Christi Jesu, sequentes ipsum non aberrabunt, quin tam ipsi, quam sequaces sui, adoptatã Iesu metá perveniẽt, quæ est vita æterna Amẽ

Gen. 15. v. 15.

Psal. 47. v. 1.

Matt. 2. v. 9.

IN FESTO S. IGNATII
Confessoris,

CONCIO II.

Quasi ignis effulgens, & thus ardens in igne. Eccl. 50. v. 9.

EXcellens Doctor, Pater ac Lumen Ecclesiæ S. Clemens Alexandrinus, expendens illam figuram antiqui testamenti de columna, quæ prætedebat castra Israelis, de die in nube, & de nocte

de nocte in igne; juxta illa verba sacri textus,
Exod. 13. v. 21. *Dominus præcedebat eos, ad ostendendum viam, per diem in columna nubis, & per noctem, in columna ignis*: hæc verba ait. *Si obedieritis, lu-*
Clemens Alexand. *cem, si non obedieritis, ignem.* Ex quibus verbis datur intelligi, columnam illam, populo Israëlis fuisse pro face, quæ lucem eis subministrabat, similiter fuisse & pro igne, qui eos consumeret, si DEO suo obedire nollent. Hinc patet effectus ignis, nempè quod luceat, & etiam ardeat. Talem columnam, si ego dixero fuisse S. Ignatium, Fundatorem Societatis Jesu, minime aberrabo, fuit sanè & est columna sanctæ Ecclesiæ, sed talis columna, quæ præcedit populum christianum, in igne fulgenti, & ardenti. *Erat enim quasi ignu effulgens, & thus ardens in igne.* Quod vobis in hac concione demonstrabo.

I. Non caret mysterio, quod præceperit DEUS in antiquo testamento, per Moysen famulum suum, ut faceret candelabrum, ex auro mundissimo, illudque septem lucernis accensis exornatum, poneret è regione mensæ, quæ erat in tabernaculo. Sic enim scribitur
Exod 26. v. 34. Exodi 26. *Pones & propitiatorium, super arcam testimonii in sancta sanctorum, mensamque extra velum, & contra mensam candelabrum.* Inter alia, quæ in hisce verbis sacræ scripturæ continentur, illud est animadversione dignum nempe, quidnam sit causæ, quod DEUS candelabrum accensum, contra mensam tabernaculi poni præceperit, & inter cæteros sacri textus hujus commentatores, S. Bruno, in mentem suam illud revocans, ob quam causam DEUS, in tabernaculo suo mensam fieri voluerit, nempe, ut in illa ponerentur panes
Exod. 25. v. 35. propositionis juxta illa verba Exodi 25. *Pones super mensam, panes propositionis semper.* Deinde considerans illa verba Domini dicentis.
Matt. 4. v. 4. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit ab ore DEI*: ex his inquam S. Scripturæ locis bene capiens, quod mensa illa significet, divinas scripturas, & doctrinam
S. Bruno l. 4. in Exod. DEI, dicit in hunc modum. *Ponitur contra mensam candelabrum, ut fercula imposita videantur, quoniam nisi Christo illustrante, divina scriptura intelligi non valet, ipse enim est lux vera, qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Interrogat Lypomanus in catena sua, cur Moyses qui toties in montem DEI, cum Aaron fratre suo, nec non septuaginta è senioribus populi ascenderat, quadam vice eundem ascendens, solam Josue secum duxerit, alios verò post se reliquerit: ait enim sacer textus. *Surrexerunt Moyses, & Iosue minister ejus, ascendensq; Moyses in montem DEI, senioribus ait; expectate hic.* Exod. 24. v. 13. Quænam igitur erit ratio, quod Moyses, qui multis aliis vicibus assumebat secum seniores in montem, hac vice solum Josue secum assumpserit? Respondet Lypomanus secundum Severi sententiam, antea nusquam Moysen, cum senioribus populi, pervenisse ad summum montis fastigium, tunc autem ad illud contendisse & ideo comitiva Josue illi opus erat. In summitate montis Synai Moyses legem erat accepturus, quamobrem societate Josue indigebat, cujus ratio patet, ex verbis ejusdem Autoris sic dicentis. *Cum Moyses profunda legis accepturus esset, Iesu Nave secum assumpsit, qui figuram IESV Domini, & Servatoris nostri gerebat: neque enim sine IESV, profunda legis & Evangelii, intelligi poterant.* Lipom. in Cat. Quid jam miraris S. Patriarcham Ignatium vero Josuæ, nempe Christo JESU se associare voluisse? non exteriori mensarum servitio, sed alio nobiliori, nempe divini verbi occupari debuerat, ideo accensum candelabrum, è regione mensæ poni debuit. Contendebat, & parabat gressum ad montem excelsum, montem sanctificationis, in quo acceptrurus erat, legem à Domino, indigebat ergo societate Jesu, cujus verbum lucerna esset pedibus ejus, & lumen semitis ejus. Psal. 77. v. 7. Ps. 118. v. 105.

II. Sed quid mihi divinat nomen Ignatii? dum se Christo associat, quid quærit in ipso? num solam lucem? nempè ut sub tanto fulgore, sive in scholis, sive in pulpitis, gloriosus appareret? an potius in Christo JESU quæsivit ignem? eum inquam ignem de quo habetur Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram, & quia volo, nisi ut ardeat?* Ita sanè Auditores, S. Ignatius existens hic in mortali corpore, non lucere voluit, sed ardere potius, remisit vivens hic omne lumen quodquod habere potuit in terram visionis, & saltem delectabat ipsum, sentire ardores ignis, ut dum amori Jesu daret operam, verum in eodem inveniret saporem. Quam multos labores insumpserint viri docti, disputantes de JESU, & quis enarrare queat? qua de re sic ait Gillbertus Abbas dicens. *Tractatur IESVS in consiliis, disceptatur in judiciis, in scholis disputatur, cantatur in Ecclesiis.* Gillib. ser. 5. in Cant.

Ecclesiis, religiosa sunt hæc negotia: sed eandem præfatus Autor suam sententiam ita concludit dicens: *Tractetur, disceptetur super hoc nomine, nobis satis est, si in nobis adametur.* Qua in re, non minus acutè scribit S. Bernardus dicens. *Quid lucere festinas? nondum illud advenit tempus, in quo fulgebunt justi, sicut sol in regno Patris eorum: interim pernicioſus est iſte appetitus lucendi, fervere enim multo melius.* Ex quibus verbis S. Bernardi conjicimus, quod quamvis glorioſum sit, lumine scientiæ coruscare, nihilominus utilius est amore divino igneſcere. Felicior sanè eris, & securior, si ardeas, quam si luceas, si ames, quam si scias. Ille Diabolus Marci 1. c, habebat Jesu notitiam: cum enim venisset Jesus ad urbem Capharnaum, seque in Synagoga visendum præbuisset, subitò per humanæ vocis ministerium, nequissimus ille Diabolus, talem edidit clamorem: *Quid nobis & tibi Iesu Nazarene, venisti perdere nos, scio quisis, Sanctus Dei.* Audisne Diabolum gloriantem, quod sciat Jesū? quam plus saperet, si eum amare posset: quippe Jesus, non sic percipitur scientia, ut amore.

S. Bern. serm 3. in Isaiam

Marci 1. v. 24.

III Et qualem, quantamq; Jesu notitiam habuisse, S. P. Ignatium dixeris, qui totus ardebat amore Iesu? Sanè non infimus, sed inter primos, unus erat ex illis de quibus habetur Lucæ 12. *Lucernæ ardentes in manibus vestris.* Illud stupeo in S. viro Ignatio, quod cum arderet cum Seraphinis nec minus divinorum secretorum polleret scientia cum Cherubinis, nihilominus ignem istum effulgentem, simulque ardentem, sic abscondere noverat, suaque humilitate palliare sciverat, ut hinc eum fortissimo Israelitarum Duci Gedeoni meritò quivis compare queat. De illo habemus Judicum 7. Qualiter pugnaturus cum ingenti exercitu Madianitarum, dederit suis militibus lampades, astu in lagenis occultatas, quas cum confregissent, tubisque concrepassent, totum hostilem exercitum debellarunt & fugarunt. S. Ignatius pugnaturus cum Principe tenebrarum nempe Dæmone, plane idem fecit. Portans enim lucernam Evangelii in manibus suis, eam ad tempus occultavit, sed ubi oportunam tempus adfuit, lagenam confringendi, tam fulgentes brevi in totum mundum emisit radios qui totum exercitum Madian Diabolicum inquam hæreticorum agmen terrefacerent, totum verò mundum illuminarent. Fuit ergo Sanctus Ignatius occultissimus, sed & lucidissimus, fuit lucerna ardens, sed occulta lagenis, sese iis accommodans, de quibus Divus Petrus Chrysologus ait: *Vereportant lucernas suas, qui cum proposito suo latitant, meritis coruscant, at splendent in toto orbe terrarum.*

Lucæ 12. v 35.

Indic. 7. v 19.

D. Petrus Chrysolog

IV. Sed quid mirum, S. Ignatium latitasse, simul; prodi? Fuit quasi ignis effulgnes & thus ardens in igne. Projice thus, & absconde in vivis carbonibus, ita latanter ut nullus id videat. Quid tum? cum ipsomet suffitu odorifero prodatur. Talis erat S. Ignatius, cujus virtutes singulas si expendamus, ita se in illis exercebat, ut ad evitandum inanis gloriæ fucum, oculos aliorum devitare studuerit. Pro exemplo sit mihi una illius oratio: numquid illam aris proximus, cervice erecta, uti quondam Pharisæus faciebat? minimè verò quin memor illius verbi Christi Jesu, *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum*, sæpe sæpius sponso suo Christo, secretum cubiculum in corde suo faciebat, & cum ipso solo, per pias meditationes, & soliloquia dulcissime conferebat. Quod si & illud addidero, ipsum S. Stephani Protomartyris impressa in corde suo gestasse vestigia, cui nihil magis cordi fuit, quam orare pro suis adversariis, vel hinc proxime accedit ad naturam thuris de qua Rabanus ita ait. *Licet thuris odor per se bene oleat, appositus tamen igni fortius redolet, sic & oratio pura, licet per se Deo sit grata, tamen si adhibito igne passionum, in dilectione perseveraverit, eorum oculis Domini magis grata redolebit.*

Matt. 6. v. 6.

Rabanus.

V. Pensemus amplius, occultam S. Ignatii pulchritudinem. Pius ille Booz libri Ruth c. 4. videns in porta civitatis præterire propinquum viri præmortui Ruth Moabitidis, dixit ad eum. *Ruth Moabitidem, qua uxor defuncti fuit, debes accipere, ut suscites nomen propinqui tui in hæreditate sua.* At ille respondit dicens. *Cede juri propinquitatis, neque enim posteritatem familiæ meæ delere debeo* Ea lex erat filiis Israelis, ut qui propinquior esset in consanguinitate, etiam propinquior esset in hæreditate: unde ille propinquus mariti Ruth Moabitidis, volebat hæreditare post ipsum. At cum audisset illud, quod si vellet emere agrum ab illa muliere vidua, etiam ipsam accipere deberet in uxorem, ille id audiens, magisque studens, proprio quam alieno nomi-

Ruth. 4.

nomini propagando, juri propinquitatis suæ cessit. At Booz fecit contrarium ut enim legi satisfaceret, proprium nomen suum occultavit, & accapta Ruth in uxorem, nomen propinqui sui suscitare proposuit. Sed quid fit? audite S. Damianum dicentem. *Illius qui suam post se memoriam anhelabat relinquere, ne nomen quidem agnoscitur, hic autem non solum in patrum, sed & Patriarcharum catalogo cum gloria numeratur.* Sic plane fecit S. Ignatius, dum jactare vellet, fundamentum suæ familiæ, proprii oblitus nominis, non à se sed à solo Jesu nomine insignia ejusdem habere voluit, non ob aliud, nisi ut facta sua illustria, augustissimo Jesu nomini adscripta, in nullo referrent Ignatium, sed sicut Booz se occultans, factus est pater Regum, ita & S. Ignatius, dum proprio nomine occultato ex solo Jesu nomine promoveri cupit mox eo ipso, *quasi ignis fulgens, & thus ardens in igne,* virtutum suarum odorem diffudit ubique, ut jam nunc, nulla sit terra, nulla regio, in qua nomen tanti patris non refulgeat, & meritò, quia illud hæreditavit à Jesu Salvatore nostro, qui est benedictus in secula, Amen.

Petrus Damian. Ep. 97.

IN FESTO S. IGNATII
Confessoris,
CONCIO II.

Purgabit filios Levi, & colabit eos quasi aurum.
Malach. 3. v. 3.

INter multas proprietates ignis, ea quoque est natura ejus, quod si in ipsum injiciatur aurum, vel argentum sive quodlibet aliud metallum, si aurum est probatur, si aliquid aliud excoquitur & purgatur. Hinc præcepit Dominus per Moysen dicens. *Aurum, & argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & stannum, & omne quod potest transire per flammas igne purgabitur.* Per omnia hæc metalla, sed potissime per aurum, genus humanum potest intelligi: sicuti enim auro nihil est pretiosius, ita & homine nihil excellentius: quia *creavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam.* Sed quia per originale peccatum scoriam contraxerat, & plurimis quoque aliis inquinatur, ideo indiget igne ut purgetur. Testimonium hujus habemus, pluribus in locis. Primo Proverb. 27. *Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, sic probatur homo* Idem Sap 3. *Tanquam aurum in fornace, probavit electos Dominus.* Et tandem apud Malachiam dicitur. *Purgabit filios Levi, & colabit eos quasi aurum.* Inter tot Sanctos, qui post Christum Jesum, de quo S. Paulus ait, *purgationem peccatorum faciens,* mentes hominum verbo veritatis, quod S. David vocat *Ignitum eloquium* nec non exemplo vitæ suæ probatissimo perpurgarunt, & ad normam auri mundissimi reduxerunt, invenio unum Patriacham celebrem S. Ignatium, Societatis Jesu Fundatorem. Qui ignis hujus purgativi, qualiter officium fuerit executus, in hac concione demonstrabo.

Num. 31. v. 22.

Gen. 1. v. 24.

Prov. 27. v. 21.

Sap. 3. v. 6.

Hebr. 1. v. 3.

Psal. 118. v. 100.

I. Legimus Josue c. 7. Quod cum Princeps iste, & Dux totius exercitus Israelis, expugnatis antea tot fortissimis urbibus, unum oppidum Hai expugnare non posset, quidnam causæ fuerit consuluit Dominum, qui respondit ei. *Anathema in medio tui est Israel, non poteris stare coram hostibus tuis, donec deleatur ex te, qui contaminatus est hoc scelere.* Scelus autem tale fuit. Inter filios Israelis, erat unus Achan, qui in expugnatione urbis Jericho, quam Deus cum rebus omnibus delere, nec aliquid de spoliis sumere præceperat, videns inter spolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos siclos argenti, nec non regulam auream, quinquaginta siclorum, ea inquam concupiscens, contra mandatum Domini abstuletat, ob quam rem, toti exercitui Deus offensus erat. At Josue ut Dominum placare posset, consuluit ipsum, qualiter hoc peccatum expiari deberet? qui respondit. *Quicunq; ille in hoc facinore fuerit deprehensus, comburetur igne cum omni substantia sua.* Quid po-

Josue 7. v. 13.

ſtea ſecutum fuit? Achan ſceleris hujus reum, juſſit Joſue lapidari, ea verò quæ abſtulerat, igne comburi. Nam ſic habet ſacer textus. *Lapidavitq; eum omnis Iſrael, & cuncta quæ illius erant, igne conſumpta ſunt.* Hic ergo, invenio ego unam rem admiratione dignam. Quid eſt hoc quod fecit Joſue? Dominus clariſſimis verbis ei præceperat, ut Achan combureret ipſe vero mandavit eum lapidari. Quando aliqua ſententia fertur in reum, ſi eum morte condemnari contingat, eadem quæ illi legetur, niſi mitigetur, per judicem puniri debet. Cur igitur Joſue tale præceptum Domini præterivit? Reſpondet ad id S. Auguſtin in ſuis commentariis dicens: *Cum propter Dei verba, & factum Ieſu, à quo prævaricari illa verba non poſſent, rectiſſimè dicitur, etiam lapidationem ignem fuiſſe, eleganter agnoſcitur, illa pœna hominem, ne in poſterum pro peccato ſuo interiret fuiſſe purgatũ.* D. Augu. Ex quibus verbis S. Doctoris intelligitur, omne id per ignem ſignificari poſſe, per quod homo, à peccatis ſuis purgari poteſt

II. In hoc ſenſu S. David ait. *Igne me examinaſti.* Pſal. 16 v. 3. Non legimus S. David, tribulationem aliquam per ignem pertuliſſe, ut eodem vexaretur, ſicut tres illi pueri, à Rege Babylonis, in caminum ignis projecti, aut ut per ignem, bonorum ſuorum jacturam àliquam pateretur. ſicuti S. ille Job Patriarcha, de quo dicitur, quod cum ſui ſervi paſcerent oves, *Ignis Dei cecidit de cœlo, & tactas oves, pueroſque conſumpſit.* Iob. 1. v. 16. Quomodo igitur verum erit quod ait, *Igne me examinaſti.* Venerabilis Hug. Car Hugo Cardinalis, ſcribens in hunc locum, reſpondet, per ignem hic intelligi, injurias, & perſecutiones malefactorum, qui Davidem affligebant. Et adducit idem Autor. hujus ſenſus ſui teſtimonium, ex illo loco Eccleſiaſtici. *In dolore ſuſtine, & in humilitate tua, patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis.* Eccl. 2. v. 4. Mirabatur quondam S. Auguſtinus cur Joſeph, poſtquam electus fuit in Vice-Regem Ægypti, & à Pharaone exaltatus, id patri ſuo denunciandum diu diſtulit, & per longum tempus tacuit. Jacob enim cum domo ſua, non tam citò frumenta in tot plauſtris ſibi miſſa, ſed poſt aliquod tempus (uti patet ex hiſtoria) conſumpſerat: interea tamen temporis nihil de ſe ipſo patri ſignificare voluit? an ignorabat, in mœrore fuiſſe conſtitutum? aut forte ipſemet tam inhumanus erat in parentem? Itaq; S. Doctor explicans mentem S. Joſeph, ſic ait. *Vt S. Iacob velut aurum purgatum in futuro judicio præſervaret.* S. Augu. ſerm. 123. in Gen. 43. Hinc patet, cum aurum non aliter purgetur, quam per ignem, omnem tribulationem atque tentationem ſignificari per ignem.

III. Ejuſdem veritatis aliud argumentum habeo Exodi 3. Ubi deſcribitur prima Dei apparitio, de qua ſic ait ſacer textus; *Apparuit ei Dominus in flamma ignis, in medio rubi.* Exod. 3. v. 2. S. Patriarcha Moyſes, advertens talem viſionem, quod rubus arderet, & non comburreretur, non parvam ex ea admirationem concepit. Sed quid Dominus? *Vidi* (inquit) *afflictionem populi mei in Ægypto* ibid. Figura ignis, in qua Deus Moyſi apparuerat, nempe flamma in medio rubi, ardebat, & non conſumebatur, pulchrè quadratcum verbis ejuſdem, dicentis. *Vidi afflictionem populi mei*: ac ſi ille ignis, tribulationem, & dolorem populi Judaici, repræſentaret. Unde Hugo Cardinalis adductis primo multis explicationibus ejuſdem rubi incombuſti, Hugo in Exodum. eam quoque addidit dicens: *Rubus incombuſtus*, eſt Eccleſia probata vel turbata tribulatione, non conſumpta.

IV Feliciſſima proles hujus taliſque Eccleſiæ, nempe turbatæ, ſed non conſumptæ fuit S. Ignatius Lojola: ille inquam apparuit mundo, ſicut ignis rubi ardentis, ſed non conſumpti. Hic enim natus Cantabriæ, cum multo tempore militiam coleret, armaq; pertractaret intuens Dominus aurum in fornace, nempe animam in corpore humano, ad viam ſpiritualem capeſſendam, benè diſpoſitam, miſit ignẽ in aurum, nempe hunc, quem ſervare volebat in anima, permiſit tentari in carne. Cum enim in conflictu, læſionem cruris incurriſſet, mox intelligens, ſe per hunc caſum, à militia mundana, vocari ad divinam, divini amoris igne ſuccenſus, lanceas militares, in falces quibus ſpirituales fructus meteret, & gladios in vomeres convertit, ſeque totum addixit pro milite Chriſti, à quo meliora ſtipendia eſſet accepturus. Et quia ab igne ſortitus erat nomen Ignatii? non ſine myſterio, ab eodem igne vocationem ſuam inchoavit. S. Hilarius Epiſcopus Pictavienſis, multis extollit laudibus S. Jacob Patriarcham, quod dum fortiſſimè & ſatis diu luctatus fuiſſet cum Angelo, in eadem lucta, licet in fœmore percuſſus fuerit, S. Hilari. Gen 32. v. 24.

fuerit, ſummam tamen victoriam & nominis claritatem obtinuerit, non enim ille ab Angelo dimitti petiit, ſed potius Angelus veniam poſtulavit, quatenus ipſum dimitteret. Eodem planè modo, & ego de S. Ignatio dixerim: ille etenim, qui antea luctatorem Jacob in bellis, & militia exprimebat, tandem poſt læſionem cruris ſui, mutatus in Iſraelem, & factus familiæ ſuæ Patriarcha, tam magnum in Eccleſia Chriſti profectum fecit, ut jam nulla ſit terræ portio, in qua claritas ſui nominis, vitæque ſuæ ſanctitas non prædicetur.

V. Sed quid mirum; vulgo dicitur, *ex parva ſcintilla, magnum excitari incendium.* Eſto: ſed non tam cito. S. Ignatius ignis erat, & non ſcintilla, ſi opponatur flamma, alicui ſtuppæ, vel etiam ædificio, facile, & ſine mora diffunditur, idque propter maximam ignis efficaciam. Non eſt igitur mirum, ignem S. Ignatii non per unam domum, vel civitatem, ſed per totam Europam, Lybiam, Æthiopiam, Indiam, quin ut uno verbo abſolvam, per totum mundum, terminos ſuos dilataſſe: non alio ſane fine, niſi ut per ipſum, purgaretur totus orbis. Dicunt naturales, dari ignem, qui etiam in aquis ardeat, numquid parva ignis efficacia, cum ignis & aqua ſint contraria? unumque ab alio deſtruatur? id ego vobis hoc exemplo demonſtrabo. Tempore Sancti Ignatii erat quidam homo lubricus, & carnis peccato mirum in modum deditus, quem cum toties ad ſanam mentem revocare conaretur, ſed totum ſine fructu eſſet, tandem nocte media hiemali bruma, eundem videns, ad locum illum laſciviæ; ablatis confeſtim veſtibus, nudus in gelidum lacum proſilivit, eumque manu & voce evocans ait. *Ecce quanto gelu, ignem tuam laſciviam caſtigo in me.* Sancte Ignati, ignis es, & audes tuas flammas aquis committere? non elementarem, ſed illum ignem perſeferebat Sanctus Pater Ignatius de quo dicitur Cant. 8. *Aqua multæ, non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Cant. 8. v. 7. Quia ergo talis erat ignis Sancti Ignatii, non poterat illis aquis extingui, quinimo arſit in illis in tantum, ut etiam hominem illum accenderit. Stupefactus enim tale Sancti factum, reſolutus in lachrymas, egit pœnitentiam, viam tam perverſam ac lubricam ad tam horrendum ſcelus perpetran, dum deſeruit, puramque ab omni in poſterum labe vitam inſtituit. O Ignati verè ignis conflans, & emundans argentum, quanto uſus fuiſti artificio in convertendo peccatore. Ut ignis purget vitioſam auri ſeu argenti materiam, primo crebris juvatur aquarum aſperſionibus: idem planè fecit S. Ignatius, antequam enim venit ad ignem hujus argenti purgativum, prius illud in ſuo balneo bene lavit & purgavit. Quando arca teſtamenti intravit Jordanem, teſte Pſalmiſta: *Jordanis converſus eſt retrorſum.* Pſal. 113. v. 3. Quod ponderans S. Ambroſius ita ait. *Ante retrorſum aquæ converſæ fuerunt, modo retrorſum peccata converſa ſunt.* S. Ambr. Hoc plane patuit in lacu Ignatii, licet enim non aquæ, tamen peccatum laſcivi, in eo converſum fuit, & retrorſum abiit, merito ergo de S. Ignatio dici poteſt. *Purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi ignis.* Laudemus ergo Auditores Deum in Sanctis ejus. S. Ignatii ignem charitatis ferventer imitemur, ut tanquã aurum, purgati à ſcoria peccatorum, mereamur Chriſti gratiam, & vitam ſempiternam. Amen.

Simen. Majolus.

IN FESTO S. IGNATII
Confeſſoris,
CONCIO IV.

Manus tua fortis, & brachium tuum extentum ubique 3. Reg. 8. v. 41.

QUanto homines ferantur appetitu in honorem & excellentiam ſui nominis patet ex eo, quod Magnates hujus mundi, uti ſunt Imperatores, Reges, & Principes, licet ex ſe ipſis, parum aliquid efficere valeant, (quia ſi aliquid magni moliri velint, uti ſubigere ſibi terras, & populos, ad id egent auro, & theſauris, conſiliariis, exercitu numeroſo, cæteriſque mediis) nihilominus dum rem ſuam ad finem perducunt, ſibi ipſis gloriam haberi volunt. Jacob Dux exercitus Iſraelis, id bene noverat, cum enim oppugnaret civitatẽ Rabaath, 2. Reg. 12. v. 29.

quæ

quæ erat præsidium filiorum Ammon, eamque jam expugnare deberet, misit nuncium ad Regem David ei significans, urbem brevi capiendam, unde ut congregata reliqua populi multitudine, eam obsideret, & caperet. Cur Joab sciens civitatem à se ipso capi posse talia Regi nunciavit? patet ratio ex verbis dicentis. *Ne cum à me vastata fuerit urbs, nomini meo adscribatur victoria.* Alia via procedit Deus, qui cum sit potentissimus, & invictissimus totius universi Imperator, solusque & absque ullius ope, totum mundum gubernet, & in eo tot mirabilia operetur, juxta id quod ait Rex Salomon; *Manus tua fortis, & brachium tuum extentum ubique.* Nihilominus tam est liberalis, & omnibus favorabilis, ut etiam homines, alias debiles & fragiles, non solum in societatem operum magnalium, sed etiam honoris sui admittere dignetur. Quid infirmius Abrahamo dicente. *Loquar ad Dominum, cum sim pulvis & cinis*? & quid deinde illo fortius, dum ad unicam jussionem Dei, proprium, unicumque filium suum Isaac, jugulare, & immolare nitebatur. Grande sanè fuit opus illud Abraham. Sed numquid Deus qui ipsum reddidit fortem, suamq; manum extendit ad filium feriendum, eidem denegavit honorē? minimè verò: nam cur illum præcepit numerare stellas dicens. *Numera stellas cœli.* Sanè non ob aliud, nisi ut eipræmonstraret, quod Pater multarum gentium futurus esset. SS. Patres novæ legis, non absimiles Abrahamo extitere. Quot enim Patriarchas Christiana Ecclesia colit, qui multorum Ordinum, eorumque filiorum illustrium patres extitere? Nolo enumerare primos sed cum Evangelico illo patrefamilias, incipiam à novissimis, inter quos occurrit mihi S. Ignatius Lojola, Pater & Fundator Societatis Jesu. Hunc certè suscitavit Deus, non absimilem Abrahamo. Quantum enim in Ecclesia Christi Jesu manu sua forti extentoque brachio suo valuerit, & quantum valeat, quis enarrare potest. Pauca à me dicente accipite.

Gen. 18. *v.* 28.

Gen. 22. *v.* 10.

Gen. 15. *v* 5.

I, Egregius Ecclesiæ Doct. ac Lumen S. Ambro. considerans totam dispositionem humani corporis, ejusdemque partium seu membrorum ordinem, numero, locoque primo, caput constituit, quod cum arcis cujusdam altissimæ vices gerat, & ob id custodibus suis summo robore pollentibus egeat, duo brachia, nempe dextrum & sinistrum, eidem arci id est capiti propinquiora ponit, non aliam sanè ob causam, nisi ut tale præsidium, custodiæ suæ demandatum, omni ex parte tueantur, eique omni tempore, obsequinm suum præstent: hac de re pulchre scribit prætactus Autor libro de arca Noe, in hæc verba. *Capiti nostro proxima, dextra, levaq; brachia sunt, qua arcem imperialem, tanquam firma tuentium custodia, & hac in nobis validiora, quo propinquiora capiti.* Per arcem humani capitis, Ecclesia S. designatur, sicuti enim arx in editiori loco extrui solet, & quemadmodum humanum caput, cæteris sui corporis partibus præeminet, sic etiam Ecclesia Christi Domini, in altissima rupe, ab eodem est ædificata juxta illud S. Matthæi 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram, ædificabo Ecclesiam meam.* Item, sicuti absque capite, cætera membra deficiunt, suaque vitâ privantur, ita Christi fideles, qui sunt membra Ecclesiæ S. si ab illa elongentur, & separentur, spiritualiter vivere non possunt. Sicuti enim tempore generalis diluvii omnes perierunt exceptis his, qui ad arcam, quæ typus est Ecclesiæ confugerant, ita quicunque sunt extra Christi Jesu Ecclesiam, nullam salutem sibi spondeant, quia sunt in præsentissimo mortis periculo. Testem habeo hujus dicti, S. Gaudentium, qui sic ait. *Periisse constat in illo diluvio, omnes ipsius temporis homines, præter eos, qui intra arcam, qua typum gerebat Ecclesia, reperiri meruerunt. Nam similiter, etiam nunc, salvi esse non poterunt, qui ab Ecclesia Catholica fuerint alieni.*

S. Ambr. de Arca Noe. c. 7.

Matt. 16. *v.* 18.

S. Gaud. serm. 1.

II. Nec mirum, quod à Christi fidelibus, in Ecclesia Catholica salus vera inveniatur, quandoquidem Dominus Deus, sua illi supponat brachia, dum ei peculiari sua curâ & providentiâ, semper præsens adest. Autor quidam ex recentioribus acutissimè ponderat, quomodo hæc duo verba, nempe *Dominus, & Deus*, inter sese hebeant, & concludit dicens; quod hoc tamen Deus, indifferenter extendatur ad omnes res creatas, sed hoc nomen Dominus, in tantū illorū, qui intra septa Ecclesiæ vitali fruuntur arbore. Et hæc sententia probatur autoritate D. Anastasii dicentis. *Discas quod Ecclesia est proprius Dominus & Deus & non similiter eorum, qui sunt extra Ecclesiam. Nam hominum quidem, qui sunt extra, Deus est hoc est spectator. Ecclesia autem Deus est, & spectator, & Dominus ei Dominans ejusque curam gerens.* Deum habent cunctæ creaturæ suorum

Bezal. 11. *c.* 4. *Ascerismo* 12.

D. Anast. l. 7, *exam.*

factorum inspectatorem, qui autem inter Ecclesiæ septa sunt, Dominum habent, qui de ipsis particularem habet curam, cujus protectione muniuntur, cujus nutu gubernantur. Bene id agnoverat D Petrus Apostolus, hic enim dum instigatur a Christo, ut in altum duceret, & retia sua laxaret, quid respondet? *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus*: porro dum obediens verbo suo, aspicit rete suum plenum piscibus, quid jam ait? *Exi à me Domine.* Quid hoc sibi vult? primò vocavit Christum præceptorem, jam verò secunda vice, Dominum vocat: nempe tunc, quando videt tantam piscium copiam, ut illius rete rumperetur iisque ambæ naviculæ replerentur, tunc inquam agnovit, & vocavit Dominum. Licet enim Dominus Deus, omnium Deus sit, illorum tamen proprie Dominus est, quos intra Petri navim, hoc est intra Ecclesiæ suæ septa, peculiari cura pascit, ac gubernat. Hinc patet, cum Dominus Jesus Christus, curam Ecclesiæ suæ habeat, eamque brachiis suis teneat, ne labatur, nullum fidelium de salute sua dubitare debere.

Luc. 5. v. 5.

III. Sed ô summam bonitatem Dei, cui cum ad sustinendam Ecclesiam suam, brachia sint fortissima, eamque per semetipsum gubernare valeat, nihilominus ad communionem hujus sui officii, fideles servos suos dignatus est admittere, inter quos primus occurrit S. Petrus Apostolus, cui Ecclesiam suam regendam commendavit. Post ipsum, quantum numerum sanctorum Patrum, diversorumque Ordinum Fundatorum habebis, qui Apostolici muneris, labore suscepto, sanctam Christi Ecclesiam, novi illi mundi Atlantes, brachiis suis sustentarunt. prodeat hic in medium forte illud Ecclesiæ brachium S. Augustinus, cum cæteris columnis ac Doctoribus Ecclesiæ, cur columnæ ejusdã appellantur? nisi quod in ipsorum brachiis, tanquam in columnis sustenterur? Taceo S. Benedictum qui per totum Europam, S. Norbertum, qui totam Saxoniam aliasque partes mundi, taceo demum reliquos, qui per tot regna & provincias, brachia sua extendentes, sanctam matrem Ecclesiam sustentarunt. Sed non possum præterire SS. Patriarchas Dominicum & Franciscum, quorũ uterq; ab Innocentio III. collabentem Basilicam Lateranensem suis humeris sustentare visus fuit. Non erat vana visio, hic enim unus & alter Ordo, tanquam duo extenta brachia, quantum Ecclesiæ catholicæ profuerint, cum id summi Pontifices fateantur, nemo est, qui negare queat.

Ex S. Ant. & Rom. Brev.

IV. Tandem hoc posteriori sæculo prodiit S. Pater Ignatius, Fundator Societatis Jesu: prodiit tunc, quando Lutherus Ecclesiam S. Catholicam prosternere conabatur. At S. Pater unâ cum suis filiis, brachiorum munus, tanto fortius ostendebat, seq; ad Ecclesiam defendendam disponebat, quo acrius hostiles ictus in ipsam sæviebant: rationabiliter sane ea tunc brachia in Ecclesia orta sunt, cum enim Lutherus in Pontificem Romanum desæviret, & eum clavibus ipsi ab Apostolorum Principe Petro traditis privare, omnes sacras ac pias Ceremonias in Ecclesia DEI sua perversa vivendi ratione tollere conaretur, brachiorũ munus erat, ictũ in caput contortum retundere, & caput integrũ custodire. Quod quia felici successu inchoatum, hucusq; perseverat, id ne mirere Dulcissimi sponsi, hæc erat vox ad sponsam. *Pone me ut signaculum super brachium tuum.* Signaculum brachii, sanctæ hujus societatis, est nomen Jesus. Si ergo sic insigniti, sua brachia elevant, ad tutandam Ecclesiam Christi: non mirum est, quod tam multum proficiant. Si enim David inermis, eo ipso prostravit Goliat in funda & lapide, quia ut ait Chrysostomus. *Prius dixerat; tu venis in Diis tuis, ego autẽ venio ad te in nomine Domini*: eodem modo & hæc societas, cum brachiis suis signatis Jesu nomine occurrat insultibus hæresum, & Ecclesiam Sanctam tueatur, non possunt non esse felices ejusmodi successus, sic enim D. Bernardus ait. *Habes jam unde brachio medearis, habes inquam in nomine Iesu.*

Cant. 8. v. 6.

S. Chryso. Hom. de David.

S. Berna. in Cant.

V. Antiqua illa Roma, habebat suis temporibus brachia illa validissima, & robustissima, quibus Romani Imperii caput custodiebatur, etenim qui ab Imperatoris custodia erant, milites brachiati cognominabantur, quibus insigne fuit, Mercurii virga, nempe Caduceus pacifer. Sic Christiana Roma, quamvis multos habeat milites brachiatos, qui ipsam summa tuentur custodia, qui pacificam Evangelii virgam, per diversas orbis partes deferunt, qui fidem Jesu Christi ubique prædicant, postquam tamen erupit hæc Jesu Societas, visa jam est subiisse vices illorum

Exod. 17. *v.6.* illorum Seniorum in monte, manus Moysis lassas sustentantium, quo facto fugavit Josue Amalech & populum ejus. Nusquam Josue in pugna felicior, quam cum manus Moysis sustentantur, illc enim lapis, qui manibus suis erat suppositus, Christum designabat, à quo omnis fortitudo, virtusque promanat. Qua de re pulchre ait Lipomanus. *Petra qua Moysi fatigato supponitur, Christus est, is nostra fortitudo, & soliditas est, quo confortante. omnia possumus.* Si igitur de Jesu omnis est fortitudo, non est mirum, hunc Jesum in filiis suis, lassas Ecclesiæ manus sustentare, & sic Josue victoriam de hoste reportare. Sed quis hic imaginetur sibi aliquam notam invidiæ? Moyses dum judicaret populum à mane usque ad vesperam, videns id cognatus ejus ait, *Non bonum est quod facis, stulto labore consumeris sed audi verba mea.* Et sic ut breviter dicam, dedit Moysi consilium, ut inter Seniores, qui minora judicarent, onus suum partiretur: obedit Moyses, & feliter rexit populum. An non felicius jam nunc regitur Sancta Ecclesia? an non melius stabilitur; an non fortius munitur? ita sanè. *Funiculus enim triplex difficile rumpitur.* Cum ergo videamus è societate Jesu, tantum ac validum robur accessisse Ecclesiæ, laudemus hinc divinam potentiam, eamq; tali elogio celebremus. *Manus tua fortis, & brachium tuum extentum ubique.* Amen.

Lipom. in Cat.

Exod. 18. *v.*18.

Eccl. 4. *v.*28.

IN FESTO S. PHILIPPPI NERII Confessoris, Congregationis Oratorii Fundatoris,

CONCIO I.

Domus mea, Domus Orationis vocabitur. Isaiæ 56. v. 7.

OCcurrente mihi hodiernâ celebritate, annuæ memoriæ S. Philippi Nerri Confessoris, nec non almæ Congregationis Oratorii Fundatoris, non possum non lætari Auditores præstantissimi. Cum enim S. Paulus Apostolus, scribens ab urbe Roma secundam Epistolam ad Timotheum; in ea, quid novissimis temporibus futurum sit, his verbis expresserit. *Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines se ipsos amantes.* Quibus verbis, uti censet D. Chrysostomus, *non diebus detrahit vel temporibus, sed hominibus*: iis inquam, qui futuri erant se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, aliisque vitiis irretiti. Nihilominus, nos adhuc in hac ætate novissima commorantes, videmus elucere summam Dei bonitatem, quia sicut anno ducentesimo post millesimum Romanæ Ecclesiæ collabenti (uti Innocentio Pontifici summo in visione ostensum fuerat) brachia sanctorum Patriarcharum Dominici, & Francisci supposuerat, qui illam sustentarent, ita quoque hoc jam posteriori nempe quinto seculo & ultra, insignem de novo suscitavit virum. Sanctum inquam Philippum Nerium, Florentiæ ex honestis parentibus natum, qui studiorum causa Romam veniens, jactisque ibidem tot sacrarum virtutum fundamentis, nempe castitatis, abstinentiæ, vigiliarum, nec non contemplationis rerum cœlestium, tandem ex obedientia sacerdos factus, sitiens salutem animarum fidelium, & in confessionibus audiendis, ad extremum usque diem perseverans, innumeros pene filios, quos Christo peperit, etiam verbi Dei quotidiano pabulo, sacramentorum frequentia, orationis assiduitate, aliisque piis exercitiis enutriri cupiens, oratorii congregationem instituit. Sed ad quem finem? in hac concione, unâ cum quibusdam Sancti Philippi laudibus audiemus.

2. ad Tim 3. v.1. S. Chryso.

I, Dum ego Auditores mei, incipio investigare finem, ad quem Sanctus Philippus Nerius congregationem Oratorii instituerit, id mihi accidere video, quod cuidam casu evenire posset, qui dum quærit parvum nummum, præter suam opinionem invenit thesau-

thesaurum: nam & ego, dum hujus sacri instituti causam quæro, maximas in hoc ipso laudes S. Philippi Fundatoris Oratorii invenio. Sed quales? De Oratione ita discurrit S. Pater & Doctor Ecclesiæ, Joannes Chrysostomus dicens. *Quantum sit hominem loqui cum Deo, ut ignorat nullus, ita & commendare sermone, ejus dignitatem nullus potest.* Verissima hæc est S. Doctoris sententia, multis enim argumentis probari potest. Primò Quia si orare est loqui cum Deo, tunc jam oratio magnificentiam superabit Angelorum. Nam quid sibi vult illa Prophetia Isaiæ 6. cap. ubi ait se vidisse duos Seraphinos stantes ante Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum, & duabus alis velantes faciem ejus, duabus verò aliis pedes ejus, & duabus volantes? Sanctus Hieronymus explicans istum locum sacri textus per sex alas illorum spirituum cœlestium, intelligit sex dies creationis huius mundi, quod ergo faciem duabus alis velaverint, & aliis duabus pedes ejus, in hoc tale mysterium latere ait. *Quia & præterita ante mundum, & futura post mundum sciri non possumus, sed media tantum quæ in sex diebus facta sunt, contemplamur.* Nicolaus à Lyra per alas quibus velabant faciem suam intelligit contemplationem divinorum quæ sunt supra naturam Angelicam, per alias vero duas protensas ad pedes, cognitionem eorum quæ sunt inferiora Angelis, & per duas medias ad volandum extentas, cognitionem Angelicæ naturæ. At Sanctus Chrysostomus per illud velamen Angelorum intelligit, laudes & obsequia Angelorum, quæ exhibent Deo (faciem pedesque obtegentes) cum multo timore & reverentia. Hinc ait Sanctus Doctor. *Eo facto erudiri opinor & nos ut obliviscamur humanæ naturæ, tempore precationis, alacritate simul, & timore correpti; nihilque præsentium videamus, sed nos stare in medio Angelorum, & eundem quem illi cultum perficere existimemus.* Ecce quanta orationis excellentia? Quod concernit naturam hominis, multum differt ab Angelica, homo enim est corporeus, Angelus autem est substantia spiritualis, homo non potest quidquam intelligere sine phantasmate, Angelicus vero intellectus abstructus est ab omni phantasmate sed unum est in quo homines convenire possunt cum Angelis. Quidnam illud? respondet idem Sanctus Chrysostomus dicens. *Oratio commune opus est, & Angelorum & hominum, & nihil in utraque natura differens.* Si pro excellentia orationis plura habere vellem argumenta, millena invenirem: sed jam nec Angelorum commercio indigeo nec magnalibus Moysis & Eliæ, per orationem factis: cùm sciamus Christum Dominum (qui juxta D. Paulum ad Hebræos, *tantò melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit*: item ab eodem S. Apostolo, *Amplioris gloriæ præ Moyse dignus habitus est*,) multi orationem æstimasse: uti enim ait Cæsarius Arelatensis, Christum orantem considerans: non ille quidquam indigeat, orabat misericordia & non miseria, orabat charitas, & non iniquitas, orabat medicus & non ægrotus, orabat judex & non reus, sed id fecit ideo, ut nobis orationis excellentiam commendaret. Hinc sequitur; cum oratio sit tantæ præstantiæ, quam non solum Angeli, sed neque filius Dei detrectavit, oratio quoque sive loca in quibus offertur Deo, multum quoque æstimari debere. Sanctum autem Philippum Nerium tanquam hujus instituti fundatorem summo præconio laudum, dignum esse.

II. Diceret forte aliquis propter orationem faciendam, non requiri oratoria, sed eam in omni loco posse fieri, ubi tandem requirit necessitas. Ita sanè: quia populus Israelis, exæstuans in deserto carnium desiderio, eas ibidem postulavit & à Deo obtinuit. Elisæus Propheta pro filio Suamitidis mulieris mortuo, ut eum rursus Dominus ad vitam revocaret, oravit in cubiculo domus suæ, Azarias cum sociis stans in medio fornacis, in quam jussu Regis Nabuchodonozor conjectus fuerat, ibique orans, unâ cum sociis liberatus est. Susanna, circumventa dolo, & minis Seniorum populi Israëlis, dum sola esset in horto domus suæ, recurrit ad orationis suffragium, videnque se morti adjudicatam, atque omne humanum sibi deesse consilium, nihilominus sola vi orationis suæ à periculo mortis fuit liberata. Manasses Judæorum Rex, Babylonem captivus ductus, in carceribus Deum quem offenderat, ardentissimis precibus invocavit, & exauditus est, atque in regnum suum restitutus. S. Petrus Apostolus in superiora domus ascendit ut oraret hora sexta. Et deinde S. Paulus Apostolus, & Doctor genti-

S. Chryso. ser. de Orat. 2.

Isaiæ 6. v. 1.

S. Hiero. ibidem.

Lyran. hic.

S. Chryso. ibidem.

Hebr. 1. 3. v. 4.

D. Cæsar. Arelat.

Num. 11. v. 21.

4. Reg. 4. v. 37.

Daniel. 3. 2. 5.

Daniel. 13. v. 44.

2. Paral. 33. v. 13.

Actor. 12. v. 6.

1. Tim. 2. v. 8. gentium, hæc de oratione ordinavit: *Volo viros orare in omni loco.* Quorum verborum eam dat rationem S. Augustinus. Quod enim Judæis præceperit relinquere universam terram, & in uno loco offerre sacrificia, suaq; Deo vota reddere, id erat ideo quia tota terra, nidore fumoque pecorum quæ offerebantur à gentilibus plena erat. Nobis verò quia Christus adveniens totam terram suo sacro sanguine expiavit, ideo omnis locus oratorium factus est.

S. Augu. serm 130. de Cruce. Domini.

III. Sed contra id, habeo verba Isaiæ Prophetæ dicentis, *Domus mea domus orationis vocabitur*, quæ etiam Christus Dominus, (dum in templo illo Jerosolymorum vendentes columbas & ementes corripuisset) proferre dignatus est. Sciendum igitur est, illa verba S. Pauli dicentis, *volo viros orare in omni loco*, intelligi debere de oratione privata, quæ cum ita sit animæ necessaria, sicut cibus corpori, proinde uti hic ita & illa omni loco usurpanda. Cæterum quod attinet orationes publicas, illis quoque oratoria publica à Deo destinata esse constat. Inprimis mandavit Dominus erigi sibi tabernaculum, sic dicens ad Moysen: *Eriget tabernaculum juxta exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Cum Deus nullis egeat habitaculis, est enim ubique; ad quid præcepit Moysi ut construeret & erigeret tabernaculum? Si legeritis librum Exodi, Levitici, & Numeri, ibi in tot locis invenietis, in eo tabernaculo, Moysen, Dominum pro populo exorasse. Similiter Aaronem summum Sacerdotem, cæterosque succedentes, sacrificia Deo in eodem obtulisse, & pro salute populi exorasse, ipsum vero Israelem qui antea hinc inde vota sua Domino exolvebat, eumque precibus suis exorabat, postmodum ante illud tabernaculum convenire solitum fuisse & in illo per Sacerdotes Domini vota, precesque Deo obtulisse. Tandem successu temporis cum Rex Solomon, nobilissimam illam domum Domini sive templum Dei consummasset, & in ipso arcam Domini collocasset, hæc verba protulit. *Ergone putandum est quod Deus verè habitet super terram? si enim cœlum, & cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc quam ædificavi tibi?* Cum vero aliquis posset objicere Salomoni: cum hæc dicas, ad quid igitur domum illam tot erectam sumptibus, Domino Deo tuo dedicasti? Patenter respondet dicens. *Ut exaudias orationem, quam orat in loco isto ad te servus tuus, ut exaudias deprecationem servi tui, & populi tui Israel, quidcunq; oraverit in loco isto.*

Exod. 25. v. 9.

3. Reg. 8. v. 27.

V. Si in antiquo testamento grata erant Deo oratoria, quidni magis in novo? Id aperte S. Chrysostomus testatur dicens, orationem in templo fusam esse magis efficacem *Vbi tot Patres, ubi clamor felici societate excitus, ad Deum immortalem refertur. Est enim in illis concordia, conspiratio, copula amoris & charitatis.* Locus ipse Ecclesiæ, devotionem orandi excitat, tum propter præsentiam, Christi & Angelorum, tum propter Sanctos, quorum reliquiæ ibidem requiescunt, uti eorum memoriæ celebrantur, & deinque ipse cultus, ceremoniæ, ornatus, devotionem & fervorem in nobis provocnat. Unde si Moyses qui extruxit tabernaculum Domini; si Salomon qui domum Dei ædificavit; si Joas Rex & Josias, qui illam renovarunt, tot tantisque laudibus prædicantur, Sanctus Philippus Nerius quales quantasque promerebitur, qui instituta congregatione oratorii, quotquot viros in societatem illius accersebat, tot templa Deo extruebat, sic enim ait S. Chrysostomus. *Vides quantum valet oratio & deprecatio: Templa Christi homines facit.* Cujus quidem veritatis eam prædictus Sanctus Pater dat rationem. *Quia sicut auro & argento, gemmisque & marmore domus regia extruuntur, ita & oratione templa Christi ut inhabitet Christus in cordibus nostris.* Prudentissimus sane fuit Architectus sanctus inquam Philippus Nerius: sicuti enim Noe in prima constitutione mundi, arcam fecerat in qua homines à diluvio conservari possent, ita S. Philippus in hoc novissimo ejusdem mundi tempore extruxit oratorium, ut in ipso placantes iram Dei, ejusdem gratiam & postmodum gloriam assequi mereamur.

Chryso. de Orat. ser. 2.

Amen.

***

INFESTO S. PHILIPPI NERII Confessoris,

CONCIO II.

Dilatasti cubile tuum. Isaiæ. 57. v. 8.

THiriacam propinoex venenofactam, cum hæc verba ab Isaia Propheta mutuata, in laudes Sancti Philippi Nerii convertere cupio Auditores mei. Sicuti enim venena noxia sunt, nihilominus quibusdam admixta unguentis seu medicinis, beneque temperata, redduntur hominibus salutaria, ita etiam quædam loca sacræ scripturæ, quamvis ad speciem cujusdam veneni in deteriorem partem interdum accipi soleant, nihilominus bene ordinata speciē thiriacæ non solum salutaris sed etiam laudatissimæ referunt. Videmus id in his verbis Sancti Prophetæ dicentis; *Dilatasti cubile tuum*: quæ si ad intentionem ejusdem, juxta sensum Sancti Hieronymi explicare voluerimus. Sancto Philippo Nerio non laudis, sed potius ignominiæ causarent materiam: Siquidem de gente Israelis intelliguntur, quæ tunc dilatavit cubile suum, dum recedens à cultu veri Dei, & amore sceleratocomplexa idola gentilium, per omnes fines terræ idololatriam gentilium dilatavit. At ego jam ex taliveneno compono thiriacam probatissimam, aliud enim ego hic casti inquā amoris cubile conspicio, quod quia Sancto Philippo casto amasioDomini, angustum erat debuit ab eodemdilatari. Puto vos sensum hujus narrationis meæ nec dum percipere. Quid velim, jam depromam: vos attendite.

S. Hieron. in Isaiam Proph.

I. Qui legit sacras scripturas antiqui vel noviTestamenti, id inveniet, quod cubilia in quibus solemus requiescere, aliquando in malam interdum vero in bonam partem accipi soleant & etiam nonnulloshomines inveniri, qui ex ab usu cubilium vituperium, aliqui vero ex honesto illorum usu honorem & laudem retulerunt. In numero primorum censetur fuisse Ruben filius S. Jacob Patriarachæ, qui cum inter cæteros fratres suos coram patre congregatos stetisset, tunc pater conversus ad ipsum, inprimis enim colaudavit à privilegiis ei à natura concessis & à dignitate quam tenebat, nempe quod primogenturæ honore cæteros anteceserit: hæc autem uti egregie adnotat S. Chrysostomus ideo protulit ut eum deinde eo efficacius corripere posset: unde prolatis hisce verbis, *Ruben primogenitus meus: tu fortitudo mea & principium doloris mei: prior in donis, major in imperio*: tandem descendit ad vituperium dicens: *Effusus es sicut aqua: non creses quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum ejus.* Sed diceret aliquis: ad quid hæc patris correptio tam dura, præsertim in fine vitæ suæ, ubi jam filiis suis ultimum vale dicebat: Pulchrè respondet D. Chrysostomus in hunc sensum. Sciebat Jacob Prophetico Spiritu, omnes suos filios duodecim tribuum futuros Principes & Patriarchas, unde idem Sanctus Pater bene infert. *Ut igitur in sequentibus generationibus talia nemo imitetur, reprehensionem Spiritus Sanctus ordinavit, ut literis commendetur hæc accusatio, ut omnes qui audiant erudiantur, sciantque manifestè, quod nihil prosit dignitas natura concessa, nisi & voluntatis accedant ornamenta.* Multis abundabat Ruben naturæ donis, sed per unum cubile inhonestum, suis quoque ornamenis voluntatem spoliavit. In eodem numero, Dux ille Assyriorum Holophernes, ponendum est: hic enim cum per totum orbem clarus ac celebris esset ob victorias, quas de tot gentibus retulit, eas Regni suo subjugando, cujus potentiam cuncti Reges ac Principes formidabant huic unicum cubile, famam ademit & vitam. Cum enim in obsidione Bethuliæ, Judith vidua, una ex filiabus Israelis fingens se transfugam, adducta esset ad suum tabernaculum, ait textus. *Cum intrasset ante faciem ejus, statim captus est in suis oculis Holophernes.* Et quid tandem? Vir tantæ potentiæ, considerans mulieris pulchritudinem, & gratiam quam habebat: (uti ait Sanctus David) *Iniquitatem meditatus est in cubili suo.* Quartâ enim die post adventum Judith, instruxit convivium servis suis, dicens ad Vagao cubicularium suum. *Vade & suade Hebræam illam, ut sponte consentiat habitare mecum.* Quid demum sequitur? *omnibus à vino fatigatis & ad sua hospitia abeuntibus, sola Iudith remansit in cubiculo. Porro Holophernes jacebat in lecto nimia ebrietate sopitus.* Quod illa advertens, accepto suo pugione, *percussit bis in cervicem ejus, & abscidit caput ejus.*

Iudit. 10. v. 17.

Psal. 35. v. 8.

Iudit. 12. & 13. v. 10.

Infau-

Infausta Ruben & Holophernis cubilia, infelices utriusque amores, quia unum patris anathemate, alterum vero turpi morte affecit.

II. Sunt alia ex parte quædam cubilia felicia, & honorata quæ non maledictionem, & mortem, sed benedictionem, vitamque pariunt. Ex his primum invenio Tobiæ octavo capite, in quo ait textus. Quod cum Raguel, tradita filia sua Sara, Tobiæ in uxorem (ob quam septem viri suffocati erant à Dæmonio) per unam ex ancillis suis scire vellet, de successu nuptiarum una ex illis ad explorandum missa, uti ait textus sacer. *Ingressa cubiculum reperit eos salvos & incolumes secum pariter dormientes. Et reversa nunciavit bonum nuncium.* In nova quoque lege, felix erat ille thalamus nuptialis in Cana Galileæ, quia Christus Dominus, sua cum matre, nec non discipulis præsens aderat. Ne vero vos suspensos reddam, per cubile sive in bonam sive in malam partem accipiatur, ego cor humanum juxta scripturam sanctam & explicationem nec non sententiam Patrum & Doctorum Ecclesiæ intelligo. Et quia duplex est amor juxta Divum Augustinum libro de Civitate Dei quidam mundanus, & alter divinus, primus qui est inordinatus & carnalis, tunc dilatat cubile suum, dum homo è cubili cordis sui expulso amore Dei, convertit se ad carnalem concupiscentiam, huic dici potest illud Isaiæ Prophetæ: *Dilatasti cubile tuum.* Cubile inquam tale, quod Sanctus Isaias alio loco, comparat cubilibus draconum, potissimum ob has causas. Quoniam, uti ait Sanctus Augustinus, *nascuntur dracones in locis ferventissimis, suntque naturæ calidissimæ, & ob id se occultant in specubus sive limosis locis, & deinde sunt immensæ molis, qui uno hiatu bovem attrahere & deglutire possunt, ideo etiam magnam cubilium suorum quantitatem requirunt*: his ergo amatores mundani similes sunt, que æstu carnali exardescentes dilatant cubilia sua, de quibus ait Sanctus Ezechiel Propheta. *Viri isti posuerunt immunditias in cordibus suis.* At vero hi qui amori carnis præponunt amorem Dei, eique in cordibus suis thalamum consecrant, quantò magis ipsum amant, tanto plus dilatant cubile suum.

Tob 8. v. 20.

Ioan. 2. v. 2.

Isaiæ. 54. v. 8.

Ezech. 14

III. Talium è numero fuit Sanctus Philippus Nerius, qui cum existens Romæ septè urbis Ecclesias frequenter visitaret, & in cœmeterio Calisti in cœlestium rerum contèmplatione se ipsum assidue exerceret, quin ob hunc finem sæpe sæpius ibidem pernoctaret, tantopere ex tali actu exarsit, in amorem divinum ut sponsæ illus cœlestis insequens vestigia, ejusdem quoque amandi modum quo in sponsum suum ferebatur imitari conaretur. De illa sponsa scribitur in Canticis, quod dum inquireret sponsũ suum, & de eodem vigiles civitatis interrogaret, his verbis usam fuisse. *Num quem diligit anima mea, vidistis?* Mirum est Auditores. Numquid deerant sponsæ, divini tituli, quibus sponsum suum nominaret? Minimè vero: habet enim DEUS plurimos titulos, nempe Altissimus, summum bonum, Creator magnus, immensus, mirabilis, omnipotens, Redemptor, Rex Regum & Dominus dominantium, summa & æterna Sapientia, cæterique infiniti, nihilominus hisce omnibus titulis illa præteritis, unum tantum sibi elegit, nempe titulum dilecti dicens: *Numquem diligit anima mea, vidistis?* Vultis hujus rei causam? Investigate in fronte ejusdem capitis Canticorum: ubinam inprimis hæc sponsa, suum sponsum quæsiverit, ita ait. *In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea.* Nec fortis, neque sapiens, neque potens, sed dilectus à sponsa in lectulo quæri solet. Cum ergo sponsus ille cœlestis in cruce pro homine dederit animam suam sibi dilectam, convenienter quæritur à sponso; solo dilecti titulo.

Canc. 3. v. 4.

Hugo in. hunc locum

IV. Si magnum fuit amoris studium in illa spnosa erga sponsum suum, non minus fuit Sancti Philippi Nerii; qui neminem dilectiorem ac chariorem sibi habuit Christo. Nonne mundiales aurum argentum & Lapides pretiosos magni æstimare solent: imo, toto enim vitæ suæ discursu in id tantummodo omnipe ctore incumbunt, ut illa per fas & nefas corradant: horumne vestigiis Athleta hic noster institit, minime? his enim contemptis omnibus, id solummodo quæsivit, ut in amore Jesu sepultus penitus jaceret. Dicã & aliud: sponsa eadem, dum inquireret sponsum suum dilectissimũ, acquisivit verba & vulnera: nam sic ait *Percusserunt me, & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum custodes murorũ.* De Sancto Philippo scribitur, quod non quidem à custodibus, sed *charitate Dei vulneratus languebat jugiter.* Et quid mirũ? Legimus de Absolone Regis

Antonius Galonius

2. Reg. 13. v. 5. gis Davit filio; quod in tantum adamaverit sororem suam speciosissimam vocabulo Thamar. ut propter amorem ejus ægrotaret. Si hanc infirmitatem causavit amor hominis, quid mirum erit quod amor Dei, qui est speciosior sole & luna cunctisque creaturis, in Sancto Philippo languorem causaverit.

V. Quælibet infirmitas habet suam originem, quæramus ergo quidnam illud fuerit quod in Sancto Philippo causavit languorem: si ponetis causam in amore ob quem etiam sponsa simili laborabat dicens, *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Cant. 2. v. 5. Nunquid Sancto Philippo hæc deerant quibus sibi mederetur? Antequam dicam causam, prius vos notare velim, quod qui Dei amore perfecte satiari velit, eo ipsum diligendi modo uti debeat, quem Sanctus Bernardus præscribit dicens: *Modus diligendi Deum est sine modo.* S. Bern. l. de diligendo Deo. Tali Sanctus Philippus amore oblectari volebat cum sponso suo, sed non poterat, quia dum cor ejus ferventi atque inexstinguibili æstuabat ardore, angustiorem in se locum habuit, quin tantum amoris ignem in corde illo continere posset. Sed quid Divinus sponsus? Ut cui sponsa *aperuit pessulum ostii sui*, Cant. 5. v. 6. eidem quoque Sanctus Philippus magis patulum latiusque cor præberet ad amandum, cordis sui sinum, confractis atque elatis duabus costulis, mirabiliter Dominus ampliavit. O Sancte Philippe qui dilatasti Christo cubile tuum, impetra nobis gratiam ab eodem, ut ipsum amare, & ab eodem redamari mereamur. Amen.

IN FESTO S. PHILIPPI Nerii Confessoris,

CONCIO III.

Magnificatus est usque in sublime. 2. Paral. 17. v. 12.

PLane injurius viderer, si hæc verba laudis plena, ei subtraherem, cui suo jure debentur, desumpta enim sunt ex 2. libro Paralip. 17. & dicuntur de magnifico Rege Israelis Josaphat, qui cum accepisset Regnum post mortem patris sui Asa, qui non sine vindicta divina obierat, quia sublatis thesauris domus Domini, ea pro fœdere pacis ad Benadab Regem Syriæ miserat, nec verba Domini loquentis per Prophetam Anani audire voluerat, postquam Josaphat ei successit in Regnum, non est secutus vias illius, sed potius (testante sacra historia) ambulavit in viis David Patris sui, & perrexit in præceptis illius. Quamvis verò, ea quæ fecerat in principio Regni sui, multâ essent laude digna, nempe quod invaluerit super hostes suos, & in tantum illis formidabilis fuerit, ut ei sponte offerrent munera, & tam Philistæi, quam Arabes, cæteraque vicinæ nationes sua deferrent vectigalia, sed ob id potissimum, quia in principio Regni sui, assumpsit cor ejus audaciam, ad dissipanda & destruenda idola, quibus Pater suus serviebat, & divinum cultum tribuebat, tertio vero Regni anno, hinc inde misserit Doctores divinæ legis qui circuirent Regnum suum, populumque suum docerent vias Domini, habueritque magnam curam templi Domini, quod pluribus donis exornavit. Non minora ego laudis argumenta reperio in Sancto Philippo Nerio, cujus hodie festivam memoriam colimus, ideo hæc verba à Rege Josaphat mutuata illi attribuenda non dubito dicens. *Magnificatus est usque in sublime.* Jam vultis ut id probem? attendite & favete.

I. Forte ex his verbis de Sancto Philippo Nerio à me prolatis quidam antiquiores Ordines, eorumque Fundatores & Patriarchæ sanctitate & nominis claritate celebres, occasionem sumentes cujusdam scandali, ac si illis injuria quædam inferretur, dum ego de novissimo hoc Ordine nempe congregationis Oratorii, ejusque sacro fundatore hæc verba profero. *Magnificatus est usque in sublime.* Minime verò id subvereor, dum primò vocatis parem pronuncio, homo enim sum, unde qualem video talem quoque censeo. Inprimis si nihil aliud considerationis haberem, quam id solum, quod oratorii fundator extiterit, jam hic magnam laudum materiam habeo. Et primò

occurrit

occurrit mihi Sanctus Patriarcha Moyses, & magnus ille ductor Israelis, qui, cum ob ipsum regimen, quod habebat supra populum, magnificatus à Deo fuerit, quia Regis Pharaonis duritiem, tot editis signis & portentis fregit, ipsumque perterruit. Sed illud quoque fecit magnificum, quod erexerit Dei tabernaculum, in quo conversaretur cum hominibus quod tanti æstimavit Sanctus Paulus Apostolus, ut ob id, Moysen Patriarcham Christo Domino unigenito Dei filio comparare non dubitaverit, dicens, *Fratres Sancti, vocationis cœlestis participes, considerate Apostolum, & Pontificem Confessionis nostræ Iesum, qui fidelis est ei qui fecit illum, sicut & Moyses in omni domo ejus.* Quæ verba explicans Venerabilis Hugo Cardinalis ita sentit, quod hic non æquiparetur Moyses Christo, excedit enim ipsum, tanquam omnis Dominus & hæres servum suum, id tamen pro laude illius Patriarchæ sufficit, quod tam sublimi personæ quæ est Christus, comparetur. Quid dicam de Sanctissimo Rege ac Propheta David? sane non exiguam promeruit laudem quod leonibus & ursis prævaluerit, quod gigantem Philistæum magnitudine teribilem prostraverit, quod omnes hostes in circuitu sui Regni domuerit, suæque terræ quietem comparaverit, nihilominus & id accessit in cumulū suarum laudum, quod cum domum Domini ædificandi, licentia sibi à Deo fuisset denegata, nihilominus pro structura illius, multam auri, argentiq; materiam comparaverit, quam Salomoni filio suo dereliquit. Successor Regni sui Salomon cæteros Reges opibus & sapientia excellebat, nihilominus plus adhuc laudis obtinuit ab illo templo seu domo Dei magnis sumptibus, multoque tempore Jerosolymis erecto. Si ergo Moysi materiale tabernaculum, Regi David studium ædificandi domum Dei, Salomoni vero ipsum ædificium consumatum tantam laudem attulit, quantam putatis adferet Sancto Philippo Nerio congregatio illa oratorii, quam fundavit.

Hebr. 3. v. 1.

1. Paral. 28. v. 13.

II. Non verbis ago sed re ipsa, nempe illud: quod licet hoc pium sanctumque Philippi Nerii institutum, non ita diu cœperit, nempe tempore & ætate Sancti hujus Fundatoris, qui Anno ejusdem ætatis suæ 80. Christi verò 1595. Romæ vivere desiit, nihilominus paulopost ita crevit, ut post illos illustres viros, qui in hac sacra congregatione floruerunt, è quorum numero unus erat Cæsar Baronius, Annalium Ecclesiasticorum conditor, & postea Cardinalis sacræ Romanæ Ecclesiæ, alter Thomas Bozius, vir eruditione clarus, item Joannes Franciscus Brudinus, qui postea Archiepiscopus Avenione, Alexander Fidelis, alii quoque viri doctrina, vitæque integritate clari jam in tanta copia inveniantur, ut quod olim de prole Abraami, id jam de filiis Sancti Philippi Nerii dici possit. *Numera stellas cœli si potes.* Nonne hic verba thematis mei ingeminare fas est? *Magnificatus est usque in sublime.* Et quidni? Cum ipsamet Sancti Philippi Nerii principia magnifica fuerint? Hi enim viri splendoris quos jam ex minori parte citavi, fundamenta sui Ordinis, non in aliqua ignobili Christini orbis parte jecerunt, sed Romæ, quæ caput orbis, atque in templo Sancti Hieronymi ea posuerunt: ubi cum numerus ipsorum crevisset, singulis diebus quatuor ex suo numero elegerunt, qui conciones ad populum haberent. Solus dies Sabbati ab hoc munere immunis erat.

III. Et quia juxta naturæ ordinem, membra capiti se conformare debent, Romanam civitatem quæ caput & Dominatrix est, cæterarum orbis Christiani, eæ quoque secutæ sunt Nam quod concernit complures civitates Italiæ, præter Romanum Oratorium extant quoque alia, Neapolitanum, Sempedanum, Auxanum, Lucense, Firmanum, Panormitanum in Sicilia, Fanense, Patavinum, Vincentinum, Ferrariense, Tononiense in Diæcesi Genevensi, & Forojulienſe in Provincia apud Francos. Quod concernit Regnum Galliæ ibidem hæc congregatio oratorii à Divo Petro Berulio excitata, quam maxime floret. Hic enim cum accepisset notitiam apophthegmatis quo Sanctus Philippus Nerius sæpissimè utebatur dicens: *Qui vult facere fructus in anima, contineat manum à Bursa.* Hisce ille verbis & ipso quo Sancti Philippi exemplo motus similem congregationem maximo Ecclesiæ bono temporibus Ludovici 13. Regis excitavit. Ac primo quidem Parisiis tale oratorium ille instituit, post quod alia toto Regno sunt ædificata, ut Rotomagense, Lugdunense, Tolosanum, Rupellense, Salmucience, Montmorentianum.

In Theatro mundi.

Sic in Burgundiæ Comitatu, in provinciis Belgicis, in Brabantia, cæterisque locis quæ enumerare longum esset. Et quis me hic prohibebit, ne repetam illa verba. *Magnificatus est usq; in sublime.*

IV. Sed nunquid Sanctus Philippus Nerius magnificatus est, ex præcellenti suo instituto quod fundavit, aut forte ex eo quod monasteriis ejusdem sui instituti quasi plenus sit mundus Christianus, aut forte ex præstantia suorum filiorũ, qui hoc prænobile institutum ac jugum susceperunt, & glorioſe propagarunt? Et hæc quidem accessoria essent suæ magnitudinis. Ego tamen non ab his titulis, sed ab ipso Jesu mutuatam Sancto Philippo, servo & ferventissimo oratori suo præsentare valeo. Dixerat quadam vice Christus de se ipso, Joannis 13. *Nunc clarificatus est filius hominis.* Attendite quonam tempore hæc verba protulerit, ea inquam hora, qua Judas proditor à cœna surrexit & abiit, ut ipsum traderet. Ergone ô Christe tua proditio, quam passio & mors subsecuta fuit, te clarificaverit? omnino, non gratis enim ait *nunc*: id est, ab illo momento quo Judas exivit ut illum traderet, clarificatum seu glorificatum esse: sic sentit Doctissimus Cardinalis Cajetanus, dicens. *Tempus proditionis, passionis mortisque sua tempus glorificationis appellat.* Sit ita est, quod passio Christum clarificaverit, eadem quoque Sanctum Philippum Nerium clarificavit. Cum enim Sanctus iste sacrificium Missæ, quod est figura passionis mortisque dominicæ, perageret, in aëra sublime elevatus visebatur. Quam vere igitur dixero · *Magnificatus est usque in sublime.*

Ioan. 13. v. 31.

Cajet. hic

V. Qui vult magnifice in sublime conscendere, debet habere gradus ad ascensum: ego in Sancto Philippo Nerio tres potissimum noto. Primus est maxima charitas, qua egenos & pauperes prosequebatur, ob quam sic à Domino in sublime evectus erat, ut quemadmodum Sanctus Abraam Patriarcha propter hospitalitatem suam, tres Angelos, in specie peregrinorum, in domum suam recipere meruit: ita & Sanctus Philippus Nerius, dum officium charitatis pauperibus & egenis exhiberet, ob hunc actum summe magnificatus est à Domino: dignus enim est habitus, qui Angelo in specie pauperis eleemosynam erogaret. Secundus gradus illius fuit, casta virginitas: nam per hanc magnificatus est in sublime, eam enim gratiam assecutus est à Domino, ut eos qui puritatem colerent, & ex odore, qui vero seeus, ex fœtore dignosceret. Tertius gradus fuit pietatis in Deiparam virginem, quæ pietas in tantum ipsum extulit & magnificavit in sublime, ut cœlestium spirituum, & ipsius Deiparæ virginis frequentius fuerit apperitione dignatus, ac plurimorũ animas splendore circumfusas in cœlum conscendere viderit. Hæc sunt quæ Sanctum Philippum Nerium magnificarunt in sublime. Sed tunc vere magnificatus est in sublime, dum virtutibus nempe ardenti fervore in Deum, zelo salutis proximorum, amore paupertatis, Angelica virginitate, & summa humilitate clatus, tandem anno salutis 1595. octavo Calend. Jun. sacrificio Missæ cum summa spiritus exultatione peracto, cæterisque functionibus expletis, post mediam noctem, qua prædixerat hora, octogenarius obdormivit in Domino, & magnificatus est in sublime Regni cœlestis Amen.

Gen. 18. v. 5.

IN FESTO S. PHILIPPI NERII, Confessoris,

CONCIO IV.

Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus. Psalmo 138. v. 12.

MAximus & promptissimus est mihi animus celebrare aliquo præconio S. Philippum Nerium servum Christi, & congregationis oratorii Fundatorem Auditores præclarissimi. Sed quomagis ad id præstandum impellor, eò deinde majorem in meo intellectu repulsam patior. Cum enim dicat Sanctus Paulus 2. Epistola ad Corinthios 6. *Quæ socie-*

societas lucis ad tenebras? quales ego hinc Sancto huic laudes producere potero ex hisce
2. Cor 6. v. 14. verbis, *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus*? Si nulla societas lucis & tenebrarum, quæ erit inter ipsa paritas & uniformis comparatio? an Æthiops, ille qui albus? an sapiens, qui fatuus, an laude dignus, qui vituperabilis? Legimus in primo libro Moysis, creatorem universi Deum, postquam creasset cœlum & terram, & vidisset lucem quod esset bona, eam divisisse à tenebris: sic enim sacer textus
Gen. 1. v. 4. ait: *Vidit Deus lucem quod esset bona, & divisit lucem à tenebris.* Ecce de luce dixit quod esset bona, de tenebris verò nihil tale protulit, quin imo forte divisit lucem à tenebris, tanquam bonum à malo segregando. Sed bono animo me jubet esse Hugo Cardinalis:
Hugo hic. ille enim hunc locum explicans, per tenebras intelligit umbram, cujus hæc sunt verba: *Divisit lucem à tenebris, quia simul cum luce tenebras creavit, id est umbram ex objecto corporis tenebrosi ad ipsam lucem: & ita tenebras & lucem creando, divisit loco & qualitate, ut nusquam simul essent, sed è regione.* Ad id, dum ego consulo explicationem horum verborum, *sicuti tenebræ ejus, ita & lumen ejus*, quam adducit
Bellarm. in Psalm. Bellarminus Cardinalis in hunc Psalmum dicens, *Perinde est apud Deum, sive sint tenebræ noctis, sive lumen dici: quia non minus videt in tenebris noctis, quam in luce dici*: Ea inquam explicatio me adhuc melioris animi esse jubet: si enim ego me convertero ad lucem & tenebras moraliter, id est, si per tenebras & lucē tales viros intellexero, qui non efferuntur in prosperis, nec franguntur in adversis, qui in lumine gloriæ ambulantes tenebras humilitatis, & umbram mortalitatis simul respiciunt & amplectuntur; tunc de unoquoq; talium audacter possum dicere: *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* An talis fuerit S. Philippus Nerius, in hac concione ponderabimus.

I. Nullum est dubium Auditores præstantissimi, S. Philippum Nerium contendisse suo modo ad imitationem Dei, cui idem est esse in luce & in tenebris; & fuisse de numero illorum, qui neque extolluntur gloriæ altitudine, neque dejiciuntur humilitatis profunditate. Iste enim Sanctus (quod concernit lumen ejus) natus Florentiæ ex honestis parentibus, ab ipsa ineunte ætate tanquam sol quidam oriens, clara dedit futuræ sanctitatis indicia, clariora in adolescentia: dimissa enim tota Patrui sui hæreditate, Romamque se conferens, ibi non solum Philosophiæ sacrisque litteris, sed potissimum virtutibus operam dedit, seque totum Christo Jesu dedicavit, tantæ manens abstinentiæ, ut sæpe jejunus triduum permanserit, vigiliis vero & orationibus intentus & septem urbis Ecclesias visitans, apud cœmeterium Callisti in cœlestium rerum contemplatione pernoctare consueverit. Sed quod concernit tenebras ejus, de iis dici potest, *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Quia cum propter tantas suas virtutes toti Italiæ cæterisque terræ partibus esset conspicuus, tamen latere maluit sub umbras, quam videri in luce. Cum enim dignitas Sacerdotii sibi offerretur, in qua constitutus, lucernam suam sub modio latitantem, cunctis visendam in mensa colocaret, ille è contra eum honorem refugiebat, imò nullo adhibito conatu, (uti cæteri qui anhelant ad honores.) non nisi ex obedientia Sacerdos factus, in animarum salute procuranda totus fuit, Hic ego Auditores, dum in ipso conspicio, uno intuitu lumen virtutum & meritorum, altero umbram humilitatis suique contemptum, sic plane in mentem mihi venit, quemadmodum quidam Cato, vir illustris, qui cum pertransiret plateas urbis Romanæ, & loca publica in quibus superbi Romanorum Proceres sibi statuas immortalis gloriæ, & famæ monumenta erigebant, ita effatus est, *Quantò honestius erit inquiri, quare Cato hic non habeat statuam, quàm ipsum calumniatraduci, si haberet*: maluit exquiri ab hominibus cur statuam non haberet, quam quod haberet. Sciebat enim Philosophus veram laudem potius in merito honoris, quam in assecutione & acceptione ejusdem consistere: cui correspondet illud Platonis, *Gloriari quemque oportere magis, quod bene servierit, quam quod bene fuerit dominatus.* Eodem plane modo & S. Philippus Nerius, pluris faciens cœlestia præmia, quam mundanum honorem lumini meritorum suorum opponebat umbram humilitatis. *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus*

Cato Philosophus.

Plato.

II. Solent parentes in suis filiis gloriari, *Prov. 17. v. 1.* juxta illud Proverb. 17. *Corona senum, filii.* Hinc illi veteris testamenti Patriarchæ, in multitudine & præstantia suorum filiorum gloriam, nec non consolationem suam reponebant:

nebant: in primis legimus Gen. 33. quod Jacob Patriarcha accepto nuncio fratrem suum Esau sibi in occursum pergere, filios suos per ordinem disposuerit: ubi primo loco, divisit filios Liæ & Raches, ambarumq; famularum, & posuit utramque ancillam & liberos earum: secundo loco posuit Liam & filios ejus: tandem Rachel & Joseph posuit novissimos, Quid sibi volebat hæc dispositio uxorum proliumque suarum? nunc quid hæc in modum castrorum adversus fratrem suum Esau ordinabat, ut ei resisteret? minimè verò: quid enim esset, talis numerus debilium, adversus quadringentos robustissimos milites? sed eo fine fecit, quem & re ipsa probavit, nempe ut per id fratri suo reconciliari posset. Quam primum enim convenerunt simul, id primum Esau verbum fuit, quod ad ipsum protulerat. *Quid sibi volunt isti, & si ad te pertinent?* Cui respondit Jacob. *Parvuli sunt quos donavit mihi Dominus servo suo.* Item legimus ejusdem libri quadragesimo septimo capite, quod cum Joseph Prorex Ægypti introduxisset Jacob patrem suum ad Regem Pharaonem, simul filios illius fratresque suos cum ipso introduxerit, uti ait textus. *Extremos quoq; fratrum suorum quinque viros statuit coram Rege.* Tandem idem Joseph, uti scribitur sequenti capite, dum inviseret patrem suum Jacob, assumpsit secum duos suos filios Ephraim & Manassen: quos ille videns, & interrogans, *qui sunt isti?* respondit: *Filii mei sunt quos donavit mihi Dominus in loco isto.* S. Philippus Nerius plurium filiorum in Christo genitorum pater erat: quia in vita ipsius scribitur: *Innumeros pene filios Christo peperit* Quos verbi Dei quotidiano pubulo, sacramentorum frequentia, orationis assiduitate, aliisque piis exercitationibus enutriri cupiens, *Oratorii congregationem instituit.* Sed nunquid in tot filiis videri voluit? respondeo: *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.*

Gen. 33. v. 1.

Gen. 47. v. 2.

Gen. 48. v. 9.

In vita ejus.

III. Illud est mihi valde mirum: aliquando S. Philippus Nerius, pro more suo officium charitatis pauperibus exhibere cupiens, noctu perrexerat ut ipsis panem procurare posset, quo habito cum eundem secum deferens reverteretur, ecce tibi Sanctus in foveam labitur Sed mox ab Angelo incolumis eripitur. Quid est hoc? vel quis honor tam Sancti viri? vel quænam ipsa Dei providentia, quæ permisit sanctum labi? Similiter quærentium multiplicatio, ipsum permittere labi, & rursus ope Angeli extrahere? nonne satius fuisset, & cum majori divina gloria, nec non cum reputatione viri justi, conservare sanum, & reducere cum eleemosyna incolumen? num quid tunc Angelo caruit, cum in foveam lapsus fuit? minimè vero: Eccur igitur idem Angelus ad similitudinem illius Abacuc non deportavit ad locum suum sine casu? Sed ne in hoc scandalizemur. Nam in tali casu hæc verba à me proposita eluescunt: nempe, *sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Nihil novum erat, etiam sanctum virum nocturno tempore labi, cum illi similes, in foveam peccati ceciderint. Sed hoc mirum est, quod in hoc casu à tenebris causato, mox ab Angelo lucis adjutus fuerit. *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.*

Daniel. 14 v. 33.

IV. Dum pervolvo Sextum caput D. Matthæi Evangelistæ, ibi invenio duas virtutes præcipuas, quæ cum in se lucidæ sint, præcepto tamen divino tenebris involvi & contegi jubentur. Quod enim concernit eleemosynam, sic de ipsa Christus ait: *Te faciente eleemosynam nesciat sinistra tua quid faciat dextra tua*: & paulo post apertius Christus docet dicens. *Sit eleemosyna tua in abscondito.* Non ne hic aperte videtis tenebras? Si enim Christus jubet dantem eleemosynam quærere latibulum, in quo melius abscondi potest, nisi in tenebricoso? Sed quid ulterius dicat Christus, attendite: *Et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Cur videt in abscondito? quia *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Idem dicit de oratione. *Tu autem cum oraveris intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito.* Si orandum mihi est in abscondito, & insuper claudendum ostium, igitur lux erit fugienda & quærendæ tenebræ. Sed quid tum? *Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Ecce quam bene quadrat. *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Practicemus in Sancto Philippo Nerio: Tacite hic eleemosynas dabat, ne videretur ab aliis, unde noctu & in tenebris panem deferens, in foveam lapsus fuit: sed à tenebris non procul erat Angelus lucis, qui incolumem eripuit. Deinde orabat in tenebris id est in secreto, sed quid tum: dumcunque orabat, mira undique luce fulgere visus fuit. *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.*

Matt. 6. v. 3.

V. Rever-

V. Revertor ad ſanctam virtutem humilitatis ſuæ. Hæc nihil magis amat quam tenebras. Cujus figuram præbet nobis exemplum illius Zachæi in parva ſua ſtatura humilitatem exprimentis : hic deſiderans videre Chriſtum, cum præ turba aſſequi id non poſſet, pro meliori ſua commoditate, aſcendit in arborem ſycomorum. Cur Zachæus aſcendit in arborem ? juxta ſenſum materialem reſpondeo, ut Chriſtum videre poſſet, ſed juxta moralem illa eſt reſponſio. Aſcendit Zachæus id eſt humilitas in arborem, ut umbram ſive tenebras in denſis & latis illius ficus foliis invenire poſſet. Sed quid inde? abſcondebat ſe humilitas in foliorum tenebris, viſa tamen fuit à Chriſto dicente. *Zachea feſtinans deſcende.* Sanctus quoque Philippus Nerius occultabat ſe libenter in umbra, quin in tenebis humanitatis, ſed abſcondi non potuit, licet enim mundanos fulgores nempe Eccleſiaſticas dignitates, non ſemel ultro delatatas conſtantiſſime recuſaverit, nihilominus latere non potuit, cum in vita ſua tot miraculis clarus eſſet : nam Abſentibus apparebat : ægrotos mortique proximos ſanabat, ſicut & mortuum unum ad vitam revocavit. *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Sed jam quale? Regni cœlorum. *Luc.19.v.5.*

AMEN.

IN FESTO S. JOANNIS DE Deo, Patris pauperum, & Fundatoris Ordinis Fratrum Miſericordiæ,

CONCIO I.

Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.
Matthæi 5. verſ. 7.

MUlta haberem argumenta Auditores præſtantiſſimi, quæ mihi & ad laudes S. Joannis à Deo (Eccleſiæ Sanctæ, nec non Hiſpaniæ ſplendoris, Luſitaniæque gloriæ) decantandas ſufficerent, cujus hodiernum feſtum religioſiſſimi filii dedicant, tanquam ſanctiſſimo parenti ſuo : & etiam me provocant ad extollendum ejus excellentias, nec non admiranda raraque prodigia, quæ in felici ejus nativitate contigerunt, dum campanæ per decem integros dies reſonarent, in tenello infantis corpuſculo, viſa lux refulgens, & ſuper domum in qua naſcebatur, columna ignea indicium quoddam futuræ ſanctitatis ſuæ præmonſtraret, ipſaque vitæ auſteritas, humilitate, patientia, ſimplicitate & puritate cordis illuſtrata, latiſſimum orationis campum mihi exhiberet : at quia in præſentia illorum me conſtitutum cerno, quibus à Chriſto Jeſu dicitur, *Beati miſericordes quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*, quia etiam de illo verba facturus ſum, qui fuit pater paupërum, & Fundator Ordinis Fratrum miſericordiæ, hic mihi ſubſiſtendum cenſeo : nec enim ampliorem laudis coronam huic hodierno Sancto contexere poſſum quam ex ipſa miſericordia : ex hac inquam virtute, quæ Domini ſuperexaltat judicium : ex hac virtute de qua David, *Miſerationes Domini ſuper omnia opera ejus* : ex hac virtute, quæ cum omnes miſericordes beatos faciat, ſanctum quoque Joannem miſericordiæ operibus intentiſſime incumbentem, multo beatiorem fecit. Nemo enim dignius promeruit Regnum cœlorum, miſericordiam colentibus, cæteriſque pietatis operibus deditis promiſſum à Domino, quam Sanctus Joannes à Deo : quod in hac concione demonſtrabo. *Pſal.144. verſ.25.*

I. Id quod promiſi, non melius præſtare potero, quam ex quibuſdam verbis Chriſti Domini, apud S. Lucam ſic dicentis. *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit patri veſtro, dare vobis regnum* : liberalis Chriſti promiſſio : ſed quibus meritis ? reſpondet Dominus, dicens : *Vendite quæ poſſidetis & date eleemoſynam.* Pulchra res : omnia vendere, cunctas poſſeſſiones diſpergere, & eſſe Regem : An non potius hoc Regis jus eſt, ut multis abundet ditionibus, provinciis, terris, populis & divitiis ? Samuel Propheta & ultimus *Luc.12. verſ.32.*

timus Judex Israelis, dum ad instantiam populi Regem constituere deberet, hæc primum verba præmisit. *Hoc erit jus Regis qui imperaturus est vobis. Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietq; sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum.* Paulo post addit, *Agros quoque vestros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit servis suis, sed & segetes vestras & vinearum redditus addecimabit.* Ex his verbis intelligitur, quod si Rex velit thronum suum regium, cum dignitate status sui conservare, non debeat cuncta quæ habet vendere & dissipare sed potius agmentare, & possessionibus suis, plures alias adjicere. Deinde quid sibi vult: *Vendite quæ possidetis & date eleemosynam.* An absque eo non possem dare eleemosynam pauperi, licet bonorum meorum nihil venderem? Non obstantibus tamen his instantiis bene respondet S Petrus Chrysologus dicens. Non absque mysterio Salvatorem nostrum, postquam discipulis suis Regnum addixerat, eosque jam Reges declaraverat, protinus mandasse, ut cunctas possessiones suas venderent, easque pauperibus erogarent, ad insinuandum, quod Rex aut Dominus non debeat acquirere opes aut divitias sed eas erogare, beatiusque sibi esse dare quam accipere. *Ne sit mendicus animo, qui censu fructus est & honore.* Hinc sequitur, ut cum æternus cœli terræq; Dominus Sanctum Joannem à Deo, ad constituendum ipsum Regem elegerit, necessarium fuisse, ut si Regno frui vellet, omnia sua bona unâ cum discipulis Domini venderet, ad pauperum necessitatibus succurrendum.

1. Reg. 8. vers. 11.

S. Chrys. serm. 11.

II. At quispiam à me quærere posset, quanam ratione Deus Ioannem Regem instituerit? Quæ ipsius Monarchia, Regnum, seu Principatus? quo in loco suum figet solium? facile responsum dabo, primo. Multi dicunt Autores, è quibus sunt 70. interpretes, nec non S. Hieronymus, cæterique Sanctum Iob Patriarcham, fuisse unum ex Regibus, qui regnaverunt in Eodem, & hic pro insignibus Regni sui vendicabat sibi eleemosynas dicens: *Pater eram pauperum.* Cum igitur S. Ioannes de Deo, patrem pauperum se ostenderit, quis igitur ambigat ipsum esse Regem & jure merito gaudere primatu? Duos excellentiæ titulos attribuunt Theologi virtuti charitatis, quia sæpissime appellatur prima virtus, & Regina virtutum. Primus fundatur in illo Apocalypseos: *Charitatem primam.* Secundus autem in illo S. Pauli ad Corinthios, *major autem horum est charitas,* & in hoc sensu communiter exponunt sacri interpretes hæc præfata verba: ergo quanta charitas fuit ferventior, magis erit Regina & Domina. Duo imposuit Christus Dominus Regno charitatis, vendere & dare pauperibus, vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Pauca supererant Apostolis vendenda, & distribuenda pauperibus, & tamen cœlum illos in Reges evexit. Minus habebat Sanctus noster, adeo enim inops erat, ut etiam dum maxime abundaret, tota ejus supellex in quatuor libris consisteret, quos ex devotione vendidit, & aliquando eo redactus est miseriarum & necessitatis, ut coactus fuerit in montibus lingna exscindere, fasceque vendere ad victitandum eorum pretio: & interdum omnes suos vendidit libros, totamq; reculam suam distraxit, ut pauperum Christi egestati subveniret. Abunde satisfecit præcepto seu consilio Evangelico. *Vendite quæ possidetis &c.* Neq; hic subsistit charitas Ioannis, altius quidpiam meditata est, & super communem cantum, musicam addidit harmoniam, hoc est, non novit Ioannes tantum erogare, novit etiam stipem petere, & emendicans eleemosynam uti pauper, erogat stipem ut opulentus. Insignis profecto & pene divinus eleemosynarius, qui quando ipsemet etiam unius frusti panis penuria premitur, novit tam dextere tantaque industria negotiari, ut etiam ducentos pauperes simul, & plerosque ægros, & infirmos alat, & sustentet providens singulis victum, lectum, & quævis alia necessaria, ut in illo manifeste pateat veritas sententiæ S. Leonis Papæ. *Semper dives fuit christiana paupertas,* nunquam enim defuit charitati elargiendum.

S. Hieron. in Arg. lib. Ioc.

Iob. 29. vers. 16.

III. Recte ordinat & disponit Ioannes suam charitatem erga pauperes & egenos, quam dilectionis methodum ab ipso Deo in antiqua lege didicisse videtur, qui simili cura, & solicitudine eos aluit, & enutrivit, præcepit filiis Israel, ut sex annis seminent terram suam & congregent fruges eos, anno autem septimo dimittant eam, neque colligant fructus ejus, *ut comedant pauperes populi tui.* Ecquid, Domine, nonne tua providentia, quæ pascit vermiculos terræ, & volucres cœli, etiam potest providere, alimenta egenis & pauperibus? maximé potest. Quorsum ergo mandat opulentis, & divitibus, ut pauperum succurrant inopiæ & necessita-

cessitati? ut ex me addiscatis exemplum misericordiæ, utq; videntes me exhibere, seu repræsentare personam procuratoris aut æconomi pauperum, qui à vobis eleemosynam peto, ut pauperes & indigentes pascam & alam. O quam bene novit Joannes in hoc singulari presso pede insequi vestigia Dei! Scivit namque ab aliis petere stipem, qua pauperum ejus indigentiam sublevaret. Neq; satis erat S. Joanni à Deo, succurrere pauperibus fortuitò sibi occurrentibus, aut qui ejus opem & auxilium efflagitabant, sed studiosè compita, & loca publica, atque etiam domos perlustrabat & pauperes perquirebat. Legimus Gen. 19. Abraamum Patriarcham exiisse obviam tribus Angelis, qui illi in forma peregrinorum apparuerant, & rogasse ne à domo sua declinarent. Quod advertens D. Chrysostomus, tale ipsi dedit elogium. *Pauperum venator effectus est.* S. Joannes Patriarchæ Abrahamo erat simillimus, cui unicum erat studium, non solum acceptare pauperes ad nosocomia, sed etiam obviam exire, eos perquirere & adductis inservire. Unde de illo quoque meritò dici potest. *Pauperum venator effectus.*

IV. Divus Paulinus explicans illa verba Psalmistæ, *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem*; Sic ait: *Beatus enim est qui specialiter intellexit super egenum & pauperem: neq; judicem pro Christi corpore interpellere veritus.* In quibus verbis (ne fallor) alludere videtur ad psalmum supra citatum, in quo dicitur. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem*, id est qui attendit & curam habet necessitatis egeni. Sed quidnam sibi vult ille terminus *intelligit?* num quid oculi videntes nudum & mendicum falli possunt? ad quid igitur requiritur *intelligentia pauperis?* Respondet quidam Hispanus Autor: per hunc terminum *intelligit* designari diligentem sollicitudinem erga pauperes: ita ut intelligens super pauperem, toto studio & conatu operam suam impendat iis, qui ipsius indigent auxilio aut favore. Item, *Beatus qui intelligit super egenum.* Ille inquam qui studet & recogitat anxiusque discurrit ut esurientem cibet, infirmum sanet, & egenum sublevet. Talis erat S. Joannes à Deo, cujus non erat alia cogitatio, quam ministrare miseris pauperibus eisque subvenire: inter cætera vero bona, quæ pro operibus misericordiæ in hoc Psalmo promittuntur, illud est. *Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus.* Sed quonam modo id in S. Joanne probari potest.

V. Visitavit Christus Dominus hunc Sanctum nostrum, gravissima ægritudine periculosius laborantem, eumq; visitatione sua dignata est sacratissima virgo Deipara & ei febri ardentissima exæstuanti, sudores absterserit, ut adimpleretur Davidis vaticinium: *Dominus opem ferat illi, super lectum doloris ejus.* Benedictiones autem filiorum ejus manifeste tam in spiritualibus quam temporalibus cernuntur, quia non solum sunt hæredes generosæ charitatis parentis sui glorioſi, sed etiam per merita sua brevissimo tempore in Ecclesia Dei adeo sunt multiplicati, ut etiam antiquissimis Ordinibus in hoc cedere nequaquam debeant. Totum hoc promeruit Sanctus, qui haud contentus effici venator necessitatis alienæ, etiam instituit Ordinem, qui ex professione sua, eodem fungeretur officio, & ad exemplum suum hilari vultu inopiæ proximorum subveniret, & ferventi charitate eos reficeret & sublevaret. Quocirca dignissime promeritus est communi elogio dici, Pater pauperum: tam illustre enim honoris encomium tanto charitatis zelo debetur, quæ omnibus votis & desideriis pauperes reficere satagit, & anhelat. Quod si me interrogare velitis, quemnam fructum ex operibus tantę charitatis S. Joannes retulerit? facile respondebo, nempe non solum ob hoc vocari patrem pauperum, sed etiam serenissimo Regis nomine appellari posse, juxta verba Domini, dicentis ad discipulos: *Complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Nam si charitas est Regina virtutum, quæ vere Reges facit, in quo est excellentior, ille quoque majori Regis titulo dignus censebitur. Cum igitur S. Joannes summum charitatis gradum attigerit, est primus inter misericordes, insignitusque

corona cœlesti regnat in cœlis
sempiternum.

AMEN.

IN FESTO S. JOANNIS DE DEO,

CONCIO II.

Circa illum corona fratrum. Eccl. 50. v. 13.

MOris est Auditores præstantissimi Magnatibus tam spiritualibus quam etjam politicis, quod illos per modum coronæ multi hominum circumstare soleant: verbi gratia, ut ab Ecclesiasticis incipiam, Pontifex Romanus, dum in Festo Paschæ, & Sanctorum Petri & Pauli, aliisque diebus celeberrimis, solenniter divina celebrat, undique cingitur Cardinalibus purpuratis, mitratis Episcopis, Sacerdotibus, Diaconis, Subdiaconis, Accolytis, cæterisque altaris ministris, vestibus redimitis, & pulchro ordine circumstantibus ac ministrantibus. Eodem modo fit in statu politico, ut dum Imperator vel Rex in solio suæ Majestatis residet, circumstant illos Legati extranei, Principes & Magnates, multusque populus, ut ipsum palatium vix eundem capere queat. Cum ergo Onias, de quo hæc verba Ecclesiastici recensentur, nempe, *Circa illum corona fratrum*, fuerit summus Pontifex, atque certis diebus, præsertim in Festo Expiationis, cæterisque diebus solennioribus, sacra audire consuevisset, uti habetur Levitici 16. capite, hinc de illo scribitur, nempe; *circa illum corona fratrum*. Tunc etenim magna Sacerdotum corona circumdatus, summam pontificatus magnificentiam præseferebat, qua populum ad devotionem & reverentiam Dei excitabat. Hæc quidē erant pro magnificentia & exteriori pompa. Sed dum ego ad Sanctum Joannem Patrem Pauperum & sui Ordinis Fundatorem digredior, ad illum, inquam, qui nullam sæculi pompam præsetulit, ad illum qui paupertati & humilitati erat deditissimus: quomodo hæc verba illi deservient: *Circa illum corona fratrum*. At non solum sollicitus, ego enim ubi vobis victoriam amoris, in Sancto Joanne depictam, ad vivum ostendero, etiam coronam, qui sunt pauperes quibus ministravit, demonstrabo.

I. Inter cætera, quæ in vita Sancti Joannis recensentur, illud quoque est singulare, quod cum die quodam ante crucifixum, cui aderant dispositæ imgines Deiparæ Virginis, & Sancti Joannis Evangelistæ, Dominum precaretur, ut eum edoceret viam, quâ melius gratiusque suæ Majestati inservire posset, tantam interius dulcedinem sensit, ut sibi persuaderet, se jam cuncta pro voto à Domino impetrasse, & hisce intentus totusque quodammodo absorptus, videbantur ei virgo sacratissima, & dilectus Apostolus descendere ex altari, suoque capiti coronam spineam imponere, Deipara hasce subjungante voces. O Joannes per spinas & tribulationes cupit filius meus, *ut* tibi plurima accumules merita. Convertens se Sanctus Joannes ad Christum respondit ei: Spinæ, adversitates & miseriæ, à tua Domine manu donatæ, mihi rosæ erunt & flores gratissimi. Referunt quidam antiqui Hebræi, è quibus est unus Hamerus, inter cætera sua clenodia pretiosa Regem Salomonem habuisse quendam annulum, in cujus lapide sive gemma erant sculptæ duæ coronæ sibi mutuo innexæ, quarum in medio hæc duo verba incisa erant: *Victoria amoris.* Hujus rei mysterium prædictus Autor explicans ait: coronam auream denotare Divinitatem, asperam vero & spineam adumbrare humanitatem Christi, corona spinea redimitam: in quo ornatu describit eum sponsa dicens: *Egredimini filiæ Sion & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis, & in die lætitiæ cordis ejus:* Additque Hamerus, in copulatione istorum diadematum sitam esse victoriam amoris, quæ in unione naturæ humanæ cum divina consistit, quam in Christo per incarnationem effecit. Itaque Christum victorem in triumpho amoris

Cant. 3. vers. 11.

moris delineat Salomon, in annulo suo cum corona spinea, quæ est corona ignominiæ: ad denotandum quod in illo triumpho amoris, Deus gestet insignia captivi & victi, ipse vero amor sit qui triumphat. Juxta consuetudinem antiquam, quam refert Autor quidam Alexander ab Alexandro, quod nimirum triumphator non gestaret coronam in curru triumphali, sed unus è servis & captivis. Hoc denotabat lemma inscriptum annulo Salomonis, *Victoria amoris.* Talis explicatio est rationi consentanea, sed magis appositè ad rem nostram, videtur mihi emblema illud significasse insignem illam victoriam, quam immensus amor Dei ab homine consecutus est: illa enim corona aurea ideo spinæ inserta fuit, & quasi eidem copulata esse visa est, ac si corona illa spinea versa fuisset in auream, & verè sic est: in eo enim consistit victoria amoris Christi Domini, dum pro nobis corona spinea redimitus erat, quæ ob victoriam amoris in coronam auream versa sibi visa fuerat. Juxta illud, *Corona aurea super caput ejus.* Nonne videtis quantum æmuletur charitas Joannis amorem Redemptoris? qui tanta animi jucunditate amplectebatur coronam spinarum & tormentorum, quasi diadema gloriæ & aureum fuisset: nec fefellit opinio servum Dei, quia hoc ipsum ei præfigurabat corona: licet enim materia illius, nempe spinæ, illi dolorem minaretur, figura tamen illius gloriam prædicebat: verè siquidem misericordi labores sunt Regnum, & tribulationes corona.

Eccl. 45. vers. 14.

II. Habemus scriptum Apocalypsis 6. capite. *Ecce equus albus, & qui sedebat super illum habebat arcum, & data est ei corona, & exivit vincens, ut vinceret.* In hac visione Sancti Joannis Apostoli multa quidem sunt consideratione digna, inprimis equus albus, qui in subjecto velocitatem amoris, in prædicato verò ejusdem candorem repræsentat: deinde arcus, quo sessor hujus equi utebatur, qui designat sagittas, non illas impuras cupidinis, sed castas & spineas in corona vincentis Christi renitentes: & ipsa demum corona, quæ de victoria amoris triumphat. Hæc tamen omnia prætermittentes, postrema verba visionis ponderationem suam à nobis expostulant, quia prima fronte superflua & supervacanea videntur. Quid enim est dicere, *evixit vincens ut vinceret*? Cur non potius evixit belligerans, ut victoriam hoste debellato reportaret? & deinde, si exivit victor seu vincens, certum est eum ad vincendum exivisse, prouti habemus exemplum in primo libro Regum, in quo adnotatur, egressus David puer adversus Goliath Philistæum. Hic possemus dicere. *Exivit vincens ut vinceret.* Quia accepta informatione belli Philistinorum cum Israele, visoque illo gigante spurio, toti exercitui insultante, & quempiam ex illis ad duellum provocante, divini numinis æstro percitus, accessit Regem Saul, eique mentem suam explicavit, quod velit pugnare cum gigante, & auferre opprobrium Israelis. Cumque illi Rex disuadere vellet, proponens pusillam ætatem, gigantis verò maturos annos, suam pusillam staturam, illius verò immensam molem corporis, nullam praxin ad pugnandum, illius vero multam in rebus bellicis experientiam: ille Regem Saul bono animo esse jussit, dicens. *Pascebat servus tuus patris sui gregem, & veniebat leo vel ursus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos,* & pauca post addidit. *Nam leonem & ursum interfeci ego servus tuus, erit igitur & Philistæus hic incircumcisus, quasi unus ex illis.* Hic sane cum jam accepta funda & lipillis properavit adversus gigantem. *Exivit vincens ut vinceret.* Superflua ergo fuit hæc verborum adjectio. Quis enim cum corona vadit ut vinceret, & non potius ut triumpharet? At nodum hujus difficultatis solvit quidam modernus Doctor, qui per coronam illam intelligit spineam, qua Autor vitæ fuit redimitus, de qua asserit sequentia. *Corona illa cum non solum Christi caput ornaret, sed etiam pungeret, cum labore certantis vincentis gloriam copulabat,* tanquam diceret: eadem corona cujus spinæ Christum pungebant, erat simul ei decor & gloria. Ita, ut si ex una parte illum spinæ torquentes affligebant, ex alia, eum ineffabili gaudio & lætitia replebant, erantque illi spinæ pungentes corona vincentis. Hæc doctrina pulchrè applicatur Sancto nostro Joanni, qui tantam dulcedinem percepit ex corona spinea à Deipara virgine sibi præsentata, ut non immerito coronis Regum illam prætulerit.

1. Reg. 17. vers. 33.

Apoc. 6. vers. 8.

Pintus de Crucixo lib 4.

III. Etiam dici potest, hanc mysticam coronam significasse charitatem, & misericordiam, quam Sanctus erga pauperes Christi exerciturus erat, foreque in cœlis principalem ejus coronam. Moveor autem ad hoc dicendum, ex his quæ in vita ejus referuntur, nempe quod brevi post, præteritæ visionis suæ mysterium revelatum repererit. Dum enim incederet per plateas urbis Lusenensis, vidit super liminari cujusdam domus affixam schedulam quæ ita sonabat: *Hæc domus locanda pro infirmis & pauperibus.* Et ingrediens illam, statim decrevit eam conducere, ad eamque recipere omnes infirmos & pauperes destitutos, qui in plateis jacebant, intelligens sibique firmiter persuadens, illam esse coronam sibi demonstratam, illudq; esse iter suum quod sequi deberet. Præterea addo ego, S. Joannem ibidem reperiisse materiam coronæ suæ. Mandaverat olim Deus Moysi, dicens de tabernaculo suo, *Facies & mensam de lignis setim & inaurabis eam auro purissimo,* & paulo post subdit. *Facies & illi labium aureum per circuitum, & ipsi labio coronam.* Pulcherrima figura nostro constituto, ait enim Berchorius. *Talis mensa est homo pius ac misericors*, id est, mensa illa coronata est symbolum hominis pii & eleemosynarii: quia pauperes, quibus misericors succurrit, sunt corona adcingendum caput ejus.

Berchor. l. 2. moral. cap. 17.

IV. Adeundem sensum explicat idem Autor versum illum Davidicum, *Qui coronat te in misericordia & miserationibus.* Ubi Propheta Regius affirmat Deum coronare hominem misericordiis. Et iste est sensus prædicti Psalmi: sic enim ait idem Berchorius dicens. *Coronat Deus in misericordia & miserationibus, quia virum justum coronat clementia, seu misericordia & pietas.* Unde sequitur, quod omnem Christianum qui impendit se ipsum operibus charitatis, sequatur Regnum & coronam. Jam quid hic dicemus de S. Joanne nostro, qui hac virtute ita eminuit, ut meruerit illustri elogio nuncupari *Pater pauperum.* Quis dubitet quin hi pauperes fabricaverint illi coronam in cœlis excellentem. Regius ille Propheta David, perpendens maximam bonitatem divinam, quæ in eo consistit, quod sit promptissimus ad remunerandum omne servitium hominis impensum sibi, sic ait Psalmo 5. *Tu benedices juste: Domine ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Hæc verba considerans Rupertus Abbas, per justum hominem intelligit quemlibet misericordem & pium in pauperes, quales erant SS. Patriarchæ, uti Abraam cæteriq; qui justi appellantur propter misericordiæ opera, pro quibus benedici à Deo meruerunt: quam benedictio S. David clarius explicare volens, addidit: *Ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Quid scutum cum corona? Respondet Bellarminus Cardinalis, intelligens pro corona divinam gratiam, & ait. *Gratia Dei sic complexa est misericordes, ut scutum protegere solet milites.* Proinde cum S. Joannes in operibus misericordiæ præclarè excelluerit, quâ coronâ dignum fuisse existimatis?

Pſ. 102. v. 4

Pſ. 5. v. 18.

Bellarm.

V. Singulare quidpiam dixit S. Bonaventura, quod peregrinum & paradoxum videri posset: æstimat enim hic Doctor Seraphicus, quod si quis ministraret pauperi propter Christum, plus mereretur quam si propriæ Salvatoris personæ obsequium præstaret. Et quis videns Redemptorem egentem, quis videns nudum non illico illi serviret & succurreret? Verùm servire alteri in nomine ipsius, excellentiorem magisque probatam exigit charitatem. Quapropter iste Sanctus alloquens animam suam, veluti alter David, ita inquit: *Anima mea quid quotidie anxiaris post Christum? indicat tibi sponsa, quem diligit anima tua: certè in infirmaria jacet, ibi angustiatur, ibi torquetur dolore.* Quasi diceret: anima mea desideras invenire sponsum tuum, ejusque dulcissimo frui consortio, quiesce, ne fatigeris, dicam tibi ubi reperire possis, vade ad Xenodochia infirmorum, & ibi eum reperies in lecto jacentem, afflictum, egenum, & doloribus plenum. Et prosequitur Sanctus dicens. *Si Christum negleximus in cœno, ipsum non habebimus in cœlo, Infirmus eram & non visitastis me.* Ex quibus verbis intelligitur charitati promitti Regnum, eleemosynæ verò annexam esse coronam. Confidant igitur charitate ferventes, & animentur misericordes: quia æternus Pater omnes faciet Reges & coronam cunctis eleemosynariis elargietur in cœlo, ut simul de operibus suis, per merita Christi Jesu, cum Sancto Joanne patre pauperum, æternum lætari possint. A M E N.

D. Bonav.

IN FESTO S. JOANNIS DE DEO, CONCIO III.

Placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.
1. Cor. 1. v. 21.

AUditores præstantissimi, hoc meum thema quod extractum ex prima Epistola S. Pauli ad Corinthios, assumpsi mihi pro laudibus S. Joannis Patris pauperum, & Ordinis fratrum misericordiæ fundatoris quantæ apud vos æstimationis futurum sit ignoro; quinimo me peregrinum quidpiam & paradoxum protulisse puto. Quid enim inusitatius est aliquem laudare vellem, & eundem in numero stultorum collocare? Certe tales non habent locum laudis, quinimo vituperii. Legimus 1. libro Reg. de fortissimo illo Heroe David, qualiter invidiam Regis Saul & periculum mortis vitare cupiens, cum fugisset ab eo & venisset ad Achis Regem Geth, ut se penes illum salvare posset, audiens in aula Regis hæc verba perstrepere, *nunquid non iste est David Rex terræ? nonne huic cantabant per choros, dicentes? Saul percussit mille & David decem millia?* his verbis commotus timensque à facie Regis Achis finxit se stultum. Nam immutavit os suum coram Rege, collabebatur inter manus servorum illius, impingebat in ostia portæ, defluebantque salivæ ejus in barbam. Quid ad hæc Rex? jussit illum excludi dicens. Vidistis hominem insanum, quare adduxistis eum ad me? An desunt nobis furiosi, quod introduxistis istum ut fureret præsente me? dimitte illum hinc, ne ingrediatur domum meã, Si igitur S. Joannes è numero talium esset, quã laudem à nobis mereretur? Nihilominꝰ tamen, quia iste S. non ob vitandum mortis periculum, sed propter Christum stultus erat, & in operibus misericordiæ, et crucem Christi quæ mundo stultitia est, exprimebat, magnis laudibus dignus à nobis censebitur, uti jam audietis.

1. Reg. 21. vers. 11. 12.

I. Dum attentius considero S. Joannem à Deo, se se in fæculento luto volutantem in publicis plateis urbis Granatensis, quasi immundum foret animal, & duris ictibus ferientem pectus suum, propriam faciem pugnis verberantem, huc illucq; irrequieto motu discurrentem, has & similes actiones exercentem, ob quas cuncti ipsum insensatum & amentem indigitabant, & simul video pueros, & viros turmatim ipsum insequentes, altaque voce exclamantes, ecce stultum, ecce stultum, totus attonitus hæreo, & obstupesco. Maximè dum lego Sanctum ad hæc omnia, hilari lætaq; fronte respondentem: Omnia sint ad amorem Jesu: qui etiam rogatus à pueris, ut propter amorem Jesu terram exoscularetur, continuo rogantibus obsequebatur. Imo lego in vita ejus, quod aliquando eum, tanquam fatuum, cum cæteris stultis captivum incluserint, & cum illum quinquies mille flagris cæderent, sicuti Christum flagellarunt, respondebat flagellantibus: Deus sit merces vestra, quia omnia sunt saluti meæ necessaria. Certe dum hæc perpendo, ingenue fateor mihi videri hanc fuisse maximè heroicam actionem, inter omnes, quas egit Sanctus Joannes, quamvis innumeræ meritò admirandæ de illo referantur. Hinc autem moveor ad id opinandum, quia docemur experientia, homines in hoc mundo nihil magis appetere, quam ut prudentes doctique æstimentur, & forte ideo quia essentia hominis consistit in ratione, & tantò magis quilibet se reputat hominem, quo magis viget ratione & intellectu. Unde ait Seneca: Si bona mens esset venalis, non haberet emptorem: nullus enim se reputat stultum, & quivis ingenio suo contentus est, quin putat se cæteris antecellere. Igitur recte dixero, maximum fuisse facinus S. Joannis, quod se fatuum simulaverit, & talis ab omnibus haberi voluerit.

Seneca.

II. Narrat sacra historia, Deum permisisse Sanctum Jobum Satanæ, eique dedisse amplissimam commissionem & potestatem exequendi

exequendi in corpus ejus omnes attrocitates, & tormentorum genera quæ excogitare posset, & solummodo facultatem ejus coarctasse, seu limitasse in uno, ne videlicet animam
Iob.2.v.6. ejus attingeret : *Ecce in manu tua est, verum tamen animam illius serva*, id est, fac quod lubet, ure, seca, percute, ad extremum miseriæ reduc servum meum, sed cave, ne animæ ejus damnum ullum, aut nocumentum inferas. Disputant hic acriter sacri expositores, quid voluerit Dominus Deus, quando prohibuit Dæmoni ne animam Jobi tangeret, sed illæsam servaret. Qui varias hujus rei explicationes desideraverit, legat doctum commendatorem Jobi, qui eas summatim recenset. Inter reliquas refert unam ex Didymo, qui per animam vult intelligi, perfectum usum, & arbitrium integræ rectæque rationis. Unde ait : *Verum ejus*
Didymus apud Pinea. *mentis soporem insaniamque ne adferas.* Itaque Deus consentiens Dæmoni, ut anatomiam totius corporis faciat in Jobo, eumque omnibus modis excruciet, non permisit ei, ut intellectum ejus perturbet, aut judicium rationis pervertat : forsitan ne veniret Job in opprobrium aut ludibrium aliorum. Optasset quidem Diabolus eum reddere mentis impotentem, si licuisset, sed noluit Deus tam gravi ignominia affligi servum suum. Unde aperte patet, cum Sanctus Joannes à Deo, huic opprobrio voluntarie se submiserit coram mundo, hoc ideo fecisse ut majores sibi pro Christo patiendi occasiones accerseret. Unus & quidem singalaris fuit ex illis, qui à mundo desipientes haberi, suasque actiones ab impulsu divino procedentes, deliria reputari nihil æstimant, juxta illud Psal-
Ps.39.v.5. mistæ : *Beatus qui non respexit in vanitates, & insanias falsas.* Flocci pendit justus respectus humanos, neque propter eos deviat à recto tramite quem incepit. *Solus Deus spes ejus est, homines non curat, qui eum à proposito deterrere conantur.* Hic est familiaris & communis horum verborum sensus.

III. Verum Sanctus Ambrosius hæc postrema verba Psalmistæ, nempe *insanias falsas*, argutissimè ponderat : quærit enim Sanctus Doctor : Ergo ne dantur insaniæ veræ, & insaniæ falsæ, quæ igitur tales erunt ? Tales inquam, quas reputat mundus revera esse insanias, quæ nullæ sunt, quin imo fallitur mundus, judicans heroica justorum opera esse fatuitates & insanias, uti aperta confessione ipsimet perversi & reprobi fatentur, dicentes : *Nos insensati vitam illorum* Sap.5.v.4. *æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ergo erravimus à via veritatis.* Videbant Isaiam Prophetam absque calceis nudis pedibus incedentem, huc illucque per plateas cursitantem, ferreis catenis onustum per plateas urbis Jerusalem divagantem, & omnes eum delirum menteque captum æstimabant, idemque de aliis Prophetis judicabant, qui similes actiones exercebant : hoc autem ideo erat, quia talium actionum mysterium eo, latebat, uti abrasio illa capillorum Jeremiæ Prophetæ, quam acuto gladio in capite suo exercuerat. Sed ipsi justi vilipendebant errores & opiniones hominum, quod apud illos insani aut dementes haberentur : nam tales stultitiæ erant insaniæ & falsæ. Hac de re taliter ait Sanctus Ambro- S. Ambr.
sius : Sunt ergo viræ & falsæ insaniæ & forsan Prophetarum, qui in excessum mentis positi prophetabant, ut quibusdam insanire viderentur. Ad confirmationem hujus doctrinæ S. Ambrosii, multum splendoris & claritatis adfert curiosa quædam observatio eminentissimi nostri Cardinalis Cajetani, ponderantis factum illud, quod sacra pagina refert de Jehu, qui cum in consortio assisteret Principibus exercitus, venit ad eum Propheta quispiam, dixitque ei. *Verbum mihi ad te O Princeps* : neque illud secretum minus erat, quam quod veniret ad ungendum eum Regem Jsrael : Jehu autem revertenti ad socios, dixerant illi. *Quid venit insanus iste ad te?* Stultum vocant, inquit Doctissimus Cardinalis : sed quid stultitiæ commisit in actionibus suis, unde ipsum dementiæ arguere possint ? Nihil sanè sapiente indignum admisit, nisi quod, cum esset discipulus Prophetarum, qui non nisi Deo servire, & negotia salutis suæ perficere satagunt, ideo insipientiæ condemnant quod maximæ prudentiæ opus erat. *Insanum appellant Prophetarum, eò quod profiterentur Prophetarum filii, futuræ vitæ studium, vacando divinis laudibus.* Ecquis sanioris mentis aut sapientior S. Joanne à Deo ? & nihilominus mundus eum mentis lumine obcœcatum judicat, omnesque ejus actiones à Spiritu Sancto directas spernit & vili-

vilipendit : omnia enim erant artificia, & ſtratagemata, quæ Sanctus quærebat ad patiendum & ſatisfaciendum pro peccatis, quæ ſe commiſiſſe ſuſpicabatur, cum tamen nullum perpetraſſet : quia pie creditur, ipſum nunquam primam baptiſmi gratiam amiſiſſe.

IV. Sed quid tantoperè admirandum, quod Sancti talia agant propter amorem Dei, quando conſiderant Dominum eadem amore ipſorum, & plura præſtitiſſe. Feci vobis in exordio concionis meæ Davidis memoriam, quaſi coram Achis Rege ſe inſanum ſimulaſſet. Putatis ne id pure fuiſſe hiſtoriam ? minimè verò, quin imo figuram Chriſti Domini, qui cum eſſet patris ſapientiæ, pro nobis ſtultus factus eſt, ut nobis ſui exemplum præberet. Ecce enim quando David in aula Regis Achis, ſeu Abimelech, *collabebatur in manibus ſuis*, quid aliud erat niſi id, quod de ſanctiſſimo corporis Chriſti ſacramento in hymno ſuo panegyrico Sanctus Thomas Aquinas ait. *Se dat ſuis manibus.* Sed tantum myſterium quidnam videtur hæreticis ? Sane nihil aliud, quam ipſa inſania, dicente Divo Auguſtino hiſce verbis : *Tam magnum myſterium fatuitas quædam videtur.* Pulchra doctrina aliis occaſionibus accommodata : quod enim David, in palatio illius Regis, mille geſticulationes exercebat, jam ſaltando, ridendo, cantando, & tales geſtus proferendo, quibus cæteros ad riſum ſuique vilipendium provocaret, id totum erat ad inſinuandum, quod mundi hujus homines non capiant ea, quæ Dei ſunt, ſed omnia ſcurrilia & inſana eis videantur. Figura fuit (uti ante dixit David) Chriſti Redemptoris noſtri, apud quem tantum potuit efficere amor hominum, ut coëgerit eum, quantum ad exteriorem apparentiam, amentis perſonam ſuſcipere. Confirmat id quidam conceptus Sancti Drogonis : Hic enim comparans amantiſſimum Eccleſiæ Sponſum, cum Samſone Dalilæ amore capto : & dum devotiori affectu eundem ſponſum cœleſtem meditatur, nempe eum proſtratum ante pedes diſcipulorum, eos lavando, extergendo, & oſculando, tunc recordatur, Samſonis, inter brachia ſuæ fallacis Dalilæ, & affirmat illum plus nimio, & præter merita ipſam dilexiſſe, ita ut videatur ſapientia ejus deſipere. Verba ſunt Drogonis. *Ita amaſti non amantem, ut ſapientia tua ſtulteſceret.* Tantæ potentiæ fuit amor Dei erga homines, ut concupiverit apparere amens & fatuus, quo plus pro nobis pateretur. Itaque Sanctus Joannes à Deo, volens hunc amorem Chriſti compenſare, ejusque gratitudinem in ſe ipſo exprimere, ex amore reciproco finxit ſe inſipientem, ut plures pro Deo patiendi occaſiones nanciſceretur.

V. O utinam tandem aliquando cognoſceremus hujus veritatis evidentiam, & fateremur ſolos Sanctos exploratum habere, quod omnis ſapientia humana ſit fatuitas & inſania, & ſola vera ſapientia, quam mundus tanquam ſtultitiam & dementiam ſpernit & calumniatur. Idcirco oportet quatenus quivis Chriſtianus deſipiat mundo, ut vere ſapiat Deo : uti ait Sanctus Paulus, 1. Corinth. 3. Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens. Eſt hoc ſalutare documentum Sancti Pauli : nam Angelicus Doctor Divus Thomas conſiderans illud, adnectit ſequentia verba. *Hoc obſervandum eſt non ſolum in his, in quibus ſæcularis ſapientia contrariatur veritati fidei, ſed etiam in omnibus, in quibus contrariatur honeſtati morum.* Non ſolum docet Sanctus Paulus, ut contemnamus mundi ſapientiam, & affectemus id quod ipſe ignorantiam reputat in rebus, quæ fidei adverſantur, ſed etiam in iis quæ morum honeſtati præjudicare videntur. Itaque ſecundum inſtructionem Apoſtolicam ſolum debemus attendere ad ea, quæ cultum & obſequium Dei concernunt, aut quæ ad ſalutem animarum conducunt, quia in his vera ſapientia conſiſtit, quæ mundus veluti inſanias condemnat, quia divinarum rerum cognitione caret. Tanquam fatuum dijudicavit S. Joannem, cum tamen doctior fuiſſet omnibus mundi ſapientibus. Sed hoc erat, quod Sanctus ſollicite cupiebat haberi pro fatuo : ſciebat enim placuiſſe Deo, per ſtultitiam ſalvos facere credentes, cum quibus & ipſe commoratur in cœlis, & verâ Dei fruitur ſapientiâ.

A M E N.

S. Aug. in Epiſt. 33.

S. Paulus 1. Cor. 3. v. 22.

D. Thomas Lect. 3.

IN FESTO S. JOANNIS DE DEO, CONCIO IV.

Memoriale tuum, in generationem, & generationem. Ps. 101. v. 13.

Homines memoriæ posteritatis avidi, multa tentare solent, utque eorum nomen futuris etiam temporibus celebretur, ardua quæque moliri non abhorrent. Et quid erat difficilius primis illis filiis hominum, à Noe descendentium, quam præsumere opus & structuram unius turris, tam immensæ tamque altæ, cujus summitas ad cœlum usque pertingeret, & tamen opus tam arduum attentare ausi sunt dicentes. *Venite, faciamus nobis civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum.* Ad quid tam arduum opus? cui fini tanta moles? Respondent in eodem textu dicentes: *Celebremus nomen nostrum antequam dividamur in universas terras.* Philo Judæus explicans istum locum non obscurè ait, primos illos homines post naufragium natos ad hunc finem tantam machinam erigendam assumpsisse, ut cum deberent dividi in diversas terras, nomen quoque eorum in iisdem celebrari posset, quibus complures dari similes his verbis innuit dicens. *Sunt etiam hodie, qui valde sibi talibus rebus placeant, putantes inde se præclaram apud homines æstimationem acquirere.* Quin imo plerosque est invenire, qui si non possint per bene & glorioſe facta memoriam apud homines comparare, eam sibi per malefacta procurare non verentur. Talis erat Zoroastratus, qui cupiens nomen suum in memoria hominum diuturna versari, sumptuosissimum & inter septem miracula mundi adnumeratum, illud inquam Dianæ templum Ephesi exstructum igne supposito conflagravit. Sed pereat talium memoria! Ego aliquam ex benefactis elicere vobisque commendare cupiens, inveni Sanctum quendam virum, Joannem à Deo, in humilitate magnum, in paupertate divitem, in inopia prodigum, & summè liberalem, patrem inquam pauperum, & Ordinis Fratrum misericordiæ Fundatorem. Cui tunc affigam memoriale suum in generationem & generationem, ubi ostendero institutum hujus sacræ religionis, institutio cæterarum religionum earumque cunctis exercitiis, esse excellentius & præstantius.

Gen. 11. v. 4.

I. Status concionis meæ quem proposui, sit citra invidiam cæterorum sacrorum Ordinum: licet enim unicuique Deus, non aliter quam alter Joseph Patriarcha fratribus suis, certas partes obtulerit, novissimo tamen Benjamin obtulit partes aliorum fratrum suorum, quin duplo excedentes. Constans & indubitata est Theologia, charitatem esse omnium virtutum reginam: itidem certa est doctrina, illam intra sphæram, & limites charitatis esse perfectiorem, quæ majorem miseriam, & necessitatem proximi sublevandam respicit, tanquam objectum, & cum urgentior sit miseria pauperis infirmi, quam mendici sani & incolumis, haud dubie illi prius erit remedio succurendum, cujus necessitas magis fuerit urgens, & majorem miserentis imploraverit opem, & in hoc præsertim excellentia charitatis eminebit. Non hæc mea, sed Sancti Gregorii Nysseni est meditatio, qui in oratione quadam disertissimè simul & doctissime de hac materia ratiocinatur. *Cum omnes pauperes fovendi adjuvandique sunt, tum illi qui ægrotant, præcipuè sunt amplectendi.* Tametsi verum sit, omnes necessitates proximorum nostrorum instanter clamare, & opem charitatis nostræ implorare, primitus tamen subveniendum esse urgentioribus: quales sunt indigentiæ pauperum ægrotantium. Supponamus id, quod communiter contingit. Petit à te stipem mendicus, egens quidem pane, sed non sanitate, clamat & egenus, quem præter inopiam etiam ægritudo seu infirmitas affligit: Proculdubio, inquit Sanctus Doctor, prius opitulandum est necessitati & indigentiæ ægrotantis, quam sani & rectè valentis, hic siquidem habet, quo redimat suam vexationem & miseriam, potest namque ostiatim mendicare, & quod in una domo non recipit, in altera sibi donatur, verum egenus & infirmus impeditus est, ne hisce mediis suam possit sublevare inopiam, & incomparabiliter est major ejus necessitas, quam alterius. Ex dictis evidenter

ter colligitur excellentia instituti hujus gloriosi Patriarchæ, ejusque sacræ Religionis, cujus sanctum munus est, ut alumni ejus sint infirmarii pauperum, eis serviant, & de necessariis provideant. Contigit huic glorioso Patriarchæ id, quod S. Paulo evenisse refertur: raptus fuit ad tertium cœlum, & reseratis gloriæ portis, perlustravit plateas ejus, visitavit omnes Angelorum choros, ibidemque fixit domicilium, gaudens pro tempore illo, jure incolatus, uti concivis beatorum. Regreditur ad mundum. Ecquid ergo S. Paule, jam factus cœlicola, & concivis patriæ beatorum, officii assumes? aut cui te operi consecrabis? aut quale deinceps erit munus tuum? Nosocomio serviam, & infirmarii vices subibo. *Quis infirmatur & ego non infirmor?* id est, statim ac quis ægrotaverit, adero ut dolentem consoler, ei ministrabo & plagas ejus sanabo, & quantum fieri potuerit, languores ejus in me recipiam, & sanitatem meam illi retribuam. Audit melifluus S. Bernardus Doctorem gentium hoc idiomate loquentem, & dicit tantam charitatem non esse alicujus hominis, sed civis cœlorum, nam sic ait. *A Regno cœlorum descendit ad cubile infirmorum*, hoc est, descendit S. Paulus è cœlis, & professus est religionem infirmis servientem. Quo tandem deveniet noster S. Joannes, jam totus beatus: nulla enim beatitudo potuit illi dari major, quam jugiter frui aspectu pueruli Jesu, ejusdemque sæpius familiari uti colloquio. Quo inquam deveniet? Sanè ad nosocomium seu infirmariam ægrotantium, ubi cum filiis suis religiosis se totum eorum curæ & consolationi consecrabit. Nequaquam est hæc charitas hominis hujus sæculi, sed hominis cœlestis & divino spiritu pleni. Non nata est hæc charitas in terris, sed originem suam traxit è cœlis.

2. *Cor.* 11. *v.* 29.

II. Hanc forsitan ob causam descendebant Angeli è cœlis, ad assistendum illi in ministerio pauperum infirmorum. Iverat quadam vice sanctus vir ad quærendum aquam, & reversus domum, reperit illam compositam, scopis mundatam, cubilia strata, scutellas lotas, & cuncta pauperum necessaria præparata. Sisitatur ex illis, quis nam hoc ministerium præstitisset? Et responderunt omnes ægroti unanimi voce dicentes: Tu pro more tuo hæc omnia peregisti: quibus ille: hoc nequaquam fieri potuit, quia in foro fui, nec vobis hoc obsequium præstiti. Languentes costanter asseverabant, ipsum & nullum alium id feciisse. Tunc Sanctus animadvertens mysterium, hilari fronte dixit eis, revera fratres, plurimum diligit Deus pauperes suos: nam mittit Angelos suos ut eis ministrent. Et fortasse fuit S. Raphael, qui ei nunciaverat, se à Deo destinatum esse ad auxiliandum ei in ministerio infirmorum, qui ei aliquoties detulit panes, dum eorum inopia laboraret, & aliis vicibus adjuvit eum, dum ad portandos infirmos in humeris suis solus non sufficeret, dicens ei, Frater Joannes, omnes sumus pares & ejusdem Ordinis. Est itaque officium infirmarii pauperum tanti honoris & excelentiæ, ut etiam Angeli cœlestes ambiant illud subire in terris. Quid dico, aut quid nomino Angelos? Ipsamet Angelorum Regina voluit esse infirmaria nostri Sancti: quin imo ipsemet Deus videtur illud officium non dedignare, pollicetur enim misericordi, quod sternet ejus cubile, & lectum componet ubi eum ægrotare contigerit, juxta illud, *universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.* *Psal.* 40. *v.* 4.

III Hinc patet, religiosos S. Joannis non solum exercere officium Angelorum in terris, sed etiam subire vices ipsius Dei. O quam insigne testimonium sacræ scripturæ occurrit mihi, ad confirmandam hujus conceptus veritatem. Legimus in sacra pagina, Regem Ochoziam descendisse ad invisendum Principem Joram, gravi morbo laborantem *Ochozias filius Ioram, Rex Iuda, descendit ut inviseret Ioram filium Achab, in Iezrael ægrotantem.* 2. *Paral.* 22. *v.* 1. In textu autem Hebræo non vocatur ille Rex Ochiozias, sed Azarias. *Descendit Azarias Rex Iuda.* *Lect. Heb.* Fateor, ubi in hanc incidi lectionem, dubius hæsi, eamq; ponderatione dignam judicavi, nempe quid sit causæ, quod illud nom ē Ochozias mutatum sit in aliud? Sed jam arcanum invenio apud D. Hieronymum, qui dicit, hoc nomen Azarias idem esse quod *adjutoriū Dei*, & addit *Ideo mutatur ei nomen in melius, eò quod juxta præceptum Domini ad infirmum visitandū descenderit.* *D. Hieron. hic.* Abiit ad invisendum ægrotum, juxta *præceptum Domini*: id est, secundum legem charitatis bene ordinatæ: justum ergo fuit ut desereret nomen hominis, & assumeret divinum; hoc est Azarias, sive *adjutorium Dei*. S. Ioannes cum tota sua sacra familia totum se impendebat ministerio pauperum infirmorum *juxta præceptum Domini*: hanc enim illi cru-

cem futuram prædixerat Deus. Sit igitur nomen ejus, nomen Dei, & cognominetur Ioannes à Deo, ut correſpondeat nomen officio quo fungebatur.

IV. Sanctus Ioannes in ſua Apocalypſi, vidit quandam arborem myſterio plenam, quæ duodecim fructus, juxta duodecim anni menſes proferebat: de foliis autem affirmat ea eſſe infirmis omnibus ſaluberrima. Verba ſunt illius. *Afferens fructus duodecim, per ſingulos menſes reddens fructum ſuum, & folia ligni ad ſanitatem gentium.* Poſſet hic fieri quæſtio curioſa, examinando, quidnam ex his duobus melius fuerit, an fructus, an folia? Reſpondeant alii quid velint, ego autem dico, quod folia in hoc ſuperabant fructus (dato quod etiam fuerint medicinales) quia hi ſolum ſanabant per menſes ſuos, folia vero toto anni tempore. Quid jam velim, intellexiſtis: unde à ſua applicatione ſupersedeo. Forte mihi objicietis, fructus ſemper eſſe pluris æſtimandos quam folia, & ſi velim hos Sanctos religioſos comparare foliis, & religioſos cæterorum Ordinum fructibus, propter cathedras, pulpita, Epiſcopatus, pileos Cardinarios & tiaras Pontificum, quæ omnia inſerviunt pro decore Sanctæ Eccleſiæ, & ſic manerent hi religioſi inferiores cæteris. Ad hoc reſpondeo ex doctrina S. Petri Chryſologi, qui expendens caput Matthæi 9. in quo deſcribit mulierem hæmorrhoiſſam dicentem. *Si tetigero tantum veſtimentum ejus ſalva ero*: ſic ait. *Acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus, quia in Chriſto nihil poſtremum credidit, nihil judicavit extremum. Quia nec memoratur Deus in homine, nec virtus attenuatur in fimbria, nec cœleſtis natura membrorum variatur officiis.*

Apocal. 22. v. 2.

Matth. 9. v. 21.

D. Petrus Chryſol. ſerm. 35.

V. Prudentiſſime diſcurrebat hæc mulier: quia quidquid in Chriſto ſuo medico invenie batur, totum id excellens erat, ſummitas, & infima fimbria, collum, caput & pedes, eandem virtutem participabant, nec divinitas in homine minorari poterat. Cum ergo illa tunica Domini, cujus fimbria contulerat mulieri ſanitatem, fuerit ſymbolum Eccleſiæ, cum inquam Chriſtus tam vili inſtrumento, opus tam heroicum & glorioſum fecerit, per id nobis inſinuatur, in ſua domo nullum locum aut officium debere dici infimum, neque ullum miniſterium, (quāvis mundanis oculis appareat vile) quod non ſit illuſtre & honore dignum: nam quod magis eſt pium & miſericors, magis quoque coram Deo eſt meritorium, & honorificum. Totum hoc diſertis verbis complexus eſt Doctor S. Bernardus: *Iſte ſponſus, non modo amans ſed amor eſt: nuncquid honor? contendat quis eſſe. Ego non legi: legi quia Deus charitas eſt, & non, quia honor aut dignitas eſt.* Non quod in Deo non ſint omnes perfectiones, ſed quia nos velit inſtruere, quanti Dei Majeſtas æſtimet eos, qui ſe operibus charitatis conſecrarunt. Jactent ergo alii Ordinis ſui miracula, dignitates, doctrinam. Jactent Pontifices, Doctores, & Magiſtros. Mihi, ô Sancte Joannes, ſufficit portentum charitatis tuæ, quo te & Ordinem tuum illuſtraſti: hoc enim de te poſſum dicere, *Memoriale tuum in generationem & generationem.* Sit Deus benedictus.

AMEN.

FINIS.

INDEX LOCORUM E SA-

cra Scriptura utriusque Testamenti.

Vbi Litera prima F. donat at Festum. Secunda C. Concionem. Tertia E. Exordium sive P. Punctum.

Genesis.

Cap.1.v.2. *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* in Festo S. Ignatii Confessoris. Societatis Jesu Fundatoris c.1. in exord.

v.26. Creavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam. in Festo S. Ignatii Conf. c 3 in exord.

v.28 Crescite & multiplicamini & replete terram. in Festo S. Matris Theresiæ c.1.p.2.

Cap.2.v.2 *Requievit die septimo, ab universo opere quod patrarat.* in Festo S. Ignatii Conf.c.1. in exord.

v.6. Fons ascendebat è terra irrigans universam superficiem terræ. in Festo S. Augustini Episc c.4.p.1.

v.16. Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientia boni & mali nè comedas. in Festo S. Pauli 1. Eremitæ c.1.p.1.

v.18. Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi. in Festo S. Matris Theresiæ.c,2.p.4.

Cap.3.v.7. *Consuerunt folia ficus & fecerunt sibi perizomata.* in Festo S. Romualdi Abb.c 3 p.2

Cap.6.v.9. *Noè vir justus, & perfectus fuit in generationibus suis.* in Festo S. Benedicti Abb.c.2,p.2.

Cap.8.v.21. *Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines, sensus enim & cognitatio humani cordis, in malum prona sunt ab adolescentia sua.* in Festo S. Brunonis Conf. Ord. Carthusianorum Fundat. c.1.p.2.

Cap.9.v.21. *Bibens vinum inebriatus est.* in Festo S. Bernardi Abb.c.3. in exordio.

Cap.11.v.4. *Venite faciamus nobis civitatem & turrim cujus culmen portingat ad cœlum.* in Festo S. Joannis de Deo c.4 in exordio.

Cap.12.v.4. *Egressus itaque Abraam tulit Saram uxorem suam & animas quas fecerant in Haram.* in Festo S. Matris Theresiæ.c.1 p.3.

Cap.13.v 2. *Erat autem dives valde in possessione auri & argenti.* in Festo S. Basilii Magni.c.2 p.1.

Cap.15.v.5. *Numera stellas cœli si potes* in. Festo S. Ignatii Conf.c.1.p.5. item c.4. in exord.

v.1. Ego merces tua magna nimis. in Festo S. Romualdi Abb.c.4.p.4.

Cap.17.v.1. *Ambula coram me & esto perfectus, ponamque fœdus meum inter me & te & multiplicabo te vehementer nimis* in Festo S. Benedicti Abb. Ord. sui Fundatoris c.1.p 1.

v.5. Patrem multarum gentium constitui te. in F.S. Benedicti Abb.c 3.p.1.

v.2 Multiplicabo te vehementer nimis. in Festo S. Ignatii Conf.c.1.p.2.

Cap.18 v.27 *Loquar ad Dominum cum sim pulvis & cinis.* in Festo S. Ignatii Conf. c. 4. in exord.

Cap.19.v.20. *Est hic parva Civitas salvabor in ea nunquid non modica ist, & vivet anima mea* in Festo. S. Francisci Conf.c. 1.p.4.

Cap.22.v 2. *Tolle filium tuum unigenitum quē diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium quem monstravero tibi.* in Festo S. Norb. Abb.c.4.p.1.

Cap.25.v.8. *Deficiens mortuus est in senectute bona provecta & aetatis & plenus dierum.* in Festo S.Romualdi Abb. c.4.p.5.

Cap.27.v.26. *Accede ad me, & da mihi osculum fili mi.* in F.S.Raymundi Conf.c.4.p.1.

Cap.28.v.22. *Si fuerit Dominus mecum & custodierit me in via, per quam ego ambulo & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum &c. erit mihi Dominus in Deum* in Festo S.Raymundi Conf.c.2.in exordio.

v.16. *Castra Dei haec sunt.* in Festo S.Ignatii Conf.c.1.p.3.

Cap.29.v.25. *Quid est quod facere voluisti, nonne pro Rachel servivi tibi quare imposuisti mihi* in F.S Bernar.Abb.c.2.in exord

Cap.32.v.10. *Minor sum omnibus miserationibus tuis.* in F.S.Francisci de Paula Conf. c.1.p.3.

Cap.35.v.22. *Erant filii Iacob duodecim.* in Festo S.Raymundi Conf.c.3.in exordio.

C.37.v.7. *Putabam nos manipulos ligare in agro, & quasi consurgere manipulum meum & stare.* in F.S.Bernardi Abb.c.2.p.2.

Cap.39.v.9. *Quomodo possum hoc malum facere & peccare in Dominum meum.* in Festo S.Bernardi Abb. c.4.p.2.

Cap.42.v.8. *Fratres ipse agnoscens non est cognitus ab illis.* in F.S.Francis. Conf. c.5.p.1.

Cap.48.v.9. *Parvuli sunt quos donavit mihi Dominus servo tuo.* in Festo S.Nerii Confes. c.4 p.2.

v.3. *Qui confortatus sedit in lectulo.* in Festo S.Raymundi Conf.c.3. in exord.

v.22. *Do tibi partem unum extra fratres tuos quam tuli de manu Amorrei in gladio & arcu meo.* in F.S.Fanciſci Conf.c.5.p.4. item in F.S.Raymundi Conf.c.3.p.3.

Cap.49.v.22. *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens & decorus aspectu.* in Festo. S. Bernardi Abb.c.2.p.1.

Exodus.

Cap.1.v.10. *Si ingruerit contra nos bellum ne addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis egrediatur de terra.* in Festo S. Benedicti Abb.c.4.p.3.

v.11. *Praeposuit illis magistros operum ut affligerent eos oneribus.* in Festo S.Raymundi conf.Ord.B.Mariæ de mercede redemptionis Captivorum Fundat.c.1.p.1.

Cap.3.v.2. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis in medio rubi.* in F S.Ignat Conf.c.3.p.3. *Vadam & videbo visionem hanc magnam.* in Festo S.Benedicti Abb.c.3. in exord.

v.10. *Veni & mittam te ad Pharaonem ut educas populum meum filios Israel de Ægypto.* in F. S.Norberti Abb. Ord. Præmonst. Fund.c.1 p.2.

v.12. *Hoc habebis signum quod miserim te cum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum.* in F. S.Francisci de Paula c.2.p.3.

Cap.7.v.1. *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* in Festo S.Dominici Conf.c.7.p.5.

v 1. *Constitui te Deum* in Festo S. Eliæ Proph. c.2.in exord.

Cap.13 v.21. *Dominus praecedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* in Festo S. Basilii Magnic.4. in exord. item in Festo S.Ignatii Conf.c.2 in exord.

Cap.16.v.3. *Cur in duxisti nos in desertum istud ut occideretis omnem multitudinem fame.* in Festo S.Romualdi Abb. Ord. Calduensium Fund c.1. in exordio.

Cap.18.v.18. *Non bonum est quod facis, stulto labore consumeris, sed audi verba mea* in F. S Ignatii Conf.c.4.p.5.

Cap.24.v.13. *Surrexerunt Moyses & Iosue minister ejus, ascendensque Moyses in montem Dei, dixit senioribus expectate hic.* in Festo S.Ignatii Conf.c.2.p.1.

Cap.25.v.9. *Fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.* in Festo S.Augustini Episc. & Ecclesiæ Doct. Fund. Canon Regul.& Eremit. c.1. in exord.

v.30. *Ponet super mensam panes propositionis semper.* in Festo S.Ignatii Conf.c.2.p.1.

Cap.26.v.37. *Erunt capita aurea & bases aneæ.* in Festo S.Franciſci Conf.c.2.in exord.

Cap.35.v.11. *Eriges tabernaculum juxta exemplar quod tibi in monte monstratum est.* in F. S. Philippi Nerii Conf Congreg. Orat. Fund.c.1.p.3.

Leviticus.

Cap.2.v.13. *Quidquid obtuleris sacrificii sale condies nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio*

eio tuo, in omni oblatione tua offeres sal. in Festo S. Dominici Conf. c. 2. p. 1.

Numeri.

Cap. 12. v. 3. *Moyses erat vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra.* in Festo S. Antonii veteris Monachorum Instituit. Fund. c. 3 in exord.

Cap. 13. v. 28. *Venimus ad terram adquam misistis nos quæ revera fluit lacte & melle ut ex fructibus his cognosci potest.* in Festo S. Pauli primi Eremitæ. c. 4 p. 2.

Cap. 22. v. 32. *Veni ut adversarer tibi perversa enim est via tua, mihique contraria.* in F. S. Bernard. Abb. Ord. Cisterc. Propag. c. 1. p 2.

Cap. 25. v. 4. *Tolle cunctos Principes populi & suspende eos contra solem in patibulis.* in F. S Eliæ Prophetæ c. 3 in exord.

Cap. 31. v. 22. *Aurum & argentum, æs, & ferrum, & plumbum, & stannum, & omne quod potest transire per flammas igne purgabitur.* in F. S. Ignatii Conf. c. 3. in exor.

Cap. 32. v. 13. *Iratus Dominus adversum Israel circumduxit eum per desertum 40. annis donec consumeretur universa generatio quæ fecerat malum in conspectu ejus.* in F. S. Romualdi Abb. Ord. Calduens. Fund. c 1. in exordio.

Deuteronomii.

Cap. 33. v. 12. *Benjamin amantissimus Domini habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo tota die morabitur & inter humeros illius requiescet.* in F. S. Domi. Con. c. 5. p. 1

Iosue.

Cap. 2. v. 1. *Ite & considerate terram urbemque Iericho.* in F. S. Pauli primi Erem. c 4 p. 2

Cap. 5. v. 13. *Noster es, an adversarium.* in Festo S. Matris Theresiæ. c. 3 p. 3.

Cap. 7. v. 13. *Anathema in medio tui est Israel, non poteris stare coram hostibus tuis donec deleatur ex te qui contamizatus est hoc scelere.* in Festo S. Ignatii Confessoris c. 3. p. 1.

Cap. 10. v. 16. *Se absconderunt in speluncam.* in Festo S. Raymundi Conf. c. 2. p. 2.

Iudicum.

Cap. 2. v. 18. *Et audiebat afflictorum gemitus & liberabat eos de cœde vastantium.* in Festo S. Raymundi Conf. c. 1. p. 4.

Cap. 3. *Qui utraque manu pro dextra utebatur.* in F. S. Norberti Abb. Conf. c. 3. p. 3.

Cap. 5. v. 15. *Qui ascenditis super nitentes asinos & sedetis in judicio & ambulatis in via, loquimini.* in Festo S. Basilii M c. 4. p. 1.

Cap. 6. v. 12. *Dominus tecum virorum fortissime.* in Festo S. Francisci de Paula. c. 1. p. 2.

v. 22. *Heu mihi Domine Deus, quia vidi Angelum Domini facie ad faciem.* in Festo S. Benedicti Abb. c 3 p. 4.

Cap. 7. v. 21. *Clamaverunt: gladius Domini & Gedeonis.* in Festo S. Brunonis Conf. c. 2. in exordio.

Cap 10. v. 18. *Qui primus ex vobis contra filios Ammon cœperit dimicare, erit Dux populi Galaad.* in F. S. Pauli. 1. Erem. c. 3. in exord.

Cap. 13. v. 2. *Morte moriemur quia vidimus Dominum.* in Festo S. Benedi. Abb. c. 3. p. 4.

Ruth.

Cap. 4. v. 10. *Ruth Moabitidem quæ uxor defuncti fuit debet accipere, ut suscites nomen propinqui tui in hæreditate sua.* in Festo S. Ignatii Conf. c. 2. p 2.

1. Regum.

Cap. 10. v. 23. *Altior fuit universo populo ab humero & sursum.* in F. S. Francisci de Paula Conf. Ord. Paulinor. c. 1. in exordio.

v. 12 *Num & Saul inter Prophetas.* in Festo S Pauli primi Eremitæ. c. 4 p. 1.

Cap. 17. v. 34. *Pascebat servus tuus Patris sui gregem, veniebat leo vel ursus & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos.* in Festo S. Raymundi Conf. c. 3. p. 5.

v. 39. *Vestivit eum Lorica* in Festo S. Pauli primi Eremitæ c. 4. in exord.

v. 38. *Lorica hamata utebatur.* in Festo S. Pauli primi Eremitæ, c. 4. in exord.

Cap.18.v.1. *Anima jonatha conglutinata est animæ David.* in Festo S. Francisci Ordi. Minorum c.1.in exordio.

Cap.21.v.2. *Rex præcepit mihi sermonem & dixit nemo sciat rem* in Festo S. Augustini Episc.& Eccles.Doct,Fund. Can. Reg. & Eremit c.1 p.3.

Cap.30.v.7. *Applica ad me Ephod.* in Festo S. Benedicti Abb.c.1.p.3.

2. Regum.

Cap. 4.v.5. *Miphibozath comedet semper panem super mensam meam.* in Festo S. Francisci Conf.c. 5.p.4.

Cap.11.v.15. *Ponite Uriam ex adverso belli ubi fortissimum est prælium.* in Festo S.Antonii Eremitæ c.3 in exordio.

Cap.12.v.28. *Ne cum à me vastata fuerit urbs nomini meo adscribatur victoria.* in Festo S.Ignatii Conf.c.4.in exord.

Cap.24.v.12. *Trium tibi datur optio elige unum quod volueris ex his.* in Festo S. Raymundi Conf,c 1.p.3.

3. Regum.

Cap.8.v.10. *Nebula implevit domũ Domini.* in Festo S.Dominici Conf.c.7.in exord.

Ergo ne putandum est quod Deus vere habitet super terram; si enim cœlum & cœli cœlorum te capere non possunt, quamò magis domus hæc quam ædificavi tibi. in Festo. S.Philippi Nerii Conf.c.1.p.4.

Cap.10.v.8. *Beati viri tui & beati servi tui hi, qui stant coram te semper.* in Festo S. Francisci de Paula c.2.in exord.

Cap.11.v.11. *Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, & præcepta mea quæ mandavi tibi, disrumpens scindam Regnum tuum & dabo illud servo tuo David.* in F. S.Pauli primi Eremitæ, c. 1. p 3.

Cap.18.v.23. *Non ego turbavi Israel, sed tu, & domus patris tui qui dereliquistis mandatum Domini & secuti estis Baalim.* in F. S.Eliæ Prophetæ Ord. Carmelitarum,c. 1.p.2.

v.38. Cecidit ignis Domini & voravit holocaustum ligna, lapides, sed insuper & ipsam aquã. in Festo S. Eliæ Prophetæ,c.1.p.3.

Cap.19.v.8 *Qui cum surrexisset comedit & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius 40.diebus & 40.noctibus usque ad montem Dei Oreb.* in Festo S.Pauli 1.Eremitæ c.3.p.1.

v.10. Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituũ. in Festo S.Eliæ Prophetæ,c.1.p.4.

v 10. Quid hic agis Elia. in Festo S.Eliæ Prophetæ c 3.p.4.

Cap.21.v.21. *Interficiam de Achab mingentem ad parietem.* in Festo S.Eliæ Prophetæ. c.2.p.2.

4. Regum.

Cap.2.v.12. *Pater mi, Pater mi, currus Israel & auriga ejus.* in Festo S. Raymundi Confess c.3 p.4.

v.9. Fiat Spiritus tuus duplex in me. in Festo S.Raymnndi Conf c.2.p.1.

v.11 Currus igneus & equi ignei diviserunt utrumque & ascendit Elias per turbinem in cœlum. in Festo S. Eliæ Prophetæ c. 3.p.3.

v.15. Requievit Spirius Eliæ supra Eliseum. in Festo S.Matris Teresiæ. c 1. in exord.

Cap.5.v.16 *Vivit Dominus quia curram post eum & accipiam ab eo aliquid.* in Festo S. Raymundi Conf.c.2.p.4.

2 Paralipomenon,

Cap.22.v.7. *Ochozias filius Ioram descendit ut inviseret Ioram filium Achab in Iezrael ægrotantem.* in Festo S. Joannis de Deo. c.7.p..4.

Cap 32. v.10. *In quo habentes fiduciam sedetis obsessi in Ierusalem.* in F. S. Pauli primi Eremitæ c.2.p.4.

Esdræ 2.

Cap.3.v.22. *Prævalet vinum omnibus hominibus qui bibunt illud.* in Festo S. Antonii Eremitæ c.2.in exord.

Tobi-

Tobias.

Cap. 7. v. 2. *Quam similis est juvenis iste consobrino meo.* in Festo S. Bernardi Abb. c. 2. in exordio. item in Festo S. Raymundi Conf. c. 4. p. 2.

Cap. 14. v. 1. *Postquam illuminatus est Tobias vixit annis quadraginta duobus & vidit filios nepotum suorum.* in Festo S. Raymundi Conf. c. 3. in exord.

Judith.

Cap. 9. v. 15. *Erit hoc memoriale nominis tui Domine cum manus fœmina dejecerit eum.* in Festo S. Matris Theresiæ. c. 2 p. 4.

Cap. 12. v. 12. *Non vereatur bona puella introire ad Dominum meum.* in Festo S. Brunonis Conf. c. 3. p. 4.

Cap. 13. v. 4. *Porro Holophernes jacebat in lecto nimia ebrietate sopitus.* in Festo S. Philippi Nerii Conf. c. 2. p. 1. item in Festo S. Bernardi Abb. c. 3. in exord.

Cap. 15. v. 3. *Secuti sunt illos, descenderunt, clangentes tubis & ululantes post ipsos.* in F. S. Brunonis Conf. c. 2. in exord.

Cap. 16. v. 11 *Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus* in Festo S. Francisci Conf. c. 5. p. 5.

Iob.

Cap. 1. v. 3. *Erat vir ille magnus inter omnes Orientales.* in Festo S. Francisci de Paula. c. 3. p. 2.

Cap 2. v. 6. *Ecce in manu tua est, verum tamen animam illius serva.* in Festo S. Joannis de Deo c. 3 p. 2.

v. 7. *Percussit Iob ulcere pessimo, à planta pedis usque ad verticem capitis.* in Festo S. Antonii Eremitæ. c 3. p. 2.

Cap. 13. v. 22. 23. *Responde mihi quantas habeo iniquitates.* in Festo S. Brunonis Conf. c. 1. p. 4.

Cap. 22. v. 14. *Nubes latibulum ejus.* in Festo S. Dominici Conf. c. 7. in exord.

Cap. 26. v. 5. *Gemunt sub aquis.* in Festo S. Pauli primi Eremitæ. c. 4. p. 1.

Cap. 29. v. 16 *Pater eram pauperum.* in Festo S. Joannis de Deo. c 1. p. 2.

Cap. 39. v. 27. *Elevabitur Aquila & in arduis ponet nidum suum, in petris manet & in præruptis silicibus commoratur, atque in accessis rupibus.* in Festo S. Brunonis Confess. c. 1 p. 5.

v. 6. *Cui dedi in solitudine domum.* in Festo S. Brunonis Conf. c. 3. in exord.

Psalterium.

Psal. 2. v 6. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Syon montem sanctum ejus.* in Festo S. Norberti Abb. c. 4. p. 4.

Psal. 4. 12. 8. *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientib⁹* in Festo S. Raymundi Conf. c. 1. p. 2.

Psal. 12. v. 1. *Vsquequo Domine oblivisceris me in finem, usquequo avertis faciem tuam à me, usquequo exaltabitur inimicus meus super me? Respice & exaudi me Domine Deus.* in Festo S. Augustini Epis. & Eccles. Doct. c. 1 p. 2.

Psal. 16. v. 3. *Igne me examinasti.* in Festo S. Ignatii Conf. c. 3. p. 2e

Psal. 17. v. 26. *Cum Sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris.* in Festo S. Basilii Magni c. 3. p. 4.

Psal. 18. v. 6. *In sole posuit tabernaculum suum.* in Festo S. Dominici Confess. c. 1. in exordio.

Ps. 23. v. 9. *Attollite Principes portas vestras, & elevamini portæ æternales & introibit Rex gloriæ.* in Festo S. Dominici Confess. c. 8. p. 5.

v. 3. *Quis ascendit in montem Domini.* in F. S. Brunonis Confess. c. 1. p. 5.

v. 9. *Aperite portas Principes vestras & introibit Rex gloriæ.* in Festo S. Brunonis Confess. c. 4. p 4.

Psal. 27. v. 7. *Refloruit caro mea.* in Festo S. Bernardi Abb. c. 4. p. 2.

Psal. 28. v. 8. *Vox Domini concutientis desertum & commovebit Dominus desertum Cades* in Festo S. Romualdi Abb. c. 1. p. 2.

Psal. 35. v. 5. *Iniquitatem meditatus est in cubili suo.* in Festo S. Philippi Nerii. Confess. c. 2. p. 1.

Cap.39.v.5. *Beatus qui non respexit in vanitates & insanias falsas.* in Festo & Joannis de Deo.c.3.p.1.

Psal.44.v.17. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii constitues eos Principes super omnẽ terram* in Festo S.Bernardi Abb.c.2.p.1.

v.22. Constitues eos super omnem terram. in F. S.Francisci Conf.c.4.p.1.

v.26 In omnem terram exivit sonus eorum. in Festo S.Francisci Conf.c.4.p.3.

Psal.47.v 1. *Magnus Dominus & laudabilis nimis.* in Festo S. Ignatii conf. c. 1. p.5.

v.9 Fundavit eam in aternum. in Festo S. Francisci conf.c.2.p.3.

Psal.79.v.9. *Vineam de Ægypto transtulisti.* in Festo S Antonii Eremitæ. c.2. in exordio.

Psal.85.v.2. *Custodi animam meam quoniam sanctus sum.* in Festo S.Norb. Abb. c.4. p.4.

Psal 102.v.3 *Qui ambulas super pennas ventorum.* in F.S.Pauli primi Erem.c 1.p.5.

Psal.204.v.39. *Expendit nubem in protectionem eorum & ignem ut luceret eis per noctem.* in Festo S.Basilii Magni. c.4. in exordio.

v.26. Misit Moysen servum suum. in Festo S. Raymundi Conf.c 1.p.1.

Psal. 105.v.10. *Salvabit eos de manu odientium, & redemit eos de manu inimici.* in Festo S.Raymundi conf.c.1.p.1.

v.26. Dominati sunt eorum qui oderunt eos & tribulaverunt eos inimici eorum. in Festo S.Raymundi Conf.c.1.p.4.

Psal.106.v.23. *Descendunt mare in navibus facientes operationes in aquis multis.* in Festo S.Raymundi Conf.c.1.p 4.

Psal.111 v.5. *Iucundus homo qui miseretur & commodat, disponit sermones suos in judicio.* in Festo S.Raymundi conf. c.3. p.3.

Psal.127.v.3. *Filii tui sicut novella olivarum.* in Festo Sancti Norberti Abbat. c.2. p.1.

Psal. 141. v.1. *Voce mea ad Dominum clamavi.* in Festo S.Francisci Confessor. c. 2.p.5.

Psal.144 v.9 *Miserationes Domini super omnia opera ejus.* in Festo S. Joannis de Deo c. 1.in exordio.

Proverbia.

Cap.5.v.3. *Favus distillans labia meretricis.* in F. S.Dominici conf.c.2.p.1.

Cap.6.v.6. *Vade ad formicam O piger.* in Festo S.Basilii Magni.c.1.p.3.

Cap.8.v.32. *Delicia mea esse cum filiis hominum* in Festo S. Ignatii conf c.1 in exord.

Cap.17.v.16. *Corona senum filii.* in Festo S.Nerii conf.c.4.p.2.

Cap.18.v 4. *Torrens redundans fons sapientia.* in Festo S Augustini Episc.c.4 p.1.

Cap.21.v.16. *Vir qui erraverit invia doctrina in cœtu gigantium commorabitur.* in Festo S.Pauli primi Eremitæ.c.4.p.1.

Cap.25.v.27. *Cor Regum inscrutabile.* in Festo S.Raymundi conf.c.2.p 2.

Cap.27.v.2. *Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, sic probatur homo* in F.S.Ignatii conf. c.3. in exordio.

Cap.31.v.4. *Nullum secretum est ubi regnat ebrietas.* in Festo S. Bernardi Abb.c.3.in exord.

v.21. Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus. in Festo S.Raymundi conf.c.1, p.1.

Ecclesiastes.

Cap.4.v.12. *Funiculus triplex difficile rumpitur.* in Festo S.Ignatii conf. c.4.p.5.

Cantica.

Cap.1.v.12 *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur.* in Festo S.Francisci conf.c.4.p.2.

v.1. Osculetur me osculo oris. in F.S.Francisci. conf c.4.p.3.

v.14 Tota pulchra es amica mea & macula non est in te. in F. S. August. Epis.c.3.in exord.

Cap.2.v.4. *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.* in Festo S. Bernardi Ab c.3. p 1.

v 17 Dilectus meus pascitur inter lilia. in Festo S.Bernardi Abb.c.4.p.1.

v.2. Sicut lilium inter spinas. in F. S. Franciſci de Paula.c.3.p.1.

v.5. Fulcite me floribus, ſtipate me malis quia amore langueo. in Feſto S. Philippi Nerei conf.c.2.p.5.

Cap.3.v.3. *Num quem diligit anima mea vidiſtis.* in Feſto S. Philippi Nerei conf.c.2.p.3.

v.11. Egredimini filiæ Syon & videte regem Salomonem in diademate quo coronavit illum mater ſua in die deſponſationis & in die latitiæ cordis ejus. in Feſto S. Ioannis de Deo.c.2.p.1.

Cap.4.v.4. *Collum tuum ſicut turris David, mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium.* in Feſto S. Antonii Eremitæ, c.3.p.4.

v.9. Vulneraſti Cor meum ſoror mea. Sponſa. in Feſto S. Auguſtin. Epiſc.c.3.p.5.

Cap.5.v.1. *Bibite & inebriamini chariſſimi.* in Feſto S. Bernardi Abb.c.3.p.1.

v.6. Aperuit peſſulum oſtii ſui. in F.S. Philippi Nerei conf.c.2.p.5.

Cap.6.v.1. *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum ut ibi paſcatur in hortis & lilia colligat.* in F. S. Bernardi Abb.c.4.p.1.

Cap.7.v.12. *Mane egrediamur in campum, videamus ſi vinea noſtra floruit, ſi flores fructus parturiunt.* in F. S. Antonii Eremitæ c.2. in Exord.

v.13. Omnia poma nova & vetera ſervavi tibi dilecte mi in F. S. Matris Thereſiæ, c.2.p.1.

v.1. Quid videbis in Sulamite niſi choros caſtrorum in F.S.Ignatii conf.c.1.p.4.

Cap.v.6.8. Pone me ut ſignaculum ſuper brachium tuum. in Feſto S. Ignatii conf.c.4. p.4.

Sapientia.

Cap.3.v.13. *Fœlix ſterilis & incoinquinata, quæ neſcivit thorum in dilecto, habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum.* in F. S. Matris Thereſiæ c.2.p.2.

Cap.5.v.6. *Ergo erravimus à via veritatis,* in Feſto S. Joannis de Deo. c.3.p.3.

Cap.7.v.26. *Candor lucis æternæ.* in Feſto S. Baſilii Magni c.4.p.2.

v.10. *Super ſalutem & ſpeciem dilexi eam & propoſui pro luce habere illam, quoniam in extinguibile eſt lumen illius.* in F.S. Auguſtini Epiſc. & Eccleſ. Doct. c.1.p.1.

Eccleſiaſticus.

Cap.2.v.4. *In dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis.* in F. S. Ignatii conf.c.3.p.2.

Cap.15.v.6. *Exaltaſti ſuper terram habitationem meam.* in F.S. Antonii Eremitæ, c.4. in Exord.

Cap.40.v.8. *Qui navigant mare enarrannt pericula ejus.* in Feſto S. Franci. de Paula.c. 4.p.4.

Cap.43.v.1. *Sol in aſpectu annuncians inexitu.* in Feſto S. Dominici conf.c.7.p.2.

Cap.44.v.20. *Abraam Pater magnus.* in Feſto S. Baſilii Magni.c.2.p.1.

Cap.45.v.9. *Coronavit eum in vaſis virtuis,* in Feſto S. Norberti Abb. c.2.p.3.

v.3. Glorificavit eum in conſpectu Regum. in Feſto S. Eliæ Prophetæ, c.2. in exord.

v.14. Corona aurea ſuper caput ejus. in Feſto S. Joannis de Deo c.2.p.1.

Cap.48.v.3. *Verbo Domini continuit cœlum* in Feſto S. Eliæ Prophetæ.c.2.p.1.

v.11. Beati ſunt qui te viderunt, & amicitia tua decorati ſunt. in Feſto S. Eliæ Prophetæ.c.2.p.4.

v.11. Surrexit Elias Propheta quaſi ignis & verbum illius quaſi facula ardebat. in Feſto S. Dominici conf.c.1.p.1.

Cap.49.v.1. *Memoria Joſiæ in compoſitione odoris facta opus pigmentarii.* in Feſto S. Baſilii Magni.c.3. in exord.

Cap.50.v.1. *In vita ſua ſuffulſit domum & in diebus ſuis corroboravit templum* in Feſto S. Franciſci conf.c.2.p.2.

Iſaias.

Cap.3.v.1. *Aufferet Dominus à Judæa fortem & validum.* in Feſto S. Matris Thereſiæ c.3.p.1.

C.6.v.3. *Clamabant ad invicē dicentes Sanctus*

Sanctus

Sanctus Sanctus Dominus Deus exercituum. in Festo S. Brunonis Confess. c. 2. p. 2.

Cap. 9. v. 6. *Parvulus natus est nobis.* in Festo S. Francisci de Paula c. 1. p. 5.

Cap. 54. v. 12. *Dilatasti cubile tuum.* in Festo S. Philippi Nerii Confess. c. 1. p. 2.

Cap. 35. v. 2. *Gloria Libani data est ei & decor Carmeli.* in Festo S. Eliæ Prophetæ. c. 2. p. 5.

Cap. 43. v. 14. *Ab Oriente adducam semen tuum & ab Occidente congregabo te.* in Festo S. Basilii Magni. c. 1. p. 5.

Dap. 49. v. 12. *Ecce isti de longe venient, & ecce illi ab Aquilone & mari & isti de terra australi.* in Festo S. Benedicti Abb. c. 1. p. 2.

Gap. 52. v. 7. *Quam pulchri super montes pedes annunciantis & prædicantis pacem, annunciantis bonum prædicantis salutem.* in Festo S. Dominici Conf. c. 8. p. 3.

Cap. 53. v. 2. *Vidimus eum & non erat ei aspectus neque decor unde nec reputavimus eum, sed revera livore eius sanati sumus.* in Festo S. Antonii Eremitæ c. 2. p. 4.

Gap. 58. v. 12. *Vocaberis ædificator sepium avertens semitas iniquitatis.* in Festo S. Francisci Conf. c. 2. p. 3.

Gap. 62. v. 6. *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes.* in Festo S. Bernardi Abbat. c. 1. p. 1.

Threni Ieremiæ.

Cap. 4. v. 8. *Denigrata est super carbones facies eorum & non sunt cogniti in plateis.* in Festo S. Norberti Abb. c. 3. in exord.

Ezechiel.

Cap. 14. v. 3. *Viri isti posuerunt immunditias in cordibus suis.* in Festo S. Philippi Nerei. c. 2. p. 2.

Cap. 16. v. 48. *Hæc est iniquitas Sodoma saturitas panis.* in Festo S. Eliæ Prophetæ. c. 4. p. 3.

Cap 37. v. 26. *Fundabo eos & multiplicabo, & dabo sanctificationē meam in medio eorum in sempiternum & erit tabernaculum meum.* in Festo S. Basilii Magni. c. 1. in exord.

Daniel.

Cap. 1. v. 15. *Post dies decem apparuerunt vultus eorum meliores & corpulentiores præomnibus pueris qui vescebantur cibo regio.* in Festo S. Norberti Abb. c. 3. p. 1.

Cap. 3. v. 9. *Ecce ego video quatuor viros solutos & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio Dei.* in Festo S. Francisci Conf. c. 4. in exord.

v. 91. *Nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos? Et ecce video quatuor viros solutos & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est & species quarti similis filio Dei.* in Festo S. Raymundi Conf. c. 4. p. 2.

Cap. 7. v. 10. *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* in Festo S. Pauli primi Eremitæ. c. 1. p. 2.

Cap. 12. v. 3. *Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti. & qui ad justitiam erudiunt multos quasi stellæ in perpetuas æternitates.* in Festo S. Basilii Magni. c. 4. p. 4.

v. 3. *Qui erudiant multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* in Festo S. Augustini Episc. c. 3. in exord.

Cap. 14. v. 35. *Posuit eum in Babylone super lacū.* in Festo S. Pauli primi Eremit. c. 1. p. 1.

Ioel.

Cap. 2. v. 28. *Effundam de spiritu meo super omnem carnem & prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ.* in Festo S. Matris Theresiæ. c. 4. p. 4.

Abacuc.

Cap. 3. v. 4. *Splendor ejus & lux erit.* in Festo S. Augustini Episcopi. c. 1. p. 1.

Mala-

Malachias.

Cap. 4. v. 2. *Orietur vobis timentibus nomẽ meum sol justitiæ.* in Festo S. Dominici Confess. c. 2 p. 1.

I. Machabæorum.

Cap. 3. v. 3. *Induit se loricam sicut gigas.* in Festo S. Pauli primi Eremitæ. c. 4. p. 1.

Cap. 7. v. 46. *Supra modum mater mirabilis & bonorum memoria digna.* in Festo S. Matris Theresiæ. c. 1. in exord.

Cap. 10. v. 62. *Iussit Rex expoliari Ionatham vestimentis & indui eum purpurâ.* in Festo S. Norberti Abb. c. 2. in exord.

Matthæus.

Cap. 2. v. 2. *Vbi est qui natus est Iudæorum vidimus enim stellam ejus in Oriente & venimus adorare eum.* in Festo S. Basilii Magni. c. 4. p. 2.

v. 9. *Stella antecedebat eos usque dum veniens staret supra ubi erat puer.* in F. S. Dominici Conf. c. 4. p. 5.

Cap. 4. v. 1. *Ductus est in desertum ut tentaretur à Diabolo.* in Festo S. Benedicti Abbat. conc. 2. p. 4.

v. 4. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* in Festo S. Romualdi Abb. c. 2 p. 3.

Cap. 5. v. 13. *Vos estis sal terræ.* in Festo S. Dominici Conf. c. 6. in exord.

v. 14. *Vos estis lux mundi.* in F. S. Augustini Episc. c. 3. in exord.

v. 15. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* in F. S. Brunonis Conf. c. 2. p. 3.

v. 19. *Qui fecerit & docuerit hic magnus vocabitur in Regno cœlorum.* in F. S. Dominici Conf. c. 8 p. 4.

v. 3. *Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est Regnum cœlorum.* in F. S. Romualdi Abb. c. 4. in exord.

v. 6. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam quoniam ipsi saturabuntur.* in F. S. Norberti Abb. c. 3. p. 1.

Cap. 6. v. 24. *Nemo potest duobus Dominis servire: aut enim unũ odio habebit, & alterũ diliget, aut unum sustenebit & alterum contemnet.* in Festo S. Antonii veteris Monachorum Instituti. concione 1. in exordio.

v. 28. *Considerate lilia agri quomodo crescant, non laborant neque nent: dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis.* in F. S. Norberti Abb. c. 3. p. 2.

v. 6. *Tu autem cum oraveris intra in cubiculum tuum.* in Festo S. Ignatii Conf. conc. 2. p. 4.

v. 3. *Te faciente eleemosynam nesciat sinistra tua quid faciat dextra tua.* in Festo Philippi Nerii. Conf. c. 4. p. 4.

Cap. 7. v. 14. *Angusta porta & arcta via est, qua ducit ad vitam & pauci sunt qui intrant per eam.* in Festo S. Benedicti Abbat. c. 4. p. 5.

Cap. 8. v. 10. *Non inveni fidem tantam in Israël.* in Festo S. Francisci Conf. c. 1. p. 3.

Cap. 10. v. 9. *Nolite possidere aurum neque argentum neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* in Festo S. Antonii veteris Monachorum. c. 1. p. 1. itẽ in F. S. Francisci Confess. concione 1. punct. 1.

v. 16. *Estote prudentes sicut serpentes.* in F. S. Brunonis Conf. c. 1. p 5.

Cap. 11. v. 7. *Quid existis in desertum videre* in F. S. Francisci de Paula c. 2 p. 4.

v. 16. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem meam, qui præparabit viam tuam ante te.* in Festo S. Francisci de Paula concione 4. p. 1.

Cap. 13. v. 16. *Vestri beati oculi quia vident, & aures vestræ quia audiunt.* in Festo S. Eliæ Prophetæ. c. 2. p. 4.

v 32. *Ita ut volucres cœli veniant & habitent in ramis ejus.* in Festo S. Francisci de Paula c. 4. in exord.

Cap. 15. v. 27. *Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum.* in Festo S. Francisci Confess. c. 1. p. 3.

Cap. 16. v. 18. *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* in Festo S. Ignatii Conf. c. 4. p. 1.

Cap. 17. v. 2. *Resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem facta sunt alba sicut nix.* in F. S Norberti Abb. c. 2 p. 1.

Cap. 18. v. 4. *Quicunque humiliaverit se sicut parvulus iste hic est major in regno cœlorum.* in F. S. Francisci Conf. c. 1. p. 2.

Cap. 19. v. 21. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus.* in F. S. Antonii veteris Monachorum c. 1. p. 4.

v. 21. *Vende omnia quæ habes & da pauperibus & habebis thesaurum in cœlo.* in F. S. Antonii Eremitæ. c. 4 p. 1.

v. 27. *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te, quid ergo erit nobis.* in F. S. Francisci Conf. c. 5. p. 1.

Cap. 20. v. 16. *Erunt primi novissimi & novissimi primi.* in *F. S.* Pauli primi Eremitæ. conc 1. p. 1.

v. 23 *Sedere ad dextram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis.* in Festo S. Romualdi Abb. c. 4 p. 1.

Cap. 21. v. 13. *Scriptum est domus mea domus orationis vocabitur.* in Festo S. Brunonis Conf. c. 1. in exord.

Cap 22. v. 14. *Multi sunt vocati pauci verò electi.* in *F. S.* Benedicti Abb. c. 4 p. 5.

v. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & proximum sicut te ipsum.* in F. S. Bernardi Abb. c. 3. p. 1.

Cap. 23. v. 5. *Dilatant phylacteria sua & magnificant fimbrias, amant primos recubitus in cœnis & primas cathedras in synagogis & salutationes in foco, & vocari ab hominibus Rabbi.* in F. S. Francisci Conf c. 3. p. 1.

Cap. 25. v. 34. *Tunc dicet Rex his qui à dextris ejus erunt, venite benedicti Patris mei.* in F. S. Benedicti Abb. c. 4. p. 4.

v. 45. *Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* in F. S. Francisci de Paula. c. 3. in exord.

Cap. 27. v. 38. *Crucifixi sunt cum Iesu duo latrones, unus à dextris & unus à sinistris.* in F. S. Eliæ Prophetæ. c. 3. p. 3.

Marcus.

Cap. 1. v. 28. *Nunquam sic locutus est homo.* in F. S. Benedicti Abb. c. 2. p. 1.

v. 24. *Quid nobis & tibi Iesu Nazarene, venisti perdere nos scio quis sis, sanctus Dei.* in Festo S. Ignatii Conf. c. 2. p. 2.

Cap. 10. v. 22. *Qui contristatus in verbo abiit mœrens.* in Festo S. Romualdi Abbat. conc. 3. p. 1.

Cap. 16. v. 16. *Ite prædicate Evangelium.* in F. S. Dominici Conf. c. 8. p. 3.

Lucas.

Cap. 1. v. 35. *Spiritus Sanctus superveniet in te & virtus altissimi obumbrabit tibi.* in *F. S.* Matris Theresiæ. c. 2. p 1.

v. 48. *Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est.* in F. S Matris Theresiæ. c. 2 in exord.

Cap. 2. v. 10. *Evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo; quia natus est vobis hodie salvator.* in Festo S. Bernardi Abb. c. 1. p. 3.

Cap. 5. v. 5. *Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus.* in Festo S. Ignatii Confess. c. 4. p. 2.

Cap. 7. v. 27. *Hic est de quo dictum est. Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam.* in *F. S.* Antonii Eremitæ. c. 4. p. 2.

Cap. 9. v. 1. *Convocatis duodecim Apostolis misit illos prædicare Regnum Dei.* in Festo S. Dominici Conf. c. 7. p. 1.

Cap. 10 v. 24. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis: dico enim vobis quod multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis & non viderunt.* in Festo S. Eliæ Prophetæ c. 2. p. 4.

Cap. 11. v. 33. *Nemo accendit lucernam & ponit eã sub modio.* in F. S. August Episc. c. 2. p. 2.

v. 4. *Erat Iesus ejiciens dæmonium.* in Festo S. Brunnonis Confess. c. 2 p. 1.

v. 21. *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet.* in F. S. Brunonis Conf. c. 3. p. 5.

Cap. 12. v. 35. *Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes in manibus vestris.* in Festo S. Basilii Magni. c. 4. p. 1.

v. 37. *Beati servi illi quos cum venerit Dominus invenerit vigilantes.* in Festo S. Brunonis Conf. c. 4. p. 1.

v. 36. *Vt cum venerit & pulsaverit confestim aperiant ei.* in F. S. Brunon. Conf. c. 4. p. 5.

v. 35. *Lucernæ ardentes in manibus vestris.* in Festo S. Ignatii Conf. c. 2. p. 3.

v. 32. *Nolite timere pusillus grex quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.* in Festo S. Joannis de Deo patris pauperum. c. 1 p. 1.

Cap. 14. v. 11. *Qui se humiliat exaltabitur.* in F. S. Dominici Conf. c. 5. p. 3. item in F. S. Francisci Conf. c. 5. p. 1. item in F. S. Francisci de Paula c. 1. p. 4.

Cap. 19. v. 33. *Solventibus illum pullum dixerunt Domini ejus ad illos, quid solvitis pullum.* in F. S. Raymundi Conf. c. 1. p 2.

Cap. 22. v. 38. *Ecce duo gladii hic.* in Festo S. Brunonis Conf. c. 3. p. 3.

v. 32. *Et ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* in Festo S. Dominici Conf. c. 8. p. 1.

v. 26. *Qui major est in vobis fiat sicut minor, & qui Præceptor est sicut Ministrator.* in F. S. Dominici Conf. c. 8. p. 2.

Cap. 23. v. 9. *Interrogabat eum multis sermonibus at ipse nihil illi respondebat.* in Festo S. Brunonis Conf. c. 2. p. 4.

v. 34. *Pater ignosce illis.* in F. S. Antonii veteris Monachorum Instituti. c. 1. p. 2.

v. 39. *Unus de his qui pendebant latronibus, blasphemabat eum dicens. si tu es Christus salvum fac te ipsum & nos.* in F. S. Eliæ Prophetæ c. 3. p. 3.

v. 45. *Sol obscuratus est & petræ scissæ sunt.* in Festo S. Benedicti Abb. c. 2. p. 1.

Cap. 24. v. 32. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via.* in Festo S. Romualdi Abbatis c. 1. p. 3. item in F. S. Dominici Conf. c. 7 p. 2.

Joannes.

Cap. 1. v. 1. *In principio erat verbum & verbum erat apud Deum & Deus erat verbum.* in Festo S. Matris Theresiæ Novæ Reformat. Carmel. Ord. c. 1. p. 2

v. 5. *Lux in tenebris lucet.* in Festo S. Augustini Episc. c. 2. p. 2.

v. 9. *Qui illuminat omnem hominem.* in Festo S. Dominici Conf. c 7. p. 1.

v. 10. *In mundo erat & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit.* in Festo S. Francisci Conf. c. 4. p. 1.

v. 50. *Vidi te sub ficu.* in Festo S. Augustini Episc. c. 1. p. 2.

Cap. 6. v. 15. *Dum cognovisset quod venturi essent ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus.* in Festo S. Norberti Abb. c. 4. p. 3.

Cap. 8. v. 12. *Ego sum lux mundi,* in Festo S. Basilii Magni c. 4. p. 1.

Cap. 11. v. 52. *Ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum.* in Festo S. Basilii Magni c. 1. p. 1.

Cap. 12. v. 26. *Qui mihi ministrat me sequatur.* in F. S. Francisci de Paula c. 2. p. 1.

Cap. 13. v. 31. *Nunc clarificatus est filius hominis.* in Festo S. Philippi Nerii Conf. c. 3. p. 4.

Cap. 15 v. 12. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* in Festo S. Antonii veteris Monachorum Instituti. c. 1. p. 1.

v. 15. *Iam non dicam vos servos sed amicos.* in F. S. Francisci de Paula c. 2. p. 1.

Acta Apostolorum.

Cap. 3. v. 6. *Aurum & argentum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do. In nomine Iesu Nazareni surge & ambula.* in Festo S. Romualdi c. 3 p. 3.

Cap. 6. v. 15. *Viderunt faciem ejus quasi faciem Angeli.* in Festo S. Antonii Eremitæ c. 1. p 3.

v. 6 *Verbum Domini crescebat & multiplicabatur numerus discipulorum.* in Festo S. Francisci Conf. c. 3. in exord.

Cap. 7. v. 2. *Viri fratres & Patres audite.* in F. S. Antonii veteris Monachorum Instituti Fund. c. 1. p. 3.

Cap. 12. v. 6. *In ipsa nocte erat Petrus dormiens, inter duos milites vinctus catenis duabus, & ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo.* in Festo S. Francisci de Paula c. 4. p. 2.

INDEX

Ad Romanos.

Cap. 10. v. 17. *Fides est ex auditu.* in Festo S. Romualdi Abb. c. 2. p. 3.

Cap. 12. v. 1. *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam Deo placentem.* in F. S. Francisci Conf. c. 5. p. 3.

1. Ad Corinthios.

Cap. 1. v. 25. *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* in Festo S. Francisci de Pau. c. 1. p. 1.

Cap. 3. v. 17. *Templum Dei estis & Spiritus Sanctus habitat in nobis.* in Festo S. Norberti Abb. c. 4. p. 2.

Cap. 6 v. 17. *Qui adhæret Deo unus spiritus est.* in Festo S. Bernardi Abb. c. 3. p. 5.

Cap. 9. v. 24. *Nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt sed unus accipit bravium.* in Festo S. Pauli primi Eremitæ c. 1. p. 4.

v. 27. *Castigo corpus meum & in servitutem redigo.* in F. S. Brunonis Conf. c. 3. p. 3.

Cap. 13. v. 8. *Charitas nunquam excidit sive Prophetia evacuabuntur sive lingua cessabunt.* in F. S. Eliæ Prophetæ c. 1. p. 4.

2. Ad Corinthios.

Cap. 3. v. 18. *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem.* in Festo S. Blasii Magni c. 4. p. 2.

Cap. 4. v. 10. *Mortificationem Domini nostri Iesu Christi in corpore meo porto* in Festo S. Francisci Conf. c. 5. in exordio.

Cap. 5. v. 1. *Domum non manu factam æternam in cœlis.* in Festo S. Dominici Conf. c. 6. p. 2.

Cap. 11. v. 29. *Quis infirmatur & ego non infirmor.* in Festo S. Joannis de Deo c. 4. p. 1.

Cap. 12. v. 11. *Nihil minus fui ab his, quæ sunt supra modum Apostoli.* in Festo S. Raymundi Conf. c. 2. p. 4.

Ad Galatas.

Cap. 3. v. 6. *Credidit Abraam Deo & reputatum est illi ad justitiam.* in Festo S. Brunonis Conf. c. 4. p. 1.

Cap. 5. v. 24. *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis* in Festo S. Antonii Eremitæ c. 3. p. 1.

v. 22. *Fructus Spiritus est charitas & gaudidium, pax, patientia, benignitas, modestia, continentia, dilectio.* in Festo S. Romualdi Abb. c. 3. p. 2.

Cap. 6. v. 26. *Si hominibus placerem servus Christi non essem.* in Festo S. Antonii veteris Monachorum Instituti c. 1. in exordio.

v. 17. *Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* in Festo S. Francisci Confessoris. c. 5. in exordio.

Ad Ephesios.

Cap. 3. v. 1. *Hujus rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi, ut det vobis virtutem corroborari per spiritum ejus, in interiore homine Christum habitare, per fidem in cordibus vestris.* in Festo S. Romualdi Abb. c. 2. p. 3.

Cap. 5. v. 18. *Nolite inebriari vino in quo est luxuria.* in Festo S. Bernardi Abb. c. 3. p. 1.

Cap. 6. v. 14. *State succincti lumbos vestros in veritate & induti loricam justitia.* in F. S. Pauli primi Eremitæ c. 4. p. 5.

v. 11. *Induite vos armaturam Dei &c. quoniã non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principes & potestates adversus mundi rectores.* in F. S. Antonii Eremitæ c. 3. p. 1. item in Festo S. Antonii Eremitæ c. 3. p. 5.

v. 17. *Galeam salutis assumite & gladium spiritus quod est verbum Dei.* in F. S. Brunonis Conf. c. 3. p. 3.

Ad Philippenses.

Cap. 4. v. 2. *Euodiam rogo & syntichen deprecor & te germane compar, adjuva illos*

qui

quii mecum laboraverũt. in Festo S. Matris Theresiæ c. 3. p. 2.

Ad Thessalonicenses.

Cap. 6. v. 18. *Nos autem qui diei sumus sobrii simus induti loricam fidei & charitatis.* in F. S. Pauli primi Eremitæ c. 4. p. 5.

Ad Timotheum.

1. Ep. Cap. 2. v. 8. *Volo viros orare in omni loco.* in F. S. Philippi Nerii c. 1. p. 2.

Cap. 5. v. 17. *Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni habeantur,* in F. S. Raymundi Conf. c. 2. p. 1.

Ad Hebræos.

Cap. 1. v. 3. *Purgationem peccatorum faciens.* in Festo S. Ignatii Conf. c. 3. in exord.

v. 4. *Tanto melior Angelis effectus quanto differentius præ illis nomen hæreditavit.* in Festo S. Philippi Nerii c. 1. p. 1.

Cap. 3. v. 5. *Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tanquam famulus, Christus vero tanquam filius in domo quæ sumus nos.* in Festo S. Dominici Conf. c. 7. p. 5.

v. 1. *Fratres sancti vocationis cœlestis participes considerate Apostolum & Pontificem Confessionis nostri Deum, qui fidelis est ei qui fecit illum sicut & Moyses in omni domo ejus.* in Festo S. Philippi Nerii c. 3. p. 1.

Cap. 7. v. 19. *Introductio melioris spei per quam proximamus ad Deum.* in Festo S. Benedicti Abb. c. 4. p. 3.

Cap. 10. v. 31. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* in F. S. Raymundi Confess. c. 1. p. 3.

Cap. 11. v. 38. *In solitudinibus errantes, in montibus & speluncis in cavernis terræ.* in F. S. Blasii Magni c. 1. p. 2.

v 37. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, in solitudinibus errantes in montibus in speluncis & cavernis terræ.* in Festo Sancti Eliæ Prophetæ concione 7. p. 5.

Epistola Jacobi.

Cap. 5. v. 17. *Elias homo erat similis nobis.* in Festo Sancti Eliæ Prophetæ, c. 4. p. 1.

Joannis.

Cap. 1. v. 7. *Si in luce ambulamus sicut & ipse est in luce, societatem habemus ad invicem.* in Festo Sancti Basilii Magni. concione. 4. punct. 1.

v. 7. *Emundat nos à peccatis nostris.* in Festo Sancti Dominici Confessoris, concione 4. in exordio.

Apocalypsis.

Cap. 2. v. 1. *Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe: hæc dicit qui tenet septem stellas; age pœnitentiam.* in Festo S. Bernardi Abb. c. 3. p. 7.

Cap. 3. v. 4. *Ambulabunt mecum in albis.* in F. S. Bernardi Abb. c. 4. p. 1. item in Festo S. Norberti Abb. c. 1. p. 5.

Cap. 5. v. 11. *Numerus eorum millia millium.* in Festo Sancti Norberti Abbat. conc. 2. punct. 5.

Cap. 6. v. 2. *Ecce equus albus & qui sedebat super illum habebat arcum, & data est ei corona, & exivit vicẽs ut vinceret.* in Festo Sancti Joannis de Deo con. 2. punct. 2.

Cap. 7. v. 14. *Hi sunt qui laverunt stolas suas in sanguine Agni.* in Festo Sancti Norberti Abb. c. 3. p. 2.

v. 2. *Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis habentem signum Dei vivi,* in F. S. Dominici Conf. c. 4. p. 5.

Cap. 12. v. 1. *Signum magnum apparuit in cœlo. Mulier amicta sole & luna sub pedibus ejus & in capite ejus corona stellarum duodecim.* in Festo S. Augustini Episc. c. 3. in exordio.

Cap. 14. v. 4. *Qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt & sequun-*

quntur Agnum quocunque ierit. in Festo Sancti Pauli primi Eremitæ c. 4. p. 1.

v. 14. *Et vidi & ecce nubem candidam & super nubem candidam similem filio hominis.* in Festo S. Norberti Abb. c. 3. P. 2.

v. 4. *Virgines enim sunt: hi sequntur Agnum quocunque ierit.* in Festo S. Raymundi Conf. c. 2. p. 3.

Cap. 21. v. 2. *Vidi civitatem Sanctam Ierusalem novam descendentem de cœlo,* in F. S. Augustini Episcopi. c. 1. in exordio.

Cap. 22. v. 2. *Afferens fructus duodecim per singulos menses reddens fructum suum & folia ligni ad sanitatem gentium,* in Festo Sancti Joannis de Deo concione 4. p. 4.

FINIS.

INDEX MATERIARUM NOTABILIUM,

Quæ in hoc Tomo continentur.

Litera F. denotat Festum. C. Concionem. P. Punctum.

A.

Abstractio à mundo est nota justorum. in F. S. Dominici. c. 2. p. 2.

Adami primò post peccatum proli propagandæ operam dedit. in Festo S. Theresiæ. conc. 2. p. 2.

Alba veste cur Christus indutus fuerit, in F. S. Norberti Abb. c. 2. in exord.

Alba vestis est typus victoriæ & castitatis, in F. S. Norberti c. 2 p. 1. & sequent.

Alexandri Magni encomium. in Festo S. Raymundi c. 1. in exord.

Ambulare in luce quid sit, in Festo S. Basilii Mart. c. 4. p. 1.

Angelorum locutio quænam sit, in Festo S. Brunonis c. 2. p. 2.

Angeli sunt custodes Ecclesiæ Christi. in F. S. Bernardi Abb. c. 1. p. 1.

Angeli sunt zelatores castitatis. in Festo S. Bernardi Abb. c. 1. p. 1.

Angeli sunt zelatores castitatis. in Festo S. Bernardi Abb. c. 1. p. 4. & 5.

Apes sunt typus virginitatis, in Festo S. Theresiæ c. 4. p. 3.

Artificiata à proprio magistro melius reparantur. in F. S. Francisci Ord. Min. c. 2 p. 3.

Auris humana causat structuram domus Dei, in F. S. Romualdi Abb. c. 2 p. 3.

B.

Bales cœlestis structuræ ex ære factæ, quid denotent in F. S. Francisci Ord. Min. c. 2. in exord.

Benedicti patris cœlestis qui sint. in Festo S. Benedicti Abb. c. 4. p. 4.

Benedictiones Sancti Jacob Patriarchæ expenduntur. in Festo Sancti Raymundi concione 4. p. 1.

Binarii numeri ratio recensetur. in Festo S. Raymundi c. 4. p. 1.

Brachiari milites quinam dicantur. in Festo S. Ignatii Conf. c. 4. p. 5.

Brevitas gloriæ mundi hujus. in Festo S. Pauli primi Eremitæ. c. 2. p. 1.

C.

Candelabrum veteris legis contra mensam positum, quid denotet. in Festo Sancti Ignatii.

Captivitas spiritualis est gravior corporali. in Festo S. Raymundi, concione 1. p. 2. & sequent.

Captivorum redemptionis præmia. in Festo S. Raymundi c. 1. p. 2. & sequent.

Casti & pudici, virgines dici merentur. in F. S. Raymundi, c. 2. p. 3.

Certamen cum diabolo ineundum qualiter. in Festo S. Antonii Erem. c. 3. p. 1. & seq.

Cœlorum magnitudo simulque angustia. in F. S. Benedicti Abb. c. 4. p. 5.

Cœlum est, ubi Deus est. in Festo S. Bernardi Abb. c. 1. p. 3.

Che-

Cherubinorum excellentiæ. in Festo S. Dominici Conf. c. 4. p. 2.
Corona est typus misericordiæ. in Festo S. Joannis à Deo. c. 2. p. 3. & 4.
Coronæ diversæ pro disparitate meritorum, in Festo S. Eliæ. c. 3. p. 4.
Cordium humanorum excitator est ipse Deus. in Festo S. Theresiæ. c. 1. p. 1.
Conversatio bona, est laudabilis. in Festo S. Brunonis. c. 1. p. 2.
Comparandi bonum nomen, diversa media assignantur. in Festo S. Francisci Ord. Min. c. 3. in exord.
Christus Dominus, in quo sit admirabilis. in Festo S. Bernardi Abb. c. 2 p. 1.
Christus Dominus mercatori ditissimo similis. in Festo S. Raymundi. c. 1. p. 1.
Cubilia in malam & bonam partem accipiuntur. in Festo S. Philippi Nerii. cap 2. pag. 1.

D.

Deus est totius mundi pater familias. in Festo S. Bernardi Abb. c. 1. in exord.
Deliciæ Dei esse cum filiis hominum. in Festo S. Ignatii Conf. c 1. in exord.
Denominatio Ordinum expenditur. in Festo S. Ignatii Conf. c 1. p. 1.
Desertum in antiqua lege inglorium, in nova glorioſum. in Festo S. Remualdi Abb. c. 1 in exord.
Dilationis pœnitentiæ detrimentum. in Festo S. Pauli primi Eremitæ. c. 1. p. 3.
Diligi à Deo & hominibus, quomodo stare possit. in Festo S. Antonii Abb. c. 1. p. 1. & sequent.
Discipuli scholæ Christi, hi vere felices. in F. S. Francisci Ord. Min. c. 3. p. 1. 2. 3.
Differentia inter album & candidum quænam sit. in Festo S. Norberti. c. 3. p. 2.
Dominii divini differentia à dominio sæculari. in Festo S. Raymundi cap. 2. in exordio.
Duo Seraphin quidnam denotent, in Festo S. Philippi Nerii c. 1. p. 1.

E.

Ebrietas grande malum. in Festo S. Bernardi Abbat. conc. 3. in exordio & punct. 1.
Ecclesiæ Domini, fideles servi numerantur. in Festo S. Ignatii Conf. c. 4. p. 3.
Ecclesiæ Domini pugiles numerantur. in F. S. Theresiæ. c. 1. p. 2. & 3.
Eleemosynæ tribuentium encomia. in Festo S. Joannis de Deo. c. 1. p. 1 & sequent.
Excubiæ nostræ cœlesti sponso multum placent. in Festo S. Brunonis Conf. c. 4. p. 4.
Expugnatorum mundi, & desertorum ejusdem figura. in Festo S. Benedicti Abbat. c. 4. p. 3.
Extra Ecclesiam Christi nulla salus. in Festo S. Ignatii Conf. c. 4. p. 1. & 2.

F.

Facis seu candelæ est proprietas lucere & ardere in F. S. Dominici Conf. c. 1. p. 2. item. in Festo S Eliæ c. 1. p. 1 & 2.
Fames compellit hominem, ut Deum quærat. in Festo S. Eliæ c 4. p. 4. & 5.
Fames est flagellum Dei. in Festo S. Eliæ. cap. 4. p. 2. & 3.
Felicitas, ipsa est ruinæ causa. in F. S. Pauli primi Eremitæ 2. p. 1.
Fidei Comes humilitas. in Festo S. Francisci Ord. Min. c. 1. p. 2. & 3.
Filii futuri sæculi quales futuri. in F. S. Philippi Nerii c. 1. in exord.
Fortitudo justi hominis, consistit in spe & silentio. in F. S. Brunonis Conf. conc. 2. in exord.
Fortitudo sexum quoque fœmineum non dedecet. in F. S. Theresiæ, conc. 3. punct. 1. & sequent.

G.

Generatio Christi duplex. in F. S. Raymundi. c. 3. p. 1.
Gloriæ mundanæ brevitas. in F. S. Pauli primi Eremitæ. c. 2. p. 1.
Grani synapis virtutes recensentur. in Festo S. Francisci de Paula. concione 3. punct. 4.
Gradus virtutum numerantur. in F. S. Philippi Nerii c. 3. p. 5.

Gradus ad aſcenſum requiruntur, in Feſto S. Philippi Nerii. c. 3. p. 5.

H.

Hæreticorum expugnatores numerantur. in Feſto S. Thereſiæ c. 1. p. 2. 3. & 4.
Homo quidnam denotet recenſetur. in Feſto S. Raymundi c 3. p. 1.
Homines, vicarii ſunt Angelorum, in Feſto S. Bernardi Abb. c. 1. p. 1.
Humilitatis excellentia. in Feſto S. Franciſci Ord. Min. c. 1. p. 4. & 5.

I.

Ignis eſt ſymbolum amoris divini. in Feſto S. Franciſci Ord. Min. c. 4. p. 1. & ſequent.
Ignis amoris divini, lumini ſcientiæ præfertur. in Feſto S. Ignatii Conf. c. 2. puncto 2. & 3.
Ignis purgativi officium. in Feſto S. Ignatii Conf. c. 3. p. 1. & ſequent.
Ignem deſcendere & aquam aſcendere quantum ſit miraculum. in Feſto S. Eliæ. c. 2. p. 1. & 2.
Imago & ſimilitudo Dei, cuinam competat. in Feſto S. Raymundi c. 4. in exord.
Intelligere ſuper pauperem quidnam denotet. in Feſto S. Joannis de Deo. c. 1. p. 4.
Juſti homines ſunt columna templi Dei. in Feſto S. Dominici Conf. c. 5. p 1. & 2.

L.

Laborem ſequitur requies, in Feſto S. Blaſii Magni. c. 1. p. 3.
Languoris myſtica cauſa depromitur. in Feſto S. Philippi Nerii. c. 2. p 5.
Lilia cœleſtem ſponſum cur oblectent. in Feſto S. Bernardi Abb. c. 4. p. 1. & 2.
Lilium typus eſt caſtitatis, in Feſto S. Bernardi Abb. c. 4. p. 4.
Liber apertus Angeli, quidnam denotet. in F. S. Franciſci de Paula. c. 4. p. 5.
Locutio Angelorum quænam ſit. in Feſto S. Brunonis Conf. c. 2. p. 2.
Lucis quanta ſit excellentia. in Feſto S. Dominici Conf. c. 3. p. 3.
Lucis & tenebrarum nulla ſocietas. in Feſto Sancti Philippi Nerii. concione 4. in exordio.
Lucis & tenebratum myſtica combinatio. in Feſto S. Philippi Nerii c. 4. p. 1. & ſeq.
Lumbi qualiter præcingendi. in Feſto S. Brunonis Conf. c. 3 p. 2.

M.

Magnitudo hominum, quænam vera ſit. in F. S. Franciſci de Paula. c. 3. p. 3.
Maturata cœleſtis ſponſi expectatio Deo eſt gratiſſima. in F. S. Brunon. Conf. c. 4. p. 1.
Magnos vocari quibus competat. in Feſto S. Dominici Conf. c. 3. in exord.
Membra Chriſti capiti ſe conformare debent. in Feſto S. Philippi Nerii. c. 3. p. 3.
Mel in antiqua lege non adhibebatur ſacrificiis. in Feſto S. Dominici Conf. c. 2. p. 1.
Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, qualiter. in Feſto S. Benedicti Abb. c. 2. p. 1. & ſeq.
Militiæ Chriſtianæ præſtantia. in Feſto S. Ignatii Conf. c. 1. p. 3. & 4.
Modus diligendi Deum ſine modo. in Feſto S Philippi Nerii. c. 2. p. 5.
Moderamen divini ſupplicii. in Feſto S. Raymundi. c. 1. p. 4. & 5.
Montium elogia. in Feſto S. Norberti Abb. c. 4. p. 1.
Mundi Paterfamilias Deus eſt. in Feſto S. Norberti Abb. c. 1. in exord.
Mulierum laudes. in Feſto S. Thereſiæ. c. 3. p. 1. & ſequent.

N.

Natura ſalis expenditur. in Feſto S. Dominici Conf. c. 2. in exord. & p. 1.
Nebula deſcendens & aſcendens quid deſignet. in F. S. Dominici Conf. c. 7. in exordio.
Nigredo Nazaræorum quidnam denotet. in F. S. Norberti c. 3. in exord. & p. 1.
Nominis proprii appetitus. in Feſto S. Ignatii Conf. c. 4. in exord.
Nuptiæ replent terram, virginitas autem paradiſũ. in F. S. Thereſiæ. c. 2. p. 2. & 3.

O.

Oblivio proprii nominis eſt index humilitatis.

ratis in Festo S Ignatii Conf. c. 2. p. 5.
Orationis excellentia quæ & quanta. in Festo S. Philippi Nerii. c. 1 p. 1.
Oratio solitudinis est socia. in Festo S. Ignatii Conf. c. 2. p. 4.
Oraroria ad quid erigantur. in Festo S. Philippi Nerii c. 1. p. 2. & sequent.
Ornamenta cœlorum sunt Sancti Dei. in Festo S. Dominici Conf. c. 8. p. 1.

P.

Parentes judicari solent in filiis. in Festo S. Romualdi c. 3. in exord.
Partes humani corporis expenduntur. in F. S. Ignatii Conf. c. 4. p. 1.
Parentum dignitas in filiis elucescit. in Festo S. Raymundi Conf. c. 3. p. 4. & 5.
Parvulorum simplicitas sanctis viris est prnpria. in F. S. Francisci Ord. M. c. 1. p. 1.
Parvuli Christo placent. in Festo S. Francisci de Paula. c. 1. p. 5.
Pauperes sunt corona fidelium. in Festo S. Joannis à Deo. c. 2. p. 1. & sequent.
Pauperum curam habere quantæ sit opus excellentiæ. in Festo S. Joannis [illegible] c. 4. p. 1. & sequent.
Pauperis & egeni differentia. in Festo S. Benedicti c. 4. p. 1.
Paradisi plantatio mirabilem Deum prædicat. in Festo S. Benedicti c. 3. p. 1.
Paradisus, primum erat Dei hospitium. in F. S. Norberti c. 3. p. 4.
Pœnitentia non est differenda. in Festo S. Pauli primi Eremitæ c. 1 p. 3.
Perfectio fidelium consistit in sequela Christi. in Festo S. Romualdi c. 4. p. 2.
Pericula in mari, plura sunt quam in terra. in Festo S. Francisci de Paula. c 4. p 4.
Pes Angeli unus supra mare, alter super terram designat prædicationem Evangelii. in Festo S. Francisci de Paula, concione 4. in exord.
Prælatorum notæ expenduntur. in Festo S. Dominici. c. 8. p. 1. & sequent.
Primitivi qui vocentur. in Festo S. Pauli primi Eremitæ c. 1. p. 1. & 2.
Prophetæ Dei cur vocentur videntes. in Festo S. Benedicti c. 3. in exord.
Prophetia etiam fœminis à Deo conceditur, in Festo S. Theresiæ c. 4. p. 4.
Providentia divina in cibandis hominibus. in Festo S. Pauli primi eremitæ c. 2. p. 1. 2. 3. 4.
Prudentia spiritualis villici expenditur. in Festo S. Dominici c. 6. p. 2. & sequent.

Q.

Quanta sit magnitudo stellarum. in Festo S. Ignatii Conf. c. 1. p. 5.
Quantus sit proprii nominis appetitus. in Festo S. Ignatii Conf. c. 4. in exord.
Quatuor viri soluti in igne ambulantes quid denotent. in Festo S. Francisci Ord. M. c. 4. in exord.
Quomodo probatur aurum, sic & homo. in F. S. Ignatii Conf c. 3. in exord.
Quod infirmum est Dei fortius est hominibus. in Festo S. Francisci de Paula. c. 1. p. 1. & sequent.

R.

Rex universi Deus est quoque mundi Paterfamilias. in F. S Bernardi c. 1. in exord.
Resignatio bonorum non placet Deo nisi sit spontanea. in Festo S. Romualdi c. 3. in exord. & P. seq.
Redemptionis captivorum præmia. in Festo S. Raymundi c. 2. p. 1. & sequent.

S.

Sapientiæ encomia. in F. S. Augustini Conf. c. 1. p. 1.
Sal est altera corporum anima. in Festo S. Dominici c. 2. p. 3.
Sancti Dei cur igni comparentur. in Festo S. Eliæ Prophetæ c. 1. p. 1.
Sancti viri assimilantur Cherubinis. in Festo S. Dominici Conf. c. 4. p. 4.
Sancti Dei lucernis Gedeonis similes. in Festo S. Ignatii Conf. c. 2. p. 1.
Sancti homines Angeli dici possunt. in Festo Sancti Francisci de Paula. c. 4. p. 1. & 2.
Senectus mundi. in Festo S. Pauli primi Eremitæ. c. 2. p. 1.

